032

10032

46
102

R. P. DIDACI

DE BAEZA

COMMENTARIA

ALLEGORICA MORALIA

DE

CHRISTO FIGVRATO

IN VETERI TESTAMENTO.

TOMVS SECVNDVS.

R. P. DIDACI

DE BAEZA

COMMENTARIA ALLEGORICA MORALIA,

D E

CHRISTO FIGVRATO

IN VETERI TESTAMENTO,

TOMVS SECVNDVS.

R. P. DIDACI

DE BAEZA

PONFERRADIENSIS,

SOCIETATIS IESV

Theologi, è prouincia Castellana,

COMMENTARIA

ALLEGORICA ET MORALIA,

DE CHRISTO FIGVRATO

IN VETERI TESTAMENTO,

Tomus Secundus.

COMPLECTENS VITAM MOYSIS.

Triplici Indice. I. *Materiarum pro Concionibus.* II. *Locorum Sacræ Scripturæ.*
III. *Rerum notabilium illustratus.*



LVGDVNI,
Sumptibus Iacobi & Petri Prost fratrum.

M. DC. XXXV.

R. P. DIDACI

DE BAEZA

PONFERRADIENSIS,

SOCIETATIS IESV

Theologi, é prouincia Castellana,

COMMENTARIA

ALLEGORICA ET MORALIA,

DE CHRISTO FIGVRATO

IN VETERI TESTAMENTO,

Tomus Secundus.



COMPLECTENS VITAM MOYSIS.

Triplici Indice. I. Materiarum pro Concionibus. II. Locorum Sacræ Scripturæ

III. *Rerum notabilium illustratus.*

LVGDVNI,

Sumptibus Iacobi & Petri Prost fratrum.

M. DC. XXXV.

Excellentissimo Domino,

D. IOANNI FRANCISCO PIMENTEL,

DVCI, AC COMITI DE BENAVENTE, DVCI

de Villalon, Comiti de Mayorga, & Cigales, Marchioni de Castro, Domino domus de Herrera.

PRISCVS en ille Moyses (*Excellentissime Princeps*) inter istos papyreos, haud aliter, ac olim in sua papyrecea fiscella ad scopulos impingens, læua sorte naufragaretur; nisi se bono genio obtulisset humanitas tua, quæ lucem emendicantem abundis afferreret, largáque foueret clementia. Neque dubito grandiorẽ meum Moysem plusquam annorum successu, fauore tuo factum multa in populum gratia valiturum, quod sub tanti Principis auspiciis fœlicissimus adoleuerit, siue quod non ingratus apud homines commendabitur, quem tu cunctis gratissimus amauisti: siue quod domo tua virtutum omnium, & gratiarum asylo Christiana comitate institutus cunctorum semetipse cordibus insinuabit. O longe fœlicissimum modo, quam olim Moysem, qui simulatam illam sub Ægyptiorum Rege potius captiuitatem, quàm adoptionem, sub maiori Domino fœlicissimus in libertatem ingenuè commutabit. Siue enim titulorum superbiam, & semessas per atria Maiorum imagines perquirat, siue sacratissimum chorũ virtutum iam dudum à Magnatum pectoribus, ædibúsque exulantium, omnia reperiet, alia aliis coram, non sine miraculo refulgentia.

Video illum tuum vulturem auem auguratissimam, hæc omnia fœlicissimè portendentem, postquam ad tua stemmata nidum sibi structura perpetuum, ac nobilissimum aduolauit. Namque sub illo augurio excitari familiam tuam, sub quo imperaturæ quondam vrbis mœnia Romulus erigebat, nobis ritè præsagiebat, tuæ supra cunctas clarissimæ familiæ tam eminens fastigium, quàm fuerit illius imperij inconcussa præ cæteris magnitudo. Nec successus fefellit; nam post longissimam sæculorum seriem tot Principes familiæ tuæ debet Hispania, quot viros nobilissimè genitos nobilius educauit, Proreges, Duces, Principes, Marchiones, Comites plures sunt, quam vt, si vellẽ, cogerentur in numerum. Imò ætas nostra, non sine præteritarum inuidia, vidit non minus septem Duces Excellentissimi Parentis tui fratres, Patruos tuos, simul in armis terra, marique constitisse, quatuor sub literarum signis militasse, tres alios præcipuas Hispanicæ coronæ partes gubernantes. Tantus mehercule partus alterius similis spes omnes abstulisset, nisi tua domus, túque ipse prolem non minorem edidisses, iam à pueritia sub tanti parentis educatione ad facinora suorum Maiorum audentem.

Iam istos Martis generosos spiritus, quos in suis cunabulis gens tua armis inci-

tatissima præsentit, nónne etiam tuus vultur fatidico clangore vaticinatus est? Ille sanè vrbis conditor, qui saltu à Germano contemptam angusti vallis munitionem fraterno sanguine consecrauit; augurio istarum auium victor arcem in Palestino monte ardentissimè solicitabat, plenus spe, bellatricem eam fore, quæ sub assuetis sanguini, & prædæ auibus erigebatur. Ita illi inter strages, cædésque venati vultures spopondérant. Et quidem par tuorum cum Romanis præsagium non dispar exitus confirmauit. Quippe per vastissimum Orbem, non sine multo sanguinis hostilis dispendio, gens tua Hispanas Aquilas circumtulit; quæ nunquam maiori prædæ grassatæ sunt, quàm cum tuo sociatæ vulturi, catenatis non minus quinque Regibus, totæ inimicorum sanguine maduerunt. Sed parum esset, nisi pernicissimus vultur vltrà volasset, & simul cum deuinctis Regibus catenaretur. Per Syrtes, Breuiáque nouus quæsitus est orbis, in quem per longissima spatia tuæ familiæ gesta vagarentur, quæ sanè tractus noti terrarum non capiebat. Nouit præsagus vultur, quæ stemmata sibi in nidum auspicatissimum destinaret: breuius ibi quiescens vniuersum Orbem transcurrit, tanquam vehiculo triumphans portaretur, quàm si velocissimis suis alis continuo labore concitatis transuolauisset; vberiorem sanguinis prædam, qua saginetur, habebit prope nidum, quam si perpetua solicitudine, quacunque volitans quæsiuisset.

Quòd si vna tibi militaris auorum gloria nobilitatem peperisset, infecissétque tibi purpuram cruentus ille sanguis, quo madefacti toti Maiores tui inter arma rubebant, Magnus adhuc audires; tamen virtutibus, quæ à te sunt, Maioribus maior emicuisti. Obnoxiam tibi fortunam strictius deuincisti, quàm illi tui maiores Reges vinxerunt, qui moribus ad virtutem compositis fecisti, ne inconsultæ temeritatis rea damnaretur, tot tibi stemmata, tot honores, tot simul nobilissimas familias subdens, quæ constat meritorum potius esse mercedem. Tanta possides, tanta mereris illis virtutibus, quæ vera cum maiestate maritantur. Non minor, inueniisti vberrimum fontem, è quo viuidam Regum virtutem exhaurias. Nec longius, quàm à vulturis tui indole sagacissima hanc regalem virtutem augurabor; vt qui me per tuæ nobilitatis incrementa auis peruexit; virtutum tuarum fontes indagaturum reducat. Nimirum more Aquilæ ad cruentum Christi corpus, qui quondam temerario ad pectus vulnere æstuantis amoris impetum demulsit, cum tuo vulture frequentissimè aduolas, volucrique ductrice sanguini assueta limpidissimos cruoris fontes exsugis. Nec tantus negotiorum æstus, quibus desudas, fontes istos excæcat, aut siccat. Ecce virtutum tuarum principia, quæ si durant, fœlicissimos tibi successus confirmant. Denique quos mereris, quos optamus.

Facultas

Facultas Reuerendi Patris Prouincialis Caſtellani.

EGO Ildefonſus del Caño, Prouincialis Societatis IESV in Caſtellana Prouincia, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre Mucio Vitelleſcho Præpoſito noſtro Generali, facultatem facio, vt Secundus Liber *de Chriſto figurato*, à P. DIDACO DE BAEZA, noſtræ Societatis compoſitus, & eiuſdem Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio approbatus typis mandetur. In quorum fides has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus, in noſtro Villagarcienſi Collegio 29. menſis Auguſti, anno 1634.

ILDEFONSVS DEL CAÑO.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

EL licenciado Don Pedro Carillo de Acuña, del Conſejo de ſu Mageſtad, Collegial de Santa Cruz de Valladolid, Prouiſor y Vicario general de todo ſu Obiſpado, electo Auditor de la ſacra Rota, Canonigo Penitenciario de la Santa Igleſia de Valladolid, y Cathedratico de Prima de Leyes en eſta Vniuerſidad. Por la preſente doy licencia al P. Diego de Baeça, de la Compañia de IESVS, para que pueda imprimir, è imprima el Secundo Tomo *de Chriſto figurato in Veteri Teſtamento*, atento que me conſta por relacion de perſonas doctas à quien ha ſido cometido, contiene ſana, y prouechoſa doctrina, y que por lleno de erudicion ſerà de grande vtilidad à los doctos que le leyeren. Fecha en Valladolid, Iulio 30. de 1633.

Licenc. D. PEDRO DE CARRILLO DE ACVÑA.

LVCAS MARTINES DE ARAVXO.

ILLVSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI Domini, D. Franciſci Sancij de Villanueua, Archiepiſcopi, Epiſcopi Mazarienſis, nunc Canarienſis electi, Majeſtatis Catholicæ Conſiliarij, & Concionatoris, Sanctiſſimi PP. Vrbani VIII. Aſſiſtentis

APPROBATIO.

EXimij Parentis pulcherrimum fœtum, primigeniis liberis ſpecioſiſſimis (inclyta venuſtate, colore viuido, apta membrorum diſpoſitione conſpicuis) ſimillimum fratrem, *non habentem maculam, neque rugam*, magni Senatus decreto maxima inſpexi voluptate. Sexta certe hac prole Optimum Patrem R. Didacum de Baëza è Societate IESV, inſignem Theologum, denuo fœcundum *dotauit Deus dote bona.* Dum vero *elegantem infantem*, non *in litore maris habitantem*; ſed *in carecto ripæ Nilotici fluminis* naſcentem intueor, ſeu eruditiſſimi decoris venuſtum corpus, ſeu abditæ ſapientiæ celſiſſimum animum attendas: *formoſum valde, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratioſum, & amabilem* proclamandum eſſe non ambigo. Neutiquam ergo hæc ſcripta, ipſis gratiarum manibus, è Paraſidiſiacis Aruis, vbi

Ephes. 5.
Geneſ. 30.
Exod. 2.
Geneſ. 49.
Exod. 2.
Æſther 2.

Zephiri melioribus halant
Perpetui flores.

Claud. de Rapt. Pro.

Feſtiuo lepore decerpta, luce tantum digna iudicio, ſed

Linenda Cedro, & leni ſeruanda cupreſſo.

Horat. in Art. Poët.

Sic enim de Chriſtiana Republica, & ſacris Literis benemerentiſſimo Auctore iam diu cenſuit vterque orbis: quandoquidem *ſapientiam eius enarrant gentes, & laudes enunciat Eccleſia.* Sic autumo, ſic voueo. Mantuæ Carpentanorum, pridie Kalendas Maij, ann. ſalut. 1634.

Eccl. 39.

Franc. Archiep. Epiſcop. Mazar.

APPRO

Approbatio Doctoris, D. Franciſci Paez Sotomayor Collegij Sanctæ Crucis Valliſoleti Alumni.

EX commiſſione Domini, D. Petri Carrillo y Acuña Collegij Sanctæ Crucis Togati, Regíſque Conſiliarij, Sàcræ Rotæ Auditoris, Pintianæ Eccleſiæ Pœnitentiarij, & totius Diœceſis Vicarij generalis, euolui ſedulò, & ſumma voluptate perlegi, Sextum Tomum (qui eſt ſecundus, de *Chriſto figurato in Veteri Teſtamento*) eruditiſſimi P. Didaci de Baëça Concionatorum merito magiſtri; in quo nihil offendi Fidei diuinæ, aut probis moribus diſſonum; omnia potius, in eo ſcripta, virtutum ſplendorem, vitiorum opprobria, & Fidei continent mirabile firmamentum. Tali enim ingenij acumine, & religionis zelo prædictus, ſapientiſſimus Pater, ea, quæ, in Veteri Teſtamento, de Chriſto Domino fuerunt adumbrata, componit; vt non fidelibus tantum, ſed etiam diſcolis admiraturis maxime profuturum ſpero; dum in eo lucem fulgentiſſimam miror, qua ceſſaſſe iam vmbras, & adueniſſe demonſtrat veritatem. Idque licet è floriferis Sanctorum libris libatum eſſe conſtet, ab eo tamen tali ordine, & eruditione illuſtratur; vt ipſa Sanctorum dicta, quæ hucuſque nec dum flores etiam Concionatoribus videbantur, melliflua iam, & ipſa melle dulciora omnibus apparebunt; quo facile, & ſuauiter Chriſtiani populi mores in melius diſponentur. Quare in communem omnium vtilitatem iudico conuenientiſſimum fore, ſi opus præſens (tanto auctore dignum, & inter illius opera ſtudio, & eruditione primum) Typis commendetur. Valliſoleti in maiori Sanctæ Crucis Collegio, anno 1634. die 2. Auguſti.

Doct. D. FRANCISCO PAEZ Sotomayor.

CONSENSVS.

COmmentaria Allegorica Moralia, *de Chriſto figurato*, auctore P. Didaco de Baëza, typis mandari ſumptibus IACOBI PROST, Lugdunenſis Bibliopolæ, Ego Regis in Præfectura Lugdunenſi Procurator conſentio. Die 24. Ianuarij 1635.

PVGET.

PERMISSIO.

VIſo Procuratoris Regis conſenſu ſupradictum Librum typis mandari conceſſum eſt. Datum die 24. Ianuarij 1635.

SEVE.

AD CON

AD CONCIONATORVM VSVM.

Dom. 1. Aduentus.

LVC. 21. *Erunt signa in Sole, & Luna, & stellis.* Venturo domino in iudicium abscunduntur vniuersæ creaturæ, quia nequit Deus vt alij tribuatur, id quod solum est potestatis suæ, lib. 5. cap. 1. parag. 4.

Item. *Erunt signa in Sole*, &c. Daturus Deus signa supremi excidij, illa ponit in Sole, & astris, à quibus regitur mundus, quia creatæ potestates nil prius exhibent quam mortis rigorem vbi supra, parag. 11.

Sed & illud notandum, quod Sol, & Luna fulgentissimi principes mundi, non dubitent suum deponere splendorem vt Deo venturo in iudicium ministrent. Quo docentur principes, & nobiles omnem suum splendorem obliuisci in causa obsequij diuini. Vbi supra cap.3.par.19.

Arescentibus hominibus præ timore, &c. Diutinus laborum concursus in signis Solis, & Lunæ, & stellarum, in maris fremitu, in bellis continuis maxime homines affliget, vt qui soleat sustineri difficilius, cap.3. parag.25.

Virtutes cœlorum mouebuntur. Inter prodigia, & miracula vltima hoc quasi summum proponitur, quod virtutes cœlorum, hoc est, cœlestes, & sanctissimi viri mouebuntur, in afflictione erunt. Miraculum enim magnum est, quod Deus cœlestes viros afflictionibus permittat, cap.11. parag.26.

Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate, &c. Nullo magis claret Dei minister, quam in punitione peccatorum, cap.11.parag.30.

Item: *Videbunt filium hominis*, &c. Cur non filium Dei? Veniebat in potestate magna, filius autem Dei magis in exanitione pro nobis claret, cap.2. parag.21.

His autem fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra. Sanè inter tam tristia signa mirum est, quod iubeamur leuare caput. Sed is est Deus, qui scit suis consulere ea via, quam nullus attingere valet, cap.1. parag.6.

Dom. 2. Aduentus.

Matth. 11. *Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi.* Hoc mirũ quod Ioannes sit in vinculis; sed in hoc sæculo etiam exactissimis Dei cultoribus non deest ærumna, cap.13.par. 1. Item Ioannes pauper; & nudus in vinculis carceris iacet. Tribunalia enim sæcularia in solos pauperes ostendunt valentiam suam, cap.14.par.15.

Cũ audissent in vinculis opera Christi. In vinculis positus Christi opera percipit. Tunc enim te aptas ad percipienda diuina, cum aliquid diuinæ passionis in te exhibes, cap. 15.par.6.

Cũ audisset opera Christi misit, &c. Multi male de Iesu loquebantur, sed Ioannes audiens opera, ad verba non attendit. Vbi enim opera testantur, verbis non est attendendum, cap.25.par.3.

Mittens duos ex discipulis suis, &c. Dum est in vinculis mittit ad Christum. Nullum enim promptius refugium in tribulatione, quam si ad Deum recurras, cap. 25. p. 22.

Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur. Hæc signa videbantur à pluribus sapientibus, qui tamen per illa non deuenerant in cognitionem Christi. Cur ergo, quæ inefficacia erant ad tam multos alios, dabantur Ioanni? Qui Dei est vel de minimis agnoscit ea, quæ Dei sunt, cap.12.par. 31.

Domin. 3.

Ioan. 1. *Vt interrogarent: Tu quis es?* Non ad aulicum, sed ad heremitam mittunt, & ideò interrogãt, quis sit; si enim ad aulicum mitterent, interrogarent, qui vocetur; quando tota aulicorum negotiatio circa nomina est, non circa res veras, c.36 p.2. Et meritò in Ioanne quærunt, quis sit, non qui vocetur. Deus enim in suis non sustinet nuda nomina. Ibi par.5.

Non negauit, quia non sum ego Christus. Sic Sacerdotis filius, & genere ipse sacerdos in humilitate debebat fundari, cap.26.par.8.

Non sum. Totus erat Ioannes in eis ostendendis, quibus carebat. Vtiliora enim nobis sunt ea, quæ infirmitatem recolunt, cap.13.par.14.

Ego vox clamantis in deserto, &c. Dissimulat se esse plusquam prophetam, imò negat se esse, & fatetur se vocem solam esse Dei clamantis. Et meritò se Dei vocem dicit, quando supra humanas vires est, quod quis suam obtegat præstantiam, c.2.p.3. Dicitur Ioannes vox, quia seruiebat Verbo incarnato, id enim fit quis, quod adorat, c.12.p.11.

Cur ergo baptizas? Paulò antè illum vt prophetam venerabantur, modo vt reũ tractant, inquirentes cur baptizet? Sic creaturæ fauor, quam cito mutatur, cap.12.par.2.

Dom. 4. Aduentus.

Luc. 3. *Sub principibus Sacerdotum Ana, & Caypha.* Sub talibus principibus, non miror, quod Respublica perdatur quando plus eam lædunt principum peccata, quam hostes, cap.2.par.20.

Factum est verbum domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Inter tot tyrannos, vnum Ioannem excitat Deus, cuius enim potestatis est, quod infirmus quisq; possit stare aduersus validissimos aduersarios, cap.2.par.19. Vnus pro virtute stans sufficit, cap.2.par.5.

Zachariæ filium. Vnus bonus filius valet parentes suos ornare, ditare, cap.1.par.7. & alibi. Vide in Indice.

Item: *Filium Zachariæ.* Non otiosè ponitur pater eius Zacharias, sed quia virtutum paternarum laus magnum est calcar filiis ad salutem, cap.2.par.32.

In omnem regionem Iordanis. Semper Iordanis salutaris; loca enim à Deo homini salutaria facta, semper sunt salutaria, c.14.p.1.

Vox clamantis in deserto, &c. Vox Dei efficacior omni opere ad creaturarum corda mouenda, cap. 2. par. 27. Et vide de voce & operibus in indice rerum.

Dom. Septuagesimæ.

Matth.20. *Conducere operarios.* &c. Ecce tibi quos ministros eligat dominus, vt vineam suam excolat, nimirum operarios, hoc est, qui non excedant operariorum cultum, non ament lautitias principum. Ministri enim iustitiæ laute viuentes perdunt Respublicas, cap.6.par.12.

Exiit primo mane conducere, &c. Quod à primis incunabulis bonum bibitur, firmiter durat, cap.6.par.7.

Conuentione facta ex denario diurno. Notanter vocauit denarium diurnum, ne putaretur esse de rebus ad nocem huius sæculi pertinentibus, sed de iis, quæ ad regnum lucis æternæ spectant. Non enim spectari debet merces tẽporalis ab iis, qui virtuti operam nauant, cap.10.par.5.

Nemo nos conduxit. Non adeò mala erat causa otiosorum, quando non fuerant conducti ad opus, vt esset, si post conuentionem, & inceptum opus redirent ad otium. Hoc enim maximè cauendum erat, cap.11.par.1.

Ite & vos in vineam meam. Sub diuinis præceptis nihil non potest humana fragilitas,cap.11.par.17.

Incipiens à nouissimis. Temporis prærogatiua parui momenti est apud Deum,cap.9.par.6.

Acceperunt singulos denarios. Nihil illis substrahitur mercedis,quæ enim pro æternis fiunt,nullam sciunt ruinam, c.12.par.47.In æterna patria non viuitur nisi de anteactis laboribus,cap.17.par.50.

Domin. Sexagesima.

Luc.8.*Exiit,qui seminat*, &c. Bonus æternorum bonorum seminator,nihil credit futuris, quod esset periculosissimum,cap.15.parag.4.Tunc futura promittens placet, quando de præsenti præstat aliquid,cap.3.par.7.

Aliud cecidit secus viam, &c. Quod in via trita, siue in petrosis,siue in spinis cecidit,perditur;ille enim Dei nutui respondet, qui se præparat prius,& excolit,c.10.par.12.

Cecidit secus viam. Quod à volucribus comeditur,secus viam erat;in quascunque enim tentationes, periculaque deuenias,via euadendi manet,c.11.par.22.& par.27.

Cecidit supra petram, &c. Miror, quod & ad petras, & spinas suum semen permittat Deus ire, sed sola Dei beneficentia est,quæ nullis obicibus impeditur,c.12.par.14.

Dom. Quinquagesima.

Luc. 18. *Et tertia die resurget*, &c. Omnis labor deficit sub resurrectionis vel vmbra,c.23.par.7.cap.4.par.8.

Dixerunt autem eum, quod Iesus Nazarenus, &c. Iesu nomen cuique auspicatissimum,cap.14.par.4.

Miserere mei. Oculis indigebat, sed non pro solis oculis, sed pro se toto maluit misericordiam petere. Diuini enim spiritus est non dimidiate, sed integre ad dona venire,cap.18.par.14.

Stans Iesus iussit illum adduci ad se, &c. Non iuit ad illum Iesus sed magis expectauit,vt ille ad se veniret,quia sola temporalia quærebat,quærenti enim diuiniora.& altiora,ea illi sistuntur.cap.12.par.29.

Adduci ad se, &c. Magna Dei dignatio, quod per se ipsum attendat hominis saluti,cap.17.par.1.

Sequebatur illum magnificans Deum, &c. de gratitudine habes plurima in indice rerum.

Fer. 4. Ciner.

Matth. *Nolite fieri sicut hypocritæ*, &c. Virtutis simulatio lethalis,cap.19.par.13.

Matth.6. *Exterminans facies suas*, &c. Et se,& sua perdunt pro vanitate, qui pro Deo, & virtute vel obolum perdere timent,c.16. par.15. In peccatorum ieiunio vera exterminatio est, in iustorum ieiunio vnctio, sunt enim iustorum labores adumbrati respectu illorum, cap. vlt. par.8.

Item: *Exterminant facies suas, vt appareant hominibus*, &c. Nec miror,quod dum humanos plausus quærunt,exterminent, & perdant facies humanas, transmurantur enim homines in belluas,dum colunt creaturas, cap. 16. par.21.

Tu autem cùm ieiunas, &c. Non immerito commendatur ieiunium ex omni parte perfectum; quando conuiuia hostiles phallanges in nos reducunt, c.17.p.4.Et pariunt luxuriam,cap.16.par.22.cap.20.par.5.

Nolite thesaurizare vobis in terra, &c. Vacuanda est anima terrenis,vt Deum capiat,cap.18.par.21.&par.24.cap. 12.parag.43.

Pater tuus,qui videt in abscondito,reddet tibi, &c. Dei remuneratoris præsentia ob oculos posita trahit hominem in facinora,cap.18.par.26.

Thesaurizate vobis in cœlo. Nihil à nobis assumendum in sæculo,nisi quod in cœlo retinere possimus, c.28.p.2. Lucri temporalis amor nos cœlestibus priuat,c 19.par.2.

Memento homo quia puluis es. Qui morti appropinquat, nil temporale curet,sed magis attendat diuinis, c.28. par. 4. & 5. De morte, & terrena infirmitate considerandæ, vide in indice rerum, & cap. 23. paragr. 5. cap. 25. parag.21.

Fer. 5. Cinerum.

Matth.8. *Accessit ad eum Centurio*, &c. Vtinam tales essent milites, & duces, vt ad Deum accederent, fallar nisi vnus suffecisset aduersus exercitus,cap.32. par.3.

Rogans eum, &c. Oratio pro aliis efficacissima, cap. 29. paragr.10.

Puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Torquentur male mundiales serui, serui autem Dei afflictiones, & mortes pene non sunt respectu afflictionum peccatorum cap.vlt.par.8. Vt accedit ad Iesum pro seruo rogat,quia à Dei cultu humanitas in proximos venit,cap. 27.par.3.

Ego veniam,& curabo eum. Vnus Deus salutaris homini,mundiales omnes affectus lethiferi,cap.vlt.par.7. Item non alias,sed manus suas promittit;dicens: *Veniam,& curabo*,quia Dei manus largissima est super omnes creaturas,cap.31.par.6.

Dico huic,vade, & vadit, &c. Ideò homo est imperfectus dominus,qui omnia per agebat iussis, præstans enim princeps non solum iussis, sed & operibus agit, cap.32. parag.19.

Fer. 6. Cinerum.

Matth.5. *Diligite inimicos vestros*, &c. Beneficentia in hostes,cap.26.par.6.cap.6.par.7.& cap.9.par.40.cap. 24. paragr.12.

Benefacite iis,qui oderunt vos. Spiritus Dei est,qui fauet etiam persecutoribus,cap.18.par.15. & cap. 7. par.13. & cap.12.par.26.

Orate pro persequentibus,& Proh ostibus orandum,cap. 9.par.38.Oratio pro hostibus lucrosa,cap.13. par. 7. cap. 6.par.6.& 7.

Cum ergo facis eleemosynam, &c. Vide in indice rerum de eleemosyna.

Sabbathum post Cineres.

Marci 5. *Erat nauis in medio mari,& Iesus solus in terra.* Dum nauis est in mari, Iesus in terra est, vt cuius est prompta suis parare refugia,cap.7.parag.10. Iesus in terra,quia in solo eo firmitudo,cap.6.par.10.

Laborantes in remigando, &c. Non oculis, sed manibus committenda salus est,cap.29.par.16.

Viderunt eum ambulantem. Deus velocius accurrit hominibus,quam vlla creatura,cap.1.par.9.

Putauerunt Phantasma esse. Meticulosis hominibus omnia videntur horrenda, & mortis plena, cap. 23. paragr.10.

Dominica 1. Quadrag.

Matth.4. *Ductus est Iesus in desertum à spiritu,vt tentaretur*, &c. Cum Iesus Dominus,& Deus esset,tamen in locum tentationis non iuit ipse,sed maluit ferri, vt doceret protectionem diuinam securam esse illis,qui non in pericula eunt,cap.25.par.23.

Vt tentaretur à diabolo. Tentationes pati voluit, ne diutius in nobis tentationes durarent,cap.29.par.15.

Dic vt lapides isti panes fiant. Permisit dominus in tentatione lapides sibi offerri,minime panes, aut dapes aliàs sibi afferri permisit.Præstantissimus enim iudex,& princeps detestabatur vel videre munera offerri sibi, c.25. par.10.

Mitte te deorsum, &c. Tentatio erat, quod se inutiliter à pinnaculo deiiceret,quando præstantis virtutis vir, nec gradum facit sine fructu,cap.2.par.4.

Ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, &c. Quod regium,& glorioſum est in mundo, id ostendebatur, non quod vile onerosum. Et cur Deus non fecit vt simul etiam vilia apparerent? Vt ostenderet æque esse omnia fugienda, quæ à Deo auertunt, siue pretiosa sint, siue vilia,cap.2.par.14.

Angeli ministrabant ei. Danieli famelico adductus fuit Abacuc,qui ei ministraret,cur etiam dominus non potius amauit hominum ministerium,quam Angelorum? Bonus dominus, & saluator hominum nihil ab illis accipere voluit,vt facilius eorum dominaretur. Nullus enim princeps

facilius

facilius dominatur hominum, quam qui nil sumit ab eis, cap.5.parag.2.

Reliquit eum diabolus. Iesus omnia diaboli vacuauit venena, cap.29.parag.12.

Fer.2.à Dom.1.

Matth.25.*Cum veneris filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo,* &c. Deus cum creaturis apparens terribilior est, cap.18.par.22.

Et statuet oues à dexteris, hœdos à sinistris. Præsentia Dei apud impios, ex eorum claret supplicio, cap.18.par.14.

Hœdos à sinistris. Ad primum diuinę iustitiæ ictum, hœdini mores apparent, cap.5.par.18.

Esurini, & dedistis mihi manducare. Multæ aliæ virtutes fiunt à sanctis, & sola misericordia memoratur in iudicio, quia vel vna insignis virtus potens est nos asserere in tuto, cap.17.par.18.

Discedite à me maledicti in ignem æternum, &c. Maledictos eos vocat, & non dicit, à quo sint maledicti, vt innuat non ab vno, aut ab alio, sed ab omnibus tunc impiis maledici, etiam ab iis, quos magis sibi obligauerant in vita, cap.5.par.17.

Discedite à me. Cur tam metuendam sententiam ipse Iesus profert, & non potius mandat, vt proferatur à ministro aliquo? Ne illa metum iustis incutiat, quæ enim fiunt à vero iudice, non sunt terrori iustis, cap.7.par.5.

Ibunt in supplicium æternum, iusti autem in vitam. Plus torquet plaga propria ad conspectum fœlicitatis aliorum, cap.6.parag.14.

Fer.3.à Dom.1.

Matth.21.*Intrauit Iesus in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes,* &c. Lucri amor nos priuat Deo, eiúsque bonis, cap.29.par.2.

Mensas numulariorum, & Cathedras vendentium columbas, euertit, &c. In mensarum, & Cathedrarum euersione nec numum dicitur perdidisse, nec columbam occidisse; ea enim est manus domini, quæ vel in ipsis plagis illatis protectionem ostendit, cap.6.par.11.

Cathedras vendentium columbas euertit. Et turtures vendebantur, & agni ad sacrificia peragenda; cur non turturum, nec agnorum, sed columbarum Cathedræ dicuntur euersæ? In columba lasciuum animal ostendebatur, vbi autem Deus adest, non potest lasciuia non perire, cap.7. paragr.2.

Ecce accesserunt ad eum cæci, & claudi. Cum verberantem vident, ad eum accedunt cæci, multum enim claret diuinitas, dum puniuntur impij, cap.7.par.8.

Indignati sunt. Sacerdotes, & Scribæ indignantur in Iesum, cum vident castigari vendentes. Propria enim est reproborum plaga, quod nec inter pœnas emolliantur, cap. 7.par.12.

Fer.4.à Dom.1.

Matt.12.*Magister volumus à te signum videre.* Adulationis malum habes, cap.8.par.8.

Generatio praua, & adultera, &c. Mansuetissimus Iesus irascitur in hos, illósque verbis contumeliosis ferit. Et meritò, contemnentes ij signa diuinitatis, ad signa aeria, & inutilia festinabant. Diuinorum aut contemptus à mansuetissimis etiam iram trahit, c.9.p.18.

Mala, & adultera. Aliàs misericors, nunc totus ira factus apparet. Et cur adeò modo iratus? Ostendunt illa verba quibus generatio adultera notabantur, in quo simul eorum feriebatur lasciuia, quæ iram sine misericordia solet trahere, c.30.p.10.

Nisi signum Ionæ. Signum Ionæ signum passionis Iesu est, quod solum promittitur Iudæis degeneribus, vt quod valeat feralissimas quasque mentes suauiare. cap.9.par.26. Festinum est remedium salutis, c.12.p.5.

Item: *Nisi signum Ionæ*, &c. Deficientibus aliis, sola dominicæ passionis protectio non deficit, c.11.par.16.

Pœnitentiam egerunt in prædicatione, &c. Deus non solum verbis, sed operibus colendus, cap.19.§.6.

Fer.5.à Dom.1.

Matth.15, *Ecce mulier Chananæa.* Vnius virtus ingentis populi scelera obtegit, cap.30.parag.18.

Clamauit dicens, Miserere mei. Oratio verecunda, & humilis efficax, cap.31.par.1. Vide de oratione plura in Indice rerum.

Filia mea male à dæmonio vexatur. Fœlix filia, quæ talem matrem habebat, qua posset protegi à vexatione dæmonis, cap.30.paragr.19.

Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus. Hoc regalissimum in homine, quod sic vni tribuat, vt nulli alij officiat, cap.31.paragr.9.

Dare canibus. Afflictam canis nomine ferit, vt qui eius ingentem virtutem nouerat. Magnæ enim probationes non nisi fortissimis adhibendæ, cap.32.§.14.

Comedunt de micis. Quia temporalem salutem quærit, micis contenta est; in solis enim spiritualibus æstimanda est copia, cap.31.§.7.

Fer.6.à Dom.1.

Ioan.5. *Angelus autem domini secundum tempus descendebat,* &c. Audio Angelorum descensus in piscinam, & miror, quod non notetur eo etiam veniisse diabolum.

Iob.1. *Cum venissent filij Dei, vt assisterent coram Deo, affuit inter eos etiam Sathã.* Ibi cum Angelis & Sathã affuit, cur similiter in præsenti non dicitur affuisse Satham? Erant tunc Iobi res prosperissimæ, non miror, quod tunc diabolus sese ingereret inter Angelos, vt eis noceret. In præsenti autem sola cernebatur multitudo languentium, aridorum, cæcorum, claudorum expectantium motum Angeli; inter tot calamitosos diabolus nõ apparet, sed vt mortuus iacet, cap.29.§.14.

Item. *Angelus autem.* Angeli salutares homini. cap.18. paragr.1.

Qui prior descendebat, sanus fiebat. Angeli præsentia vnum sanabat: Solus Iesus sufficiens est pluribus, cap.8. paragr.2.

Hunc cum vidisset Iesus iacentem, &c. Triginta octo annis expectauit aduentum Angeli, & per tot tempus Angelus non illi aduenit; Iesus autem illi modo adest præsto, vt qui velocior fit omni creatura in fauendo, c.13.§.9.

Vis sanus fieri? Voluntarij in re salutis æternæ præstantissimi, cap.32.paragr.26.

Hominem non habeo. Hominem non habere computat in causas pœnarum; quanto maior pœna est Deum non habere, cap.18.§.3.

Substulit grauatum, & ambulabat. Vt Iesus iusserat grauatum tollere, & ambulare, sic substulit, & ambulauit. Nihil enim prætermittendum ex iis, quæ ad Deum spectant, cap.8.§.16.

Iam noli peccare, ne deterius, &c. Reproborum est facile in eadem vitia recidere, cap.11.§.9.

Dom.2. Quadra.

Matt.17. *Duxit illos in montem excelsum seorsum.* In mõtem duxit, vt tenacius afficerentur ad visionem, pro qua laboraverant, c.23.§.12. Apparitiones cœlestes crebrius rudibus, quam sapientibus, cur? cap.3.§.9.

Transfiguratus est ante eos, &c. Cur, qui se tot ignominiis deuouerat, modo voluit in gloria ostendi? Vt testaretur gloriam suam non partam laboribus, sed innatam sibi, quod præstantius, cap.13.§.6.

Resplenduit facies eius sicut Sol. In solo Iesu gloriæ veritas, in aliis pictura, & adumbratio, c.18.§.28.

Loquentes cum Iesu. Dicit Lucas quod loquebantur de excessu. Magna sapientia, quod in dignitatum gloria, eius depositionem attendas, c.3.§.18.& §.23.

Bonum est nos hic esse. Non possum in præsenti non laudare eos, qui in vna dignitate quiescunt, nec ad alias contendunt. Pro quo c.2.§.17.c.24.§.9.

Item: *Bonum est nos hic esse.* Alij Euangelistæ notant Petrum, quod nesciret, quid diceret, dum tam paruis, temporalibúsque luminibus contentus esset, non enim à bono,

sed à malo venit,quod ad parua attendas,cap. 4.parag.12.

Faciamus hic tria tabernacula. Præstanti viro detrimentosum est magna non aggredi,cap.2.§. 23. Item vnde piscator audet in ædificationem tabernaculorum ? Ad præsentiam Dei remuneratoris maiora viribus præsumit,cap. 18.§.26.

Tibi vnum, Moysi vnum,&c. Moysem & Propheta trahit in concordiam,& vnanimitatem,ille enim præclarum Deo munus offert,qui ab omni discordia alienus est, cap. 32.§.24.

Item.*Tibi vnum, Moysi vnum* , &c. Qui tantam vnitatem fundat,nihil sibi præsumit; & merito ibi enim solum potest esse concordia,vbi proprium lucrum contemnitur, cap.32.§.25.

Fer. 2. à Dom.2.

Ioann. 8. *Quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* In ratione quærendi Deum adhuc ad temporalia respiciebant;& temporalia æstimabant ; vnde non miror , quod peccatum non exuant,cap. 11.§.8.

Quo ego vado , vos non potestis venire. Illi Iesu possunt appropinquare , qui ei in forma viuendi conformantur, cap.2.§.29.

Vos de deorsum estis. Impij terrenis semper sunt affixi, cap.10.§.6.

Ego non sum de hoc mundo. In quo vel vmbra Dei est, nihil mundiale,nec terrenum est,cap.7.§.4.

Dixi ergo vobis,quia moriemini in peccato. Ecce tibi vnde Iesus adeo longanimis est in tolerandis impiis, ex eo nimirum , quia eorum supplicium certo imminens cernit, cap. 18.§.23.

Cum exaltaueritis filium hominis,tunc cognoscetis. In morte se quis facit agnosci,cap.vlt.§.13.

Fer. 3. à Dom.2.

Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt scribæ* , &c. Et Moyses,& Scribæ sederunt in eadem Cathedra;Moyses multa bona traxit, Scribæ multa mala. Non enim locus,in quo es,sed affectus animi trahunt bona vel mala, cap.5.§.19.

Dicunt , & non faciunt. Linguæ splendor in re virtutis ad modicum valet,c.§. 32. Lingua autem operibus iuncta ad plurimum,cap.3.§.30.

Quæ dixerint vobis,seruate. Non ad facta , sed ad verba impiorum etiam magistrorum iubet attendere. Potens enim est Deus de indispositis & repugnantibus laudes elicere diuinas , cap.20.§.13.

Omnia opera sua faciunt,vt videantur. Ea esset fœlicitas summa,si quæ pro vanitate faciunt , faceres pro salute æterna,cap.12.§.48.

Fer. 4. à Dom.2.

Matth.20.*Ecce ascendimus Ierosolymam,& filius hominis tradetur.* Quod semel oblaturus erat suum holocaustum, sæpe animo tractat;& merito,magnum enim inde lucrum venit,si sæpe animo tractemus,quæ oblaturi sumus Deo, cap.9.§.9.

Item.De morte subeunda,eiusque circumstantiis merito ante agit dominus,vt ostendat,quam salutare sit homini,quod nihil in morte repētinū illi obueniat,c.6.§.8.

Adorans & petens. Humilitas efficaciam orationi præbet,cap.18.§.25.Reuerentia exhibenda Deo,cap.6.§.30. cap.2.§.30.

Vnus ad dexteram,alius ad sinistram. Cur non ad dexteram sedeant ambo? Solius est diuini spiritus admittere consortes in dignitate, cap.20.§.9.

Sedeant hi duo filij mei. Humana malignitas vni sibi honores præsumit, c.20 §.15. Item erroneus animus in munerum distributione non virtutes animi, sed externam nobilitatem aspicit,cap.23.§.4.

Nescite, quid petatis. Contentionibus de primatu vnus Deus valet mederi,cap.25.§.4.

Potestis bibere calicem,&c. Horrendæ passionis calicem propinat illis , quia qui se super alios extollunt, nequit fieri,vt in plura discrimina non incidant , c. 23.§.6.Regnandi libido non leuibus frænatur,cap.4.§.19.

Fer. 5. à Dom. 2.

Luc.16. *Induebatur purpura.* Superbus vestrum ornatus in peccatore pene occludit aditum saluti,cap. 18.§.5.

Epulabatur quotidie splendide. Vt noscas , qualis fuerit hic diues,eius proponitur epulum , in re enim gulæ , maxime patet,quis quisque sit, cap. 12. §. 13. in adeo superfluis conuiuiis iam designatur huius ruina, salus namque ibi est, vbi temporalia cum mensura sumuntur , cap.12. §.38.superflui cibi obliuionem Dei generant, cap.20.§.5.

Et erat quidam mendicus plenus vlceribus,&c. Hoc præstantis est viri, quod vel mediis ærumnis nihil Deo perficiat contrarium,cap.4.§.14.

Moreretur mendicus,& portaretur ab Angelis. Fœlix qui mala temporalia sciuit conuertere in virtutum facinora, quibus portaretur in cœlum,cap.vltim.§.6.

Mortuus est diues, &c. Temporalia bona , quo prius florent,eo citius euanescunt,c.3.§.41.

Fer. 6. à Dom. 2.

Matt.21.*Plantauit vineam,sepem circumdedit , fodit torcular,ædificauit turrim.* Vide quot tibi parauit,& fecit manus diuina.Optatum equidem superant diuina beneficia, cap.11.§.28.

Fodit torcular,ædificauit turrim. Non stetit in torculari ædificato, sed inde progressus est ad ædificationem turris pro maiori vineæ firmitudine. Post passionis dominicæ torcular firmiora sunt, & durabiliora Dei beneficia , cap. 13.paragr.11.

Peregre profectus est. Ecce occasionem ruinæ in istis agricolis, quod ab eorum oculis discessit Deus ; cuius vel sola memoria potens est homines continere in virtute, cap.19.§.7.

Iterum misit alios seruos. Qui dederat vineam,vidit seruos occisos ab agricolis,& nilominus mittit alios. Sic beneficia præstita benefactorem trahunt in alia , c. 24.§.11.

Misit filium suum dicens : Verebuntur. Spiritus Dei est cunctari ad pœnam,cap.25.§.12.

Auferetur à vobis regnum Dei,& dabitur genti,&c.Magna Dei misericordia est , quod sic peccatores obdurati pereant,vt aliis proficiant,cap.25.paragr.18.Et quod impiorum supplicio deterreantur boni ab sceleribus , cap. 25.paragr.19.

Sabbathum à Dom.2.

Da mihi portionem,&c.Hoc petebat nequam filius , qui bonus est,nec manum habet,qua bona eripiat parenti viuo cap.28.§.7.

Luc. 15. *Dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.* Vide de luxuria in indice rerum.Et cap.30.§.1.& 2.

Cupiebat implere ventrem de siliquis. Qui à Deo deficiunt,nihil non luctuosum , & vile complectuntur , cap. 29.paragr.4.

Surgam , & ibo ad patrem. Illud promptissimum refugium in malis , si ad Deum recurramus , cap. 25. paragr.22.

Osculatus est eum. Dominus,quos amat , osculis purificat,alios igne,c.vlt.§.9.

Stolam primam. Peccata per pœnitentiam ablata,decorem induunt,cap.32.§.10.

Dom.3. Quadrag.

Luc. 11. *Erat Iesus eiiciens dæmonium.* Christus Dominus omnia diaboli venena absorbuit , cap. 29. paragraph. 12. Diabolus perdit, Iesus sanat , cap. 9. paragraph. 19. Christi vicinitas trahit gratias , cap. 4. paragr.20.

Cum eiecisset dæmonium , locutus est mutus. Eiecto prius dæmonio mutus sanatur,vt discamus prius eiicere peccata ad corporis etiam acquirendam sanitatem,c,8.§.9.

Locutus est mutus. Bona oratio de silentio , & de ore clauso nascitur,c.3.§.31.

Admiratæ sunt turbæ. Illud mirandum , quod non solis verbis,

verbis, ſed & operibus ſalutem proximi tractes, cap.4. §.23.

In Beelzebub eiicit dæmonia. Duo fecerat Ieſus, & dæmonium expulerat;& multilinguam ſoluerat: Impij autem expulſionem dæmonij dæmoni tribuunt,linguæ autẽ ſolutionem dæmoni tribuere non audent, quando linguæ directio euidentiſſimè venit à Deo,cap.5.§.26.

Fer.2.à Dom.3.

Luc.4. *Fac, & hic in patria tua.* Contemnunt externa, dum in ſuis non vident aliquid.Nullo enim efficacius trahitur homo,quàm iis quæ circa ſe ſunt,cap.9.§.37.

*Nemo propheta acceptus in patria.*Nemo apud ſuos euadit inuidiam,cap.1.§.1.

Item:*Nemo propheta acceptus eſt in patria.*Cauenda patria,& cognitio quæ impediunt,ne muneri ſpirituali operam demus, cap.17.§.15. Patria & natura poſt habenda gratiæ,cap.19.§.4.

*Niſi in Sarephtha Sidoniæ ad mulierem viduam.*Vna Sareptanea vidua præfertur cæteris, ad quam vadat Elias, quia & illa in maiori afflictione erat; vt quæ non habens bona habebat filios. Quæ maxima tentatio eſt, cap.8. parag.15.

Nemo eorum mundatus eſt niſi Naaman Syrus. Naaman à lepra mundatus eſt,Iſraëlitæ in lepra,& ægritudine,imò & in morte relicti ſunt, quia ingratiſſimi, adeò vt cùm à Ieſu domino decem leproſi mundati eſſent, ſolus vnus alienigena gratiam retulerit.Cur ergo non pereant ingratiſſimi?cap.9.§.24.

Fer. 3. à Dom.3.

Matth.17. *Corripe eum,*&c. Tunc proximum amas, & fratrem, quando in illum à Deo decretam ſeueritatem exerces,cap.30.§.8.

Lucratus es fratrem tuum. Magnum homini lucrum eſt,quod de eius habeat alius,quo fulgeat,aut viuat, cap. 20. §.11.

Sit tibi tanquam ethnicus,& publicanus Ethnici erãt ſine Deo vero,ideò non parua pœna eſt, quod quis ſine Deo ſit,cap.18.§.3.

Si duo è vobis conſenſerint, &c. Chriſti domini milites præſtantiſſimi à concordia fulgent,cap.32.§.23.Qui vnanimes,& concordes, ij præclarum munus Deo offerunt, cap.32.§.24.

Fer.4.

Matth.15.*Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur,*&c.Apoſtoli accuſantur à Phariſæis coram Ieſu; nam ſingularis alicuius virtus nunquam non trahit in ſe inuidorum linguas, cap.22.§.2.

Ipſe reſpondens ait illis,&c. Sanè & diſcipuli erant cum Ieſu,& accuſari ſe audierant, cur pro ſe non reſpondent? Cur tacentibus illis vnus reſpondit Ieſus? Qui reſpondebat Ieſus,ſimul docebat diſcipulos tacere.Nam ſilentium humile iniuriati frangit aduerſariorum iras, cap.24. §.4.

Tranſgredimini mandatum Dei propter traditiones veſtras. Nimis meticuloſi, & ſcrupuloſi in paruis temporalibus vorant ingentia animæ pericula,cap.24.§.5.

Hypocritæ bene prophetauit, &c. Verba ſunt hæc irafcentis in accuſatores, vehementer enim iraſcitur Dominus in eos,qui ad infirmiora reſpiciunt virorum præſtantiſſimorum,cap.22.§.3.

Item ait:*Hypocritæ bene prophetauit*,&c.Scribas,& Phariſæos principes populi non dubitat hypocritas vocare, vt enim eſt Deus,ſic apud illum mundialis potentia corruit, cap.11.§.25.

Populus hic labiis, &c. De Scribis, Principibuſque locutus ait:*Populus hic*,peccatores enim non diſtinguntur à fæce plebis,c.2.par.1.

Fer.5.à Dom.3.

Luc. 4. *Introiuit in domum Simonis.* Intrans in Simonis domum,ſic illum honorabat,vt doceat, quàm optimi patrisfamilias ſit honorare ſeruos ſuos, quo eius mandata exequantur,cap.18.§.8.

*Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.*Non illa ex nomine ſuo, ſed ex generi nomine vocatur, *ſocrus Simonis.*In quo ſufficienter oſtenditur, & mulieris infirmitas,quæ nomine non agnoſcitur ſuo, & Simonis præſtantia,qui ſub proprio nomine ſcitur,cap.18. §. 10. Vbi quàm miſerum ſit nihil virtutis præſtare, quo ex nomine cognoſcaris.

*Et rogauerunt illum pro ea.*Cur illa non magis pro ſe rogat?Vt magnis ardebat febribus, ſic morti ſe putabat vicinam, & ideò bona Simonis ſocrus de nullo temporali curat. Vtinam ſic omnes morti appropinquantes temporalium amittant curas,cap.28. §.4. Item rogauerunt pro illa,quia oratio pro aliis efficaciſſima eſt,cap.9.§.10.

Surgens miniſtrabat,&c. Nec ipſa,quæ paulò ante languebat, excuſatur à Chriſti miniſterio in domo Petri, vt hinc eius domus videat fœlicitatem, in qua nemo non ſeruit Deo,cap.9.§.44.

Fer.6.à Dom.3.

Ioan.4.*Fatigatus ex itinere ſedebat ſic.*Etiam dum ſedet, non tollit fatigationem itineris,ſed magis illam ſeruat, vt quis ſciat, quàm conducat coniungere opera voci ad expiſcandos homines,cap.3.§.30. Vt eſt efficax ſermo, cui præcedunt opera virtutis,cap.17.§.8.

*Fatigatus ex itinere ſedebat ſic.*Et fatigationem & ſeſſionem ſimul in Chriſto Ieſu video.Nec miror,quando paſſiones in Chriſto feſtinatiſſimum tranſitum ad gloriæ ſeſſionem habent,cap.9.§.21.

Da mihi bibere. Quod Deo datur,in augmentum ibit, cap.10.§.1.& id magis à nobis habetur,§.2.

Si ſcires donum Dei, &c. *forſitan petiſſes*, &c. Muliebre ingenium ad dona capienda promptius,cap.3.§.15.

Vnde ergo habes aquam viuam? Carnales putant non eſſe,quæ oculis non vident,cap.4.§.4.

*Patre noſtro Iacob.*Meritò vocat patrem Iacob,à quo religionem biberat,ille enim ſolus pater habendus,qui docet,quæ Dei ſunt,cap.2.§.34.

*Domine da mihi hanc aquam.*Nunc primùm Dominum vocat,qua reuerentia exhibita ſe præparat ad gratias diuinas,cap.2.§.30.

Quinque viros habuiſti. Fœminarum cupiditatibus tenentur homines,ne liberi ſint,cap.9.§.15.

Item: *Quinque viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus.* Virorum vita vxorum qualitatem deſignat, cap. 32.§.13.

Sabbathum à Dom.3.

Ioan.8.*Adducunt Scribæ & Phariſæi mulierem deprehenſam*, &c. Hæc fuit tota fœlicitas adulteræ,quòd punienda coram Ieſu ponatur; vbi enim in punitionibus Deus aſpicitur; nunquam non ingens inde fructus. cap.13. §.12.

Hæc mulier modò deprehenſa, &c. Seueri iudices in vilem fœminam ſunt; ratò enim mundialia tribunalia in perſonas potentes exurgunt,cap.14.§.15.

Moyſes mandauit nobis huiuſmodi lapidare. Vide ſpiritum Moyſis,& ſpiritum Dei,Dei ſpiritus à manſuetudine commendatur,cap.25.§.11.

Digito ſcribebat in terra. Peſſimis accuſatoribus vt reſpondeat, digito ſcribit in terra, illos ad lectionem inuitans ſcripturæ,ſacríque ſermonis, quo ſine dubio in meliorem frugem ibunt,cap.18.§.7.

*Qui ſine peccato eſt, primus in illam lapidem mittat.*Exuat ſe primò ſceleribus, qui alios velit corripere, cap. 32. parag.2.

Incipientes à ſenioribus. In longa antiquitate nunquam non rugæ,cap.3.§.5.

Dom.4.

Ioannis ſexto, *Dicit ad Philippum: Vnde ememus panes*, &c. Prius examinat Dominus, an per homines panes afferri poſſent? Quæ enim diligentiis humanis poſſunt fieri, non ſunt totaliter Deo committendæ,cap. 3. §.32.

Ad Concionatorum vſum.

Item : *Vnde ememus panes ?* Quærit ex Philippo remedium, quo tot homines ſuſtententur, vt illum erigat in æmulationem diuinæ beneficentiæ, quam æmulationem maximè Deus amat in ſuis creaturis,cap.21.par.3.

Cum gratias egiſſet,diſtribuit. Paucos panes accipiens vt ſaturet ingentem multitudinem gratias agit in primis. Gratus enim animus difficilima quæque perficit, cap. 4. paragr. 48. Gratitudo nunquam non lucroſa, cap. 32. paragr.21.

Quantum volebant. De paucis *panibus*, *& piſcibus* accipiunt multi,quantum volebant,quia panes ſeſe multiplicabant in fauorem comedentium, ſic enim creaturæ æmulantur diuinam beneficentiam erga Deum, cap. 10. parag.4.

Impleuerunt duodecim cophinos,&c. Quinque panes famelicis diſtributi duodecim implent cophinos, ſemper enim eleemoſyna duplum metit,&c.c.12.p.45.Data egenis non exhauriuntur,c.13 p.16.

Fugit iterum. Dum illum regem volunt facere propter miraculum meritò fugit, non enim admittendum temporale præmium pro facinore virtutum,c.10.p.5.

Fer.2.à Dom.4.

Ioann.2.*Et cum feciſſent quaſi flagellum de funiculis*, &c. Nullo magis claret Dei miniſter quàm in puniendis proteruis, c.11. paragr.30.Imo in eo oſtenditur Dei gloria, & pulchritudo, cap. 7. paragr. 8. Et vbi ſupplicia deſunt, etiam deſunt, qui conuertantur ad Deum, cap. 6. paragr.16.

Quaſi flagellum. Dum iraſcitur in ementes hos non flagellum,ſed quaſi flagellum facit,ſolet enim inter iraſcendum,& miſericordiæ locum præbere,c.22.p.4.Vel vocat quaſi flagellum,quia quælibet calamitas temporalis minima apud Deum,c.22.p.10.

Omnes eiecit. Mirabar, quod omnes numularios, & vendentes ſolo quaſi flagello eiicerentur, ſed non eſt in auaritia valentia,c.19.p.14.

Domum patris mei domum negotiationis. Reuerentia pro ſacris adhibenda.cap.9.par.30.

Fer.3.à Dom.4.

Ioann.7.*Iam die feſto mediante aſcendit Ieſus in templum, & docebat.* Feſti dies piis operibus tranſigendi, non otio, grauiſſimum enim eſt,in otioſa vita virtutem conſeruare, cap.14.par.11.

Docebat.Et mirabantur Iudæi. Quantus erat Ieſus, qui ſermone Iudæorum duritiem molliebat? cap.27.parag.7. cap.3.par.29.

Sed eius,qui miſit me. Vndique Dei patris ſolicitat gloriam,illamque omnibus præfert. Id quod magni lucri res eſt,cap.27.par.12.

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina,&c.Prius iubentur facere Dei voluntatem,vt deinde cognoſcant;qui enim non ſolis oculis, ſed & manibus ſalutem negotiatur,præproperam ſalutem trahet,cap.29. par.16.

Fer.4. à Dom. 4.

Ioann.9. *Vidit hominem cæcum à natiuitate.* Quem videt à natiuitate cæcum,hominem vocat, & merito,ille enim verus homo eſt,qui probatur ærumnis,tentationibus.c.4. parag.17. Item. Afflictio ſubditi efficax vt afficiat Dominum.cap.4.parag.22.

Me oportet operari opera eius, &c.Sanitatis opera vocat opera Dei;cui illud primum eſt, vt benefaciat ſuis.cap.4. parag.21.

Vt manifeſtentur opera Dei in illo. In cæco illuminato apertiſſime Dei opus manifeſtatur, cuius proprium eſt,non inferre malum, cui non offerat & medelam, cap. 5.paragr.3.

Item:*Vt manifeſtentur opera Dei.* Qui boni ſunt per benignitatis opera in Dei agnitionem adducuntur, cap. 5. paragr. 5.

Fecit lutum:liniuit ſuper oculos eius,& dixit ei,vade,&c. Qui ob oculos habet lutum infirmitatis ſuæ, ſecuriſſime iubetur ire, non enim deflectet à via ſalutis, cap. 23. paragr.5.

Laua in Natoria Siloe,&c.Vbi eſt lauacrum ſacri baptiſmi, ibi finiuntur ærumnæ; quæ tunc grauiſſimæ ſunt, cum hoc lauacrum deficit,cap.5.parg.16.

Fer.5. à Dom.4.

Lucas 7.*Filius vnicus matris ſuæ*, &c. Parentes maximè in filiorum pœnis affliguntur,cap.9.§.22.

Et hæc vidua erat,&c.Vt omni terreno ſolatio vacuata, & viduata in cõiuge, & in filio defuncto,ſic aptior gratiis excipiendis diuinis,cap.18.§.17.& §.21.

Miſericordia motus ſuper illam, &c. Cur ſic afficitur ad hanc viduam?Videbat in matre dolente vnigeniti mortẽ rem ſuam, vt ipſe vnicus filius eripiendus erat matri ſuæ, mortique tradendus. Nec miror,quod afficiatur ad ſua, cap.18.§.9.

Acceſſit, & tetigit,&c. Chriſti vicinitas augmenta gratiarum adducit,cap.4.§.20.

Dedit illum matri ſuæ. In hoc viuimus nos, quod à Ieſu dati ſumus matris noſtræ Mariæ patrocinio, cap.9.§.5.

Fer.6.à Dom.4.

Ioan.11. *Miſerunt ſorores eius ad Ieſum.* Lazari ſorores mittunt ad Ieſum maximè ſolicitæ de fratris ſalute;at ipſe Lazarus,& langues, & mori propinquus in nulla ſolicitudine oſtenditur eſſe pro ſororibus ſuis relinquendis. De Imperatore Valentiano expẽdit D.Amb.in eius oratione, quod moriebatur in hæc verba; *Væ miſeris ſororibus meis.* Sic bonum fratrem angebat ſororum derelictio. Cur & de Lazaro ſimilis ſolicitudo non dicitur?Sanè hoc ſalutarius, quod moribundus, nulli potius quàm ſibi conſulat, cap.28.§,5.

Infirmitas hæc non eſt ad mortem.ſed pro gloria Dei. Gloria Dei in omnimoda carnis mortificatione,& abnegatione oſtenditur.cap.16.§.4.

Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos, vt credatis. Ex viſa morte Lazari aſſerit Ieſus Apoſtolos ſuos vni Deo credituros eſſe, ſumma enim eſſet ſtultitia, & miſeria, quod videntes creaturarum defectum alteri fiderent, quam Deo,cap.16.§.6.

Nunc ſcio,quia quæcunque poposceris à Deo,dabit tibi. Nũc cùm mortuum videt, adhuc ſperat agens cum Ieſu, qui enim cum Deo negotiatur,ſupra communes viuendi vias ſpem figat,cap.21.§.2.

Ego ſum reſurrectio,& vita. Cur ſe reſurrectionem prius propoſuit?Reſurrectio mortem ſupponebat,vt erat ſuffigendus cruci;in cuius crucis ſigno nihil non ſperari poſſet ſupra humanas vires,cap.27.§.10.

Qui credit in me. De fidei valentia vide cap. 27. §.5. & 6.

Vbi poſuiſtis eum ? A mulieribus interrogat, quo in ſepulcro locauerint fratrem defunctum,vt innuat,quàm lethales ſint hominibus fœminæ,cap.16.§.18.

Sabbat.à Dom.4.

Ioann. 8. *Ego ſum lux mundi.* Dei dona ad plures extendenda ſunt,cap.15.par.19.

Qui ſequitur me,non ambulat in tenebris. Diuinorum præceptorum obſeruatio,quæ eſt Chriſti ſequella, illuminat, cap.15.paragr.15.

Qui ſequitur,&c.In ſequela hac Dei oſtenditur diutina virtutis obſeruatio, quæ enim breuis eſt, & horaria vix cenſetur apud Deum cap.16.§.11.

Habebit lumen vitæ. In Chriſto Ieſu pro nobis paſſo noſtrum eſt leuamen,& vita,cap.14.§.10.

Iterum.*Habebit.* Firmiora, & durabiliora ſunt, quæ à Chriſto paſſo veniunt,cap.13.§.11.

Dom. 5. Quadrag.

Ioann. 8. *Dicebat Ieſus turbis,& principibus ſacerdotum*, &c.Vbi principes reprehenſibiles erant, etiam turba populi eandem cauſam habebant; ſequuntur enim populi ingenium principum,cap.11.§.20.

Sama

Samaritanus es, dæmonium habes. Ecce dominicæ passionis acerbissimum, nimirum quod appetatur verbis iniuriosis, cap. 13. par. 6. cap. 25. par. 8.

Et vos inhonorastis me. Maximum Iudæorum piaculum, quod Iesum Dei filium inhonorarent, quando diuina, & cœlestia nunquam non solent reuerentiam sui ingenerare, cap. 15. par. 11.

Est, qui quærat, & iudicet. Vbi tot petitur iniuriis, ad Dei iudicium recurrit, vt doceat nihil esse iniurias, & pœnas humanas, si cum iudicio Dei comparantur, c. 13. p. 2. Vel iudicium meminit, vt quod potentissimum sit ad durissimos quosque trahendos, c. 15. p. 17.

Si quis sermonem meum seruauerit, &c. Verba Christi Domini maximè confirmant, & suauiant homines, cap. 16. par. 26.

Fer. 2. à Dom. 5.

Ioann. 7. *Miserunt Principes, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum. Dixit ergo eis Iesus: adhuc modicum tempus, vobiscum sum.* Vide tam blandis verbis excipiat comprehensores suos. Cur non magis illos percutit? Abstinet à correptionibus, quæ non sunt profuturæ, cap. 17. parag. 24.

Adhuc modicum tempus vobiscum sum. Diuinum est, quod in vita sustineat reprobandos, cap. 16. par. 37. Et mauult adhuc modicum cum illis esse, quia vel in modico poterant negotiari salutem, si vel triduo conuerterentur ad illum, cap. 15. par. 7. & 6.

Vbi ego sum, vos non potestis venire. Nec miror, quod sic excludantur à consortio Dei, qui mortem illi machinabantur, quando animus sanguinarius nunquam non à sacris excluditur, c. 1. p. 14.

Quæritis me, & non inuenietis. Durissima pœna homini est, quod Deum non habeat, cap. 18. par. 3. Iudæi auro inhiantes veritatem non poterant inuenire, quia obcæcat auaritia, cap. 18. par. 29.

Si quis sitit, veniat ad me. Deus vnus sufficit homini satiando, cap. 27. par. 11.

Fer. 3. à Dom. 5.

Ioann. 7. *Non volebat in Iudæam ambulare; quia quærebant eum Iudæi interficere.* Quod interfectores suos cauebat Dominus, non erat res timoris, sed voluntatis diuinæ. Non enim dicit, Timebat in Iudæam ambulare; sed ait: Nō volebat, vt omnem suspicionem timoris excludat. Ille enim in diuinorum executione triumphat, qui omnem à se timorem humanum depellit, c. 23. p. 1.

Tempus meum nondum aduenit, &c. Fratrum consilia, & & opportunitatem iis verbis Dominus deludit, ostendens salutare esse cuique multitudinis contemnere instantiam, cap. 24. par. 15.

Manifesta teipsum mundo. Nec enim fratres eius credebant, &c. Meritò dicuntur non credidisse in Iesu, qui putabant gloriam miraculis procurandam, & nō potius sanguinis effusione. Famæ enim Christianæ præconia non cuilibet operi, sed virtutum culminibus debetur, cap. 15. par. 13.

Vos ascendite ad diem festum hunc. Ego autem non ascendam. Meritò negat se ascensurum ad festum ob aucupandam temporalem gloriam. Spiritualis enim homo periculosè se ad temporalia conuertit, cap. vlt. par. 5. Et facilè temporalia contemnit, qui respicit æterna. ibi par. 4.

Fer. 4. à Dom. 5.

Ioann. 10. *Factæ sunt Encænia*, &c. Encæniorum festa erāt festa renouationis templi, quibus Iesus aderat in porticu Salomonis, vt ostendat, quàm illi placeat affectus, qui semper nouus & recens est, cap. 19. par. 5. Et cap. 26. par. 9. Et quidquid ad nouitatem vitæ spectat, opus est Dei, cap. 10. par. 3.

Quousque animam nostram tollis, &c. Perfidi isti in hoc vno sapiunt, quod in re diuinæ cognitionis malam putent dilationem, & procrastinationem, cap. 6. par. 5.

Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, testimonium perhibent de me. Sed vos non creditis, &c. Et opera, & verba Christi euidentissima erant testimonia eius, sed Iudæis vertebantur in perniciem ex eorum abusu, quod summum erat illis malum. Insuetum enim malum est, quod malorum remediis mala crescant, cap. 4. par. 16.

Vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet quisquam de manu mea. Magna est illa manuum fortitudo, quibus nihil eripi potest. Sed vnde tota illa fortitudo manuum incipit? Ait, *vitam æternam do eis*: ex quo incipit dare, suámque beneficentiam effundere, eius fortitudo crescit, quæ ex benefaciendo est, cap. 24. paragrapho 10.

Multa bona opera ostendi vobis, &c. *propter quod eorum opus me lapidatis?* Meritò accusantur hi miseri, quando eorum summa ostenditur ingratitudo, qui inter ipsa beneficia obliuiscuntur benefactorem Deum, cap. 16. par. 12. Et iustissima Iesu querela, quod lapidetur ab eis, quibus toties benefecit. Maximus enim dolor est, quod percutiaris ab iis, quibus beneficia feceras, cap. 27. par. 9.

Fer. 5. à Dom. 5.

Luc. 9. *Vt cognouit, quod Iesus accubuit in domo Pharisæi, attulit*, &c. Ecce tibi de hac eadem fœmina dicitur Ioann. 11. quod miserit ad Iesum, sic enim ait, *Miserunt ergo sorores eius ad eum*, &c. Modo non mittit; sed ipsa vadit per se. Cur tunc misit, & modo ipsa vadit? Tunc tractabat de recuperanda salute fratris, modo tractat de recuperanda in se gratia, quæ solo proprio labore recuperatur, cap. 18. par. 20.

Lacrymis cœpit rigare, &c. Carnis mortificatione diutius, perseuerantiusque Deus habetur, c. 16. p. 5.

Stans retro secus pedes eius lacrymis cœpit, &c. Cur non magis veretur publicum? Cur non magis cauet ministrorum despectus, conuiuarum fastidia? Ardor internæ virtutis nulla nouit externa mala pauere, c. 15. p. 25.

Item, *Stans retro*, &c. Non statim euolandum ad summa, cap. 15. par. 10.

Et capillis capitis suis tergebat. Non capillos intortos habebat, sed deiectos ad Dei pedes, vt iam casta animo erat, sic & in externo habitu apparet vt plus placeat, cap. 15. parag. 9.

Aquam pedibus meis non dedisti, &c. Mundiales largissimi sunt, vt seruiant suis cupiditatibus, non vt seruiant virtuti, cap. 16. par. 15.

Fer. 6. à Dom. 5.

Ioann. 11. *Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium aduersus Iesum.* Erant equidem in hoc concilio aliqui timentes Deum, vt Nicodæmus, vt Nathanael, & alij, qui tamen minime nefarię sententię obsistunt. Curiales enim, & Palatini etiam boni, hoc vnum attendunt, vt sibi prospiciant, cap. 7. par. 11. Item vide, cap. 8. par. 5.

Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Quia signa faciebat Iesus, ad mortem petebatur, ad dubium, quin ab inuidis, hoc enim est proprium præstantissimorum hominum, quod cum inuidia confligant, de illáque triumphent, cap. 10. par. 8.

Venient Romani, &c. Impij homines seditiones, & tumultus metuunt in diuinarum virtutum studio, cap. 4. parag. 6.

Tollent locum nostrum. Etiam seditionis crimen æstimāt temporales virtutem, qua lucra temporalia minuuntur, cap. 4. par. 7.

Vnus moriatur homo, ne tota gens pereat. Hoc prophetans dixit de morte Iesu, cuius passio festinatissimum remedium salutis, capit. 12. paragrapho 5. & non relinquit infirmitatis vestigium, ibidem paragrapho 4. & minori diligentia ab illa obtinemus salutem, parag. 7.

Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent. Audito Cayphæ omnes subscripserunt de interficiendo Iesu, facillimè enim homines exitij ductum sequuntur, cap. 11. parag. 24.

Sabbæ.

Sabbat. à Dom. 5.

Ioann. 11. *Vt Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant, & credebant in Ieſum.* Illi ipſi principes, qui Lazarum planxerant mortuum, nunc illum decernunt interficere. Omnes enim profanorum amicitiæ deficient, vbi cæperis ad virtutem ire, cap. 11. par. 6.

In craſtinum autem turba multa, &c. Vbi cogitant Lazarum interficere, ne multi abeant ad Ieſum; ecce turba multa venit ad illum plaudens, & cantans. Sic Deus plectit rebelles ſuos, vt videant oculis ſuis contraria iis, quæ prætendebant, cap. 25. parag. 15.

Clamabant, Hoſanna. Concors multorum laudatio in Deum præſtantior eſt, & efficacior omnibus veteribus holocauſtis, cap. 12. par. 33.

Et inuenit Ieſus aſellum, & ſedit, &c. Cùm rapit turbas, cùm Rex Iſraël dicitur, aſellum capit, eíque inſidet, non enim in alio, quàm in mundi abnegatione eſt præſtantiſſima hominis fortitudo, cap. 12. par. 1.

Noli timere filia Sion, &c. Ille in executione diuinorum triumphat, qui expellit omnem timorem humani, cap. 23. parag. 1.

Dominica in Ramis.

Matth. 21. *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.* Manſuetudo æternat regna, cap. vlt. par. 11.

Matth. 21. *Turba autem plurima,* &c. Ieſum equitãtem, & triumphantem temporaliter turba celebrat, at crucifixum, & mortuum nobis Decurio curat, & Centurio clamat: Verè filius Dei erat iſte. Equidem crucifixus in honore habendus à principibus, & nobilibus, c. 13. p. 9. Turba commouetur, quia vbi adeſt diuinitas, ibi & creaturarum obſequia, c. 5. p. 2. c. 15. p. 24.

Strauerunt veſtimenta ſua. Nunquam magis ſua ſunt veſtimenta, quam vbi ea de Ieſu pedes ponunt, & deponunt, cap. 21. par. 5.

Benedictus, qui venit in nomine Domini. Quia venit dicitur benedictus, veniebat enim oppetiturus mortem. Et benedictio, & gloria ei merita datur, qui appetit pericula, non qui fugit, cap. 23. par. 2.

Fer. 5. in Cœnam Dom.

Ioan. 13. *Sciens Ieſus, quia venit hora eius, vt tranſeat de hoc mundo,* &c. Tranſitum videns omnia circa ſuos perfecit in lotione pedũ, in inſtitutione Euchariſtiæ, in exhortatione; nihil eſt enim contemnendum de iis, quæ tibi tranſituro de mundo mandantur, c. 9 p. 14.

Et ad Deum vadit. De ſolis perfectis virtutibus imperterritè ad mortem itur, cap. vlt. par. 3.

Surgit à cœna, poſuit veſtimenta ſua. Qui morti appropinquat, non tempotalia, ſed diuina curet, cap. 28. par. 4.

Sciens, quia ad Deum vadit, ſurgit à cœna. In cœna erat ſciens tranſitum, ſic enim debemus diuinæ menſæ adeſſe, cap. 9. par. 12.

Poſuit veſtimenta ſua. Tranſitoriis bonis non inhærendum iis, qui ad exitum contendunt, cap. 9. par. 16. Æterna ſpectans facile temporalia contemnit, cap. vlt. par. 4.

Si non lauero te, non habebis partem mecum. Præſtantes virtute viri ob errores durius à Deo tractari ſolent, cap. 13. par. 44.

Fer. 6. in Paraſceue.

Habes plura de paſſione Chriſti, & cruce eius in Indice.

De Mariæ luctu iuxta crucem, cap. 2. par. 13.

Dom. Reſurrectionis.

Fides Reſurrectionis maximè homines promouet, cap. 4. par. 8. cap. 23. par.

LIBER V.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ.

Ex Geneſi.

CAP. I. IN principio creauit Deus cœlum, & terram. Terra autem erat inanis,& vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi:& ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Dixítque Deus: Fiat lux,&c. 31.51.99 &264

Vidit Deus lucem,quod eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris,&c. 374

Luminare maius, & luminare minus. Luminare maius,vt præeſſet diei. 186

Et erant valde bona. 98

Germinet terra herbam virentem,& facientem ſemen, & lignum pomiferum. 154 & 287

Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus,&c. 160

Creſcite,& multiplicamini,& replete terram,& ſubiicite eam,&c. 325

Dominamini piſcibus. 326

2. Formauit igitur Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. 159

Ædificauit Deus coſtam,quam tulerat de Adam in mulierem. 197

Tulit ergo Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo. 240 & 373

Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam, &c. 300 & 260

Nomen vero fluuij tertij Tigris:ipſe vadit contra Aſſyrios. Fluuius autem quartus,ipſe eſt Eufrates. 142

De ligno ſcientiæ,boni,& mali,ne comedas. 183.276 & 280

In quacũque die comederis ex eo,morte morieris.296

Formatis igitur Deus de humo cunctis animantibus terræ,&c. 326

3. Ipſa conteret caput tuum. 11

Maledicta terra in operibus tuis,ſpinas & tribulos germinabit tibi. 286 & 16

Maledicta terra in opere tuo:in laboribus comedes ex ea cunctis diebus,&c. 297

Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus,&c. 44

In quacumque die comederitis ex eo aperientur oculi veſtri. 173

Eritis ſicut Dij ſcientes,&c. 73

Aperti ſunt oculi amborum, cúmque cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata. Et cùm audiſſent vocem Dei ambulantis,&c. Abſcondit ſe Adam,&c. 84.103 & 280

Adam vbi es? 292

Mulier,quam dediſti mihi ſociam,dedit mihi de ligno, & comedi. 86.295 & 300

Vocem tam audiui in paradiſo,& timui, eo quod nudus eſſem,& abſcondi me. 103

Qui comedit,& aperti ſunt oculi amborum. 305

Collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni. 139 & 279

Dixit ſerpens ad mulierem:Nequaquam morte moriemini:ſcit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij. 196

4. Dixit Lamech vxoribus ſuis Adæ,& Sellæ:Audite vocem meam vxores Lamech; auſcultate ſermonem meum. Quoniam occidi virum. 11 & 86

Adam verò cognouit vxorem ſuam Euam,quæ concepit,& peperit Cain. 315

Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego? 71

Conſurrexit Cain aduersùs fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.Et ait Dominus ad Cain. 84 & 305

Reſpexit Dominus ad Abel,& ad munera eius. 120

Dixítque Cain ad Abel fratrem ſuum:Egrediamur foras:cúmque eſſent in agro, conſurrexit Cain aduerſus fratrem. 131

Egreſſus Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Edem. 180

Si rectè offeras,& non recte diuidas,peccaſti. 163

Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum,& reſpexit Dominus,&c. 148

Sub te erit appetitus eius,& tu dominaberis illius.288

Sed & Seth natus eſt filius, quem vocauit Enos, iſte cœpit inuocare nomen Domini. 386

5. Ambulauit cum Deo,& non apparuit, quia tulit eum Dominus. 148 & 386

6. Finis vniuerſæ carnis venit coram me,&c.Fac tibi arcam. 318

Omnis caro corruperat viam ſuam. 327 & 358

Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ,&c. 34.38.286.308 & 315

Cumque cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram,& filios procreaſſent. 131

Gygantes erant ſuper terram,&c. 309

Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt, erúntque dies illius centum viginti annorum. 286

7. Anno centeſimo vitæ Noë, menſe ſecundo, ſeptimo decimo die menſis,rupti ſunt omnes fontes. 204

Conſumptáque eſt omnis caro, quæ mouebatur ſuper terram,volucrum,animantium,beſtiarum,&c. 50

Ex omnibus animantibus mundis tolle ſeptena, & ſeptena,maſculum,& fœminam, de animantibus vero immundis duo,& duo. 38 & 372

Factum eſt diluuium quadraginta diebus ſuper terram. 112

Ædificauit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocauſta ſuper altare. 127

Ingreſſus eſt Noë,& filij eius,vxor eius,& vxores filiorum ſuorum.De animantibus quoque mundis,& de volucribus, & ex omni, quod mouetur ſuper terram,duo,&c. 129

Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: ex omnibus animantibus mundis tolles ſeptena, &c. 153 & 358

Maſculus & fœmina ex omni carne introierunt, ſicut præceperat Dominus,&c. 373

8. Menſe ſecundo, ſeptimo, & viceſimo die menſis arefacta eſt terra; locutus eſt autem Deus ad Noë, dicens:Egredere de arca,&c. 107

Index locorum

Ædificauit autem Noë altare Domino,&c. 161
Non delebo propter decem. 241
9. Maledictus Chanaã puer,seruus seruorũ erit.127&150
Veni inebriemus eum vino, dormiamúsque cum eo, &c. 237
Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.Et terror veſter ſit,&c. 325
10. Porro Chus genuit Nemrod, ipſe cœpit eſſe potens in terra.Fuit autem principiũ regni eius Babylon.58
11. Venite igitur,deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum. 76
12. Cum ingreſſus eſſet Abraham Ægyptum, viderunt Ægyptij mulierem,quod pulchra eſſet nimis;& nuntiauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum. 147
13. Faciámque ſemen tuum ſicut puluerem terræ. 25
Elegítque ſibi Loth regionem circa Iordanem; & receſſit ab oriente,&c. Abraham habitauit in terra Chanaan; Loth moratus eſt in oppidis, quæ erant circa Iordanem. 29 & 196
14. At vero Melchiſedech Rex Salem proferens panem,& vinum,(erat autem ſacerdos Dei altiſſimi,)&c.Dixit autem Rex Sodomorum ad Abraham:Da mihi animas,cætera tolle tibi.Qui reſpondit ei:Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum, poſſeſſorem cœli,& terræ,quod à filo ſubtegminis,&c. 77
15. Domine Deus vnde ſcire poſſum, quod poſſeſſurus ſim eam? 13
Scito prænoſcens,quod peregrinum ſit ſemen tuum in terra non ſua,&c. ibid.
Suſcipe cœlum, & numera ſtellas,ſi potes, ſic erit ſemen tuum. 25
Generatione autem quarta refertetur huc, nondum enim,&c. 241
16. Apparuit autem ei Dominus in Conualle Mambre,ſedenti ad oſtiũ tabernaculi ſui in ipſo feruore diei.91
17. Sarai vxorem tuam,non vocabis Sarai, ſed Saram, & benedicam ei,& ex illa dabo tibi filium,cui benedicturus ſum,&c.vocabit nomen eius Iſaac. 119
Infans octo dierum circumcidetur in vobis,&c. 279
Anno ſexcenteſimo vitæ Noë,menſe ſecundo,&c.204
Ponã fœdus meũ in te,multiplicabo te vehemẽter.283
18. Apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum,quos cum vidiſſet,cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui,& adorauit in terram,& dixit:Domine,ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum,ſed offerã pauxillum aquæ,&c.16.216 & 217
Abiítque Dominus poſtquam ceſſauit loqui ad Abrahã, & ille reuerſus eſt in locum ſuum. Venerúntque duo Angeli Sodomam. 81
Quia ſemel incœpi,loquar ad Dominum,cum ſim puluis,& cinis,ſin minus quinquaginta iuſtis quinque fuerint,&c. 106
Ipſe vero ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum,& optimum. 117
Feſtinauit Abraham in tabernaculum ſuum ad Saram, dixítque ei:Accelera tria ſata ſimilæ, commiſce, & fac ſubtinericios panes,&c. 137
Si inuenero Sodomis quinquaginta iuſtos in medio ciuitatis,&c. 242
19. Clamor Sodomorum,&c. 257
Et apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, duarum filiarum eius,&c. 18
Reſpiciens vxor eius poſt ſe verſa eſt in ſtatuam. 309
Subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuerſos habitatores vrbium,&c. 107
Surge tolle vxorẽ tuam,& duas filias,quas habes. 319
20. Redde vxorem viro,& orabit pro te,&c. 342
21. Concepit,& peperit filium in ſenectute ſua. 28
Quæ cùm abiiſſet, errabat in Berſabeth:cúmque conſumpta eſſet aqua in vtre, abiecit puerum ſubter vnam arborem, quæ ibi erat. Et abiit. 114
Creuit igitur puer,& ablactatus eſt. 139
Cum vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo,dixit ad Abraham:Eiice. 353
22. Dixítq; Dominus;Non extendas manũ ſuper puerũ.6
Tolle filium tuum,quem diligis Iſaac,& vade in terram viſionis,atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium,&c. 85.198.220
Expectate hîc cũ aſino,ego & puer illuc vſque properantes,poſtquã adorauerimus,reuertemur advos.92
Quia feciſti hanc rem, & non perpeciſti filio tuo vnigenito,benedicam tibi,& multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas. 114 & 281
Leuauit Abraham oculos ſuos, vidítque poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio. 116
Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas. 281
Cúmque alligaſſet Iſaac filium ſuum,poſuit eum in altari ſuper ſtruem lignorum.Extendítque manum,& arripuit gladium,vt immolaret filium ſuum. 294
Ne extendas manum tuam ſuper puerum. 383
23. Locutus eſt Abraham ad filios Heth,dicens: Aduena ſum, & peregrinus apud vos;date mihi ius ſepulcri vobiſcum, vt ſepeliam mortuum meum.Reſponderunt filij Heth,dicentes: Audi nos Domine, Princeps Dei es apud nos,&c. 13.63 & 142
Cucurrit itaque puella,& nuntiauit in domum matris ſuæ omnia. 19 & 44
Appendit pecuniam,quam Ephron poſtulauerat, audientibus filiis,&c. 235
Audi nos Domine,Princeps Dei es apud nos. 327
24. Egreſſus fuerat ad meditandum in agro inclinata iam die,cúmque eleuaſſet oculos, vidit camelos venientes procul,&c. 44 & 152
Necdum intra ſe verba compleuerat, & ecce Rebecca,&c. 62
Nolite me retinere; quia Dominus direxit viam meam. 274 & 337
Inclinauit ſe homo,& adorauit Dominum, dicens:Benedictus,&c. 375
25. Iſaac cum quadraginta eſſet annorum, duxit vxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri Meſopotamiæ ſororẽ Labã.Deprecatúſq; Iſaac pro vxore ſua,&c.36
Maior ſeruiet minori. 262
Deficiens mortuus eſt, & appoſitus eſt ad populum ſuum. 338
25. Irrugiit clamore magno. 149
In pinguedine terræ, & in rore cœli, erit benedictio tua,viues gladio,& fratri tuo ſeruies. 150
Quod cum audiſſet Rebecca,& ille abiiſſet in agrũ,vt iuſſionẽ patris impleret:dixit filio ſuo Iacob,&c.262
28. Viſa eſt ſcala,&c. 144
29. Quam cùm vidiſſet Iacob,& ſciret conſobrinã ſuam, ouéſq; Laban auunculi ſui:amouit lapidem,quo puteus claudebatur, adaquato grege oſculatus eſt eã, & eleuata voce fleuit.Et indicauit ei,&c. 19 & 53
32. Ecce vir luctabatur cum Iacob vſque mane, qui cum videret, &c. 205
33. Viſitauit Dominus Saram ſicut promiſerat,& impleuit,quæ locutus eſt,concepítque. 166
34. Ecce die tertio quando grauiſſimus vulnerum dolor eſt,arreptis,duo filij Iacob,Simeon,& Leui,&c. 355
37. Iſrael autem diligebat Ioſeph ſuper omnes filios, eo quod in ſenectute genuiſſet eum. 118 & 320
Vade,& vide,ſi cũcta proſpera sũt erga fratres tuos.185
Putabã nos ligare manipulos in agro,&quaſi cóſurgere manipulũ meũ,& ſtare,veſtróſq; manipulos,&c.230
Audite ſomnium meum,quod vidi:putabam nos ligare manipulos,&c. 233
Vendiderunt eum Iſmaelitis viginti argenteis. 234
Hæc ergo cauſa ſomniorum,atque ſermonum,inuidiæ, & odij fomitem miniſtrauit. 290
Accuſauit fratres ſuos apud patrẽ crimine peſſimo.290

38. Apparuerunt gemini in vtero, atque in ipsa effusione infantium vnus protulit manum, in quo obstetrix ligauit coccinum,&c. 8
Fuit quoque Her primogenitus Iudæ nequam in conspectu Domini,& ab eo occisus est. 172
39. Ioseph ductus est in Ægyptum, emítque eum Puthiphar Eunuchus Pharaonis Princeps exercitus sui,inuenítque Ioseph gratiã coram Domino suo, &c.10
Benedixítque Dominus domui Ægyptij propter Ioseph,& multiplicauit tam in ædibus, quàm in agris omnem eius substantiam:nec quicquam aliud nouerat nisi panem, quo vescebatur. Erat autem Ioseph pulchra facie,&c. 19
Relicto in manu eius pallio fugit,& egressus est foras. 28 & 371
Ecce dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo sua,nec quicquã est,quod non in mea sit potestate,vel nõ tradiderit mihi præter te, quę vxor eius es,quomodo ergo possũ,&c.69 &223
Post multos autẽ dies iniecit oculos in Ioseph,&c.274
40. Tantum memento mei cum tibi bene fuerit,vt facias mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere,quia furtim sublatus sum de terra Hebræorum. 147
Numquid non Dei est interpretatio? 337
41. Putabam me stare supra ripam fluminis,& septem boues de amne conscendere,&c. 84
Dixit rursus Pharao ad Ioseph: Ecce constitui te super vniuersam terram,&c. 295
Placuit Pharaoni consilium Ioseph, & iunctis ministris suis locutus est ad eos, Num inuenire poterimus talem virum? 297
42. Hoc est, quod locutus sum, exploratores estis. Iam nunc experimentum vestri capiam:per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus mittite ex vobis vnum, & adducat eum,vos autem eritis in vinculis,&c. 185 & 353
43. Audiens autem Iacob,quod alimenta venderentur in Ægypto,dixit filiis suis:Audiui,quod triticũ,&c.147
45. Quibus dedit plaustra secundum Pharaonis imperium, & cibaria in itinere, singulis quoque proferri iussit stolas binas,&c. 126
46. Dixítque pater ad Ioseph:Iam lætus moriar,quia vidi faciem tuam. 340
47. Emit igitur Ioseph omnem terram Ægypti,vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis. Subiecítque eam Pharaoni,&c. 21
48. Dabo patrem extra fratres tuos, quam tulit de manu Amorrhæi. 234
Dictum est seni:Ecce filius tuus Ioseph venit ad te,qui confortatus sedit in lectulo,&c. 340
49. Ad prædam,fili mi ascendisti:requiescens accubuisti, vt leo,& quasi leæna,quis suscitauit eum. Non auferetur sceptrum de Iuda,&c. 231
Congregamini,vt annuntiem,quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis. 339
Benedixítq; singulis,benedictionibus propriis,&c.339
50. Pater tuus præcepit nobis, antequam moretetur, vt hæc tibi verbis illius diceremus,&c. 222

Ex Exodo.

1. Operibus luti,& lateris. 235
Odorant filios Israel Ægyptij, & affligebant illudentes eis,&c. 306
2 Perrexítq; puella,vocauit matrem suam,&c. 4 & 13
Surrexit Moyses, & defensis puellis adaquauit greges earum. 370
Vidit Ægyptium virum percutientem,&c. 5
Quis te constituit iudicem & Principem super nos? Num quid occidere me tu vis? 12
Clamauit autem Moyses ad Dominum. 197
3. Solue calceamenta de pedibus tuis. 68 & 266
Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi. 100.164 & 284
Videbat,quod rubus arderet,& non combureretur.348
4. Ero in ore tuo,docebóque te. 77
Et versa est in colubrum,ita vt fugeret Moyses. 81
5. Quis est Dominus,vt audiam vocem eius,& dimittam Israel? Nescio Dominum. 174
7. Ego indurabo cor Pharaonis,& multiplicabo signa,& ostenta. 318
Quæ versa est in colubrum.
Tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Ægyptij,&c. vt vertantur in sanguinem. 200
12 Edent carnes nocte illa assas igne,& azymos panes cum lactucis aggrestibus. 164
Mensis iste vobis principium mensium,primus erit in mensibus anni,&c. 329
Transibit Dominus,percutiens Ægyptios,cúmque viderit sanguinem,&c. 200
13. Cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Dominus per viam terræ. 206
Cũ introduxerit te Dominus in terrã Chananęi,&c.294
14. Cum extendisset Moyses manum super mare,abstulit illud Dominus. 85 & 302
Nec vnus quidem remansit ex eis. 232
Ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris. 100
Tu autem eleua virgam tuam,& extende manum tuam super mare,& diuide illud. 56
Israelitæ timuerunt valde. 208
15. Tunc conturbati sunt Principes Edon robustos Moab obtinuit tremor,&c. 23
Nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod essent amaræ,& murmurauit populus, &c. Tulit Moyses Israel de mari. 133
16. Colligebant autem mane singuli, quantum sufficere poterat ad vescendum. 91
Mane quoque ros iacuit per circuitum castrorum, cúmque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum. 123
Scatere cœpit vermibus,atque computruit. 232
Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti,quando sedebamus super ollas,&c. 125
Sume vas vnum, & mitte tibi Man, quantum potest capere gomor,& repone coram Domino. 136
18. Altera autẽ die sedit Moyses iudicare populũ,&c.342
19. Veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus. 113
Eritis mihi in peculium de cunctis populis. 241
Vade ad populum,& sanctifica illos hodie, & cras, lauéntque vestimenta sua,&c. 90
20. Altare de terra facietis mihi,& offeretis super eo holocausta. 237
Non ascendetis per gradus ad altare meum. 241
Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes,visitans iniquitatem patrum,&c. 324
22. Septem diebus sit cum matre sua: die octaua reddes illum mihi. 118
24. Misit in crateras, partem autem residuam fudit super altare. 127
Ascenderúntque Moyses,& Aaron, & Nadab. 238
Misítque Moyses iuuenes de filiis Israel, & obtulerunt,&c. 228
28. Facies & laminam de auro purissimo in qua sculpes opere celatoris sanctum Domino. 126
Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum. 276
Deorsum vero ad pedes eius tunicæ per circuitum, quasi mala punica facies,&c. 323
29. Sed & hoc facies,vt mihi in sacerdotio consecrentur: Tolle vitulum de armento, & arietes duos immaculatos,panésque azymos & crustulam,&c. 15
32. Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum?
Fac nobis Deos,qui nos præcedant. 3720

Index locorum

Si quis est Domini iungatur mihi. 200
Sedit populus manducare,& bibere,& surrexerunt ludere. 196
33. Iam nunc depone ornatum tuum, vt sciam quid faciam tibi. 207
34. Cùm descenderet Moses de Monte Sinai tenebat duas tabulas testimonij,& ignorabat, quod cornuta esset facies sua. 262

Ex Leuitico.

2. Si autem obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus torrebis igne. 37
Cum autẽ obtuleris sacrificiũ coctũ inclinabo,&c.122
4. Si sacerdos, qui vnctus est,peccauerit,delinquere faciens populum,offeret pro peccato vitulum. 338
7. Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes absque fermento,&c. 193
8. Congregatáque omni turba ante fores tabernaculi,ait Moyses;Iste est sermo,quem iussit Deus fieri. 328
10. Locutus est Moyses ad Aaron,& Eleazar, & Ithamar filios eius:Capita vestra nolite nudare,&c. 122
Quicunque acceperit sororem suam ex patre suo. 279
11. Omne quod habet diuisam vngulam, & ruminat, in pecoribus comederis. 243
19. Coram cano capite consurge, & honora personam senis,&c. 38
Ne prostituas filiam tuam,ne contaminetur terra.370
22. Septem diebus erunt sub vberibus matris suæ,die autem octauo,& deinceps offerri poterũt Domino. 118

Ex Numeris.

1. Tollite summam vniuersæ congregationis filiorum Israel per cognationes, & domus suas, & nomina singulorum,&c. 72
De filiis Iuda per generationes, & familias,ac domos cognationum suarum per nomina singulorum recensiti sunt septuaginta quatuor millia sexcenti.138
4. Necnon & altare aureum inuoluent Hyacinthino vestimento, sed & altare mundabunt cinere,& inuoluent illud purpureo,&c. 12
5. Præcipe filiis Israel, vt eiiciant de castris omnem leprosum,& qui semine fluit,&c. 13
10. Surge Domine,& dissipentur inimici tui. 75
11. Sexcenta millia peditum huius populi sunt, & tu dicis,Dabo eis esum carnium mense integro?Nunquid ouium,& boum multitudo cædetur?&c. 8
Ventus autem egrediens à Domino arreptas trans mare coturnices detulit. ibid.
Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiusmodi cibus,& ecce furor Domini. 125
Et pluit super eos sicut puluerem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata,&c. 183
Auferam de spiritu tuo, tradámque eis, vt sustententent tecum,&c. 363
12. Et Maria apparuit candens lepra. 46 & 291
Locuta est Maria, & Aaron contra Moysem propter vxorem eius Æthiopissam,&dixerunt,&c.72 & 289
Statim locutus est Dominus ad eum, & ad Aaron & Mariam,&c. 291
Cumque respexisset eam Aaron, & vidisset perfusam lepra. 292
Clamauit Moyses ad Dominum dicens:Deus obsecro, sana eam.Cui respondit Dominus:Si pater,&c.294
Et dixit Dominus ad Moysem:Congrega mihi septuaginta viros,&c. 296
13. Locutus est Dominus ad Moysem, dicens : Mitte viros,qui considerent terram,&c. ibid.
14. Vtinam mortui essemus in Ægypto,& non in hac vasta solitudine,&c. 101
Recessit ab illis omne præsidium,Dominus nobiscum est. 93
15. Obruat eum lapidibus omnis turba extra castra. 292
16. Disrupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis. 293 & 351
Confestim ergo,vt cessauit Moyses loqui, disrupta est terra,&c. 93
Murmurauit omnis multitudo filiorum Israel sequenti die,&c. 326
Præcipe Eleazaro filio Aaron sacerdoti, vt tollat thuribula,quæ iacent in incendio,&c. 339
17. Quas cum posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonij,sequenti die regressus inuenit germinasse virgam,&c. 82
20. Non ibimus per agros, neque per vias,non bibemus aquas de puteis tuis,tantũ velociter transeamus.124
21. At Israel voto se Domino obligans ait: Si tradiderit populũ istũ in manu mea,delebo vrbes eius,&c.343
Fac serpentem æneum,&c. 383
22. Nunquid loqui potero aliud,nisi quod Deus posuerit in ore meo? 172
Cur tertio verberas asinam tuam?Ego veni, vt aduersarer tibi,quia peruersa est via tua,mihíque contraria,&c. 108
Dixítque Deus ad Balaam,Noli ire cum eis,nec maledicas populo. 296
Protinus aperuit Dominus oculos Balaam,& vidit Angelũ stantẽ in via,euaginato gladio,adorauítq; 300
23. Dominus autem posuit verbum in ore eius,& ait. 111
Cui cum occurrisset Dominus, posuisséque verbum in ore eius,ait:Reuertere ad Balac,&c. 74
24. Pergens ad populum meum dabo tibi consilium,quid populus tuus populo huic faciat. 164
Quam pulchra tabernacula Iacob, & tentatoria tua Israel, vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios, &c. 74
Qui benedixit tibi,erit & ipse benedictus. 198
Accubans dormiuit vt leo,& quasi leæna, quam suscitare,&c. 176
25. Arrepto pugione ingressus est post virum Israelitam in lupanar,& perfodit ambos. 115 & 123
Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua, at illi comederunt, & adorauerunt Deos earum,&c. 5
Pergens ad populum meum dabo tibi consiliũ,&c.368
27. Tolle Iosue filium Num, virum in quo est spiritus Dei, & pones manum tuam super eum. Qui stabit coram Eleazaro,&c. 138
31. Dederúntque millenos de singulis tribubus,&c. 242
Locutúsque est Dominus ad Moysem,dicens:Vlciscere prius filios Israel de Madianitis, & sic colligeris ad populũ tuũ,statímq; Moyses:Armate,inquit,&c.123
32. Sin autem quod dicitis non feceritis,non dubium est, quod peccatis in Deum. 279
33. Profecti de Ressa castrametati sunt in Calatha. 288.
34. Si autem nolueritis interficere habitatores terræ,qui remanserint,erunt vobis quasi claui in oculis,&c.86

Ex Deuteronomio.

6. Vt custodias mandata,& præcepta eius, quæ ego præcipio tibi,& filiis,ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuę,vt prolongẽtur dies tui;Audi Israel,&c.183
10. Et nunc Israel,quid Dominus, &c. 219
16. Omnes abominationes,quas auersatur Dominus, fecerunt diis suis offerentes filios & filias & comburentes,&c. 127
Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis in loco,quem elegerit Dominus. 110
Vrbes magnæ ad cœlum vsque muratæ. 299
18. Bene omnia sunt locuti; prophetam suscitabo eis de medio. 226
29. Appropinquante iam prælio,stabit sacerdos,&c. 367
Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus,& currus,&c. 372

22.Cum

22. Cum ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua,& sis reus labente alio,&c. 74
27. Accesserunt filiæ Salphad, &c. steterúntque coram Moyse,& Eleazaro Sacerdote, & cunctis principibus populi ad ostium tabernaculi fœderis,&c. 79
Eriges ingentes lapides, & calce leuigabis eos,vt possis in eis scribere omnia verba legis huius Iordane transmisso,&c. 183
28. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pauidum, & deficientes oculos. 49
Domum ædifices, & non habites in ea. Plantes vineam,& non vindemies eam. 337
Videbitis vitam vestram pendentem ante oculos vestros. 347
32. Expectetur sicut pluuia eloquium meum. 143
Videte,quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me,ego occidam,& ego viuere faciam,&c. 78
Sicut dies iuuentutis tuæ,ita & senectus tua. 384
34. Ascendit ergo Moyses de Campestribus Moab super montem Nebo in verticem Phasga contra Iericho: Mortuusque est ibi. 339

Ex Iosue.

2. Misit igitur Iosue filius Nũ de Sethim duos viros.205
Qui responderunt ei: Anima nostra sit pro vobis in mortem,si tamen non proderit nos,&c. 20
Audiuimus, quod siccauerit Dominus aquas maris rubri. 274
4. Festinauítque populus,& transiit. 91
5 Cùm esset Iosue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum stantem contra se euaginatum tenentem gladium, perrexítque ad eum,& ait: Noster es, &c. 60 & 372
6. Vrbem,& omnia,quæ sunt in ea succenderunt. 63
Stetit Sol in medio cœli,& non festinauit occubere, &c. 244
Fili mi da gloriam Deo, & confitere, atque indica mihi,quid feceris. 2 & 355
Quicumque in hoc facinor fuerit deprehensus,comburetur igne. 29
Acham filius Charmi, filij Zabdi, filij Zare de tribu Iuda,tulit aliquid de anathemate. 43
Cuius plagæ causam aperiens Acham fatur: vidi enim inter spolia pallium,&c. 89
9. Venerunt serui tui in nomine Domini Dei tui. 274
10. Locutusque Domino in die,qua tradidit Amorrhęum in conspectu filiorum Israel, dixítque coram eis:Sol ne mouearis,&c. 43
Aperite os speluncæ, & adducite ad me quinque reges,qui in ea latitant,&c. 368
19. Cumque complesset sorte diuidere terram singulis per tribus suas, dederunt filij Israel possessionem Iosue. 154
20. Habitauit in ciuitate illa donec stet ante iudicium causam reddens facti sui,&c. 339

Ex Iudicibus.

1. Profectus abiit ad habitatores Dabir,cui nomen vetus erat Cariath Sepher,id est,ciuitas literarum. 38
2. Abierunt filij Israel vnusquisque in possessionem suam, vt obtinerent eam, seruierúntque Domino, &c. 114
Ascendítque Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium,&c. 231
3. Reuersus de Galgalis vbi erant idola,dixit ad Regem: Verbum secretum habeo,&c. 210
7. Immisit Dominus gladium in omnibus castris,&c.375
11. Expletis duobus mensibus reuersa est ad patrem suum,& fecit ei sicut nouerat. 382
16. Moriatur anima mea cum Philisthim, concussísque fortiter columnis,&c. 197
At illa dormire eum fecit supra genua sua, & in sinu suo reclinauit caput:vocauítque tonsorem, &c.350
Vocauítque tonsorem,&c. 351
20. Ingrauatum est bellum contra filios Beniamin, & non intellexerunt,quod ex omni parte,&c. 365

Ex 1. Reg.

1. Illa loquebatur in corde suo, tantúmque labia illius mouebantur,&c. 207
Surrexit autẽ Anna,postquã comederat,&c. 30 & 238
2. Filij Eli,filij Belial nescientes Dominum,&c. 247
Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes; recedant vetera,&c. 38
Dominus mortificat,& viuificat,&c. 169
4. Misit ergo populus in Silo,& tulerunt arcam. 247
5. Cecidit de sella retrorsum, iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est. 109
Respondeúntque Gethæi;Circunducatur arca. 240
6. Si dimittitis arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacuam,&c. 369
7. Cum ascenderent cliuum ciuitatis,inuenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquã,& dixerunt,&c.18
8. Ecce tu senuisti,& filij tui nõ ambulãt,&c.302 & 384
Hoc erit ius regis,&c. 276
9. Erat vir de Beniamin nomine Cis,&c. 197
Leuauítque coccus armum,& apposuit Sauli. 374
10. Tulerunt eum inde, stetítque in medio populi, & altior fuit vniuerso populo,&c. 10
12. Misit ergo Dominus Nathan ad Dauid. 355
13. Filius vnius anni erat Saul,cum regnare cœpit. 213
14. Accidit quasi miraculum à Deo. 375
15. Melior est obedientia,quam victima,&c. 129
Percussítque Saul Amalech, &c. 211
Peccaui,sed nunc honora me coram senioribus. 42
Et conuersus est Samuel,vt abiret; Saul autem apprehendit summitatem pallij,&c. 61
16. Dixítque Samuel ad Isai:Nunquid iam completi sunt filij?Qui respondit:Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues. 8
Misit ergo Saul ad Isai nuntios, dicens: Mitte ad me filium tuum Dauid, qui est in pascuis, & venit Dauid ad Saul,&c. 10
Quousque tu luges Saulem? 153
Veni mittam te ad Isai Bethleemitem,&c. 297
Imple cornu tuum oleo, & veni, mittam te in Bethleem ad Isai,prouidi enim in filiis mihi regẽ.7 & 15
Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius.Et directus est spiritus,&c. 327
17. Eo autem tempore, quo viderat Saul Dauid egredientem contra Philisthæum,&c. 249
Vadam, & percutiam, & auferam opprobrium populi, 115 & 198
Ablerunt autem tres filij eius maiores post Saul in prælium, & nomina trium filiorum eius, qui perrexerunt,&c. 8
Induit Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius,&c. 24
Non vales resistere Philisthæo huic, nec pugnare aduersus eum,quia puer es,&c. 26
Assumens autem Dauid caput Philisthæi, attulit illud in Ierusalem,&c. 26
Ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum. 29
Veniebat leo,vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis,& persequebar,&c. 49
Audiens autem Saul,& omnes Israelitæ sermones Philisthæi huiuscemodi stupebant. 68
Tulit vnum lapidem,& funda iecit, & curcumducens percussit Philisthæum. 96
Dixit Dauid ad Philisthæum:Tu venis ad me cum gladio,&c. 333
Ego venio ad te in nomine Domini,&c. 337

18. Iratus est autem Saul nimis, & displicuit in oculis eius sermo iste, dixítque, Dederunt Dauid decem millia,& mihi mille dederunt. 141
Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid à die illa. 224
Misit eam, putans quòd configere posset Dauid cum pariete,& declinauit Dauid,&c. 126
Ædificauit Saul altare Domino, tuncque primo cœpit ædificare altare Domino. 108
Dedit itaque Saul Dauidi Michol filiam suam vxorem. 152
19. Abiit in Naioth in Ramatha,& factus est etiam super eum spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat,&c. 89
20. Fugit autem Dauid de Naioth,&c. 50
Cur non venit filius Isai? 313
Quid feci? Quæ est iniquitas mea, & quod peccatum meum in patrem tuum? 335
24. Propitius sit mihi Dominus,ne faciam hanc rem Domino meo, Christo Domini, &c. 132. 319 & 335
Confregit Dauid viros suos sermonibus,&c. 307
Nunquid vox tua hæc fili Dauid? 307 & 334
Porro Saul exurgens de spelunca,&c. 308
Et egressus de spelũca clamauit post tergum Saulis. 92
25. Tunc ait Dauid pueris suis, Accingatur vnusquisque gladio suo. 128
26. Cognouit autem Saul vocem Dauid, & dixit: Nunquid vox tua hæc fili mi Dauid,&c. 91
27. Nunc igitur tolle hastam, quæ est ad caput eius, & scyphum aquæ,&c. 92
28. Dabit Dominus etiam Israel tecum in manus Philisthiin. 366
30. Hæc est præda Dauid. 375
31. Cùm ergo venisset Dauid, & viri eius in ciuitatem, & vidissent eam succensam igni,& vxores suos, & filios suos, & filias ductas esse captiuas. Leuauerant,&c. 112

Ex 2. Reg.

2. Ascendit ergo Dauid, & duo vxores eius Achinoan Iezraelitis,& Abigail vxor Nabal,&c. 142
Igitur post hoc consuluit Dauid Dominum, dicens: Num ascendam in vnam de ciuitatibus Iuda? 308
3. Porro viri isti filij Saruia duri sunt mihi,&c. 281
Velox erat sicut ceruus. 17
4. An ignoratis,quoniam princeps, & maximus cecidit hodie? 277
5. Non ascendas obuiam eis, sed gyra post tergum eorum,& venies ad eos ex aduerso pyrorum,&c. 7
6. Quam glorioſus fuit hodie rex Israel discooperiens se ante ancillas seruorum suorum. 20
Igitur Michol filiæ Saul,non est natus filius. 22
Dauid percutiebat in organis,& saltabat totis viribus, &c. 46
Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues,& declinauit eam.Iratus,&c. 290
11. Transactóque luctu misit Dauid,& introduxit eam in domum suam, & facta est ei vxor, peperítque ei filium, & displicuit verbum hoc, quod fecerat Dauid coram Domino. Misit ergo Dominus Nathan. 76
Et vastauerunt filios Amon,& obsederunt Rabba. 147
Accidit quadam die, vt surgeret Dauid, & deambularet in solario domus regiæ,vidit mulierem,&c. 319
12. Peccaui Domino. 266
14. Surrexítque Ioab, & venit ad Absalon in domum eius,& dixit,Quare succenderunt serui tui. 108
Omnes morimur,& sicut aqua dilabimur. 218
Itaque cum ingressa fuisset mulier Theuchites,&c. 210
15. Venit nuntius ad Dauid dicens: Toto corde vniuersus Israel sequitur Absalon, & ait Dauid suis, qui erant cum eo in Ierusalem,Surgite,fugiamus. 91
Mane consurgens Absalon stabat iuxta introitum portæ in via,&c. 277
Facta est coniuratio valida, populósque concurrens augebatur Absalon. 204
17. Porro Achitophel videns, quod non fuisset factum consilium suum,strauit asinum suum, surrexítque, & abiit,&c. 149
18. Adhæsit caput eius quercui, & illo suspenso inter cœlum,& terrã,mulus,cui insederat,pertrãsiuit. 212
Accidit autem vt occurreret Absalon seruis Dauid sedens mulo: cúmque ingressus fuisset mulus subter densam quercum & magnam,adhæsit,&c. 102 & 212
Cecinit autem Ioab buccina,& retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israel. 305
Vocauit titulum nomine suo, & appellatur manus Absalonis. 343
19. Insuper, & accusauit me seruum tuum ad te Dominum meum Regem,tu autem Domine mi,&c. 88
20. Benadab autem bibebat temulentus,&c. 244
21. Tollens cilicium substrauit ibi supra petram. 142
Deficiente autem Dauid Iesbibenob, qui fuit de genere Arapha,cuius ferrum hastæ,&c. 250
Iam non ingredieris nobiscum in bello,&c. 384
23. Hæc nomina fortium Dauid. 376
24. Immisit Dominus pestilentiam in Israel de mane vsque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo,&c. 27 & 355
Et addidit furor Domini irasci contra Israel,commouítque Dauid in eis dicentem, Vade,numera Israel, &c. 322
Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua, aut tribus mensibus fugies,&c. 367

Ex 3. Reg.

1. Adorauit rex in lectulo suo, insuper & hæc locutus est: Benedictus,&c. 340
Amplificet Deus nomen Salomonis supra nomen tuum. ibid.
Adonias autem filius Haggith eleuabatur,&c. ibid.
2. Viuit Dominus,qui firmauit me, & collocauit me super solium Dauid Patris mei, & qui fecit mihi domum,&c. 161
Appropinquauerunt dies Dauid,vt moreretur,præcepítque Salomoni,&c. 364
9. Pharao Rex Ægypti ascendit,& cœpit Gazer,succendítque eam igne, & Chananæum, qui habitabat in ciuitate interfecit,& dedit eam in dotem,&c. 136
10. Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro,&c. 100
Sed & Regina Saba audita fama Salomonis in nomine Domini venit tentare. 165
11. Scindam regnum tuũ,& dabo illud seruo tuo,&c. 278
Apprehendens Ahias pallium suum nouum,quo coopertus erat,scidit,&c. 312
De manu filij tui scindam illud.
12. Fecit phana in excelsis, & sacerdotes de extremis populi,&c. 237
Respondit Rex populo dura,&c. & locutus est eis secundum consilium iuuenum,dicens:Pater meus aggrauauit,&c. 67
Pater nos cæcidit flagellis, ego cædam vos scorpionibus. 83 & 384
13. Qui cum abiisset, inuenit eum leo in via, & occidit, &c. 277
Veni mecum domum,vt prandeas, & dabo tibi munera. Respondit vir Dei ad Regem, Si dederis mihi mediam partem,&c. 78 & 82
Misit ergo rex Roboam Aduram, qui erat super tributa,& lapidauit eum omnis populus, &c. 357

17. Viuit Dominus Deus Israël in eius conspectu si erit annis his ros,&c. 12.& 92
Non habeo panem nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria,&c. 121
Hydria farinæ non deficiet,nec lecythus olei minuetur,vsque ad diem,in qua Dominus,&c. 175
Quæ abiit,& fecit,iuxta verbum Eliæ,& comedit,&c. 176
18. Abdias autem timebat Dominum valde. 248
19. Timuit ergo Elias & surgens abiit, quocunque eum ferebat voluntas. 49.& 335
Longa tibi restat via. 143
Ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ, comedit,&c. 122
Ecce Dominus transiit, & spiritus grandis, & fortis subuertens,&c. 214
21. Non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est, vt faceret malum in conspectu Domini:concitauit enim eum Iezabel. 123
Dormiuit in sacco,& ambulauit dimisso capite, & factus est sermo Domini ad Eliam,dicens:Nónne vidisti humiliatem?&c. 106
Locutus est Achab ad Naboth,dicens,&c. 278
Itaque cum audiret Achab sermones istos, scidit vestimenta sua,&c. 239
Prædicate ieiunium,& sedere facite Naboth inter primos,&c. 351

Ex 4. Reg.

1. Descendat ignis de cœlo,& deuoret te,&c. 115
2. Fiat in me duplex spiritus tuus. 107
Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud sal, quod cum attulissent,&c. 166
3. Viderunt Moabitæ aquas rubras quasi sanguinem,dixeruntque: Sanguis gladij est,pugnauerunt reges, &c. 89
4. Vir autem quidam venit deferens viro Dei panes primitiarum,&c. 77
Et apprehendit pedes eius. 134
Si occurrerit tibi homo non salutes,&c. 61
5. Accepisti argentum,accepisti vestes, &c. Sed & lepra Naaman,&c. 78
Verè scio,quod non sit Deus alius in vniuersa terra nisi tantum in Israël.obsecro itaque vt accipias benedictionem à seruo tuo,&c. 82
Accesserunt ad eum serui tui, & locuti sunt ea, &c. 281
Vade,& laua te septies in Iordane. 293
Lauit in Iordane septies iuxta sermonem viri Dei, & restituta est caro,&c. 288
Viuit Dominus, ante quem sto, quia non accipiam, cumque vim faceret non acquieuit. 343
6. Noli timere, plures enim sunt nobiscum, quam cum illis. 60
Factáque est fames magna in Samaria, & tamdiu obsessa est,donec venundaretur caput asini,&c. 169
Et aperuit Dominus oculos pueri,& vidit,& ecce mõs plenus equorum,&c. 33
Appositáque est eis ciborum magna præparatio, & comederunt,& biberunt,&c. 10
Porro Elisęus orauit ad Dominum,dicens:Percute,obsecro,gentem hanc cœcitate,&c. 375
7. Respondens vnus de ducibus super cuius manus rex incumbebat homini Dei, ait: Si Dominus fecerit etiam cataractas,&c. 169
11. Athalia vero mater Ochoziæ videns mortuum filium suum,surrexit,&c. 236
Tollens autem Iosaba filia regis Ioram soror Ochoziæ,Ioas filius Ochoziæ furata est eum,&c. 3.& 9
13. Elisæus ægrotabat infirmitate, qua & mortuus est. Descenditque ad eum Ioas Rex Israël, & flebat coram eo, dicebátque,Pater mi, Pater mi, currus Israël,&c. 90
19. Venit Angelus Domini & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia, &c. 43
Quæ cum audisset Ezechias rex,scidit vestimenta sua, & opertus est sacco. Ingressúsque est domum Domini,&c. 368
Factum est igitur in nocte illa,venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum,&c. 373
20. Afferte massam ficorum. 293
23. Abiit Iosias Rex in occursum eius, & occisus est. 359
25. Venit Nabuchodonosor Rex Babylonis, & omnis exercitus eius in Ierusalem,&c. 245

Ex 1. Paralip.

7. De stirpe Thola viri fortissimi numerati sunt. 107
11. Libauit eam Domino. 141
22. Fili mi, voluntatis meæ fuit, vt ædificarem domum nomini Domini mei,&c. 13

Ex 2. Paralip.

1. Est apud nos candelabrum aureum,& lucerna eius, vt accendatur semper ad vesperam. 220
2. Misi ergo tibi virum prudentem,& scientissimum Hiram patrem meum,&c. 34
4. Fecit mare etiam fusile decem cubitis,&c. 21
9. Rex autem Salomon dedit Reginæ Saba cuncta quæ voluit,&c. 44
15. Et Maacham matrem Assa Regis ex Augusto deposuit,&c. 35
24. Et non est recordatus Ioas misericordiæ, quam fecerat Ioiada,&c. 9
Postquam autem obiit Ioiada ingressi sunt principes Iuda,& adorauerunt,&c. 15
26. Iratusque Ozias,& tenens in manu thuribulum, &c. 319
Non est tui officij Ozias,vt adoleas. 321
35. Nec acquieuit sermonibus Nechao ex ore Dei,verum perrexit,&c. 30

Ex 1. Esdræ.

1. Hæc dicit Syrus Rex Persarum,omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipse præcepit mihi,vt ædificarem ei domum in Ierusalem,&c. 64

Ex 3. Esdræ.

3. Nónne doletis? Et accipit homo gladium suum, & vadit in via facere furta,&c. 20
4. Oportet vos scire,quoniam mulieres dominantur vestri. 11

Ex 4. Esdræ.

9. Qui fastidierunt legem meam, cum adhuc erant habentes libertatem,&c. 343

Ex Tobia.

8. Filij sanctorum sumus,& non possumus ita coniungi, sicut gentes,&c. 34
12. Cum essem vobiscum,per voluntatem Dei eram,&c. 366

Ex Iudith.

3. Præceperat enim Nabuchodonosor Rex vt omnes Deos terræ exterminaret,&c. 22

7. Et dixerunt illi Ozias,& presbyteri,Omnia,quæ locuta es, vera sunt, & non est in sermonibus tuis vlla reprehensio,&c. 18
8. Misit ad presbyteros Chabri,& Charmi, & venerunt ad illam. ibid.
10. Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habet. 5

Ex Esther.

2. Quæ noluit indicare ei populum, & patriam suam. Mardochæus enim præceperat,vt de hac re omnino reticeret. 4
3. Tulit ergo rex annulum, quo vtebatur, de manu sua, &c. 249
4. Ne putes,quod animam tuam tantum liberes, quia in domo Regis es, præ cæteris Iudæis, si enim nunc silueris,per aliam occasionem liberabuntur Iudæi, &c. 109
7. Dixit ei Rex secunda die postquam vino incanduerat, quæ est petitio tua Esther? Ad quem illa respondit:Si inueni gratiam in oculis tuis,&c.
Suspensus est itaque Aman in patibulo. 368
9. Per omnes prouincias,quæ ditioni Regis subiiciebant, pro animabus suis steterunt Iudæi interfectis hostibus,&c. 10
10. Fons paruus in lucem,solémque conuersus est. 54
14. Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, & transfer cor illius in odium hostis, &c. 185

Ex Iob.

1. Num consideraſti seruum meum Iob,quod non sit ei similis in terra,simplex,& rectus,&c. 72
Nunquid Iob frustra timet Deum, nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam, &c. ibid.
Filiis tuis,& filiabus vescentibus,& bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti,repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos,&c. 58.& 311
Cúmque in Orbem transissent dies conuiuij,mittebat ad eos Iob,& sanctificabat illos, consurgénsque diluculo offerebat holocausta. 109
Corruens in terram adorauit: & dixit, &c. Nudus egressus sum. 112.& 210
Ecce alius intrauit,& dixit: Filiis tuis, & filiabus vescentibus,&c. 244
Et ibant filij eius,& faciebant conuiuium per domos, vnusquisque in die suo. 288
Ignis Dei descendit de cœlo, & tactas oues, &c. 195. & 202.
2. Ecce in manu tua est. 294
Testa saniem radebat. 298
Dixit autem illi vxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua. 289.& 350
Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serua. 94.& 302
Egressus igitur Sathan à facie Domini percussit Iob vlcere pessimo. 130.& 44
In omnibus iis non peccauit Iob. 225
Benedic Deo,& morere. 350
3. Post hæc aperuit Iob os suum, & maledixit diei suo, & locutus est:Pereat dies,&c. 23
Nunc enim dormiens silerē,& somno meo quiescerem cum regibus,& consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines,&c. 45
Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem,&c. 45.& 73
5. Et scies, quod pacem habeat tabernaculum suum. 137
Increpationem ergo Domini ne reprobes. Quia ipse vulnerat,& medetur,&c. 201
7. Sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, sic & ego,&c. 209
10. Instauras testes tuos contra me. 279
Et si impius fuero,væ mihi est,&c. 194
Manus tuæ fecerunt me,& plasmauerunt me totum in circuitu. 307
13. Voca me,& ego respondeo tibi. 221
14. Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me. 33
15. Sonitus terroris semper in auribus illius. 300
Terrebit eum tribulatio,&c. ibid.
Vtinam esset anima vestra pro anima mea. Consolaret ego vos sermonibus,&c. 354
18. Lux obtenebrescet in tabernaculo eius. 129
19. Abominati sunt me quondam consiliarij mei, & quem maximè diligebam. 148
Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini. 316
20. Reuelabunt cœli iniquitatem eius,& terra consurget aduersus eum. 93
Omnes tenebræ absconditæ sunt in oculis eius,deuorabit eum ignis,qui non succenditur,&c. 25
Non videat riuulos fluminis torrentis mellis,ac butri. 183
Caput aspidum suget, occidet eum lingua viperæ. 346
21. Vbi est domus principis? Et vbi tabernacula impiorum? Interrogate,&c. 341
23. Voca me,& ego respondebo tibi. 319
27. Et mittet super eum,& non pauet, de manu eius fugiens,fugiet. 94
29. Benedictio perituri super me veniebat. 135
Quis mihi tribuat,vt sim iuxta menses pristinos,quando erat omnipotens mecum,&c. 114
30. Scio,quia morti trades me, vbi constituta est domus omni viuenti, verum tamen non ad consumptionem meam emittis manum,&c. 94
31. Si ambulaui in vanitate,& festinauit in dolo pes meus, &c. 79
37. Et nubes spargunt lumen suum, quæ lustrant per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit,&c. 156.& 144
38. Cùm me laudarent simul astra matutina,& iubilarent omnes filij Dei. 31.& 51
Circundedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia. Et dixi: Vsque huc venies, & non procedes, &c. 31.& 158
Respondens autem Dominus Iob de turbine. 348
Quis conclusit ostiis mare. 156
Et tenuisti concutiens extrema terræ, & excussisti impios ex ea. ibid.
Vsque huc venies,& non procedes. 311
39. Circunspicit montes pascuæ suæ,& virentia quæque perquirit. 167
Quis dimisit Onagrum liberum, & vincula eius quis soluit? Cui dedit in solitudine domum,&c. 310
40. Nunquid faciet tecum pactum,& accipies eum seruū sempiternum? Nunquid illudes ei quasi aui. 4
Iuxta Sept. Putas autem me aliter tibi respondisse, &c. 361
42. Sumite ergo vobis septem tauros,& septem arietes,& ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum, &c. 153
Dominus quoque conuersus est ad pœnitentiam Iob, cum oraret ille pro amicis suis,& addidit,&c. 187
Iob autem seruus meus orauit pro vobis, faciem eius suscipiam,&c. 346

Ex Psalmis.

1. Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus

Sacræ Scripturæ.

decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. 362
2. Filius meus es tu, ego hodie genui te. 119
Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes, &c. 160
4. Sacrificate sacrificium iustitiæ, sperate in Domino. 182
In finem: Filiis Core intellectus. 34
Filij hominum vsque quò graui corde, vt quid diligitis vanitatem? 326
6. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. 108
10. In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montem sicut passer? Quoniam ecce peccatores, &c. 152
13. Contritio, & infelicitas in viis eorum, &c. 309
17. Qui subdis populos meos sub me. 51
Deus qui præcinxit me virtute, &c. 205
18. Cœli enarrant gloriam Dei, &c. 179
In Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus, &c. 59. & 178
21. Dinumerauerunt omnia ossa mea, &c. 132
Circumdederunt me vituli multi, & tauri, &c. 303
22. Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, &c. 244
25. Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos. 370
28. Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum. 137
Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas. 157
33. Accedite ad Deum, & illuminamini. 222
Gustate, & videte, &c. 173
34. Dissipati sunt, & non sunt consumpti, 104
Retribuebant mihi mala pro bonis sterilitatem animæ meæ, &c. 346
35. Torrente voluptatis tuæ potabis eos. 116
36. Salus autem iustorum à Domino. 164
Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros, &c. 227
Spera in Domino, & fac bonitatem, & pasceris in diuitiis eius. 326
37. Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem. 167
38. Exaudi orationem meam, Domine, & deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas. 24
Posui ori meo custodiam cum consisteret peccator aduersus me. 304
41. Effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis. 368
44. Adstitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, &c. 133. & 300.
Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentissime, specie tua, &c. 111
Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. 102
Eructauit cor meum verbum bonum, dico opera mea regi, &c. 194
47. Ciuitas regis magni, Deus in domibus eius cognoscetur. 176
50. Tibi soli peccaui. 69
51. Ego quasi oliua fructifera in Domo Dei. 217
54. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, volabo, & requiescam. 31
Molliti sunt sermones eius super oleum, &c. 140
Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vbique. Tu vero homo vnanimis meus, dux meus, &c. 335
55. Conculcauerunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes aduersùm me, &c. 85
Ab altitudine Dei timebo. 93
Tunc exultabunt omnia ligna syluarum. 275
59. Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant, &c. 103
60. Sic psallant nomini tuo Deus in sæculum sæculi, &c. 214
61. Nónne Deo subiecta erit anima mea. 150
64. Induti sunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento. 117
66. Speciei domus diuidere spolia. 136
Erunt pennæ columbæ deargentatæ, &c. 128
67. Dabit Dominus verbum Euangelizantibus virtute multa. 334
68. Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam: extraneus factus sum fratribus meis, &c. 148
74. Calix in manu Domini, vini meri plenus misto, &c. 356
76. In die tribulationis meæ, Deum exquisiui manibus meis, &c. 323
77. Et tentauerunt Deum in cordibus suis, vt peterent escas, &c. 169
78. Posuerunt morticina seruorum suorum escas volatilibus, &c. 70
Contribulasti capita draconum in aquis, &c. 352
79. Excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos, 306
80. Manus eius in cophino seruierunt. 121
86. Memor ero Raab, & Babylonis scientium me. 106
96. Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia. 101
98. Inuocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos in columna nubis. 143
100. Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar. Superbo oculo, &c. 36
103. Qui respicit terram, & facit eam tremere. 220
104. Draco iste, quem formasti, ad illudendum ei. 4
Eduxit eos in argento, & auro. 136
In seruum venundatus est Ioseph. 150
105. Immolauerunt filios suos, & filias suas dæmoniis. 127
106. Cito fecerunt, obliti sunt operum eius, & non sustinuerunt. 239
Statuit procellam eius in auram. 23
Eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis, vincula eorum disrupit, &c. 165
Qui descendunt mare in nauibus, &c. 357
108. Oratio eius fiat in peccato. 71
Posuerunt aduersus me mala bonis, & odium pro dilectione mea. 335
Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi, &c. ibid.
109. Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. 125
113. Simulacra gentium argentum & aurum. 23
115. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, &c. 374
117. Omnes gentes circuierunt me, &c. 43
Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. 114. & 217
Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es. 275
118. In quo corrigit adolescentior viam suam. 297
Eructabunt labia hymnum. 194
Lucerna pedibus meis verbum tuum. 220
Domine dissipauerunt legem tuam. 276
Et respondebo exprobrantibus mihi verbum. 313
130. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. 246
Sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea. 140
135. Collocauit me in obscuris sicut mortuos sæculi. 113
140. Pone Domine custodiam ori meo. 279
144. Dilexi, quoniam adiecit Dominus vocem orationi meæ. 143

145. Nolite

145. Nolite confidere in principibus, in quibus non est salus. 326

Ex Prouerbijs Salomonis.

1. Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. 103
6. Veniet tibi quasi viator egestas,& paupertas quasi vir armatus. 249
7. Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam. 157
8. Quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum,&c. 16
9. Mulier stulta & clamosa,plenaque illecebris, & nihil omnino sciens,sedit in foribus. 354
13. Qui custodit os suum,custodit animam suam. 279
15. Lingua placabilis lignum vitæ. ibid.
Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam. 316
16. Cor sapientis erudiet cor eius,&c. 279
Hominis est animam præparare,& Domini gubernare linguam. 76
19. Multi colunt personam potentis,&c. 249
23. Quando sederis,vt comedas cum principe,diligenter attende,quæ apposita,&c. 176
24. Erue eos,qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare non cessa. 135
25. Lingua mollis confringit duritiem. 507
27. Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens,&c. 110
30. Tria sunt difficilia mihi,& quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cœlo. 347
31. De nocte surrexit, dedítque prædam domesticis suis, &c. 136

Ex Ecclesiaste.

2. Quis est homo,vt sequi possit Regem factorem suum? 373
3. Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi. 167
4. Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei. 236
Melior est puer pauper,& sapiens Rege sene & stulto, qui nescit prouidere in posterum,&c. 45
5. Hoc itaque visum est mihi, vt comedat quis, &c. 222
Si videris calumnias egenorum,& violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, non mireris super hoc. 100.& 315
Vbi multæ sunt opes,multi & comedunt eas. Et quid prodest possessori,&c. 361
6. Vir,cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem,& nihil deest animæ,&c. 289
7. Cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum,ne forte audias seruum tuum maledicentem. 289
Noli esse iustus multum. 356
8. Qui custodit præceptum, non experietur quicquam mali. 212
9. Scito,quod in medio laqueorum ingredieris. 87
10. Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere. 25
Est malum,quod vidi sub sole,quasi per errorem egrediens à facie principis. 27.& 296
Beata terra cuius rex nobilis est,& cuius principes vescuntur in tempore suo,&c. 30.238.& 296
Melior est sapientia quam arma bellica, & qui in vno peccauit,&c. 95
12. Consurgent ad vocem volucris. 195

Ex Cantico Canticorum.

1. Osculetur me osculo oris sui. 363.& 383
Indica mihi,quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie. 178.& 199
Ecce tu pulcher es dilecte mi,& decorus:lectulus noster floridus. 179
Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi,&c. 243.297.& 310
Equitatui meo in curribus Pharaonis assimulaui te,&c. 248
Introduxit me Rex in cellaria sua,exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum, &c. 177
Botrus Cypri dilectus meus in vineis Enggadi. 298
Lectulus noster floribus. Tigna domorum nostrarum cedrina. 316
Meliora sunt vbera tua vino. 202
Oleum effusum nomen tuum. 206
Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia. 354
2. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. 52
En ipse stat post parietem. 226
Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. 328.& 362
Surge, propera, anima mea, columba mea, formosa mea,& veni. 153
Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. 328.& 330
Sub vmbra illius,quem desideraueram sedi. 348
3. In lectulo meo per noctes quæsiui,quem diligit anima mea,&c. 108
Veni columba mea in foraminibus petræ. 200
Tenui eum,nec dimittam,&c. 367
Vadam ad montem myrrhæ. 207
Ecce venit saliens in montibus. 201
Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque, &c. 201*
En lectulum Salomonis,&c. 209
4. Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis. 118.& 373
Vulnerasti cor meum soror mea sponsa. 101. 203. & 359
Fons hortorum,puteus aquarum viuentium,quę fluunt impetu. 170.& 171
5. Ego dormio, & cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis. 179.& 144
Aperi mihi soror mea,amica mea, columba mea. 266. & 116
Laui pedes meos,quomodo inquinabo illos. 148
Comedi fauum meum cum melle meo. 183
Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. 173
Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentariis. 384
Surrexi,vt apperirem dilecto meo. 386
7. Quid videbis in Sunamite nisi Choros castrorum? 161 & 162
8. Dixi,Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius,&c. 300
Qui sedes in hortis,amici auscultant. 226

Ex Sapientia.

2. Dixerunt enim cogitantes apud se non rectè: Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, &c. 64
3. Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & ex his quæ videntur bona. 65
5. Videntes turbabuntur timore horribili in subitatione inspiratæ salutis. 96
8. Habebo propter hanc charitatem ad turbas,&c. 51

10. Ideò iusti tulerunt spolia impiorum. 159
16. Quod enim mirabile erat,in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat: vindex est enim orbis iustorum. 105
Nix, & glacies sustinebat vim ignis, & non tabescebant,&c. 104
Angelorum esca nutriuisti populum tuum. 217
Manna deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat,conuertebatur. 193
17. Cum sit timida nequitia dat testimonium condemnationis,&c. 299
Solis autem illis superposita erat grauis nox, imago tenebrarum,&c. 85
18. Cum quietum silentium continerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet,omnipotens,&c. 84

Ex Ecclesiastico.

5. Ne appelleris susurro,& lingua tua ne capiaris,& confundaris,&c. 346
9. In manu artificis opera laudabuntur. 279
Quam aspera est nimis sapientia indoctis hominibus. 239
Super dolentium arma ambulabis. 41
13. Diues commotus confirmatur ab amicis suis. 249
14. Beatus vir,qui in sapientia morabitur. 274
18. Ante orationem præpara animam tuam. 90
24. Ego in altissimis habitaui,& thronus meus in columna nubis. 144
25. Commorari draconi,& leoni placebit,quam habitare cum muliere nequam. 370
28. Verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos. 52
30. Mortuus est pater eius,& quasi non est mortuus, &c. 340
39. Benedictio illius quasi fluuius inundauit, & quomodo cataclysmus,&c. 171

Ex Isaia.

1. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui,&c. 169
Audite cœli,& auribus percipe terra,quoniam Dominus locutus est. 248
Neomeniam,& Sabbathum,& festiuitates vestras non feram:iniqui sunt cœtus vestri,&c. 316
2. Ingredere in petram,absconde in fossa humo à facie timoris Domini,&c. 103
3. Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt. 107
Ruit Ierusalem,& Iudas concidit, quia lingua eorum, & adinuentiones eorum contra Dominum, &c. 107
Auferet à Ierusalem, & Iuda validum, & fortem. 345
5. Iratus est furor Domini in populum suum, & extendit manum suam super eum,& percussit eum, &c. 93
Et pascentur agni iuxta ordinem suum. 51
Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia in conuiuiis vestris. 244
6. Et audiui vocem Domini dicentis: Quem mittam? Et quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me. 56
Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis sum. 265
7. Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminis Ægyptij, & api,quæ est in terra Assur,&c. 95
Ecce virgo concipiet, & pariet filium, vocabitur nomen eius Emanuel. 182
8. Et dixit Dominus ad me,voca nomen eius: Accelera spolia,&c. ibid.
9. Succensa est quasi ignis impietas, veprem, & spinam vorabit,&c. 27
10. Erit lumen Israël in igne, & sanctus eius in flamma, & succendetur,&c. 28
Dixit enim:In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi, & abstuli terminos populorum,& principes eorum deprædatus sum,&c. 45
11. Delectabitur infans ab vbere super foramina aspidis, & in cauerna reguli,qui ablactatus fuerit, &c. 49. & 139
Iudicabit in iustitia pauperem, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ,& percutiet terram virga oris sui,& spiritu labiorum,&c. 105
Egredietur virga de radice Iesse,& flos,&c. 327
Requiescet super eum spiritus Domini,spiritus sapientiæ,&c. 309
12. Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde. 291
Haurietis aquas cum gaudio de fontibus saluatoris. 167
14. Similis ero Altissimo. 232
16. Emitte agnum Domine dominatorem terræ, &c.
19. Stulti principes Thaneos. 44
Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum,&c. 142.& 144
25. Præcipitauit in monte isto faciem vinculi. 221
26. Sicut quæ concepit, cum appropinquauerit ad partum,dolens clamat in doloribus. 219
Anima mea desiderauit te in nocte. 220
Sic facti sumus à facie tua, Domine. concepimus, & quasi parturiuimus,& peperimus spiritum. 112
Domine in angustia requisierunt te,&c. 323
Expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere. 298
30. Fugietis donec relinquamini, quasi nauis malus. 311
Mille homines à facie terroris vnius,&c. ibid.
Væ filij desertores,&c. 303
32. Sicut riui aquarum in siti,& vmbra petræ prominentis in terra deserta non caligabunt oculi videntium. 182
36. Tollam vos ad terram,quæ est vt terra vestra, terram frumenti,& vini,&c. 183
38. Ecce ego adiiciam super dies duos quindecim annos, & de manu Regis Assyriorum eruam te,&c. 159
Dispone domui tuæ;morieris enim tu. 56
42. Dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet.Non clamauit,non accipiet personam. 17
43. Propter vos misi in Babylonem,& detraxi vestes vniuersos,&c. 58
Verumtamen seruire me fecisti peccatis tuis,præbuisti mihi laborem,&c. 178
45. Assimilaui te,& non cognouisti me. 65
Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro,cuius apprehendi,&c. 64.74.& 79
48. Facta fuisset sicut flumen pax tua. 170
Vtinam attendisset mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua. 171
49. Hæc dicit Dominus redemptor Israël,sanctus eius ad contemptibilem animam. 228
Non esurient,neque sitient,& non percutiet eos æstus, &c. 344
52. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem. 17.& 63
53. Vidimus eum, & non erat aspectus, desiderauimus eum despectum,&c. 102.&172
Ascendet sicut virgultum coram eo, radix de terra sitienti:non est species ei,&c. 102
Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet. 197

Index locorum

55. Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum,properate,emite,&c. 180.& 208
Ecce teſtem populi dedi eum. 220
56. Omnes feræ ſylueſtres venite,comedite,&c. 179
57. Veniat pax,requieſcat in cubiculo ſuo. 310
58. Frange eſurienti panem tuum,&c. 349
59. Expectauimus lucem,& ecce tenebræ,&c. 113
60. Illuminare,illuminare Ieruſalem; venit lumen tuum. 154
63. Angelus faciei eius ſaluauit eos in dilectione ſua, & in indulgentia ſua ipſe,&c. 308
64. Abſcondiſti faciem tuam à nobis,& allifiſti nos, &c. 292
Facti ſumus vt immundus omnes nos,& quaſi pannus menſtruatæ,&c. 330
65. Propter hoc,hæc dicit Dominus Deus:Ecce ſerui mei comedent,vos eſurietis,&c. 96
Lupus,& agni paſcentur ſimul,& leo,& bos comedent paleas. 176
66. Ego declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis,& quaſi torrentem,&c. 170.& 171

Ex Ieremia.

1. Ecce ego conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna,vt euellas,& deſtruas,&c. 152
4. Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus. 128
Ecce auditum eſt in Ieruſalem cuſtodes venire de terra longinqua. 302
5. Circuite vias Ieruſalem,& aſpicite,& conſiderate,&c. 241
Percuſſiſti eos,& non doluerunt, attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam,&c. 104
6. Defecit ſufflatorium in igne, conſumptum eſt plumbum,&c. ibid.
7. Mulieres conſpergunt adipem,vt faciant placentas reginæ cœli. 363
8. Conuenite, & ingrediatur ciuitatem munitam, & ſileamus ibi; quia Dominus Deus noſter ſilere nos fecit. 23
Dolor meus ſuper dolorem, in me cor meus mœrens. 23
Ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio,&c. 81
Non aſſumas laudem,& orationem pro eis, ſi Moyſes, & Samuel ſteterint,&c. 198
9. Non glorietur ſapiens in ſapientia, & non glorietur diues,&c. 65
11. Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocauit,&c. 110
23. Ecce dies venient,dicit Dominus,& ſuſcitabo Dauid germen iuſtum,& regnabit Rex,& ſapiens erit. 11
Quid paleis ad triticum? 156
Factus ſum quaſi vir ebrius,& quaſi homo madidus à vino,&c. 361
27. Nolite audire verba prophetarum veſtrorum,qui prophetant vobis dicentes,&c. 150
31. Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſraël,& domui Iuda fœdus,&c. 242
39. Vade,& dic Abdemelech Æthiopi,dicens: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël,&c. 248
51. Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram, de vino eius biberunt omnes gentes,&c. 89
Subito cecidit Babylon, & contrita eſt: vlulate ſuper eam,tollite reſinam ad dolorem eius,&c. 57

Ex Baruch.

3. Et nubes, quibus cum imperatum fuerit à Deo perambulare in vniuerſum Orbem,perficiant,&c. 144
5. Exue te Ieruſalem ſtola luctus, & vexationis tuæ, & indue te decore,& honore eius, quæ à Deo tibi eſt ſempiterna gloria,circumdato te diploide,&c. 117

Ex Threnis.

2. Ponet in puluere os ſuum,&c. 304
4. Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris, cui diximus, In vmbra tua viuemus. 348
Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora. 320

Ex Ezechiele.

7. Floruit virga,germinauit ſuperbia. 86
Nunc de propinquo effundam iram meam ſuper te, & explicabo furorem meum in te, & iudicabo te iuxta vias tuas,&c. 86
9. Et ecce ſex viri veniebant de via portæ ſuperioris,quæ reſpicit ad aquilonem,& vniuſcuiuſque vas interitus in manu eius:vir quoque vnus in medio eorum veſtitus erat lineis. 94
Tranſite per ciuitatem ſequentes eum, & percutite, &c. 347
10. Extendit Cherub manum de medio Cherubin ad ignem,qui erat in medio Cherubin,& ſumpſit, & dedit,&c. 100
11. Spiritum nouum tribuam in viſceribus eorum: & auferam cor lapideum. 332
16. Tuliſti filios tuos, & filias tuas, quas genuiſti mihi, &c. 237
18. Si,inquit,conuerſus ad Dominum ingemueris, tunc ſaluus eris,&c. 24
24. Mortua eſt vxor mea veſpere,fecique mane ſicut præceperat mihi Dominus. 374
28. Perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo, in terram proieci te,ante faciem regum dedi te,&c. 6
34. Et ſuſcitabo ſuper eam paſtorem vnum, qui paſcat eas,ſeruum meum Dauid. 231
Quod craſſum erat,occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis. 110
40. Et celatæ palmæ erant, vna hinc, & altera inde in fronte eius. 151
41. Altaris lignei trium cubitorum altitudo,& longitudo eius duorum cubitorum,&c. 121
Fili hominis vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia, quæ ego oſtendam tibi, &c. 181
47. Et ſuper torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte lignum pomiferum,&c. 362

Ex Daniele.

1. Dentur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum. 247
2. Et regnum quartum erit velut ferrum, quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, ſic comminuet, &c. 41
3. Angelus autem Domini deſcendit cum Aſaria,& ſociis eius in fornacem,&c. 48.& 72
Deus noſter,quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis,& de manibus tuis, ô Rex, liberare. 52
Tunc Nabuchodonoſor acceſſit ad oſtium fornacis ignis ardentis,& ait:Sidrach,Miſach,&c. ibid.
Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria & ſociis eius in fornacem. 72
Nabuchodonoſor Rex omnibus populis,gentibus, & linguis,qui habitant,&c. 70
Laudabant,& glorificabant & benedicebant Deo in fornace,&c. 162

Fecit

Fecit medium fornacis quasi ventum roris. 231
Signa, & mirabilia fecit apud me Deus excelsus. 204
Regnum eius regnum sempiternum;& potestas eius in generatione,& generationem. 206
Benedictus Deus eorum,Sidrach videlicet,&c. 229
Et confestim viri illi vincti cum braccis, & tiaris,&c. 225
4. Magna arbor,& fortis, & proceritas eius contingens cœlum,&c. 227
Succidite arborem. 294
Alligetur vinculo ferreo,& æreo,in herbis, quæ foris sunt,& rore cœli tingatur,&c.
Cognoscant viuentes,quòd dominatur excelsus in regno hominum,&c. 37
Nonne hæc Babylon ciuitas magna,quam ego ædificaui in domum regni,&c. 319
5. Laudabant deos suos,aureos,& argenteos,æreos, ferreos,ligneos,&c. 23
Eadem nocte interfectus est Balthasar Rex Chaldæus; & Darius Medus successit in regnum. 47
6. Deus meus misit Angelum suum,& conclusit ora leonum,& non nocuerunt mihi. 60
7. Quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se.Prima quasi leæna,&c. 101
9. Post Hebdomadas sexaginta duas, destruetur vnctio, &c. 276
Ego autem veni,vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es. 288
10. Dixit ad me Daniel vir desideriorum,Intellige verba, &c. 181
13. Exclamauit autem voce magna Susanna, & dixit: Deus æterne,&c. 151.& 207
Et venit cum parentibus, & filiis, & vniuersis cognatis.Porrò Susanna,&c. 360

Ex Osea.

1. Sume tibi vxorem fornicationum, & fac filios, &c. 354
2. Fornicata est mater eorum, confusa est, quæ concepit eos; quia dixit: Vadam post amatores meos. 44
Dabo ei vallem Achor ad aperiendam spem. 97
3. Dies multos sedebunt filij Israël sine grege, & sine principe,& sine sacerdotio,&c. 231
4. Nolite ingredi in Galgala, & ne ascendatis in Bethauen. 233
Spiritus ligauit eum in alis suis. 289
5. Facti sunt principes Iuda quasi assumentes terminum. 239.& 98
7. Nunc circumdederunt eos adinuentiones suæ, coram facie mea factæ sunt. 76
9. Reuersus est Ephraim in Ægyptum,& in Assyriis pollutum comedit,&c. 69
Ephraim vt vidi Tyrus erat fundata in pulchritudine, &c. 6
10. Dicent montibus,Cadite super nos,& collibus,Operite nos. 86
11. Ero eis,quasi exaltans iugum super maxillas eorum, &c. 193
Et ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis. 223
12. Diues effectus sum,inueni idolum mihi. 234
13. Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Ægypti,&c. 233

Ex Amos.

1. Super tribus sceleribus Damasci,& super quatuor,non conuertam eum,&c. 224
2. Ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno,& peribit fuga à veloce,&c. 103
4. Et ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis vrbibus vestris,& indigentiam panum,&c. 169
5. Quomodo si fugiat vir à facie leonis,& occurrat ei vrsus,&c. 93
Nunquid hostias & sacrificia obtulistis mihi in deserto quadraginta annis,&c. 228
6. Væ qui separati estis in diem malum,& appropinquatis solio iniquitatis, &c. Qui comeditis agnum de grege,&c. 118
9. Ecce mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Israël,&c. 156
Ecce oculi Domini super regnum peccans, & conteram illum,&c. 157
Ponam oculos meos super eos in malum, non in bonum,&c. 159
Vidi Dominum stantem super altare,& dixit. 234

Ex Ioel.

1. Audite hoc senes,& auribus percipite omnes habitatores terræ; residuum erucæ comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus, residuum bruchi comedit rubigo. 42
2. Nolite timere animalia regionis, quoniam germinauerunt speciosa deserti. 52
A facie eius contremuit terra,moti sunt cœli, Sol, & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui, quia multa sunt nimis castra eius,quia fortia & facientia verbum eius. Magnus enim dies Domini,& terribilis valde. 102
Reddam vobis annos,quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca, fortitudo mea magna quam misi in vos. 169
Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti? quia non est pascua eis. 170
Filij Sion gaudete,atque lætamini in Domino Deo vestro,quoniam dedi vobis escas iustitiæ,& pluit vobis imbrem temporaneum, & serotinum, sicut à principio,& replebuntur areæ tritico, & redundabunt torcularia vino,& oleo. 171
Comedetis vescentes, & saturabimini, & laudabitis nomẽ Dei vestri,qui fecit mirabilia vobiscum. 172
Nolite timere animalia regionis, quoniam germinauerunt speciosa deserti,&c. 237
Filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro,quia dedit vobis doctorem,&c. 41

Ex Iona.

1. Inuenit nauem euntem in Tharsis, & dedit naulum eius,&c. 175
Et facta est tempestas magna in mari,& nauis periclitabatur conteri. 320
2. Euomit Ionam in aridam. 126
Circundederunt me aquæ vsque ad animam, abyssus vallauit me,pelagus operuit caput meum,&c. 56
Proiecisti in profundum in cor maris, flumen circumdedit me. 198
Et erat Ionas in ventre piscis. 215
Ego dixi: Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum,&c. 332
3. Clamauit,& dixit: Adhuc quadraginta dies sunt,& Niniue,&c. 221.166.293.264.291.& 293
Cœpit Ionas introire ciuitatem. 82
Surrexit de solio suo,& abiecit vestimentũ suũ,&c. 46
Peruenit verbum ad Regem Niniue,& surrexit,&c. 82
Et clamauit,& dixit in Niniue ex ore Regis, & principum eius dicens: Homines, & iumenta & boues, &c. 75
4. Ego non parcam Niniue ciuitati meæ magnæ, in qua habitant,&c. 162

Index locorum

Ex Michæa.

1. Propterea dabit emiſſarios ſuper hæreditatem Geth, domos mendacij in deceptionem regibus, &c. 48
2. Congregatione congregabo Iacob totum te:in vnum conducam reliquias Iſraël,&c. 51
5. Nunc vaſtaberis filia latronum, in virga percutient maxillam iudicis Iſraël,&c. 201
6. Diuites eius repleti ſunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium. 344

Ex Naum.

1. Dominus patiens,& magnus non faciet innocentem, &c. 324
2. Ecce ego ad te,dicit Dominus exercituum, & ſuccendam vſque ad fumum quadrigas tuas,&c. 99
Diripite argentum,diripite aurum, & non eſt finis diuitiarum ex omnibus vaſis,&c. 184

Ex Habacuc.

1. Propterea immolauit ſagenæ ſuæ,&c. 372
Quare reſpicis contemptores,& taces,&c. 321
3. In medio annorum notum facies. 129
Splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius. 240
Percuſſiſti caput de domo impij,denudaſti fundamentum vſque ad collum. 352

Ex Sophonia.

1. Ædificabunt domos,& non habitabunt,& plantabunt vineas,& non bibent,&c. 337
Diſperdam de loco hoc reliquias Baal,& nomina,&c. 327
3. Quapropter expecta me, dicit Dominus in die reſurrectionis meæ in futurum,quia iudicium meum vt congregem,&c. 168

Ex Zacharia.

9. Et circumdabo domum meam,ex his,qui militant mihi,&c. 212
11. Aſſumpſit mihi duas virgas, vnam vocaui decorem, alteram vocaui funiculum, & tuli virgam, &c. 6
12. Et plangent cum planctu quaſi ſuper vnigenitum, & dolebunt,&c. 127

Ex Malachia.

1. Non eſt mihi voluntas in vobis,dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis,&c. 345
Solis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum, &c. 348

Ex 1. Machabæorum.

8. Omnes obediunt vni. 55

Ex 2. Machab.

9. Superbia repletus,ignem ſpirans animo in Iudæos, & præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, &c. 319
Per momenta ſingula doloribus ſuis augmenta capientibus, & cum ipſe fœtorem ſuum iam ferre non poſſet,ait:Iuſtum eſt,&c. 321

EX NOVO TESTAMENTO.

Matthæus.

CAP. I. SALOMON autem genuit Roboan. 40
Ieſſe autem genuit Dauid regem; Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea,quæ fuit Vriæ,&c. 57
Booz autem genuit Obed ex Ruth. 66
Ioſeph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam. 370
2. Accipe puerum, & Mariam matrem eius, & fuge in Ægyptum. 2.3.4.& 57
Vbi eſt,qui natus eſt rex Iudæorum? 2.& 179
Herodes rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo. 2
Ecce Magi ab Oriente venerunt,&c. Et intrãtes domũ inuenerunt puerũ cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum;& apertis theſauris,&c. 21
Rachel plorat filios ſuos:& noluit conſolari. 95
In Bethleem Iudæ, ſic enim ſcriptum eſt, per prophetam:Et tu Bethleem,&c. 155.& 175
Tunc Herddes videns,quod illuſus eſſet à Magis, iratus eſt,&c. 236
Vidimus ſtellam eius in Oriente,& venimus,&c. 199
Inuenerunt puerum cum Maria matre eius. 207
Ioſeph cum eſſet Iuſtus,& nollet eam traducere. 356
3. Tunc venit Ieſus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. 50
Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. 75.& 334
Confeſtim aſcendit de aqua,& ecce aperti ſunt ei cœli,& vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam,&c. 174
Baptizatus Ieſus confeſtim aſcendit,&c. 199
4. Tunc Ieſus ductus eſt in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à diabolo. 61.348.& 350
Hæc omnia tibi dabo,ſi procidens adoraueris me. 163
Si filius Dei es,dic vt lapides iſti panes fiant. 170
Non in ſolo pane viuit homo. 183
Ambulans Ieſus iuxta mare Galileæ vidit duos fratres, &c. 329
Aſſumpſit Ieſum,& ſtatuit eũ ſuper pinnaculũ,&c. 315
5. Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, non mœchaberis, ego autem dico vobis,&c. 110
Si offers munus tuum adaltare,& ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid aduerſus te,&c. 177
Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. 219
Si oculus tuus dexter ſcandalizat te,erue,&c. 148
Panem noſtrum quotidianum da nobis,&c. 172
Beati mites,quoniam ipſi poſſidebunt terram. 384
6. Ego autem dico vobis;Diligite inimicos veſtros, &c. vt ſitis filij Patris veſtri,qui in cœlis eſt,&c. 143
Si quis vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. 120
Adueniat regnum tuum. ibid.
Cum ieiunaueris,vnge caput tuum. 375
7. Et tunc confitebor illis.Quia nunquam noui vos.Diſcedite à me,qui operamini,&c. 104
Nolite iudicare,vt non iudicemini. 349
Multi dicent mihi in illa die:Domine,Domine, in nomine tuo prophetauimus,&c. 343

Erat

Erat autem docens eos ſicut poteſtatem habens,& non ſicut ſcribæ. 317
8. Sequar te,quocunque ieris. 143
Veſpere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes,&c. 111
Acceſſerunt ad Ieſum, & ſuſcitauerunt eum, dicentes: Domine ſalua nos,perimus. 112
Occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes ſæui nimis,&c. 101
Imperauit ventis,& mari,& facta eſt tranquillitas magna. 155
Puer meus iacet in domo paralyticus. 154
Modicæ fidei,quid timidi eſtis? 349
Ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur,&c. 333
Et aſcendente Ieſu in nauiculam ſecuti ſunt eum diſcipuli,&c. 330
9. Et cùm tranſiret inde Ieſus,vidit hominem ſedentem in telonio,Matthæum nomine,&c. 26
Auferetur ab eis ſponſus,& tunc ieiunabunt. 30
Aſcendens in nauiculam transfretauit,& venit in ciuitatem ſuam. 175
Euntes diſcite,quid eſt:Miſericordiam volo,& non ſacrificium. 202
10. Nolite poſſidere aurum,neque argentum, neque pecuniam,&c. 169
Multis paſſeribus meliores eſtis vos. 232
Nolite arbitrari,quia veni pacem mittere. 220
11. A diebus Ioannis Baptiſtæ vſque nunc regnum cœlorum vim patitur. 203
12. Quæ eſt mater mea? Et qui ſunt fratres mei? 146. & 250
Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta,&c. 75
Prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occiſa ſunt. 322
13. Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare,& ex omni,&c. 218
Tunc iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorum. 39
Nonne hic eſt fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria,&c. 336
14. Propter iuramentum,& eos,qui pariter recumbebant, iuſſit dari. 20
Veſpere autem facto, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius dicentes: Deſertus eſt locus,& hora iam præterit, &c. 67.& 186
Non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui. 236
Miſit,& decollauit Ioannem in carcere. 49.& 247
Deſcendens autem Petrus de nauicula ambulabat,&c. 333
Cum intraret Ieſus in domo cuiuſdam Phariſæorum Sabbatho manducare,&c. 322
Propter iuramentum autem, & eos qui ſimul diſcumbebant,miſit,& decollauit,&c. ibid.
15. Miſereor turbæ; quia triduo iam perſeuerant mecum,& non habent,quod manducent,&c. 67
Etiam Domine. nam & catelli edunt de micis, &c. 181
Præcepit turbæ,vt diſcumberet ſuper terram. 182
Ecce mulier Chananæa à finibus illis,&c. 223.& 358
Non eſt bonum ſumere panem filiorum,& mittere canibus,&c. 158
Et accedentes diſcipuli eius rogabant eum, dicentes: Dimitte eam. 317
16. Vade poſt me Sathana, quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt,&c. 201.& 246
Propitius eſto tibi Domine ne fiat,tibi hoc. 148
17. Domine,bonum eſt nos hîc eſſe, faciamus tria tabernacula,tibi vnum,Moyſi vnum,&c. 12
Ecce vox de nube dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite, &c. 32
Aſſumpſit Ieſus Petrum,& Iacobum, & Ioannem fratrem eius,& duxit illos in montem excelſum ſeorſum,& transfiguratus eſt,&c. 261.& 298
Ecce nubes lucida obumbrauit eos,& vox de nube,dicens:Hic eſt filius meus,&c. 303.304.& 144
Et apparuerunt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes. 228
Nemini dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat. 141
18. Non dico tibi vſque ſepties,&c. 223
19. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. 29
20. Acceſſit mater filiorum Zebedæi,cum filiis ſuis,adorans,& petens,&c. 69
Dicit Dominus vineæ procuratori ſuo. Voca operarios, & redde illis mercedem incipiens à nouiſſimis,&c. 119
Egreſſus circa horam tertiam vidit alios ſtantes in foro,&c. 175
Ite & vos in vineam meam. ibid.
Hi nouiſſimi vna hora fecerunt,&c. 208
Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur. 215
21. Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via:alij autem cædebant ramos de arboribus,&c.40
Videns fici arborem vnam ſecus viam,venit ad eam:& nihil inuenit in ea niſi folia tantum,&c. 132
Magiſter volumus à te ſignum videre, qui reſpondens ait illis:Generatio mala,& adultera. 111
22. Tunc abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, vt caperent Ieſum in ſermone, & mittunt ei diſcipulos, &c. 140
Ligatis manibus, & pedibus mittite eum, &c. 277.& 280
23. Omnia opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus. 243
Væ vobis Scribæ,& Phariſæi hypocritæ,quia decimatis metam,&c. 118
Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus qui effuſus eſt ſuper terram,à ſanguine iuſti Abel,&c. 260
Væ vobis Scribæ,& Phariſæi hypocritæ,quia circuitis mare,& aridam,&c. 315
24. Statim poſt tribulationem dierum illorum Sol obſcurabitur,& Luna non dabit lumen, &c. 175. & 145
Tunc qui in Iudæa ſunt,fugiant in montes. Qui in tecto,non deſcendant,&c. 146
Tunc duo erunt in agro,vnus aſſumetur,&c.
25. Euge ſerue bone, & fidelis ſuper pauca fuiſti fidelis, &c. 81
Date nobis de oleo veſtro. 228
Tunc,inquit,dicam Angelis,congregate facientes iniquitatem. 81
Dormitauerunt omnes,& dormierunt. 369
Eſuriui,& dediſtis mihi manducare,&c. 331
26. Petrus vero ſedebat foris in atrio. 275.& 227
Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum, &c. 291
Hymno dicto exierunt in montem Oliueti; tunc dixit illis Ieſus,&c. 185.207.& 291
Amice ad quid veniſti? 201
Et tu cum Ieſu Galilæo eras.At ille negauit,&c. 235
Et ſurgens princeps ſacerdotum ait illi:Nil reſpondes ad ea,&c. 313
Etſi oportuerit me mori tecum,non te negabo. Tunc venit Ieſus cum illis in villam,&c. 184
Etſi omnes ſcandalizati fuerint,&c.
Accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes,&c. 179
Tranſeat à me calix iſte. 167

Habens alabastrum vnguenti pretiosi, effudit super caput eius. 165.115.& 219
Accepit panem,& benedixit,ac fregit, deditque discipulis suis,& ait: Accipite,&c. 122
Hic est calix sanguinis mei. 120
Quid molesti estis huic mulieri? Bonum opus operata est in me,&c. 43
Et contristati valde,cœperunt singuli dicere: Nunquid ego sum Domine? At ille respondens,ait,&c. 56
Et si omnes scandalizati sint in te,ego nunquam scandalizabor. 214
Vt quid perditio hæc? 203
Aue Rabbi. 218
Vt quid perditio hæc? potuit enim istud venundari, &c. 303
Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. 350
Bibite ex eo omnes. 345
Ecce vnus ex his, qui erant cum Iesu, extendens manum exemit gladium,&c. 323
27. Multa corpora Sanctorum,qui dormierant, surrexerunt exeuntes de monumentis,&c. 17
Salua te ipsum,si filius Dei es. 135
Velum templi sciissum est,&c. 132.& 225
Iesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum,&c. 105
Misit ad Pilatum vxor eius,dicens: Nihil tibi,& iusto illi,multa enim passa sum hodie per visum,&c. 109
A sexta autem hora tenebræ factæ sunt,&c. 113
Deus meus,Deus meus,vt quid dereliquisti me. 97
Tunc crucifixerunt cum eo duos latrones,&c. 195
Et terra mota est,& petræ sciissæ sunt, & monumenta aperta sunt,&c. 101
Plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius. 164
Et continuo currens vnus ex eis acceptam spongiam, &c. ibid.
Congregatis autem illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis,&c. 165
Tunc videns Iudas,qui eum tradidit, quod damnatus esset,pœnitentia ductus,&c. 168.& 239
Principes sacerdotum,& seniores persuaserunt populis,vt peterent Barrabam. 155
Salua temetipsum,si filius Dei es. 340
Prætereuntes blasphemabant eum; similiter, & principes sacerdotum illudentes,&c. 316
Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum,&c. 305
Sanguis eius super nos,& super filios nostros. 304
28. Scio,quòd Iesum,qui crucifixus est, quæritis. Surrexit,&c. 199
Angelus enim Domini descendit de cœlo,& accedens, reuoluit lapidem,&c. 186
Copiosam pecuniam dederunt militibus,dicentes,&c. 66
Petræ sciissæ sunt. 312

Marcus.

1. Erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamauit,dicens: Quid nobis, & tibi,&c. 80.& 140
Iesus ingressus in Synagogam, docebat eos, & stupebant,&c. 83
Et protinus egredientes de Synagoga venerunt in domum Simonis,&c. 154
Quid nobis,& tibi Iesu Nazarene? 274
6. Cum dies opportunus accessisset, Herodes natalis suæ cœnam fecit. 238
Cum introiisset statim cum festinatione ad regem, petiuit dicens,&c. 236
Cum introisset filia ipsius Herodiadis,& saltasset, &c. 369
Non licet tibi habere vxorem fratris. 355
Volo,vt des mihi in disco,&c. 351.& 354
7. Et statim solutum est vinculum linguæ eius,& loquebatur recte. 52
10. Da nobis,vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam sedeamus,&c. 35
14. Adolescens autem quidam sequebatur Iesum amictus sindone super nudo,&c. 324
15. Venit Ioseph ab Arimathæa nobilis decurio, qui & ipse erat,&c. 299
Sinite paruulos venire ad me. 173
Erant autem mulieres de longe aspicientes, &c. 335
16. Iesum quæritis Nazarænum crucifixum, surrexit,&c. 299

Lucas.

1. Apertum est autem illico os eius,& lingua eius, & loquebatur benedicens Deum. 52
Concipies,& paries filium. 28
Eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, &c. 16
Ecce oratio tua audita est: & vxor tua Elisabeth pariet,&c. 159.& 182
Ne timeas Zacharia,quoniam exaudita est deprecatio tua,& vxor tua,&c. 295
Dixit Zacharias ad Angelum: Vnde sciam,&c. 295
Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ,&c. 374.199.& 339
Vocatum est nomen eius Iesus. 204
Venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam, &c. 207
Fuit in diebus Herodis regis Iudææ sacerdos quidam nomine Zacharias,&c. 355
Repletus Spiritu sancto prophetauit dicens: Benedictus,&c. 330
2. Exiit edictum à Cæsare Augusto,vt describeretur vniuersus orbis. 73.37.& 356
Par turturum,aut duos pullos columbarum. 125
Gloria in altissimis Deo,&c. 172
Pastores loquebantur ad inuicem. 222
Pastores erant in eadem regione vigilantes. ibid.
Peperit filium suum primogenitum,& pannis eum inuoluit,&c. 237
3. Descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba,&c. 26.& 32
Factum est autem, cùm baptizaretur, omnis populus, & Iesu baptizato, & orante apertum est cœlum, &c. 32.& 143
Faciamus hic tria tabernacula,&c. 144
Qui fuit Seth, qui fuit Adam,qui fuit Dei. 130
4. Et duxit illum diabolus in montem excelsum,& ostendit illi omnia regna,&c. 45
Multi leprosi erant in Israël sub Elisæo propheta, &c. 342
Surrexerunt,& eiecerunt eum extra ciuitatem & duxerunt eum vsque ad supercilium,&c. 315
5. Exi à me,quia homo peccator sum. 28
Quorum fidem vt vidit,dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua. 111
Post hoc exiit, & vidit publicanum nomine Leui sedentem ad telonium. 344
6. Factum est autem diebus illis,exiit in montem orare, & erat pernoctans,&c. 362
7. Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit,quod accubuisset,&c. 68.221.& 219
Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat,&c. 115
Ecce defunctus efferebatur filius vnicus,&c. 6
Osculum mihi non dedisti,hæc autem ex quo intraui, non cessauit. 383

8. Occurrit illi vir quidam,qui habebat dæmonium iam temporibus multis,&c. 94 & 548
Rogabant illum, ne imperaret illis, vt in abyſſum irent. 233
Iuſſit illi dari manducare. 177
9. Ligate illius manus, & pedes, & mittite eum in tenebras,&c. 81
Petrus vero,& qui cum eo erant,grauati erant ſomno. 143
Erant autem Moyſes & Elias viſi in maieſtate, &c. 144
11. Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptiis. 344
12. Stulte hac nocte repetent animam tuam, &c. 213
Cogitabat intra ſe, dicens: Quid faciam? quia non habeo,&c. 234
13. Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis. 167
14. Exi in vias, & ſæpes, & compelle intrare, & impleatur,&c. 299
Homo quidam fecit cænam magnam. 134
15. Congregatis omnibus adoleſcentior filius peregre profectus eſt,&c. 280
In ſe reuerſus dixit, Quanti mercenarij in domo patris mei,&c. 169
Adducite vitulum ſaginatum. 90
Et cùm inuenerit eam,imponit in humeros ſuos, &c. 199
Pater peccaui in cœlum,& coram te,&c.
Afferte illi ſtolam primam. 369
16. Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti, &c. 12 & 363
Habent Moyſes,& prophetas, audiant illos. 41
Si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. 151
Homo quidam erat diues,& habebat villicum: & diffamatus eſt,&c. 318 & 325
17. Vnus autem ex illis, vt vidit, quia mundatus eſt. 210
18. Phariſæus ſtans,hæc apud ſe orabat:Deus gratias ago tibi,quia non ſum ſicut cæteri,&c. 71
Publicanus à longe ſtans nolebat nec oculos ad cœlum leuare.
19. Ecce dimidium bonorum Domine do pauperibus. 46 & 251
Serue nequam, quare non dediſti pecuniam meam ad menſam. 60
Et cum viderent, omnes murmurabant, dicentes: quod ad hominem peccatorem diuertiſſet, &c. 117
21. Erunt ſigna in Sole, & Luna, & Stellis, & in terris preſſura, &c. 195
22. Ecce Sathanas expetiuit vos,vt cribraret,&c. 16.294 191.214 & 302
Factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis, &c. 74 & 120
23. Hunc inuenimus ſubuertentem legem noſtram, & prohibentem tributum dare Cæſari, &c. 16
Et facti ſunt amici Herodes,& Pilatus,&c. 331
Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierem, quæ plangebant, & lamentabantur eum. 23
Erat autem fere hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terram,&c. 132
Obſcuratus eſt Sol. 133
Pater ignoſce illis,&c. 135
Hodie mecum eris in paradiſo. 165.272 & 310
Domine memento mei dum veneris in regnum tuum. 166.336 & 294
Reſpondens autem alter increpabat eum dicens; Neque tu times Deum,&c. 300
Tolle hunc,dimitte nobis Barabbam,&c. 302
Crucifixerũt eum,& latrones,vnum à dextris,&c. 212
Stabant autem omnes noti eius à longè, &c. 336
Tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terram,vſque in horam nonam. Et obſcuratus eſt Sol. 330
24. Statim cognouerunt eum in fractione panis. 385

Joannes.

1. In principio erat verbum,&c. 222
Ego vox clamantis in deſerto. 333
2. Soluite templum iſtud, & in triduo ſuſcitabo ipſum. 66.216 & 291
Quid mihi & tibi mulier? Nondum venit hora mea. 7.106 & 153
Erant autem ibi lapideæ hydriæ,&c. 235 & 362
3. Niſi quis renatus fuerit in aqua,& Spiritu ſancto,&c. 85 & 100
Voca virum tuum,& veni huc. Reſpondit mulier,&c. 218
Spiritus vbi vult,ſpirat,vocem eius audis. 224
4. Quomodo tu Iudæus cùm ſis, bibere à me poſcis. 33
Aqua quam ego dabo ei,fiet in eo fons aquæ ſalientis, &c. 171
Reliquit Iudæam,& abiit iterum in Galilæam.Oportebat autem eum tranſire per Samariam. Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, &c. 308
5. Domine hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua,mittat me in piſcinam,&c. 53
Surge,tolle grabatum tuum,& ambula.Et ſtatim ſanus factus eſt,&c. 62
Veniet hora in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei,&c. 39
Hunc cum vidiſſet Ieſus,iacentem,& cognouiſſet,quia iam multum,&c. 255
6. Non ſicut patres veſtri manducarunt mana,& mortui ſunt,qui manducat,&c. 193
Facite homines diſcumbere,&c. 181
Eum, qui venit ad me,non eiiciam foras,quia de cœlo deſcendi,&c. 108
Ex vobis vnus diabolus eſt. 140
Quæritis me,non quia vidiſtis ſignum, ſed quia manducaſtis ex panibus. 139
Et impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum. 121
Cum aſcendiſſent nauim, venerunt tranſmare in Capharnaum.
Amen amen dico vobis,non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed pater meus dat, &c. 38 & 386
Ego ſum panis vitæ. 51
Colligite, quæ ſuperauerunt fragmenta, &c. 301 & 337
Illi ergo homines cum vidiſſent, quod Ieſus fecerat ſignum, dicebant: Quia hic eſt vere propheta, &c. 332
Ieſus ergo cum cognouiſſet,quia venturi eſſent, vt raperent eum,&c. 332
7. Iam die feſto mediante,aſcendit Ieſus in templum, & docebat,&c. 68
In nouiſſimo autem die magno feſtiuitatis ſtabat Ieſus, & clamabat, dicens: Si quis ſitit, &c. 121
Nondum erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. 122
8. Vnus poſt vnum exibant, incipientes à ſenioribus. 38
Dixerunt Iudæi:Nónne bene dicimus nos,quia Samaritanus es,& dæmonium habes,&c. 111
Qui ſine peccato eſt veſtrum,primus in illam lapidem mittat. 356
Inclinans ſe deorſum digito ſcribebat in terra. 352

Qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo. 309
9. Vade, laua in Natatoria Siloe. 293
Audiuit Iesus, quia eiecerunt eum foras, & cum inuenisset, &c. 108
Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo. 307
10. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas. 25
Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. 342
11. Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. 194
Tollite lapidem. 53 & 301
Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, &c. 239
Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisæi concilium aduersùs Iesum. 233
Audiens autem Iesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, &c. 158
Eamus in Iudæam. 112
Iudæi ergo qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, &c. 157
Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham, & Mariam, vt consolarentur eas, &c. 135 & 211
Iesus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit, &c. 111
Ligatus manibus, & pedibus institis. 119
Miserunt sorores Lazari ad eum dicentes, Domine, ecce quem amas, &c. 48
Vt ergo audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem mansit, &c. 48
Eamus & nos, & moriamur cum illo. 335
Lazarus amicus noster dormit, &c. 313
12. Amen amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet, &c. 73
13. Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, &c. 87 & 123
Cum ergo accepisset ille buccellam, exiuit, &c. 157
Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me, &c. 240
Cœpit lauare pedes discipulorum. 198
Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu. 361
16. Expedit vobis, vt ego vadam; si enim non abiero, paracletus non aduenier ad vos, &c. 39
Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio, &c. 160
18. Non hunc, sed Barabbam. 248
Mitte gladium tuum in vaginam, calicem, quem dedit mihi Pater non vis vt bibam. 94
Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exiuit, &c. 88
Adducunt ergo Iesum à Caypha in prætorium. Erat autem mane, &c. 304
Iudas ergo cum accepisset cohortem, &c. 304
19. Cum vidisset matrem, & discipulum astantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier ecce filius tuus. 32 & 70
Postea sciens Iesus, quia iam omnia consummata sunt, vt consummaretur Scriptura, dicit: Sitio. Vas ergo positum, &c. 70
Secundum legem nostram debet mori. 16
Stabat autem iuxta crucem mater eius, &c. 133 & 336
Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathæa, &c. 46
Iesus Nazaræus Rex Iudæorum. 93
Exiuit ergo Iesus portans spineam coronam, & purpureum vestimentum, &c. 174
Erat scriptum Græcè, Hebraicè, & Latinè. 200
Iudæi ergo, quoniam Parasceue erat, vt non remanerent in cruce, &c. 364
Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius, &c. ibid.
20. Vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu, &c. 19
Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. 31
Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se, &c. 32
Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis, &c. 314
Insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum. 39
Abierunt ergo discipuli ad semetipsos. Maria autem stabat ad monumentum foris, &c. 142 & 40
Exiit ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo, &c. 64
Vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, &c. 131
Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum, &c. 177
Venit ergo Simon Petrus sequens Ioannem, & intrauit in monumentum. 298
Vidit linteamina, & sudarium, &c. 331
Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis, &c. 314
Venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax, &c. 314
21. Simon Ioannis diligis me plus his? Etiam Domine, &c. 295
Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis, &c. 35

Ex Actis Apost.

1. Suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera, &c. 160
Statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est iustus. 362
2. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, &c. 26
Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque. 311
3. Videns autem Petrus respondit ad populum: Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, &c. 329
Et vidit omnis populus eum deambulantem, & laudantem Deum, &c. 334
4. Diuidebant singulis, pro vt cuique erat opus. 184
Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes, &c. 134
5. Confestim cecidit ante pedes eius, & expirauit. 78
Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum ad ostium, &c. 115
Audiens autem Ananias hæc verba cecidit, & expirauit. 184
Quare posusti in corde tuo rem hanc? Non es mentitus hominibus, sed Deo. 355
Anania cur tentauit Sathana cor tuum, &c. 352
7. Factus est aduena in terra Madian, vbi generauit filios duos. Et expletis annis quadraginta. 25
Ascendit in cor eius, vt visitaret fratres suos filios Israel, & cum vidisset quendam iniuriam patientem, &c. 104
Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei, &c. 134 & 332
Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, &c. 135
Positis autem genibus clamauit voce magna dicens: Domine ne statuas illis, &c. 306 & 328

8. Descenderunt vterque in aquam, Eunuchus, & Philippus,& baptizauit eum. 58
Non est tibi pars, neque sors in sermone isto, cor enim tuum,&c. 59
9. Et circunsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas, &c. 208
Verbum Dei crescebat,& multiplicabatur. 226
10. Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Iesum,&c. 65
Vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute qui pertransiit benefaciendo,&c. 124
Vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis submitti de cœlo,&c. 127 & 129
Absit Domine,quia nunquam manducaui omne commune. 131
12. Ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in tabernaculo:percussóque latere Petri,&c. 60
13. O plene omni dolo,& fallacia,filij Diaboli,&c. 254
Ecce nunc, manus Domini super te,eris cæcus.94.352 113
14. Nunquid victimas, & hostias obtulistis mihi annis quadraginta,&c. 112
16. Videntes autem domini eius, quia exiuit spes quæstus eorum,apprehenderunt Paulum,&c. 66
20. Vos scitis, &c. qualiter vobiscum per omne tempus fuerim,seruiens Domino,&c. 353
23. Percutiat te Deus paries dealbate. 328
25. Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem priusquam,&c. 353
26. Opto apud Deum,& in modico,& in magno non tantum te,sed etiam omnes,&c. 371

Paulus ad Romanos.

4. Qui contra spem in spem credidit,vt fieret pater,&c. 333
7. Habitat in me peccatum. 384
9. Quorum adoptio est filiorum,& gloria,&c. 78
10. Tota die expandi manum meam ad populum non credentem, & contradicentem mihi, &c. 80
12. Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra Deo,&c. 130

Ad Corinthios 1.

2. Veni non in sublimitate sermonis, aut sapientia, &c. 54
Ego in infirmitate,& timore. 309
4. Non in sermone regnum Dei est. ibid.
5. Si qua ergo in Christo noua creatura, vetera transierunt,&c. 138
7. Hoc itaque dico,fratres: Tempus breue est:reliquum est,vt qui habent vxores,&c. 124
Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum.373
9. Qui in stadio currunt,ab omnibus se abstinent. 124
10. Nolo vos participes dæmonum fieri; non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum, &c. 177
Bibebant autem de spirituali, &c. 230
Scio huiuscemodi hominem,siue in corpore,siue extra corpus,nescio,&c. 230
Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam, &c. 370
11. Veruntamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro. 80
Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat. 109
Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare, vnusquisque suam præsumit,&c. 110 & 386
Accepit panem,& gratias agens fregit,&c. 166
Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis,&c. 181
13. Christus mortuus est, & surrexit tertia die, & visus est Iacobo,&c. 167
Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam,&c. 54

Ad Corinth. 2.

2. Non possent intendere filij Israel in faciem Moysi, &c. 385
Vsque in hodiernum diem dum legitur Moyses, velamen positum est. 385
11. Despondi enim vos vni viro virginem castam, &c. 369

Ad Galatas.

4. Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum. 213

Ad Ephesios.

1. Et constituens Iesum in cœlestibus super omnem principatum,&c. 55
4. Deponite vos secundum pristinam conuersationem, veterem hominem,qui corrumpitur,secundum desideria,&c. 38
Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem.386
5. Vt exhiberet ipse sibi Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam,&c. 37

Ad Philippenses.

1. Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui,&c. 367
2. Humiliauit semetipsum factus obediens, &c. 24
4. Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat, &c. 369

Ad Thessalonicenses 1.

4. Quod Iesus passus,& mortuus est,& resurrexit,itáque & Deus,&c. 167
Nos,qui viuimus,qui residui summus in aduentu Domini,non præueniemus,&c. 173
5. Ipse enim Deus pacis sanctificet vos,&c. 367

Ad Titum.

3. Eramus aliquando & nos insipientes, increduli, errantes,&c. 213

Ad Hebræos.

5. In diebus carnis suæ preces, supplicationésque, &c. 208
11. Deficiet me tempus narrantem Gedeon,&c. 205
Fide remoratus est in terra repromissionis,&c. 339
Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti,&c. 337
Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium, &c. 310

Petrus epist. 1.

2. Vos autem genus electum,regale sacerdotium,&c.213
Quasi modo geniti infantes,&c. 192

Petrus epist. 2.

2. Nam si Deus Angelis peccatoribus non pepercit, sed rudentibus,&c. 59

Index locorum Sacræ Scripturæ.

Joannis epist. 1.

4. Perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habeat. 309

Apocalypsis.

2. Vincenti dabo mana abscónditum, & dabo illi calculum,&c. 126
8. Data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum. 220
11. In illa hora factus est terræ motus magnus : & decima pars ciuitatis decidit. 326
12. Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum. 48
17. Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, & mulier erat circumdata,&c. 46
Aquæ quas vidisti,populi sunt. 56
Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, &c. 334
Et factum est prælium magnum in cœlo,&c. 314
18. Et flebunt,& plangent se super illam Reges terræ,& negotiatores terræ flebunt,& lugebunt super illam, & omnis gubernator, & omnis qui in lacum nauigat,& nautæ, & qui in naui operantur,&c. 184
Et omnis gubernator,& omnis qui in loco nauigat,& nautæ,& qui maria operantur, longè steterunt, & clamauerunt videntes locum incendij eius, dicentes;Quæ similis ciuitati huic magnæ. 149
Et sustulit vnus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare, dicens : Hoc impetu mittitur Babylon magna illa ciuitas, & vltra non inuenietur. 150
In vna die venient plagæ eius, mors & luctus, & fames,&c. 256
20. Et vidit thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra, &c. 195
21. Ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem descendentem,&c. 182
22. Contestor omni audienti verba prophetiæ libri huius. 276

LIBER

LIBER QVINTVS.

MOYSES, SIVE IESVS IN ÆGYPTO.

A REGIBVS adoratum Ieſum duriſſima alterius Regis perſecutio agitare cœpit: ea fuit excitata ab Herode, cuius rabiem præcauens Deus, fecit, vt Maria in Ægypto tenellum puerum protegeret. Quid expreſſius in Moyſe? Accipite OEchumenium in Acta Apoſt. cap. 3. ſic fantem: *Contra Moyſem Pharao, Herodes contra puerum Ieſum, & Rex vterque pueros alios occidit; à matre ſeruatus eſt, & hic & ille: Moyſes in fiſcella expoſitus eſt ad flumen: Chriſtus iuxta eundem fluuium in Lyco ciuitate Ægypti nutritus eſt; Moyſes à filia Pharaonis, Chriſtus puer in ciuitate Ægypti de ditione Pharaonis*, &c. Meritò ergo aſſumendus eſt Moyſes, vt in Ægyptum euntis magnalia adumbret diuini pueruli.

CAPVT PRIMVM.

Moyſis natiuitas, & adoleſcentia in Ægypto.

Textus Hiſtoria.

DVO millia, & quadringenta, & ſexaginta quatuor annorum mundus attigerat, & fauſtus Iſraëliticò generi inter Ægyptias calamitates affulſerat dies. Calamitoſum illis erat Regis cruentiſſimi edictum, quo eorum infantes à maternis viſceribus fuſi, cum primo vitæ lumine tenebras mortis miſcere coguntur, & prius implere ſepulcra, quàm cunas. Calamitati verò tantę hora ſucceſſit fauſtiſſima, quæ Hebræum puerulum dedit luci, adeò elegantem, adeò ſplendidum in ipſis puerperij maculis, vt parentes in illius inſolita pulchritudine communem ſalutē præſagitent; & multis niterentur, ſi poſſent, illum imminenti cladi eripere. Trium menſium incolumitatem puero fecit parentum cura; quibus tranſactis, plus de Deo, quàm de ſe fidentes, curæ diuinæ rem optatiſſimam committunt. Paratur arcula lignea, cui abſolutiſſimè fabricatæ infans includitur, vt haberet in illa, vel cunam in vitæ auſpicium, vel in mortis occaſionem ſepulcrum. Sic Iſraëliticus theſaurus occluſus Nili fluminis apponitur ripis, non omnino paternis deſtitutus curis; ſoror enim puella nomine Maria à longè ſpeculabatur, quid puero accederet. Neque id caſu fiebat, quando Hebræorum Saluatoris cunabulis non ſemel debebatur Mariæ virginis ſolicitudo.

Cœpit infantulus parentes non videre, requirere materna vbera; & parentum deſiderium cœpit vagitibus exprimere. O Dei opportuniſſimam curam! De Regis Hebræorum vaſtatoris viſceribus, prouidit, quæ Hebræorum erectorē repararet in vitam. Ea fuit Ægyptiorum Princeps, Pharaonis Regis vnica filia, quæ multis comitata puellis, dum animum amænat ad ripas fluminis, in arculam incidit, & pulchertimi pueruli ſic afficitur vagitibus, vt Hebræa fieret, ſi ita liceret tanti infantis iam Hebræi deprehenſi matrem fieri. Regias vlnas extendit nobilis Regina, vt qui ſeruorum erat filius, & penè emortuus, regiis fauoribus aduiueret, dum regali furori eripitur, & regalibus ſuccedit curis. Affectus maternus in regio pectore ſupperebat infanti, requirebantur tamen materna vbera, quæ dum ab Ægyptiis nutricibus fruſtrà petuntur, accedit rei ſpeculatrix Maria pueruli ſoror, ſpondet à ſe adducendam Hebræam fœminam recèns orbatam fœtu, & puerulo illi nutriendo aptiſſimam. Nec mora, expectante Regina, abit puella domum, matrem monet de euentu pueri; accurrens illa, & Reginæ pedibus aduoluta ſub nutricis nomine, de regio puerulo lactando, paciſcitur. Nutricem ornat regiis muneribus bona Princeps, & infantem Moyſis nomine inſignit; vt is æternam haberet inſcriptam nomini fortunam ſuam.

Res inter mulieres acta, tanto fuit ſilentio ſepulta, vt, ſi Philoni credimus, Regina ſe apud patrem, & maritum potuerit prægnantem fingere; deinde infantem edere mentitur iuuantibus puellis, quæ conſciæ ſecreti extiterant. Supponi tamen illi Moyſes non potuit. Nam minimè conueniſſet tot menſium infans puerperæ. Sed commodus alius fœtus cunis inſeritur, quem deinde Reginæ iuſſio alendum aduexit; nec paſſa eſt infantulum ab aliis videri, quàm à conſciis nutricibus, faſcini metum forſan aſſimilans. Ita biennio peracto facilè fuit pulcherrimum Moyſem, tanquam à ſe natum, in lucem producere. Qui oris dignitate regiam confirmās ſtirpem, aui Regis ſic rapiebat animum, vt crebrò capitis ſui diadema puero imponeret, ibique diu relinqueret, niſi puer Ægyptiæ gloriæ caput ſubtraheret, & aui coronam deturbaret in humum Iam tunc infantuli ſimplicitas in deiectione coronæ ominoſum quid minabatur Ægyptiis.

Gratioſa infantis creſcentibus annis ponebatur balbuties; & magiſtri vndique quæruntur, qui regios in illo mores efforment, tam litterarum cultu, quàm exercitio virtutum. Inter ſapientiſſimos ad hoc munus vocatos ex Ægyptiis, diuino accidit nutu, vt ex Hebræis vocaretur Amram verus pueri pater, vir omni Chaldaica diſciplina imbutus, & verè religionis ſapientiæ peritus. Vt enim diuinitùs prouiſa fuit mater Moyſis, quæ eius ageret nutricē; ſic fuit eius pater prouiſus, qui

tanti pueri pædagogum ageret,& magiſtrum. Ab hoc ebibit ingenuus puer religionem auitam,totámque ſacræ ſapientiæ diſciplinam,verarum virtutum integram notitiã,inſuper ex hoc nouit natales ſuos, vt Hebræus, ex Hebræis erat, vt diuino oraculo editus in populi ſalutem,vt à flumine ſuſceptus per Reginã,& eius adoptatus, imò affictus filius;à cæteris autẽ Phyſiologiam, Aſtrologiam,Geometriam,& Ieroglyphicorum arcana cumulatiſſimè didicit. Nec defuere, qui de re militari iuuenem inſtruerent, quando, ſi credimus nonnullis hiſtoriis, ſtrenuum Imperatorem aduerſus Æthiopas egit, & glorioſum de illis reportauit triumphum. His Moyſes adultus omnem ſuorum expectationem fouebat,omnem præſtantiſſimi viri in Regia adimplens iuuentutem. Seu differendum, ſeu notarum arcana explicanda, ſeu equitandum, ſeu tela mittenda. Statim æqualibus maior, & tantus denique erat cui meritò poſſint inuidere magiſtri. Sed ipſam etiam vincebat inuidiam, quia priùs neminem vlla arte, quàm humanitate,comitate,& obſequio ſuperabat.

Hac vna in re exſurgentem minimè refrenabat bilẽ, ſi Hebræorum aliquis duriuſculè tractaretur ab Ægyptiis. Hinc Ægyptiarum gloriarum faſtidia opplebant Moyſem,nihil æſtimantem dici filium Regis cruentiſſimi,dum veris natalibus non comparat ſalutem. Amabat ab aula peregrinari, laborantibúſque Hebræis adiuuere, quorum vnus dum miſerè vapulat à Præfecto Ægyptio, à longè ſpectantem feriebat animum Saluatoris ſui. Aduolat ille calens iracundiâ, & non paruo ſpatio tumultuariè ſuperato:Quæ,inquit,hæc inhumana tyrannis: Aut quis miſeris,& innocuis,me præſente, per nimiam crudelitatem illudit? Celeríque cõſilio,ne impune hoc eſſet,contorſit in Ægyptij ora venabulũ, quo merentem transfodit Ægyptium. Quod facinus vt credidit iuſtum, ſic verebatur immaturum, quo poſſet Ægyptiorũ tyrannis recrudeſcere in ſe,& in ſuos: adductóq; arenæ aggere,& cadauer hominis, & rem adnititur occulere. Intereà ſubſequẽs dies ſpectaculũ edidit homini longè iniucundius, non Hebræus ab Ægyptio,ſed Hebræus ab Hebræo immaniter feriebatur, & ſpectantibus multis, nemo pugnã prohibere ſuſtinuit. Malitię indignitate cõmotus Moyſes,dũ flammantibus fratrum iris frigidam parabat effundere,præclara momenti proceſſit obuiam percuſſor, & leuiter manu repulſum,ponere zelum iubet,& palàm obiicit arcanum Ægyptij homicidium. Pallet ille,ac tremit euulgatione facinoris, quo vt in ſe armatos credit Ægyptios cum Rege ſuo; ſic feſtinat arripere fugam, in finitimáque Madianitarum regione tuto aſſerere ſortem ſuam.

PARS PRIMA.

Chriſti,& Moyſis in Ægypto ſymbola.

APPARVIT Moyſes expoſitus Ægyptiis in primo vitæ, ſiue limine, vt iam inde radiaret Chriſtus infans à ſuis expulſus, & traditus Ægyptiis, inter quos maluit humanæ vitæ, & ſumere, & præſtare auſpicia.

§. I.

Et Moyſem,& Ieſum inuidia non ſinit eſſe tutos inter ſuos.

NAtus Moyſes inter ſæuientia Pharaonis edicta aduerſus Hebræos infantes, ob nimiam ſuam pulchritudinem, & gratiam à parentibus ſuis obtinuit, vt vellent eum à tyranno ſeruare;quòd præſtare valuerũt trium menſium ſpatio,hoc enim tranſacto,coacti ſunt puerum producere, illúmque Ægyptij fluminis ripis commendare. Quippè ait Exod.2. *Videns eum elegantem, abſcondit tribus menſibus. Cúmque iam celare non poſſet, ſumpſit ſiſcellam ſcirpeam,& liniuit eam vitumine,ac pice, poſuitque intus infantulum,& expoſuit eum in carecto ripæ fluminis.* Et cur credidit parens Moyſis illum certiùs ſaruari poſſe expoſitum litoribus Ægyptiis, quàm inter ſuorum cognatorum abdita? Viderunt parentes in forma pueri non paruam materiam inuidiæ,& vbi hęc bellua immaniſſima alebatur, meritò magis fidunt hoſtilibus litoribus, quàm cognatorum tutelis. Sic Rupert. lib. 1. in Exod. cap. 8. hanc tradit fuiſſe cauſam expoſiti Moyſis, nimirùm: *Ne propter elegantiam eius, quæ iam ardere cœperat, magis inflammaretur inuidia.* Et quis elegantem, & præſtantem filium inter cognatos poſitum eripere poſſet flammis inuidiæ? Fallor, niſi conſultiùs tradaris truculentiſſimis hoſtibus,quàm inter tuos illis inuidioſus viuas. Hoc etiam conſilio pulcherrimum infantem ab Angelis decantatum, à Regibus adoratum, à Prophetis prædicatum, diuinus Pater à ſuis,toráq; cognatione exulare iubet,& manere inter barbariſſimos Ægyptios. Ait Matth. 2. *Accipe puerum, & Mariam matrem eius,& fuge in Ægyptum.* Cur in Ægyptum fuga mandatur? Cur non magis apud cognatos abſcondi permittitur puerulus diuinus? Sanè ne propter elegantiam eius,magis inflammaretur inuidia, relictis ſuis maluit exulare apud hoſtes feraliciſſimos, Nunquam puer Ieſus non ſecurior agit apud extraneos,quàm apud cognatos inuidos. Nónne Magi extranei erant,Dei hoſtes erant? Illi tamen adoraturi veniunt Ieſum, & de illo regium decorem prædicant mediis Ieroſolymis, dicentes, Matth. 2. *Vbi eſt,qui natus eſt Rex Iudæorum*? Ad quorum voces: *Turbatus eſt Herodes, & omnis Ieroſolyma cum illo.* Ecce tibi Magi prædicant Regis ortum,& Iudæi cognati turbantur. Et cur Iudæi turbantur ortu Regis ſui,Regis,inquã,quæſiti,& prædicati à Magis? Quo glorioſiùs puerulus prędicabatur,eò magis inflammabatur cognatorũ inuidia, vt iam inter illos minimè poſſet viuere. Ait Euthymius: *Quare Ieroſolyma turbatur? Atqui gaudere ipſam magis oportuit,quòd ipſis Rex natus eſſet,quẽ olim Prophetæ Saluatorem,ac redemptorem Iſraël prænũtiauerant,& gloriari tanquam propinquos,quod ſtatim à cunabulis Perſas ad ſui adorationem attraheret. Verum excæcauit illos inuidia, ſtatímque audientes, turbati ſunt, quaſi timentes ne fortè ſalutem conſequerentur. Perſæ verò cum eſſent extranei,non ſolùm nato non inuiderant, imò à finibus ſuæ regionis vſque Bethleem propter eum venerunt. Iudæi autem cum eſſent cognati,etiam gloriæ eius inuiderunt,ne fortè magnus futurus eſſet.* Sic cognatorum inuidia & Ieſum, & præcellentes quóſque viros à ſuis abigit.

Rupert.

Matt. 2.

Matt. 2.

Euthym.

§. II.

Vt Moyſes, ſic Ieſus in Ægypto ſeruatur. Locus enim ſemel ſalutaris, ſemper ſolet prodeſſe ſaluti dandæ.

QVi ægrè inter cognatos,& domeſticos tribus potuit menſibus ſeruari; hoſtili tertæ expoſitus ibi ſalutares inuenit manus, quibus ſeruatus eſt,altus,& educatus. Quid Ieſu ſimilius? Sanè eadẽ hoſtilis Ægyptus & Moyſi, & Ieſu in eadem occaſione dedit, quo poſſint incolumes,& liberi ſeruari. Rem pulcrè expendit D. Bern. ſerm. 1. in octaua Paſchæ, aiens: *In Ægypto dum paruuli omnes Iſraëlitici generis necarentur,expoſitus in aquis Moyſem tulit filia Pharaonis. Et vide, ſi non manifeſtè Chriſti in hoc præceſſit figura. Simili nempe cũ Pharaone etiam Herodes ſuſpicione laborans ad eadem conuerſus eſt crudelitatis argumenta, ſed eodem modo eſt, & ipſe declusus. Vtrobique pro vnius ſuſpecta perſona trucidatur numeroſitas puerorũ,vtrobique,qui quærebatur,euaſit. Et quo modo Moyſem filia Pharaonis,ita Chriſtũ quoque Ægyptius ſuſcepit conſeruandum.* In ſummo puerorũ diſcrimine liberatur Moyſes per Reginam Ægypti, & in eodẽ diſcrimine Ieſus puerulus ſub Ægyptij vmbris liberatur. Fuit equidem ſemper Ægyptus Iſraëlitico generi auſpicata;

D. Bern.

auspicata;cùm à fame tuetur Abrahamum,& Isaacum, cùm puerum Ioseph è seruitute erigit ad regni clauũ; cùm totam Iacobi familiam alendam suscipit;cùm vel mactans Israëlitas multiplicat,& in summo discrimine eorum Saluatorem Moysem tutatur.Meritò ergo Angelus monet Iosephum Matt.2. *Accipe puerum,& Mariam matrem eius,& fuge in Ægyptum.* Cur non magis iubetur cum puero fugere in Arabiam, ex qua venerant Magi,vt puerum adorarent? Erat notissima Ægyptus ex salute sæpè Israëlitis data;in qua eorum fuerát auspicatiora cunabula.Vnde non miror,quòd ad illam potiùs confugiat Iesus salutis obtinendæ causa. Quò respiciens D. Leo, ait serm.de Epiph.3. *Qui sanguinem suum fundendum in aliam differret ætatem, Ægypto se parentum ministerio subuectus intulerat,repetens scilicet Hebrææ gentis antiqua cunabula.*Quæ tellus vitalia semper obtulerat Hebręis cunabula,ea meritò quæritur ab Iesu,vt petitus ad mortem,in illa viuat. Nusquam enim securiùs aget homo, quàm in loco,qui semper vitalibus fætibus fuit insignis.Hinc D.Hier.epist.ad Lętam, dum monet, qualiter posset virgunculam filiam instituere,& seruare in vitam,ait: *Noli ergo subire onus,quod ferre non potes:sed postquàm ablactaueris eam cum Isaac, & vestieris cum Samuele,mitte auiæ,& amitæ.Redde pretiosam gemmam cubiculo Mariæ, & cunis Iesu vagientis impone.*Itaque Bethleem,monet Sanctus,vt virgo educanda, & seruanda mittatur; Bethleem, inquam, vbi Christi fuerunt auspicatissima cunabula, quæ enim loca in puero Iesu tanta salute manarunt,nunquam non erunt salutaria pueris instituendis,& seruandis.

Matt.2.

D.Leo.

D.Hier.

§. III.

Vt Moyses, sic Iesus in Ægypto extra omnem visibilem munitionem constitutus,& bellum gerit,& triumphat.

ECce tibi Moyses puerulus ab hostili Ægyptiorum rabie in mortem petitus, & solus à Pharaone requisitus,vt ait Origenes homil.3. in diuers. *Extra paternam domum eiicitur,& in fluminis ripa à suis derelinquitur.*Quid tunc peribit infans solus derelictus in terra adeò hostili? Imò inde à Regina Ægypti asportatus, in aulam ducitur, de omni hostium sæuitia triumphaturus. Sic extra omnem visibilem munitionem nobilis puer positus, nobiles de hostibus reportat triumphos. Rem pulchris verbis tractat D. Chrysost. homil.16. in Act.inquiẽs: *Hoc mirabile, quòd futurus Præfectus in ipso medio furore nascitur:expositum autem illum substulit filia Pharaonis, & eum nutriuit sibi pro filio. Nusquam templum,nusquam sacrificium, cum tanta dispensatione facta sunt.*Expende illud: *Nusquam templum,*&c.quasi ad facinoris seruati Moysis præstantiam, hoc plurimum faciat, quòd nimirùm templum Dei nondum erat. Et quantum hoc ad commendationẽ seruati Moysis? Accipe in 4.Reg.11.Athaliam furentem in omne semen regium,vt nec paruulus infans remaneret,qui esset de Dauidis stirpe: *Tollens autem Iosaba filia Regis Ioram,soror Ochoziæ,Ioas filium Ochoziæ,furata est eum, de medio filiorum Regis,qui interficiebantur,& nutricem eius de triclinio,& abscondit eum a facie Athaliæ,vt non interficeretur. Erátque cum ea sex annis clam in domo domini.* Itaq; filia Regis procurans Ioas infantuli vitam,illum tollit à facie sæuientis Athaliæ, & in abscondito templi illum secum custodit.Quid mirum quòd Ioas puer eripiatur morti,& de triumphet hostes suos?Nónne à filia Regis seruatus est,& in templo Dei custoditus?Illud mirabile in Moyse, quòd rabidissimè expetitus ad mortem, morti eripitur, & à filia Regis seruatur in triumphos, seruatur autẽ non templi munitionibus custoditus,sed in aperto cãpo,in ipsis oculis tyranni rabidissimi: *Nusquam templum,nusquam sacrificium,cum tanta dispensatione facta sunt.* Talis triumphus soli Iesu puerulo post Moysem potuit conuenire. Qui dum recèns natus ad mortem petitur, vt morti eripiatur immaturæ, adstat Angelus monens Iosephum Matt.2. *Accipe puerum, & matrem eius,& fuge in Ægyptum.*Cur in Ægyptũ mandatur fuga? Cur potiùs in Dei templo non asseruatur regius infans?Imò cur Dei tẽplum fugitur, & eligitur Ægyptus?Sanè cauebat Isaias c.13.*Va qui descendunt in Ægyptum ad auxilium.*Si ergo auxilium Ægypti minimè requirendum, cur,puer diuine,confugis ad Ægyptum,non equidem fugit ad Ægyptum,vt auxilium requirat, sed potiùs vt omnem munitionem visibilem deserat, & in apertiori campo cum hoste confligat, & de illo triumphet.Ait D.Chrysol. ser.150. *Deus quando fugit hominem,Sacramenti est,non pauoris;potẽs quando se subducit infirmo,insequentem non pauet,sed foris producit,vult nemo in aperto vincere,* &c. Timentis militis est, conflictus hostis expectare intra munitiones suas, qui potentia, viribúsque pollet, non amat munitionibus includi,in apertum procedit,eóque hostẽ agit, vbi quò remotiores sunt munitiones,eò acrior conflictus, & glorioſior reportatur triumphus.Quid mirum quòd puer Iesus in templo asseruatus, tot munitionibus, tot sacris vallatus hostiles impetus subigeret? Clariorem amat nobilis puerulus triumphum, & ab hoste petitus, nõ in templo manet,sed procedit in Ægyptum, in qua non templum,non sacrificium,non aliqua erat virtutis munitio,sed potius, vt ait Theophylactus: *Inibi erant omnis nequitiæ officinæ.* Clarissimus hic diuini pueri fuit triumphus, qui extra proprias munitiones positus, hostes superauit in suis. Quem triumphum Christi martyribus adscribit Tertull. dum in carcere inter nocentes detinebantur. Ait enim lib. ad Martyres: *Domus quidem diaboli est carcer, in qua familiam suam continet. Sed vos ideò in carcerem peruenistis, vt illum in domo suæ conculcetis.* Non mirum est,si in templo Dei,inter sanctos aduersus diabolũ audeas; sed quòd illũ in suo, inter nocentissimos aggrediaris, hoc perfectæ virtutis testimonium est. Hinc licèt mihi mirari virtutem mei patris D.Francisci Xauerij,qui in vastissimo Iapponiorum campo,quando nullum ibi templum, nullum sacrificium erat,tot victorias de hostibus reportauit. Nõ sic miror,quòd in D.Thomæ ciuitate,& templo semel & bis auderet cum dæmone belligerare, eiúsque sese flagellis exponere; quàm quòd solus in Mauri Insula, & Iapponiorum auderet aduersus diabolos stare, vt in ipsorũ munitionibus illos expugnaret, vt expugnauit.

Orig.

Chrysost.

4.Reg.11

Matt.2.

Isaiæ13.

Chrysol.

Theoph.

Tertull.

§. IV.

Vt in Moysi, sic in Iesu glorioſior victoria stetit in eludendo tyranno.

PEtebatur à Pharaone Moyses infantulus, & occisis aliis infantibus,vnus Moyses in Ægypto apud Pharaonẽ seruatur,similiter ab Herode petebatur in mortem Iesus,& occisis plurimis aliis,vnus fugiẽs in Ægyptum euasit.In vtroque puer non perditur,sed mirificè deluditur tyrannus. Sic suprà alio datus dicit D. Bern. *Simili cum Pharaone etiam Herodes suspicione laborans, eodem modo est,& ipse delusus.Vtrobique pro vnius personæ numerositas trucidatur puerorum, vtrobique, qui quærebatur,euasit.*Itaque & in Moyse,& in Iesu manet delusus tyrannus, & vterque puer suam maiorem ostendit præstantiam,non quòd conficiant, sed quòd deludant aduersarium. Et quanta hæc illusi hostis in Iesu gloria?Posset equidem diuinissimus puer mortẽ inferre Herodi,posset illum æternis iam flammis commendare,sed maluit fugiens,eius ostẽdere irritos conatus, vt maiori feriretur hostis delusionis plaga,& præstantiorem Deus suam virtutem ostẽtaret.Ait enim in præsenti D.Chrysost. *Magos celeriter emittit,inefficacem reddens furorem tyranni, vt discat se impossibilia moliri, & concéptam extinguat inuidiam,séque à studio vani laboris abducat.Est aut diuinitatis virtute dignum,nõ modò con-*

Bernard.

Chrys.

terere inimicos, verùm etiam cum omni illos facilitate decipere. Hæc eſt diuinitatis, ſummæque virtutis præſtantia clariſſima, quòd ſciat facilè hoſtiles animos deludere, & oſtendere illorum conatus prorſus irritos. Hinc Philiſthini illi ſapientes diuinam potentiã & virtutem maximè apud populares ſuos extollebant, dicen-
1.Reg. 6. tes. 1.Reg.c.6. *Quare aggrauatis corda veſtra, ſicut aggrauauit Ægyptus, & Pharao cor ſuum? Nonne poſtquã*
Chryſoſt. *percuſſus eſt, tunc dimiſit eos?* Apud D.Chryſoſt. hom. 8. in Matth. ſic ſonant hæc vltima verba. *Nonne poſtquam illuſſit eis, dimiſerunt populum*, &c. Quod ſi quæras, quãdo Deus Ægyptios deluſit, vt dimitteret populũ, putat Chryſ. id factum fuiſſe, cùm Hebræi iuſſi ſunt Exod. 11. petere à vicinis Ægyptiis vaſa aurea, & argentea, vt irent ad ſacrificandũ Deo ſuo. Cùm enim poſſet Deus facere, vt Hebræi vi, & armis ſpoliarent Ægyptios; maluit, vt non vi, ſed amicis verbis illos deluderent, & ſpoliarent. Sed illud mirandum eſt, quòd Aſcalonitæ ſcientes Ægyptiorum omnium ſubmerſionem à Deo factam pro Iſraëlitis, non ad hanc recurrunt, vt illum oſtendant terribilem, & metuendũ cunctis. Sed ad ſeductionem, & deluſionem recurrunt, quando in vaſis aureis, & argenteis deluſi ſunt. Cur non magis dicũt, quòd percuſſi ſunt in vita, quàm quòd in vaſis argen-
Chryſoſt. teis ſunt deluſi? Pulchrè D.Chryſ. vbi ſuprà: *Ægyptios populi ſui vtilitate ſeduxit, eúmque palam in Iudæorum manus illorum poſſet transferre diuitias, occultè hoc magis fieri, ac decipiendo præcepit, quòd certè illum apud inimicos non minus fecit, quàm alia ſigna, terribilem. Denique Aſcalonitæ, cum cæteris mirabilibus, hoc quoque in medium protulerunt, dicentes: Quare grauatis corda veſtra, ſicut grauauit Ægyptus, & Pharao cor ſuum? Nonne poſtquam illuſit eis, dimiſerunt populum ſuum?* Inde terribilem, & metuendum Deum oſtendebant, nõ tam, quòd percuteret, quàm quòd facili negotio deludat hoſtes ſuos.
Iob.40. Quò ſpectabat illud Iobi c.40. de Leuiathan: *Nunquid faciet tecum pactum, & accipies eum ſeruum ſempiternum? Nunquid illudes ei, quaſi aui?* Extollit enim ibi Dominus ſuam maximam potentiam, qua facere poteſt ea, quæ creaturæ facere nequeunt. Et quæ ſunt illa? *Nunquid illudes ei, quaſi aui?* Nequit ſanè creatura truciſſimo hoſti ſic facilè illudere, vt pueruli ſimplicibus illudunt auiculis, vt eas trahant in retia. Id autem ſolius diuinæ
Pſ.103. potentiæ proprium eſt, cui etiam dicit Pſalm. 103. *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei*: quaſi non adeò oſtendatur Dei virtus in perdendo, vt oſtenditur in illudendo draconi.

§. V.

Vt Moyſes naturales parentes, licèt pauperes, omnibus mundialibus bonis prætulit, ita & Chriſtus Dominus.

NEſcio, an quid prius emineat in Moyſe, quàm naturalium obſeruantia parentum; expoſitus enim erat ad Nili ripas, indéque ſublatus à filia Ægyptij Regis, quæ illum pro filio cœpit habere: Quanta hæc cura Dei, quæ expoſito puerulo matrem Reginã dedit? Sed accipite aliud, quod amplius miremini; ſimul enim ac in Reginæ manibus puer erat; accedit eius ſoror Maria, dicens ſe noſſe Hebræam fœminam, quæ optimè poſſet nutrire puerum. Nec amplius morata, de Reginæ imperio currit ad domum, verámque matrẽ pueri adducit, vt nutricis nomine illum accipiat nutriendum.
Exod.2. Exod.2. *Perrexítque puella, vocauit matrem ſuam*, &c. Et quando puero à naturali matre deſerto Regina mater erat, cur inſuper ipſa mater naturalis aditur, quæ illum ſuſciperet nutriendum? Erat maximè à Deo prouiſum in iſto puero, vt nulla in proſperitate ſua, naturalibus
Rupert. non proſpiceret parentibus. Ad hæc ait Rup. lib. 1. in Exod. c.9. *Elegans infantulus eleganti è cælo miſerationis occurſu exceptus eſt, vt matri ſuæ, cui natus fuerat, non periret, & aliam matrem præpotentem adoptandus inueniret.* Sanè hoc ex Dei cura ſpectabatur in Moyſe, quòd minimè deficeret naturalibus parentibus; quòd licèt regali cognationi inſertus eſſet, tamen non periret illis, qui à natura fuerant parentes. Imò ſic in illo hic affectus excelluit, vt vel pauperculam cognationem omnibus Ægyptiorũ diuitiis præferret. Ait enim Paul. ad Hebræos c.11. *Fide Moyſes grandis factus negauit ſe* Ad Heb. 11.
eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis habere peccati iucunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperiũ Chriſti. Itaque meritò Moyſes pauperem vitam, cum pauperculis parentibus, & cognatis prætulit Ægyptiorum regnis, & vt naturalibus aduiueret parentibus, negauit ſe eſſe filium filiæ Ægyptij Regis. At contrarium videtur feciſſe Æſter de conſilio Mardochæi, quæ occultauit genus ſuum naturale, vt ad Aſſueri ſolium aſſumeretur. Sic enim habes Æſter 2. *Quæ noluit indicare ei po-* Æſter 2.
pulum, & patriam ſuam. Mardochæus enim præceperat ei, vt de hac re omnino reticeret. Et quidem, vt Moyſes, ſic Æſter, & Mardochæus deſtinabantur à Deo in ſalutẽ populi ſui, cur ergo vt hi ad permanendũ in Regia Aſſueri diſſimularunt genus ſuum, occultarunt auitã proſapiam, Moyſes autem, vt eſſet cum pauperculis parentibus, contempſit Pharaonis regiam, & negauit ſe filium Regis? Nõne vt illa, ſic ipſe à regio throno poſſet populo ſuo maximè prodeſſe? Sto à ſententia Sapientiſſimi noſtri Saliani, qui premens Apoſtoli verba, putat, quod Moyſes dum eſſet in Regia Pharaonis, & Princeps Ægyptij haberetur, cogebatur in dies à proceribus, vt Ægyptiarum rerũ augmento proſpiceret, & maiora onera imponeret Hebræis. Vbi autem ille vidit, quòd principatus ſuus, & opulentia ſua nõ prodeſſet parentibus, apertiſſimè negauit ſe filium Regis, & principatum abiecit, vt ſic non ampliùs cogeretur moleſtus ſuis parẽtibus, & cognatis eſſe, mallens illis pauperculis aduiuere, quàm in regiis deliciis eſſe. Vt meritò de illo dicat D.Anſelm. in epiſt. ad Heb. c.11. *Pec-* Anſelm
catum Moyſes putabat, ſe lætari in aula, dum fratres ſui affligerentur. In quo nõ mediocriter delineauit affectus Ieſu in Ægyptũ fugientis. Erant enim Ieſu præſto tres Magi, tres Orientis Reges, qui datis muneribus illum adorabant; cùm Herodes Rex machinabatur illũ morti tradere. Intereà venit Angelus monens Ioſephũ Matt. Matt.h2.
2. *Accipe puerũ, & matrẽ eius, & fuge in Ægyptum.* Cur Angele fugam mandas parentibus cum puero in Ægyptum, quando præſto aderãt tres illi Reges, quibus tradi puer poſſet, vt in eorum regiis ſeruaretur? Cur permittis ſic Reges abire? Cur non magis illis commendas puerum, ſed mauis, vt tenellus puer cum pauperculis parẽtibus peregrinetur in barbara regione, & Hebræis moleſta? Hoc ſanè quæſtionem faciebat D.
Chryſoſt. Chryſoſt.hom.8. in Matth. ſanti: *Dignum eſt ſcrutari, cur* Chryſoſt.
nõ Magi præſentes ſaluentur, & puer: ſed illi quidem in Perſidem reuertantur; hic autem cum matre in Ægyptum transfugiat? Erat hic Chriſto adnatus affectus, qui noſcens imminentem perſecutionem aduerſus Dauidicũ genus, cuius pueri erant celeriter interficiendi: negauit regias delicias, pereũtibus enim fratribus, & afflicta omni cognatione, maluit cum paupercula matre & ipſe affligi in Ægypti regione Hebræis exoſa, quàm lætus eſſe in Arabum regiis, præferens pauperculorum parẽtum affectũ omnibus & deliciis, & diuitiis Orientis. Quaſi peccatum enim putabat, ſe lætari in aula, dum fratres ſui, dum cognati ſui, dum parentes ſui affligerentur. Nunquam enim de Chriſti halitu non venit purus, & virtuoſus affectus erga parentes, & cognatos.
Hieron. Ex quo maximè extollebat Marcellam D.Hieron. epiſt. ad Principiam fatus: *Matri in tantum obediens, vt interdum faceret, quod nolebat. Nam cùm illa ſuum diligeret ſanguinem, & abſque filiis, & nepotibus vellet in fratris liberos vniuerſa conferre, iſta pauperes eligebat, & tamen matri contraire non poterat: monilia, & quidquid ſupellectilis*

lis fuit, diuitibus peritura concedens, magisque volens pecuniam perdere, quàm parentis animum cõtristare. Sic Christi spiritu plena Marcella studebat maternæ obseruantiæ; vt vel in re eleemosynæ maluerit pecuniam perdere, aliqua diuitibus donans, quàm contristare matrem. Non absimilis Isaac Gen. 22. cùm ligatur ad mortem, sustinet sene parente robustior. Et vnde Isaac adeò mansuetus sustinet? Ait D. Ephrem ibi: *vsque ad mortem Isaac patri se obedientem præbuit: morte peius esse sciens, tristitiam, atque molestiam patri inferre.* Sic ille.

Gen.22.

§. VI.

Vt Moyses, sic Iesus Ægyptios percussit.

NOn otiosus egit Moyses in Ægypto, quin potius eggressus quadam die ad fratres suos Exod.2. *Vidit Ægyptium virum percutientem quendam de Hebræis fratribus suis: & percussum Ægyptium abscondit sabulo.* Præficiebantur Ægyptij viris Hebræis, vt illos in opera agerent, ex quibus Præfectis vnus, dum Hebręũ percutit, & ipse à Moyse percussus occubuit. Sic in conspectu Moysis incipiebat cadere Ægyptiorum tyrannis, vt ibi clariùs exprimeretur Christus Dominus Ægyptum, adiens. Vix enim diuinissimus paruulus ad Ægyptum accessit, & ecce tibi Ægyptiorum idola, Ægyptiorum res miserè cadunt. Quò spectans Isaias cap. 19. ait: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulacra Ægypti à facie eius, & cor Ægypti tabescit in medio eius. In nube leui ibat Dominus*, vt ait D. Ambr. in Exhortatione ad Virg. & Procopius in præsenti: *cum vlnis Mariæ portatus deferebatur in Ægyptum.* Et quid tunc? *Commouebuntur simulacra Ægypti à facie eius, & cor Ægypti tabescet.* Vnus Iesus ingrediens Ægyptum potuit facere, vt Ægyptiorum errores corruerent. Vt meritò dicat D. Athanas. de Incarnat. Verbi: *Ægyptiorum superstitio nõ quieuisset, nisi Dominus omnium in corpore, quasi in nube vectus, eo descendisset, & idolorum errores compescuisset, omnes in se, & per se ad patrem transferens.* Itaque vt Ægyptum tetigit puerulus diuinus, Ægyptiorum prauitatem destinauit ruinæ, nihilque ibi erroris, & falsitatis principare vidit, quod non percuteret. Vnde cùm Matth. 2. dicitur Ioseph: *Tolle puerum, & matrem, eius, & fuge in Ægyptum.* Pulchrè Orig. hom. 3. de diuersis rem amplificans, dicit: *Fuge in Ægyptum propterea vt destruantur manufacta eorum, vt confringantur, & pereat idola ipsorum, vt dæmones deturbentur, vt fiat in aduentũ Domini fugitiuorum seruorum, & malorum interitus. Fuge in Ægyptum, vt adimpleas, quæ dicta sunt. Ecce Dominus sedet in nube pusilla, & veniet in Ægyptum, & commouebuntur omnia manufacta. Fuge in Ægyptum, vt fugiant de Ægypto, qui ibi sunt dæmones.* Et quidem nullus Ægyptiorum error non percutitur, non commouetur, vt pereat ex quo, diuinus puerulus Iesus, ingressus est Ægyptum.

Exod. 2. *Athan.* *Ambr. Procop.* *Isai 19.* *Matt.2.*

PARS II.

Moralia circa textus literam.

IAm nos vocat litera textus, quæ dulcissimos, & vitam halantes latices etiam propinat, vt inde in solidam crescamus salutem.

Exod. 2. Egressus est post hæc vir de domo Leui. Et accepit vxorem stirpis suæ, quæ concepit, & peperit filium: & videns eum elegantem abscondit tribus mensibus. Cúmque iam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine, ac pice; posuítque intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis, stante procul sorore eius, & considerante euentum rei.

§. I.

Ad conspectum pulchritudinis quæcunque discrimina vorantur.

DVm Pharaonis edictum viget de pueris suffocandis, in maximum se vitæ discrimen coniiciebat pater, qui filium natum absconderet à rabie tyranni. Nihilominùs Moysis parens, dum illum parit: *Videns eum elegantem abscondit tribus mensibus.* Et cur cum tanto discrimine audent parentes puerum abscondere? Cur non magis cauent edicti vrgentis rabiem? Cur sibi magis non timent à rabidissimo tyranno? Causam indigitat textus, aiens: *Videns eum elegantem*, &c. vbi pulchram pueri formam viderant, ad conspectum pulchritudinis omnia pericula vorarunt, nihilique edictum, rabiémque tyranni fecerunt. Ait Philo Iudæus in cat. Lyppoman. *Natus infans mox vrbaniorem præseferebat vultum: adeò vt parentes, quantum possent, tyranni edicta facilè parui penderent.* Quæ metuebantur edicta tyranni, despici cœperunt, & pro nihilo reputari, vbi puer venustus, & pulcher apparuit, nullum enim discrimen est, quod in conspectu pulchritudinis non soleat vorari. Quò refero illud Numer. cap. 25. vbi sic: *Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adorauerunt Deos earum. Initiatúsque est Israël Beelphegor: & iratus Dominus, ait ad Moysem: Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israël. Dixítque Moyses ad iudices Israël. Occidat vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor. Et ecce vnus de filiis Israël intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse, & omni turba Israël*, &c. Quid impudentius? De imperio Dei erant erectæ cruces ad supplicium sumendum, propterea, quòd Israëlitæ intrauerãt ad Moabitides, illarúmque Deos adorauerant; stricti etiam erant, iubente Moyse, gladij, & miseri rei quærebantur, & tamen interea, his ita compositis: *Ecce vnus de filiis Israël intrauit coram fratribus suis ad scortum.* Quo ruis miser homo? Cur non magis Dei imperia, Moysis edicta, gladios strictos, furcas erectas, carnifices paratos vides? Quæ te vis rapit, vt ad tam immania pericula cæcutias? Non equidem alia vis sic miserum raperet Israëlitam, nisi vis pulchritudinis visæ. Meritò Origenes hom. 20. in Num. sic inducit vatem loquentem ad Moabitidum Principem: *Aduersus hos non virtute militum, sed mulierum decore pugnandum est. Procul hinc procul amoue armatorum manum, & electam congrega speciem puellarum: forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captiuat, vincentur specie, qui non vincuntur prælio.* Et quidem vbi Israëlitis non ferrum, non spicula ab hostibus obiiciebantur, sed pulchritudo, & species, non miror, quòd atrocia contemnerent edicta, quòd gladios vorarent, & furcas, extremæque perditionis nihili facerent pericula. Qui enim bellorum molestias, & discrimina taciti sustinebant, vbi pulchram Hebræam viderunt, sic alacriter, & animosè clamant apud Holophernem Iudith cap. 10. *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, vt non pro his meritò pugnare contra eos debeamus?* Ecce vt vorant sanguinis effusionem, & omnia belli pericula, vt possint visam fœminæ pulchritudinem sibi acquirere. Imò, vt de similibus ait D. Cyprian. lib. de singulari Clericor. *Malint mori, quàm contenti sint à lateribus mulierum aliqua disiunctione diuelli.* Sic rapit homines pulchritudo mulierum, vt nihili mori æstiment, dum ab illis non discedant.

Philo. *Num.25* *Orig.* *Iud.10.* *Cyprian.*

§. II.

Pulchritudo ægrè, & difficulter poteſt celari, & abſcondi ab hoſtilibus oculis.

ELegantem & pulchrum puerulum Moſem, tribus menſibus, ægrè celant, & non ampliùs, poſt illos enim impletos minimè eum poſſe celari animaduertunt. Ait enim textus: *Cúmque iam celare non poſſent*, &c. Et quidem plures alij celabantur quotidie ne in tyrannorum manus venirent, vt ſatis probabiliter exiſtimat Lyppom. in cat. & Rup. lib. 1. in Exod. c. 8. Quando ergo alij celabantur, cur vnus Moyſes minimè potuit celari, volentibus, & procurantibus parentibus? Huius difficultatis cauſam in pueri pulchritudinem coniicit Ruper. coactos fuiſſe parentes, vt filium exponerent. *Ne propter elegantiam eius, quæ iam ardere cœperat, inuidia inflammaretur.* Sanè vt maior erat pueri pulchritudo, eò ſe magis publicabat, & inuidiis vehementiores ſtimulos adhibebat, vt illam furioſis tyrannorum iris exponerent. Nunquam enim pulchritudo non ſe obiicit hoſtilibus incẽdiis. Ad hæc Oſeas c. 9. ait: *Ephraim, vt vidi, Tyrus erat fundanta in pulchritudine. Et Ephraim educet ad interfectorem filios ſuos.* Septuag. legũt: *Ephraim ſicut vidi, in captionem præbuit filios ſuos.* D. Hieronym. in commentario ait: *Ephraim quomodo vidi, in venationem præbuit filios*, Itaque dũ vulgata Ephraimi pulchritudinem ponderat, in pulchritudinéque fundatam dicit; Septuaginta, & Hieron. hoc ſolum conſiderant, quòd Ephraimi filij dati ſint in captionem, & in venationem inimicis. Et meritò, quando pulchritudo, & decor neſcit abſcondere alumnos ſuos, ſed illos frequenter exponit & venationis, & captionis periculis. Sapienter enim de pulchra fœmina ait D. Hieron. ex Theoph. lib. 1. aduerſus Iouiniam: *Minori miſeria deformis habetur, quàm formoſa ſeruatur. Difficilè cuſtoditur, quod plures amant. Nihil tutum eſt, in quod totius populi vota ſuſpirant.* Crede mihi ſub nullis tenebris erit pulchritudo cuſtodita, quando illam totius populi vota ſuſpirant. Ægrè, & difficulter ſeruabitur decorus aſpectus, ne in pericula proſiliat. Apud Zachar. cap. 11. ait Dominus: *Aſſumpſi mihi duas virgas, vnam vocaui Decorem, & alteram vocaui Funiculum.* Quid tunc? An ambas virgas apud ſe cuſtoditas retinuit? *Et tuli virgam meam, quæ vocatur Decus, & abſcidi eam: vt irritum facerem fœdus meum, quod percuſſi cum omnibus populis.* Ecce tibi duæ tantum virgæ aſſumptæ fuerunt à Domino, vt ſeruaret, & cuſtodiret illas, & è duabus altera, quæ decora erat, prima venit in abſciſſionis periculũ, abſcinditur, & proiicitur. Cur non magis ſeruatur Decus, & abiicitur Funiculus. Ea eſt Decoris natura, quæ ſeruatur difficiliùs, & facilimè in pericula ruit. Sic Regi Tyrio dicit Ezech. c. 28. *Perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo, in terram proieci te, ante faciem Regum dedi te, vt cernerent te.* Equidem decorus, & pulcher iuuenis datus eſt in faciem Regum, non vt illum impugnarent, nec vt illum bellicis tormentis impeterent, ſed vt illum cernerent, & ex eo ſolùm non potuit decor, & pulchritudo in perditionem non ire.

Lyppom. *Oſeas 9* *Hieron.* *Theop. 1.* *Zach. 11* *Ezech. 28*

§. III.

In Chriſti ſimilitudine humanæ ſalutis auſpicium eſt.

EXponendo puerulo paratur fiſcella ſcirpea; dicit enim textus: *Sumpſit fiſcellam ſcirpeam, & liniuit eã vitumine, & pice poſuitque intus infantulum, & expoſuit eum*, &c. Et cur vili fiſcellæ creditur pueri vita, quæ in parentum domo non erat tuta? OEcumenius in Act. Apoſt. c. 3. in hac vili fiſcella agnoſcit imaginem quandam, & ſimilitudinem præſepij illius, in quo Chriſtus Ieſus recèns natus expoſitus fuit à matre ſua. Meritò ergo patres Moſis, quem ipſi ſeruare non poſſent infantulum, vili fiſcellæ committunt, de tanta enim Chriſti venturi ſimilitudine certiſſimum iam dabant puero vitæ auſpicium. Nunquam equidem parentes firmiorem ſalutem filiis adſcribunt, quàm vbi illos nituntur aſſimilari Chriſto. Iuſſerat Dominus Gen. 22. ſibi mactari Iſaacum Abrahami dilectum filium, quem vt mactaret pater iuxta Dei imperium, ſuper ſtruem lignorum conſtituit, gladium exerit, parat ictum. Quid tunc? *Dixítque ei dominus: Non extendas manum ſuper puerum, neque facias illi quicquam.* Quem poſtulabat Dominus paulò antea ad mortem, nunc poſtulat eundem ad vitam. Et cur modò eum poſtulat ad vitam? Vbi Iſaac à parente poſitus eſt ſuper ſtruem lignorum, vt ibi ſacrificandus extiterit, ſimul apparuit ſimilimus Dei filio crucis arbori ſuffixo, ex qua ſimilitudine nõ potuit non reſeruari ad vitam. Sic Dominus apud D. Auguſt. ſerm. 73. de Tempore, ait: *Parce, inquit, Abraham. Qui iuſſerat, vt feriret, modò vociferatur, vt parceret. Parce, inquit, deuote pater, patricida ſine crimine parce. In voto probaui, quod in facto renui. Laudo fidem, nec reprobo pietatem, nec tibi patior inferri orbitatem. Ecce ſpirituali præſagio meum præueniſti conſilium. Quod enim paraui pro toto mundo, tu iam deliberaſti in filio tuo. Quod in vnigenito meo diſpoſui, tu in tuo vnico perfeciſti.* Sic ibi Dominus vitam annunciabat filio, in quo exprimebatur ſacrificandus Chriſtus. Quando enim Abrahamus delineabat in Iſaaco ſuo, quod pro vniuerſo mundo erat Chriſtus Dominus præſtaturus, iam non mortis, ſed ſalutis, & vitæ clariſſimum in illo præbebat auſpicium. Quando enim à Chriſti ſimilitudine non rutilat hominis vita? Apud Luc. c. 7. cùm Ieſus appropinquaret ad portas ciuitatis Naim: *Ecce defunctus affexebatur filius vnicus matri ſuæ, & hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper illam*, &c. A nullo rogatur Dominus, vt vitam tribuat huic adoleſcenti; ſolas viduæ matris lachrymas videt, & totus commotus ad illum ſuſcitandum feſtinat. Quid erat in adoleſcente iſto, quod ſic traheret Dominum, vt illi vitam refunderet? Erat adoleſcens *filius vnicus matri ſuæ*, vt vnicus erat etiam parentibus ſuis Chriſtus, ex quo non miror, quòd adoleſcens ſeruaretur in vitam. Ait D. Baſil. Sel. orat. 10. *Viduæ lacrymæ vnigenitum Ieſum traxerunt ad reſtituendam vnigenito vitam.* Vt vnigenitus erat filius viduæ, vnigeniti Mariæ referens ſimilitudinem, inde habuit poſſe in vitam reſurgere. Nunquam enim à Ieſu non venit vitam ſibi ſimilis.

OEcum. *Gen. 22.* *Luc. 7.* *Baſil.*

§. IV.

In iis, quæ Dei propria ſunt, cauendum eſt, ne tribui poſſent creaturis.

ET periculis obſitum ortum ſuum, & cantatiſſimã euaſionem narrans Moyſes, parentum ſuorum nomina diſſimulat. Solùm enim ait: *Vir de domo Leui accepit vxorem ſtirpis ſuæ, quæ concepit, & peperit*, &c. Et cur non magis nominat parentes ſuos? An pudet eos parentes habere, quorum nomina fugit? An ingratus parentibus, nec meminit, qui vocarentur? Abſit hoc à tanto filio, ſed vt ortus, & incolumitas eius ab vna potuit eſſe virtute diuina, ſic parentum nomina reiecit, ne aliquid videretur tribuere creaturis. Similiter philoſophabatur Paulus Oroſius lib. 7. cap. 37. in ſummo Romani Imperij diſcrimine, quando per Rhadagaiſum tyrannum periclitabatur. Venerant tamen barbari Reges Romani in auxilium. Quid tunc? Ait Oroſius: *Adſunt Vldin, & Sarus Hunnorum, & Gothorum duces præſidio Romanorum: ſed non ſinit Deus rem potentiæ ſuæ, virtutem hominum videri. Conterritum diuinitùs Rhadagaiſum in Tæſulanos montes cogit*, &c. Expende illud: *Non ſinit Deus rẽ potentiæ ſuæ, virtutẽ hominũ videri*: quippe eò sẽper tẽdit diuinus ſpiritus, vt quod Dei poteſtatis

Oroſius.

testatis est,nõ possit tribui humanis viribus.Meditatus
1.Reg.16 DominusDauidis promotionem in regnum,1.Reg.16. sic loquitur ad Samuelẽ:*Imple cornu tuum oleo,& veni: mittam te in Bethlehẽ ad Isai Bethlehemitem:prouidi enim in filiis eius mihi Regẽ.*Multi erant filij Isai è quibus vnus solus erat à Samuele in Regẽ vngendus,nec tamen dicitur à Deo,quis iste sit,nec quod eius nomẽ, sed finitur ire Samuel in incertum. Cur non designatur puer eligendus ex nomine? Cur cauetur, ne Samuel sciat, quis esset à se inungendus? Quando Dauidis electio, & promotio à solo Deo veniebat, meritò vel cognitio eius cauetur in Samuele,ne quid attribui posset hominũ
Basil. Sel. prouidentiæ.Ait D.Basil.Sel.orat.14.*O sapientiam immortalem! O arcanam miraculi editionem! Et filium tegit,non clarè dixit: Vngatur mihi Rex Dauid; sed prouidi filiis Isai. Ne humanæ videatur esse gratiæ vnctio.*Non equidem finit Deus rem potentiæ suæ, virtutem, aut fauorem hominum videri. Hinc pugnaturo Dauid ad-
2.Reg.5, uersus Philisthæos,2.Reg.5.ait Dominus:*Non ascendas obuiã eis, sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos ex aduerso pyrorum. Et cùm audieris sonitũ clamoris gradientis in cacumine pyrorum,tunc inibis prælium, quia tunc egredietur Dominus,*&c. Quæ verba non paruam quæstionẽ fecerunt Abbulẽsi,cur nimirùm Dauid nõ permittatur pugnare, antequã audiat sonitũ in cacumine pyrorũ?An id factum fuit, quia de Astrologorũ more obseruandæ sunt faustæ horæ,in quibus persuadentur futuri euentus boni? Quod si hæc à fidelibus minimè credenda, nec spectanda sunt:cur Dauid cohibetur à pugna vsque ad illius sonitus horam?Sanè non permittitur Dauid pugnare nisi in illo determinato sonitus diuini puncto; ne sibi posset Dauid attribuere vi-
Theod. ctoriam,sed Deo auxiliatori. Quò respiciens Theod. q.19.in præsenti, fatur:*Sapientissimus padotriba Dauidẽ in virtute exercet, & suadet ne suis viribus fidat, sed eius expectet auxilium. Nam quando,inquit,videris syluas sua sponte moueri absque vento, tum descende ad bellum; tunc egreditur Dominus.*Decernit maximus Dominus,&belli dux horam pugnæ, eiúsque momẽtum præfigit,ne cui alteri,quàm eius auxilio, & potentiæ tribuatur victoria.Pro quo defectũ vini in nuptiis repræsentanti Ma-
Ioan.1. riæ Ioan.1.respõdit Dominus:*Quid mihi,& tibi mulier? Nondum venit hora meo.*Mulierem vocas,& quasi alienam excipis Mariam, ô bone? An nescis esse matrem tuam?cur sic dissimulas,& matris nomen,& amorẽ, & ostẽdis rei petitæ præfixam esse à te horam? An quia in alia hora,vel petẽte matre nihil facere potes? Absit;sed & horam præfixam ostendit, & matrem dissimulat,nõ sinens rem faciendam à potentia diuina,hominum vir-
Aug. tutem videri,aut fauorem. Pulchrè D. Aug. tract.8. in Ioann.*Tanquam non agnoscit viscera humana,operaturus facta diuina.*Vbi erant diuinitatis facinora euulganda, vel ipsa materna non agnoscit viscera; nequit enim Deus rem potentiæ suæ, reputari hominum virtutem. Ideò puerulus Dauid pugnaturus cum Goliath, cum
1.Reg.17 Basil. Saulis armis esset munitus.1.Reg.17. *Deposuit ea.* Cur in tanto discrimine arma deponit? Ait D.Basil.Sel.orat. 15.*Nil tibi huiusmodi opus armis, quæ partem gloriæ bellicæ sibi arrogent. Ne victoriæ gloriam ad se trahat armorum potentia.* Sic ibi.

§. V.

Vsque ad Christum virginitatis perpetuæ virtus incognita fuit.

MIrabar à Moyse ampliores non redditas gratias sorori solicitæ de sua incolumitate,eius saltẽ nobis proponendo virtutes.Solùm enim ait:*Stante procul sorore eius,& considerante euentum rei.*Et quidem virgũcula tunc erat soror Moyses,& in æuum virgo permãsit,vt author est D. Ambr. aliíque Patres. Cur id non laudauauit in sorore sua Moyses? Cur non dixit,quòd puella, & virgo soror stabat pro puero solicita, sic eius solicitudinem gratificans, vt simul eius prædicaret virtutem virgineam? Sanè non erat integritas virginalis priscis temporibus in numero virtutum,nec æstimata, imò nec cognita fuit ab vllo vsque ad Christum. Quod multis iam probatũ suprà lib.1.singulariter cõfirmat D. Athan.de incarnatione Verbi Dei,ex- Athan. plicans quæ noua,& à nullo excogitata induxerit mũdo Christus.Ait enim:*Quis igitur hominũ, vel post mortẽ,vel in vita author seruandæ virginitatis fuit?ac non cõtra arbitratus est,eam virtutem præstari non posse? Attamen noster Saluator,& omniũ Rex, Christus tantum valuit in huiusmodi præceptis,vt pueri nondum maturi legũ disciplinæ,virginitatem, quæ supra leges est, profiteantur.* Itaque de mente magni Athanasij,quã nullus antea coluit virtutẽ virgineam,imò quã omnes antea putarunt impossibilẽ,vnus & coluit,& persuasit hominibus Dominus, & Saluator noster Christus. Et quis magno Athanasio Ioannem Ierosolymitanum,& similes aliter sentientes opponat:imperterrito Christi aduersus mundum strianum propugnatori hominem non tot doctrinæ sudoribus clarũ? Sed,& Athanasio clarissimus in Concilio Ephesino S.Proclus subscripsit,qui hom.de Trãsfiguratione,hinc præfert Christum Moysi, & Eliæ,dicens: *Hic est filius meus dilectus,non Moyses,non Elias,sed hic, nempè Christus:non alius,non aliud,sed hic vnus, & idem, hic in quo acquieui,ipsum audite.Iustus est Moyses,verum in hoc acquieui. Eliam igneo curru subuectum recepi, sed hunc misi virginem tanquam in cœlo ex virgine natum, in idem cælum. Nullus enim,inquit,ascendit in cælum,nisi qui descendit è cælo.*Ecce tibi in quo Christus extollatur etiã supra Eliam;quia licèt Elias curru vectus in cælum sit; at Iesu Virgo missus,& natus ex virgine in cœlum fuit assumptus. Quasi currui igneo Eliæ opponat Christi virginitatem,quæ vt sola splẽduit in Christo,sic vel ex hoc capite ostendit illum sublimiorem Elia.Nec vacat repetere dicta in rem præsentem tom.1.in vetus testamentum,contentus iis duobus patribus antiquissimis, & pro Christo vbique propugnatoribus inuictissimis, qui virginitatem ex affectu virtutis cultam solùm agnouerunt in Christo.

Exod. 2. Ecce autem descendebat filia Pharaonis,vt lauaretur in flumine,&puellę eius gradiebantur per crepidinem aluei. Quæ cùm vidisset fiscellam in papyrione, misit vnam è famulabus suis:& allatam aperiens,cernénsque in ea paruulum vagientem,miserta eius, ait;De infantibus Hebræorũ est hic. Cui soror pueri: Vis, inquit, vt vadam,& vocẽ tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire posset infantulum?Respondit;Vade. Perrexit puella, & vocauit matrem suam. Ad quam loquuta filia Pharaonis:Accipe,ait, puerum istum, & & nutri mihi:Ego dabo tibi mercedem tuã. Suscepit mulier,& nutriuit puerum, adultũque tradidit filię Pharaonis:Quem illa adoptauit in locũ filij, vocauítque nomen eius Moyses,dicens:Quia de aqua tuli eum.

§. VI.

Deus scit suis consulere ea via, quam nulla mens humana attingere valet.

PArẽtes Moysis Ægyptiam aulã, totámque Pharaonis familiã verentes, puerulum filiũ Nili litoribus inter riparum virgulta exponunt, si fortè vel apud pauperem piscatorem inueniat gratiã,qua de regio furore liber euadat.Quid tunc?Non piscator,nõ popularis aliquis Ægyptius,sed: *Ecce descendebat filia Pharaonis, vt*

lauaretur, &c. & ipſiſſimi Pharaonis filia petens lauacrum puerulo ſalutem affert, & incolumitatem. Vbi
Lyppom. meritò Lyppomanus in cat. ait: *Lotionis caſualis, & carnalis inſtituti opus, quis credidiſſet in operis diuini promotionem futurum?* Sanè ſi mundi ſapientes conuenirent in vnum, & toto ſapientiæ conamine agerent, qualiter Deus poſſet puerulum Hebræum ſeruare ab ira Regis incolumem, nullus adeò caſuale, imò & contrariũ medium pertingeret. Fiderent omnes piſcatoris, aut fullonis accedentis ad flumen miſericordiæ; at Deus nõ per iſtos, ſed per caſuale Reginæ lauacrũ puero parat ſalutem, vt oſtendat, quàm poſſit ſuis prouidere ea via, quam nulla humana ſapiẽtia pertingit. Eſurienti populo in deſerto promiſerat Deus carnium abundantiam
Num. 11. menſe integro. Tũc ſapientiſſimus Moyſes ſpeculatus qualiter tot carnes dari poſſent, ait ad Dominũ Num. 11. *Sexcenta millia peditum huius populi ſunt, & tu dicis, Dabo eis eſum carnium menſe integro? Nunquid ouium, & boum multitudo cædetur, vt poſſit ſufficere ad cibum? Vel omnes piſces maris in vnum congregabuntur, vt eos ſatiẽt?* Ecce tibi ſapientia Moyſis quouſque peruenit, vt ingentem populi multitudinem crederet à Deo carnibus ſaturandam, ſi vel Dei potentiſſima virtus oues, bouéſque penè innumeras quotidie cæderet; vel omnes piſces maris in cibos traheret. Quid tunc Deus? Ait text. *Ventus autem egrediens à Domino arreptas trans mare coturnices detulit, & demiſit in caſtra*, &c. Non boues, non arietes, nõ piſces parat Dominus populo ſuo, ſed coturnicũ tantam adducit multitudinẽ, quæ vel numeroſiorem populũ ſatiaret. Et cur relictis bobus, ac arietibus coturnices adduxit, niſi vt oſtẽdat, quã longè ab humana ſapientia procedat diuinitas in ſuis ſaturãdis? Ait D.
Aug. Aug. lib. 1. de Mirab. ſacræ Scripturæ, c. 127. *Et idcirco, vt nihil de iis, quæ Moyſi mens fragilis, vtputa humana, arripuit, in paſtum populi cederet, ventus à Domino egrediens arreptas trans mare coturnices ad caſtrorum loca detulit.* Nõ qua via cogitabat Moyſes, Dominus ſuis prouidit; quin potius cauit nihil adducere de iis, quæ humana ſapientia potuit pertingere; & cogitatas carnes boum, arietúmque contẽnens, coturnices adduxit, quæ nullatenus in hominis mentẽ poſſent venire. Sic Deus ſcit ſuis prouidere ea via, quam nulla humana ſapiẽtia pertingat. Et quidẽ prouiſurus Iſraëlitico populo Regem, mittit Samuelem ad domũ Iſai, vt vnum de filiis eius Regem deſigner. In re autẽ deſignandi Regis, qui Iſraëlem defendat, ſtatim apparuit oculis humanis omniũ aptiſſimus Eliab, & natu primus, & robore, & elegantiâ corporis omnium facilè princeps. Quem cùm Deus repuliſſet, & alios etiam fratres eius à parente in mediũ adductos, ſciſcitatus eſt Samuel, an alius aliquis
1. Reg. 16 remaneret filius. Ait enim tex. 1. Reg. 16. *Dixitque Samuel ad Iſai: Nunquid iam completi ſunt filij? qui reſpõdit: Adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues:* Semel monitus Iſai quos domi habebat, in medium adduxit filios, quibus adductis, imò & repulſis, ſubſtitit pater, nec aliũ prompſit filiũ; ſed neceſſum fuit, vt Samuel iterũ patrem vrgeret, & quæreret, an haberet aliũ, quẽ adduceret. Et cur neceſſum fuit, vt denuò pater vrgeretur ad adducendum Dauidem? Cur non magis pater illum manifeſtauit, vt ex ſe manifeſtauit cæteros? Nec affectus paternus, nec natura, nec prudentia humana cogitare poterat paruulum puerulum inter oues agẽtem populo Iſraëlitico dandum eſſe Regem, Deus autem per ea, quæ nec in cogitationem cadunt humanã
Baſil. Sel. ſuis ſolet prouidere. Vt meritò diceret D. Baſil. Sel. orat. 14. *Rex erat Dauid prophetica manu ad regnũ prouectus, & cœleſti approbatione dignitatem conſecutus, ſubitóque primus fratrum comperiebatur, qui poſtremus; ordóque naturæ cedebat gratiæ: Arcana erant regni exordia, neque ab ipſa natura elucebat imperium.* Sanè quòd Dauid Rex daretur Iſraëlitis, nec natura, nec ratio, nec prudẽtia humana perſuaderet; arcanum erat, quidquid ad regni Iſraëlitici exordium pertinebat, & tandẽ venit regnum, per quem nec ab ipſius parentibus ſperari poſſe videretur. Nec abſimile eſt, quod in ipſo Dauide accidit, vt populus à Philiſthæo exprobrante liberaretur. Stabat Goliath in arena Iſraëlitas exprobans, aduerſus quem Saul armatum produxerat exercitum: ad quem Iſaia valentiores filios miſit, qui cum Rege pugnarẽt, & Philiſthæos delerent. Sed etiam miſit paruulum Dauidem, qui fratribus portaret alimenta. Ait text. 1. Reg. *1. Reg. 17* 17. *Abierunt autẽ tres filij eius maiores poſt Saul in prælium: & nomina trium filiorum eius, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, & ſecundus Aminadab, tertius quoque Samma. Dixit autem Iſaia ad Dauidẽ filiũ ſuum. Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes iſtos, & curre in caſtra ad fratres tuos, & decem formellas caſei has deferes ad tribunum: & fratres tuos viſitabis*, &c. Propone tibi modò ob oculos, hinc tres maiores filios Iſai ſub armis ſplendentes, cum ingenti Saulis exercitu aduerſus Philiſthæũ ſtantes, illinc vnum paruulum Dauidẽ caſeis, panibúſque onuſtum, vt cibaria pararet. Si tibi diceretur hoſtis ab vno horum eſſe trucidandus, quẽ tantæ gloriæ, tantæque ſaluti deſignares? Nónne milites armatos, & ſub armis ſplendẽtes? Quis de aliis, quàm de armatis illis tantam illã ſalutem poſſe venire cogitaret? Et Deus inter tot armatos vnum puerulum inermẽ elegit, & ſalutem dedit per eum, per quem à
Chryſoſt. nullo poſſet cordato homine ſperari. Benè Chryſoſt. in Pſal. 50. *Nutu Dei proceſſit paſtor ad pugnam. Et qui bello fuerant aſſueti, pauore tremebant, & iſte, qui arboribus, & vmbra frondium delectabatur, cùm vidiſſet alienigenam, irruit*, &c. Quando humana ſapientia vocaret armatos milites, veteranos duces, eóſque ſpectaret, vt poſſet viuere; Dei nutus paſtorem agit in caſtra, & per paſtorem, per quem minimè ſperari poterat, Iſraëlitis ſalutem cauſauit. Vt meritò dicat Nazianzen. orat. 1. in Iu- *Naz.* lianum: *Deus potentes de ſede deponit, & inſuſpicabilem diademate ornat.* Sic ibi.

§. VII.

Vnus bonus filius valet parentes ſuos, vel aduerſus naturæ leges lætificare, & ornare.

SVſcepit Regina infantulum, & noſcens Hebræum eſſe, decreuit tamen illum ſeruare. Magnũ hoc fuit in Moyſe, quòd eius infantilis elegãtia perſecutoris filiam ſui ſeruatricem faceret. Sed accipite quid maius: Videns rẽ ſoror pueri, Reginã adit: *Vis, inquit, vt vadã, & vocem tibi mulierem Hebræã, quæ nutrire poſſet infantulum? Reſpondit: Vade. Perrexit puella, & vocauit matrẽ ſuam. Ad quam locuta filia Pharaonis: Accipe, ait, puerum iſtum, & nutri mihi, ego dabo tibi mercedem tuam. Suſcepit mulier*, &c. Quid mirabilius? Quẽ parentes cogebãtur abiicere filium, & orbitatem triſtiſſimam pati; nunc abſque vllo edicti obſtaculo illum recipiunt lætantes, & regiis expenſis alunt. Quid fœlicius? Quando alij edicto regio ſuos ſuffocabant filios, ij parentes regiis impenſis ſuũ filium viuificant, & alunt. Sed non miror, erat enim filius eorum Moyſes, puer elegans, & propter eminẽtes in infantili corpore virtutes diuinæ prouidentiæ traditus, vbi autẽ talis filius inuenitur, is valet vniuerſos parẽtes, & maiores ſuos lætificare, & ornare. Lyppoman. in cat. fatur: *Quem expoſuerant prouidentiæ Dei, ipſum recipiunt cum pace Regis, déque eius alimonia, non propriis impendiis alendum, ſic, vt matris quoque vberibus reſtitueretur lactandus, quo quid erat mirabilius?* Sanè hæc efficiuntur miracula à filio, qui propter virtutes ſuas curæ eſt Deo, vt nimirùm etiam contra vniuerſas naturæ leges, gratiarum, bonorúmque priuilegia parentes ad ſe trahant. Thamaris partum referens Gen. 38. ait: *Apparuerunt gemini in vtero, atque in ipſa effuſione infantium vnus protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum, dicens: iſte egreditur prior.* *Lyppom.* *Gen. 38.*

Illo

Illo verò retrahente manum, egressus est alter. Dixitque mulier: Quare diuisa est propter te maceria? Et ob hanc causã vocauit eum Phares. Posteà egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum, quem appellauit Zara. Ecce tibi & natura ipsa, & obstetrix nitebantur, vt Zara primogenituræ acciperet priuilegium, & Phares in secundis maneret. Sed aliter accidit; qui enim secundis seruabatur à natura, prior ortus de facto est, & primogenij prærogatiuam accepit. Et vnde Phares sibi primogenium traxit ipsa naturæ lege obsistente, & repugnante? Futurus erat illi filius Dauid, imò futurus erat illi filius Iesus, vbi autẽ tales filij ad partem Phares pertinebant, nõ mirùm est, quòd vel aduersus omnes naturæ leges gratiarum priuilegia omnia traherent ad parentẽ. Ait Diodorus in cat. Græca. *Illud præcipuè considerandum, quòd Zaran natura primogenitum faciebat manum iam proferentem: Deus autem ad Phares contulit priuilegium: vnde Dauid, regiúmque genus, & Christus ipse oriundus erat.* Cui tanti filij erãt dandi, prouidit Deus, vt repugnante ipsa natura, illustria gratiarũ, & primogenij priuilegia darentur. Et quæ leges non rũpantur in parentibus honorandis, quibus sunt filij adeò strenui? Quò spectat illud Paul. ad Hebræos c. 2. loquẽs de filio Dei, quòd factus sit filius hominis: *Vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totã vitam obnoxij erant seruituti. Nusquam enim Angelos apprehẽdit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Itaque quando lex durissima & peccati, & seruitutis, sub qua tenebãtur homines, abrumpenda erat, non sese naturæ Angelicæ copulauit Dei Verbum, sed Abrahę semini, vt filius hominis fieret. Et cur magis amaret fieri filium hominum, quàm Angelũ, nisi quia filius bonus aptior videtur, vt parẽtum naturam ornet, liberétque ab omni seruitutis labe, infamiæque inquinamento? At quo nõ longè erat Chrysol. Chrysol. ser. 143. aiens: *Quæ nascendi necessitas Deo, cui suppetit faciendi potestas? Quæ? Vt ipsam naturã nascendo reficeret, quam fecerat operando; quia quæ facta fuerat, vt generaret ad vitã, generabat ad mortem. Per peccatũ primi hominis natura lethale vulnus accepit, & cœpit esse origo mortis, quæ erat initiũ vitæ. Hoc est ergo negotium natiuitatis, quod nasci compulit Christum.* Vt primorum parentum error captiuum sub mortis tyrannide, & peccati lege tenebat humanũ genus, sic vt illam nostri generis oppressionem abrumperet, veniẽs Deus, adductus fuit, vt ex homine nasceretur. Sic enim cõgruentissimè seruitutis, & peccati leges à primis parentibus introductę funditùs possent euerti, quando tantus filius necessãriò extolleret genus suũ, etiam quibuscunque legibus renitentibus. Nunquam enim boni filij non proficiunt parentibus. Post vituli adorationem iratus Moyses, ait Exod. 32. ad Aaron Exod. 32. *Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum?* Hoc enim verbum asperum audio dictum ad Aaronem pro tãto peccato; de popularibus autem: *Ceciderunt illa die quasi triginta millia hominum.* Et quæstio est, cur Aaron maiores pœnas non dederit? Pro quo ait Diodor. in cat. Græc. Diodor. *Accessit Moyses maximus deprecator, & quos de lumbis Aarõ Deus processuros videbat, Samuelem, Eliam, Ioannem Baptistam, quibus, facilè immemor Deus iniuriarum, virum absoluit.* Sic viri processuri de Aaron patrem liberarunt à pœna delicti.

§. VIII.

Fœminarum consilia rarò non sunt exitialia propriæ familiæ.

NVtritum, alúmque puerulum Moysem tradidit mater eius, & nutrix filiæ Pharaonis: *Quẽ illa adoptauit in locum filij.* Et quale hoc consilium Reginæ in adoptando, & conseruando puerulo? Sanè parẽti suo, & toti Ægypto exitialissimum fuit. De quo D. August. August. in cat. *Dum paruulum seruat ignara, patrem decipit incauta. Dignum malitiæ eius erat, vt filiæ prouisione periret.* Et quando fœminarũ prouidentiæ, & consilia suis nõ attulerunt perniciem? Huc adducam Macronem illum Imperij Romani columen, qui toto conatu curauit, quòd Tyberius Caium regno præficeret, à quo tota Macronis familia extincta fuit. Sed quo modo potuit fieri, quòd Macro solertissimus vir tantam suæ domus extolleret perniciem? Id faciebant mulieris Macronis preces assiduè. Ait enim Philon. lib. de legat. ad Caiũ. Philon. *Quidquid progermanis frãtribus, ac filiis afferri poterat, hoc totũ, & amplius afferebat Macro pro Caio apud Tyberiũ: in causa fuerunt, non solùm officia mutua, sed & vxor Macronis, quæ quotidie maritũ incitabat, ne vllam occasionẽ fauoris, & iuuandi iuuenis prætermitteret. Verumtamẽ post nõ multos dies Macro infœlix sublatus est è medio vnà cũ vxore sua, extrema pœna repensa sibi pro immodico studio,* &c. Ecce tibi vxor Macronis virũ stimulat, vt Caio faueat, à quo & ipsa, & vir miserè trucidantur in mercedẽ tanti beneficij. Solet enim sæpè fœminea prouidentia hanc eligere suis perniciem. Non absimile quid accidit. 4. Reg. 11. vbi Athalia pessima occidebat omne 4. Reg. 11 semen regiũ, dicit enim textus: *Tollens autem Iosaba filia Regis Ioram sororOchoziæ furata est eum de medio filiorũ Regis, qui interficiebantur, & nutricem eius de triclinio: & abscondit eum à facie Athaliæ, vt non interficeretur. Erátque cũ ea sex annis clam in domo Domini.* Erat equidem Iosaba soror defuncti Regis, & vxor summi sacerdotis Ioiadæ, & ideò facilè potuit abscondere in templo regiũ infantulum. Sed cùm plures essent filij Regis, qui interficiebantur, erga nullũ alium seruandum fuit solicita Iosaba, nisi erga hunc paruulum Ioas, in hoc vno seruando totã suam curã, & prouidentiam cõstituit. Et quidẽ hic vnus exitialis fuit mulieris familiæ, quando mariti sui filiũ Zachariã occidit. Ait enim. 2. Paral. 24. 2. Par. 24 *Et non est recordatus Ioas Rex misericordiæ, quam fecerat Ioiada pater illius,* nempe Zachariæ. *secum, sed interfecit filium eius.* Sic mulieris consiliũ, & prouidentia in suorum exitium solent ruere. Quod sapienter notans D. Athanas. orat. contra Idola, gẽtes irridet, quæ de fœmi- Athan. neis numinibus sperabãt auxiliũ. Ait enim: *Vtinã intra mares studium istud vecors idololatriæ cõstitisset, neque fœminis detulissent diuinũ nomen. Nam & fœminas, quas neque ad commune de republica consilium tutũ est admittere, illas ipsas Deorum religione, vt numina venerantur.* Quid stultius? Putant esse diuinitatẽ in fœminis, quarũ prouidentiæ, & consilia suspecta debent esse in qualibet ordinata Republica, vt quæ semper in exitialia inclinent. Qui ergo vel domui, vel Reipublicæ, vel regno amat prouidere, caueat fœminea consilia, caueat fœminarum prouidentiam, nisi fortè aliquam virginitatis gloria illustrẽ inuenerit, quo enim virginitas remotior est à fœminea fragilitate, eo aptiorẽ ostendit alumnam suam moderando imperio. Quò spectauit D. Cyril. D. Cyril. Alex. lib. de recta in Deum fide ad Theodosium, dicẽs Imperatori: *Incitor, nescio quomodo, vt rectæ fidei Canonẽ ab Apostolis traditum, & commentariolo hoc breuiter comprehensum, veluti spirituale quoddam Xenium, cùm vestræ maiestati, tum ipsis quoque Reginis veræ pietatis studiosissimis offeram, vt quæ ambæ, vnà cum vestra serenitate coruscent, insignitérque floreant. Altera enim sobole vobis exoptatissima fœlix regni vestri sceptris perpetuæ successionis spem adfert: altera verò inter virgineas gemmas sensim adolescens regni vestri præclarissimi curas vobiscum cõmunes habet.* Expende nouum quid, & rarò, aut nunquam exauditum à Theodosio Imperatore peractum. Ad regni curas fœminam euocauit, cum illáque partitus est totius imperij solicitudines: sed quæ hæc fœmina? An eius vxor? Habebat quidem vxorem piissimam, sed relicta vxore filiorum educandorum curis, virginitate conspicuam sororem conspicatus, quam virginem nouit, non dubitauit ad regni curas vocare, nihil timens

timens fœmineæ infœlicitatis, in ea, quæ virgineo ſplendore radiabat.

§. IX.

Præclari gubernatores in Regum aulis debent educari.

QVem primum ſaluatorem, & gubernatorem populi ſui Dominus erigebat, vide qualem illi educationem parabat, nimirùm qualis habetur in magni Principis aula. Ait enim textus: *Adultum tradidit filiæ Pharaonis, quæ illum adoptauit in locum filij.* Non paſſus eſt Deus, vt, qui futurus erat tanti populi gubernator, in domo priuata, inter priuatos parentes adoleſceret, ſed quòd iam puer raperetur ad aulam, vbi commodiùs in præclarum gubernatorem figuraretur. Rem ponderans Lyppoman. in cat. ait: *Tantum abfuit, vt Moyſes perire potuerit per Regis crudelitatem, vt ipſum quoque intra regiam aulam ſuam educari oportuerit. Intra aulam certè proficere commodiùs potuit ſcientia rerum multarum ob conſortia ſapientum, experientia rerum omnium, & potentia rerum agendarum.* Variarum rerum notitia, experientia, & induſtria agendorum, quæ gubernatori optimo neceſſaria ſunt, nõ in priuatis domibus, nec in priuatis ſtudiis, ſed in aulæ negotiis commodiùs, & citiùs addiſcuntur. Et mirum erit, ſi ad clauum regni vtilis accedat, qui aliunde, & non de aulæ medio, de curiæ negotiis fuerit aſſumptus. Componite primos Iſraëlitarum Reges, alter fuit Saul, alter Dauid, vterque è priuata domo vocatus ad regnum fuit, Saul dum aſinas patris quærit, Dauid dum paucas paſcit ouiculas. At Saul ſic ſe geſſit in regni adminiſtratione, vt regnum amitteret, Dauid autem & ſtrenuè regnat, & ſolium ſuum in ſæcula ſtabiliuit. Et vnde tam bonus Dauid in regno, & tam malus Saul? Hoc vnum inuenio in illis diſcrimen, quòd Saul è priuata deſignatus ad regnum, ſtatim eius adminiſtrationem ſubiit, nullius alterius Regis curiam, nullius alterius aulam intrans, nec videns. Ait text. 1. Reg. 10. *Tulerunt eum inde?* nempe Saulem de domo priuata, in qua latebat: *Stetítque in medio populi, & altior fuit vniuerſo populo ab humero, & ſurſum. Et ait Samuel ad omnem populum, certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo. Et clamauit omnis populus: Viuat Rex: Sed & Saul abiit in domum ſuam in Gabaa, & abiit cum eo pars exercitus*, &c. Expende, vt priuatus homo, & è priuata domo in regnum aſſumitur; & vt ſtatim ipſe in priuata domo exercitus adminiſtrationẽ, & regni gubernaculum ſumit. Dauid autem cùm electus ad regnum ageret puer in domo paterna, dexteritatis in pulſanda cythara occaſione ad aulã Saulis euocatus fuit. Sic 1. Reg. 16. *Miſit ergo Saul ad Iſai nuncios, dicens: Mitte ad me filium tuum Dauid, qui eſt in paſcuis. Et venit Dauid ad Saul, & ſtetit coram eo: at ille dilexit eum nimis, & factus eſt eius armiger.* Et quando Saul deſignatus ad regnum, ad nullius Regis aulam vocatur, ſed ſubitò è priuata domo, belli, pacíſq; regni negotiis præponitur, cur & Dauid non ſimiliter regno inſeritur? Cur magis prouidit Deus in Dauide, quòd poſt vnctionem, antequam regnum caperet, in aulam Regis Saulis vocaretur, ibique moraretur Regi factus familiaris, & Principibus? Sanè, vt ſapienter noſter Salianus notabat, in Dauide is formabatur gubernator, qui regnum Iſraëliticum promoueret, in immensúmque erigeret, ideò prouiſum eſt, vt in aula adoleſceret, & inter regni negotia, pacis, bellíque rationes, & cuncta, experientia duce, perdiſceret. Aliter in Saule formabatur gubernator, qui regnum perderet; ideò non miror, quòd de priuatis negotiis aſſumatur, & ſubitò ingeratur regni negotiis communibus: & antequam aulæ guſtum perciperet, nec regiam vllam videret, iam clauum totius haberet Reipublicæ. Hinc etiam Geneſ. 39. dicitur: *Ioſeph ductus eſt in Ægyptum, emítque eum Putiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus ſui: Inuenítque Ioſeph gratiam coram Domino ſuo, & miniſtrabat ei; à quo præpoſitus omnibus gubernabat creditam ſibi domum*, &c. Vide, vt Deus non permiſit Ioſephum diutiùs morari apud mercatores, ſed illum in domum Principis duxit, ibíque illi totius palatij curam dedit. Et cur hæc, niſi quia ordinabatur ad adminiſtrationem regni Ægypti? Nazianzen. orat. 1. in Iulian. *Ioſeph dum venderetur, & amaretur, & liberaretur, & potentiam obtineret, maioríſque diſpenſationis cauſa, diſpenſatoris munere fungeretur*. Expende illud, *Maioris diſpenſationis cauſa*, &c. vt enim ad magni regni adminiſtrationẽ ducebatur; ſic debuit in Principis minoris aula exerceri.

Lyppom. 1. Reg. 10 Gen. 39. Naz.

Exod. 2. In diebus illis, poſtquam creuerat Moyſes, egreſſus ad fratres ſuos, vidit afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus ſuis. Cúmque circunſpexiſſet huc, atq; illuc, & nullum adeſſe vidiſſet, percuſſum Ægyptium abſcondit ſabulo. Et egreſſus die altero conſpexit duos Hebræos rixantes, dixítq; ei, qui faciebat iniuriam. Quare percutis proximum tuum? Qui reſpondit; Quis te conſtituit Principem, & iudicem ſuper nos? Num occidere me tu vis, ſicut heri occidiſti Ægyptium? Timuit Moyſes, & ait: Quomodo palam factum eſt verbum iſtud?

§. X.

Potentia fœmineo nitens fauore, nunquam non terribilis, crudeliſque.

MIraris Moyſem ob lenitatem, & manſuetudinem cantatiſſimum, quòd dum adhuc aulam Ægyptij inhabitat, ſub regiáque ibi ſplendet dignitate, filiæ Pharaonis filius adoptatus, tam ſubdita exardeſcat ira in Ægyptios, & Ægyptium morte percutiat, & ſepeliat Sabulo. Ait enim text. *Percuſſum Ægyptium abſcondit Sabulo.* Vnde hanc duritiem ſanguinolentam concepit vir alioquin mitiſſimus? Nónne vt Princeps Ægyptiorum erat, in illóque regno potentiſſimus, & percutientem Ægyptium poſſet mitiùs corrigere, & Hebræũ percuſſum liberare? Cur maluit reus videri Ægyptij ſanguinis, qui ad eorum imperium deſignabatur? Erat tota illa Moyſis in Ægypto potentia in fauore filiæ Pharaonis fundata, & quando quidquid Moyſes valet, in fœmino fauore fundatur, non miror, quòd eius valentia ſanguinolenta ſit, & tota terribilis appareat. Me in hanc cogitationẽ coniecit D. Athan. qui epiſt. ad ſolitariam vitam agentes de Euſebianis Hæreticis locutus, ſic fatur: *Euſebiani contra, neque cauſam dixerunt, neque de impietate ſcriptorum ſuorum conuicti, pudore repreſſi ſunt, ſed potius graniùs in omnes ſæuierunt, & quia per fœminas ad Cæſarem commendationem habent, cunctis ſe terribiles præbuere.* Expende ab illis, *& quia per fœminas*, &c. fœminarum enim fauore adiuti Euſebiani apud Cæſarem valebant, ex quo nullam non ſæuitiam, & crudelitatem in alios imbibant. Compone modò id quod accidit 4. Reg. 6. cum eo, quod accidit Æſteris cap. 9. Ibi Iſraëlitarum hoſtes infeſtiſſimi, nimirum exercitus Syrorum neſcientes adducti ſunt per Eliſæum in ciuitatem Samariæ, ibíque clauſi tenebantur, vt facili negotio poſſint interfici ab Iſraëlitis. At Iſraëlitæ de conſilio Eliſæi hoſtibus pepercerunt, imò illos cibarunt, vt læti, & ſaturi redirent in patriam. Ait enim textus 4. Reg. 6. *Appoſitáque eſt eis ciborum magna præparatio, & comederunt, & biberunt, & dimiſit eos, abieruntque ad dominum ſuum.* Longè aliter ſe geſſerunt Iudæi cum hoſtibus ſuis. Æſter. cap. 9. vbi ait: *Per omnes prouin-*

Athan. 4. Reg. 6 Æſter 9

cias,

ciat, quæ ditioni Regis subiiciebant, pro animabus suis steterunt Iudæi interfectis hostibus, ac persecutoribus suis: in tãtum vt septuaginta quinque millia occisorum implerentur, &c. Et vnde natum est tantum discrimen in Israëlitis; vt qui tunc adeò lenes fuissent in hostes, nunc adeò seueri, & rigidi? Tunc nullus Iudæus, cùm facilè posset, ausus est hostẽ lædere; nunc in tot millia sic sęuierunt, vt nullum permitterent viuere. Vnde hoc? Sanè in primo Iudæorum valentia in hostes nitebatur in Elisæo propheta, in secundo autem nitebatur in Æstere Regina. Nec miror, quòd viri alioqui mites, vbi per fœminam valebant, rigidi apparerent, & terribiles. Hinc Gen. 4. Genes. 4. *Dixit Lamech vxoribus suis Adæ, & Sellæ: Audite vocem meam vxores Lamech; auscultate sermonem meum: Quoniam occidi virum.* Et cur Lamech cum vxoribus suis agit de homicidio à se perpetrato, quod vt memorat, non vnam vxorem, sed plures à se habitas ostendit? Crediderim inde voluisse Dominum monstrare, quàm iunctus sit homicida, & crudelis animus cum ingenio ad mulieres currente. Quò respiciebat D. Hieron. lib. Hieron. 1. in Iouinian. fatus: *Primus igitur Lamech sanguinarius, atque homicida, vnam carnem in duas diuisit vxores.* Quando à Deo vna fœmina data est homini in adiutorium, Lamech fœminarum primus multiplicauit adiutoria; Lamech, inquam, sanguinarius, & homicida. Nequiuit enim fieri, vt qui fœminarum multiplicabat sibi adiutoria, non simul laboraret crudelitate in alios homines. Vt dicat Æsdras lib. 3. c. 4. *Oportet vos scire, quoniam mulieres dominantur vestri. Nónne doletis? Et accipit homo gladium suum, & vadit in viam facere furta, & homicidia, & mare nauigare, & flumina, & leonem videt, & in tenebris ingreditur, & cùm furtum fecerit, & fraudes, & rapinas amabili suæ affert.* Ecce tibi, vbi homines sese mulieribus addicunt, in quæ ferantur, nimirùm in gladios, in furta, in rapinas, in homicidia, quasi in his solùm debeant fœminæ pasci.

3. Æsdr. 4.

§. XI.

Sapientes Principes maximè cauere, & vereri debent potestate vti absoluta in moderanda Repub.

STo à sententia communi Doctorum, asserentium Moysem licitè mortem intulisse Ægyptio, tum quia à Deo designatus iam erat defensor Israëlitarum, tum quia habitus Pharaonis nepos, & regni hęres, cuius erat punire eum, qui coram se tam impudenter peccabat. Quam sententiam cum suis authoribus refert, & sequitur noster Salian. anno 2503. in 2. tom. Annal. Quo suppositò, notanda sunt illa verba textus, nimirùm: *Cúmque circumspexisset huc, atque illuc, & nullum adesse vidisset,* &c. Non enim anteà ausus est percutere Ægyptium, quàm certus fieret, quòd à nemine videretur. Quod grauem, & elegantem facit quæstionem, cur nimirùm Moyses, quando à Deo erat designatus defensor Israëlitarum, & Ægypti Princeps erat, quibus à capitibus licitè percutere poterat in scelere deprehensum reum; cur, inquam, sic cauet, sic veritus est, ab aliis in hac punitione cerni? Cur ô bone, cùm Princeps sis, vereris manifestum reum punire? Puniebat Moyses reum, non iuxta leges ordinarias, quæ præscribebant modum puniendi, iuxta quas ordinariè puniebantur rei à Rege, & à iudicibus; sed Moyses iis minimè expectatis, absoluta vtens potestate reum manifestum puniebat, quod absolutè Reges facere possent. At bonus, & sapiens Princeps, vbi ad potentiam absolutam exercendam accedit, meritò cauet, & veretur videri, nunquam enim non est sapientis Principis cauere, & vereri vti absoluta potentia. Hinc commendat Ierem. Salian. Ier. 23. capit. 23. cantatissimum hominum Principem Iesum, fatus: *Ecce dies venient, dicit Dominus; & suscitabo Dauid germen iustum: & regnabit Rex, & sapiens erit.* Chaldæus legit; *Suscitabo Dauidi Messiam*, ita & D. Hier. Theodor. Raban. & cum omnibus Hebræis Vatablus: datur enim ibi aperta promissio de excitando Saluatore in domo Dauid, de eius lumbis, qui sapientissimi Regis impleat munus. Sed expende, quod ponatur fundamentum sapientissimi regni, imò & fœlicissimi, nimirùm; *germen iustum*: Et cur germen iustum, & non magis dicitur germen potens? Quasi in eo res consistat, quòd Princeps creaturarum Iesus, sapientiam, & fœlicitatem ostendat suam, quòd non potenter, sed iure velit etiam cum hostibus confligere, & ideò, qui erat Deus, factus est Dauidis filius. Rem pulchrè edisserit Euseb. Gallicanus hom. 6. de Paschate, inquiens: *Quid est, quòd semetipsam diuinitas exinaniuit? Non poterat, per potentiam brachij sui liberare à potestate Diaboli hominem suum, vt necessum non haberet humanum corpus assumere? Sed non debebat homo per potentiam quasi innocens liberari. Conditio enim humana, quæ per peccatum primi hominis tenebatur obnoxia, non imperio erat eruenda, sed pretio. Potuit Filius Dei, hostem humani generis, & in cælo positus, nutu ipso diuinitatis elidere; sed ne quid tale Diabolus conqueri posset, placuit Deo secundum iustitiam suam pro humano genere offerre Filium*, &c. Potentissimus Deus cauit sua potentia absoluta vti, vt spoliaret tenebrarum Principem; & quando per potentiam illum absolutè spoliare posset, à potentia abstinuit, & ad bellum descendit iustitiæ, ne querimoniæ maneret locus vllus. Vtinam hanc ex Deo imbibant mentem mundi Principes, & sic agant cum subditis, vt caueant potestate vti absoluta, sed malint in legalia fori decẽdere iura. O quàm obstrueretur locus querelis! O quã pacatè tenerentur regna, & quàm augerentur tranquillè! Vbi serpens antiquus homines sibi rapuit in paradiso, ait Dominus ad illũ, præmonstrans Mariam. Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuum*, &c. in tẽpus futurum reiiciens curationem illius vulneris. Sed cùm id ipse statim facere potuit, & dæmonem spoliare, vel antequam vllus hominum intraret tenebrarũ carcerem, cur maluit tot sæcula expectare, vt carcerem confringeret? Nónne id tunc potuit præstare? Potuit equidem id Deus facere, sed esset maximam inferre violentiam tyranno, quare iustissimus, sapientissimúsque Princeps maluit expectare moras iustitiæ, quàm pro potestate inferre violentiã vllam. Ait D. Aug. q. 83. ex nouo testam. *Saluator inter ipsa primordia venire non debuit. Tunc enim Diabolus, superato homine, triumphauit: hic victus genus suum subiecit peccato. Quamobrem iniustum erat victori violenter auferre spolia, quia Deus quod facit, iustè facit. Quanquam enim omnia possit Deus, illud facit, quod conuenit rationi, vt irreprehensibilis perseueret.* Hæc sit sapiẽtis Principis forma, ne solùm spectet, quod potest, sed quod sine violentia, & querimoniis potest. Et quamuis omnia absolutè possit, illa semper caueat, quæ violentiam sonant, quæ non venient ad effectum sine querimoniis. Fallar enim, si quid pernicioſius est Principi in regni administratione, quàm si solùm respiciat ad id, quod absolutè potest. Vnde Diod. Sicul. lib. 1. Hist. in Rege Diodor. Ægyptio præclarissimo omnium depingit gubernatorem. Quippe ait: *Primi Ægyptiorum Reges non pro cæterarum institutio Monarcharum vitam agebant, vt omnia scilicet ad sua arbitria, nullis obnoxij censuris, moderarentur. Sed vniuersa, non modò publicè gerenda, sed & quotidianæ vitæ regimen, & victus ratio ad legum normam conformata erant.* Et nullus vnquam sapiens imperium duraturum constituit, quin Principem non adstringeret legibus, ne potestate operaretur.

Auguſt. Euſeb.

§. XI.

Præstantissimi gubernatoris est cauere verba contumeliosa in corrigendo fratre, & subdito.

OBserua optimi gubernatoris indolem in Moyse Hebræos rixantes corripiente, ait enim textus:

Conspexit

Conſpexit duos Hebræos rixantes, dixítque ei, qui faciebat iniuriam; Quare percutis proximum tuum? Nullo ignominiæ vocabulo reum percutit, ſolùm crimen illi obiicit, omni ablato exaggerationum ſtrepitu, nullúmque verbum promit, quod reum exacerbare, & maculare queat. Quantum hoc præſtantiæ in gubernatore? Hinc
Caſſiod. Caſſiod. lib. 10. var. 7. extulit quendam Patritium, fatus: *Certaminibus eius modeſtia ſemper affuit: dicendi calore raptatus, ſtuduit laudabilibus inuentis: non quod plerique faciunt, vacauit iniuriis, qui ſic perorauit cauſas ſub tranquillitate, vt mores proprios ſemper aſſereret.* Odi in Præſulibus, in patribus familiâs, quòd neſciant ad vitia carpenda accendi, quin fædiſſimarum rerum vocabulis feriant ſubditos, in hoc cloacarum ferè nihil diſſimiles, quæ dum commouentur, nihil non fædum voluunt, nihil non fætidum ſpirant. Aliter præſtantes homines, etiam corripiendi calore raptati, nulla non inueniunt verba laudabilia, quia nihil intrinſecùs retinent non pellucidum, non tranquillum. Quòd ſi reus aliquis ignominioſis debebat percuti vocabulis, is erat crudeliſſimus ille epulo, qui poſt deſpectum Lazarũ, cùm in
Luc. 16. tormentis eſſet, clamabat Luc. 16. *Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Sic miſer, vt dolores Lazari deſpexerat, nitebatur & eius requiem turbare, ſemper crudelis in illum. Cui tamen reſpondit Abraham: *Fili recordare, quia recepiſti bona.* Quid tranquillius? Nequiſſimum pauperum verberonem & corripit, & vocat filium, cauens vel in illum iaculari contumelioſum verbum, in quem meriti iacula-
Chryſoſt. bantur ignes. Hinc D. Chryſ. concion. 2. de Lazaro, inquit: *Vide philoſophiam, vide humanitatem iuſti. Non dixit, inhumane, crudelis, ſceleratiſſime, cùm tam multa cõmiſeris in hominem, nunc mentionẽ nobis facis miſericordiæ? Non pudet? Nõ erubeſcis? Sed quid dixit? Fili, inquit, recepiſti bona.* Hæc eſt magnorum gubernatorum, & patrumfamiliâs philoſophia præſtantiſſima; quòd in corrigendis ab omni verbo contumeliæ abſtineant, ſed ſemper ſtudeant inuentis laudabilibus. Non aliter Ioſ-
Ioſue 7. ſue cap. 7. locutus cum Acham per ſortes diuinitùs reo deprehẽſo, & authore calamitatis Iſraëliticæ apud Iericho, ait illi: *Fili mi, da gloriam Deo, & confitere, atque indica mihi, quid feceris.* Authorem calamitatis noſcit, & filium vocat, cur non magis acerbis illum verbis im-
Carthuſ. perit? Ait Carthuſ. ibi: *Sanctus Ioſue vir diſcretus, ac manſuetus, non turbulenter, ſed piè, ac mitè primò alloquitur reum, ne ex dura allocutione perterritus, aut exacerbatus non acquieſcat veram dare reſponſionem.* Et quidẽ bonus Præſul, etiam inter apertiſſima ſubditorum crimina, nihil agit turbulenter, nec voce tonat, nec verbis fulminat, ſed tranquillè, & placidè conuenit reum, illúmque ſceleris admonet, & correctionem expectat.

§. XII.

In poteſtate humana nil prius apparet, quàm mortis rigor, in diuina lenitas, manſuetudo.

NOn præteribo hominis Hebræi argumentũ Moyſi obiectum, dum inquit: *Quis te conſtituit Principẽ, & iudicẽ ſuper nos? Nunquid occidere me tu vis, ſicut heri occidiſti Ægyptium?* Duo illi obiicit iratus homo, & iudiciariæ poteſtatis præſumptionẽ, & homicidij voluntatem. Quòd ad occiſionem inclinet, non improbabiliter colligit ex præcedẽti Ægyptij occiſione peracta à Moyſe, vt enim Ægyptius occiſus fuit à Moyſe, ea ſolũ ratione, quòd viſus eſt iniuriã facere Hebræo; ſic nõ abſurdè ſuſpicatur iſte, ſimilem iniuriã inferens, ſe poſſe vocari in mortẽ. Vnde voluntatẽ occiſionis non prorſus improbabiliter ex præcedenti facto obiiciebat Moyſi. At iudiciariæ poteſtatis præſumptionem in Moyſe fuiſſe vnde colligere iſte potuit? Non quidem ex verbis, quando hæc mitiſſima, & ſimpliciſſima fuere, ſolùm enim dixit: *Quare percutis proximũ tuum?* Hoc autem quilibet priuatus homo & dicere, & interrogare poſſet. Vnde ergo potuit iſte colligere in Moyſe poteſtatis præſumptionem? Sanè id collegit ex notiſſima manſuetudine Moyſis, & Ægyptij ab illo peracta occiſione, ſola enim præſumptio poteſtatis poſſet hominem adeò mitẽ trahere in ſanguinis effuſionem. Sicut enim poteſtas diuina ex lenitate, ſic poteſtas humana ex ſanguinolento rigore noſcitur. Huc reuoco cõpoſitionem illam Moyſaici tabernaculi, in quo duo altaria erant, aliud interius, in quo adolebantur incenſa, aliud exterius, in quo victimæ cremabantur. Illud aureum erat, hoc æreum; de vtroque, Num. c. 4. ait Dominus: *Num. 4.*
Necnon & altare aureum inuoluent hyacinthino veſtimento: Sed & altare mundabunt cinere, & inuoluent illud purpureo veſtimento. Aureum & interius altare hyacinthinis velari iubet, exterius & æreum altare purpureis. Et cur hyacinthinus color fulgeret ab interno altari, purpureus ab exteriori? Pulchrã rei cauſam offert Theod. in cat. Græca, fatus: *In penetralibus hyacinthinus* *Theod.*
color renitebat, cœlum indicans, vbi nulla ſupplicia delictorum inaudiuntur: extrinſecùs purpura fulgebat inſigne terrenæ poteſtatis, quæ ſcelera ſanguine ſolet expiare. Et meritò nihil ſanguinolentũ oſtẽditur extrinſecùs, vbi ſignatur poteſtas cæleſtis, & diuina, vbi autem terrenæ poteſtatis aſſerebatur inſigne, iã ibipurpureus, ſanguineúſve color affulget, vt quæ per ſanguinis effuſionem expiet crimina. Vbi ergo ſanguinolentum quid affulget, terrena ibi agnoſcitur poteſtas, non cæleſtis, neque diuina, quę magis in lenitudinẽ inclinat: Hinc 3. Reg. 17. vt percutiantur Iſraëlitæ, ait Elias: *Viuit Do-* *3. Reg. 17.*
minus Deus Iſrael, in cuius cõſpectu ſto, ſi erit annis his ros, & pluuia, niſi iuxta oris mei verba. Et ros, & pluuia res erãt poteſtatis cęleſtis, cur Elias illa proprio arbitrio nititur regere? Cur non magis illa in Dei arbitrio ponũtur, quàm in hominis placito? Quærebatur poteſtas, quæ feriret rigoroſè reos, & inde Deus ſuã cauit poteſtatem, & res cæleſtes permiſit poteſtati terrenæ. Ait D. Baſil. Sel. orat. 11. *Reuerius ſiquidem Deus eſt ardorem* *Baſil.*
charitatis ſuæ, & Eliæ creaturæ habenas permiſit. Vbi ſupplicium erat inferendum ſuæ charitatis ardorem cauit Deus, & rerum poteſtatem permiſit Eliæ, neſcit enim humana poteſtas inter reos verſare ſine gladio, ſine ſanguine, ſine vulnere. Vnde in Thaboris gloria ad mundi iudicis conſpectum dulcedine madidus Petrus clamat Matth. 17. *Domine, bonũ eſt nos hìc eſſe. Faciamus* *Matt 17*
tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnũ, & Eliæ vnũ. Quẽ ſic loquentem inſcitiæ damnat D. Lucas cap. 9. Et cur Petrus damnatur inſcitiæ in hac poſtulatione? Meritò inſcitiæ dãnatur, dum Moyſis poteſtatem eiuſdem rationis putat eſſe cũ poteſtate Chriſti; quando Moyſes accepta poteſtatis virga ipſum mare percutit, & acri verbere in partes diuidit, Ieſus autem nec inter tumentes fluctus minimam nouit cauſare ſciſſuram. Pulchrè ad hæc Proclus ſer. de Tranſ. inquit: *O Petre, diſcipulo-* *Procl.*
rum caput, & anteſignane, quid humili intellectu, & humana cogitatione res diuinas infamas, & tria tabernacula te excitaturum dicis? Seruos pari cũ domino conſtituis dignitate, & honore? Num Moyſes, & Elias legiones damonum ex hominibus ieceruni? Moyſes aliquando iratus eſt, & baculo percutiens mare diuiſit: tuus verò Magiſter Deus ſuper mare ambulans, tibi Petro profundum peruium fecit. Expende diſcrimen Moyſis, & Chriſti euidentiſſimum; ambo poteſtatem habent in mare; ſed Chriſtus tempeſtate commotos fluctus ingreditur, & fluctus componit: & nec minimum illis ſciſſuræ ſignũ imprimit; Moyſes autem poteſtatis virgam exſerens, & mare percutit, & fluctus verberat, & in partes ſecat. Neſcit equidem humana poteſtas non ſe oſtendere à diuina diuerſam ex percuſſione, ex verbere. Quam differentiam præclarè attigit in Elia, & Deo ſubſtollẽte Eliam de mũdo, 4. Reg. 2. D. Baſil. Sel. orat. 11. apud *4. Reg. 2. Baſ. Sel.*

quem

quem sic Deus fatur,rationem reddens,cur Eliam tollat: *Tibi peccantes cernere graue spectaculum; mihi verò, qui sum Dominus,lex de humanitate scripta est,me ipsum debitorem clementiæ constituo.* Sic ibi ostenditur,vt homo de rigore, Deus de humanitate sibi leges faciant.

§. XIII.

Potestas in alios nunquam exercetur sine periculis, sine discriminibus.

ILlud in præsenti maximè ponderandum est, quod ait textus: *Timuit Moyses,& ait: Quomodo palam factum est verbum istud.* Et quidem quadraginta annos Moyses ante hæc vixerat, & si credimus Iosepho, & Philoni, multa pararat facinora,in nullum tamen timorem dicitur incidisse, vsque dum ad istud facinus peruenit, quo vindicẽ, & Saluatorem cœpit agere populi Israëlitici.Nec miror,quòd metus,& solicitudines veniant simul cum potestatis exercitio; nulla enim potestas in alios est,quæ non scateat periculis.Quis numeret curas,solicitudines,metus,suspiria,gemitus regnantium?Sapienter in hanc rem aiebat Sidonius Apoll.lib. 2.epist 13. *Nunquam ego assentior,vt fortunatos putem, qui Reipublicæ præcipitibus,ac lubricis culminibus insistũt. Nam dici nequit,quantũ per horas fert in hac vita miserarum vita fœlicium istorum, nimirùm, qui supergressi ius, fásque commune,summam beatitudinem existimant, summam potestatem,hoc ipso satis miseriores, quòd parum intelligunt inquietissimo se subiacere famulatui. Maximus ille nuncupatus Augustus,ac sub hac specie Palatinis liminibus incluſus, ante crepusculum ingemuit, quòd ad vota peruenerat. Namque cùm cæteros aulicos honores traquillissimè percurrisset,ipsam aulam trubulentissimè rexit inter tumultus militum, popularium,& fœderatorũ.*Et quid citiùs regnantium animos tenet,quã tumultus,quàm pericula? Ex Dei promissione habebat Abraham, quòd dominaturus erat terræ Chananæorum, scire autem cupiens Abraham quando, & per quem dominatus ille in sua esset deuoluendus, quærit ex Deo Gen. 15. *Domine Deus,vnde scire possum,quòd possessurus sim eam?* Scire bonus amabat, si ad suam personã pertineat dominatus ille,de quo certior fieri cõtendit ex Deo. Cui Deus: *Scito prænoscens,quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Et post hæc egrediẽtur cum magna substantia: Tu autem ibis ad patres tuos in pace.* Expende quæso, & Abrahami postulatũ, & Dei responsum, Abraham postulabat, vt diceretur ei, si ipse esset dominaturus Chananæorum; Deus autem respondit, hoc solùm de Abraham, quòd nimirùm vitã ducet in pace: *Tu ibis ad patres tuos in pace.* Quid hoc ad postulationem Abrahami? Ille postulat informari de regno, Deus de pace respondit? Cur Deus non magis de regno loqueris?Cur pateris hominem tuum ignorare de regno suo decretum diuinum, & solùm eum informas de pace? Equidem vbi dicit Deus,quòd Abraham ducet vitam in pace,euidentissimè monstrat,dominatum minimè ad eius pertinere personã: quando dominatus cum pace,sine tumultibus, & periculis esse non potest? Ait Theod.in cat.Græca: *Docetur Abraham quo pacto, quo etiam tempore imperio eius prouinciæ potietur.Cuius expertem fore Abrahamum demonstrat, quando ait: Tu verò in pace vitã absolues.* Tunc apertè quis minimè dominaturus explicatur,cum dicitur vitã acturus in pace:nunquam enim tranquillitas,& securitas viuendi conuenit cum principatu. Hinc natũ est illud, quod accidit ipsi Abrahamo volenti emere sepulcrũ in terra Chanaam à filiis Heth. Sic Genes. 23. *Locutus est Abraham ad filios Het,dicens: Aduena sum,& peregrinus apud vos, date mihi ius sepulcri vobiscum,vt sepeliã mortuum meum? Responderunt filij Heth,dicentes: Audi nos Domine:Princeps Dei es apud nos, in electis sepulcris nostris sepeli mortuum tuum.* Vbi noster posuit: *Princeps Dei es apud nos.* D. Chrys.ex Græco trãstulit: *Rex à Deo tu es in nobis:* quasi iam præsagirent regnum terræ illius ad Abrahamides pertinere. Sed expende,quid primò offerant ei, quem ditionis illius Regem prædicant; nimirùm aiunt: *In electis sepulcris nostris sepeli mortuum tuum.* Cur non magis Principem muneribus colitis? Sanè nihil prius cũ principatu,& regno coniuge,dum est,quàm sepulcrum,& mortis expectatio.Theod.ad cap. 15.Gen.in cat.Græca ait notanter: *Ij admodum officiosi fuerunt in Patriarcham, quem cum Regem sibi à Deo esse acclamarent,cadauer tuũ, dixerunt,in nostris selectis condito monumentis.* Ecce tibi regalis inauguratio,quę munera primò prętẽdat Regi, nimirùm sepulcrum,vt quòd sit imprimis necessarium Principibus, quando nequit esse principatus sine mortis metu. Quò spectans D.Synes.epist.70. dicit amico gratulanti de Episcopatu accepto: *Nosti ad certum anni diem mortẽ mihi prædictam fuisse: fuit ille ipse quo sum Episcopus factus. Sensi mutationem vitæ,*&c. Itaq; prædictionem,quam acceperat de morte obeunda certo die,vidit bonus impleri in eo,quod illo ipso die creatus Episcopus est. Similiter Henrico Bauariæ Duci ostenditur in pariete scriptum illud: *Post sex.* Henricus autem putans post sex dies,deinde post sex hebdomadas,deinde post sex menses, demùm post sex annos se moriturum, parabat se ad mortem. Verùm post sex annos Imperator creatus est,sic enim Deus & imperij, & mortis cogitationem iniecit,vt ostenderet, quàm debeant morti expositi principatus esse.

Exod. 2. Audiuítque Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moysem: Qui fugiens de conspectu eius moratus est in terra Madian.

§. XIV.

Nunquam incolumis apud Deum animus sanguinarius.

ECce tibi propter homicidium peractum cogitur Moyses ab aula,& à curia, imò ab amicis,& fratribus exulare, & inter ignotas Madianitarum nationes vitam agere. Dicit enim textus: *Fugiens de conspectu Pharaonis moratus est in terra Madian.* Sed & homicidium licitè,imò & sanctè peractum fuit, cur ergo permittit Deus, quòd propter illud tam duro exilio Moyses incipiat mulctari? Si iniustè occidisset hominem,æquum esset, vt exilio castigaretur: at quando licitè occidit, & diuino zelo inflammatus, cur sinitur affligi,& eiici à fratribus? Iustè equidem occidit, sed tamẽ,quia occidit, & hominis effudit sanguinem, permittitur in exilia venire, & calamitates, vt ostendatur,quàm erit apud Deum semper obnoxius pœnis animus sanguinarius.Sic lex canebat Num. 5. *Præcipe filiis Israël, vt eiiciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit,polluúsque est super mortuo.* Expẽde,qui eiici debeant è castris Israëlitis,vt exulent apud extraneos,nimirùm *pollutus super mortuo*;hoc est,qui mortuum attingens,maculam incurrit legalem.Quanta hæc macula, & pollutio est,vt propter illam debeat quis à suis exulare? Cur adeò seuerè Deus animaduertit in hominẽ, propterea solũ,quòd mortuum contractauerit? Rationem attigit Theod.in cat.Græca,fatus: *Nam si quis pollutus super mortuo,id est,is, qui tetigerit cadauer,vel ossibus demortui hominis manus admouerit,reiicitur ab aliorum cõtubernio, quanto magis ille,qui ad mortem causas dedit?* Et quidem reiicitur à consortio suorum,qui vel mortuũ tetigerit, vt hinc appareat,quàm erit apud Deum obnoxius supplicio profusor humani sanguinis. Quomodo enim fieri potest, quòd immunis à pœna abeat apud Dominũ,qui hominem occideret, quando & qui vel mortuũ tetigerit,plectitur exilio? Hinc Dauid sanctissimus innocentissimus in hostium Dei perditione,ait ad filium 1.Paralip.22. *Fili mi,voluntatis meæ fuit,vt ædificarẽ domum nomini Domini Dei mei. Sed factus est sermo Domini ad me,dicens;multum sanguinem effudisti,& plurima bella bellasti:*

Apoll.

Gen.15.

Theodor.

Gen.23.

Theodor.

Num.5.

Theod.

1.Par.22

bellaſti : non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuſo ſanguine coram me. Sed Dauid iuſtè, & ſanctè inimicorum Dei ſanguinem fuderat, cur ergo ob hoc non finitur domum ædificare nomini diuino ? Ait Procopius in 2. Reg. 7. *Domum orationis conſtruere Deus Dauidi non permiſit, docens humanitatem omnes quotquot hoc in loco Deum erant inuocaturi. Nam qui vident prophetam non concedere Dauidi propter cædes quātumuis iuſtas, vt Deo ædificet, puras manus à ſanguine habere docentur.* Sic ſanguinum profuſores nunquam nō pœnam imminentem ſibi vident, quando ab illa non iuſta cædes manet immunis.

Procop.

§. XV.

Improbis miniſtris ſcatebit domus, ſeu familia eius Principis, qui patulas præbet aures clandeſtinis delationibus.

VT Moyſes occideret Ægyptium, huc, illuc prius reſpexit, ne ab aliquo poſſet ſentiri, & nihilominùs ait textus: *Audiuit Pharao ſermonem hunc, & quærebat occidere Moyſem*; & res tanta circunſpectione peracta quomodo potuit ad aures Regis peruenire ? Imò vbi cædes adeò occultè, & circunſpectè, & iuſtè fuit perpetrata, quomodo potuit & deferri ad Regem, & ita referri, vt ipſum exacerbaret aduerſus nepotem ſuum? Textus cauſam indicat, dicens : *Audiuit Pharao*, &c. vbi enim Princeps audire amat, & patulas præbet aures delationibus clādeſtinis, nequit fieri, quòd non innumeri inſurgant, qui abſtruſiſſimaq; ęque longis mēdaciis ampliata eius inſuſurrent auribus. Quos ad mortem quæſierat filios Herodes, tandē lenior factus illos hortabatur, ne vllam deinceps ſui ſuſpicionem darent. Quid tūc filij? De illis Egeſſippus lib. 1. Excid. Ieroſol. cap. 4. ſapientiſſimè in rem præſentem fatur: *At illi orare ſimul incipiunt, & polliceri operibus ipſis, in reliquum propriæ fidem defenſioni daturos, tantummodo factum pater expectaret, ne temerè auditis crederet, non enim defuturos delatores improbos, quamdiu auditor credulus ſuppeditaret.* Quid ſapientius ? Detur Princeps credulus clandeſtinis ſuſurris, implicat, quòd eius domus, & familia delatoribus improbis non ſcateat. Quò refero illud Prouerb. c. 29. nimirùm : *Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habebit impios.* Neque enim ſanctis parcent, vt aliquid ſuggerant nimis credulo Principi. Nec erit adeò peruerſus homo, qui non habeat vnde aſcendat ad clariſſimas dignitates Reipublicæ. Ex quo D. Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 275. ait: *Poſtquam Aſpianus in patulas, ac nimiùm credulas Imperatoris aures calumniam inſuſurrauit, vrbis huiuſce quæſturam ab eo accepit : ac tribulos ſuos tot malis, ac calamitatibus affecit, quot etiam fur domeſticus.* Expende, vnde factum eſt, quòd peſſimus hic Aſpianus quæſturam vrbis obtineret, nimirùm ex eo, quòd Imperator patulas, & nimis credulas aures haberet. Qui enim peſſimi ſunt, hoc de facili perficiunt, vt clandeſtinis calumniis, incertiſque rumoribus operam dent; quibus ſi pateant nimis aures Principum, apertiſſima via eſt, qua in dignitatibus conſtituantur peſſimi.

Egeſſipp.

Iſidor.

CAPVT II.

Moyſis nuptiæ, & viſio rubi.

NOndum Apud Arabes nobilitas honori, gloriæque duxerat otium iners; nec actuoſam vitam, vel in mediis agris erubuerat : paſcebant namque greges promiſcuè viri, mulieres, iuuenes, virgines, non plebei ſolùm, ſed & nobiles. Cúmque regio aquarum laboraret penuria, ſeptem lectiſſimæ virgines Madianitæ Sacerdotis, & Principis filiæ præoccupant puteum, ne qui ſub tanta pulchritudine paſcebantur greges, norint aquam ſitire. Iam bis, & ter exhauſtas hydriis de puteo aquas, in proximos alueos præcipitant, & ruſtica turba paſtorum ſuperueniens intuita Principes, ſed contemnens puellas, præoccupatum fontem nititur prima potiri. Procubuerat in herbida vicinia Moyſes, peregrinationis, figuræq; malis inſuetus, qui & innata virtute, & indignitate facinoris excitatus, ſic paſtores deterruit, vt meritò virgines poſſent ſuas iniurias habere lucro. Quæ tantum liberatorē nactæ, inſalutatum relinquunt, magis timentes pudori ſuo ab vrbanis officiis, quàm à ruſticorum iniuriis. Admirationi fuit puellarum parenti feſtinatus illarum receſſus ad ſua ; cuius dum cauſam pandunt, ſimul exponunt, quantum gratiarum debeant Ægyptio viro. Cùm Raguel (id puellarum parenti erat nomen) audiſſet, vt illæ in peregrinum virum incidiſſent, quámque ille humanus præbuiſſet auxiliū, haud mora ad eum euocandum tanti beneficij gratias habiturus, remiſit filias. Iam puteum liquerat Moyſes, & obuius factus virginibus, ſimul ingreditur domū, prior Ragueli locutus. Si Deus voluiſſet, Maxime princeps, inquit, me antehac tuæ virtutis conſcium eſſe, harum puellarum lacrymas adoraſſem, quæ fecerunt, vt militare potuiſſem ſub tanto duce. Ruſticas turmas à me fuiſſe depulſas, quamuis peregrino inſolens, parui æſtimabis, ſi illam vim, qua in homines iniurioſos valeo, erga fortiores hoſtes tuos amas experiri: Raguel & ipſe blandiſſimus refert gratias properati auxilij, multúmque paſtorum ruſticitati aiebat tribuendum, quòd illa dederit tantum propugnatorem meruiſſe.

Intereà ſuccedunt in triclinium, mutuíſque officiis ritè perfunctis, dū cæna demulcet, nō dubitauit Raguel diſcere ab hoſpite, quo nomine, quáve patria eſſet ; an prætereà conſilio, vel errore Madianitarū limina attigiſſet. Ille ex Ægypti aula, reſpondit ſe venire, nec diſſimulat genus natiuum, ſciens haud ingratum futurum Madianitis, qui eodem Abrahamidum extollebantur origine. Neque ſe, ait, curioſo actum impetu in ignotas prouincias, ſed Madian curſum feciſſe, vt conſortio propinquorum tegeretur, quando fratrum amore aſcitiis Regiæ Ægyptiæ parentibus erat inuidiæ. Auſpicatū itidem ducit ingreſſum ſuum quòd puellarū regiarum propugnator, tanti Regis oculos primùm ſubeat. Quòd ſi meis viribus, Rex inquit, & manibus, vti placebit; me tuis imperiis ſtatutum iure iurandi religione firmiſſimè obſtringo.

Auidiſſimè Raguel in Moyſe hærebat & dicente, & iurante. Species oris, liberalitas vultus, tum luminum vigor, neque triſtis, aut inepta modeſtia conciliabat narrantem. Vtque loqui deſiit, geſtiebat Raguel arcanam mentem producere, qua recens exceptum peregrinum deſtinabat in filium. Maluit tamen expectare, donec magis placeret, & conſuetudo viri, acerbitatem nouæ affinitatis maturauiſſet. Nec decerent Moyſem ſubitæ, vel regiæ nuptiæ, ad quas diutinis officiis emptas peruenit tandem egregius vir, accepta Sephora Madianitis Principis filia. Cum vxore domeſticas Soceri ſubiit curas; & de fortunis ſuis duo nomina effinxit; Gerſam, & Eliezer; quibus ornati duo primi ex Sephora filij, poſteris indicabant, vt Moyſes malè habuit apud Ægyptios ciuis, & vt proſperè apud Madian peregrinus.

Acceſſerat annus quadrageſimus, ex quo Moyſes fratres ſuos Ægyptia preſſos ſeruitute reliquerat, & abominatus terram tot malorum cauſam, in Madianitide Regia libertatem aſſeruerat ſuam. Creſcebat interim Hebræorum labor in Ægypto, vt nouis in dies quaterēt cœleſtia gemitibus, creſcebat & Moyſis apud Madianitas quies, hoc vnum curantis, vt Soceri ſui greges pinguioribus poſſent paſtibus potiri. Iuga montis Sina tenebat omnium paſtorum nobiliſſimus, & interno tumultu raptum animum ſpargebat in diuerſa ſibi crediti muneris. Vt fuerat natus in ſuorum ſalutem?

Vt

Vt benè processissent initia? Quàm securè ab Ægyptio throno medelam porrigebat afflictis? Geniúsne deinde, an mortalis prodidisset consilia? his distracti oculos perstrinxit subita lux, ab vno arbusto in omnem montis latitudinem fusa. Rubus innociuis ignibus inuolutus non ardens videbatur ardere, cuius materies, nec incendiis alimenta præstabat, nec circunfusi luminis flammis correpta detrimentis exusti roboris subiacebat. Ita diuini fomitis temperabatur attactus, vt blandiente ramis æstuantibus flamma, splendor in frondibus cerneretur esse, non pœna. Nec diu in huius contẽplatione hæsit, sed properans Moyses, cominus rem aspiceret, voce impeditur, quæ cœpit audiri ex mirabili incendio per ipsum montis silentium ad vacuas hominis aures horridius allabens. Hæc processurũ admonebat, vt procul subsisteret, veritus vel nudis pedibus tãgere terram, quam celsissimum implet numen. Et quod numen? Deus, inquit, sum Abraham, Isaac, & Iacob. In hanc vocem elanguit Moyses, & religioni par stupor erat, demissis oculis, alto silẽtio marcentis, vt nil loqui, aut videre vacauerit. Hærebat animus, paratos impensurus affectus, quacunque duxerint numinis imperia.

PARS VNICA.

Moralis circa textus literam.

DE historia textus ad eius apices notandos decurro, vnde hominum mores viuidissimis exemplis componam.

Exod. cap. 2. Fugiens de conspectu eius, moratus est in terra Madian, & sedit iuxta puteum, erant autem Sacerdoti Madian septem filię, quæ venerant ad hauriendam aquam, & impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris sui. Superuenere pastores, & eiecerunt eas: surrexítque Moyses, & defensis puellis adaquauit oues earum.

§. I.

Maior claritas prosilit à Sacerdotij infulis, quàm a regali trabea.

IN confesso est omnibus expositoribus Sacerdotem hunc Madianitarum simul & Regem esse, vt ex ipsa originali voce notat Lyppomanus. Cur ergo noster dissimulata prorsus hominis regia dignitate, vnam sacerdotalem amat propalare? Nónne solùm ait: *Erant Sacerdoti Madian septẽ filiæ*? Meritò dissimulans, quod regium erat, quod Sacerdotis erat, apertè pandit; quæ enim à Sacerdotij infulis venit claritas, super regium splendorem maximè exaltatur. Ex quo Egesippus lib. 5. de Excid. Hierosolym. cap. 22. aiebat: *Caditur Ananias sacerdos, claro genere ortus, licèt nemo clarior sit splendore generis, quàm munere religionis. Illo enim affectatur nobilitas, hoc non desideratur. Habeat sibi vetus prosapia diuersorum fascium honorẽ, habent & sacerdotes suas fasces: qui eleuantur non humeris, sed moribus: & attolluntur non virgarum proceritate, sed laborum perseuerantia, fidei altitudine, pietatis fastigio.* Sic sacerdotales infulæ suos extollũt, vt super omnia regia decora videantur eminere. Vbi enim quid sacerdotale agnoscitur, iam ibi aliquid putatur esse & diuinitati proximum, & eleuatum supra omnes Reges. Nota est Regis Ioas historia ex 2. Paral. c. 22. 23. & 24. vt à Sacerdotis Ioiadæ vxore paruulus morti ereptus est, vt in sacerdotali aditu occultatus, & seruatus per sexenium; vt à Ioiada sacerdote Rex declaratus. Quid tunc? Ait text. c. 24. *Postquam autem obiit Ioiada, ingressi sunt Principes Iuda, & adorauerunt Regem: qui delinitus obsequis eorum, acquieuit eis.* Itaque Principes Iuda Regi iuueni quasi Deo adorationem impendunt, & placent, quasi rem debitam exequerentur. Sed vnde potuerunt adulatores isti Regem adducere eò, vt crederet se Deum, & adorari vellet? Hoc illi ob oculos proposuerunt, quòd à puero in sacerdotalibus aditis fuisset, quòd inter sacerdotes in templo vixisset; de tanto autem sacerdotum consortio, ac conuictu, facili negotio persuasus est aliquid se habere supra Regem, & proximum Deo. Ait Carth. ibi: *Exhibuerunt ei honorem diuinum, atque blandiebantur ei, dicentes, ac persuadentes, quòd dignus esset tali honore, eo quòd in infantia sua fuisset conseruatus, & enutritus in templo sex annis, quòd non contigisset, nisi diuinum quid fuisset in eo, quoniam aliis, quàm sacerdotibus non licuisset sine periculo ingredi in ipsum Dei templum.* Quod illi cõmune fuit cum sacerdotibus, nimirùm ali in Dei templo, astutè assumitur, vt persuadeatur Rex se aliquid habere splendidius regno, & proximum Deo. Et quando sacerdotium non splendet supra regnum? Post reiectum Saulem ait Dominus Samueli. 1. Reg. 16. *Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittã te ad Isai Bethlehemitem, prouidi enim in filiis eius mihi Regem.* Nec mora; proficiscitur Samuel ad Isai domum, filios conuocat ad vnctionem, & omnes nominatim repellũtur à Dei gratia; vnus paruulus, qui minimè sperabatur talis, in medium producitur, cui Deus statim tradit regni clauum. Vbi notanter D. Basil. Sel. orat. 14. ait: *Derepentè puer Dauid producitur paruus ætate, animo magnus, & cœlesti approbatione dignitatem consecutus, subito primus fratrum comperiebatur.* Et meritò bonus patet in Dauidis electione, nihil non subitum, & repentinum respectu propheræ vngentis contẽplabatur. Quàm aliter in Aaronis electione accidebat Exod. 9. ibi enim ait postquam Aaron, & filij eius à populo segregati fuerint, postquam vestes eorum perfectę; *Sed & hoc facies; vt mihi in sacerdotio consecrentur. Tolle vitulum de armento, & arietes duos immaculatos, panésque azimos, & crustulam absque fermento, quæ conspersa sit oleo, lagana quoque azyma, oleo lita: de simila triticea cuncta facies. Et posita in canistro offeres: vitulum autẽ & duos arietes, & Aaron, & filios eius applicabis ad ostium tabernaculi testimonij. Cúmque laueris patrem cum filiis suis aqua, indues Aaron vestimentis suis, id est, linea & tunica, & superhumerali, & rationali, quod constringes balteo, & pones tiaram in capite eius, & laminam sanctam super tiaram, & oleum vnctionis fundes*, &c. Ecce tibi quot, quantáque iubentur parari in Aaronis vnctione: vt Dauid vngatur solùm cornu olei iussus est Samuel parare, nec Dauidis nomen illi explicatur, sed id relinquitur, vt ex inopinato, & subitò vngendus appareat. Vt autem Aaron vngatur, nihil subitum, nihil repentinum permittitur; in primis separatur Aaron cum filiis à cæteris popularibus, tunc vestes elaborantur; deinde vituli, & arietes, & panes adducuntur; rursus Aaron ad ostium tabernaculi lauatur; insuper vestitur; tandem inungitur. Et quando Dauid tam subitò, cur Aaron tam morosè eligitur? Equidem non magnæ molis erat constituere Regem, at sacerdotem constitui id summæ attentionis opus esse debet. Non mirum est, quòd quis subitò fulgeat à throno regio; sacerdotale autem culmen, vt supra Reges est, & proximum Deo, sic pluribus eget, vt suum fulgorem præstet. Pulchrè ad hæc Nazianzen. orat. 1. ait: *Et quis est, qui contra hæc omnia, celeritatem potiùs in sacerdote, quàm securitatem exposcat? Quis est, qui veritatis propugnatorem vnius diecula spatio, velut è luto statuam fingit: illum, inquam, qui cum Angelis stabit, cum Archangelis glorificabit, ad superum altare sacrificia transmittet, cum Christo sacerdotio fungetur, figmentum instaurabit, imaginem exhibebit, superno mundo opificem aget, & vt, quod maius est, dicam, Deus erit, aliósque Deos efficiet?* Itaque quantumcunque Reges subitanei fiant; sacerdotes non subitò, & ex inopinato, sed multorum dierũ prouidentia

dentia possunt fieri, vt qui non corporum, sed animarum sint propugnatores, & qui ipsi Dij sint, & alios Deos facere elaborent.

§. II.

Maxima, & præstantissima facinora non subitò à Deo ostẽduntur, sed multò antè solent fundari.

IVxta puteum sedens peregrinus Moyses puellarum Mandianitarum pro adaquando grege iniuriam à pastoribus acceptam depellit. Ait enim: *Defensis puellis adaquauit oues earum.* Et quando aquarum fluenta non fuerunt Moysi in victoriam auspicatissimam? Recèns natus ad fluminis ripas relinquitur, vbi nactus Pharaonis filiam protectricem, tyrannum truculentissimum deludit. Ab Ægypto eiectus iuxta puteum sedens de aquis hauriendis litigantes filias Madianitæ Principis inuenit, quas ipse protegens, viam incolumitatis prosperissimæ sibi acquirit. Quantum hoc protẽtũ, quòd Moysi recèns nato, & eiecto, & peregrino aquæ semper auspicatæ extiterint? Nec miror, quòd, qui tantam erat operaturus salutem in mari rubro, incolumem per illud populum ducens, & Ægyptios ibi confundens, vel in natiuitate, vel in priuata vita, aquas sibi auspicatas, & salutares sortiatur, vix enim Deus maximum aliquod facinus exhibet, quin illius fundamenta multò antè præmittat. Id, quod notabat D. Nazianzen. orat. Nazian. 18. in D. Cyprian. inquiens: *Diuina enim sapientia magnarum rerum fundamenta multò antè iacere nouit.* Est hæc diuinissimæ sapientiæ notio, quæ non subitò ad maxima prosiliat, sed magnum aliquid structura, multò antè illius fundamenta præsignet. Nec aliter prouerb. 8. multus est Dominus in ponderanda prima creatione aquarum: *Quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum: quando circũdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terræ. Cũ eo eram*, &c. Ecce tibi quàm paucis absoluat cœli, terræque creationem, de cœlo ait: *Æthera firmabat sursum*: de terra autem: *Appendebat fundamenta terræ.* Verùm vt de aquis loquitur, vix finem facit verborum, librabat enim fontes aquarum, mari circũdabat terminum, legem ponebat aquis. Proh Deus! quàm multus es apud aquarum conditionem? Sed & Gen. 3. dum terram percutit: *Maledicta terra in operibus tuis, spinas & tribulos germinabit tibi.* Et de aqua prorsus silet. Cùm irascitur multus in terra maledicenda, in aquis nullus: cùm autem benefacit, cum terra parcissimus, & cum aquis multus. Cur sic ad aquarum prima cunabula afficitur, vt tam multus appareat in eis ditandis, & in remouendis maledictionibus earum? Sanè iam tunc fundamenta iacebat Sacramenti illius, quòd per aquas expiaturus erat mundum. D. Augustin. lib. 1. mirab. cap. 4. *Exceptis aquis a maledicto aquæ Deus pepercit, quoniam per aquam diluere maledictionem illam parauerat, quod in diluuio factum est, & nunc per baptismum indulgetur.* Sic antè parantur à Deo fundamenta ingentium gratiarũ. Hinc Gen. 18. Abraham cùm eleuasset oculos: *Apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terram. Et dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum: sed afferam pauxillũ aquæ, & lauate pedes vestros, & requiescite sub arbore. Ponámque buccellam panis, & confortate cor vestrum: Qui dixerunt: Fac, vt locutus es.* Nolo huius apparitionis longam explicationem dare, sed suppono in tribus istis viris Deum Abrahamo ostensum esse, & Deum veniisse, vt paulisper visibili in forma moraretur apud Abrahami tabernaculũ. Sed cur Deus Abrahamum sic voluit honorare, vt eius hospes fieret, vt visibilis eius tabernaculum intraret, ibique cibum caperet? Quæ mens omnipotentem illum in hæc abiecta, & humilia hospitij humani cõpulit? Sanè illa sola mens, qua adductus est Deus, vt aliquando inter veros filios Abrahæ secundùm veram assumptionem carnis velit numerari, & esse, hæc, inquam, sola mens illum tanto antè adduxit, vt hospes Abrahæ tabernaculum intraret. Nihil enim magnum solet Deus præstare, cuius multò antè non ponat fundamentum. Ait Tertullianus lib. 1. de Trinitat. *Quod erat futurus, meditabatur in Sacramento, Abrahæ factus hospes apud Abrahæ filios futurus.* Qui inter filios Abrahæ verè, & realiter numerandus erat, quo Sacramento, vel Angelos obstupefaceret, voluit multò antè tantæ rei fundamenta iacere, dũ sub forma visibili in domo Abrahæ hospitium caperet. Quò etiam spectabat pœnitentia illa Zachariæ incredulitati imposita ab Angelo Luc. 1. *Eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fient.* Quid seuerius? Esto enim, quòd Zacharias offenderit, ideóne tam rigidè mulctari debuit? Cur non leniori modo corripitur? Erat iam in vicinio pœnitentiæ à Ioanne prædicãdæ austeritas, ideò anteà vel in eius parente tanti rigoris fundamenta præmitti oportebat. Ait D. Aug. lib. 3. de mirab. c. 1. *Conuenite autem, dispensatione factum est, vt Ioannes, qui postea hominibus victu, vestitu, & loco exempla pœnitentiæ præberet, & pœnitentiam prædicãs, etiam conceptionis eius tempore pater pœnitentiæ modum sibi ab Angelo impositum, donec ille nasceretur, sustineret.* Non subitò introducenda erat tanta pœnitentiæ austeritas, quæ ideò oportuit, vt præmitteretur conspicua in anteccssoribus Ioannis.

Tertull. Luc. 1. Aug. Nazian. Gen. 3. Aug. Gen. 18.

§. III.

Supra humanas, imò creatas vires est, quòd quis præstantiam suam velit prorsus obtegere.

AD iniuriam puellis illatam commotus Moyses exurgit in iniuriatores, illósque abigit: *Et defensis puellis adaquauit oues earum.* Et cur non magis cauet Moyses suum zelum pro iniuriis proximorum depellendis? Sanè propter similem zelum aduersus Ægyptium ostensum, coactus fuerat aulam relinquere, hæreditatem regiam perdere, apud exteros peregrinari, & sub priuati habitu latere. Quando ergo in eas angustias deuenit propter iustitiæ zelum, cur non magis eum cauet? Cur saltem non magis patitur videre puellas à fonte excluſas per pastores aduenientes? Non equidem est humanarum virium, quòd quis præstantiam suam velit in occasione prorsus obtegere. Qui sic se abscondat, vt vel occasione data commotus suam præstantiam non exerat, is supra hominem sit, necessum est, & par Deo. Meminit Iudæorum rabiem, qua accusabant Iesum apud Herodem, quòd se faceret Regem; imò quòd se filium Dei prædicaret. Aiũt enim Luc. 23. *Hunc inuenimus subuertentem legem nostram, & prohibentem tributum dare Cæsari, & dicentem, se Christum Regem esse.* Immò Ioannis cap. 19. dicunt: *Secundum legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit.* Sic Iesus apud Pilatum accusabatur affectati regni, imò affectatæ diuinitatis; & facilè ipse poterat se tunc Regem verum, & Filium Dei ostendere. Et Præses id maximè optaret, & scelera, & iniuriæ, quæ tunc impunè exundabant, veri Regis, & vindicis ostẽsionem requirebant. Inter hæc tamen Iesus amauit latere. Cur Domine & regium, & diuinum zelum non magis manifestas? Pulchrè ait D. Augustin. tractat. 116. in Ioannem: *Vtrumque verum est, & vnigenitus Dei Filius est, & Rex ab eo constitutus super Sion montem sanctum eius, & vtrúmque nunc demonstraret, nisi quanto erat potentior, tanto mallet esse patientior.* Et quidem nisi Iesus vellet ostendere patientiam suam esse parem infinitæ diuinitatis potentiæ, non se cohiberet, quin præstantiam suam, & diuinam, & regiam in præsenti ostenderet. Necessum erat supra potestatem humanam, Luc 23. Aug.

manam,& angelicam vires ostendere in patiendo, qui sub tanta occasione præstantiam suam prorsus latere vellet. Hoc vnum fuit in causa, quòd Iesus tunc non se Regem, & Deum aduersus tot blaterones monstraret,nimirùm, quòd quanto erat potentior, tanto mallet esse patientior. Nisi magnam,& diuinis viribus viciniſſimam patientiam vellet ostendere, suam præstantiam minimè permitteret tunc latere. Tantæ molis est,quòd homo velit latere, vbi occasio manifestationem exigit. Id quod in Christo Domino miratur Tertull. lib. de Patient. fatus : *Tertull.* *Nasci se Deus in vtero patitur matris, & expectat : natus adolescere sustinet, & adultus non gestit agnosci.* Et quis tandiu sui manifestatoria opera cohiberet, nisi Deus, aut Dei spiritu plenus? Ait Isaias cap.42. *Isai.42.* *Dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet. Non clamabit, non accipiet personam,non audietur vox eius foris*, Diuus Matthæus legit cap. 12. *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius.* Fuerat equidem Iesus & dux,& iudex gentium constitutus,& quid inde? An ad scelerum conspectum clamoribus, rixis, minis implebat forum? An reis obiurgatis suam potestatem promebat? Absit hoc à Iesu meo, id faciebat Moyses, qui dux, & protector populi sui factus, nulla in occasione suam potestatem non promebat,siue Ægyptium interficiens, siue Israëlitas monens, siue abigens à puellis Madianitis pastores.Et quando in Moyse iuris zelus sic vbique sese promebat, cur in Iesu tanto premebatur silentio, vt vel inter nocentissimos homines per plures annos viuens, nullam admonitionis, aut contentionis ederet vocem? Causam ostendit vates, dicens ex Dei ore : *Dedi spiritum meum super eum*; sola enim ea patientia potuisset data occasione excellentiã non prodere, quæ diuino spiritui respondere posset. *Tertull.* Eleganter enim ait Tertull. lib. de Patient. *Non contendit,non reclamauit,nec quisquam in plateis vocem eius audiuit,arundinem quassatam non fregit,lignum,fumigans non restinxit. Neque enim mentitus fuerat Propheta,imò ipsius Dei contestatio spiritum suum in filio cum tota patientia collocantis.* Expende illud, *cum tota patientia*; nisi enim patientia tota, quæ diuino spiritui correspondet, ibi adesset, vix tandiu, tot in occasionibus vindicis zelus cohiberetur,quin se proderet.

§. IV.

Præstanti viro nec gradus faciendus sine fructu.

ET fugitiuus, & peregrinus sedens iuxta puteum Moyses,vt vidit pastores puellis iniurioſos, surrexit, illòsque abiiciens: *Et defensis puellis adaquauit oues earum.* Cur magis & fugitiuus,& peregrinus non quiescit? Equidem & fuga,& peregrinatio Moysis non debuit esse iners,nec otiosa, quando præstanti viro quilibet gressus debet esse fructuosus. Vbi Christi Domini spiritus abscessit à corpore, & corpus exanime traditum fuit sepulcri quieti,ait D. Matth. c.27. *Mat. 27.* *Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem venerant in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* Multis aliis præstantissimis, & clarissimis signis possit Iesus suam morientis, & resurgentis gloriam illustrare, sed de multis hæc elegit, vt mortui resurgerent,& venirent in sanctam ciuitatem.Et meritò, vt ostenderet se nec in regione mortis fuisse sine fructu peregrinatum, quando inde plures liberabat à mortis tyrannide.Eu- *Euseb.* seb. Gallicanus homil.6.de Pasch.fatur : *Hodie Domino resurgente visa sunt multa sanctorum corpora resurrexisse, & apparuerunt in sancta ciuitate. Regrediens ergo Dominus post diem tertiam, fructus secum triduanæ peregrinationis viuentibus reportauit.* Adeò præstantis viri gressus debent esse salutares, & fructuosi, vt nec in regione mortis vellet Iesus peregrinari, quin statim peregrinationis suæ fructus monstraret. Quò traxerim viros, qui religionis ergo, longas peregrinationes instituunt,vt sciant,quàm debeant, vel horariæ peregrinationis factæ euidentissimos manifestare fructus. Quam præstantiam in viris Euangelicis agnoscebat Isaias cap. 52. inquiens : *Quam pulchri super montes* *Isai.52.* *pedes annuntiantis, & prædicantis pacem.* Quæ sic legit Diuus Cyrill. Alexand. apud Cornelium à Lapide: *Cyr. Ale.* *Quam verni pedes euangelizantium pacem.* Nec aliud primum amauit cogitare in præstantissimorum gressibus,quàm similitudinem veris, vt enim post infœcundam,& inertem hyemem vernum tempus fœcundam fructibus viam sternit, vt nullus sit campus, qui veris præsentiam fœcundis partubus non manifestet. Sic Euangelici hominis gressus nesciunt non fructuosi vbique comparere. Ait Cyrillus:*Ver apparens in mon-* *Cyrill.* *tibus, quid efficit?Ornat eos flore recenti, & ex sterilitate fœcunditatem gignit, prout cuiusque natura fert. Præterlapsa enim hyeme,ver pulcrum in terra oritur, & eam nutricem florum reddit, matrémque pulcherrimorum fructuum facit. Cuiusmodi etiam de nobis factum est.* Quod ver præstat, id à viris claris, & ingenuis petitur, vt nesciant in loco apparere, nec gradum facere, quin processus sui fructum ostendant. Nulla peregrinatio, nullus cursus præstanti homine dignus videtur, qui aliquo facinore non præstet. Vnde laudaturus textus sacer Assahelis cursum pernicissimum, notanter ait. 2. Reg. 3. *Velox erat sicut ceruus:* habent enim hoc cerui, *2. Reg.3.* vt quibus currunt pedibus,eisdem perdant venenosos serpentes. Nec vllus vir laudabiliter graditur, cuius gressus non vbique apparet lethalis serpentibus. Vt dicat Bachiar. aliò datus epist. ad Ianuarium : *Velox* *Bach.* *erat sicut ceruus, qui non solum perspicacia mentis inimici laqueos deuitabat,verum etiam serpentum, id est, contrariarum virtutum interfector existit.* Indè cursus præstantis hominis laudandus, quòd vbique appareat contrariarum potestatum depulsor.

§. V.

Vel vnus homuncio à parte iustitiæ, & veritatis stans potentissimos quosque potest agere in triumphum.

AIt textus : *Superuenerunt pastores, & eiecerunt eas:surrexitque Moyses,& defensis puellis*,&c. Multi erãt pastores superuenientes,vnus solus Moyses & peregrinus,& pauper dicitur in illos insurrexisse,imò & illos repulliſſe. Sic enim valet, vel vnus homuncio, vt potentissimos repellat, vbi fas, iúsque suffragium præbet. Præstantissimus vir Eusebius aliquando Cæsareæ Episcopus creatus est populari tumultu;quod maximè accendit Iulianum Apostatam Imperatorem, de cuius iussu vrbis Præfectus epistolis solicitabat Episcopos, vt Eusebij tractarent deiectionem. Imperatori furenti, eiúsque Præfecto cedebant plures Episcopi, nec inueniebatur, qui auderet resistere. Quid tunc? Datæ etiam sunt Epistolæ Nazianzen. Episcopo patri Gregorij, cuius responsum, & euentum sic in rem præsentem ponderat ipse Diuus Nazianzenus *Nazian.* oratione decimanona : *Nos, inquit, (Potentissime Præses) rerum omnium, quæ geruntur, censorem vnum, ac Regem habemus, qui nunc oppugnatur. Is & præsentem electionem expendet, quam nos ritè, ac legitimè, atque vt ipsi gratum est, fecimus. Vos autem alia quidem aliqua in re nobis, si animus ita tulerit, vim afferre facilè potestis,id autem nemo vnquam nobis adimet, quin ea,quæ facta sunt, vt rectè, ac iustè facta defendamus. Has literas ille etiam ipse admiratus est, qui accepit. (etiamsi parumper stomachatus sit.) Atque hoc,& Imperatoris impetum compescuit, & ciuitatem periculo liberauit, non malè autem addiderim, quod nos quoque dedecore, & infamia. Hoc exiguæ vrbis Episcopi opus, & cathedræ secundas tenentis.* Quid illustrius? Quando magnarum vrbium

Epiſcopi rabidiſſimum metuebant tyrannum, nec audebant ei repugnare. Vnus homuncio exiguæ vrbis præſul audet obſiſtere Imperatoriæ tyrannidi, & eius impetum feraliſſimum comprimit, & omnia pacat. Quòd Imperatoris furentis rabies comprimatur, quòd adulatorum exercitus non muſſitet, quòd medio in bello ciues viuât pacati. *Hoc exiguæ vrbis Epiſcopi opus*, à parte iuſtitiæ ſtantis. Vtinam vel vnus homuncio, vel vnus paruulus ſacerdos inueniretur, qui imperterritus pro virtute ſtare auderet, fallar, niſi is ſolus regnantium nefarios impetus comprimeret, & ſalutem acquireret regnis. Vidiſti Iſraëlitarum Principes in Suſannam armatos, quæ iam populari impetu rapiebatur ad necem Dan. 13. Comprimitur tamen totus, quantus erat populi impetus, nec Principes vniuerſi audent gradum facere, vt perimant tacentem, & in nullo ſe excuſantem fœminam. Et quis potuit præcipitem populum, optimatéſque furentes in media furiarum via continere? Vnius pueruli pro iuſtitia, & virtute vox totum id fecit. Ait textus: *Suſcitauit Dominus Spiritum ſanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel: Et exclamauit voce magna: Mundus ego ſum à ſanguine huius. Et conuerſus omnis populus*, &c. Vt errantium multitudinem, & Principes, & optimates, & populares cohiberet, vnius pueri excitauit ſpiritum, cuius vox imperterritè pro iuſtitia ſtetit, & impetum potentium confregit, & innocentem liberauit periculo, & populum infamia, & dedecore. *Hoc exiguæ vrbis Epiſcopi opus.* Hoc vel paruuli cuiuſque facinus eſſet, ſi pro iuſtitia imperterritus ſtare vellet. Vt dicat Diuus Ambroſius libro ſecundo de virginibus: *Daniel ſupplicium Suſannæ ſpectaturus aduenit, & quam populus damnarat, vnus abſoluit.* Vnus, & paruulus cohibuit impetum ruentis populi, dum pro iuſtitia ſtare voluit. Et quod mirere magis, vbi Bethulienſes Principes ciuitatem hoſtibus intra quinque dies tradere decreuerint. Iudith 7. Vna ſola fœmina Iudith capite ſeptimo, Principes ad ſe vocat, illóſque multis arguit, & reprehendit. Quid tunc: *Et dixerunt illi Ozias, & presbyteri, omnia, quæ locuta es, vera ſunt, & non eſt in ſermonibus tuis vlla reprehenſio. Nunc ergo ora pro nobis*, &c. Vndè tanti Principes ad mulierculæ vocem hærent, & à decreto deſiſtunt, errorémque ſuum confitentur? Carthuſian. Carthuſ. ibi: *Ozias, & presbyteri exhortationem, & increpationem fœminæ patienter, & humiliter ſuſceperunt, propter virtuoſitatem illius, quia & ipſa ex zelo iuſtitiæ, charitatis feruore, & ex inſpiratione diuina humiliter, non iactanter fuit locuta.* Vbi vel vna fœmina in medium proferat, quæ iuſtitiæ zelo, & charitatis feruore errantibus Principibus opponat, non dubito quin illos trahat in ſalutarem ſenſum. Caſſiod. Caſſiod. 1. var. 4. de parente ſuo, ait: *Ad Attilam igitur armorum potentem legationis eſt officio non irritè deſtinatus. Vidit intrepidus, quem timebat imperiũ: facies illas terribiles, & minaces fretus veritate deſpexit; nec dubitauit eius altercationibus obuiare, qui furore neſcio quo raptus mundi dominatum videbatur expetere. Inuenit Regem ſuperbum, ſed reliquit placatum.* Sic valet vnus homo ſtans pro veritate.

Exod. 2. Quæ cùm reuertiſſent ad Raguelem patrem ſuum: dixit ad eas: Cur velocius veniſtis ſolitò? Reſponderunt: Vir Ægyptius liberauit nos de manu paſtorum: inſuper & hauſit aquã nobíſcũ, potúmq; dedit ouibus. At ille, vbi eſt? inquit. Quare dimiſiſtis hominem? Vocate eum, vt comedat panem.

§. VI.

Studioſus virtutis perſonas vt decet ruſticitas, & inurbanitas.

EXpende illud textus, nimirùm: *Quæ cùm reuertiſſent ad patrem ſuum*, &c. Qui enim illas à paſtoribus defenderat, non illas officioſa confabulatione detinuit, ſed illas abire ad patrem permiſit, nec ſe illarum comitem dedit. Quid inurbanius? Imò & puellæ nihil cenſentur dixiſſe liberatori ſuo, nec vllum officioſum ſermonem texunt, nec opem offerunt peregrino, ſed tacitæ abeunt quàm citiſſimè. Quanta hæc ruſticitas? Sanè 1. Reg. 9. de Saule, & eius ſeruo dicitur: *Cùm aſcenderent clinum ciuitatis, inuenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, & dixerunt eis: Num hìc eſt videns? Quæ reſpondentes, dixerunt illis: Hìc eſt, ecce ante te, feſtina nunc, hodie enim venit in ciuitatem, quia ſacrificium eſt hodie populi in excelſo. Ingredientes vrbem, ſtatim inuenietis eum, antequam aſcendat excelſum ad veſcendum, neque enim comeſturus eſt populus, donec ille veniat: quia ipſe benedicit hoſtiæ, & deinceps comedunt, qui vocati ſunt. Nunc ergo conſcendite, quia hodie reperietis eum.* Ecce tibi vt peregrinus Saul à puellis amat informari de præſentia prophetæ; & puellæ non paucis, ſed multis illum informant, longámque confabulationem texunt, & in multa officij, vrbanitatíſque verba deſcendunt. Nil horum in præſenti, ſed puellæ Madianitæ à Moyſe liberatore ſuo abeunt ſilentes, imò abeundi tempus accelerant, nec vllum illi verbum officioſum exhibent. Moyſes autem, & ſi peregrinus, nihil quærit à puellis, nec cuius ſint filiæ interrogat, nec comitem ſe offert earum. Et cur tanta in his ruſticitas, & inurbanitas, cùm & puellæ ab omni officio debito abſtineant, & Moyſes totum obſequium aulicum neget puellis, illas incomitatas abire cernens. Erat equidem Moyſi cura virtutis, qua nitebatur ab omni etiam vrbano puellarum comitatu ſe prorſus oſtendere alienum. Mirum enim erit, ſi virtutis ſtudium, & officioſus puellarum comitatus in vnum conuenerint. Nota eſt hiſtoria illa Geneſ. 19. vbi iaculatis fulminibus de cœlo Sodoma exurebatur; cuius incendium, vt euaderet Loth, & familia eius, acceſſerunt Angeli: *Et apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eò quòd parceret Dominus illi. Eduxerúntque eum*, &c. Ecce tibi duo miracula; alterum eſt, quòd cœleſti igne exurantur vrbes; alterum verò, quòd Angeli furentur totam Lothi familiam ab incendio. Sed vtrum eſt maius miraculum? Rem definit Nazian. orat. 3. quæ eſt ſecunda in Iulianum: aiens: *Mirabilis impiorum interitus ſulphureo igne obrutorum: mirabilius etiam piorum furtum.* Et cur mirabilius eſt, quòd Angeli furentur pios, à flammis incendij? Vide, quid egerint Angeli in furto, & abductione illa, nimirùm. *Apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius*, &c. vbi oſtenduntur Angeli fœminarum manus officioſè tenentes, illáſque per viam ducentes, mirum eſt, imò omni miraculo ſuperius, quod angelica vita, & fœminarum officioſus comitatus in vnum conueniant. Quam Nazianzeni mentem pulchrè exprimit eius ſcholiaſtes Elias Creteníis, fatus: *Mirabilem autem, & inuſitatam iuſtorum ſubductionem appellauit, tum quia ab Angelis facta eſt, an non enim nouum, ac mirum eſt fœminas ab iis duci?* Equidem mirum eſt, ſi angelica puritas, & fœminarum officioſus ductus conueniant in vnum; ne miremur, quòd virturis ſtudioſus in vrbanum ſe fœminis, & ruſticum oſtendat. Quæ inurbanitas, & ruſticas, & puellas maximè decet, quibus officioſitas, & vrbanitas debet ſemper eſſe ſuſpecta. Vnde Iudith. cap. 8. audiens Principum decretum circa vrbis traditionem: *Miſit ad presbyteros Chabri, & Charmi. Et venerunt ad illam.* Non ipſa iuit, ſed ad ſe vocauit presbyteros, quod vt bene notat Pater Sanchez, modeſtiæ minus, & vrbanitatis habere videbatur. Sed cur bona fœmina vbi ad ſuam ſententiam trahere repugnantes Principes moliebatur, non magis comis, & vrbana, ad illos properauit? Sapienter Lyra fatur: *Quod autem non iuit ad illos, non fuit ex defectu humilitatis, ſed ex zelo*

1. Reg. 9.

Nazian.

Nazian.

Iudith 8.

ex zelo castitatis. Ex zelo castitatis vrbanitatem debitam Principibus dissimulauit, sciens quam mirum sit, quòd inter vrbanitatis officia seruetur puritas integræ castitatis. Hinc Ioan. cap.20. Dum Magdalena fleret ad Iesu monumentum: *Vidit duos Angelos in Albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: quia tulerunt Dominum meum; Et nescio vbi posuerunt eum. Hæc cùm dixisset, conuersa est retrorsum.* Vide quam paucis absoluit cum Angelis colloquium, quos nec salutat, nec affatur, sed prœui dato responso, statim illis terga vertit. Cur nõ magis cum Angelis comis? Apud Orig. in præsenti hom. ait: *Nolo Angelos videre, nolo cum Angelis manere. Si cœperint mihi multa narrare, & si voluero illis ad omnia respondere, timeo, ne amorem meum magis impediant, quàm expediant.* Timet prudens mulier amoris sui puritati, si vel cum Angelis dilatet officiosa colloquia.

Ioan. 20.

Origen.

§. VII.

Non est puellæ castæ, quòd ad labores, & luctas sui causa à iuuenibus susceptas multum attendat.

CVm Moysis strenuitas dicta sit in defendendis puellis, aduersariisque depellendis, de puellis hoc solùm dicitur, quòd, *diuertissent ad patrem suum.* Et cur sic properè à iuuene liberatore suo discedunt? Cur nõ magis attendunt ad Moysis pugnas, & labores, vt propter illas vnus se multis obiicit, vt illos depellit, vt greges ad aquas ducit? Nónne hæc propter se peracta facinora deberent bonæ puellæ attendere magis? Absit, multum enim abhorret à castitate fœminarum, quòd attendãt ad labores propter illas à iuuenibus exantlatos. Hinc Hinc D. Nazian. orat. 3. obiicit Iuliano Apostatæ irridendam Dianæ castitatem, inquiens: *Non victimas pro Christo cæsas veritus es, &c. Qui Spartanos adolescentes, virgis sese lacerantes laudas, & aram cruore respersam, Deam castam, & virginem oblectantem.* Sapienter mordet bonus Pater Iulianũ, qui christianos labores contemnens, Spartanorum iuuenum labores, quibus Dianam virginem, castámque oblectabant, laudat; insuper & Dianæ virginitatem, & castitatem mordet, in talibus iuuenilium laborum spectaculis. Spartani enim iuuenes sese virgis cædebant in honorem Dianæ, eiusque aras cruore proprio spargebant, qui iuuenũ labores in pretio erant Deæ virgini, & castæ. Proh bellam castitatem, & virginitatem in iuuenum laboribus accipiendis occupatam! Ait Elias Nazianzeni scholiastes ibi: *Dianã irridens vir sanctus, Deam castam, & virginem nominauit. Nam si castitatẽ colere voluisset, haud profectò ex talibus spectaculis voluptatem cepisset.* Non equidem est castæ virginis, nec honestæ fœminæ labores, luctásque iuuenum sui causa susceptas multum spectare, ad illásque morosè attendere. Vix enim inuenies fœminam, quæ sibi inseruientis iuuenis labores curiosè attendit, quæ non cadat in lasciuiæ barathra. Ioseph labores, & officia in Ægyptiorum dominorũ domo narrans Genes. 39. ait: *Benedítque Dominus domui Ægyptij propter Ioseph, & multiplicauit tam in ædibus, quam in agris cuncta eius substantiam: nec quicquam aliud nouerat nisi panẽ, quo vescebatur. Erat autem Ioseph pulcra facie, & decorus aspectu. Post multos itáque dies iniecit Domina sua oculos suos in Ioseph,* &c. Dum Ioseph omnia rectè administrat, nulli labori parcit, vt dominorũ substantiam augeat, fœliciſſimèque in omnibus procedit ad dominorum vtilitatẽ. Domina oculos in illum attentè coniecit, & quis eius memoret libidinis flammas? Tandiu fuit casta, quandiu ad Iosephi officia non attendit; vbi autem coniecit oculos, vt adolescentis curiosè, & attentè ministeria videret, ab alto honestatis, & castitatis decidit. Id quod notabat Lyppoman. aiens: *Cùm ergo sic de pace, & gratia gauderet Ioseph, & in omnibus fœliciter ageret, tentatio illi præparatur à Domino, qua exercitatus ad maiora proueheretur. Cui aptum vasculum Sathan huic applicuit operi, mulierem scilicet, quæ curiosè, & attentè illum iugiter intuita, capiebatur elegantia formæ.* Expende illud: *Curriosè, & attentè.* Quippe vbi seruientis sibi adolescentis officia attendere cœpit, illúmque in officiis domesticis strenuum, & elegantem curiosè obseruauit, flammis incunctanter accendebatur.

Nazian.

Gen. 39.

Lyppom.

§. VIII.

Castæ fœminæ nullos citiùs fugiunt, quàm beneficos sibi iuuenes.

PRoperati recessus in domũ causam hanc reddunt nobiles puellæ, nimirùm: *Vir Ægyptius liberauit nos de manu pastorum, insuper & hausit aquam nobiscum, potúmque dedit ouibus.* Quòd virũ in se officiosum nactæ fuerint, ideò solitò citiùs dicunt se ad paternam domum venisse. Imò hæc solet esse tota causa retardandi puellas, ne citiùs ad parentes accedant, quòd officiosos sibi, & beneficos inueniunt viros. Quas puellas non detinent magis, & morari faciunt iuuenum officia? Fallar, si quæ sit remora, quæ sic properantem ratem detineat, vt iuuenum officia detinent puellas. Quando ergò officiosus vir, & beneficus potiùs detentionem, quàm festinationẽ reditus solet causare in puellis, cur nobiles hæ puellæ totam causam sui festinati reditus in id coniiciunt, quòd officiosum virum, & liberatorẽ strenuum inuenerint? O virtutẽ puellarum regiarum! Detinentur equidem officiis iuuenum mulierculæ; at, quæ ingenua est, & decori, & pudori studet puella, à nullo citiùs euolat, quàm ab eo quem officiosum, & beneficũ sibi sentit. Nota est historia virginis Alexandrinæ, quam à tyrannis Christi hostibus in lupanari constitutam miles Christianus adit, orátque vt secum mutet vestes; vt dum ipsa sub habitu militari euadit stupratores, ipse sub virgineo amictu martyriũ spectet. Quid virgo ad tam officiosum, & beneficum liberatorem respondit, dum esset sola cum solo? Rem vsque huc protractam paucis absoluit D. Amb. lib. 2. de virg. fatus: *Inter hæc verba miles chlamydem exuit, suspectus tamen adhuc virgini habitus, & persecutoris, & adulteri. Quid plura? Mutato habitu euolat puella de laqueo.* Porrigebat miles virgini euasionis habitum, quæ de tanti liberatoris manu habitum accipiens, securitatẽ ab aliis videbat, suspectum tamen habebat habitum tam officiosi militis, metuens ne lateret sub habitu liberatoris persecutor, & adulter. Quid tunc? *Mutato habitu euolat puella de laqueo*; nõ moratur cum adeò benefactore milite, nullum illi verbum facit, sed vbi induta est chlamydem, statim euolat, minùs verita occursus violentorum iuuenum, quàm cõsortium officiosi iuuenis. Sic Gen. 24. Vbi Abrahami seruus donaria Rebbeccæ exhibuit: *Cucurrit itáque puella & nuntiauit in domum matris suæ omnia,* &c. Sic etiam Genes. 29. accedebat Rachel ad fontem: *Quam cùm vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, ouésque Laban auunculi sui: amouit lapidem, quo puteus claudebatur. Et adaquato grege osculatus est eam, & eleuata voce fleuit. Et indicauit ei, quod frater esset patris sui, & filius Rebeccæ; at illa festinãs nunciauit patri suo.* Possent bonæ puellæ lento gradu cum adeò officiosis, & beneficis viris domum procedere, & illos sibi socios itineris adducere, præcipuè quæ in agris, & pastionibus vitam agentes, non detrectabant virorum concursus. Cur maluerunt cum tanta festinatione abscedere, & ad parentes ita properanter concurrere? Crediderim id ab ingenuo puellarum pudore prouenisse, quæ enim communes virorum conuentus, vt moris erat, non verebantur, vbi adeò sibi officiosos, & beneficos viros nanciscuntur, non audent ibi, vel morari tantisper, sed festinant abscedere, & celeri cursu se officiis iuuenum eripiunt, ad oculósq; paternos confugiunt. Hinc Virgines monebat Nazian. in Præceptis, aiens:

Amb. 2.

Gen. 24.

Gen. 29.

A cunctis

A cunctis abſcede viris, ſed maximè ab illis
Virgo, ſyniſactos quos nos de more vocamus.
Illius auxilio, quid opus tibi (dic age) qui non
Sufficit ipſe ſibi?
Charus equo quamuis ſit equus, ceruo quoque cernus,
Et ſturni ſturnis, & vir pius egregiuſque
Egregia pietate viris: tamen ipſa caueto.

Equidem licet omnes viri debeant eſſe ſuſpecti virginibus, illi maximè ſuſpecti ſint, qui ſyniſacti, hoc eſt, officioſi protectores, & defenſores putantur. Ab iis quàm primùm abſcedat Virgo ingenua, nec multo æſtimet auxilium, aut protectionem, aut defenſionem eorum, ſed magis in iis cauta, quàm grata appareat. Ioſue 2. Sanè Raab, Ioſue c. 2. multum auxilij ſperabat ab exploratoribus Iſraëlitis, quos domi abſconderat, & eripuerat periculo. Ab iis namque petebat miſericordiã ſibi, & parentibus ſuis. *Qui reſponderunt ei: Anima noſtra ſit pro vobis in mortem, ſi tamen non prodideris nos, cúmque tradiderit Dominus nobis terram, faciemus in te miſericordiam, & veritatem. Dimiſit ergo eos per feneſtram*, &c. Ecce tibi vbi beneficam promiſſionem audit fœmina, ſtatim nihil fata illos à ſe dimittit. Quod factum ſic Magdalena apud D. Chryſoſt. inter opera Chryſoſt. Sancti Ephræmi adductum ſic componit ſecum. *At qui ibi Raab aſe dimiſit exploratores; ego verò retinere eum conor, quem deſiderauit.* Vtraque ſalutares viros inuenerat, illa exploratores, hæc Ieſum; ſed illa exploratores dimiſit, hæc Ieſum retinebat. Et quare vel illa non retinuit ſuos, vel hęc non dimiſit ſuum? Illi homines, hic Deus, homines benefici dimittendi à fœmina ſunt, ſolus Deus retinendus. *Ecce*, ait Maria ibi, *illuxit mihi Sol iuſtitiæ, & magna à Deo viſitatio*: Deus retinendus, homines ablegandi.

§. IX.

Apud Palatinos admirationi ſunt quicunque ſe oſtendunt vindices puellarum.

VT audit Raguel Madianitarum Princeps puellarum iniurias per Moyſem vindicatas, viri deſiderio affectus ait: *At ille, vbi eſt? Quare dimiſiſtis hominem?* Non potuit Princeps Palatinus nõ affici erga hominem vindicem puellarum; quando Palatini omnes illam maximè inuident, & mirantur, & laudant ſtrenuitatem, qua quis puellarum iniurias ſcit repellere, & vindicare. Ex quo meritò pungit Apoſtatam Nazian. Iulianum Nazianz. aiens, orat. 3. *Nec magnos pugiles extimuiſti, Ioannem illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum, Lucam, Andræam, Theclam, eos, qui & poſt illos, & ante illos pro veritate periculis ſe obiecerunt*, &c. *Hæc non colis, ſed contemnis, qui Herculis rogum ex calamitate, iniuriiſque mulieribus illatis excitatum admiraris.* Ignes, cruces, & tormentorum genera, inter quæ triumphabant Chriſti martyres, deſpiciebat Imperator Iulianus; at rogum, quo Hercules cremabatur, in admiratione habebat, & ſtupebat. Et cur cui viles erant Petri cruces, gladij Pauli, lapides Stephani, Theclæ, & Laurenaij flammæ; admirationi, & laudi erant ignes Herculis, quibus cremabatur? Sanè ij ignes vindicabant in Hercule iniurias ab illo fœminis illatas, quippè ait, Herculis rogum ex calamitate, & iniuriis mulieribus illatis excitatum admiraris. Sic Principibus, ſic Palatinis, ſic aulicis admirationi ſunt vindices puellarũ. Proclama apud aulicos viros, vt Thecla cum leonibus pugnauit, vt Petrus inuerſo corpore cruci affixus eſt, vt Stephanus lapidibus obrutus, vt alij multis tormentis gloriam compararunt, videbis ad hæc aulicos, & Palatinos oſcitare, & dormitare. Sic oſtẽde, vt quidam ob tutandam puellam, ſeſe gladiis obiecit, milléque cõtempſit vulnera lethalia; ſtupent omnes, mirantur omnes, non eſt, qui homini bona non incipiat 3. Æſd. 3 imprecari? Nota eſt hiſtoria ex 3. Æſdræ 3, vbi tres eloquentiſſimi viri apud Regem declamarunt; vnus pro fortitudine vini, alius pro Regis poteſtate, tertius pro valentia fœminarum. Et cùm multa de vino, & Rege à primo, & ſecundo dicta eſſent, abſque eo, quòd vllus videretur in auditorio plauſus. Tertius cœpit dicere de mulieribus cap. 4. inter alia: *Et accipit homo gladium ſuum, & vadit in viam facere furta, & homicidia, & mare nauigare, & flumina, & leonem videt, & in tenebris ingreditur: & cùm furtum fecerit, & fraudes & rapinas amabili ſuæ affert*, &c. Hæc & alia plura pro mulierum valentia declamabat. Quid tunc? *Et tunc Rex, & purpurati intuebantur in alterutrum.* Proh Deus immortalis! Vbi pro veritate, pro Rege, pro vino multa declamant oratores, nec Rex, nec purpurati vllum exhibent ſignum plauſus. Vbi autem ad pericula ventum eſt, quæ homo ſubit pro fœminis mulcendis, fouendis, tunc Regis plauſus, tunc purpuratorum admiratio. Ij, mihi credite, ſunt omnes aulici, omnes purpurati, qui maximè æſtimant officia, quæ fœminis præſtantur, & præ iis cætera nihili faciant. Petenti caput Ioannis Herodiadi Rex Herodes Matth. 14. *Propter iuramentum, & eos, qui pariter recumbebant, iuſſit dari.* Ibi Andræas Cretenſis ait: *Rex propter eos, qui ſimul diſcumbebant, noluit ei abnuere.* Et quid ad diſcumbentes, quòd Rex non abnueret petenti Ioannis caput? Multum ſanè, quando enim ij omnes Principes, & purpurati erant, id laudi, & admirationi erat, quòd vel per omne crimen, & diſcrimen ſuum fœminis obſequium præſtabatur. Non ſic Rex conuiuantium Principum ſeruiebat palato in exquiſitorum ferculorum pompa; vt ſeruiuit, quando nece Ioannis ſatisfecit puellæ cupiditati. Crede mihi apud Palatinos id ſolum laudi, & gloriæ datur, quo puellarum gratia captatur. Vnde Michol Dauidi ſaltanti nihil prius obiecit, quàm offenſam puellarum. Ait enim 2. Reg. 6. *Quam glorioſus fuit hodie Rex Iſrael diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum.* Et quis aulicus non expaueſceret ad hęc verba, quòd puellis minimè fuiſſet gratus? At Dauid inde maximè Deo placuit, quòd contempſit puellis fuiſſe gratum. Ait D. Ambroſ. epiſt. 36. *Non erubuit igitur Dauid fœmineas opiniones, nec opprobria apud mulieres ſubire pro religionis obſequio verecundatus eſt. Ludebat enim Domino puer ſuus, & ideò amplius placuit.* Hoc magnum de aulico viro dici potuit, quòd pro Deo diſplicere puellis non fuit verecundatus.

2. Reg. 6.

Ambr.

Exod. 2. Vocate eum, vt comedat panem. Iurauit ergo Moyſes, vt habitaret cum eo. Accepítque Sephoram filiam eius vxorem, quæ peperit ei filium, quem vocauit Gerſan, dicens: Aduena fui in terra aliena. Alterum verò peperit, quem vocauit Eliezer, dicens: Deus enim patris mei adiutor meus, & eripuit me de manu Pharaonis.

§. X.

Qui à diuitiarum cumulo in paupertatem deuenêre, tunc ſolum à benefico homine cenſentur iuuari, cum donis eò adducuntur, quo non requirant priſtinum ſtatum.

AD accipiendum panem vocabatur Moyſes, qui accedens, Sephoram filiam Principis vxorem accipit. Dicit namque textus: *Accepítque Sephoram filiam eius vxorem.* Et cur, bone, peregrinum hominem, quem ad panem vocabas, tam ſubitò in generum accipis? Nónne ſufficiebat illi cibum porrigere, quid neceſſum fuit illum & regia familia ditare? Beneficus Princeps dum popularem peregrinum Moyſem putabat, ei qualecunque prandium porrigebat, at vbi ex crebra confabulatione

bulatione didicit, vt fuerat ex Abrahamidum genere ortus, & in Ægypti regia nutritus, ibique Pharaonis hæres designatus, à cuius postea gratia deiectus, per exteras, & ignotas nationes peregrinari coactus; hæc, inquam, ex illo noscens, Madianitarum Princeps nõ in conuiuam solùm, sed & in generum hominem euocauit, ratus homini à tanta fœlicitate deiecto, dedecori potius esse munus, quod illum in pristinam gloriã non reuocaret. Similem mentem inuenies in Nazianzeni matre, de qua ipse fatur orat. 19. *Solas insuper has tutas, atque ab omni surreptione immunes opes ducebat, nimirùm Deo, & pauperibus opes effundere, ac præsertim consanguineis, qui fortunis suis tanquam flore quodam excidissent; quibus, quod necesse esset duntaxat præbere, non calamitatis depulsionem, sed monimentum esse iudicabat, liberaliùs autem & prolixiùs eos iuuare, id demùm firmi honoris, ac perfectissimi solatij esse.* Quid sapientius? Planè dum deiectum à culmine propinquum, ac proximum iis tantum iuuas, quibus possit in vita sustentari, non tam illũ ornas, quàm eius æternas infamiam. Non tam beneficium illi exhibes, quàm longiorem facis eius calamitatem. Tũc solùm beneficus erga hunc eris, illíque firmum honorem dabis, cùm tantis illum imples muneribus, quantis par possit esse gloriæ pristini status. Vbi Angelorum Princeps descendens à regalibus sedibus pauper, & humilis in præsepio apparuit. Matt. 2. *Ecce Magi ab Oriente venerunt*, &c. *Et intrãtes domũ inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum: Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Quam Magorũ beneficientiam erga paruulum, & pauperem puellum extollens Tertul. lib. de Idolatr. ait: *Primi igitur stellarum interpretes natum Christum annunciauerunt, primi munerauerunt.* Nec mysterio caret, quòd Magi dicantur primi muneràsse recèns natum Deum, cùm pietas christiana semper exhibeat ante Magos, pastores munuscula sua puero afferentes, nec ego credam pauperculum puerulum potuisse videri à pastoribus, quin illi aliquod munusculum exhiberent. Illud etiam prorsus certum, quod Maria Virgo, & pannos puero dedit, quibus eum inuoluit, & mammam famelico ante Magos sæpè porrexit. Cur ergo non prior dicatur Maria muneràsse Deum natum, secundò pastores, & Magi tertiò? Vel cur Mariæ, pastorúmque muneribus tacitis primi dicantur Magi muneratores Dei? Maritò Magi primi censentur muneratores pueri, quorum munera vt ampliffima, & plena mysteriis, sic puerulum pauperem extollebant, vt illum regiæ diuinitatis gloriæ, à qua in tantam paupertatem venerat, parem ostenderent. Mariæ autem panni, & vbera, & pastorum munuscula, vt pauperculi infantis solùm necessitati succurrebant, sic non tam munerum ornamenta, quàm calamitatis videbantur monumẽta. At hæc D. Leo ser. 1. de Epiph. pro Magis stat, fatus: *Consummant ergo Magi desiderium suum, & ad puerum Dominum Iesum Christum, eadem stella præunte, perueniunt. Adorant in carne Verbum, in infantia Sapientiam, in infirmitate Virtutem, & in hominis veritate Dominum Maiestatis: vtque Sacramentum fidei suæ, intelligentiæque manifestent, quod cordibus credunt, muneribus protestantur. Thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt Regi.* Et quidem vt nullum munus exterius ante hæc puerulum pauperem ad primas diuinitatis, regiásque diuitias referebat, sic nulla alterius muneris, nec dum materni lactis, æstimatur mentio, in comparatione horum, quæ infantem sub antiqua Deique, Regísque ostendebant claritate. Licèt enim Mariæ munera exhibita infanti egenti, quantum est ex parte interioris affectus, longè excederent cætera omnia, quæ à Magis, & aliis exhiberentur, attamen iuxta externam solam speciem considerata, vt solùm indigentiæ, & necessitati egentis paruuli commensurabantur, sic non tam munera, quàm paupertatis monumenta apparebant. In qua consideratione primas ferebant munera Magorum, quæ infantem egentem sub diuinitatis primæ diuitiis ostentabant. Vt discat Christianus in munerando paupere, quàm debeat attendere, non solùm ad præsentem indigentiam, sed ad primum illius statum, ad quem, quoad potuerit, tenetur ex charitate illum reuocare.

Nazian. Matth. 2. Tertull. D. Leo.

§. XI.

Sacerdotes maximè decet in egentes, & peregrinos largitas.

NOn prætermittam illud Sacerdotis Madian ad filias mãdatum, circa hominem peregrinum, nimirùm: *Vocate eum, vt comedat panem.* Quæ vox magis sacerdotalis? Pulchrè in præsẽti Lyppomanus de hoc Sacerdote Madianita fatur: *Dixit ad filias suas, vbi est? Quare dimisistis hominem? Vocate eum, vt comedat panẽ. Sacerdotes maximè, & suam familiam decet hospitalitas, & beneficentia, & vt nullius operam gratis accipiant, sed liberales sint, & benefici etiam ignotis, maximè autem peregrinis.* Hæc est virtus sacerdotalis, ex qua veri Sacerdotes censeantur, si sint in pauperes liberales, nec verus Sacerdos est, qui nescit misereri pauperum. Nota est Iosephi historia ex Gen. 47. qui emit omnem substantiã Ægyptiorum, vt illos tempore famis sustentaret. Sic enim ibi habes: *Emit igitur Ioseph omnem terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis. Subiecítque eam Pharaoni, & cunctos populos eius à nouissimis terminis Ægypti vsque ad extremos fines eius, præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis, quibus, & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur.* Tanta erat illius temporis fames, vt vniuersi cogerentur suas vendere substantias, soli Sacerdotes in abundantia erant, qui à Prorege accipiebant gratis omnia necessaria. Et quid inde ortum est? Cùm Sacerdotes Ægyptij diligentissimè curarent, quod omnia temporum suorum insignia posteritati commendarentur, ea hierogliphicis figuris consignantes; tantæ famis calamitatem prorsus prætermiserunt, nec vllum eius vestigium apud sacerdotalia scrinia vnquam cõparuit. Qui fieri potest, quòd Sacerdotes tantæ famis, & tam apud alias nationes decantatæ non meminerint? Hinc meritò grauissimus Paulus Orosius colligit illorũ sacerdotũ falsitaté, qui vt à Ioseph sustentati erant in frumenti abundantia, nec attenderunt ad proximorum necessitatem. Ait enim lib. 1. c. 8. *Dehinc Sacerdotum Ægyptiorum fallax malitia confutanda est; qui vel astu, quod manifestius est, euidentem iram, misericordiámque veri Dei memoriæ subtrahere conati sunt: vel fortè, vt indulgentiùs accipiamus, obliti sunt. Illius enim nostri Iosephi prouisione ipsi abundabant frugibus quasi Sacerdotes, sed quia falsi Sacerdotes erant, cum cæteris esurientibus non dolebant.* Et fallar, si in alio se quis falsum Sacerdotem euidentiùs ostendat, quàm in eo, quòd esurientiũ voces ipse fartus non attendat. Hinc sese verus Sacerdos à falsis clarè discernit, quòd eius fores, & viscera patent hospitibus esurientibus. Huc traho illud ex 2. Paralip. 4. *Fecit mare etiam fusile decem cubitis à labio vsque ad labium.* &c. *Porrò in mari Sacerdotes lauabantur.* Factum fuerat Exod. 38. labrum æneum, quo Sacerdotes lauarentur; at hic à Salomone non fit labrum, nec qualecunque vas, sed mare constituitur in templo pro Sacerdotibus lauandis. Quid mare ad Sacerdotes? Multum per omnem modum; vt enim maria nullum non excipiunt flumen, siue riuum, qui ad se accedat, sic Sacerdos debet patere omnibus peregrinantibus. Hinc maris pulchritudinem extollit Cæsarius Nazianzeni fater dialog. 1. fatus: *Pulchrum enim spectaculum marẽ albicans, cùm ipsum constans tenet tranquillitas. Pulchrum quoque, quòd cùm fluminum sit mater, ipsum eadem rursus susci-*

Lyppom. 2. Par. 4. Exod. 38 Naz.

fuscipit, hinc quidem quasi in lucem proferens, illinc verò recipiens quasi hospites. Quid pulchrius in mari, quàm quòd hæc duo appareant in illo,& quòd ipsum emittat in lucem omnia flumina, & quòd rursus post longas peregrinationes, vt hospites vniuersas aquas recipiat?Qui fluuius non venit in lucem ex mari?Et quem vel paruum riuulum hospitem mare non recipiat? Huc spectet Sacerdos, & vt nullus ab eo non venit in lucem,dum & regeneramur, & nutrimur in Christo, sic nullus debet esse vel pauperculus homuncio,quem sacerdotalis ianua hospitem non recipiat.

§. XII.

Filiorum examen veræ religionis zelum consequitur in Principibus.

ECce vobis fidelis populi propugnator Moyses vt vxorem accipit, & filiorum examina videt crescere,dicit enim textus: *Accepit Sephoram filiam eius vxorem, quæ peperit ei filium*, &c. Solent hæc filiorum consequi præmia Principes, qui veræ religionis gaudent ardere zelo. Vnde Paulus Orosius componens inter se Neruam, & Theodosium, ambos Hispanos, ambos Romæ Imperatores, virtutibus cantatissimos ambos,tandem ait lib.7.cap.34. *Cum Theodosius in omnibus humanis virtutibus Neruæ par fuerit; in fidei Sacramento, religionisque cultu sine vlla comparatione præcessit; siquidem ille persecutor, hic propagator Ecclesiæ.Ita illi ne vnus quidem proprius filius, quo successore gauderet,indultus est: huius autem Orienti simul, atque Occidenti per succiduas vsque ad nunc generationes gloriosa propago dominatur.* Placuit Orosio Theodosij fœcunditatem regiam cum Neruæ componere sterilitate, vt iam in viris Hispanis ostenderet, vnde imperium in filiis potest æternari. Qui enim Ecclesiæ fuit persecutor, ei datum fuit imperium, data prosperitas in Republica administranda, datæ sunt mille fortunæ aliæ, sed nec vnus filius fuit datus. Hoc habuit Ecclesiæ propugnator Theodosius, qui & reliquit filios eodem imperij diademate claros.Non aliter Eusebius Cæsar.lib. 4.de vita Constantini cap. 74. fatur: *Neque tamen vt Ægyptia auis,nempè Phœnix,quam aiunt sibi ipsi mortem conciscentem in aromatum acerbo emori, ex cineribus vero eius reuiuiscere,& excitari aliam eiusmodi,qualis ipsa fuit; sed saluatoris sui exemplo, qui pro vno ferè tritici semine, benedicēte Domino, spicam multis seminibus refertam exhibuit,suoque fructu vniuersum orbem impleuit. Ita is ter beatus per trium liberorum successionem pro vno multiplex redditus est. Hæc exempla cum omnium mortalium Deus in solo Constantino nostris oculis proponeret; nimirùm ostendere voluit, quantum inter eos interfit, qui ipsum, Christúmque suum colere vellent, & qui contrariam sectam consequerentur,id est, qui Ecclesiæ eius bellum inferrent.*Non iam cum vno,aut alio Imperatore componit Constantinum,qui primus Christi Ecclesiam ardenter protexit, sed cum omnibus aliis, qui Ecclesiam Dei persecuti fuerunt. Sanè de omnibus iis Imperatoribus vnus Constantinus filios Imperatores genuit, in quo solo ostendit Deus hoc præmium eorum,qui veræ religionis zelatores erant. Id quod de Iudæis asserebat etiam Minucius Fœlix in Octauio, fatus: *Nam & Iudæi, quandiu Deum castè, innoxiè, & religiosè coluerunt, quandiu præceptis salubribus obtemperauerunt, de paucis innumeri facti, de egentibus diuites,de seruientibus Reges.* Et 2. Reg. 6. cùm proponatur Michol Dauidis vxor contempsisse Dauidis religionem, qua ante arcam saltauerat,statim subditur: *Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius vsque in diem mortis suæ.* Vbi Procopius in Glossa fatur: *Michol alienum à regia dignitate esse putauit, quòd Dauid publicè in omnium conspectu saltabat. Nesciebat enim diuini amoris stimulos, quos sermone Dauid ad ipsam declarabat. Addit ad hæc Scriptura, quòd filium non habuerit, suæ irrisionis pœnas indicans. Dein etiam ne regium semen ex illa regnum obtineret.* Sterilescit profectò semen eorum Principum, qui veram religionem insectantur,vt fœcundatur eorum semen,qui Ecclesiam catholicam tuentur. Id quod maximè claret in Legionis,&Castellę Regibus,qui vt Catholicorum cognomen acceperunt, illis filiis,& nepotibus ditati sunt, ad quos vniuersa Hispaniæ regna, successionis iure deuenerunt. Nónne Catholicorum agnomen Ferdinando, & Elizabethæ inditum fuit? Statim in Ioanna filiæ Aragonij, & Castellæ regna iuncta fiunt; & in nepote Philipp. 2. Lusitaniæ regnum iis additum est, in vnúmque, quod nunquam antea, omnia Hispaniæ regna confluere iure hæreditatis visa fuere. Vt meritò dicere possimus de Catholico agnomine, quod de Christiano dicit D. Nazianz. orat.3. quæ est 2.in Iulian. fatus: *Illud enim probè perspiciebat,altiùs videlicet, magisque regiè,quam plerique soleant,de his cogitans, cum Christianorum rebus Romanorum quoque res incrementum simul accepisse, atque cum aduentu Christi Imperium simul ingressum fuisse,cùm nondum prius hoc euicisset,vt in vnius principatum planè deueniret. Ob idque meritò quidem res nostras magis amplecti mihi videbatur.* Sic Nazianzenus extollit Constantij Imperatoris perspicaciam, & religionem, qui intimiùs prouentum Romani Imperij percallens,simul illud videt augeri, & simul iaci christianitatis fundamina.Quando enim vniuersus Orbis & scribitur, & quiescit sub vno imperatore Romano, nisi quando simul Christus inuentus est in scripturis Romanis? Quod nunquam accidit, vt Romanum Imperium vsque in Orbis fines extensum cõquiescceret, & quòd ad vnum hominem peruenirent; id accidit, vbi recèns natus Christus Iesus nomen suum dedit Romanorum chartis. Ob quod Imperator Constantius multum deferebat religioni Christianæ.Quid pulchrius?Muta nomen Christianum in nomen Catholicum, & videbis cum Catholicorum Regum agnomine, Hispanorum quoque res incrementum simul accepisse, atque cum hoc nomine Imperium monarchicum simul ingressum fuisse, cum nondum prius hoc euicisset, vt in vnius principatum planè deueniret. Quis antequam Catholicum nomen Hispanis Regibus adderetur, euicit, vt Aragonium, vt Castellæ, vt Lusitaniæ regna in vnius deuenerint principatum? Sanè quòd antea nullus euicit,factum est,vbi Catholicum nomen Reges castellæ condecorauit, quibus simul filij, & nepotes nati sunt, in quorum vno omnia regna clarent.Ob idque meritò Ecclesiæ Catholicæ res magis debent Reges Hispaniorum tutari. Huic Catholicorum Principum fœcunditati comparo Ethicorum Imperatorum sterilatatem. De vno eorum ait Iudith cap. 3. *Præceperat enim Nabuchodonosor Rex, vt omnes Deos terræ exterminaret,videlicet vt ipse solus diceretur Deus.* Et quid ex tam insana præsumptione in Deitatem fuit natum? Carthusian. ibi fatur: *Ideò diuina sapientia Dei decentissimè ipsum deiecit per fœminam, & regno eum priuauit in se ipso, ac posteris, itaque filium regni successorem non habuit.*Sic ibi.

Exod 2. Post multum verò temporis mortuus est Rex Ægypti, & ingemiscentes filij Israël propter opera vociferati sunt; ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus.Et audiuit gemitum eorum, ac recordatus est fœderis,quod pepigit cum Abraham, Isaac, & Iacob. Et respexit Dominus filios Israël, & liberauit.

§. XIII.

§. XIII.

Magnitudo malorum, luctus, & querelarum, facultatem solet opprimere. Vbi de Mariæ luctu iuxta crucem.

MOrtuus est, inquit, *Rex Ægypti, & ingemiscentes filij Israël propter opera vociferati sunt.* Cùm tyrannus moritur, tunc miseri captiui ingemiscunt, cur non potius ingemiscebant, cùm tyrannus viueret? Equidem non ingemiscebant, dum viueret tyrannus, à quo tantæ in dies, & tam crebræ veniebant afflictionum, & calamitatum inuentiones, vt locum eriperent querelis, & gemitibus. Non absimile inuenies in Iobo, cui cùm cap. 1. armentorum raptus nunciati essent, insuper & ouium, pastorúmque exustio, camelorum furtum, imò filiorum, filiarúmque extrema ruina, *ipse corruens in terram adorauit*, nullam querelæ vocem emisit. Sed & percussus atrociter est à planta pedis vsque ad verticem capitis, vt cogeretur domo egredi, sedere in sterquilinio, ibi testa saniem à vulneribus manantem radere, vxoris contumeliam, amicorúmque vultus sustinere tristissimos. Quid tunc? In iis erat tacitus septem integros dies, & c. 3. ait: *Post hæc aperuit Iob os suum, & maledixit diei suo, & locutus est. Pereat dies*, &c. Post tanta exantlata mala, in vocem luctuosam prorupit; cur non antea lamentatus est? Cur dum spoliatur, dum orbatur filiis, dum atroci plaga percutitur, dum eiicitur, dum affligitur amicorum aspectu, non luget, non ingemiscit, nullámque vocem doloris emittit, sed post tantum tempus laborum, tunc incipit? Deferbuerat, credo, assiduitate laborum magnitudo, quorum horrendi fluctus sic crebrò antea percutiebant miserum, vt vel gemitibus locum eriperent. De illo D. Nazianzen. orat. 21. in Athanas. *Non enim pecunias tantum, & prædia, & splendidam, ac numerosam prolem, quæ res ab omnibus hominibus vehementer expetuntur, non hæc, inquam, duntaxat Iob amittit, & quidem ita, vt nec luctibus ipsis ob malorum connexionem locus esset.* Absumebant calamitates catenatæ in pectore ipsos luctus, ne liceret exterius prodire. Sic omnia hominis occupabantur crebris malorum fluctibus, vt nullus maneret exeundi locus gemitibus. Quò spectabat Sapientiæ c. 4. dum de Deo affligente impios ait: *Disrumpet illos inflatos sine voce*; tanta enim erit acerbitas afflictionis, vt dum præcordia disrumpantur, nullus maneat locus vocibus. Sic ipsi suam calamitatem exaggerantes Ierem. cap. 8. dicunt: *Conuenite, & ingrediamur ciuitatem munitam, & sileamus ibi; quia Dominus Deus noster silere nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis.* Et qualiter Dominus silere eos fecit? Carthus. ait: *Id est, ad hanc calamitatem peruenire reliquit, imò & fecit.* Quippè tot calamitates in miseros à Deo venerunt, vt nec gemitibus, nec vocibus vllus locus esset. Quas calamitates optabat hostibus suis Moyses Exod. 15. fatus: *Tunc conturbati sunt Principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaam. Irruat super eos formido, & pauor in magnitudine brachij tui: fiant immobiles quasi lapis*, &c. Ex Hebræo legit Lyppom. *In magnitudine brachij tui sileant quasi lapis.* Non equidem petit illud telum à Dei brachio contorqueri in hostes, quod illos gemere, & clamare faciat, sed illud, quod omnem locum gemitibus auferat, quod sic interna viscera conterat, vt externa rigere faciat, quasi omni sensu doloris careant. Id quod sæpe contingit in doloribus, calamitatibúsque maximis. Vnde Ierem. cap. 8. aiebat: *Dolor meus super dolorem, in me cor meum mœrens.* Expende quàm exaggeret suum dolorem, nimirùm, quod esset super omnem alium dolorem. Sed qui dolor erat iste adeò magnus, à quo cæteri superabantur? Id explicat verbum Hebræum ibi positum pro dolore, quod Græcè sonat, *Meidiama*, & significat eum dolorem, qui sic interna exedit, vt exterius hominem quasi subridere faciat. Quippè ait D. Hieron. *In Hebræo non tam dolor est, qui Græce dicitur, Odini, quàm* Neidiama, *quod nos interpretari possumus* rictum oris, *dolore contracti, & habentem risus similitudinem.* Ecce tibi dolor super omnes dolores, qui sic concutiat interna, vt exteriora potius videantur subridere. Sanè de mulieribus sequentibus ad crucem Christum, ait Lucas cap. 23. *Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum.* At de matre eius Ioannes ait cap. 19. *Stabat autem iuxta crucem mater eius.*, &c. Nullum dicitur ploratum, aut lamentum edere Maria; & quando cæteræ plorabant, & lamenta edebant, cur mater nihil horum egit? An quia minor dolor erat in matre, quàm in cæteris? Absit, imò quia Mariæ dolor supra omnium dolores erat, sic omnia concutiebat interna, vt externa apparerent, quasi nihil paterentur. Ait Ernaldus apud Allegorias Tilmanni: *Pectus maternum immanitate doloris arctatur. Suspirat intrinsecùs, & erumpentes reuocat lacrymas, & eò amplius anxietas intumescit, quo egredi prohibetur. Denique formido imperabat dolori silentium, & vrgentium Iudæorum torui oculi illos turbines suffocabant. Verùm illa tantarum procellarum salsuginem ebibebat, & clauso tanti doloris tormento intrinsecus, alium vultum exhibebat.* Quid immanius? Tanta viscerum procella omnem locum externis signis negabat. Meritò illi aptarim illud Psal. 106. *Statuit procellam eius in auram*, &c. Ex Hebræo: *Statuit procellam eius in silentium.* Non erat Mariæ procella huiusmodi, vt lamentorum fragoribus sentiretur, sed quæ intrinsecùs sæuiens, externa omnia immota referebat. Cuiusmodi procellam meritò cauebat defuncti Valentiniani sororibus D. Ambr. fatus in orat. de eius obitu. *Non igitur velut pernicillo quodam sermonis mei vestras abstergam lacrymas. Neque enim id facere vellem, etiamsi possem. Est enim piis affectibus quædam etiam flendi voluptas, & plerúmque grauis lacrymis euaporat dolor.* Sicut minor sit dolor, qui ploratum facit; ita ille maximus, & intolerabilis est, qui nullum dat locum gemitibus, aut ploratibus.

Nazian. Ierem. 8. Exod. 15. Ierem. 8. Hieron. Luc. 23. Ernald. Ps. 106. Ambr.

§. XIV.

Æquè fugienda, & detestanda sunt, siue pretiosa, siue vilia, quæ nos à Deo auertunt.

NOn otiosè tacuit sacer scriptor qualitatem operum, propter quæ lamentabantur Israëlitæ, & quæ refugiebant. Quippè ait: *Ingemiscentes filij Israël propter opera vociferati sunt.* Et quando opera hæc circa vilissima erant in luteis lateribus efficiendis ad construendas ciuitates, cur non explicat, quòd Israëlitæ vociferati sunt propter opera luti, vel propter opera, quibus cantatissimas ciuitates construebant? Cur hæc, quæ vel extollebant, vel deprimebant opera non magis explicantur, sed prorsus prætermittuntur? Equidem apud veros Israëlitas non æstimantur operà propter speciositatem, nec fugiuntur propter vilitatem, sed quæcunque illa sint, siue splendida, siue vilia, æquè despiciuntur, si in sæculi captiuitate detineant, & à Deo hominem auertant. Hinc Psalm. 113. Idola gentium condemnans ait: *Simulacra gentium argentum, & aurum*, &c. Sed & Dan. cap. 5. de Babylonij proceribus, ait: *Laudabant Deos suos, aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneósque, & lapideos.* Quando ergo gentium simulacra non solùm aurea, & argentea erant, sed & ferrea, & lignea, & lapidea, cur psalmus non meminit lapideorum, ligneorúmque vtilitatem, vt sic faciliùs possent contemni? Cur vilitate omissa, auri pretiositatem produxit in medium? Nihil refert, quòd idolum sit aureum, & splendidum, siue vile, & abiectum, si enim auertat à Deo, æquè debet vel in summa

Ps. 113. Dan. 5.

Gaud. pretioſitate contemni. Non longè abeſt D. Gaudentius tract. 9. fatus: *Studio tacuit cæteras viliores materias metallorum, vt in pretioſis multò magis damnaret & vilia.* Nihil refert, quòd in idolis prætereat materiarum vilitates, & pretioſitatem proponat, quando id ſolùm attendendum eſt in omnibus rebus, ſi ad Deum, virtutémque conducant, vel ſi ab iis auertant, ſi enim ad Deum conducunt, vel viliſſima amplecti debent, ſi autem auertunt à Deo, vel pretioſiſſima fugienda. Sic ſtrenui fideles vnum hoc debent attendere in rebus, nimirùm, ſi proſint, vel officiant virtuti; vt aſſumant, vel repellant qualiacunque ſint, vel pre-
1. Reg. 17. tioſa, vel vilia. Habes 1. Reg. 17. Dauidem cum Goliath congreſſurum, & ait textus: *Induit Saul Dauid veſtimentis ſuis, & impoſuit galeam æream ſuper caput eius, & veſtiuit eum lorica. Accinctus ergo Dauid gladio eius ſuper veſtem ſuam, cœpit tentare, ſi armatus poſſet incedere; non enim habebat conſuetudinem. Dixitque Dauid ad Saul: Non poſſum ſic incedere, quia non vſum habeo. Et depoſuit ea, & tulit baculum*, &c. Ecce tibi vt Dauid repellit aurea Saulis arma, ſplendentémque eius gladium, & ad vilem paſtoris baculum, fundámque recurrit, vt certamen cum Philiſthæo ineat. Sed inito certamine ſubditur: *Præualuítque Dauid aduerſus Philiſthæum in funda, & lapide, percuſſúmque Philiſthæum interfecit. Cúmque gladium non haberet in manu Dauid, cucurrit, & ſtetit ſuper Philiſthæum, & tulit gladium eius*, &c. Compone modo vtrunque facinus Dauidis, primò ſplendentem Saulis gladium abiicit, & ad vilem recurrit fundam, & baculum paſtoritium, nunc deiecto hoſte, baculum, & fundam deſpicit, & ad gladium recurrit. Cur, bone, modò inſuetum gladium arripis, & deiicis baculum, & fundam? Cur non magis deiecti guttura fundæ laqueo ſtrangulas, & ſic totum cadauer reptas vſque ad victores milites? Cur gladium nunc requiſitum, antea non arripuiſti, ſed magis ad fundam inclinaſti, quam modo depellis? An hoſtis deiectio grandiores tibi indidit ſpiritus, vt iam vilia repellas, & ad ſplendentia magis curras? Abſit hoc à Dauide pleno diuini ſpiritus, quin imò ipſe ſic compoſitus erat, vt tantum quæreret illud, quo expeditiùs, & citiùs ad virtutis triumphum perueniret, ſiue hoc eſſet ſpecioſum, ſiue vile. Dum autem abſciſſo hoſtis iacentis capite citiùs triumphum erigeret, vilitatem fundæ, & baculi expuit, & ſplendorem gladij arripuit; vbi autem inſueti gladij, armorúmque ſplendentium onere detinebatur, ne expeditiùs in certamen iret, ſplendorem armorum abiecit, & recurrit ad vilem
Baſil. Sel. fundam. Quò aſpiciens D. Baſil. Sel. orat. 15. *Arma tanquam victoriæ impedimenta Dauid exuit, bellicam ſtolam excutit ſtola paſtoritia, virga, ac pera obarmatur.* Expende illa, nimirùm: *Arma tanquam victoriæ impedimenta Dauid exuit.* Et quidem in eo, quòd bonus Dauid aut repellit, aut arripit, hoc ſolùm ſpectatur, ſi ad victoriam impediat, aut proſit; ea ſola arma quæruntur, quæ impedimenta non ſint, ſed auxilia; vnde ſplendida, quæ impediunt, abiiciuntur, & vilia, quæ iuuant, tenentur; & è contra ſimiliter abiiciuntur vilia ad triumphum virtutis inepta, & præ iis auidiùs aſſumuntur ſplendida. Vtinam ſic & nos compoſiti ſimus, vt ſolùm inſpiciamus virtutis impedimenta, ad illa fugienda; & adiutoria ad illa amplectenda, cæteráque autem ſpetioſitatis, vel vilitatis æqualem in nobis affectum excitent. De Ieſu Domino noſtro di-
Ad Ph. 2. cebat Paul. ad Philippenſ. 2. *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: Propter quod, & Deus exaltauit illum*, &c. Qui ſic ſe deiecit, cur tandem admiſit exaltationem? Cur non magis placuit durare in abiectione, & repulit vſque in finem ſæculi exaltationem? An faſtidiuit citiùs vilitatem paſſionis? Abſit, vnũ enim reſpiciebat Ieſus, nimirùm virtutis progreſſum, hic dum eſſet, cætera ſiue vilitatis, ſiue exaltationis æqualiter reſpiciebat. Pulchrè enim ait Euſeb. Gallicanus hom. 2. de ſymbolo, Euſeb. *Humiliauit itáque ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, vt ſublimior appareret, & Angelis, & hominibus inclinata ſublimitas. Quid agis inter hæc ſuperba mortalitas? Ecce Deum non minùs delectat humilitas, quàm maieſtas.* Æquè Deum afficiunt humilia, & alta; ſplendida, & obſcura, ſi æquè ad virtutis progreſſum ſpectant. Vnum hoc differentiam facit in rebus erga Deum, nimirùm, quòd virtus ſtet, ad huius progreſſum, quæ impediunt, aſpernenda ſunt, vel ſint obſcura, vel ſplendida; quæ autem non impediunt, ſed iuuant, ea placent in quauis ſint vtilitatis, aut pretij differentia. Id quod in Abrahamo patet, qui Gen. 22. à iugulo filij abſtractus: *Leuauit oculos ſuos, vidítque poſt tergum arietem inter vepres hærentẽ cornibus. Quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio.* Quanta hæc differentia holocauſti apud patrẽ? Pulchrè ait D. Zeno ſer. 5. de Abrah. D. Zeno. *A filio ad agnum tranſtulit dexteram, ſemper lætatus, & gaudens, nec mutatus eſt vultus eius, cùm eſſet victima commutata. Cum tanta lætitia arietem obtulit, cum quanta obtulerat filium.* Vnum ſpectabat bonus, nempe Dei obſequium; quæ ad hoc pertinebant, æquè reſpiciebat, ſiue eſſent dura, ſiue blanda. Æquè gaudebat in duriſſimis, ac in blãdis, ſi per vtraque æquè Deo famulabãtur; vt æquè fugiebat blanda, ac dura, ſi Deus per vtraque offendebatur.

§. XV.

Oratio cum afflictione, & lacrymis iuncta vt efficax eſt.

SImul vt filij Iſraël ingemiſcentes clamant ad Deũ, Deus illorũ gemitibus maximè attendit. Ait enim: *Ingemiſcentes filij Iſraël propter opera vociferati ſunt: aſcẽditque clamor eorum ad Deum ab operibus. Et audiuit gemitum eorum.* Non vacuus receſſit Iſraëlitarum gemitus, ſed Dei aures tetigit, Deus ſtatim ingemiſcentium hominum fuit miſertus. Vt ſapienter dicat Nazianz. Naz. orat. 18. *Neque enim Deus vlla re perinde, atque corporis ærumna, conciliatur: lacrymiſque miſericordia viciſſim rependi ſolet.* Et ærumnoſo homini, & lacrymanti, & ingemiſcenti, quàm citiſſimè Deus adeſt. Id quod Eze-
Ezech. 18 chiel c. 18. apud Nazianzenum fatebatur, aiens: *Si conuerſus ad Dominum ingemueris, tunc ſaluus eris.* Quæ circa ipſe Nazianz. orat. 17. fatur: *Si, inquit, conuerſus* Naz. *ad Dominum ingemueris, tunc ſaluus eris. Videtis, quemadmodum ſalus cum gemitu coniuncta ſit? Et adhuc te loquente dicet: Ecce adſum: & loquetur animæ tuæ, ſalus tua ſum. Nihil inter petitionem, & rei petitæ obtentionem intercedit, non aurum, non argentum, non ſplendidæ, & eximiæ gemmæ, non cætera, quibus hominum mentes ad lenitatem, & clementiam inflectuntur.* Vt humanæ mentes ad miſericordiam trahantur, id ſolet efficere aurum, argentum, vel dona alia pretioſa, quæ exhibẽtur. At apud Deum, nil horũ intercedat, neceſſum eſt; & gemitus, & lacrymæ adſint, & iis coniuncta ſalus à Deo venit. Neſcit enim Dei benignitas contineri, vbi oratio cũ lacrymis accedit. Quare Dauid clamabat Pſ. 38. *Exaudi ora-* Pſ. 38. *tionẽ meã, Domine, & deprecationẽ meã: auribus percipe lacrymas meas.* Meritò orationi exaudiẽdæ lacrymas adiũxit, ne eius petitio fruſtretur. Ex quo Petrus Dam. opuſcul. 13. c. 12. aiebat: *Non poſſunt lacrymæ in ſua petitione contemni, quæ & magnas voces habent in auribus Creatoris, quas voces ille ad Deum frequenter emiſerat, & quid ad obtinendum poſſent, ſubtiliter nouerat, qui dicebat: Exaudi orationem meam, Domine, auribus percipe lacrymas meas. Lacrymæ nempe cum in conſpectu pij iudicis ſupplicant, nihil hæſitant, ſed ſic miſericordiam tanquam rem quamlibet proprij iuris ſibimet vendicant, & impetraſſe ſe, quod petierant, confidenter exultant.* Solet equidem gemitus cum obtentione rei petitæ videri coniunctus. De quo ſæpe aliàs in Euangelij Moralibus Diximus.

§. XVI.

§. XVI.

Hoc valdè miserum est, quòd nec calamitates nos ad Deum impellant.

VIuente Rege miseri Israëlitæ nec mutiebant, duris laterum operibus prægrauati: vbi autem mortuus est Rex: *Statim ascendit clamor eorum ad Deum ab operibus.* Et cùm antea essent eadem afflictionis opera, cur etiam ab eisdem operibus non ascendebat vllus ad Deum clamor? Cur non Rege viuente, sed mortuo, durissima seruitutis opera miseros ad Deum quærendum excitabant! Sanè hæc est summa crudelissimi in nobis viuentis domini tyrannis, quòd nec calamitas nos faciat ad Deum properare. Pulchro exemplo hanc tyrannidem D. Nazianzenus, orat. 3. quæ est secunda in Iulianum explicabat: *Non in virtute proficere, neque ex veteribus subinde nouos effici. sed eodem statu hærere, in vitio ponimus. Ita enim nobis idem, quod trochis accideret, quos in orbem volui, non autem progredi videmus, atque immotè, vt sic loquar, scutica vi impulsos rotari.* Quid magis appositè? Sunt trochi, quibus pueri vtuntur in ludo. Hi autem simul atque flagello percussi sunt, motu quodam impelluntur; verùm sic impelluntur, vt tanquam in centro quodam sese versantes, prope modũ defixi esse videantur, vt qui in orbem moueantur, & locũ minimè mutent. Hoc ipsum est, quod magna dæmonis tyrannide accidit miseris hominibus, qui calamitatum flagellis percussi nullum gradum ad Deum faciunt, sed in eodem vitiorum centro voluuntur, eisdem prauis consuetudinibus defixi. Vt meritò de iis dicat Ecclesiastes cap. 10. *Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere.* Alia litera habet: *Labor stultorum plagabit eos*, &c. nec aliter magis potuisset exaggerari hominis misera stultitia, quàm dum ostenditur, vel inter afflictiones, & plagas esse, nec inde oculos adiicere, vt nouerit æternæ ciuitatis adeundæ vias. Hinc inde flagellis percutiuntur hominum miserrimi, & stultissimi, & in vitiorum centro se versantes, à malo ad peius voluuntur, nesciunt in cœlestem ciuitatem pergere, imò nec ad illam faciunt gradum vnum. Quam extremam hominis miseriam impio adscribebat Iob cap. 20. aiens: *Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis eius; deuorabit eum ignis, qui non succenditur; affligetur relictus in tabernaculo suo.* Non illum extrahent afflictiones à peccaturum tabernaculo, vt in Dei ciuitatem abeat: sed & afflictiones, & flagella, & exustiones illi aderunt, ipse tamen inter has nullam mutationem ostendet, nullum gradum faciet, quo ad Deum vadat, sed in eodem vitiorum loco rotabitur. Quid miserius? Huc trahe dicta 1. tom. in Euang. lib. 4. cap. 1. §. 15.

Naz.

Eccl. 10.

Iob 20.

Exod. 3. Moysès autem pascebat oues Iethro soceri sui sacerdotis Madian: cúmque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuítque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.

§. XVII.

Athleta Dei ne statum abiectum, & humilem, in quo positus est, mutare festinet. Vbi ambitiosi taxantur.

QVi Israëlitarum dux designatus erat Moysès, imò qui & sacerdotis, & Principis Madian erat gener, pastorem ouium in agris agebat quadraginta annis. Sic enim textus: *Moysès pascebat oues Iethro soceri sui, sacerdotis Madian*: nec huius pastoritiæ vitæ tempus nos finit ambigere Actorum cap. 8. vbi dicitur de Moysè: *Factus est aduena in terra Madian, vbi genera uit filios duos. Et expletis annis quadraginta*, &c. Itaque apud Principem Madianitam fuit Moysès quadraginta annis, nec aliud ibi munus dicitur obiisse, quàm illud, quod erat circa pascendas oues. Et cur homo ad regnum destinatus, non magis ambiebat sese intromittere regni negotiis? Cur fastidiens rusticam pastoris vitam, non magis ciuilia alia, & splendidiora munera sibi sollicitabat ex socero? Magnus Dei athleta in quo munere semel fuit positus, & si abiecto, & vili, tamen ibi manebat, nec de splendidiore alio obtinendo cogitans. Quæ virtus vt rara est, & propria Dei athletis, sic maximè commendatur à D. Nazianz. orat. 9. *Ne quis igitur caput sit, qui vix aut manus, aut pes, aut vilius quoddam aliud corporis membrum est: verum quo vocatus est, in eo gradu quisque maneat, etiamsi alioquin præstantiori dignus sit, plus vtique laudis habiturus ex eo, quòd præsenti gradu acquieuerit, quàm si eum quærat, quem non accepit.* Ecce tibi vnde crescat laus hominis fidelis, nimirùm ex eo, quòd in eo gradu maneat, in quo positus est, nec præstantiorem ambiat, nec quærat. Quanta hæc laus in electis sit, in filiis Abrahæ ostendebat Dominus, dicens Gen. 13. *Faciámque semen tuum sicut puluerem terræ.* Et cap. 15. de eisdem locutus ait: *Suspice cœlum, & numera stellas, si potes.* Et dixit: *Sic erit semen tuum.* Iam filios Abrahæ comparat terræ puluери, iam cœli astris: vt credamus duo ex Abrahamo proditura filiorum examina; aliud non solùm numero, sed splendore, & gloria simile cœlestibus astris; alterum & numero, & vtilitate puluери terræ comparatum. Sed cur deiectos, & reiectos Abrahæ filios puluери, splendidos autem, & electos astris comparare maluit? Quid habet puluis terræ, quod sordeat in filiis Abrahæ; & quid habent astra, quod in illis splendeat magis? Terrenus puluis nescit in suo quiescere statu, sed per varias generationes, in perfectiores formas amat transmutari; vt qui in se turpis est, in olus, siue in florem transmutatus, de pulchritudine contendat, cum quolibet pretioso lapide. At astra cęli hoc singularissimum habent, quòd in eo ordine, & statu, in quo condita sunt, in eodem perseuerant, quin nec præstantiorem alium desiderarint. Quò spectans D. Valerianus hom. 1. fatur: *Tanta est disciplinæ ratio, vt intra temporum metas lege conscriptas, ita indefessi itineris alternis vicibus syderum cursus agitetur, vt nec Lunæ defectionis suæ damna effugiat, nec Solem diurni luminis flamma destituat.* Quid pulchrius? Per tot annos in nullo ab ordine suo exorbitarunt astra. Nec miror, quòd Sol in tot susceptis viis, vel minimum radium luminis non amiserit; non, inquam, hoc miror, cùm naturale sit creaturis integram suam gloriam niti conseruare. Illud mirandum est in stellis, & Luna, quòd cum defectionis patiantur damna, & obscuritates, per tot sæcula non effugerint hæc damna, nec vel in minimo sortem suam meliorare fuerint conata. Tanta equidem est in cœlestibus disciplinæ ratio, tanta virtus, vt quæ defectionibus turpantur, in iis defectionibus maluerint durare, quia id mundi lex præscribit, quàm ad perfectiorem sortem exorbitare. Ex quo non immeritò splendent lectissimi filij Abrahæ. Crede enim mihi, quòd homo, qui in glorio statu constitutus, non ambit perfectiorem alium, is ad splendidissima cœli lumina pertinere notatur. Qui autem ab vno ad perfectiorem contendit semper transmutari, is terrenæ puluери exæquatur, nunquam non potentiorum pedes allambens, nunquam non in reiectorum numerum deputandus.

Act. 8.

Naz.

D. Valer.

§. XVIII.

A te factum ostendas, necessum est, quod aliis faciendum persuadere amas.

OClarissimam veri Domini apparitionem. *Apparuit enim ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat,*

& videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur. Sic verus Dominus flammantem, & innocuum ſeſe oſtendit, vt ne quid detrahat flammarum veritati, nec vel vili rubo inferat damnum. Et cur adeò flammans, & innocuus ſeſe in præſenti oſtendit? Veniebat excitaturus Moyſem ad populi principatum, & vt Principem doceat veri Principis mores, quibus inter potentiæ, & ſeueritatis flammas, debet maximè cauere, ne vel minimo homuncioni inferat damnum; ſic ipſe verè Princeps, & Dominus oſtẽditur, & flammans, & innocuus, vt nec lædat viliſſimæ ſtirpis ramum. Multum enim intereſt, quod à te oſtendas factum, quod faciendum cupis perſuadere aliis, Actor. 2. vbi Spiritus ſancti viſibilem aduentum proponit, ait: *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſedítque ſupra ſingulos eorum.* Non immoror in eo, quòd ſpiritus diuinus ſeſe in flamma oſtendat innocua, quod veri dominatoris proprium eſt, ſed illud noto, quod ſeſe oſtendat ſub ſpecie ſplendentium linguarum. Et cur, Domine, nunc maximè ſplendentis linguæ in te refers ſpeciem? Veniebat equidem, vel in ruſticis hominibus linguarum ſplendorem excitare, ne mirum videatur, quòd in ſe eam formam præmonſtrat, quam amat etiam excitare in aliis. Ait Nicetas in orat. 42. Nazianzeni: *Igneas linguas conſpicati ſunt, non quòd ſimilis linguæ diuina figura ſit, ſed quia circa linguam futura erat ſpiritus operatio.* Vide, quàm ſit perfectum, & efficax diuini ſpiritus magiſterium, vbi nititur hominum linguas illuſtrare, illáſque non in proximorum vſtionem, ſed in lucem reformare, nil prius ipſe facit, quàm ſeſe ſub ſplendentibus linguis oſtentare. Similiter vbi Ieſus baptizabatur in Iordane, dicitur Luc. 3. *Deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum, & vox de cœlo facta eſt: Tu es filius meus*, &c. Vocem autem hanc de cœlo factam putat D. Auguſtinus veniſſe à Patre per nubem. Et cur modò Pater è nube ſonat: *Spiritus ſanctus apparet ſub ſpecie columbæ?* Iam ibi Trinitas perſuadebat hominibus baptiſmum chriſtianum, ideò & ipſa debuit ſe ad naturas aquarum efformare, vt oſtenderetur, vel de nube, quæ ab aqua venit, vel in columba, quæ de aquis generata eſt cum cæteris auibus, Auguſt. lib. 3. de mirabil. Script. cap. 5. fatur: *Idcircò in nube, & columbæ imagine Pater, & Spiritus ſanctus ad baptiſmum veniunt, quoniam aquaticæ naturæ res illæ aliquid haberent. Dum enim in terra Filius ad baptiſmi myſterium aquæ creaturam elegiſſet, neceſſum fuit, vt & Pater per aquaticam nubem intonaret, & Spiritus ſanctus illud corpus quod de aqua in principio factum eſt, ex illa nube acceptum ſimularet.* Equidem quando à Deo ad aquæ baptiſmum vocabamur, meritò tota Trinitas ſeſe ſub aquaticis naturis manifeſtabat; quando enim & Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſub aquaticis naturis fulgebant; maximè perſuadebant hominibus confugere ad aquas. Sic etiam Matth. 9. *Et cùm tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine; Et ait illi: Sequere me.* Tranſiens vocat Matthæum, & cur non magis ſedens vocat? Volebat, vt ille tranſiret ad bonam frugem, ideò, & tranſiens vocat ipſum. Ait Paſchaſ. lib. 5. in Matth. *Et notandum, quòd tranſiens eum videt, & vocat. Ad hoc quippe vt & ipſe de hoc ſæculo tranſiens ad æterna quanto citius feſtinet.* Sic te eo habitu induas, ad quem alios trahere curas.

Actor. 2.

Nicetas

Luc. 3.

Aug.

Matt. 9.

Paſch. 1.

§. XIX.

Multum extollit Dei poteſtatem, quòd infirmæ reſculæ poſſint ſtare aduerſus validiſſimos aduerſarios.

VBi Deus ſuam potentiam aduerſus Ægyptium oſtenſurus aduenit; ecce tibi in quo ſeſe nititur manifeſtare; quippe ait: *Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi*, &c. Vilem rubum prætendit inter medias voraciſſimas flammas viridantem. Et quidem in nullo clariùs oſtenditur Dei brachium, quàm in eo, quòd vilis, & infirma plantula illæſa inter validiſſimos aduerſarios appareat. Si cedrus eſſet, quæ medias inter flammas non exureretur, forſan tribueretur eius incorruptibilitati; ideò non cedrus, ſed rubus vilis, & facilis eſca flammarum obiicitur, vt de rubi infirmitate, & vilitate euidentiùs Dei poteſtas clareat. Hinc Saul perterrefaciebat Dauidem 1. Reg. 17. *Non vales reſiſtere Philiſthæo illi, nec pugnare aduerſus eum, quia puer es, hic autem vir bellator ab adoleſcentia ſua.* Sapiens Rex iuxta creatam potentiam æſtimans certamen, puerum inexpertum abſterret, ne parere audeat coram validiſſimo, & exercitatiſſimo aduerſario. Quid ad hæc Dauid? An euidentia diſcriminis abſtinuit à certamine? Abſit; imò quo infirmior, eo alacrior init certamen, in quo videbat vnam diuinam potentiam eſſe exaltandam. Ait enim ipſe apud D. Baſil. Sel. orat. 15. *Qua ratione à propoſito certamine conatus es auertere, acriùs, ô Rex, ad pugnam exacuiſti. Hic quidem bellator, ego verò belli inexpertus, quæ res animos mihi facit, neque enim viribus meis fretus, ſed gratiæ in aciem prodeo.* Et quidem vbi trophæa erant erigenda diuinæ gratiæ, diuinæ poteſtatis, non contemnenda infirmitas, & vilitas pugnatoris, ſed maximè erant æſtimandæ, vt quæ multùm commendent Dei poteſtatem. Quam poteſtatem Dei ille magis extollit, qui in ſtrenuis victoriis minùs oſtendit creatæ poteſtatis. Poſtquam magnus iſte Goliath ab inermi puerulo proſtratus eſt vno ictu lapidis, arripuit Dauid interfecti gladium, & eius ſcidit caput, & gladium appendit in Dei tabernaculo. Sic enim habes 1. Reg. 17. *Aſſumens autem Dauid caput Philiſthæi attulit illud in Ieruſalem, arma verò eius poſuit in tabernaculo ſuo*: Indéque tranſtulit gladium in tabernaculum Domini ad perpetuam rei memoriam, vt habes cap. 21. Sed cur Dauid in tanti triumphi atteſtationem gladium Deo victori appendit? Cur non magis fundam, & lapidem hærentem tyranni capiti Deo appoſuit? Sanè gladius non deiecit monſtrum, ſed deiecti, & defuncti caput abſcidit; funda verò, & lapis totam illam perfecerunt victoriam, cur ergo non magis hæc tabernaculo Dei appenduntur, ſed iis demiſſis vnus gladius appenditur? Sanè Dauid, vt curabat extollere Dei potentiam, ſic minuere conabatur inſtrumenta victoriæ; illud ſatagens ne ex parte ſua, vel minimùm adiutorium appareret, vt clarior fieret Dei triumphantis victoria. Ad hæc D. Baſil. Sel. orat. 15. *Sectum caput cum ſectore gladio, victoriæ parenti donatum offert, & cum quæ deuicerat, Deo offert, ei victoriam arrogat. O qui palam egiſti fidem ad pugnam nullis egere armis! O qui in te ipſo palam feciſti fidei vim.* Fundam, & lapidem ſuum diſſimulat, & contemnit, & pro nihilo habet, ſolùm hoſtis gladium appendens, vt ſic clariùs effulgeat Dei poteſtas, quominus ex ſua parte Dauid habuiſſe teſtatur. Hinc Matth. 2. inducitur Bethlehem lætis lacrymis proſequens puerorum innocentum triumphos aduerſus tyrannum validiſſimum Herodem, Ait enim: *Rachel plorat filios ſuos*, &c. qui ploratus, non luctus, ſed lætitiæ, ſed triũphi, ſũt quòd inermes, & infirmi puelli ſic turbent, & comprimant Regem fortem. Sed vt hos Bethlemi triumphos ſuperaret Lugdunus Gallicus vnius virgunculæ Blandinæ certamina in medium promit. Et quid virguncula vna cum tanto exercitu puerorum? Multum ſanè, vbi enim poteſtatis diuinæ res erat, ibi magis æſtimatio creſcit, vbi infirmior, & vilior eſt cauſa victoriæ. Ait Euſeb. Gallican. homil. de ſancta Blandina: *Dignè tecum, ô Bethlehem, Lugdunus noſter certaret, & ſuper diuinis circa vtraque beneficiis velut collato tecum ſermone contenderet: Beata enim illa morte, qua Herodes dum ſacrum puerum quærit ſolùm, tantum pueros immolauit, triumphum tuum ſexus vnus, meum*

1. Reg 17

Baſil. Sel.

Euſeb.

meum vterque promeruit : mea pugna palmam de mundi Principe etiam in fœminis reportauit. Quid pulchrius? Ibi maior diuinitatis triumphus, vbi imbecillior, & vilior miles apparet in certamen. Quam gloriam Deo inuidens Geisericus tyrannus Paulilli pueruli martyrium occultabat, ait enim de illo D. Prosper. in Chronicon: *Puer autem Paulillus nomine pro elegantia formæ, atque ingenij ad modum Regi acceptus à professione, atque amore Catholicæ fidei cum nullis minis deturbare posset, diu fustibus cæsus ad infamem seruitutem damnatus est, nec ideò, vt appareret interfectus, ne superacta sæuitia tyranni Regis etiam illa ætas gloriaretur.* Nemo enim non videt quam glorioſum eſt Deo, quòd pueruli imbecilles inter rabidiſſimos tyrannos in triumphos eant.

D. Prosp.

§. XX.

Plus lædunt imperium vitia regnantium, quàm rabidissimorum hostium incendia.

SIT repebat ignis flamma in medio rubi, & videbat, *quòd rubus arderet, & non combureretur.* Quid hoc protenti? Theodor. ait : *Significatur Israëlem ab Ægyptiis inimicis, atque infestatoribus haudquaquam consumendum fore.* Itaque rubus Theodoreto eſt populus Iſraëliticus; ignis autem eſt Ægyptiorum tyrannis, quæ minimè Iſraëlem vaſtabit. Sed & Iſaias longè aliud de Iſraële vaticinatur c. 9. aiens: *Succensa est quasi ignis impietas, veprem, & spinam vorabit; & succedentur in densitate saltus, & conuoluetur superbia fumi. In ira Domini exercituum conturbata est terra, & erit populus quasi esca ignis.* Compone modò ſpinam, & ſpinam, rubum, & rubum, hoc eſt, populum Iſraëliticum, & ipſum populum Iſraëliticum : ibi flammis circundatus non comburitur, hîc prorſus voratur à flammis: ibi flamma parcet rubo, non conſumit populum, hîc flamma deglutit veprem, & ſpinam, omníſque populus fit eſca flammarum. Et cur rubus, qui primo loco viret inter flammas, ſecundo loco in cineres, & fauillas abit? Equidem primo loco per flammam ignis exprimebatur Ægyptiorum tyrannis aduerſus Iſraëlitas, quæ minimè illos conſumere valuit. In ſecundo autem loco per ignitam impietatem oſtenditur conſilium Principum Hieroſolymitanorum aduerſus Ieſum coactum, vt probat, & teſtatur Leo à Caſtro in præſenti, à quo Concilio manabit extrema ruina populi Iudaici. Non equidem hoſtilis Ægyptiorum rabies ſic combuſſit Iſraëlitas, vt illos combuſſit, in cineréſque conuertit malitia ſuorum Principum annæ, & Cayphæ. Et quando non magis perduntur regna à malitia regnantium, quàm à furore poteſtatum contrariarum? Rem in Barbaris ſub Alarico Romam vaſtantibus, & Nerone ponderat Paulus Oroſius lib. 7. c. 39. fatus : *Tertia die barbari, quàm ingressi vrbem fuerant, sponte discedunt, facto quidem aliquantarum ædium incendio, sed ne tanto quidem, quantum septingentesimo conditionis eius anno casus effecerat. Nam si exhibitam Neronis Imperatoris sui spectaculis inflammationem recenseam, proculdubio nulla comparatione aquiparabitur, secundum id quod excitauerat lasciuia Principis, hoc, quod nunc intulit ira victoris.* Et fallar, niſi hoc contingat ſingulis regnis, quibus nunquam tantam attulere vaſtitatem hoſtium rabies, quantam affert malitia regnantium. Vt meritò dicat Eccleſiaſtes c. 10. *Est malum, quod vidi sub Sole, quasi per errorem egrediens à facie Principis : positum stultum in dignitate.* Ecce tibi malum omnium euidentiſſimum, quod per erroneas Principis cupiditates fit, nimirùm, quòd homo ſtultus, nil prudentiæ Chriſtianæ habens, ſed totus traditus deſideriis ſuis, ad principatum euehatur, & in dignitate conſtituatur. Et quantum hoc malum? Fallar niſi in eo tota Iudaici regni tragædia repræſentetur quotidie. Vt enim vidimus in Iudaico regno, quod ab hoſtibus truculentiſſimis illæſum, funditùs perdiderunt Principes nefarij, qui filium Dei egerunt in crucem. Sic ſimiliter in ſingulis regnis videbimus, quæ non rabies hoſtiles, ſed regnantium ſtultitia, & vicioſitas impellunt in extremam ruinam. Quam cladem ad ſuam Cirenem acceſſiſſe ex peſſimo Proconſule Andronico ſic D. Syneſius lamentatur epiſt. 58. *Horrenda ad carnificinam instrumentorum genera primus intulit, digitale pedum distortorium, prælum, & nasi pressorium, & auribus, at labris destrahendis forcipes. Dei verò Sacerdotibus ea intentat, quæ vel Phalaris Agrigentinus, vel Cephrem Ægyptius, vel Senacherib Babylonius timuisset, is, qui in Ierusalem Deo, atque Ezechiæ conuiciaturos misit. Illam ego dico diem alteram Deo crucem attuliſſe. Et hæc Sol vidit, non Tiberio Claudio Rempublicam administrante, à quo Pilatus ad Iudæorum Præfecturam missus, sed pia Theodosij sobole Romanorum sceptra moderante; a qua furtim Andronicus sibi Imperium ambiit, eadem qua Pilatus mente præditus.* Pulcherrimè Sanctus vir totam Iudæorum tragædiam in patria ſua proponit per vnum Andronicum repræſentatam. Paſſus enim eſt populus Iudaicus truculentiſſimos tyrannos, dum à Cephrem Ægyptio captiuus detinetur, dum à Senacherib ingenti exercitu arctè cingitur. Sed ab iis rabidiſſimis hoſtibus liber, & incolumis euaſit. Acceſſerunt Principes Anna, & Caypha, & Pontius Pilatus, qui crucem Ieſu fuerunt meditati, & quis deinde miſeri populi memoret calamitates, quibus penitùs iacet diſſipatus? Similiter in Cirene, ait Sineſius: *Sol vidit alteram Dei crucem.* Vidit enim blaſphemias in Deum, calamitates in ciues, tormenta inaudita, ruinas, quas nullus hoſtis inferret, nec Phalaris, nec Cephren, nec Senacherib, nec vllus alius Romanus tyrannus. Et quis potuit tantas inferre populo Chriſtiano calamitates? Vnus nequam præfectus Andronicus, qui furtim, & per errorem à Theodoſij filio imperium accepit. Sic errores, & vitia regnantium moleſtiora ſolent eſſe ſubditis, quàm hoſtilia arma. Id quod euidentiſſimè etiam patet in Dauide, ſub cuius imperio mille hoſtes pertulit populus, milia iniuit cum hoſtibus certamina, ex quibus & victor, & illæſus apparuit. Sed elatus Dauid, dum ſubditorum numero amat gloriari, quis narret eius regni luctuoſiſſimam cladem? Eam notat. 2. Reg. 24. *Immisit Dominus pestilentiam in Israël, de mane vsque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo de Dan vsque ad Bersabee septuaginta millia virorum.* Nunquam ab hoſtibus populus exceperat tantam cladem, quam modò illi intulit vna Regis elatio. Meritò ergo dicit Eccleſiaſtes ſuprà. *Est malum, quod vidi sub Sole, quasi per errorem egrediens a facie Principis. Positum stultum in dignitate.* Quæ verba ſic in rem præſentem explicat Chaldæus Coſti: *Est & malum, quod hoc in orbe in luce omnium est, quanta incommoda in orbem inuehunt calumniosa verba, quæ aperta, & à Principe in quemquam dimanant.* Ea ſunt mala quæ à Principe nequam oriuntur, quæ valeant, vel totum orbem incommodare. Ne mirer, nihil magis curæ dæmoni eſſe, quàm peſſimos homines Reipublicæ præficere, ibique illos proſperiſſimis euentibus fulcire. Vnde verba illa Eccleſiaſtæ 10. *Per errorem egrediens à facie Principis: Positum stultum in dignitate.* Sic explicat D. Greg. Thaumaturg. vt per Principem intelligat Diabolum. Ait enim : *Tyranni autem, patríque omnis malitiæ opera fuerint, stultum quidem in sublime attolli.* Id quod D. Syneſius epiſt. 79. in ſuo peſtilenti Andronico notabat, aiens: *Sed mihi ille videtur, cùm huiusmodi sit, malorum dæmonum prouidentia, ac præsidio fulciri, qui laude hominum, ac secundis rebus affluere, diras illas, ac detestabiles animas volunt, quibus ad publicas calamitates administris, atque instrumentis vtuntur. Quare ex iis gloriam illi quasi forti viro, ac strenuo comparant.* Sic ibi.

Syneſius. Oroſius. Eccl. 10. 2. Reg. 24 Chald. Eccl. 10. Greg. Syneſius.

§. XXI.

§. XXI.

In Christi Domini aduenientis mysterio, leges naturæ minimè spectandæ.

Videbat equidem, quod rubus arderet, & non combureretur. Quid ibi naturale? Sed quando ibi Christi Domini aduenientis exprimebatur species, vt ait Nissen. Ambr. Ber. & multi alij apud Lyppomanum, nil requirendum erat naturale. De Sara Abrahæ vxore dicitur Gen. 21. *Concepit, & peperit filium in senectute sua.* Et quidem Agar in iuuenali flore ex Abrahamo conceperat filium; cur Sara relinquitur senescere, & funditus sterilescere, & tunc illi datur, vt concipiat filium? In conceptione, & natiuitate Isaaci adumbrabatur mysterium venturi Christi, & ideò debuit ad illam conceptionem, quidquid natura erat, finiri. Ait enim Eucherius ibi: *Significatum est magnum Sacramentum in duobus filiis Abrahæ, quòd vnus de ancilla secundùm carnem natus est Ismaël: alter est autem de Sara libera secundùm promissionem natus, vterque quidem de semine Abrahæ. sed illum genuit demonstrans consuetudo naturæ, illum vero dedit promissio significans gratiam. Ibi humanus vsus ostenditur, hîc diuinum beneficium commendatur. Sed vbi significandum fuerat Dei donum, quod ingratis hominibus, gratis gratia largiretur, sic oportuit filium dari, quemadmodum naturæ non debebatur.* Nihil naturale apparere oportebat in eo, in quo Dei donum adūbrabatur, quo cum adhuc inimici essemus nos; venit Deus nostram salutem operari. Hinc Luc. 1. Virgini dicit Angelus: *Concipies, & paries filium*, &c. Quale hoc verbum ad Virginē? Chrys. ser. 142. *Nostræ ergo carnis ordo secedat, hîc sibi natura nostra nil vindicet, vbi ad diuinam progeniem cœlestis ordo, diuinam instituitur in naturam.* Nunquam equidem requirendæ sunt leges naturales, vbi diuini Regis componuntur natalitia. Similiter roganti Virgini: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Respondet ipse Chrysol. *Prætermitte naturæ ordinem, recognosce ordinem creatoris.* Quidquid enim ad naturæ ordinem pertinet, prætermittendum est; vbi creator naturæ accedit ad hominem.

Gen. 21. Eucher. Luc. 1. Chrysol.

§. XXII.

Vt conuiuia possunt longis ieiunis æquiparari.

Mirabat voracissimi elementi abstinentiam, quando: *Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi, & rubus ardebat, & non comburebatur.* Quid sanctius? Non miror, quòd ignis sic ieiunus iuxta pabulum, vel circumiacentem terram sanctificaret. Sed illud etiam mirandum, quod Isaias ait cap. 10. *Erit lumen Israël in igne, & Sanctis eius in flamma, & succendetur, & deuorabitur spina eius, & vepres in die vna.* Sanè vtrobique Deus in igne apparet, & vtrobique Dei sanctitas æquè splendet. Sed in Exodo Dei sanctitas splendet in igne ieiunante circa spinosi rubi pabulum; in Isaia autem splendet Dei sanctitas in igne vorante spinas, & vepres. Cur non magis sanctitas Dei fugit à voratore elemento, vt solùm appareat in ieiunante? Absit hoc à Deo; solent enim in sanctis viris æquè laudabilia esse, & conuiuia, & ieiunia larga, cum & illa ad bonum animarum ordinantur. Habes Iesum in deserto ieiunatorem; habes eundem Hierosolymis conuiuantem vel apud ipsos publicanos; quid inde? Defecit Iesus in iis conuiuiis à perfectione vitæ, quam in heremo tot ieiuniis inchoauerat? Nullo modo; sed longissimis ieiuniis æqualem sanctitatem halant conuiuia, abstemia, quæ ad proximorum vtilitatem ordinantur. De quo extollit Episcopum Patientem nomine Sidonius Apollin. lib. 6. epist. 12. fatus: *Omitto te tali semper agere temperamento, sic semper humanum, sic abstemium iudicari; vt constet indesinenter Regem præsentem prandia tua, regina laudare ieiunia.* Æquè in bono Prælato laudabilia apparebant prandia, ac ieiunia; quando his, & illis vtebatur, prout se offerebat occasio animarum ad Dei sagenam acquirendarum. Id quod in sancto Sulpitio laudabat idem Sidonius Apoll. lib. 7. epist. 13. vbi ait: *Tota illi actionum suarum intentio, celeritas, mora, Christus est: quódque mirere, vel laudes, nihil otiosum facit, cùm nihil faciat non quietum. Ieiuniis delectatur, edulibus acquiescit: illis adhæret propter consuetudinem crucis, illis flectitur propter gratiam charitatis: summo vtrumque moderamine, quia comprimit, quoties prandere statuit, gulam; quoties abstinere, iactantiam.* Itaque vt Christi crux imperat suis ieiunia, sic & charitas solet imperare prādia; ne manducantem spernat ieiunus; nec ieiuniū infructuosum reputet, qui prandet. Sed vel in prandio, vel in ieiunio maximè finis debet spectari.

Isaiæ 10. Apollin.

Exod. 3. Dixit ergo Moyses: Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.

§. XXIII.

Præstanti, & sublimi viro detrimentosum est magna non aggredi.

Vide Moysem ad magnitudinem miraculi visi magis audentem; quippe ait: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam.* Sed & vide Petrum miraculi magnitudinem in piscium captura fugientem: visa enim piscium captorum multitudine, Luc. c. 5. stupens, & tremens ait Iesu: *Exi à me, quia homo peccator sum.* Tam longè abest, vt ipse currat ad miraculi authorem, quod ab illo abesse magis exoptet. Et vnde Petrus ad miraculi magnitudinem pauet. Moyses autem ad illam magis accurrit? Equidem Petrus pauperculus erat, piscator in paruis semper nutritus, nondum ex alto virtutem induerat, & ideò tutiùs sibi putat, si à rebus magnis abstineat. Moyses autem & regiè, & inter magna nutritus, quò maiorem rem spectabat, eò ardentiùs ferebatur ad illam; nunquam enim non est detrimento, magno, & præstanti viro, si res magnas aggredi dissimulet. Sapienter ad hæc dicebat D. Nazianz. orat. 1. *Etenim sublimi viro detrimentum est res magnas non aggredi, nec virtute ad multos propagare. sed in paruis consistere, non secus ac si magno lumine paruam domum illustret, aut virilibus armis puerile corpus obtegat: paruo autem salus in eo consistit, vt paruum onus subeat, nec iis rebus, quæ vires eius excedunt, seipsum subiiciens*, &c. Itaque vt parui animi salus in eo cōsistit, quòd se in paruis contineat; sic nunquam non detrimentosum est præstanti, & sublimi viro, quòd ad magna non currat, neque in magnis ambulet, & mirabilibus. Fugiat pusillus homo magni certaminis arenam; sublimis autem & præstans vir, magnorum triumphorum materiam auidiùs arripiat. Accipite ex Gen. 39. Iosephum à fœmina petitum, vt illum in luxuriæ barathrum deturbet. Quid ille? *Relicto in manu eius pallio fugit, & egressus est foras.* Cur non magis stat pro castitate, & procacem fœminam vel verbis, vel gladio castigat? Sic Num. 24. Madianitides fœminæ trahebāt Israëlitas ad luxuriam; imò Israëlitarum Princeps ingressus ad scortum, dux erat cæteris nefariissimi facinoris. Quid tunc Phinees? An fugit præceps discrimen? Ait textus: *Quod cùm vidisset Phinees filius Eleazari filij Aaron Sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione ingressus est post virum Israëlitem in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet, & mulierem.* Ecce tibi Ioseph fugit, nec audet stare paulisper in conspectu mulieris procaciissimæ, Phinees autem ipsum lupanar intrat, ibiq; audet pugnare aduersus rem turpissimam. Cur Phinees non magis fugit immanitatem periculi, aut cur Ioseph non magis audet stare aduersus illud? Rem pulchrè

Naz. Gen. 39.

defini

Phil.2. definit Philo lib.2.legis Allegoriarum,inquiens: *Ioseph vt homo iuuenis,qui non posset cum Ægyptio corpore, scilicet voluptate,contendendo sperare victoriam,mauult fugere.Phinees autem Sacerdos zelo Dei correptus, non fuga sibi salutem quæsiuit,sed non desistit prius quàm Madianitidem transfigat.*Et quidem infirmi adhuc,& pusilli iuuenis propria est fuga, ne se magnis certaminibus cõmittat, qui autem sacerdotij infulis sublimis erat, & Dei zelo præstabat,non debebat sese magnis certaminibus subtraherere,sed quæuis magna, & ardua debe-
Matt.19. bat audere.Hinc Matth.19. clamant Apostoli: *Ecce nos reliquimus omnia,& secuti sumus te.*Sed & Zachæus Lucæ 19.*Ecce dimidium bonorum meorum,Domine,do pauperibus.*Illi omnia dimittunt, ab omnibus se abstinent, hic eo contentus est,quòd solam medietatem largiretur.Cur & ad omnia largienda iste non audet, aut cur illi non potiùs amant in renunciationem medium, sed magis gaudent abnegatione omnium extrema? Paruulus Zachæus erat, & in paruis detinetur; sed apo-
Hieron. stolica fulgentes sublimitate nihil facerẽt, nisi magna, & ardua auderent. D.Hier. epist. ad Pamach.ait: *Zachæus diues erat, Apostoli pauperes. Diuisit ille medietatem substantiæ suæ, quæ remanserat, suscepit Christum hospitem, salus facta est domui eius, & tamen quia paruulus erat, & Apostolicæ proceritati se non poterat extendere,nõ fuit in duodecim numero Apostolorum, Apostoli autem quantum ad voluntatẽ totum mundum pariter reliquerũt.* Extremam quippe renunciationẽ vniuersę substantiæ, vt arduam, soli illi fecerunt, qui ad Apostolicam proceritatem creuerant;non Zachæus,qui vt paruulus sic
Gen.13. in paruulis, nimirùm in medietate hæsit. Ex Gen.13. habes qualem sibi regionẽ Loth elegerit; dicit enim: *Elegítque sibi Loth regionem circa Iordanem, & receſſit ab Oriente.*&c. *Abraham habitauit in terra Chanaan: Loth moratus est in oppidis,quæ erãt circa Iordanem.*Quæ eleganter iuxta Hæbraicum textum sic sonant: *Elegit omnem planitiem Iordanis:* insuper addit: *Et Loth habitauit in oppidis planitiei, seu campestribus.* Itaque Loth sibi elegit plana, & facilia loca,relinquens ardua, & difficilia Abrahamo. Nec miror; infirmi enim animi homo,quid, nisi facile,& planum sibi vellet? Nec immeritò præstanti viro Abrahamo ardua quæuis reser-
Hieron. uantur per Deum. Ex quo D.Hier.epist.ad Pamachiũ, sic præstãtem virum monebat: *Euge noster,initia transgrederis, statum summum tenes, de radice peruenis ad cacumen primus inter monachos, in prima vrbe, primum sequeris Patriarcham. Loth,quod interpretatur declinans, campestria eligat,facilia magis sectetur.Tu in arduis,& saxosis cum Sara tibi monumentum para.* Non equidem deceret strenuum virum cum Lotho in planis manere; nisi cum Patriarchis ad ardua, & summa capessen-
Cassiod. da auderet. Ait enim Cassiod.2.var.2.*Generosi est animi optare,quod summum est.*

§. XXIV.

Præstantis Imperij forma est à suis priuatis commodis abstinere, vt subditis benefaciat.

HOc quærebat Moyses videre, & scire, nimirùm: *Quare non comburatur rubus?* Et quidem causam iam præmonstrarat textus, dicens: *Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi,*&c. Nullo enim sese magis Dominus ostendebat in flamma, quàm dum flamma à subiecti rubi pabulo prorsus abstinebat; quando ille præstantissimus Dominus, & Princeps est, qui à commodis abstinet priuatis, vt subiectorum incolu-
Nazian. mitati seruiat. Nazianz. orat.1.sic D.Paulum extollebat: *Nunc Apostolorum minimus est: nunc experimentum pollicetur Christi in se loquentis: nunc ex hoc vita discessum exoptat,ac delibatur: nunc propter suos magis necessarium esse censet in carne permanere. Non enim, quòd suum est, quærit, sed quod filiorum, quos per Euangelium genuit. Hic enim spiritualis omnis imperij finis est, vbique priuata vtilitate neglecta, commodis aliorum consulere.*Expende ab illis: *Hic spiritualis omnis imperij finis,* &c. quippe in tantum sese purum, & defæcatum imperium ostendit,in quantum nullis priuatis commodis inhæret, sed omnia sua negligit,vt subditi incolumes perseuerent. Cùm ad conspectum Goliath vniuersi Israëlitæ consternarentur, & penitùs deficerent; vnus Dauid adolescens, & inexercitatus in bellis, de post fœtantes,venit, & clamat ad Regem. 1.Reg.17. *Ego* *1.Reg.17.*
seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum. Et cùm miles non sis, sed pastor ouium, cur non magis satagis de pascendis ouibus paternis, quàm de Philisthæo repellendo? Vnde tantus ardor in pastore,quòd relicto grege, in tam periculosum certamen descendat? Cur non magis sibi consulit inexercitatus puerulus? Sanè hoc facto volebat Deus ostendere in suo electo Rege publicam formam optimi Regis, qui sua obliuiscens commoda, omnia subditorum pericula ad se deflectit. Ait D.Basil. Sel. orat.15. *Cùm autem nullus* *Basil.*
è toto exercitu probaretur satis, essétque in periculo Saul; *Sel.*
tunc militem suum producit in medium Gratia, verè Regem factis declarans, dum pugnæ prouocationem Dauid ad se rapit. Expende illud: *Verè Regem factis declarans:* quippe Dauidis tunc facta illum verè Regem declarabant, quando pugnæ prouocationem ad se solum rapiebat, proprium negligens sanguinem, ne quid discriminis Israëlitas tangeret. Hinc extollit præclarum Regem D.Synesius lib.1.de Prouid.fatus: *Cùm à Dijs* *Synes.*
*quæcunque, aut aëris,aut aquæ,terræue munera sunt, affatim omnia Regi, cumulatéque suppeditarentur, earum ille rerum vsum populo indulgebat, ipse omnia vitæ solatia respuebat, nullúmque non laborem antiquiorem habebat, vt somni parcissimus, sic curarum,solicitudinúmque plurimarum particeps. Et vt semel dicam,pro quiete, otióque omnium,ipse quietis,otiique expers.*Sic ibi

§. XXV.

Illud peccatori homini seueriſſimum est, quòd ei integra scelerum pœna in futurum sæculum reseruetur.

DVo erant visione illa, quæ admirationem facere possent Moysi; alterum, quòd Dominus apparebat in flamma ignis; alterum, quòd rubus arderet, & non combureretur. Moyses autem de secundo solo quærit indagare rationem:ait enim: *Videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Non ait, videbo, quare Deus in igne veniat, notissimum enim erat Deum in fortissimo ignis elemento venire, vt ostenderet suam aduersus Pharaonem,& Ægyptios fortitudinem,& potentiam,vt notat Ruper.lib.1.in Exod.cap.12. Quo euidentissimo sup- *Exod.12.*
posito meritò Moyses adstupet, quòd à tanto igne rubus non comburatur,& tam insolitæ rei rationem quærit,aiens:*Videbo,quare non comburatur rubus.*Et quidem quando Deus apparens in igne suam valentiam aduersus Pharaonem ostendebat,cur sic cohibet ignis voracitatem, ne vel rubum lædat?Cur non magis permittit sæuire ignem, vel in ipsas montium cedros? Iustissimè Dominus dum se aduersus sceleſtum Pharaonem ostendit, ignis voracitatem in præsenti frænat, ne ignis aculeus in hac vita hebetetur erga tantum peccatorem, sed totus integer maneat illi in venturo igne post mortem. Seueriſſimum enim est peccatori, quòd integra scelerum pœna maneat illi in æternò rogo. Iosue cap.7. Iratus Dominus contra anathematis *Iosue 7.*
violatorem, sic cauebat: *Quicunque ille in hoc facinore fuerit deprehensus, comburetur igne.* Deprehensus autem Achan damnatus est à Iosue, ductúsque ad vallem Achor;& ibi: *Lapidauit eum omnis Israël.* Ecce tibi quem igne comburi iubebat Dominus, Iosue non

comburit, ſed lapidibus obruit. Cur, bone, nefario homini non magis applicas flammas, quàm lapides? Nónne Deus in illum flammantes ignes contorquet, cur tu ab igne abſtines,& lapidas hominem? An mauis te Deo mitiorem oſtendere in pœna peccatoris? Abſit hoc à viro bono, & iuſto Ioſue, ſed vt ſeueriùs agat in peccatorem, aduerſus quem Deus ignem vibrarat; abſtinet ipſe ab igne, volens poſt ſuum in futuro ſæculo reſeruari ex Deo integrum ignis ſupplicium peccatori. Ait D. Auguſt. quæſt. 9. in Ioſue: *Ideò Ioſue voluit hominem lapidari, vt quod à Domino dictum eſt, igne cremabitur, intelligeretur, quod Dominus faceret, non quod ab ipſis eſſet faciendum. Non enim dictum eſt, igne cremabitis eum. Cum verò ita dictum eſt, vt magis videatur Deus, quod ei futurum eſſet, prædixiſſe,* &c. *illum lapidibus magis, quàm flammis peremit, ne vllis ignibus verba Domini impleta viderentur.* Abſtinuit bonus Ioſue ab igne inferendo, ne ſuplicium ignis à Deo paratum peccatori, videretur conſumatum in hac vita; ſed potius cum abſque ignis verocitate peccator finiret vitam, oſtenderetur illi integer manere in futuro ignis aculeus. Timeat peccator, quando in præſenti debitas ſcelerum pœnas non patitur, id quidem non ex lenitate, ſed ex maiori Dei ira procedit, qui illas integras ad futurum ſæculum reſeruat. Quos enim Deus amat, hos in præſenti permittit dare peccatorum pœnas. De Ioſia Sanctiſſimo dicit 2. Paralipom. 35. *Nec acquieuit ſermonibus Nechao ex ore Dei, verum perrexit, vt dimmicaret in campo Mageddo, ibique vulneratus eſt,* &c. Circa quæ D. Hieronym. epiſt. ad Caſtrutium, inquit: *Quid inter Reges Ioſia ſanctius? Ægyptio mucrone interfectus eſt. Quid Petro, & Paulo ſublimius? Neronianum gladium cruentarunt. Et Dei filius ſubſtulit ignominiam crucis. Et tu putas beatos, qui fœlicitate iſtius ſæculi, & delitiis perfruuntur? Magna ira eſt, quòd peccantibus non iraſcitur Deus.* Non poteſt non eſſe ira magna, quæ neſcit minui in aliquo, ſed integra, & inflexibilis reſeruatur.

Aug.

2. Par. 35

§. XXVI.

Dei præſentia inexplebilem voracitatem valet coërcere.

VNum requirere properabat Moyſes in magna illa viſione, nimirùm. *Quare non comburatur rubus:* cùm elementum ignis omnium voraciſſimum ſit, qui fieri poteſt, vt non feratur in pabulum, ſed ſuam comprimat voracitatem? Magna hæc res, ſed quam temperabat textus, aiens: *Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Vbi enim Deus igni præſens aderat, non miror, quòd eius voracitatem frænaret; quando præſentia Dei voraciſſimum quenquam coërcere valet. Accuſabantur Chriſti diſcipuli à Iudæis, quòd non ieiunarent, quòd gulæ voracitatem ſemel damnoſam, imò lethalem inuentam ieiuniis non caſtigarent. Accuſatoribus autem reſpondet Dominus Matth. 9. *Auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt.* Et cur non ieiunabunt etiam quandiu cum illis ſponſus eſt? Quando ieiunium eſt remedium inordinatæ voracitatis, & cur hoc remedium non applicatur, quandiu Ieſus nobiſcum eſt, ſed eius abſentia ſperatur? Et cur coram ſponſo ieiunium non datur? Equidem vbi ſponſus adeſt, non requiritur aliud, ſed ſola eius præſentia voracitatem coërcere valet. Ait D. Baſil. Sel. orat. 3. *Chriſti præſentia longè potentior eſt protoplaſti voracitate, & hominum genere per gulam nefariam in fraudem inducto.* Ponatur hinc primus ille homo ad pomum inhians; imò & ponatur totum genus humanum gulæ voracitate raptatum, & illinc Chriſtus præſens ponatur, non dubito quin Chriſti ſola præſentia totam hominum curet voracitatem. Hinc Eccleſiaſt. cap. 10. ait: *Beata terra, cuius Rex nobilis eſt, & cuius Principes veſcũtur in tempore ſuo ad reficiendum, & non ad luxuriam.* Sed ſcire cupis, quod tempus ſit veſcendi, in quo Principes non ad luxuriam, ſed ad reficiendum veſcantur, habentes prorſus coërcitam voracitatem? Ait Chaldæus in Regia: *Benè erit tibi terra, quo tempore regnabit ſuper te vir valens in lege, & magnates tui, poſtquam obtulerint iuge ſacrificium, comedent panem,* &c. Itaque vbi homo non priùs accedat ad prandium, quàm ad ſacrificium; & poſtquam ſe per ſacrificium ſiſteret Deo, tunc comederit; non dubito quin tunc omnis gulæ voracitas, & ingluuies tollatur. Quò reſpicit illud 1. Regum 1. *Surrexit autem Anna poſtquam comederat, & biberat in Silo. Et Heli Sacerdote ſedente ſuper ſellam ante poſtes domus Domini, cùm eſſet Anna amaro animo orauit ad Dominum flens largiter, & votum vouit.* Hoc mirum, & penè inuſitatum accidit, quòd ex conuiuio ad tam attentam & efficacem orationem ſurgeret Anna. Cur non magis à conuiuio impeditur, & inepta reditur ad orandum? Quæ immediatè poſt conuiuium oratura erat, iam in ipſo conuiuio Deum ob oculos habebat, illúmque præſentem intuebatur, quo nihil licuit gulæ voracitati. Vnde Chryſoſt homil. de Fide Annæ fatur: *Igitur à fœmina diſcamus, & poſt conuiuium orare. Quiſquis enim ad hoc præparatus fuerit, nunquam in ebrietatem, aut venolentiam incidet. Conuiuium, quod à precatione cœptum, in deprecationem deſinit, quouis fonte vberius nobis omnia adferet bona. Vbi enim precatio, & gratiarum actio, eò ſancti Spiritus aduenit gratia.* Dum oratio conuiuium antecedit, & ſubſequitur, neceſſum eſt, quòd ibi & Spiritus ſanctus adſit, de cuius præſentia procul dubio veniet, quòd nõ maneat locus ebrietati, ſed omnia gulæ mala reprimantur. Et quidem brutis feralior erit, qui ad Dei præſentiã à cibis non abſtinuerit. Daniel. cap. 14. ipſe Daniel miſſus eſt in lacum leonum, vt à leonibus famescentibus voraretur: at leones viſo Daniele, cibi obliuiſcuntur. Ex quo Chryſoſt. in Pſalm. 11 ait: *Qui ſunt gulæ dediti, vereantur ferarum abſtinentiam. Leones viderunt Danielem, & philoſophati ſunt, nos ad nos venientem Filium Dei videntes minimè philoſophamur. Maluerunt illi fame perire, quàm ſacrum corpus tangere. Nos nudum Chriſtum, & fame confectum circuire videntes, nec ſuperuacua dimittimus.* Sic ibi.

1. Reg. 1.

Chryſoſt.

Chryſoſt.

Matt. 9.

Baſil. Sel.

Eccl. 10.

Exod. 3. Cernens autem Dominus, quòd pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi, & ait; Moyſes, Moyſes? Qui reſpondit. Adſum. At ille. Ne appropies, inquit, huc; ſolue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.

§. XXVII.

Vox Dei efficacior omni opere ad creaturarum corda commouenda.

DE reuerentia præſtanda loco admonetur Moyſes diuina voce, quando ipſe tunc audacter, curioſéque, ac parum religiosè ad ſcrutandum illius apparitionis miraculum, & myſterium propriùs vellet accedere. Ait enim text. *Cernens autem Dominus, quòd pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi.* Inſuper & dicit: *Ne appropries huc, ſolue calceamentum,* &c. Quibus loci reuerentiam perſuadebat. Sed quando miraculum rubi inter flammas virentis præ oculis erat, cur neceſſum fuit Deo vti vocibus, vt Moyſem ad reuerentiam moueret? Cur tantum illud miraculum & myſterium non magis mouit Moyſem ad reuerentiam; ſed inſuper fuit vox diuina addenda, quæ illam perſuaderet? Crede mihi, non ſic quę videntur magnalia Dei, corda humana ad virtutem mouent, vt vox diuina potens eſt animas ad ſe rapere, & conuertere. Ait Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Gen. 1.

Terra

Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi: & spiritus Domini ferebatur super aquas. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Ecce tibi, quòd Dei magnalia appareant in principio, antequàm vlla Dei vox exprimatur. Apparent enim pulcherrima illa cœlorum tecta summo silentio Dei fabricata; apparet moles terrarum, & aquarum, quæ Dei spiritu insedente fœcundabantur. Quid tunc? Ventum est ad lucis fabricam, & ibi primò exprimitur Deus voce tonasse: *Dixitque Deus: Fiat lux.* Et cur, quando cœlos, & terram silens produxit, maluit lucem vocibus in medium trahere? Sanè, apparenti cœlorum, elementorúmque opere, nullus Angelus dicitur motus fuisse ad Dei gloriam decantandam; ideò Deus in lucis effectione vocem addidit, vt magis moueat Angelos in sui laudem. Sicque factum
Iob 38. est, quod dicit Dominus Iob 38. *Cùm me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Quæ
Epiph. sic apud Diuum Epiphanium tom. 2. lib. 2. Hæres. 65. *Quando genita fuerunt sydera, laudabant me omnes Angeli.* Itaque tunc solùm Angeli dicuntur moti fuisse ad laudes Dei, cùm lux fiebat, non quando cœli, aut elementa creabantur; quapropter lux Dei
Basil. Sel. voce, non silentio fiebat. Ait Diuus Basilius Sel. orat. 1. *Cœlum profectò productum est, & terra cum aquis, cùm vox anteuerteret nulla. Lux verò cùm produceba-tur, Deus voce præiuit,* &c. *Non ergo potuit quidcunque cohibitum fuerat silentio facere? Merito nunc loqui occupat, vt eius, quod fit, sensu, & admiratione Angelos moueat.* Poterat equidem lucem silentio creare, vt creauit cœlum, & terram; sed quando mouere Angelos voluit, addidit vocem in lucis effectione; & qui ad conspectum cœlestium magnalium hæserunt, ad Dei vocem vehementer moti sunt in laudem Creatoris. Sic quos non mouebant Dei magnalia, mouerunt Dei voces. De mare dicitur Iob cap. 38. *Circun-dedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia. Et dixi: Vsque huc venies, & non procedes amplius,* &c. Oppositum equidem Deus mari terminos, quos transire non posset, insuper addidit vectes, & ostia, quæ vel vereretur attingere. Ad hæc etiam adiecit vocem: *Et dixi: Vsque huc venies, & non procedes,* &c. Et quando termini, vectes, & ostia erant mari imposita, ne vltrà progrederetur, quid necessum fuit addere voces? Cur quando tanta facis, etiam dicis, ô Domine? Forsan nihil aliud vereretur creatura tumens, &
Basil. Sel. fremens, vt verita est Dei vocem. Ait Diu. Basil. Sel. orat. 1. *Fertur mare quidem fluctibus alitè elatum, vbi verò terminos attigerit, reuertit, refugitque, & Domini vocem litoribus inscriptam cum intuitum fuerit, curuatis fluctibus termini positorem adorat.* Expende illud: *Curuatis fluctibus,* &c. Non solùm enim fluctus maris refugiunt terminos à Deo positos attingere; sed cùm elati, & vehementer tumentes ad litus accedunt, ibi propria sponte sese deflectunt, & refracto tumore submittunt, quasi adorantes, & verentes litora. Et vnde hanc ebibunt reuerentiam, & submissionem? An ex terminis visis, vectibus, & ostiis inibi à Deo positis? Minimè, sed ex Dei voce inscripta litoribus: *Domini vocem litoribus inscriptam cùm intuitum fuerit, curuatis fluctibus termini positorem adorat.* Sic vox Dei efficaciùs, quàm opera creaturas mouet, vt cultum exhibeant Creatori.

§. XXVIII.

Carnalis affectus, vel minimus nos Deo appropinquare vetat.

PRohibetur Moyses accedere ad rubum, in quo Deus erat, nisi prius deponat calceamenta, ait enim diuina vox: *Ne appropries huc, solue calceamenta de pedibus tuis.* Ecce tibi ignis diuinus, qui rubum vilem in se admittebat, non admittit calceatum Moysem accedere. Et cur diuinus ignis sic cauet Moysis calceos, vt illos à se longè faciat esse, nisi vt ostendat, quàm longè sit à deitate, quisquis vel minimis carnalium tenetur affectibus? Nota est Empedoclis Philosophi præsumptio, qua, vt crederetur translatus esse in Deum, sese flammantibus Ethnæ hyatibus commisit. Sed sapiens ignis absumpto penitùs homine, calceum eius foras in conspectum omnium eiecit. Et cur non magis calceus hominis inter flammas fuit detentus? Cur protinùs à flammis expulsus, longè ab illis positus apparuit? Rem attigit Diuus Nazian-
Nazian. zen. orat. 3. quæ est secunda in Iulian. inquiens: *Ex quibus Empedocles, cùm per sicula foramina diuinitatem, vt sibi opinione fingebat, comparasset, séque ad meliorem sedem transmisisset, charissimo calceo, ignis æstu eiecto, proditus est; atque ita non Deus post hominem ostensus est.* Itaque calceus homini charus illum longè à diuinitate remotum ostendebat, neque enim potest fieri, vt diuinitati proximus sit, qui carnali calcei affectu ostenditur teneri. Exuendi equidem sunt vniuersi carnalium rerum affectus, & spirituales assumendi; si proximè ad Deum ascendere contendimus.
Ioan. 20. Hinc Ioann. 20. Christus rediuiuus prohibuit se tangi à Magdalena, dicens: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Verum vbi inter cæteros discipulos Thomam offendit, illum prouocat, vt accedat, & tangat, dicens: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Et cur Thomas prouocatur, & inuitatur, vt Christum tangat, Magdalena autem prohibetur, ne simile audeat? Supponit Diu. Cyrll. Alexand. lib. 12. cap. 56. in Ioannem, quòd per insufflationem Iesu resurgentis omnes Apostoli, tam præsentes in cœnaculo, quàm Thomas absens, Spiritu sancto induti, facti erant spirituales: non sic cæteri discipuli, nec mulieres, quæ adhuc in carnalibus affectibus detinebantur, donec in die Pentecostes plenius super omnes effusus fuit Spiritus sanctus. Hinc est, quòd Thomas potuit ad tangendum Iesum prouocari, vt qui ex Christi insufflatione in virum eúaserat spiritualem, Magdalena autem meritò repellitur, vt quæ aliquo adhuc erat infecta affectu temporali. Ex quo sic D. Cyril. Alexand. cap. 58.
Cyr. Al. *Recordentur studiosi Magdalenam quidem à tactu Christi prohibitam, Thomam autem hortatur, vt latus, & clauorum fixuras diligentiùs tangendo, & manum, aut digitum immittendo, perquirat. Quare sic? Magdalenæ enim nondum gratia Spiritus sanctificatæ tangere non licebat. Thomæ autem hoc licebat, quia vna cum Apostolis spiritum fuit consecutus.* Vt Iesus insufflauit in Apostolos, eisque communicauit spiritum, quo fierent spirituales; non sic communicauit spiritum fœminis, & ideò illas repulit, ne accederent, & tangerent; procul enim à Deo est, quisquis adhuc in affectu detinetur temporali. Hoc dixerim de affectiua, & perfectissima cum Deo vicinitate. Hinc ortæ sunt illæ Dauidis voces Psalm. 54. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, vo-*
Psal. 54. *labo, & requiescam?* Cur non magis expetit pennas aquilæ? Nónne iis altiùs, & velociùs euolaret? Cur ergo iis contemptis vnas columbæ pennas appetit? Na-
Naz. zianzen. orat. 17. ait: *Columbæ pennas expetit, quod spiritum adumbrent.* In columbæ pennis contemplabatur Dauid columbam illam sub cuius specie Spiritus diuinus ad Iesum accessit, & super illum mansit, vt Ioannes cap. 1. testificatur. Vt ergo Dauid cupiebat ipsi Iesu appropinquare, & de eius manu celsissimam perfectæ vitæ salutem capere, meritò non in aliud, quàm in diuinum alitem amabat transformari, quando ei euidentissimus patet ad Dei Filium transitus, quiin diuini Spiritus formam possibili aliquo modo transit.

§. XXIX.

Qui Deo ſecurè velit appropinquare, conformis illi fiat, & ſimilis.

APpropinquans Moyſes prohibetur à Deo monente illum, quòd priùs calceos exuat. *Solue*, inquit, *calceamenta de pedibus tuis.* Et cur non magis monet de diſcooperiendo capite, quàm de nudandis pedibus? Plures inuenies nationes, quæ ob reuerentiam præſtandam caput detegant, quàm pedes nudent, cur ergo Deus tunc magis ſibi reuerentiam procurabat ex detractis calceis, quàm ex detracto capitis operculo? Conueniunt huc penè omnes ſacri Expoſitores, & in calceis recognoſcunt animalium mortuorum exuuias, quando calcei ex pellibus fiunt. Nec miror, quòd vbi Deus in flamma apparebat, ita vt nec rubum conſumeret, ſed illum viuaciorem, & florentiorem relinqueret, non permitteret ſibi Moyſem appropinquare, niſi prius mortis exuuiis depoſitis, quidquid vel in pedibus oſtenderet, halaret vitam. Ille enim ſecurè, & tutò Deo appropinquat, qui prorſus illi conformis fieri nititur. Similiter vbi Dei Filius non in igne, ſed in aquis apparuit, Iordanem intrans baptizandus à Ioanne, vix in aquis erat Dei Verbum, & ecce tibi ait Luc. capit. 3. *Deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba, in ipſum, & vox de cœlo facta eſt: Tu es Filius meus.* Vocem hanc per nubem veniſſe putat Diuus Auguſt. ſed cur modò Pater, & Spiritus ſanctus ſeſe per nubem, & columbam oſtendunt? Nónne frequentiùs natura diuina, imò perſonæ diuinæ in igne ſe oſtendebant, aut in ſibilo auræ lenis; cur modò in nube, & columba? Apparebat Dei Verbum Ieſus in aquis Iordanis, cui volentes Pater, & Spiritus ſanctus viſibili forma appropinquare, ad eas creaturas recurrunt, quæ etiam ſunt aquaticæ naturæ. Ait Diuus Auguſtinus lib. 3. de mirab. cap. 5. *Dum in terra Filius ad Baptiſmi myſterium aquæ creaturam elegiſſet, neceſſum fuit, vt Pater per aquaticam nubem intonaret, & Spiritus ſanctus illud corpus, quod de aqua in principio factum eſt, ex illa nube acceptum ſimularet.* Ecce tibi, vbi Filius Dei in aquis apparuit, vt ſecundùm Auguſtinum neceſſum fuit, quòd perſonæ illi coniunctæ, & propinquæ, formas aquis propinquiores aſſumerent, quando Deo illi placet propinquus, qui illi conformis fieri nititur. Et quando Pater, vt Filio applaudat, illi ſe aſſimilat etiam in forma viſibili, quomodo placebit homuncio, aut quomodo poterit eſſe Deo propinquus, niſi illi ſe in omnibus aſſimilare curet? Ioannes cap. 19. de Ieſu dicitur: *Cùm vidiſſet ergo Ieſus Matrem, & diſcipulum aſtantem, quem diligebat, dicit Matri ſuæ: Mulier ecce Filius tuus.* Quibus verbis, vt acutè notat Origenes tom. 1. in Ioannem, ſic deſignatur Ioannes, quaſi ipſe prorſus deſierit, & fuerit conuerſus in Ieſum Mariæ Filium. Quippè ait: *Ieſus autem Matri dicit: Ecce Filius tuus, non: Ecce etiam hic Filius tuus: profectò ſimile dixit, vt ſi dixiſſet: Ecce hic eſt Ieſus, quem genera uiſti.* Et cur neceſſum fuit tantam ſimilitudinem, imò identitatem oſtendere inter Ioannem, & Ieſum? Cur Ieſus non contentus eſt diſcipulum extollere, dum illi credit Mariæ patrocinium, ſed inſuper ad maiorem eius exaltationem addit, quòd adeò ſibi ſit ſimilis, vt haberi poſſit alter Ieſus? Vndè neceſſum fuit tantam in illo exprimere ſimilitudinem? Equidem quando Ioannes vnus ex omnibus diſcipulis permiſſus eſt Ieſu crucifixo appropinquari, illique adeò in cruce proximus eſſe, neceſſum fuit huius peculiaris gratiæ prætendere radicem; minimè enim ſic tutò adhæreret Ieſu ad Patrem eunti, niſi eſſet illi maximoperè ſimilis. Equidem ille tutò, & ſecurè Deo appropinquat, qui illi conformari, & aſſimilari nititur. Dum Ieſus in Thabor transfiguratur, ait Matth. cap. 17. *Ecce vox de nube dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite. Et audientes diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valdè.* Non abſimilis vox intonuit apud Iordanem, dum baptizatur Chriſtus, imò ait Lucas capit. 3. *Factum eſt autem cùm baptizaretur omnis populus, & Ieſu baptizato, & orante, apertum eſt cœlum, & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum, & vox de cœlo facta eſt: Tu es Filius meus dilectus, in te complacuit mihi.* Ecce tibi vtrobique vox Patris auditur; ſed in Thabore ad Dei vocem conſternati diſcipuli ceciderunt in facies ſuas, verùm in Iordane nullus ad Dei vocem obſtupuit, nullus timuit. Ex quo hanc quæſtionem ſapienter mouet Diuus Chryſoſtom. homil. 57. in Matth. fatus: *Quomodo autem cùm iam antè ſimilis vox in Iordane audita fuerit, nemo ex turba, quæ aderat, expauit?* Et quidem in Thabore diſcipuli erant, & amici valdè Ieſu, nihilominùs audita Dei voce, eius expauent propinquitatem: at in Iordane multi erant populares, à Ieſu familiaritate diſtantes, & nihilominùs non timent, non turbantur. Vndè ex Dei voce tantam turbationem accipiunt Apoſtoli, & turbæ adeò ſunt imperturbatæ? Rationem huius diſcriminis inuenio in ipſis D. Lucæ verbis, aientis: *Factum eſt autem cùm baptizaretur omnis populus, & Ieſu baptizato*, &c. Cùm transfigurabatur Ieſus, diſcipuli non transfigurabantur; cùm autem Ieſus baptizabatur, omnes ſimiliter populares baptizabantur, vndè factum eſt, vt qui in ſimili baptiſmo cum Ieſu erant, intrepidè, & tutò præſentiam, & propinquitatem ſuſtinerent diuinitatis: timerent autem, & expauerent diſcipuli, qui in longè diuerſa forma in Thabore adſtabant.

Luc. 10. Luc. 3. Matt. 17. Luc. 3. Chryſoſt. Orig. Ioan. 19.

§. XXX.

Reuerentia exhibita Deo non parua diſpoſitio eſt ad magnas gratias promerendas.

VT magnam Dei apparitionẽ Moyſes videat, vnum hoc ex illo petitur, nimirùm: *Solue calceamenta de pedibus tuis*, &c. Et quid, quòd Moyſes calceamẽta ſolueret? Vnde hoc tantum erat, quòd tantam Dei apparitionẽ potiri mereretur? Concors eſt expoſitorũ ſententia, quòd in illa calceorũ abiectione, petebatur ex Moyſe Deo digna reuerentia, quam ſi exhibeas, magna proculdubio ex Deo mereberis. Similitet Ioſue cap. 5. dum ipſe quid faciendum ad Dei fauorem cõſequendum inquirit, hoc diuinum reſponſum accepit: *Solue calceamentum tuum de pedibus tuis*, &c. Magna ſperabat bonus dux à Deo, & pro magnis obtinendis vna ex eo petitur reuerentia per calceorũ nudationem exhibenda. Quid plura? Accipite Petrum Dam. lib. 3. ep. 8. fantem: *Ioſue certè cùm vidiſſet Angelum, ait: Quid Dominus meus loquitur ad ſeruum ſuum? Cui nihil aliud ille præcepit, nihil prorſus, vt exequeretur, iniunxit, niſi tantum hoc, ſolue, inquit, calceamentum de pedibus tuis.* Sanè vt magna obtineret Ioſue, magna illi fuerant iniungenda præcipuè parato ad omnia; ſed vnum ex illo requiritur, quòd ex parte reuerentiæ ſe tenet, quòd ſi vel ſolùm præſtiterit, non dubito quin magna ex Deo obtineat. De Maria Magdalena quærente Ieſum mortuum, dicit Ioann. cap. 20. *Maria autem ſtabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentũ; & vidit duos Angelos in albis ſedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum fuerat corpus Ieſu. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis, quia tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum. Hæc cùm dixiſſet, conuerſa eſt retrorſum, & vidit Ieſum ſtantem: & non ſciebat, quia Ieſus eſt. Dicit ei Ieſus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa exiſtimans, quia hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, vbi*

Petr. Da. Ioan 20.

vbi posuisti eum, & ego eum tollam. Dicit ei Iesus: Maria. Conuersa illa, dicit ei, Rabboni, &c. Ecce tibi descriptam totam diligentiam fœminæ, quæ prima omnium Apostolorum meruit videre gloriam Domini resurgentis. Et sanè non dubitandum est, quòd illa in fletu, in colloquio Angelorum, in fide resurrectionis nimis tarda, & infirma, & imperfecta fuerit. Quid tardius, & imperfectius, quàm nec ex Angelis visis, nec ex sepulcro vacuo, nec ex linteis relictis, vel ad minimam resurrectionis Dominicæ suspicionem accedere? Quando ergo in iis omnibus tam imperfecta, & tarda Maria fuit, quid aliud fecit, quo sibi tantum bonum mereretur, quòd prima gloriam videret resurgentis? Sanè si eius imperfectas lacrymas tollas, si tarditatem in colloquio Angelico percipiendo, vnum hoc in illa restat, nimirũ, quòd summa semper reuerentia Iesum meminerit, illũ semper, & vbique Dominum suum appellans. Ne miremur, quòd licèt in aliis deficiens, dum in hac compellandi Dominum persistit reuerentia, prima Deum
D. Cyril. resurgentem videre meruerit. Ait D. Cyril. Alexand. lib. 12. in Ioann. cap. 47. *Tarda hæc est ad intelligendum mulier. Nondum enim intellexit, quid visio illa significaret, fletus autem causam explicat. Verùm quoniam Christum semper Dominum appellaret, & feruentem erga ipsum amorem hoc modo ostenderet, propterea etiam ipsum videre digna iudicata est.* Vna equidem reuerentia in compellando Domino Iesu vicit & tarditatem, & infirmitatem fœmineam in percipiendo tanto Sacramento; & fecit quod, quæ suum affectum erga Deum tanta reuerentia explicabat, prima Apostolorum Christum videret. Similiter Samaritana mulier ad primam Christi petitionem, parùm reuerita personam petentis, aiebat
Ioan. 4. Ioann. 4. *Quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis?* Verùm de diuinis donis instructa, & de aqua nunquam deficiente: *Dicit ei mulier, Domine, neque in quo haurias, habes, & puteus altus est, vnde ergo habes aquam viuam.* Ad hæc Christus iam profusissimus in donis suis, non cunctatur in promittenda affluentissima sua vena gratiæ; quippe ait: *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo tibi, non sitiet in æternum.* Quid magnificentius? Aquam promittit se fœminæ daturum, quæ omnes extinguat sites animi. Sed scire cupis, quid fecerit, aut quid dixerit hæc mulier, vnde ad tantam promissionem deuenerit? Duo verba ab illa inuenio prolata, primum dixit: *Tu Iudæus cùm sis*, &c. Secũdò autem reuerentiam addidit, fata: *Domine, neque in quo haurias, habes*, &c. Quæ, vt magna dispositio ad recipiendã gratiam, sic à Theo-
Theoph. phylacto notatur. Quippè ait: *Dicit ei mulier, Domine: Vides quomodo statim ab humili cogitatu desistens, magnum ei honorem tribuat, Dominum vocando?* Quòd vbi in aliquo erga Deum notatur, iam habet, vnde ad præstantissima dona recipiatur.

§. XXXI.

Iusti homines inuisibili potius nituntur protectione.

CAlceaméta tollere iubetur in præsenti Moyses, per id, quod dicit textus: *Solue calceamenta de pedibus tuis*; contrarium autem inbebat Dominus populo Israëlitico profecturo ex Ægypto Exod. cap. 12. ibi enim ait: *Calceamenta habebitis in pedibus.* vbi, vt benè notat Pererius disp. 7. de calceamentis loquitur, non vrbanis, sed de iis, quæ vsui esse possint ipsis ad iter longum, &
Hieron. laboriosum tutò peragendum. Vnde D. Hieron. cap. 11. in Ierem. dicebat: *Pascha igitur facturi, calceamenta iubentur habere in pedibus, & Apostolus calceatos prædicat pedes eorum, qui Euangelio præparatur, ne dum per sæculi huius solitudinem gradiuntur, venenatis pateant animantibus.* Quando ergo ex Ægypto migraturi per desertũ iubentur Israëlitæ aduersùs pericula munire pedes suos calceis; cur Moyses ingressurus per montem spinosum, & senticosum iubetur exuere calceos? Nónne æquè necessaria erant calceamenta aduersus spinarum, & aliorum malorum periculum in monte Horeb, ac in deserto? Cur ergo interdicitur Moysi calceorum protectio, quæ Israëlitis iniungitur? in Israëlitico populo plures erant temporales homines, nihil vtra crepidam cogitantes, quibus meritò datur visibilis calceorum protectio, vt qui putent nihil esse, quod non vident. At Moyses homo erat perfectus, & omni virtute absolutissimus; vnde omni externo, & visibili munimento nudatur, perfecti enim viri, & iusti magis solent inuisibili protectione muniri. Elisæus hostili exercitu cinctus, & omni visibili auxilio nudatus, terrori erat seruo suo, pro quo orauit 4. Reg. 6. *Et aperuit* *4. Reg. 6.* *Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu montis.* Vnus puer Elisæi videbat tantas has auxiliatrices copias stare pro magistro suo, quas nullus alius videbat. Et cur vt sese manifestabant puerulo, non item se manifestabant visibiliter magistro ipsi? Puer imperfectus erat, & non quietaretur nisi in auxilio visibili; at Elisæus vt vir iustus, & perfectus non egebat iis visibilibus, sciens iustis hominibus nunquam non esse præsto auxilia inuisibilia. Ex quo D. Ambros. lib. 5. epist. in orat. aduersùs Au- *Ambr.*
rentium, inquit: *Respexit puer, & vidit Angelorum millia. Aduertitis igitur, quòd seruos Christi, ij magis custodiant, qui non videntur, quàm qui videntur.* Hoc communissimum est in Dei seruis, quòd magis custodiantur, & protegantur à potestatibus inuisibilibus. Seruus Dei es homo? Ride visibilia hæc munimenta, habes enim munimenta inuisibilia, quæ nullis possint expugnari, imò nec lædi viribus. Quando nudior omni visibili auxilio videris, tunc inuisibili Dei manu tutiùs protegeris, & multa tibi adsunt inuisibilia adiumenta. Quis nudior omni visibili auxilio, quàm mortuus? Sed mortui hominis protectionem sibi Iob exquirebat, dũ *Iob 14.* cap. 14. clamat: *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me?* Optat equidem sibi bonus, iuxta authoris catenæ explicationem, quam mortui habent in sepulcris protectionem. Sed quæ protectio in sepulcro esse potest, quando ibi omnimoda nuditas, & destitutio appareret? Nónne ibi homo vermibus traditur? Nónne quidquid ibi apparet, humanam vitam perdit, imò humanã formam? Quæ ergo in tanta destitutione, & desolatione protectio esse potest? Equidem si de visibili protectione loqueretur, nulla ibi prorsus est, at Dei seruus non ad visibilem, sed ad inuisibilem respexit protectionem, quæ vel in sepulcro est, vel in mortis faucibus incolumes seruat humanæ vitæ fontes. Vnde eleganter Minutius Fælix in Octauio premit visibilium rerum *Minut.* æstimatores: *Tu perire, & Deo credis, si quid oculis nostris hebetibus subtrahitur? Corpus omne, siue aresçit in puluerẽ, siue in humorem soluitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis, sed Deo elementorũ custodia reseruatur.* Est equidem in ipsa ruina nostri corporis Deo pro nobis custodia, quæ & si oculis non paret, tamen inuisibiliter eam nobis prætendit protectionem, qua tempore debito exurgamus ab omni damno mortis incolumes.

Exod. 3. Et ait: Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Abscondit Moyses faciem suam: non enim audebat aspicere contra Deum.

§. XXXII.

Virtutum paternarum laus magnum calcar est filiis ad virtutem.

NOn otiosè Deus cum Moyse locutus eius proauorum honorificè meminit, dum se illorũ Deum compellat, quippè ait: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Cur non magis se

rio deitatis nomine glorioſiori extollit? Hoc erat vtiane nomen Dei glorioſiſſimum, nimirùm: *Ego ſum, qui ſum.* Cur non vtitur hoc nomine ad Moyſem, ſed relictis ſolitariæ gloriæ vocabulis, illis vſus eſt, quæ cederent in Abrahami, Iſaaci, & Iacobi commendationem? Imbuebat tunc Deus ſuum tyronem, illúmq; ad virtutũ certamina prouocabat: propterea nil prius curauit, quàm illi proponere laudatiſſimos parentes ſuos; quando laus parentum magnum calcar ſolet eſſe filiis

Caſſiod. ad virtutem. Sapienter enim dicit Caſſiod. 1. variar. 4. *Pudet eum peccare, qui laudatis viris videtur potuiſſe ſuccedere.* Tenetur maximè filius laude parentũ, ne in vitia corruat, ſed ad præſtantiſſima facinora contendat. Nunquam enim virtus in parẽtibus laudata, non parit in filiis actiones præclariſſimas. Cùm duæ hominum generationes deſcriptæ eſſent, altera ex Adã per Cain nequam, altera ex Adam per laudatiſſimũ Seth, addit

Gen. 6. textus Gen. 6. *Videntes filij Dei filias hominũ, quod eſſent pulchræ*, &c. Sic equidẽ duæ illæ generationes diſtinguebantur, vt qui à Cain erant geniti, hominũ filij dicerentur; qui autem ex Seth naſcebantur, dicerentur Dei filij. Et vnde filij Seth in tantam creuerunt virtutẽ, vt Dei filij agnomine poſſent dici? Pulchrè. D. Baſ.

Baſil. Sel. Sel. orat. 4. inquit: *Sethus verò cùm Deum ſuæ virtutis laudatorem inueniſſet, & ad Abelum moribus accederet, hoc virtutis præmiũ tulit, vt ſui filij, Dei filij vocarentur.* Expende illud: *Cùm Deum laudatorem ſuæ virtutis inueniſſet*: quippè ex eo, quòd Seth Deum laudatorem habuit, factum eſt, vt filij eius eam vitæ rationem inſtituerint, qua mererentur benedictionem diuinã. Quis enim filiũs ad parentum laudatam vitam attendit, qui non abſtineret à vitiis? Huc ſpectabat illud Tobiæ iu-

Tob. 8. nioris aſſertum cap. 8. *Filij ſanctorum ſumus, & non poſſumus ita coniungi, ſicut gentes, quæ ignorant Deum.* Sic ſapiens iuuenis vt ſe, ſuámque vxorem diſtinguat à moribus, & vita gentium, in medium adducit laudabiles virtutes parentum.

§. XXXIII.

Vt Deus memor officij ſibi præſtiti, ſic creatura obliuioſa eſt beneficij accepti.

MIrabar cur Deus in præſenti relictis aliis nominibus, ex eo ſolùm vellet Moyſi innoteſcere, quòd Abrahami, Iſaaci, & Iacobi Deus eſſet. Et cur ex iis tribus iuſtis nomẽ ſuum explicat Dominus? Fallar, niſi oſtendere voluerit, quàm alia diuina natura eſſet à naturis creatis. Deus enim ſemper coram habet, quæ in ſuis grata ſuſcepit; creatura omniũ obliuiſcitur beneficiorum acceptorũ, niſi illi frequenter repetantur. Ideò ſe nunc Deum Abrahami, Iacobi, & Iſaaci nominat Dominus coram Moyſe, vt pateat, quàm non egeat Deus excitatore, vt præſentes habeat ob oculos ſibi officioſos famulos; & quàm egeat Moyſes excitatore frequenti, vt meminerit illum Deum, à quo tot beneficia, & promiſſa receperat in parentibus ſuis Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo. Quorum iam Moyſes non memor eſſet, niſi Deus ſeſe modo ſub illis benedictionibus manifeſtaret. Hilar. Ait enim D. Hilar. lib. 5. de Trinit. apud Lyppoman. in cat. *Moyſes in Reginæ filium adoptatus, & omnibus Ægyptiorum doctrinis enutritus, cùm vtique ex naturæ affectu Hebræi iniuriam morte Ægyptij vltus eſſet, Deum tamen paternarum benedictionum neſciebat. Nam cum in terra Madian paſtor ouium eſſet, ignem in rubo ſine cõcremationis rubi contuens, Deũ audiuit, & nomen interrogauit, & naturam cognouit.* Ecce tibi, vt Deus benedictionis largiſſimè impertitæ Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo, ab horũ filio Moyſe ignorabatur; imò ſemper maneret ignoratus, niſi ipſe ſeſe iterũ in rubo ſub illorum agnomine manifeſtaret. Ea enim eſt natura creata, quæ crebro egeat excitatore, ne in obliuionẽ beneficiorum acceptorũ abeat. Contriſtatis diſcipulis de morte magiſtri ſui, apparuit illis Ieſus rediuiuus, plagarúmque manifeſtatione reſurrectionem ſuam teſtabatur. Sic enim habes Ioan. 20. *Venit Ieſus ianuis* Ioan. 20. *clauſis, & ſtetit in medio, & dixit: Pax vobis, Deinde dicit Thomæ, infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Non ſolùm Dominus vitam glorioſam reſumpſerat, ſed & plagas mortis, lethalia ipſa vulnera in glorioſa vita retinebat. Ex quo pulchra excitatur quæſtio à D. Cyril. Alex. an ſimiliter in corporum reſurrectione, manſura ſint vulnera, & plagæ ſingulorum? Erunt ne glorioſa corpora ſanctorum in cœlo cum ſciſſuris, & plagis in præſenti pro Deo, & virtute acceptis? Quod ſi hæc in corporibus glorioſis non erunt, cur reſeruata ſunt in ſolo corpore Chriſti Domini? Equidem quãdo ſanctorum res cũ Deo erunt, nõ egebunt excitatore, vt Deus ob oculos habeat, quæcunque ſiue magna, ſiue parua pro illo in mundo paſſi fuerint. Imò quodcunque vulnus pro Deo acceptum fuerit, licet ingentibus gloriarũ cumulis abſcondatur, non poterit abſcondi Deo. At quando Chriſti Domini negotium cum creaturis ſuis eſt, vt illæ in incredulitatem, & obliuionem non abeant, neceſſum eſt, vt perpetuò illis ob oculos ponat clara, & manifeſta vulnera, illorũ amore accepta. Ait D. Cyril. lib. 12. in Ioannem cap. 58. *Dicimus nullas cor-* D. Cyril. *ruptionis reliquias, nullum ſignum, nulla conſequentia, vel antecedentia poſt reſurrectionem in hominibus futura. Verum quoniam ad certiorem id fidem Thomas flagitauit, neceſſariò Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ne vllam infidelitati cauſam præberet, ſic & illi, & cæteris apparet, vt illis conducebat*, &c. *ac præter illud, quod rerum conditio requirit, propter vtilitatem noſtram paſſionis notas retinuit.* Pro confirmandis creaturis in fide, & gratitudine beneficiorum, retinendæ fuerunt Ieſu vulnerum notæ; non autem retinendæ illæ erunt cæteris beatis, vt qui rem habeant cum ſolo Deo, cui nulla poteſt eſſe obliuio, vel minimi vulneris eius cauſa accepti.

§. XXXIV.

Ille ſolus habendus pater, ex quo filij veram religionem, verámque ebibunt virtutem.

AMramo patre natus fuerat Moyſes, & poſt hunc in Reginæ Ægyptiæ adoptatus eſt filium; tandem Sephoræ matrimonio iunctus inter filios numerabatur Madianitis Principis. Cur ergo regales hos natales prætermittens Dominus in Moyſe, recurrit ad paſtorum, & peregrinorum hominum originem, dicens: *Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob?* Cur non magis dicit: Ego ſum Deus ille, qui tibi in Ægypto, & in Madian parentes Reges prouidi? Cur non magis ad hos præſentes, & regios ſpectat, quàm ad illos remotiſſimos, & peregrinos? Meritò Dominus Abrahamum, Iſaacum, & Iacobum ſolos meminit parentes Moyſis, vt à quibus præcipuè tota manarit Moyſis in religione, & virtutum diſciplina. Sic Rex Tyri ſcribit Salomoni 2. Paralip. 2. *Miſi ergo* 2. Par. 2. *tibi virum prudentem, & ſcientiſſimum Hiram patrem meum*, &c. *qui nouit operari in auro.* Bonus Rex quem artificem mittit Salomoni, non dubitat vocare patrem ſuum. Et quando patrem Regem habebat, cur hunc artificem patrem vocat? Ait Interlinearis: *Patrem ſuum vocat, quia de terra Iſraël peregrè profectus docuit eum timorem Domini, & cognitionem veritatis.* Meritò bonus Rex regiam deſpicit ſtirpem, illum ſolum patrẽ agnoſcens, & ſi priuatum, à quo & religionem, & cultum veri Dei didicit. Hinc Pſalm. 43. cui titulus ille præfi- Pſal. 43. gitur: *In finem, filiis Core ad intellectus*; oſtenditur enim Pſalmus à filiis Core decantatus fuiſſe. Et quid filij Core dicunt? *Deus, auribus noſtris audiuimus, & patres noſtri annuntiauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum.* Nec paruam quæſtionem facit, quod filij Core

Core dicant ſe aliquid boni nuntij ex ſuis patribus accepiſſe. Nónne iſtorum patres ambitioſi in deſerto terræ hyatu abſorpti ſunt? Quos ergo patres vocant Core filij? An qui perierunt ambitione ſua? Abſit, imo illos ſolos patres ſuos cognoſcunt, à quibus rectè inſtructi ſunt in via virtutis. Rem præclarè ponderat D. Amb. ibi inquiens: *Amb.* *Qui ſunt iſti patres noſtri? Core autem & Dathan, & Abiron cum aliis, qui aduersùm Moyſem & Aaron inſurrexerant ſtudio contumaci, terræ hyatu in deſerto vorati ſunt, & necati. Quibus mortuis, qui alij patres eorum filiis mirabilia opera annuntiare potuerunt? Ipſe eſt bonus pater, qui poteſt docere, & formare in nobis Dominum Ieſum.* Ille ſolus pater agnoſcitur, qui format Deum in filiis ſuis, illóſque docet vias virtutum; adeo, vt qui hoc non facit, poſſit à parentũ numero reſcindi. Vnde. 2. Paralipom. 15. locutus textus de Aſæ facinoribus ait: *2. Par. 15* *Et Maacham matrem Aſa Regis ex auguſto depoſuit imperio, eo quod feciſſet in luco ſimulacrum Priapi.* Ecce tibi vt cauit Maacham vocare matrem ſuam, ſed illam vocauit matrem Regis, vt magis alterius videretur. Et cur non vocauit matrem ſuam? Ait D. Hieron. *Hieron.* in Gloſſa: *Idcirco non dixit Maacham matrem ſuam, ſed matrem Regis, quia non ambulabat viam rectam, ſicut filius eius.* Nec miror, quod bonus negaret matrem, à qua nihil virtutis, nihil pietatis poterat addiſcere.

CAPVT III.

Moyſes mittitur in Ægyptum.

Idi hominis reuerentiam non aſpernatus Dominus, imperium maturat, & Moyſi iubet, vt reuertatur in Ægyptum, apud Pharaonem ſalutem Iſraëlitici populi negotiaturus. Sed deſtituebant obedientis impetum animi vires, crebris difficultatibus pertinaciter concuſſæ: quas etiam prouinciæ magnitudo compoſitis rationibus exaggerabat. Vt priuatus, & contemptibilis homuncio coram potentiſſimo Rege de re illi ingrata perageret? Vt Iſraëlitarum Principibus numinis imperium perſuaderet, cuius vel nomen ignorabatur? Vt vnus renitenti multitudini ſatisfaceret? Vt pene elinguis homo diſſertos palatinos in ſententiam traheret? Sub iis elanguens fidiſſimi hominis vigor, munus ſuſcipere pigritabat. Quibus facilè omnipotens occurrens, ſe hominis ſocium coram Rege ſtatuit; necnon & diuiniſſimum nomen euulgat, quod nullum certum modum eſſendi determinet, ſed omnem planè ambiat, ac comprehendat, velut quoddam pelagus infinitum ſubſtantiæ. Id oſtendet, dum dicat. *Qui eſt, miſit me ad vos.* Rurſus ne populariũ renitentiâ grauetur, datur à Deo Moyſi, vt miracula patret, ſiue virgam velit vertere in colubrum, ſiue manum lepra infectam, velit in ſinum reductam ſanare; ſiue attactu virgæ aquas in ſanguinem tranſmutare. Inſuper, & oris pompa præſente numine promittitur, qua poſſit diſſertiſſimos quoſque ſuperare, niſi malit id muneris eloquenti fratri Aaroni committere, quem ſocium habebit, in quouis oratorio certamine.

His perſuaſus Moyſes profectionem adornat in Ægyptum, ſalutatóque ſocero, iter, quod Deus beneuertebat, exorſus eſt. Proſequebantur euntem duo filij, & Sephora vxor, quæ poſtquam primæ noctis diuerſorium intrauit, ſubitò quaſi monſtro perculſa eſt. Nam Dei Angelus terribili aſpectu apparẽs, vt primum Moyſem aſpexit; quæ procella, quódque fulmen celeriùs aëra rumpit, quàm tunc indignatio, & auidus ſanguinis furor eius vultus corupit? Mox trucibus oculis, nec dum tamen omnia impetui indulgentibus, lethali vulneri locumin pene exangui viro ſpectabat.

Sephora inexpectato coniugis diſcrimine vexata, celeri mente percurrens, quæ poſſent numen adeò infenſum monſtrare, nondum circunciſum filium inuenit, cui dicto citius lapideo cultro viuificũ ſignum aptauit. Proh fœminæ religionem! Flammantem Angeli iram reſtinxit, & ſibi denuò filij ſanguine maritum comparauit. Nec muſtùm ab irati Angeli diſceſſu tempus proceſſerat, & Moyſi Horebi montem pertingenti Aaron occurrit, de fratris enim aduentu à Deo fuerat monitus, ſed nondum perceperat ſibi, & fratri munus demandatum. Moyſes conſpectum lætiſſimo vultu excipiens poſt mutuos amplexus ordine cuncta recenſet, quæ Dei nutu voluebat, vt Iſraëlis curaret libertatem. Fratres ergo ſimul ad populũ procedebant; cuius præſtantioribus congregatis concionem habuit Aaron, vt à Deo erant in proximo liberandi. Denique tantis dicta confirmat miraculis, quantis nec incredula natio valũit repugnare, ſed vno ore omnes Iſraëlitæ ſibi de ſalute gratulantur, immortaléſque Deo gratias agunt.

PARS VNICA.

Moralis circa textus literam.

IAm nucleus moralis è textus cortice eruendus nos vocat, vtinam vt iſte ad vitam componendam valet, ſic ſaporet guſtus palatum.

Exod. 3. Sed veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meũ filios Iſraël de Ægypto. Dixitque Moyſes ad Deum: Quis ſum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſraël de Ægypto?

§. I.

Munus non præſumptum, ſed acceptum fructuoſum eſt.

IN Moyſi ducatu præſtito ad educendos de anguſtia Iſraëlitas, non otioſè poſitum illud imprimis eſt, nimirùm: *Sed veni, & mittam te*, &c. non enim qui præripit ſibi munus, ſed qui vocatus, & iuſſus accedit, ille in munere fructuoſus ſolet eſſe. Hinc Marc. cap. 10. repel- *Mar. 10.* luntur à Ieſu filij Zebedæi, dicentes: *Da nobis, vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram tuam, ſedeamus in gloria tua.* Sed Ioan. cap. 21. diſcipulis tota nocte inani- *Ioan. 21.* ter laborãtibus, ait Dominus: *Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Miſerunt ergo, & iam non valebant rete trahere præ multitudine piſcium.* Compone modò negatam dexteram Zebedæi filiis, cum dextera cõceſſa piſcantibus diſcipulis: illi pro dextera acquirẽda certantes, inanes, & vacui tunc manſerunt; hi ad dexterã nauigij retia mittentes implentur piſcibus. Et cur, quæ illis inanis fuit dextera, his adeò dives, & fructifera fuit? Ait D. Cyril. Alex. lib. 12. in Ioan. c. 62. *Retibus in* *Cyr. Al.* *dexteram partem iactis magna multitudo piſciũ capta eſt: Iuſſu autem Domini hoc factum eſt: quia non rapuerunt gratiam, ſed imperio Chriſti paruerũt.* Expende fœlicitatis cauſam, nimirùm: *Quia non rapuerunt gratiam*, quippe quia non tetenderunt retia ipſi, vt dexteræ gratiam præriperent, vt dignitatem raperent; ſed Dei imperium expectarunt humiles, & de Dei notiſſimo imperio, & ad retia, & ad dexteram feſtinant, inde tam fructuoſam piſcationem inſtituunt. Non equidem qui præripit dignitatem, ſed qui oblatam à Deo aſſumit, ille fructuoſus eſt in illa. Ecce vobis Gen. 24. magna ſolicitudo te- *Gen. 24.* net Abrahamum pro vxore filio quærenda, & ſeruus mittitur muneribus plenus, qui illam in Meſopotamia quærat, & inuentam curet trahere ad Iſaacum Dominum ſuum. Nec impiger ſeruus, ſed omnia perficiens tandem puellam virginem pulcherrimam, dignámque magno Iſaaco, attulit Domino ſuo. Quid tunc? Ait textus cap. 25. *Iſaac, cùm quadraginta eſſet annorum, duxit vxorem Rebbeccam filiam Bathuelis Syri de Meſopotamia,*

tamia, sororem Laban. Deprecatúsque Isaac Dominum pro vxore sua, eò quòd sterilis esset, &c. Vxor Isaac cum tanta diligentia, & solicitudine per seruum quæsita, tandem sterilis inuenitur. Quid hoc? Cur Deus tam diligenti quæsitori puellam sterilem prouidit? Nónne amat Deus Isaaci semen? Nónne ex Isaac nasciturus erat populus infinitus? Quando ergo fœcundissimæ familiæ vxor parabatur, cur hæc sterilis fuit? Equidem in Rebecca figurabantur Ecclesiæ Christi per orbem sparsæ, quas qui per seruilia officia, anxietate multa ex Principibus ambiunt sibi acquirere, necessum est, vt steriles, & infructiferas eas teneant, apud illos enim solos dignitates sunt fructiferæ, qui nullo seruili officio, nulla ambientis animi solicitudine illas præripiunt, sed Dei iussu, & manu ad illas regendas sunt adhibiti. Hinc D. Nazianz. extollit Basilium, Nazian. fatus orat. 20. *Isaac antequam in lucem ederetur, promissus est: Hic autem sponte se ipsum promisit, ac Rebeccam, hoc est, Ecclesiam, non procul quæsitam, sed è propinquo assumptam vxorem duxit, nec per seruilem legationem, sed diuino beneficio concessam, atque commissam; nec in filiorum prælatione circũuentus est. Sed vnicuique, quod promerebatur, cum Spiritus iudicio, ac delectu tribuit.* Expende, quàm totus alius ab Isaac sit Basilius in vxore habenda, hoc est, in Ecclesiæ dignitate tenenda, & in illius fructu. Ille longè à se positam per seruilem negotiationem ambiuit, inde & in sterilem incidit, & in promotione filiorum cæcutit; hic nihil seruiliter egit, nullam seruilem legationem instituit ad Principes, nullos dedit seruiles codicillos, nullam præmisit solicitudinem pro acquirenda dignitate, imò nec gradum fecit propter illam, sed in proximo à Deo sibi oblatam, & immissam accepit. Et quis inde numeret Basilij in dignitate fructus? Sanè nullam fraudẽ passus est in promouendis filiis sibi commissis. Huc accedat, qui cùm tot Prælatos in Dei Ecclesia videat, paucissimos quæritur esse spirituales fructus, innumerabiles errores in promouendis ministris ad beneficia. Vnde hæc fructuum sterilitas, & errorum abũdantia? Multi velut Isaac longè à se, suísque meritis positas abiunt Prælaturas, quas per seruilia officia exhibita Principibus sibi acquirunt, & inde & cæcitas in eligendis ministris, & spiritualis fructus penuria. Rari, qui non per seruilia officia, sed diuino beneficio concessam sibi, suísque meritis proximam acquirant Prælaturam, inde rari fructus, & rarus delectus in promouendis ministris. Aiebat Paul. ad Heb. 5. *Néque quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Nouum hoc assertum videtur, & difficile creditur, quòd nec quisquam inueniatur, qui sumat sibi honorem, nisi vocatus à Deo sit vt Aaron. An non multi sunt, qui nec vocati, nec merentes, sed repugnantibus Dei legibus assumunt Prælaturas? Cur ergo dicit Paulus, quod nec quisquam sumit honorem, nisi vocatus vt Aaron? Sapienti verbo vsus est Paulus dum dixit, *sumit*, qui enim non vocatus vt Aaron accedit ad dignitatem, hic nõ sumit, sed præripuit, & ideò sterilescit, vt maledictus. Ait D. Ansel. ibi. *Qui se ingerit, & propriam gloriam quærit, non sumit honorem. Si Pontifex, aut Prælatus Ecclesiæ factus fuerit, sed gratiæ Dei rapinam faciens, ius alienum vsurpat. Et ideo non accipit benedictionem, sed maledictionem.* Nec miror, quòd sub maledictione sterilescat Prælatus, qui non vocatus accessit, & præripuit Prælaturam.

Heb. 5.

Ansel.

§. II.

Diffidentia sui familiaris iustis viris.

AVdierat Moyses se à Deo mitti ad educendos Israëlitas, & nihil dicens, de eo, quod mittatur à Deo, solùm obiicit infirmitatẽ progressionis suæ, dicẽs: *Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem?* Cur non magis Deo mittenti obiecit. Quis sum ego, vt mittar? Cur tacens de eo, quod mittatur, solam proponit difficultatem eundi? In eo quod mittatur, nihil suum inuenit, totum id ex parte Dei se tenet, cui nihil est difficile. In eo, quod ipse vadat, iam aliquid suum videt, de iis autem, quæ ad se pertinent, non audet vir iustus sperare aliquid vtile. Sic Isaiæ cap. 6. *Et audiui vocem Domini dicentis: Quem mittam? Et quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me.* Duo expressè. Dominus requirebat, & quem mitteret, & quis iret; at vates vt audenter petit mitti, sic veritus tacet de eo, quod ibit. Ait enim, *mitte me*, sed nõ ait, *ego ibo*. Cur, bone, vt te mitti petis, non simul spondes te iturum? In eo, quod iret, erat aliquid suum, vt autem se videt, nihil audet polliceri de suis viribus, quas nouit infirmas. Ibi D. Basil. Magnus inquit: *Non adiecit, Ego ibo, Per id, quod liberæ, & electiuæ erat voluntatis, respondit; Ecce ego sum, mitte me. Quod autem erat gratiæ reliquit Domino, vt, qui propriæ conscius infirmitatis nõ est ausus polliceri se iturum.* Sic viri iusti: quod sui ipsorum est, verentur, nec audent de se aliquid bonum sperare, sed potius in suis maximè diffidunt. Iob cap. 13. aiebat, Deum spectans: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Sed & cap. 7. dixerat: *Desperaui, nequaquam iam viuam.* Ecce qui adeò sperabat, vt iam desperat; putabat se nullis casibus posse ab sperando deturbari, & facili negotio se iam desperasse dicit. Vnde, qui sic sperabat, tam facilè desperat? Sperabat in Deo, desperat de se; vt enim iustorum est firmiter in Deo sperare, sic est eorum nullam habere sui fiduciam. Vt dicat Richard. Victor. lib. 1. de erud. part. 2. capit. 21. *Desperasse se dicit, sed dubitat fortè de quo, de Domino, an de se ipso? Audi ergo, quod alibi dicat, & agnosce, quàm fortiter in Domini confidentia fixus manebat. Etiamsi occiderit, in ipso sperabo. Sperat itaque, sed de Domino. Desperabat nihilominus, sed de se ipso.* Hi simul iustum virum affectus tenebant, & fiducia, & diffidentia, vt Deum spectabat, sic firmiter Deo fidebat, vt nihil non audiret in illo, vt ad se oculos conuertebat, sic diffidebat, vt vitali cuiuis actioni valediceret. Nũquã enim sui diffidentia non comitatur viros iustos. Matt. 26. dixerat Dominus se tradendum esse ab vno discipulorũ. Quid tunc: *Et contristati valdè cœperunt singuli dicere, Nunquid ego sum Domine? At ille respondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* De vno audiunt, & omnes turbantur, & singuli de se metuunt, & quærunt de se. Cur singuli de se dubitant? An non vident affectum suũ erga Christum longè à tali proditione positum? Et quidem vident, sed quia suum vident, ex ea parte diffidunt se in eodem posse perseuerare. Vnde meritò D. Leo sic ad Iudam impudentissimum fatur, serm. 7. de Pass. *Ecce innocentes condiscipuli tui ad significationem facinoris expauescunt, & omnes sibi, non edito impietatis authore, formidant. Contristati enim sunt non de conscientiæ reatu, sed de humanæ mutabilitatis incerto, timentes ne minùs verum esset, quod in se quisque nouerat.* Videbant innocentes discipuli animum suum bonum erga Iesum, at quia suum norant, timebant, ne minùs verum esset, quod de se putabat. Quo enim innocentiores, & sanctiores erant, eo minùs de suis virtutibus sperabant.

Isaiæ 6.

Matt. 26

Victor.

Leo.

Exod. 3. Qui dixit ei: Ego ero tecum, & hoc habebis signum, quòd miserim te. Cùm eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum.

§. III.

Magnis negotiis nunquam Deus non adest particulari sua prouidentia.

MAgnum erat, quòd priuatus homuncio ingentem populum, vel renuente tyranno à captiuitate

uitate extraheret. Quod quidem ſine Dei particulari aſſiſtentia fieri minimè poterat. Vnde Deus ait: *Ego ero tecum*; inſuper & ſignum particularis aſſiſtentiæ ſuæ addidit, dicens: *Et hoc habebis ſignum, quòd miſerim te: Cùm eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum.* Ecce tibi pro ſigno aſſiſtentiæ diuinæ particularis ſolus rei euentus proponitur: quòd nimirùm populus à Moyſe erutus, de facto in illo monte immolaturus ſit Deo. Sed rei euentus de ſe non ſigna ſunt diuinæ particularis aſſiſtentiæ; quando ſub prouidentia communi multa eueniunt, quæ minimè Deo vt particulari authori, & motori imputari debent. Vnde ergo euentus libertatis Iſraëliticæ erit ſignum Dei in illa procuranda aſſiſtentis? Equidem id euidentiſſimè deſignabit ipſa magnitudo rei; quò enim maius erat, quòd à potentiſſimo tyranno captiuus populus per manum priuati hominis Moyſis erueretur, eò euidentiùs oſtendebat Dei aſſiſtentiam particularem, quæ ſemper proxima eſt magnis euen-
Luc. 2. tibus. D. Lucas cap. 2. natiuitatem Chriſti Domini memorans, ſimul ob oculos proponit rem, quæ vſque ad illa tempora inaudita fuit. Quippe ait: *Exiit edictum à Cæſare Auguſto vt deſcriberetur vniuerſus orbis.* Et quis Cæſar, aut quis Imperator tale vnquam edictum dedit, quo ad deſcriptionem cogeret totum orbem terrarum? Quæ tamen deſcriptio dum fiebat: *Aſcendit Ioſeph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem: eo quòd eſſet de domo, & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante. Factum eſt autem, cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies, vt pareret. Et peperit filium ſuum,* &c. Ecce tibi Dei Filius in mundo naſcitur, & inter homines apparet, eo ipſo tempore, quo vnus homo ſub dominio ſuo ſcribebat totum orbem terrarum. Et cur Deus inter homines venit, quando vnus homo omnes homines ſub ſua redigit poteſtate, niſi vt oſtendatur tanta res non poſſe fieri niſi interueniente Deo, cuius particularis prouidentiæ eſt magna omnia ad-
Naz. miniſtrare? Sic D. Nazianzen. orat. 9. fatur: *Cum Chriſto deſcribis, cum Chriſto tributum expendis, cum capite cenſuram facis, cum Verbo rationem ſubducis. Nunc Chriſtus tibi naſcitur, & Deus eſt, & homo efficitur, & cum hominibus conuerſatur. Quid autem ſibi vult hæc oratio? Sanè, niſi me ſententia fallit, eos, quibus huiuſmodi munera commiſſa ſunt, admonet, Deum ſemper maximis rerum adminiſtrationibus intereſſe.* Nulla, mihi crede, magna rerum adminiſtratio excitatur, cui Deus non adſit; ſi regna euertenda, ſi ſtabilienda altera, ſi promouendæ nationes, aut peſſundandæ; Deus ſeſe iis rebus adeò immiſcet, vt in quouis magno effectu præſentiſſima eius prouidentia particularis clareat. Quò ſpectabat illud
Dan. 4. Daniel. c. 4. *Cognoſcant viuentes, quòd dominatur excelſus in regno hominum, & cuicúnque voluerit, dabit illud.* Nulla enim regnandi moles agitur, nihil quod ad regnorum magnitudinem pertinet, tractatur, in quo non potentiſſimè aſſiſtat peculiaris quædam Dei prouidentia, ſine qua nulla magna adminiſtratio erit. Vt ſapien-
Ioſeph. ter ad hæc dicat Ioſephus apud Egeſipp lib 5. de Excid. cap. 15. *Quis autem ignorat cum illis eſſe Deum, qui ſibi omnia ſubiecerunt? Quia aduerſis populis Deus per vices potentiam dedit. Primo Ægyptiis, pòſt Iudæis, Aſſyriis quoque, & Perſis auxiliatorem fuiſſe nullus negat: poſtea conuerſum ad Romanos, cum his perſeuerare.* Nullibi inuenies rem magnam agitari circa regnorum, vel deiectionem, vel promotionem, in qua Dei peculiaris prouidentia non pareat. Regnarint Ægyptij, regnarint Aſſyrij, regnarint Perſæ, regnarint Iudæi, regnarint Romani ad nullum peruenit regnandi moles niſi ex Dei prouidentia ſingulari.

Exod. 3. Ait Moyſes ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Iſraël, & dicam eis: Deus patrum veſtrorum miſit me ad vos. Si dixerint mihi. Quod eſt nomen eius? quid dicam eis? Dixit Deus ad Moyſem: Ego ſum, qui ſum. Ait, ſic dices filiis Iſraël: Qui eſt, miſit me ad vos. Dixítque iterum Deus ad Moyſem: Hæc dices filiis Iſraël: Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, miſit me ad vos: hoc nomen mihi eſt in æternum, & hoc memoriale eſt in generationem, & generationem.

§. IV.

Quæ recentia, & præſentanea bona monſtrantur, longiùs à falſitatis ſuſpicione, quàm antiqua, & nimis præterita abſunt.

ECce quale ſuum nomen Dominus exprimit; nimirùm ait: *Ego ſum, qui ſum,* & illud: *Qui eſt, miſit me ad vos:* & cum ipſe antiquiſſimis etiam ſæculis extitiſſet, nimirùm ab æternitatis antiquo, non per verbũ præteriti, ſed per verbum præſentis maluit ſuam præſtantiam exprimere. Cur etiam non ad præterita, & antiqua ſæcula recurrit, dicens: *Ego ſum, qui fui?* Cur de præteritis, & antiquis nihil, ſed omnia recentia, & præſentanea exhibuit, aiens: *Ego ſum, qui ſum: & qui eſt, miſit me.* Meritò Deus ad præſentia, recentiáque ſola recurrit, vt quæ longiùs abeſſent ab omni ſuſpicione falſitatis. Ex quo Arnobius lib. 1. Gentes pungit, *Arnob.* quòd idolorum glorias antiquiores iactabant eſſe Chriſtianis. Quippe ait: *Sed antiquiora, inquitis, noſtra ſunt, ac per hoc fidei, & veritatis pleniſſima: quaſi verò errorum non antiquitas pleniſſima mater ſit, & non ipſa pepererit res eas, quæ turpiſſimas diis notas ignominioſis concinnauerunt in fabulis.* Equidem & quo antiquiora proferuntur, eò promptiora ſunt falſitatum fundamenta, & errorum diſcrimina; ne mirer à Deo recentia, & præſentanea amari, quæ vt patentiora oculis, ſic magis à fabularum ſuſpicione libera. Hinc Le- *Leuit. 2.* uit. cap. 2. cauet Deus: *Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino de ſpicis adhuc virentibus, torrebis igni,* &c. Expende, quæ exquirantur à Deo ſpicæ primitiarum, nimirùm, quæ adhuc virent, recentioríque ſplendore ſunt. Et cur magis ad recentes, & virentes ſpicas Deus afficitur, niſi quia vetuſtiſſimarum rugæ, & ſinus plures poſſent fallacias gignere? Ad hæc Philo lib. de ſacrificio Abel, inquit: *Virentes, recentéſque ideò poſtulat; quia homines illos antiquum, fabuloſúmque tempus amantes, celerem autem, & nulli tempori obnoxiam Dei potentiam non intelligentes docet; admonens vt noua, recentia, pubentiáque ſummant bono animo, ne priſcis innutriti fabuloſitatibus, quæ multis ætatibus, ad decipiendos mortales ſunt tradita, imbuantur falſis opinionibus: ſed à Deo nunquam ſeneſcente noua, recentiáque bona copioſè accipiendo diſcant credere non eſſe quicquam vetus apud eum.* Et quidem ab eo, quæ velit falſitatis ſuſpicionem abradere, non multum fidendum eſt rugoſis illis vetuſtatibus, quæ penè abſoletæ, nihil præter quaſdam rugas prætendunt, in quibus fabulæ, & fictiones nutriti poſsũt. Illa ſunt prorſus diuina, quæ nõ nouerunt ſenij rugas, ſed virenti, & recenti ſplendore decora ſeſe oſtendũt. Ait enim Paulus de Chriſto Domino ad Epheſ. c. 5. *Vt exhiberet ipſe ſibi Eccleſiam glo-* *Epheſ 5.* *rioſam, non habentem maculam, aut rugam.* Sed in Chriſti Eccleſia maximè antiquitas, & vetuſtas commendatur; cur à Chriſto tollitur in Eccleſia ſeniũ? Vide quale ſeniũ tollitur; non ſeniũ, non antiquitas tollitur, quæ iuuenilem quendã & ſplendorem, & virorẽ refert. Illud ſeniũ tollitur, quo multa dicta abſolentur, & ſolis quibuſdam rugis conſeruantur, vnde præbeant materiam fingentibus. Ex quo in præſenti Caietan. *Et exhibe-* *Caiet.* *ret ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam fictionis.* Et præclarè Theodor. *Chriſtus*

Dominus pro ſua ſponſa ne mori quidem dubitauit, vt eam emundaret, & ei ſenium abraderet. Semper malè olet ſenium illud, in quo tempus abſumpſit omnem virorem, & nihil ſplendoris reliquit, nihil quod poſſit placere, ſed ſolùm rugas prætendit quàm aptas fingentibus. Qui in hac antiquitate confidunt, & præſumunt, prorſus fugiendi ſunt, vt qui animos impleant
Leuit.19 fabellis. Leuit. 19. ait Dominus: *Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis.* Quæ ſic leguntur apud Philonem; *A facie cani ſurges, & honorabis faciem ſenioris.* Quibus illud præcipitur, quòd ſenior honoretur; ſed de cano, non dicitur, quòd honoretur; quin potius monemur, quòd ab illo ſurgamus, & abeamus. Et quando ſenior honorandus eſt, cur canus non ſimiliter honoretur? An non cani, & ſenes idem ſunt? Abſit; imò maximam ponit inter temporis vetuſtatem differentiam; & in ſeniori intelligit vetuſtatem illam, quæ præſtantiam, & virorem ſemper oſtendit recentem, & ſplendidum ſine vlla ruga, quæ poſſit fallere oculos aſpicientium. Senectus hæc ad honorem, & reuerentiam pertinet. At in cano intelligit vetuſtatem, quæ nihil aliud habet niſi edacitatem temporis, & rugas fallentes; qui ſolùm huius vetuſtatis vi honorem quæ-
Philo. runt, maximè ſunt cauendi. At hæc Philo lib. de ſacrificio Abelis, inquit: *Canum enim dicit, tempus illud otioſum, à quo ſurgere, migraréque oportet eos, qui declinant opinionem iſtam innumeros fallentem, quod tempus habeat naturam faciendi aliquid. Seniorem autem eum, qui honore, præmio, dignitatéque præfertur*, &c. Caue ſenium, quod ſolùm rugas exhibet, & edacitatem temporis; illa ſenectus ſuſpicienda eſt, quæ nihil præſentanei ſplendoris perdidit.

§. V.

Solius Dei laus eſt in ſumma antiquitate nunquam non commendationem habere.

MVlta Dei nomina erant, quæ eius explicarent magnalia, ſed placuit inde in præſenti nominari, *quod eſt*; quippe ait: *Ego ſum, qui ſum*, & inſuper: *Qui eſt, miſit me ad vos.* Et cur relictis aliis ad hoc eſſendi ſolum nomen recurrit? Hoc vt eſt omnibus prius & antiquius, ſic ad Dei commendationem debuit ſumi; cuius ſolius proprium eſt, æquè laudabiliter poſſe repræſentare & antiquiſſima, & vetuſtiſſima. Ait
Dio. Are. Diuus Dionyſius Areopagita libro de Diuinis nominibus, capite quinto: *Ante alias omnes Dei participationes ipſum eſſe præpoſitum eſt, & eſt ipſum eſſe antiquius quàm vita, quam ſapientia, & quam alia quædam ſimilitudinem diuinam participantia, ante hæc enim omnia ipſa eſſe participant. Meritò igitur reliquis principalius eſt ipſum eſſe; & ex ipſo tanquam antiquiori aliis Dei donis ipſe Deus celebratur.* Ecce tibi Deus ex antiquiori celebratur, quod ſanè non reperies in alio; non in creatis, quæ cum ex nihilo fiant, recurrere ad antiquitatem cauent, ne in nihilum abeant. Imò vix reperietur creaturarum antiquitas, & vetuſtas, quæ non in aliquo ſordeat, vel rugam trahat; Deus ſolus eſt, qui in antiquiſſimis æquè poſſit gloriari. Quò reſpiciens An-
1. Reg. 2. na Samuelis mater 1. Reg. 2. aiebat ad Iudæorum proceres: *Nolite multiplicare loqui ſublimia gloriantes: recedant vetera de ore veſtro: quia Deus ſcientiarum Dominus eſt*, &c. Quia Deum ſcientiarum Dominum agnoſcit, iubet vetera recedere ab ore illorum. Et licèt Deus ſcientiarum Dominus ſit, cur vetera longè à ſe faciant Iudæi proceres? Cur vt vetera ableget, opponit illis Deum ſolùm eſſe Dominum ſcientiarum? Apud iudices cap. 1. agens textus de expeditione Caleb. ait: *Profectus abiit ad habitatores Dabir, cui nomen vetus erat Cariath Sepher, id eſt, ciuitas literarum.* Et ideò veteri nomine ciuitas literarum vocabatur, quòd in ea antiquorum patrum, quaſi archiuum fuerit, in quo poſt orbis diluuium plurima repoſuerint antiquitatis monumenta. Ita Magallanes in præſenti, ſect. 1. annotat. 9. Poſſent ergo Hebræi gloriantes ad vetuſtiſſimum nomen ciuitatis Dabir recurrere, in eóque antiquiſſimos ſapientiæ ſuæ fontes demonſtrare. Quos monet prudens fœmina ne multùm fidant antiquitati ſapientiæ ſuæ, ne gloriantes recurrant ad vetuſtum illud ſuorum archiuorum nomen; ſolus enim Deus eſt ſcientiarum Dominus, & illarum ſcientiarum, quæ & antiquitùs eundem ſplendorem habeant. In aliis enim antiquitas, & vetuſtas nunquam non oſtendit, vel rugas aliquas, quibus & minùs extenſæ, & magis implicatæ diſpliceant, & nouis egeant illuſtrationibus, & extenſionibus, vt placeant. Suſpecta enim ſolet eſſe antiquitas in rebus creatis, vt dicat Paul. ad Epheſ. cap. 4. *Ad Eph. 4.*
Deponite vos ſecundùm priſtinam cõuerſationem, veterem hominem, qui corrumpitur, ſecundùm deſideria erroris. Vt enim in vetuſtate corporis, rugæ, & plicæ apparent, ſic errorum occaſiones mille notantur. Vel da mihi vetuſtatem aliquam in creaturis, quæ ſordibus non ſcateat? Vnde cùm Dominus permiſiſſet innocentibus hominibus, quòd dilapidarent adulteram; ſtatim abierunt eius accuſatores: imò notat Ioannes cap. 8. *Au-* *Ioan. 8.*
dientes autem, vnus poſt vnum exibant, incipientes à ſenioribus; ecce tibi, qui antiquiori ætate gloriari poterant, ipſi primi recedunt ab opere, ad quod vitæ innocentia requirebatur. Difficilè namque datur in creatis antiquitas, quæ erroribus non ſordeat. Ait D. Ambr. *Ambr.*
epiſt. 58. *Exire cœperunt ſinguli incipientes à ſenioribus; vel quod ipſi plura haberent crimina, qui diu vixerant.* Sic in creatis antiquitatibus plurimæ inuoluuntur ſordes.

§. VI.

Id magis Deo proprium eſt, quod eſt pluribus communius.

QVæritur ex Deo nomen proprium, & ait: *Ego ſum, qui ſum*, & inſuper: *Qui eſt, miſit me ad vos.* Et cùm nomina propria ideò confingantur, vt res per ſuas indiuiduas proprietates ab aliis cognoſcantur diſtinctæ; cur Deus nomen ſuum proprium exprimit ex eo: quòd communiſſimum eſt omnibus creaturis? Cùm enim ſapientia, iuſtitia, & aliæ virtutes in aliquibus, iiſque pauciſſimis inueniantur, eſſe in nulla non inuenitur. Cur ergo, quod proprium debebat eſſe, ſic ſummitur ex perfectione communiſſima, niſi vt oſtendatur, illud eſſe magis Dei proprium, quod ab illo ad plures proficiſcitur? Ait
Hier. Diuus Hieronym. in cat. Lyppom. *Et quomodo nomen commune ſubſtantiæ ſibi proprium vendicat Deus? Illa, vt diximus, cauſa, quia cætera, vt ſint, Dei ſumpſere beneficio.* Quò in plures venit à Deo beneficium, eò illius magis proprium eſt, magiſque exprimit proprietatem diuinam. Hinc Ioann. 6. Di- *Ioann. 6.*
xit ergo eis Ieſus: *Amen, amen dico vobis, non Moyſes dedit vobis panem de cœlo. Sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum*, &c. Et quidem per Moyſem datus fuerat populo illi panis, nimirùm manna, qui & à cœlo veniebat, & miraculosè cadebat, & talis erat, qui panis Angelorum diceretur. Cur ergo Ieſus negat hunc panem fuiſſe cœleſtem; & proprium menſæ illius, quæ à ſummo Deo exhibetur peculiari affectu? Non erat hic panis communis multitudini hominum, ſed tantum Iudæis, vnde habuit, ne ſingulariter attribueretur Deo, cuius propria, quò magis propria, eò communiora pluribus eſſe debent, Diuus
D. Cyrill. Cyrillus lib. 3. in Ioann. cap. 39. *Panem cœleſtem manna ex imperitia nuncupatis, quo, quamuis innumeræ penè gentes in orbe ſunt, ſolum tamen Iudæorum genus fuit innutritum. Neminem veſtrum errare volo; non erat panis*

ille

ille cœleſtis, ſed hic eſt, qui vniuerſum terrarum orbem poteſt nutrire, & toti mundo vitam præbere. Illud putat Dei propriſſimum, quod multis commune. Vt dicat
Ambr. Diuus Ambroſius lib. 6. in Lucam: *Chriſti munera parua videntur, & maxima ſunt. Denique non vni collata, ſed populis.* Quò ſpectabat illa Dei querela
Oſeam cap. 11. apud Oſeam cap. 11. iuxta lectionem Græcam Diui Cyrilli Alexandrini, vbi ait: *Sicut vocaui eos, ita abibant à facie mea.* Summa eſſet ruina hominis, & ſumma labes, quòd à facie Domini abiret, quòd Deum ſperneret, ab illóque fugeret. Quid ſceleſtius? Quid miſerius in populo illo? Sed Deus aliud quid queritur in Iſraëlitis, nimirùm, quòd non ſolùm abirent, ſed quòd abirent eodem modo, & ordine, quo tracti, & vocati fuerant à Deo ad vitam. Et quale hoc crimen? Equidem grauiſſimum, vt quod ſeſe opponebat clariſſimæ & notiſſimæ diuinitatis proprietati conſiſtenti in eo, quòd ad plures extenderat beneficia vocationis ſuæ. Qua illi abutebantur in malitiam eodem modo inficientes omnem multitudinem, ne
D. Cyril. vnus maneret, qui à Deo non abiret. Pulchrè D. Cyrillus Alexandrinus ibi: *Abierunt autem, quonam modo? Num quia ſingillatim, & ſecundùm paucos à mente, & iudicio deſciuerunt, & quorundam fallaciis capti ſunt? Nullo modo. Reſiluerunt enim ſic, quomodo videlicet vocati ſunt, id eſt, ſecundùm vniuerſam multitudinem, & ſecundùm tribus, totum genus totæ familiæ.* Profuſiſſimam Dei beneficentiam in Iſraëlitis ſaluandis illi æmulati ſunt in malum: vt enim Deus iuxta notiſſimam diuinitatis ſuæ proprietatem, in eo ſe oſtendebat, in quo plurib⁹, imò vniuerſis Iſraëlitis per tribus, & familias ſalutem præſtabat: ſic illi curabant, vt ſecundum eandem multitudinem omnes prorſus deuiarent. Quid ſceleſtius? Quid exitialius quàm abuti in malum tanta diuinitatis proprietate?

§. VII.

Tunc futura promittens placet, quando & de præſenti præſtat aliquid.

INſuper Deus aliud nomen ſibi addidit, aſſerens: *Hæc dices filiis Iſraël: Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob miſit me ad vos; hoc nomen mihi eſt in æternum.* Et cur maluit nomen ſuum oſtendere ex his tribus patribus conflatum, potius quàm ex aliis? Cur non Abelis, Sethi, & Enochi Deum ſe dixit? Cur iis omiſſis ſolos Abrahamum propoſuit, Iſaacum, & Iacobum? Agebat Deus cum Abrahamidum genere, cui futuram ſalutem, & protectionem promittebat, vt autem eorum animos caperet, ſic futura hæc promittebat, vt aliquid iam de præſenti exhibitum eorum patribus demonſtraret. Ille magis futurorum ſponſor ſemper placet, qui in præſenti aliquid, velut pignus
Ioan. 16. eorum, quæ promittit, facit. Dominus Ieſus Ioann. 16. aiebat diſcipulis: *Expedit vobis, vt ego vadam: ſi enim non abiero, Paraclitus non veniet ad eos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Ecce tibi vt promittit ſe miſſurum Spiritum ſanctum, cùm ad Patrem abeat.
Ioan. 20. Sed nondum abierat ad Patrem Ioann. cap. 20. & apparens diſcipulis: *Inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum.* Ibi promittit ſe miſſurum, hîc ſtatim præſtat; & antequam veniat ad Patrem, ex quo præſtaturus erat diuinum ſpiritum, iam illum in præſenti concedit. Cur, Domine, ante promiſſionis tempus dona acceleras? Cùm apud Patrem ſit, cumulatiſſimè erat præſtiturus promiſſum, nunc in præſenti aliquid ex parte exhibet, vt futurorum promiſſiones
D. Cyril. confirmentur. Ait D. Cyrill. Alexand. lib. 12. in Ioann. cap. 76. *Quanuis tempore ſuo facturus ſit, quaſi tamen arrabonem rei futuræ, nonnihil fecit ex parte, vt generalia credantur. Sic cùm ſe miſſurum ad omnes ſpiritum dixerit, poſtquam ad Patrem aſcenderit, primitias tamen pollicitationis, & quaſi arrabonem nobis in diſcipulis dedit.* Profectò non magni æſtimandus videretur ille, qui cùm multus ſit in promiſſionibus futurorum, in præſenti exhibitione nullus apparet eſſe. Qui ergo acceptior vult eſſe in promiſſionibus ſuis, nihil de futuro promittat, quin aliquid faciat de præſenti. Similiter Ioan. 5. dixerat Dominus: *Venit hora, in qua omnes, qui* *Ioan. 5.* *in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt in reſurrectionem iudicij.* Sic futuram reſurrectionem omnibus hominibus promittebat. Et quid iucundius ſingulis, quàm quòd cum vniuerſi de tumulis egreſſuri erant? Nónne hac promiſſione ſatis noſtras confirmaret Ieſus mentes? Sed vide Ioann. 11. vt Lazarum à morte reuocat in vitam, & alibi filium viduæ, & Layri filiam morti eripit. Ad quid has præproperas reſurrectiones in paucis efficit, qui in omnibus longè præſtantiores effecturus erat? Pulchrè D. *D. Cyril.* Cyrillus Alexand. lib. 12. in Ioann. cap. 56. ait: *Multa tempore ſuo generaliter facturus pollicitus eſt, quæ tamen ex parte antea fecit, vt credamus verè ipſum vniuerſaliter quæque facturum. Prædixit omnes ſe mortuos ſuſcitaturum. Verùm quoniam rei magnitudo fidem excedebat, præuenit vtiliter, & ante reſurrectionis tempus Lazarum, & viduæ filium, & Layri puellam ſuſcitauit.* Expende, vt nobilis promiſſor molliebat futurorum promiſſiones, quæ oculis carneis fidem videbantur excedere; nimirùm, aliquid earum in præſenti exhibebat. Huc traherem ego omnes illos, qui magna in futurum ſe promittunt facturos pro virtute, & Deo; qui, ne blaterones putentur, aliquid de præſenti debent exhibere. Similiter traherem huc illos, qui cùm multa rapuerint, ingentem reſtitutionem promittunt ſe facturos, qui ſi in hac debita promiſſione ſecuri malunt quieſcere; aliquid ex parte de præſenti præſtent. Si enim nec teruntium vis reddere de præſenti, quomodo fidem facies, quod in futuro ingentem pecuniarum ſummam reddes? Ille bonus promiſſor habetur, qui vt poteſt, aliquid ſaltem ex parte de præſenti præſtat. De futuro iudicio locutus Dominus Matth. 13. *Mat. 13.* inquit: *Tunc iuſti fulgebunt, ſicut Sol in regno patris eorum.* Hoc omnibus iuſtis hominibus promittebat Dominus, quòd totidem Soles facti regnaturi erant: Quid deinde? Matth. 17. *Aſſumpſit Ieſus Petrum, &* *Mat. 17.* *Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelſum ſeorſum; & transfiguratus eſt ante eos: & reſplenduit facies eius ſicut Sol.* Cur omnipotens Filius Dei faciem ſuam ad Solis ſplendorem efformat? Cur non ſupra Solem? D. Cyril. Alexand. vbi ſuprà: *Tunc,* *D. Cyril.* *inquit, fulgebunt iuſti, ſicut Sol in regno patris ſui. Quod vt firmiter crederetur, præuenit, & in monte hanc gloriam diſcipulis monſtrauit.* Adſtruebat fidem promiſſioni de Beatorum fulgore; & vt crederent homines ſe inſtar Solis effulſuros in cœlo, præoſtendit illis in vultu Filij hominis Solis ſpeciem. Ne quis magni faciat promiſſionem de futuro, ſi nihil de præſenti efficit.

Exod. 3. Vade, & congrega ſeniores Iſraël, & dices ad eos: Dominus Deus patrum veſtrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, dicens: Viſitans viſitaui vos, & vidi omnia, quæ acciderunt vobis in Ægypto. Et dixi, vt educam vos de afflictione Ægypti in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebuſæi, ad terram fluentem lacte, & melle. Et audient vocem tuam.

§. VIII.

Non quod multitudinis impetu, ſed quod ſeniorum, magnatúmque conſilio introducitur, id in Repub. ſtabile.

LIbertatis Iſraëliticæ negotium tractari mandat Deus apud ſeniores Iſraël, non apud populares, ait enim: *Vade, & congrega ſeniores Iſraël*, &c. Et ſanè libertatis vox efficacior ſolet eſſe apud populares, quorum animos vt concitarent plurimi, hac vna vſi ſunt voce, vt libertatem clamarent. Cur ergo Deus non potius mittit libertatis nuntium ad populares apud quos ſolet eſſe efficacius? Sciebat Dominus facilius multitudinem moueri ad vocem libertatis; ſed etiam ſciebat nihil multitudinis impetu introductum poſſe durare; & ideò ſapienter ad ſeniorum conuentum mittit, de quorum conſilio introductæ res ſolent, & firmiorem, & durabiliorem recipere ſtatum. Id quod clariſſimè patet in Chriſto Domino, quem accedentem ad ciuitatem Ieroſolymorum populares turbæ, & Regem, & Dauidis Filium proclamant. Ait Matth. 21. *Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via: turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Hoſanna Filio Dauid; Benedictus, qui venit in nomine Domini: Hoſanna in altiſſimis.* Quanta hæc Chriſti Domini præconia? Quanta popularis affectus in eum demonſtratio? Quis non crederet Chriſti regnum ex tunc in illo populo æternari? At tota illa gloria ſubitò diſparuit, & turbæ, quæ acclamarunt intranti, poſt biduum illum reiecerunt, eiúſque regnum abiurarunt, clamantes in prætorio Pilati Ioann. capit. 20. *Non habemus Regem, niſi Cæſarem:* in quo adeò pertinaciter adhæſerunt, vt nunquam deſiſterent ab hoc conatu, donec fuerit Ieſus in cruce exaltatus. Et cur primus ille gloriæ ſtatus tam facilè mutatus fuit, quando ſecundus hic ignominiæ ſtatus tam pertinaciter perſeuerauit? Ille excitatus fuit impetu populari, nullo Principe conſentiente, & ideò non potuit durare, durauit autem hic ſecundus ſtatus, qui introductus fuit conſilio magnatum. Sic de Iudæis locutus ait D. Cyrill. Alex. lib. 12. in Ioann. cap. 26. *Ipſi autem, quanquam aſinæ pullo inſidentem Ieſum publicè in Hieroſolyma cum infantibus diuinis honorarunt laudibus: Benedictus, clamantes, qui venit in nomine Domini, reſiluunt tamen nunc principatum Romanorum amplexi, & iugum regni Dei reiicientes. Hoc enim planè ſignificant, dicentes: Non habemus Regem niſi Cæſarem. Sed tunc à populo, & à ſimplicioribus vt Deus, Chriſtus laudabatur: nunc verò conſilio, & clamore Pontificum regnum Dei excutiunt.* Expende, in quo ponat & primi ſtatus inconſtantiam, & ſecundi ſtabilitatem: primò enim acclamatus fuerat Rex, ſed populari impetu, & multitudinis affectu, ideò tam citò reſilierunt. Secundò autem conſilio, & clamore Seniorum, Pontificúmque exhonoratus eſt, & ideò in hac ignominia, vſque ad mortem durauit. Nihil enim in Republica durat, quod populari impetu introducitur, ſed quod introducitur per procerum Senatum. Ride multitudinis ſuffragia quiſquis velis certum, & ſtabile fundamentum fœlicitatis. Dum Matth. capit. 1. genealogiam Chriſti Domini texuit, veniens ad Salomonis filium, ait: *Salomon autem genuit Roboam:* Et quidem Roboam idem ſonat, ac *in multitudine populi*, & quando mos erat antiquis proceribus in nominibus filiorum, præſagium quærere eorum fœlicitatis, cur ſapientiſſimus Rex ad popularem multitudinem recurrit, vt filij fortunam præſagiat? Sanè, vt eſt anguſta ſapientia creata, inde filium confirmari putabat, ſi ei multitudinem popularem aggregaret. Verùm Dei ſapientia in eo euidentiùs præſagium præferebat in Roboamo finiendæ, aut minuendæ gloriæ regalis, quando nihil in populari multitudine fixum poteſt eſſe ſtabile, niſi potentium, magnatúmque conſilium, & auxilium adſit. Ait D. Chryſoſt. hom. 1. in Matth. *Salomon cùm haberet regnum valdè multiplicatum, natum ſibi illo tempore filium, appellauit Roboam, id eſt, in multitudine populi, vt ſecundum ſtatum regni ſui multiplicatis nominaretur filius eius; prouidentia autem Dei diſpenſauit, vt diceretur in multitudine populi; quoniam quod fit in multitudine populi, ſtatim facilè ſeditionem multitudinis patitur.* Neſcit popularis multitudo diu conſiſtere, ſed inſtar maris fluctus, prout ventus afflauerit, modò huc, modò illuc rapitur. Inſipiens eſt, qui ſe tantæ committit inconſtantiæ.

Matt. 21.

Ioan. 20.

D. Cyril.

Chryſoſt.

§. IX.

Cœleſtium apparitiones crebriùs fœminis, quàm ſapientibus viris dantur ob horum præſtantiam.

IVbetur Moyſi, quòd congregatis ſenioribus Iſraëlis narret, vt ſibi apparuerit Dominus, vt eorum doleat vicem, & promittat libertatem. Ait enim: *Congrega ſeniores Iſraël, & dices ad eos: Dominus Deus patrum veſtrorum apparuit mihi, dicens: Viſitans viſitaui*, &c. Cur non potius ipſe Dominus congregatis ſenioribus apparet, & illos de tempore libertatis imminentis informat? Cur, qui ſimplici paſtori in deſerto agenti apparebat, non etiam apparet ſenioribus, & proceribus Iſraëlis, illóſque monet de auxilio præſtando? Rationem inſinuat Lyppomanus in cat. fatus: *Seniores illi prudentes erant, promiſſiones Patriarchis de liberatione eorum poſteritatis ex Ægypto, introductionéque in terram Chanaam factas nouerant. Tempus à Deo præfixum ex numero generationum adimpletum eſſe cernebant.* Et quidem Deus non ſolet mittere apparitiones cœleſtes illis, qui ea ſapientia, & prudentia pollent, qua poſſint Scripturas, & maiorum traditiones percallere, vt qui habeant in Scripturis, & ſapientiæ monumentis, & fortius, & certius argumentum ad percipienda cœleſtia. Rudes autem, & ſimplices animæ, quæ literas neſciunt, hæ frequentiùs apparitionibus diuinis ad cœleſtia incaleſcunt. Accipite ex Ioan. cap. 20. Vt Petrus, Ioannes, & Magdalena veniunt ad Chriſti Domini ſepulcrum, vt illud vacuum inueniunt, vt linteamina diuini cadaueris ſuppoſita ibi notant. Quid tunc? Ait textus: *Abierunt ergo diſcipuli ad ſemetipſos. Maria autem ſtabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis.* Ecce tibi, vbi abierunt diſcipuli, Angeli apparent fœminæ, illámque ad fidem reſurrectionis Chriſti Domini excitant. Et cur ſimul Angeli diſcipulis non apparuerunt, ſed ſoli apparent fœminæ? Quam quæſtionem grauiſſimè proponit D. Cyrill. Alex. & ſoluit lib. 12. in Ioan. cap. 46. ſatus: *Ambigere aliquis non iniuria poterit, quamobrem diſcipulis, Petro, dico, atque Ioanni, Angeli non apparuerunt, mulieri autem, & apparent, & loquuntur?* Hæc eſt ſancti viri quæſtio, accipite ſolutionem totidem eiuſdem verbis: *Diſcipulos enim rerum exitus Scripturæ, Chriſtíque prædicationibus conueniens ad firmiſſimam fidem induxit. Superuacaneum igitur erat, firmiter credentes voce Angelorum doceri. Mulieri autem penitùs neceſſarium, quæ nec litteras ſciret, nec alio modo ſublime reſurrectionis myſteriũ percipere poſſet.* Quid ſapiẽtius? Facit Dominus Angelos frequẽtiùs apparere fœminis, vt quæ, cũ literas neſciant, magis indigeant auxiliaribus iis fauoribus, vt firmiùs radicentur in abſtrusis fidei myſteriis. At ſapientes viri, dum rerũ euentus habent correſpondẽtes Scripturæ, & apoſtolicæ traditioni, inde philoſophãtes ſic firmiter imbuuntur fidei myſteriis, vt Angelorum apparitionibus

D. Cyril.

Lyppom.

Sap.16. apparitionibus non adeò egeant. Hinc Sap. 16. extollens fauorem illum,quo Deus nutriuit populum ſuum in deſerto,aiebat: *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum,& paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore*,&c. Quantus hic fauor erat præſtitus Iſraëlitis, quo poſſent cognoſcere magnificentiam diuinam? Cur ſimile non conceſſum eſt Chriſtianis? Chriſtiani habuerunt ex Deo panem vitæ,& intellectus, panem fortiſſimum ſapientiæ,& doctrinæ, quo mirabiliter confirmantur in fide. Illi Iſraëlitæ vt doctrinæ rudes, qui neſciebant penetrare corticem literæ, acceperunt Angelorum miniſteria,& per illos mannæ cibum: Ait il-

D. Zeno. lis Diu. Zeno ſerm. 33. *Infirmis, ac languidis mannæ teneritudinem irrorauit. Non enim idonei erant, aut digni, qui cœleſtis panis perpetua ſoliditate fruerentur.* Vbi non erant idonei, qui fruerentur cœleſtis doctrinæ, & intellectus pane, quo Scripturas poſſent penetrare, mannæ teneritudine tanquam infirmi irrorantur, & cõfirmantur. Sic cùm videris rudes, ſimplicéſque homines, & fœminas cœleſtibus apparitionum dapibus impleri, Angeliciſque colloquis frui; non inde putes hos ſuperiores eſſe multis viris aliis ſanctiſſimis, & ſapientiſſimis, qui illos fauores non habent. Imò puta ſimplices,& rudes velut infirmos confirmari teneritudine illarum apparitionum, & fauorum, vt qui Scripturas neſciant, ſapientiæque momentis careant, in quibus & fortius,& ſecurius argumentum habet vir ſapiens, ne indigeat aliis. Hinc petenti mortuorum apparitiones ad fratrum ſalutem negotiandam, reſpondit Dominus

Luc.16. Luc. 16. *Habent Moyſem,& prophetas: audiant illos.* Et meritò mortuorum apparitionibus Scripturas prætulit, in iis enim intellectis, & ponderatis ſecuriorem fidei confirmationem viri ſapientes habent. Ait enim

Theoph. in præſenti Theophylactus: *Nunc nihil tam vtile eſt, vt Scripturarum diligens ſcrutatio. Mortuorum ſuſcitationem falsè,& apparenter facere poteſt etiam Diabolus, vt ſeducat imprudentes ſeminans doctrinas de inferno dignas ſua malitia: at eis, qui Scripturas probè ſcrutantur, nihil poteſt illudere. Illæ enim ſunt lucerna,& lumen, quo lucente fur deprehenditur,& manifeſtatur. Illis igitur credendum,& de mortuorum ſuſcitatione non curandum.* Hæc ibi,& meritò ne in ſanctis viris apparitiones cœleſtium requirantur, quando ij ſapientiam Scripturarum habent.

§. X.

Fœlicitas temporalis vix vlla eſt, quæ circunſtantium calamitatibus non fœdetur.

ECce tibi Iſraëlitarum fœlicitas quantarum gentium calamitatibus comparetur, imò & fœdetur: Ait Dominus: *Dixi, vt educam vos de afflictione Ægypti, in terram Chananæi,& Hethæi, & Ammorrhæi, & Pherezæi,& Heuæi,& Iebuſæi.* Vt Iſraël viuat, & fœliciter viuat, perdenda eſt Ægyptus, perdendi Chananæi, & Hethæi,& Ammorrhæi,& Pherezæi,& Heuæi, & Iebuſæi. Et quantula hæc Iſraëlis fœlicitas inter tantarum calamitates gentium? Fallar, ſi vlla poſſit videri fœlicitas, circa quam mille calamitoſæ, & perditæ nationes non gemunt De ſplendidiſſimo,& cantatiſſi-

Dan.2. mo Romanorum imperio locutus Dominus Dan. 2. ait: *Et regnum quartum erit velut ferrum, quo modo ferrum comminuit,& domat omnia, ſic comminuet,& conteret omnia hæc.* Non aliter Romana lux potuit ſplendeſcere, niſi de ruina,& perditione cunctarum gentium; & ideò meritò comparatur ferro vili, & turpi metallo, nequit enim fieri temporalis fœlicitas, quæ non vileſcat, & fœdetur à calamitatibus circuniacentibus.

Paul.Oro. Quam rem luculenter tractans Paulus Oroſius lib. 5. cap. 4. ait: *Ecce quàm fœliciter Roma vincit, tam infœliciter, quidquid extra Romam eſt, vincitur. Quanti igitur pendenda eſt gutta hæc laborioſæ fœlicitatis, cui adſcribitur vnius vrbis beatitudo in tãta mole infœlicitatis, per quam agitur totius orbis euerſio? Aut ſi ideò fœlicia putantur, quia vnius ciuitatis opes auctæ ſunt, cur non potius infœliciſſima indicentur, quibus miſerabili vaſtatione multarum, ac benè inſtitutarum gentium potentiſſima regna ceciderunt?* Et quidem ſi fœlicitas Romana comparanda eſt cum ruinis, & calamitatibus regnorum & prouinciarum, ex quibus illa conualuit, proculdubio velut parua gutta dulcis in vaſtiſſimo amaritudinum mari videbitur. Nec eſt cur non potius illa fœlicitas ſe abſcondat ſub tantis infœlicitatum aggeribus. Id, quod accidit omni temporali fœlicitati, vt vnus ditetur, tot depauperantur; vt nequeat cernidiues inter frequentiſſimas omnium pauperies. Vnius riſus tot aliorum luctibus alitur, vt difficilè credatur riſus aliquis potuiſſe manere. Gutta eſt quæuis temporalis fœlicitas ſcaturiens in vaſtiſſimo infœlicitatum circuniacentium pelago. Sic aiebat Saluianus lib. 4. de Prouid. *Vt pauci illuſtrentur, mundus euertitur. Vnius honor, orbis excidium eſt.* Vt meritò de homine ad dignitates habendas properante dicat Eccleſiaſt. cap. 9. *Super dolentium arma ambulabis.* Nulla enim fœlicitas temporalis tibi obueniet, quæ de luctibus, & gemitibus aliorum non nata fuerit.

Saluian.

Eccl 9.

Exod. 3. Ingredieríſque tu, & ſeniores Iſraël ad Regem Ægypti, & dices ad eum, Dominus Deus Hebræorum vocauit nos. Ibimus viam trium dierum in ſolitudinem, vt immolemus Domino Deo noſtro. Sed ego ſcio, quod non dimmittet vos Rex Ægypti, vt eatis, niſi per manum validam.

§. XI.

In Dei promiſſis temporalibus illud in primis ſpectatur, quod pertinet ad ſpiritus profectum.

LIberatio ex Ægypti afflictione, & introductio in terram manantem lacte, & melle promittebatur Iſraëlitis; & ait dux eorum ad Regem: *Deus vocauit nos. Ibimus viam trium dierũ in ſolitudinem, vt immolemus Domino.* Vocaris, vt exeas ab afflictione, & vadas in terram lacte,& melle manantem; & tu de illa terra ſilens ais: *Ibimus in ſolitudinem, vt immolemus Domino?* Cur non magis dicis: *Ibimus in terram Chanaam in terram dulciſſimis fructibus plenam?* Cur hanc ſilentio regis, & ſolùm meminiſti, quòd ibis in ſolitudinem ſacrificaturus Deo? Si Deus vocabat, vt iretis in terram diuitem ad poſſidendum eam, cur tu ſolùm dicis, quòd ibis in montem, vt ſacrifices Deo? Equidem illud dicit Moyſes, quod in primis Deus ſuis promiſſionibus intendebat, promittebat quidem Deus corporalem abundantiam, ſed in primis, & præcipuè illorum intendebat ſpiritualem profectum, qualis per opera religionis,& pietatis euenit. Promittebat Dominus temporalium abundantiam, ſed ad illam ituri erant per ſpiritualium virtutum euidentiam. Hic eſt ordo in omnibus Dei promiſſionibus maximè tenendus, quòd promittente Deo aliquod temporale bonum, tu imprimis,& præcipuè ad ſpirituale virtutis opus contendas. Præclarè ad hæc Ioël cap. 2. ait: *Filij Sion exultate,& lætamini in Domino Deo veſtro; quia dedit vobis Doctorem iuſtitiæ,& deſcendere faciet ad vos imbrem matutinum, & ſerotinum ſicut in principio. Et implebuntur areæ frumento,& redundabunt torcularia vino,& oleo.* Ecce tibi vbi & vini,& olei redundantia promittitur, quis omnibus iis præmittitur, nimirùm Doctor iuſtitiæ, ait enim: *Dedit vobis Doctorem iuſtitiæ*, deinde ponit dona reliqua, quæ ſanè illos ſolùm expectant, qui iuſtitia imbuti in operibus ſpiritus profecerint. Et quid Doctor iuſtitiæ cum torcularium redundantia? Maximè equidem ſunt hæc connexa, imò cum te à Deo vocari ad temporalia

Ioël 2.

munera ſenſeris,prius crede te ducendum per iuſtitiæ opera ad ſpiritualem profectum. Hoc didicit Maria Ioan.cap. 1.cum nuptiarum ruborem cernens,&vinum penè deficiens augeri à Deo petens,audit ex filio: *Quid mihi,& tibi mulier? Nondum venit hora mea.* Nec matrem cognoſcit Deus,vt det abundantiam cuiuſuis rei temporalis ante horam. Sed ſcire cupis, quæ illa erat hora expectanda,vt temporale munus daretur? Illa ſanè hora erat, in qua accipientes ad ſpiritualem pro-
Gaud. greſſum prius erant adducendi. Ait D. Gaudent. tract. 9. *Quid tam propera es,ô mulier, ſuggerendo, cùm hora paſſionis meæ nondum aduenerit? Poſt paſſionem, reſurrectionémque meam,cùm ad Patrem rediero, tunc eis donabitur vinum Spiritus ſancti.* Ecce hora petendi,& accipiendi aliquid temporale pro hominibus, nimirùm hora,qua ipſi Spiritu ſancto implentur. Hoc in primis ſpecta, vt ſpiritu implearis, vt in ſpiritu proficias per virtutum opera, & poſt hæc maturus ad quodlibet munus temporale peruenies. En quàm acerbus,& nociuus eſt temporalis fructus iis,qui nullum gradum in ſpiritu fecerunt, imò ſpiritu ad carnem deuiauerunt.
1.Reg.15 Illa eſt vox hominis funditùs perditi. 1.Reg. 15. *Peccaui,ſed nunc honora me coram ſenioribus populi mei, & coram Iſraël.* Opera carnis agnoſcit, peccatum confitetur,& honores petit,fallar,niſi hoc ſit maximè timendum,quod quis ſine ſpiritus ductu, per opera carnis, per peccatum ad honores temporales accedat. Ait D.
Syneſius. Syneſius epiſt. 105. *Non iſtud demùm, quàm magna offerant ſpectare conuenit,ſed quàm ſint huiuſmodi, à me vt accipi poſſint. Etenim hominem diuinos prope honores capere,ſiquidem dignus ſit,qui aſſequatur, ad animi fructum accidit ſuauiſſimum; ſin multùm rei dignitate ſit inferior, acerbam futuri ſpem proponit. Néque enim recens ille mihi metus eſt, ſed cum primis antiquus ne qua in re in Deum peccans,honorem ab hominibus conſequar.* Expende,qui metus angat ſanctum virum, nimirùm, ne qua in re in Deum peccans,honorem ab hominibus conſequatur; eſt hoc homini maximè metuendum, ne per opera carnis ad honores, & dignitates accedat. Huc veniant vniuerſi illi,qui non per ſacrificia Deo exhibita,nec per ſpiritus profectum in virtutum operibus, ſed per carnalia opera, per lenocinia manifeſta, per peccata ad honores contendunt. En quàm acerbus illis honor venit! En quàm debent ſibi ab illo honore metuere, ne in tam acerbo fructu, & ſui, & filiorum dentes obſtupeſcant.

§. XII.

In fide Trinitatis aduersùs omnia mala initiamur.

PRofecturo populo ex Ægypto tres dies proponuntur,poſt quos ſacrificet Deo. Quippe ait: *Ibimus viam trium dierum in ſolitudinem, vt immolemus Domino.* In trinis diebus beatiſſimæ Trinitatis ſignum offertur;ne quid timeat populus ſub tali ſigno proficiſcens, ſed in illo habeat aduersùs omnia mala amuletum.
Naz. Hinc Nazianzenus, orat. 40. matribus præſtat vnde poſſint ſuis filiis maximè prouidere: *Nihil tibi amuletis, nec incantamentis opus eſt, cum quibus prauus ille in leuiorum hominum animos ſimul irrepit. Trinitatem ipſi da, magnum,inquam, illud, & pulchrum amuletum.* Solent ſtultæ matres amuleta affigere pueris ſuis, vt faſcinum pellant, vt tenella membra ſeſe à peſtilentibus oculis in via defendant. Caueat mater fidelis hanc ſtultitiam periculoſam, & ſi velit puerulos ſuos ab omni mala incurſione protegere;apponat illis Trinitatem, quod eſt pulchrum,& præſtantiſſimum amuletum aduersùs omnia mala incidentia. Sub hoc amuleto initiatus nouellus populus Iſraëlis ab Ægypto diſceſſit, terram lacte,& melle manantem diutiſſimè poſſedit, regna florentiſſima ſtabiliuit,& ſæculis multis regnauit potens, & lætus. Vbi autem Trinitatis amuletum à ſe deposuit. Patrem in filio negans, funditùs ſub Romanorum exercitu periit. Quam enim nationem nec Ægyptius, nec Perſa,nec Medus,potentiſſimi, & feraliſſimi Reges potuerunt extirpare,quomodo Romanus extirpaſſet, niſi illa in ſe contudiſſet Trinitatis amuletum? Rem ſapienti, & pulchra ponderatione attigit Paulus Oroſius lib.7.cap.9.vbi Titum, & Veſpaſianum ſimul triumphantes miratus,ait. *Veſpaſianus, & Titus Imperatores magnificum agentes de Iudæis triumphum, Vrbem ingreſſi ſunt. Pulchrum,& ignotum antea cunctis mortalibus,inter trecentos viginti triumphos,qui à conditione Vrbis vſque ad id tempus acti erant, hoc ſpectaculum fuit,patrem,& filium vno triumphali curru vectos glorioſiſſimam ab his,qui patrem & filium offenderant, victoriam reportaſſe.* Quid pulchrius?Non viderat mundus, non viderat Roma patrem,& filium ſimul in eodem triumphali curru,niſi quando Veſpaſianus,& Titus de miſeris Iudæis triumphabant. Et cur tunc ſolùm permiſſum eſt à Deo, vt Pater, & filius ſimul oſtenderentur triumphantes? Equidem vt ſimul pateret miſeros Iudæos opprimi offenſa diuini Filij,diuiníque Patris, negatione Beatiſſimæ Trinitatis. Nec miror,quòd qui validiſſimo hoc amuleto ſe priuant in nouas calamitates incidant, nouóſque & inauditos de ſe triumphos præſtent inimicis. Id quod in bello Gothico, vbi Valens Imperator Trinitatis inimicus incendio abſumptus eſt, notabat Paulus Oroſius lib.7.cap.33.inquiens: *Conſoletur ſe,ſed in hoc ſolo peruicatia,miſeriáque gentium, quia temporibus, & Regibus Chriſtianis tantæ ſimul congeſtæ clades preſſam Reipublicæ onerauêre ceruicem: euerſæ prouinciæ, deletus exercitus. Imperator incenſus. Magnum reuera hoc eſt ad noſtrum dolorem,magiſque miſerum, quo magis nouum. Sed quid hoc ad conſolationem proficit paganorum,qui palam peruident, & in iis quoque perſecutorem Eccleſiarum fuiſſe punitum? Gothi antea per legatos ſupplices popoſcerunt,vt illis Epiſcopi, à quibus Chriſtianæ fidei regulam diſcerent,mitterentur. Valens Imperator exitiabili prauitate Doctores Arriani dogmatis miſit. Itáque iuſto Dei iudicio ipſi eum viuum incenderunt, qui propter eum etiam mortui vitio erroris arſuri ſunt.* Sanè vnus,& primus Chriſtianus,Rex fuit Valens,qui imperium, & exercitum ſimul amittens ab hoſtibus viuus crematus occubuit. Hunc ſolum Regem cum perdito regno, & exercitu flammis abſumptum poſſent obiicere Chriſtianis gentiles. Sed is Arianus erat, & hoſtis beatiſſimæ Trinitatis,aduersùs quam armauit & Gothos; & ſic meritò à Deo factum eſt, vt per Gothos ipſos Trinitatis hoſtis primus Regum Chriſtianorum cremaretur viuus.
Oroſius. Oroſius.

Exod.cap. 3. Extendam enim manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis,quæ facturus ſum in medio eorum: poſt hæc dimittet vos. Dabóque gratiam populo huic coram Ægyptiis: & cùm egrediemini, non exibitis vacui; ſed poſtulabit mulier à vicina ſua,& ab hoſpita ſua,vaſa argentea, & aurea,ac veſtes;ponetíſque eas ſuper filios, & filias veſtras,& ſpoliabitis Ægyptum.

§. XIII.

Difficilius diuinæ poteſtatis opus eſt, quòd homines volentes ſibi ſubdat.

ECce tibi quantis Deus armatur conflicturus cum Ægyptio;ait enim: *Percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis,quæ facturus ſum, in medio eorum: poſt hæc dimittet vos*, &c. Non tantis aduersùs totum Orbem armatur Dominus; ait enim Ioel cap. 1. *Audite*
Ioel 1. *hoc ſenes,& auribus percipite omnes habitatores terræ,&c. Reſiduum erucæ comedit locuſta;reſiduum locuſtæ comedit bruchus; reſiduum bruchi comedit rubigo.* Et vt validiſſimum

mum Babyloniorum exercitum perimeret, vnum emiſit ex Angelis ſuis. Sic 4. Reg. 19. *Venit Angelus Domi-*
4. Reg. 19 *ni, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia.* Itaque aduersùs validiſſimum Babyloniorum vnum Angelum mittit, imò aduersùs terrarum orbem, vel locuſtam, vel bruchum, vel rubiginem minatur; at aduersùs vnum Ægyptium non Angelos ſolos, ſed locuſtas, ranas, cyniphes, tenebras, ſanguinem, fulmina, & vniuerſas ſuas armat virtutes, ait enim: *Percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis.* Cur, Domine, Aſſyrios percutis in ſolo Angelo, Orbem in ſola locuſta, Ægyptum autem in cunctis tuis mirabilibus? Cur plures exeris virtutes aduersùs hos, quàm aduersùs illos? Illos ſolùm volebat Deus perimere, ad quod ſufficit vel Angelus, vel vermis à Deo immiſſus; in Ægypto autem volebat Deus non Regem perimere, ſed Regis voluntatem trahere, vt volens, & libens Iſraëlem dimitteret. Vt autem voluntas hominis trahatur in placitum diuinum, non quælibet poteſtas ſufficit: ſed opus eſt Dei omnium potentiſſimum. Nota eſt hiſtoria ex Numer. 25. vbi Phinees valentia exprimitur, quando arrepto pugione ſcortatores transfodit. Similiter nota eſt animi magnitudo in Anna Samuelis matre, quæ filium multis gemitibus comparatum non dubitauit à ſe auellere, & Deo tradere 1. Reg. 1. His componenda Machabæorum mater, dum ſeptem lectiſſimos iuuenes filios ſuos eò duxit, vt velint mori pro religione patria. Rem habes 2. Machabæor. 7. Et quis ſe fortius, & potentius geſſit, an Phinees, an Anna, an Machabæorum mater? Hæc ſanè ſe illis præponit
Naz. apud Nazianzen. orat. 22. fata: *Iam cum Phinees collocabimur, cum Anna celebrabimur: niſi fortaſsè eò etiam magis, quòd ille vnus erat, vos contrà multi zelo præditi iſtis, ac ſcortatorum interfectores, non corporum, ſed animorum ſcortationem gladio confodientes. Rurſus illa vnum dumtaxat diuino beneficio conceſſum, eúmque infantem, ego contrà ſeptem viros, eóſque volentes Deo conſecraui.* Expende illud: *Eóſque volentes.* In eo enim ſeſe, & Annæ, & Phinee bona mater præponit; quòd illi valuerũt circa corpora, nihil circa voluntates agentes, at hæc iuuenum florentiſſimorum voluntates ſic mouit, vt illos volentes faceret currere ad mortem propter Dei amorem. Et quid hoc fortius? De ingenti virtute ſua in puPſ. 117. niendis peccatoribus gloriatus eſt Dominus Pſal. 117. *Omnes gentes circuierunt me; & in nomine Domini, quia vltus ſum in eos.* Et quanta virtus, & fortitudo Dei eſt, quòd ſe de hominibus vlciſcatur? Quanta potentia, quæ ſe oſtendit aduersùs folium, quod vento rapitur? An hoc gloriæ potentiſſimi Dei aliquid poteſt addere; quòd vermiculum vilem perimat? Non equidem hoc ad gloriam ſuæ poteſtatis affert Dominus, quòd inimicos homines peremit, ſed quòd eorum ſic traxit voluntates, vt ipſę grauiſſimum ſibi numen amare vellent. Quod vindictæ genus & potentiſſimum eſt, & glorioſiſſimum Deo. Ait ibi Incognit. *Vlciſcitur Deus peccatum commiſſum, puniendo æternaliter. Vlciſcitur inimicum, ad ſuum amorem conuertendo. Et hoc eſt ſummum genus vltionis, & nobiliſſimum, ſicut hic: Et in nomine Domini, quia vltus ſum in eis.* Et potentiſſimi, & nobiliſſimi vindicatoris eſt, non quòd hoſtes perdat, ſed quòd eorum voluntates ad ſua placita ſequenda alliciat.

§. XIV.

Non cuiuſuis, ſed maximè potentiæ opus eſt in hominibus lucri cupiditatem infringere.

MAximè notandum eſt, quantum virium adhibeat Dominus in præſenti, & quid illis adhibitis nitatur efficere. Quod ad vires attinet, ait: *Percutiã Ægyptum in cunctis mirabilibus meis*: nulli parcit, ſed omnia poteſtatis ſuæ arma promit contra Ægyptum. Et quid tot, tantíſque virtutibus adhibitis efficere curat? Ait ibi: *Poſt dimittet vos.* Vnum hoc intendit, vt Pharao populum lucris ſuis vtilem dimittat; vt lucrum ex populi laboribus ortum contemnat, & populum permittat abire. Nec miror, quòd Deus omnibus mirabilibus ſuis agat, vt homo contemnat lucrum, id enim opus eſt non poteſtatis cuiuſcunque. Vbi capienda erat Iericho, & diruenda, præcepit Ioſue militibus, ne quid bonorum ibi exiſtentium attingerent; quod licet Ioſue præcepiſſet, nilominùs ait cap. 7. *Achan filius* Ioſue 7. *Charmi, filij Zabdi, filij Zare de tribu Iuda, tulit aliquid de anathemate*, &c. Sed & cap. 10. *Locutus eſt Moyſes Domino in die, qua tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſraël, dixítque coram eis, Sol ne mouearis contra Gabaon, & Luna contra vallem Aialon. Steterúntque Sol, & Luna*, &c. Tantum erat Ioſue imperium, vt vel voce frænaret equos Solis, ne progrederentur; ſed dum illud imperium applicat populo, ne ſumat aliquid de anathemate, non cohibetur Achan, quominùs aurum rapiat. Et quando ad vocem Ioſue ſtat Sol, nec progreditur, cur ad eandem vocem non ſtat miles, ne ad aurum volet? Equidem, qui ſiſtere aſtra poteſt, lucri cupiditatem ſiſtere non poteſt; alterius enim poteſtatis eſt, & præſtantioris, quòd auri ſitis, ſopiatur in homine. Ait D. Ambr. lib. 20. officior. cap. 26. *Itaque Ie-* Ambr. *ſus Naue, qui potuit Solem ſiſtere, ne procederet, auaritiam hominum non potuit ſiſtere, ne ſerperet. Ad vocem eius Sol ſtetit, auaritia non ſtetit. Sole itaque ſtante confecit Ieſus triumphum, auaritia autem procedente, pene amiſit victoriam.* Quæ cœleſtes curſus valuit frænare potentia, lucri cupiditatem in milite non valuit cohibere, maior alia, & ea validiſſima debet eſſe poteſtas, quæ in homine excutiat cupiditatem habendi. Miraris, quòd Ioſue verba potentia ſiſtere curſus cœleſtium, non cohibuiſſent in homine auarum affectum? Sed accipe, quod magis mirere, nimirùm Chriſti Domini verba, ea nimirùm, quæ mortuos ſuſcitabant, quæ militum cohortes ſolo ſternebant, & auaritiam Iudæ immobilem referunt. Iudas enim lucri cupiditate poſſeſſus vnguenti effuſionem ſuper Chriſti caput à Magdalena peractam acriter mordebat. Quem multis temperare curans Dominus Matth. 26. dicebat: *Quid moleſti iſtis huic mu-* Matt. 26 *lieri? Bonum opus operata eſt in me. Nam ſemper pauperes habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum ad ſepeliendum me fecit.* Quem hæc verba non emollirent? Quem non cohiberent? At iis auditis: *Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes, ad Principes ſacerdotum, & ait illis. Quid vultis mihi dare*, &c. Poſt mellitiſſima Chriſti verba, poſt euidentiſſimas rationes propoſitas à Ieſu, vt animus Iudæ quieſceret, adhuc ille inflexus lucra quærit. Proh rabidiſſima fames habendi, illis verbis reſiſtis, quibus nec monumentorum ſaxa reſtiterunt! Pulchrè D. Chryſoſt. hom. 64. in Ioan. Chryſoſt. *Nihil horum ferreũ animum ſtexit, licet iis multò plura, & diceret, & faceret Ieſus, & pedes eius eadem nocte lauiſſet, & ad menſam ſécum adhibuiſſet, quod & latronum animos mulcere aſſolet, & alia verba locutus eſt, quibus etiam lapides molliri potuiſſent: ſed aduersùs omnia Iudas perſtitit immobilis. Grauis namque morbus eſt auaritia.* Ecce tibi inter verba ſepulcra vacuantia, dæmones fugantia, perditiſſimos quoſque conuertentia ſtat immobilis Iudas cupidus auri.

§. XV.

Muliebre genus ad dona capienda promptius.

SIc conſulit Dominus Iſraëlitis ab Ægypto egreſſuſuris: *Non exhibitis vacui, ſed poſtulabit mulier à vicina ſua vaſa argentea, & aurea, ac veſtes*, &c. Non ait, quòd *poſtulet vir*, ſed quòd *poſtulet mulier*, quæ nihil mali, nihil verecundum in accipiendis donis ſolet inuenire. Quæ enim mulier non promptè dona accipit, & illa

Gen.24. & illa habet acceptiſſima? Ecce vobis Gen.25. Eliezer ſeruus Abrahæ quærens ſponſam Iaſaco, Rebeccam formoſiſſimam puellam inuenit, imò eius beneficam hoſpitalitatem experitur in ſe, & in camelis ſuis, cui ipſe, vt gratiam rependat, præterquam, quòd ſe ſeruum patrui ſui Abrahæ dicit, inſuper, & addit munera inaures aureas, & aureas armillas. Quid tũc puella? Ait text. *Cucurrit itáque puella, & nuntiauit in domum matris ſuæ omnia, quæ audierat.* Nec eſt parua inter Doctores quęſtio, cur puella in domum matris, & non potius patris dicatur cucurriſſe, vt nuntiaret aduentum ſerui cognati ſui? Nónne plus ad patrem attinebat, quòd ſeruum Eliezerum ſciret adueniſſe, vt illum ad hoſpitium duceret? Equidem non ſic erat matris, vt patris erat, ſeruo cognatorum occurrere? Cur ergo puella patris alloquium vitat, & ad matrem feſtinat? Acceperat bona puella aurea dona ex viro, cum quibus cauens apparere in conſpectu patris, ad matrem cucurrit, vt cui acceptio munerum, & donorum, qua mulier eſt, non po-
2. Par.9. terat ingrata accidere. Hinc 2. Paral. 9. vbi de muneribus à Salomone retributis Reginæ Sabæ dicitur, ait textus: *Rex autem Salomon dedit Reginæ Sabæ cuncta, quæ voluit, & quæ poſtulauit, & multa plura, quàm attulerat ad eum.* Itáque Regina & poſtulauit, & accepit multò plura, quàm attulit: Salomon autem nihil poſtulauit, ſed accepit pauciora, quàm dedit. Et cur Salomon nihil poſtulans accipit pauca, & dat plura; è contra Regina Saba & poſtulauit, & accepit plura multò quàm dedit? Abbulenſis ſic ſoluit hanc quæſtionem in præſenti: *Primò, quia Salomon erat ditiſſimus inter omnes Reges, Regina autem Saba non erat tam diues. Secundò quia ipſe erat vir, & Regina erat mulier.* Hoc fuit in cauſa, quòd Regina & plura poſtularet, & plura acciperet; nimirùm, quia ipſa erat mulier, quarum genium eſt, quòd plura accipiant, nec vlla detrectent munera. Hæc
Oſſeas 2. eſt fœminarum vox propriſſima; Oſſeas c.2. *Quia fornicata eſt mater eorum, confuſa eſt, quæ concepit eos: quia dixit: Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, & lanam meam, & linum meum*, &c. Expende, vnde ſuos amatores commendet, non equidem ex eo, quòd ſint formoſi, quòd ſint diſerti, quòd ſint nobiles, quòd florenti gaudeant ætate; ſed ex eo ſolùm, quòd *dant panes*, &c. Vbi enim amator hanc gratiam dandi habet, nihil aliud fœminea cupiditas requirit, quæ ſolùm quærit, vnde poſſet accipere. Hoc muliebre geniũ optimè callebat tentator ille Diabolus, qui nihil veritus fuit confligere cum Sanctiſſimo Iob immediatè; imò data Dei permiſſione, ait cap. 2. *Egreſſus igitur Sathan à facie Domini percuſſit Iob vlcere peſſimo à planta pedis, vſque ad verticem eius.* Verum vbi res erat cum primis parentibus, aſtutè cauit Adami congreſ-
Gen.3. ſum, & tentare prius fœminam procurat. Ait enim Gen. 3. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem*, &c. Et cur qui audet cum Iobo ſolo confligere, & ſperat illum ſubuertere, cum Adamo non audet, ſed illo relicto, prius tendit ad fœminam? In Iobo parabatur tentatio per bonorum ereptionem, per morbos, per vulnera, in primis illis parentibus ſolùm parabatur tentatio per exhibitionem pomi, quod aſſumeretur ad eſum. Vbi autem tentatio fit per exhibitionem rei, quæ aſſumi debeat; tunc callidus hoſtis ſecurior de victoria non ad virum, ſed ad fœminam accedit.

*Exod.*4. Reſpondens Moyſes ait: Non credent mihi, neque audient vocem meam, ſed dicent: Non apparuit tibi Dominus. Dixit ergo ad eum. Quid eſt, quod tenes in manu tua? Reſpondit; Virga. Dixítque Dominus: Proiice eam in terram. Proiecit, & verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret Moyſes.

§. XVI.

Omnia præmeditanda ſunt bono Principi, & conſulenda, antequam veniat faciendi occaſio.

IAm ſuprà de ſenioribus locutus Dominus, dixerat Moyſi: *Audient vocem tuam*: ſed cùm poſt Principes, & ſeniores ingens popularium multitudo reſtaret, horum incredulitatem etiam obiicit Deo Moyſes, nequa ibi difficultas non maneat præmeditata, ait enim: *Non credent mihi, neque audient*, nimirùm populares, *ſed dicent: Non apparuit tibi Dominus.* Et quando ſeniorum obedientiam ſecurem, & certo prænóuerat Moyſes, cur adhuc moratur in popularium obedientia examinanda? Sapienter ait Oleaſter: *Aduerte Moyſis prudentiam, qui nunc omnia impedimenta legationis ſuæ Deo opponit, ne poſtmodum ad eum redire cogeretur.* Nihil prudentiſſimus vir in faciendi tempus reſeruat, quod poſſet eam habere difficultatem, qua ad conſultationem redire cogatur, ſed ante tempus faciendi, omnes proponit Deo difficultates, nil inconſultum, nil patitur eſſe non præmeditatum. Huc veniant vniuerſi Principes, vniuerſi magiſtratus, & diſcant omnia muneris ſui occurrentia habere præmeditata, ne quando tempus inſtet faciendi, ipſi ad conſilium vadant. De Iſaaco nuptias expectante dicitur Geneſ. 24. *Egreſſus fuerat ad meditandum in agro, inclinata iam die, cùmque eleuaſſet oculos, vidit camelos venientes procul*, &c. Bene ante aſſumptam vxorem oſtenditur Iſaac præmeditatus, nam poſt aſſumptam vxorem iam ſerò, & ſtultè quis coniugij onera meditatur. Ex quo D. Bernard. lib. 2. de conſiderat. monet Eugenium aſſumptum ad Pontificatum: *In hunc agrum Iſaac exierat, cùm primùm Rebecca occurrit ei: & vt Scriptura habet, exierat ad meditandum. Ille ad meditandum, tu ad extirpandum egrediaris neceſſum eſt. Tibi iam præceſſiſſe meditatio debet, tempus faciendi præ manibus. Si nunc hæſitare incipias, id quidem ſerò. Antè iuxta conſilium ſaluatoris ſedíſſe debueras, antè æſtimaſſe opus, metiri vires, ponderaſſe ſapientiam, merita comparaſſe: ſumptus computaſſe virtutum.* Non confundendum eſt viro ſapienti tempus meditationis cum tempore operis. Iſaac bene ad meditandum exiuit, quando nondum coniugatorum ſtatum intrauerat; at qui in coniugio eſt, qui in dignitate, & munere iam eſt, is ad faciendũ progrediatur, & ita progrediatur, ne egeat reuertere ad meditandũ. Sera enim, imò ſtulta eſt conſultatio, & meditatio, quæ fit tẽpore faciendi inſtante. Hinc Iſaias. c.19. Iſai. c. 19. ſtultos vocat Principes Ægyptios, fatus: *Stulti Principes Taneos*: & cur ſic Principes Taneos ſtultitię accusãtur à Dei vate? Ait Elias Cret. in orat. 1. Naz. *Eſt Tanais vrbs Ægypti, cui is, qui præerat, cum ea in hoc diſcrimen adducta eſſet, vt iam, iámque capienda videretur, grauiſſimo metu perculſus, ſapientes quidem ad ſe accerſebat, atque quàm ſtudioſiſſimè de rerum euentu conſulebat.* Quid ſtultius? Tunc conſilium requirebatur, quando ſi manus tollebatur, neceſſariò ciuitatem cadere oportebat. Quando hoſtes inſtant, quando res in diſcrimine verſatur, tunc tempus eſt faciendi, non confugiendi ad conſilium, qui tunc ad conſilium recurrere eget, clariſſimam notam ſtultitiæ meretur.

Oleaſter.

Gen.24.

Bern 2.

Elias Cr.

§. XVII.

Principibus ſalutare in primis eſt, quòd agnoſcant, quàm parua in ſe habeant, vt regnorum poteſtatem teneant.

QVi corda hominum ſcrutatur Deus, optimè videbat, quæ in Moyſi manu erant, cur ergò interrogat: *Quid eſt hoc, quod tenes in manu tua?* An paſtoritiam virgam non agnoſcebat? Cur ergo, quæ eſſet, tam anxiè quærit? Non vt ipſe ſciat, interrogat Deus, ſed vt ipſe Moyſes attendat virgæ paruitatem, & infirmi-

tatem,

ratem,qua tamen ex Deo moderaturus erat populos terræ, cohibiturus tyrannos , imperaturus elementis. Et quidem ſalutare hoc eſt Principibus vniuerſis , vt norint,& aduertant,quàm parua ex ſe habeant, vt populos,& regna ſibi ſubiiciant,& moderentur.Id quod perſuadebat mundi Imperatoribus Nazianzen. orat. 27.aiens : *Imperatores purpuram vereamini. Cognoſcite quantum id ſit, quod veſtræ fidei commiſſum eſt,quantunque circa vos myſterium : Orbis vniuerſus manui veſtræ ſubiectus eſt,diademate paruo , atque exiguo panno retentus. Supera ſolius Dei ſunt , infera autem veſtra etiam ſunt. Hic imperium veſtrum ſit , non autem in auro, & exercitibus.* Expende illud , *diademate paruo.* Quippe Imperatorum diadema parua quædam faſcia erat, ſi ſecundum ſe conſideretur,nec de illa parua faſcia ſperari poſſit , quod ingentem populorum multitudinem prenderet. Quid inde ? Cognoſcant Imperatores hanc diadematis,& virgæ, ſeu ſceptri paruitatem, quæ ſi ſecundum ſe relinquantur , parua ſunt , & infirma. Verùm quòd hæc parua adſtupeat mundus, & veneretur rerum vniuerſitas ; quòd ſub iis paruis ingentes proſiliant virtutes,ad barbariſſimos quoque populos continendos, id myſterium eſt, quod Deus operatur circa Reges terræ : In cuius cognitione, potius quàm in auro,& exercitibus, ſtabiliuntur imperia. Hinc pulchrè ſuccenſebat Babylonium tyrannum Iſaias cap.10. *Dixit enim : In fortitudine manus meæ feci , & in ſapientia mea intellexi, & abſtuli terminos populorum,& Principes eorum deprædatus ſum, & detraxi quaſi potens in ſublimi reſidentes. Et inuenit quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum,& ſicut colliguntur oua,quæ derelicta ſunt, ſic vniuerſam terram ego congregaui : & non fuit , qui moueret pennam , & aperiret os, & ganniret. Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum , qui ſecat in ea ? Quomodo ſi eleuetur virga contra eleuantem ſe,& exaltetur baculus, qui vtique lignum eſt. Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem,* &c. Ecce tibi vnde ortum habuit potentiſſimi Regis ruina; erat equidem in manu eius virga , & ſceptrum regni, ſub quo tenebat vaſtiſſimas prouincias ; ſed quia non cogitauit,quàm infirma eſt virga ſecundùm ſe relicta, quæ paruum eſt, & inutile lignum ; ſed potius ingentem ſibi virtutem attribuebat , inde perditionem incurrit. Cùm ſecundùm ſe paruitatem, & inefficacitatem virgæ non excederet , in mirabilibus factis tantum agnoſcebat manus ſuas,vnde periit. Ait ibi Gloſſa : *Sicut hæc nimirùm virga , & baculus inanimata tantum ſunt inſtrumenta , nihil per ſe facientia , ſed per eum, qui mouet ea , ſic nec Senacherib per ſe, ſed per Dei virtutem operatus eſt , vnde & gloriatio eius ſtulta , & vltione digna.* Qui ſe Imperatores intra virgæ paruæ infirmitatem non continent , & non agnoſcunt poteſtatem ſuam eſſe inſtar virgæ ligneæ , quæ indigeat ſupremi motoris virtute,& ſtulti ſunt, & vltione digni.Ille imperium confirmat,qui ex ſe nihil maius agnoſcit,quàm ligneam virgam ſceptri ; quod autem ſub hac parua virga populi poſſint conſtringi , hoc myſterium putat diuinum,quod fit circa Reges in dies.

Naz.

Iſaiæ 10.

§. XVIII.

Magiſtratus ſic ſuo fungantur munere, quaſi qui ſciant illud non eſſe perpetuum.

QVam teſtatur in manu virgam eſſe,iubetur Moyſes illam à ſe proiicere : quippè : *Dixit Dominus, proiice eam in terram :* Cur,Domine,qui eligitur in ducem populi,virgam proiiciat, & non magis illam in ſe retineat ? Nónne Magiſtratibus datur virga poteſtatis inſigne ; cur ergo Moyſes , dum Magiſtratus eligitur, iubetur virgam proiicere ? Sapienter inſtruebat Dominus Magiſtratum ſuum , ne nimis virgæ fideret, quaſi ſemper eam in manu habiturus ; quin potius ſciret illam aliquando à ſe abiiciendam ; & ſic fungatur munere,quaſi qui illud aliquando eſt depoſiturus.Ex quo monebat Magiſtratus Nazianzen. orat. 27. inquiens: *Aulici proceres,ac ſublimibus thronis,& dignitatibus inſignes , ne ob potentiam magnoperè animos efferatis , nec de mortalibus rebus, tanquam de immortalibus cogitetis.* Abſit hoc à bono Magiſtratu , quòd non cogitet munus ſuum temporale , & breui finiendum ; quòd ſic ſe gerat , quaſi nunquam depoſiturus ſit inſulas poteſtatis. Qui enim bonus eſt, illud in primis ob oculos habeat, nimirùm,quòd exuendus eſt dignitate. Hic Ieſus Dominus paſſus eſt ſibi à tentatore mundi dignitates proponi , ait enim Lucas cap.4. *Et duxit illum Diabolus in montem excelſum , & oſtendit illi omnia regna Orbis terræ in momento temporis, & ait illi : Tibi dabo poteſtatem hanc vniuerſam, & gloriam illorum,* &c. Quibus illud notandum, quòd omnes hæ dignitates , & poteſtates offerantur à Diabolo in momento temporis, quo non ſolùm innuitur breuitas oſtenſionis , ſed & breuitas durationis earum,quæ talis conditionis erant, vt diu eſſe non poſſint in vno poſſidente. Sic enim ait D.Ambr. lib.4. in Lucam : *Non tam conſpectus celeritas indicatur , quam caducæ fragilitas poteſtatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt,& ſæpe honor ſæculi abiit,antequam venerit. Quid enim ſæculi poteſt eſſe diuturnum , cum ipſa diuturna non ſint ſæcula ?* Sed cur tentator volens Ieſum decipere, hanc fluxam poteſtatum ſæcularium non celauit conditionem ? Cur neceſſum fuit poteſtates momentaneas , & breui finiendas oſtendere ? Vellet equidem tentator id celare ; at optimus Magiſtratuum Ieſus non potuit in omnibus poteſtatibus , & dignitatibus fluxam earum conditionem non videre. Non potuit non attendere in mundiali ſcena, quàm citò exuantur omnes , qui principatus gerunt. Ex quo lucem capit difficilis locus Iobi, ait enim cap. 3. *Nunc enim dormiens ſilerem , & ſomno meo requieſcerem : Cum Regibus, & conſulibus terræ , qui ædificant ſibi ſolitudines ; aut cum Principibus , qui poſſident aurum,* &c. Expende quàm diuerſa ſit periphraſis Conſulum à periphraſi Principum , hi dicuntur , qui poſſident aurum ; illi dicuntur, qui ædificant ſibi ſolitudinem.Et cur magis Conſulum eſt ædificare ſibi ſolitudines ? Conſulum dignitas,& poteſtas annua erat, & ſic breui finiebatur , vt qui hodie multo apparebat milite cinctus,cras ſolus relinquebatur.Vnde Tertull. lib.de Patientia conſulatum vocabat volaticum gaudium. Et D. Cyprian. epiſt. 16. ait : *Eant nunc Magiſtratus,& Conſules annuæ dignitatis inſignibus, & duodecim faſcibus glorientur.* Quod ſcientes Conſules,qui ſibi rectè conſulebant, in dignitatis frequentia nũquam non ſolitudinem venturam meditabantur,& ea faciebant, quibus ſe poſſent in tempore ſolitudinis iuuare. Quid dignius conſultiſſimo magiſtratui ? Sanè Gen.1. *Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius, & luminare minus. Luminare maius,vt præeſſet diei.* Chryſoſt. legit:*In præfecturas diei.*Et qui Solẽ in hac præfectura facit ? Ait Diuus Zeno ſerm. de Reſurrect. *Sol quotidie naſcitur , eadémque die , qua naſcitur , moritur : fidelis ſemper intrepidus ad ſepulcrum noctis cognitæ contendit,* O Præfecti optimi indolem ! qui in ipſo dignitatis ſplendore , ſemper illius inſtantem depoſitionem videt. Huc ſpectabat Eccleſiaſtes cap. 4. inquiens : *Melior eſt puer pauper , & ſapiens Rege ſene , & ſtulto, qui neſcit prouidere in poſterum. Quod de carcere, cateniſque interdum quis egrediatur ad regnũ,& alius natus in regno inopia conſumatur.*Summa equidem ſtultitia eſt illi,qui nũquam cogitat,quòd etiam ſumma dignitas finiri poſſit.Quo circa cat.Græca,ait: *Ego certè longè præſtare contenderim adoleſcentem pauperem illũ quidem, verum prudentem,ac ſobrium,ſeni prouecta iam ætate,verùm ſtulto , & improuido , qui cùm ſe nec regere , nec moderari nouerit, tum illud ſecum religiosè non cogitet , ni-*

Nazian.

Lucæ 4.

Ambr.

Iob. 3.

Cyprian.

Gen.1.

Chryſoſt.

D. Zeno.

Eccl.4.

mirùm fieri poſſe, vt vnus aliquis è carcere vocetur in regnum, ipſe iniuſto exturbetur dominatu. Hæc ibi, quibus
D. Max. conſentaneè D. Maxim. ſer. 9. de Magiſtrat. ait: *Principem trium meminiſſe oportet; primum ſe hominibus imperare: alterum, ex legibus imperare debere; tertium, ſe non ſemper imperaturum.* Sic ibi.

§. XIX.

Principes, & Magiſtratus ſciant regnandi ſupercilium in Dei cauſa deponere.

SVi populi Principem quàm optimè informat Dominus, aiens de virga poteſtatis inſignis: *Proiice eam in terram*, vt non ſemel ſciat Princeps regnandi ſupercilium deponere, vbi & Dei obſequio, & ſubditis id conducere poteſt. Ad prædicationem Ionæ mœrentibus Niniuitis peruenit verbum ad Regem; quid
Iona 3. tunc Rex? Ionæ cap. 3. *Surrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum*, &c. ſunt equidem Principes, qui nec pedem à ſolio, nec manum à virga retrahere norint; veniant huc, & videant Regem, & potentiſſimum, & floridiſſimum, vt vidit ſuorum afflictionem, totum regnandi ſupercilium deponere. De illo pul-
Ambr. chrè Diuus Ambroſ. ſerm. 40. *Sapiens Rex, qui pro ſalute ciuium peccatorem ſe magis confitetur, quam Regem. Obliuiſcitur enim ſe Regem eſſe, vbi Deum Regem omnium pertimeſcit, nec potentiæ ſuæ meminit, vbi potentiam diuinitatis agnoſcit. Obliuiſcitur ergo ſe Regem eſſe, dum proiicit purpuram, dum diadema deponit, cilicio autem veſtitur, & ſacco.* Longè hic Rex fuit ab illis Regibus, & magiſtratibus, qui nunquam non meminerunt ſe in ſolio eſſe; qui in nulla occaſione, ſiue ad Deum, ſiue ad homines ſpectante norunt deponere ſupercilium regnandi. Hic autem prudentiſſimus, & ſapientiſſimus, & pro ciuium amore, & pro Dei reuerentia ſcit prorſus obliuiſci dignitatem regiam. Educebatur arca Dei de domo Obededon, & Dauid Rex ſtolam regiam
2. Reg. 6. exutus ſaltabat ante arcam; ſic enim habes 2. Reg. 6. *Dauid percutiebat in organis armigatis, & ſaltabat totis viribus ſuis ante Dominum, porrò Dauid erat accinctus epholineo.* Sciebat bonus abigere regium faſtum, vbi
Ambr. religioni aliquid erat dandum. Ex quo D. Ambr. 1. Apol. 6. ait: *Saltabat ante arcam potentiſſimus Regum, & cùm à propria reprehenderetur vxore, quòd denudatus eſſet ante faciem puellarum: coram Domino nudabor adhuc, & ero nugax ante oculos tuos, vt honorificetur, inquit, Dominus, qui me pro patre tuo aſciuit in regnum; Docens contuitum regalis potentiæ non habendum, vbi religioni exhibetur obſequium.* Huc conueniant Principes mundiales, qui vel religionem fugiunt, in qua aliquid mundiali faſtui detrahere debent: illámque ſolam religionis, & virtutum partem aſſumunt, quæ ad augmẽtum dignitatis, & gloriæ accedit. Fallar, niſi hos delineatos in Ioſepho, & Nicodemo cerno, de quibus ait
Ioan. 19. Ioannes cap. 19. *Poſt hæc autem rogauit Pilatum Ioſeph ab Arimathæa, (eo quòd eſſet diſcipulus Ieſu, occultus autem propter metum Iudæorum) vt tolleret corpus Ieſu. Et permiſit Pilatus: Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ*, &c. Expende; qui ante Chriſti Domini mortem, & occultè, & ſub tenebris veniebant ad eum, nec volebant eius diſcipuli apparere; nunc poſt mortem non detrectant eius publicè tractare exequias, ſed in conſpectu omnium adeunt Pilatum, petunt diuiniſſimum cadauer, funus adornant. Cur magis antea Pilatum non adiuerunt, vt Ieſum innocentem teſtarentur? Cur ſe eius aſſeclas non prædicarunt? Cur illis omiſſis nunc ad funeris pompam tam audaciter accedunt? Equidem in funere extremus honor defuncto exhibendus ſpectabatur; in prima ſequela aliquod timebatur dedecus. Timebant ergo iſti in primis decori ſuo; in iis autem quæ ad honorem ſpectabant, ſunt diligentes. Pulchrè
D. Cyril. Alexand. lib. 12. in Ioann. cap. 41. *Duo igitur pollinctores, Ioſeph, & Nicodemus fuerunt, animo quidem credentes, ſed formidine preſſi terreſtrem adhuc gloriam cœleſti anteferebant, idcircò antea timidius, & occultius Chriſtum honorabant.* Vna equidem erat illis præ oculis in primis gloria terreſtris, quam nulla occaſione obliuiſci patiuntur, ideò in quibus ab illa decidere timent, minimè audent comparare. Vbi autem totum, quod fit, honoris eſt, ibi quàm promptè, & alacriter ſe oſtendunt. Sic multi nobiles, ex iis, qui nulla ſciunt occaſione nobilitatis ſupercilium deponere, pœnitentiæ ſacramentum, in quo neceſſum eſt magis ſe viles, & peccatores, quàm nobiles confiteri, ægrè, & difficulter intuentur; at diuitum funeribus, feſtiuis concionibus libenter interſunt, quia quidquid in iis fit, ad honorem pertinet.
Cyr. Alc.

§. XX.

Magiſtratus, & dignitates dum exuuntur, rarò non mortiferæ oſtenduntur poſſeſſoribus ſuis.

PRoiecit Moyſes virgam à ſe, & ſtatim in colubrum conuertitur, qui ei lethalem incutit metum. Sic textus: *Proiecit, & verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret Moyſes.* Et cui poteſtas, dum exuitur, non fit ſerpens, qui mordeat, qui deterreat? Pulchrè ad hæc Sidon.
Sid. Apo. Apollin. lib. 2. epiſt. 13. de Maximo Patronio ad imperium euecto, fatur: *Nunquam ego aſſentior, vt fortunatos putem, qui reipublicæ præcipitibus, ac lubricis culminibus inſiſtunt. Hic ſi omittamus antecedentium Principum caſus, vel ſecutorum, ſolus iſte peculiaris Maximus maximo nobis ad iſta documento poterit eſſe*, &c. *Námque, cum cæteros aulicos honores tranquilliſſimè percurriſſet, ipſam aulam turbulentiſſimè rexit, quod & exitus prodidit nouus, celer, acerbus, quem cruentauit fortunæ diu lenocinantis perfidus finis, quæ virum, vt ſcorpius vltima ſui parte percuſſit.* Expende illud nimirùm, *vt ſcorpius*, quæ enim regia dignitas videbatur in principio, in fine vbi erat exuenda, verſa in ſcorpium miſerè hominem percuſſit. Heu quot dignitatibus ſublimes, dum illis gaudebant, nihil dulcius, nihil iucundius putabant, verùm vbi illis exuendi fuerunt, ſerpentinum illarum experiebantur venenum! Crede mihi, feraliſſimæ ſunt dignitates mundiales quorum morſus lethiferos tunc apertè videbis, cùm illis exuaris. Apocal.
Apoc. 17. 17. *Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam. Et mulier erat circundata purpura, & coccino*, &c. Et de beſtia ſtatim additur, quod *in interitum ibit.* Mirabar ego, quòd mulier adeò glorioſa, & purpureis veſtibus ornata tradita fuerit beſtiæ, quæ in interitum ruit. Quid purpura cum muliere in tanto periculo conſtituta? Imò nullo magis exprimi poſſet miſeræ mulieris periculum, quàm purpura, quando ſæculi dignitates nunquam non ſunt naturæ humanæ mortiferæ. Ait
Ambr. enim D. Ambr. ibi: *Purpura, & coccus ſunt veſtimenta regalia, per quæ poteſtas ſæcularis deſignatur. Purpura igitur & coccus ſanguinis ſpeciem habent, quia potentia ſæcularis mortifera eſt, & periculum ſempiternum affert.* Et vidi ſæpe potentes viros de ſæculi theatro exituros, quibus antea actæ dignitates nihil repræſentabant, niſi
Num 12. ingentia perditionis pericula. Num. 12. Aaron & Maria murmurauerunt contra Moyſem: *Et Maria apparuit candens lepra.* Et cur Aaron non incurrit ſimile ſupplicium? Erat in ſacerdotali dignitate; dignitates autem non cùm ſunt, ſed cùm exuuntur, ſolent importare damna malitiæ. Sic ait D. Chryſoſt. hom. 3.
Chryſoſt. ad Coloſſenſ. *Qua ratione, cùm vtrique Moyſi obloquuti eſſent, Maria ſola pœnas dedit? Ne mireris: Si enim in mundanis dignitatibus, etſi mille modis quiſque incuſetur, non tamen primùm ad iudicium ducitur, niſi prius principatum depoſuerit; multò magis in prælatura ſpirituali, quiſquis tandem ille ſit, qui illam gerit, operatur gratia Dei.*

tia Dei. Quando verò illam depoſuerit, ſiue morte, ſiue etiam in hac vita, tunc ſanè grauiore ſupplicio punietur. Sic dignitatum fines ſolent deputari ad pœnam.

§. XXI.

Bonis viris, ſolùm cùm exuuntur, ſolent dignitates metum incutere; peſſimis autem, etiam quando habentur, aſſerunt perniciem.

PRimò proiecit Moyſes virgam, & tunc illa in colubrum verſa fuit, à quo Moyſes ſibi metuens fugit, ſic enim ait: *Proiecit, & verſa eſt in colubrum, ita vt Moyſes fugeret.* Et cur non magis virga in colubrum metuendum verſa eſt, quando erat in manu? Erat in manu Moyſis & boni, & præſtantis viri, talibus autem viris, ſolùm cùm exuuntur, metum dignitates ſæculi incutiunt, & apparent conuerſæ in ſerpentis figuram, malis, autem & peſſimis viris etiam dum ſunt in manu eorum, ſerpentinæ, & lethiferæ redduntur. Huc traho illud Philonis in Flaccum notatum; quippe ait: *Sub Tiberio Cæſare aliquot Præfecti, qui prouincias ſortiti poteſtatem legitimam in tyrannidem verterant, Romam reuerſi, exacto magiſtratus tempore, poſtulati ſunt repetundarum. At Flaccum in ipſo magiſtratu inuaſit infenſa malis viris iuſtitia: Id quod inauditum antea Flacco accidit, vt in ſua prouincia viuus caperetur hoſtiliter.* Quòd Præfecti, & Poteſtates ſæculares exacto tempore magiſtratus, & proiecta poteſtatis virga, experiantur tranſactæ dignitatis morſus, commune omnibus ſolet eſſe, at quod dum adhuc ſunt in poteſtate, dum adhuc virgam in manu tenent, illis lethalis reddatur virga; id inſolitum eſt, & ſolis malis, peſſimiſque viris ſolet contingere. Expende námque illud: *Flaccum in ipſo magiſtratu inuaſit infenſa malis viris iuſtitia*; illa ipſa iuſtitiæ virga, quæ adhuc tenebatur in manu Flacci, antequam poneretur, in colubrum verſa eſt, & hominem inuaſit; quod ſolet accidere peſſimis iudicibus. Ad hæc dicebat Eccleſiaſtes cap. 4. iuxta lectionẽ Septuag. *Bonus eſt puer pauper, & ſapiens ſuper Regem ſeniorem, & ſtultum, qui neſcit prouidere in poſterum. Quoniam de domo victorum egredietur, vt regnet; quia etiam in regno ſuo factus eſt pauper.* Puero pauperi, & ſapienti reſpondet illa prima propoſitio, quoniam de domo victorum egredietur, vt regnet. Verùm Regi ſeni, & ſtulto illa reſpondet, nimirùm: *Quia etiam in regno ſuo factus eſt pauper*; non in muneris depoſitione, ſed in ipſa functione, cùm adhuc ſolium teneat, & virga poteſtatis vtatur, ab ipſo munere deuorabitur. Id, quod in Aruãdo Præfecto amico ſuo luget grauiter Sidon. Apoll. lib. 1. epiſt. 6. inquiens: *Præfecturam primam gubernauit cum magna popularitate, conſequentémque cum magna populatione. Pariter onere preſſus æris alieni, metu creditorum ſucceſſuros ſibi optimates æmulabatur. Omnium colloquia ridere, conſilia rimari, officia contemnere, pati de occurrentium raritate ſuſpicionem, de aſſiduitate faſtidium*; *donec odij publici mole vallatus, & prius cinctus cuſtodia, quàm poteſtate diſcinctus, captus, deſtinatúſque peruenit Romam*, &c. Expende illud nequiſſimi Magiſtratus meritum: *Prius cinctus cuſtodia quàm poteſtate diſcinctus*; quod licèt acerbum, tamen familiare eſt malis iudicibus, aduersùs quos poteſtatis virga, antequam deponatur, cùm adhuc manu tenetur, in ſerpentinos, & lethiferos conuertitur vultus.

Philo.

Eccl. 4.

Sid. Apo.

§. XXII.

Poteſtas ſine Chriſti halitu in tyrannidem crudeliſſimam vertitur.

NOn in manu Moyſes mediatoris, ſed à manu Moyſis proiecta, longéque ab illo ſeparata virga *verſa eſt in colubrum.* Nec miror, poteſtas enim, quæ à à mediatore noſtro Chriſto ſeparatur, nec eius manu auxiliatrice tenetur, in belluam vertitur feraliſſimam. Exemplum eſto mitiſſimus ille Imperator Tiberius, qui omnibus ob manſuetudinem, & ſuauitatem charus, vbi Chriſti Domini magnalia audiuit, petiuit à Senatu, vt Vrbs Romana adorationem exhiberet Chriſto. Non placuit Senatui, quin potius curat, vt Chriſtũ à Romana Vrbe eliminet. Quod edictum tanta ſecuta eſt rerum mutatio, vt Tiberius ille mitiſſimus, & ſuauiſſimus poſt hæc omnium ſæuiſſimus aduersùs Senatum, Romanóſque exiſteret. Rem grauiter ponderat Paulus Oroſius lib. 7. cap. 4. vbi poſt narratam Tiberij petitionem de Chriſto adorando, & vt fuerit à Senatu repulſus, ait: *Itáque paulatim immutata eſt illa Tiberij Cæſaris laudatiſſima modeſtia in pœnam contradictoris Senatus. Nam Regi, quæcunque voluntate faciebat, voluptas erat: atque ex manſuetiſſimo Principe ſæuiſſima beſtia exarſit. Nam plurimos ſenatorum proſcripſit, & ad mortem coëgit. Viginti ſibi patritios viros conſilij cauſa elegerat, horum vix duos incolumes reliquit, cæteros diuerſis cauſis necauit. Referre ſingillatim facta eius horret animus, pudétq; tanta libidinis & crudelitatis rabie efferbuit, vt qui ſpreuerant Chriſto Rege ſaluari, Cæſare punirentur.* Sic Tiberij à Chriſto ſeparata poteſtas verſa in colubrum eſt, & libidine, & crudelitate. Ibi, mihi credè, ſolum non eſt ferale exterminium, vbi in poteſtate eſt ſpiritus Chriſtianus. Notiſſima eſt clades florentiſſimi Aſſyriorum regni, quando Balthaſare interfecto Medi, & Perſæ illud occuparunt, quippè ait Dan. c. 5. *Eadem nocte interfectus eſt Balthaſar Rex Chaldæus. Et Darius Medus ſucceſſit in regnum*, &c. Intra vnius noctis ſpatium Chaldæorum Monarchia funditùs periit, ſpoliata Babylonia, interfecto Balthaſare, quin in tanta clade aliquid appareret humanitatis. Et hoc accidit poſtquam illa Monarchia aucta venerat vſque ad milleſimum centeſimum & ſexageſimumquartum annum. Et quod mireris magis, poſt totidem durationis annos, Monarchia Romana, Imperante Honorio, ab Alarico Gothorum Rege ingentem cladem fuit paſſa, at illóque expugnata, & ſpoliata. Non tamen funditùs periit Imperium Romanum, nec interfectus Imperator, nec vſque ad intermiſſionem ſæuitum eſt, ſed fuit etiam in Barbaris victoribus non parua humanitas. Et cur in Monarchiis tam ſimilis durationis, & potentiæ, tam diſſimilis clades accidit, vt in illam ſæuiretur, ſine humanitate, in hanc tanta oſtenderetur humanitas? Erat in iis quãuis barbaris victoribus aliqualis ſpiritus Chriſtianus, qui deerat Medis Aſſyrios expugnantibus. Accipite Paulum Oroſium lib. 2. c. 3. pulchrè de hac re diſputantem: *Ecce ſimilis Babyloniæ ortus, & Romæ, ſimilis potentia, ſimilis magnitudo, ſimilia tempora, ſimilia bona, ſimilia mala, tametſi nõ ſimilis exitus. ſimilísve defectus. Illa enim regnũ amiſit, hæc retinet: illa interfectione Regis orbata, hæc incolumi Imperatori ſecura eſt. Et hoc quare? Quoniam ibi in Rege libidinum turpitudo punita, hîc Chriſtianæ religionis continentiſſima æquitas ſeruata eſt: ibi abſque religionis reuerentia auiditatem voluptatis licentia furoris impleuit; hîc & Chriſtiani fuerunt, qui parcerent, & Chriſtiani, quibus parcerent, & Chriſtiani propter quorum memoriam, & in quorum memoriam parceretur.* Sic vbi ſpiritus erat Chriſtianus, etiam inter hoſtiles impetus, & ſuauitas, & manſuetudo, & indulgentia inueniebatur; vbi autem Chriſti ſpiritus abfuit, ferale excidium, & belluina rabies apparuit.

Dan. 5.

Paul. Oro.

Exod. 4. Dixítque Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, verſáque eſt in virgam. Vt credant, inquit, quòd apparuerit tibi Dominus Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob.

§. XXIII.

Non parùm conducit iuſtæ adminiſtrationi Reipublicæ, quòd Magiſtratus nouerint ſui muneris finem.

COlubri caudam apprehendit Moyſes, & coluber in virgæ formam redditus eſt. Dixit namque Dominus: *Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, verſáque eſt in virgam.* O quàm redderentur poteſtates in virgæ rectitudinem, ſi earum extrema apprehenderentur! Fallar, ſi iuſtitiæ rectiſſimæ forma non appareret, vbi Magiſtratus muneris ſui finem, vel manu tangerent, vel oculis apprehen-
Ambr. derent. Id, quod docebat Diuus Ambroſius lib. 5. Exam. cap. 15. vbi de gruibus primatus munera alternantibus ſermonem faciens, ſic pergit: *Sic ab initio acceptam à natura exemplo auium politiam homines exercere cœperunt, vt cõmunis eſſet labor, cõmunis eſſet dignitas: per vices ſinguli partiri curas diſcerent, obſequia, imperiáque diuidere. Hic erat pulcherrimus rerum ſtatus, nec inſoleſcebat quiſque perpetua poteſtate. Nemo audebat aliũ ſeruitio premere, cuius ſibi ſucceſſuri in honorem mutua forent ſubeunda faſtidia.* Continentur maximè in officio poteſtates humanæ, cùm ad muneris reſpiciunt finem, & ſucceſſoris diſtrictionem poſſunt metuere. Feraliſſimos Iſraëlitarum Reges vt curaret Dominus, & ad ſuauitatem, & manſuetudinem traderet, vnum hoc fecit, vt dignitatum ſucceſſores illis ob oculos poneret. Ad horum autem conſpectum quæ
Mich. 1. fera ad humanitatem non redit? Michæas capite 1. ait: *Propterea dabit emiſſarios ſuper hæreditatem Geth, domos mendacij in deceptionem Regibus Iſraël. Adhuc hæredem adducam tibi.* Ecce tibi quod frænum obiiciat Dominus deceptis Regum poteſtatibus, nimirùm ait: *Hæredem adducam tibi.* Sed in rem præſentem argutiùs poſuere Græci legentes: *Ideò dabis emiſſarios vſque ad hæreditatem Geth, domos vanas. Inuana fuerant Regibus Iſraël, donec hæredes adducant tibi.* Expende vſque quo procedat Regum, Principúmque vanitas, mendacia, & iniuſtitiæ, & vltra quod minimè pergere audeant, nimirùm: *Donec hæredes adducant.* Sed vnde hæredis conſpectus ſic afficere poteſt poteſtatum animos? Quid Principibus magis in optatis, quàm hæredes habere? Nónne huc Principum vota tendunt, vt bonorum ſuorum hæredem habeant? Nónne & propter hæredes locupletandos nequiora, & ſceleſtiora audeant? Cur ergo Dominus putat Principum malitiam ſolùm duraturam, donec hæredes adducant? Non loquitur de hæredibus, qui bona accipiant poſt illorum fata, ſed loquitur de hæredibus illis, ſiue ſucceſſoribus, ad quos, viuis adhuc manentibus Principibus, dignitates tranſeunt. Et quis in malitia duret, cùm videat dignitatem ſuam breui in ſe finiendam, & tranſitũram ad alium? Fallar, ſi quod frænum fortius iniici poſſit poteſtatibus. Ait
D. Cyril. D. Cyril. Alexand. in præſenti: *Vanis ſtudere Reges non deſierunt, donec eò miſeria deuenerunt, vt aliorum hæreditas fierent, quæ illis à Deo deſtinata erat.* Expende quando ſtudium vanitatis, inſolentiæ, & iniuſtitiæ in Regibus deſiit, nimirùm tunc ſolùm, cùm eò deuenerunt, vt viderent dignitates ſibi à Deo creditas, in ſe finiendas, & ad aliorum tranſituras hæreditatem. Et quis non abſtineat à malo, cùm videat, iam in vicinio eſſe ſucceſſorem ſuæ dignitatis.

§. XXIV.

Diuinus halitus tunc euidentius ſentitur, cùm pericula ingraueſcunt.

ECce vobis Moyſes Dei voce, & clariori halitu impellitur, vt colubri caudam apprehendat: *Dixitque Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam eius.* Et cur potius Deus adeſt Moyſi in ſerpentinæ caudæ apprehenſione, illúmque monet, & roborat, vt confidenter caudam apprehendat? Cur non magis vt apprehendat fauces, aut caput? Crediderim in draconis cauda vehementiores intelligi tentationes, quippè Apocal. 12. de horribili dracone di- *Apoc. 12.*
citur: *Et cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & miſit eas in terram.* Vbi autem in draconis cauda vel cœli ſtellæ periclitantur, non minor, quòd ibi adſit Dominus, & deſpiciens caput, faucéſque draconis, & clara voce, & halitu corroboret Moyſem; tunc enim clariùs diuinus halitus apparet, cùm pericula inſtant grauiora. Ioannis cap. 6. de Chriſti diſci- *Ioan. 6.*
pulis dicitur: *Cùm aſcendiſſent nauim, venerunt trans mare in Capharnaum: & tenebræ iam factæ erant, & non venerat ad eos Ieſus. Mare autem, vento magno flante, exurgebat. Cùm remigaſſent ergo quaſi ſtadia vigintiquinque, aut triginta, vident Ieſum ambulantem ſuper mare.* Tenebræ incipiunt, mare alteratur, ventorum rabies exurgit, & non venerat ad eos Ieſus; ſed cùm ingraueſcentibus ventorum furiis, vigintiquinque, aut triginta ſpacia ſtadiorum remigauiſſent, poſt tam longa dimenſa ſpacia tunc demùm Ieſum vident properantem ſuper fluctus maris. Cur, Domine, non magis ad tempeſtatis initium occurriſti? Cur poſt tot ſtadiorum curſus? Pulchrè Diuus Cyrillus *D. Cyril.*
Alexandrinus libro tertio in Ionnem, capite vigeſimoſecundo, inquit: *Non ſtatim, nec in principio periculorum, ſed quando iam longè à terra remigauerant, Chriſtus diſcipulis apparuit. Non enim incipientibus aduerſis gratia Chriſti confeſtim nos ſaluat: ſed poſteaquam terror increuerit, & certum videatur imminere periculum, tunc è mediis fluctibus eripit, timorem abiicit, & ab omni periculo liberat.* Hoc eſt ingenium diuinum, vt magis gaudeat apparere in maioribus diſcriminibus, nec eius amoris eſt ſic feſtinare ad primos hoſtium incurſus depellendos, vt ad penè deploratæ ſalutis feſtinet. Sic Ioann. 11. *Miſerunt ſorores Lazari* *Ioan. 11.*
ad eum, dicentes, Domine, ecce quem amas, infirmatur. Quid tunc Ieſus? Accurrit illicò, vt morbi ab amico depelleret conflictus primos? Imò ait textus: *Vt ergo audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus.* Luctantem cum morbo audis, Domine, amicum, & adhuc moras nectis? Cur non magis accurris? Equidem expectat, vt aggrauetur lucta, vt deploretur ſalus amici, quando eius amoris eſt velle apparere, vbi maius fuerit periculum. Ait Diuus Chryſol. 63. *Sorores dicentes affectum pul-* *Chryſol.*
ſant, charitatem conueniunt: ſed Chriſtus, cui plus eſt mortem vincere, quàm remouere languorem, cuius amare illud eſt, non vt dilectum alleuet, ſed ab inferis vt reducat, &c. Expende ab illis: *Cuius amare illud eſt, non vt dilectum*, &c. Non enim ſic gaudet diuinus amor, vbi alleuiatur ſtatim dilectus, vt gaudet, quando è ſummis eruitur periculis. Sic miſſis tribus pueris in fornacem ignis, vbi accepto pabulo exurgebant flammæ, Dan. 3. ait: *Angelus autem Domini deſcendit* *Dan. 3.*
cum Aſaria, & ſociis eius in fornacem, & excuſſit flammam. Ex quo pulchrè Diuus Chryſoſtomus epiſt. ad *Chryſoſt.*
Cyriacum monet ipſum: *Ne ſis autem puſillo animo, quòd licèt ſæpè rogaueris, non tamen ſis exauditus. Habet enim hanc conſuetudinem Deus. An non potuit ipſe tres pueros liberare, vt non iniicerentur in caminum ignis? Sed cùm in ſeruitutem redacti, cùm in regionem barbarorum abducti, cùm paterna hæreditate priuati eſſent, tunc denique Chriſtus verax Deus repentè mirabili opere diſperſit ignem.* Hanc profectò habet Deus conſuetudinem, non in principio, ſed poſt certaminum progreſſus, in periculorum augmento ſuis opem ſingulariſſimam ferre.

§. XXV.

§. XXV.

Diutinus laborum concurſus quouis magno, & horribili conflictu eſt difficilior.

EO tendit diuina vox, vt Moyſes ad colubri caudam manum mittat, clamat enim: *Extende manum tuam, apprehende caudam eius.* Et quantum hoc ad Imperatorem fortiſſimum initiandum, quòd nimirùm colubri caudam apprehendat? Dauid puerulus, vt aduersùs hoſtem Philiſthæum ſe oſtenderet, aiebat 1. Reg. 17. *Veniebat leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis: & perſequebar eos, & percutiebam, eruebámque de ore eorum: & illi conſurgebant aduersùm me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebámque eos.* Sic nobilis tyro ad imperium aptabatur, apprehendens mentum leonum, oráque, & ſuffocans eos. Cur Moyſes non ad mentum, ſed ad caudam colubri apprehendendum incitatur? Cur non magis caput, ſeu fauces colubri conſtringat? An Dauid paruulus maiori animo erat, quando audet leonis prendere caput, quàm Moyſes vir, qui iubetur colubri prendere caudam, & non caput? Imò crediderim difficilius quid mandari Moyſi, quàm Dauidi, licèt enim horribiliora ſint ferarum ora; tamen audentium illa inuadere, breuior eſt conflictus, vt qui inſtantaneè poſſint illa conſtringere, & ſuffocare: ſic enim ait: *Apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam eos.* Non id accideret in apprehenſione caudæ colubri, ibi enim ſaluo capite, diuturnior, & longior conflictus manet; & diutina mali pertinacia longè difficilior eſt quouis alio conflictu maximo, Matth. 17. narrans paſſionem Ioanni ab Herode inflictam, ait: *Miſitque, & decollauit Ioannem in carcere.* Quid trucius? Sanè non aberrauerit à vero, qui putet trucius eſſe, ſi viuus relinqueretur diutinis ærumnis, & pædoribus carceris. Ait enim Diu. Chryſoſt. in epiſt. ad ſanctos in carcere incluſos 4. *Expoſita ſunt etiam veſtra corpora pœnis, ſuppliciis, & tormentis. Nondũ decapitati eſtis, ſed longè acerbiora tuliſtis. Non enim idem eſt breui temporis momento caput amittere, & tanto tempore cum talibus luctari doloribus, terroribus, minis, vinculis, abductionibus ad tribunal, carnificum manibus, ſycophantarum impudentiſſimis linguis, conuitiis, ſalibus, & dicacitatibus. Nam & hoc maximum certaminis genus.* Non dubito quin diutina malorum pertinacia maximum ſit certaminis genus; nec vlla eſt mortis ſpecies adeò horribilis, quæ non leuis appareat, ſi cum diutina ærumnarum malitia comparetur. Nemo non ſcit efferatam Iezabelis rabiem in Eliam, vt illi minata eſt internecionem. Quid tunc? Ait 3. Reg. 19. *Timuit ergo Elias, & ſurgens abiit, quocunque eum ferebat voluntas*; fugit itaque per loca auia, & montoſa, & inhoſpitalia, & poſt dies, fame, ſiti, labore, & mœrore confectus, nihil non triſte ſuſpicans, proiicit ſeſe ad arboris vmbram, & *petiuit animæ ſuæ vt moreretur.* Antea fugiebat mortem, nunc mortem expetit. Et cur modò expetis, & amplecteris, ô bone, mortem, quam antea vt ſummum malum fugiebas? Antea ſolo, & ſubito timore mortis afficiebatur, nec dum alia mala expertus fuerat, ideò vt malorum extremum mortem fugiebat. Modò acceſſit diutina peregrinatio, longum exilium, longiſſima inedia, & mœror, qui vt diutinis morſibus viri animum fodicabat, ſic acerbiſſimam mortem leuem faciebat. Ad hæc Chryſoſt. epiſt ad Olympiam. *Quomodo autem mortem, quam tunc fugerat, nunc requirit? Vt videas hinc etiam maximè, quomodo morte peior eſt mœror. Cùm enim eum ſolus ille timor turbaſſet, ſine dubio agebat omnia, vt eum poſſet effugere. Cùm verò incidens iſta triſtitia propriam oſtendit naturam, exedens eum, & conſumens dentibus ſuis, tunc demùm ille, quod erat plus omnibus graue, leuius æſtimauit.* Et quidem grauiſſimum mortis malum leuius putatur, vbi triſtitiæ moroſus affectus longo ærumnarum tractu mordet animum.

1. Reg. 17

3. Reg. 19

Chryſoſt.

Chryſoſt.

§. XXVI.

Non timidi, ſed audentes ſint illi, à quibus ſperari poſſint facinora.

FVgitantem Moyſem reuocat vox diuina, & iubet caudam colubri apprehendere: *Extende manum, & apprehende caudam eius.* Et cur Deus inſtat, vt Moyſes colubri caudam prendat ante Iſraëlis eductionem ex Ægypto? Quid hoc cum libertate Iſraëlis paranda? Multùm ſanè; is enim debet eſſe, cui tanta mandantur, qui neſciat fugere, ſed qui quæliber audere ſciat. Puchrè enim ait D. Chryſoſt. hom. 9. in cap. 2. ad Philippenſ. *Nequit fieri, vt qui nihil audet generoſum, quid faciat vnquam.* Ab illo ſolo magna, & præclara facinora ſperanda ſunt, qui audere ſciat, vel ſi cùm ſerpentibus ludendum ſit. Quò reſpiciens Iſaias capit. 11. decantatiſſimis Chriſtianæ militiæ ducibus ait: *Delectabitur infans ab vbere ſuper foramina aſpidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet.* Vide quales duces præficiat Ieſus ſuæ militiæ, qui vel ab ipſa infantia ſciant audere cum ſerpentibus ludere, ad nulla veneni ſpicula timere. De magnis Orbis Imperatoribus ſic canebat Sidon. Appoll. in Paneg. ad Authenium Auguſtum, inquiens:

Chryſoſt.

Iſaiæ 11

Præbuit intrepido mammas lupa fœta Quirino.
Magnus Alexander, necnon Auguſtus, habentur.
Concepti ſerpente Deo;
Alter Phœbigenam ſeſe gaudebat haberi
Pæonij iactans Epidauri ſigna draconis.

Sic pueri Imperaturi Orbi, & nutricibus, & parentibus, feris, ſerpentibúſque gaudebant, intrepidíque & draconum ſigna in ſe referebant, & inter ferarum mammas agebant. Nunquam enim non audet aliquid generoſum, qui ad magna facinora præſtanda contendit. Vbi autem bonorum omnium ſpoliationem, extremámque miſeriam in populo ſuo confirmare vult Dominus, hoc addit, quòd pauidum illis cor, & nihil audens apponit. Sic Deuter. 28. poſt omnimodam bonorum ſpoliationem ait: *Dabit enim tibi Dominus ibi cor pauidum, & deficientes oculos.* Circa quæ præclarè D. Chryſoſt. epiſt. 8. ad Olympiam, fatur: *Quando maximas Iudæi Deus tetenderat minas pro iniquitate multa poſt commorationem in aliena regione poſt fames, poſt morbos, & humani generis cibum: hanc infert vindictam, dicens: Dabo illis cor deficiens, & oculos deficientes, & animam tabeſcentem.* Ne miremur ſic ab omni bono decidiſſe, in omníque calamitate eſſe, cui à Deo pauidum, & deficiens cor tribuitur, vt nihil audere ſciat, ſed vel à folio ventis agitato fugiat.

Deut. 28.

Chryſoſt.

Exod. 4. Dixítque Dominus rurſum: Mitte manum tuam in ſinum tuum. Quam cùm miſiſſet in ſicum, protulit leproſam inſtar niuis. Retrahe, ait, manum tuam in ſinum tuum. Retraxit, & protulit iterum, & erat ſimilis carni reliquæ. Si non crediderint, inquit, tibi, neque audierint ſermonem ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis.

§. XXVII.

Nequis ad impiorum conſortium accedere, quin inficiaris eorum malitia.

VBi manus Moyſis à ſinu protracta eſt, leproſa fit, ait enim: *Protulit leproſam inſtar niuis.* Quid hoc protẽdit, niſi vt populus Iſraëliticus protractus in Ægyptum, ſtatim infectus eſt Ægyptiorum malitia? Sic Theodoret. quæſtione decima in præſenti, inquit:

Quid ſignificat, quòd manus Moyſi reddita eſt leproſa? Familia Iacob in pietate educata profecta eſt in Ægyptum, ſed illic impietatem Ægyptiorum didicit, & quaſi leproſa eſt facta. Vix fieri poteſt, quòd diu maneas apud impios, quin illorum inficiaris malitia. Caue homo ad impios prodire, niſi velis de eorum halitu totus infici. Matth. 3. dicit de Baptiſmo Ioannis: *Matt. 3.* *Tunc venit Ieſus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo.* Et quidem venit Ieſus, non vt ipſe mundaretur, ſed vt mundaret aquas. At aquæ nullam incurrerant maculam, ſola terra maledictionem ſuſtinuerat poſt peccatum, dicente Domino: *Maledicta terra in opere tuo.* Et quando non aqua, ſed terra maledictionis incurrerat labem, vnde neceſſum erat, quòd Ieſu præſentia mundarentur aquæ? Fateor, aquas non maledictas eſſe, nulla maledictionis infectas labe ſecundùm ſe, at quando terræ maledictæ proximæ erant, ex maledictæ vicinitate adeò *Aug.* inficiebantur, vt egerent purgari. Diuus Auguſtinus lib. 3. de Mirabilibus ſacræ Scripturæ capite 5. *Ad Baptiſmum deſcendit Dominus Ieſus, non quòd baptiſmi Sacramento, & lauacro egeret, ſed vt aquas, quas, quamuis in delicto Adæ Deus non maledixerit, terræ, qua continebantur, maledixione infectas purgaret.* Non fuerunt aquæ à Domino maledictæ, at quia terræ maledictæ approximant, inde ea infectæ ſunt labe, qua egeant à Domino purgari. Ne credat quis poſſe ſe maculatorum contubernio vti, quin multas contrahat maculas. *1. Reg. 20* Hinc 1. Reg. 20. dicit: *Fugit autem Dauid de Naioth:* nec veretur textus tam ſtrenuo duci, & imperatori fugam attribuere. Et cur non magis cælat Dauidis fugam? Fugiebat ab impio, cuius conſuetudine vix *Ambr.* poſſet vitiorum maculas effugere. Ait Diuus Ambroſius in Gloſſa: *Fugit ſanctus Dauid odia Saulis Regis, non relinquens terras, ſed declinans contagia Regis inimici, & ſuperbi, quia mens eius adhærebat Deo.* Et vbi vitioſorum contagia non fugiuntur, mirum erit, ſi non illorum mala contrahantur. Vbi diluuij malum ex- *Gen. 7.* penditur, ait Gen. 7. *Conſumptáque eſt omnis caro, quæ mouebatur ſuper terram, volucrum, animantium, beſtiarum, omniúmque reptilium, quæ reptant ſuper terram.* Ecce tibi, quodcunque animal, quod ſuper terram mouebatur, diluuio periit, verum animal, quod non in terra, ſed in aquis mouebatur, tunc ſecuriùs agebat. Et cur ſolùm animalia terrena, & non aquatilia experiuntur communem calamitatem? De hac quæ- *Aug.* ſtione pulchrè Diuus Auguſt. lib. 1. de Mirabilibus ſacræ Scripturæ capite 4. ait. *Quamobrem terrena animalia humanæ vindictæ pluſquam aquatica ſuccumbunt? In peccato primi hominis, terra, de qua guſtauerant, ſtatim maledicitur. Per diuinum namque oraculum ita infertur: Maledicta terra in opere tuo. Qua in re notandum ipſa animalia, quæ maledictam terram manducauerunt, experta maledictionis eſſe non poſſe.* Perierunt equidem non aquatilia, quibus nil fuit commune cum fructibus maledictæ terræ, ſed terreſtria omnia, quæ vt in cibo cum terra maledicta communicauerunt, ſic maledictionis infectione non caruerunt. Nequit enim fieri, vt impij non maculent, & ſuum faciant, quicunque ad ſua accedere ſenſerint. Hinc. Gen. 22. vbi Sodomitæ pereunt, & ab illis Loth indemnis eri- *Naz.* pitur, ait Nazianzenus orat. 1. in Iulianum: *Mirabilis impiorum interitus ſulphureo igne obrutorum, mirabilius etiam piorum furtum.* Et ſapienter Lothi ereptio vocatur furtum, quaſi illum Angeli furati fuerint ex Sodomis. Sed cur dicantur Angeli furati Lothum ex Sodomis, niſi ex eo, quòd impij commilitiones adeò ſuos efficiunt, vt furtum reputent, ſi liberi excedant?

§. XXVIII.

Periculoſa homini à Deo ſeparatio.

MAnus à ſinu extracta leproſa fit, & ſanatur, vbi in ſinum retrotrahitur: *Quam cùm miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar niuis*, &c. Tandiu enim durat ſalus hominis, & incolumitas, quandiu in Dei ſinu eſt, quia à Deo ſeparatur, en quanta incurrit mala, & quàm lethales infirmitates. Id, quod in vno populo Hebræo notabat D. Iſidor. in Exodum cap. 8. fa- *Iſidor.* tus: *Sic plebs Iudæa nunc aliena eſt à ſinu Dei, & foras immundare manſit: ſed reuocat eam, & reddit ad priſtinum cõlorem, dum agnouerit Deum.* Tunc eſt hominis ſalus, cùm ad Deum reuocatur; ſi ab illo abſit, nullum non expectet malum. Ioann. cap. 6. poſt miraculum panum remanſit Ieſus in oratione ſolus, diſcipuli autem ingreſſi ſunt nauim. Quid tunc? *Et tenebræ iam factæ erant, & non venerat ad eos Ieſus; mare autem magno facto vento exurgebat.* Acuebatur tempeſtas, ventis reflantibus, & diſcipuli periclitabantur, nec id mirum eſt, quando *non venerat ad eos Ieſus*, ſed potius longè ab eis aberat. Ex quo D. Cyril. Alexand. lib. 3. *Cyrill.* in Ioann. cap. 22. ait: *Et conturbat nimia vis ventorum, & impetus; quo funditùs euerti mare, & fluctus in montes erigi videbantur, & quod plus timoris inferebat, Chriſtus non aderat. Neceſſe eſt enim procellis agitari omnes, qui diuinorum præceptorum contemptu, atque delictis, à Chriſto deciſi ſunt.* Væ illis, qui à Chriſto decidunt, innumeris tempeſtatibus, procelliſque exponuntur. Vt enim corpus ſine cibo in lethalia incidit pericula; ſic qui diu à Chriſto ſeparatur, tantóque ſuſtinet carere cibo, vix fieri poteſt, quin in mortem incidat. Quod vt inſinuaret Dominus, aiebat Ioann. 6. *Ego ſum panis vitæ*: non aliter neceſſarius eſt Ieſus ad vitam animi, quàm neceſſarius eſt panis ad corporis vitam. Pro quo D. Cyrill. Alexand. lib. 3. in Ioann. cap. 37. *Cyrill.* *Sciant baptizati homines, & diuinæ gratiæ participes facti, ſi rarius in Eccleſiam proficiſcantur, & longo temporis ſpatio propter ſimulatam religionem myſtice communicare Chriſto recuſent, ab æterna ſe vita procul depellere.* Quid grauius? Quia multi ſunt, qui religionis ergo ſe à Chriſti Domini communione abſtinere ſimulant; hos moner Cyrillus, vt omnes prætextus etiam pios, etiam religioſos abiiciant, quibus à Ieſu diu abſtinent. Nequit enim fieri, quòd diu homo ſine Domino agat, & in lethalia damna non incidat. Quò refert Adon in Chronico, in fine quintæ ætatis mundi illud, *Adon.* quod accidit Cæſari Auguſto, ſub cuius Imperio natus eſt Chriſtus. Quippe ait: *Cum in Sicilia receptis à Pompeio, & Lepido legionibus, triginta millia ſeruorum Dominis Cæſar reſtituiſſet, & ſex millia, quorum Domini non extabant, in crucem egiſſet; ouanſque in vrbem ingreſſus, omnia ſuperiora populi Romani debita donanda literarum etiam monumentis abolitis cenſuiſſet, in diebus ipſis fons olei largiſſimus de taberna meritoria per totum diem fluxit. Quo ſigno quid euidentius, quàm ſub principatu Cæſaris, Romanóque Imperio, hoc eſt, per omne Romani Imperij tempus, Chriſtum, atque ex eo Chriſtianos, id eſt, vnctum, atque ex eo vnctos ne hoſpitæ Eccleſia affluenter, atque inceſſabiliter proceſſuros? Reſtituendóſque per Cæſarem omnes ſeruos, qui tamen cognoſcerent Dominum ſuum, cæteróſque, qui ſine Domino inuenirentur, morti, ſupplicióque decendos?* Expende hæc vltima: *Qui ſine Domino inuenirentur*, &c. hoc enim ſufficiens eſt, vt quis perdatur funditùs, nimirùm, quia cùm natura ſeruus ſit, ſine Domino inuenitur. Huc ſpectant Cæſareæ leges, huc vniuerſæ conſuetudines; vt quando tu ſeruus es, emptus ſanguine Chriſti, mortem incurras, ſi tanti Domini in te præſentis nullum referas ſignum.

Exod. 4.

Exod.4. Quòd ſi nec duobus quidem his ſignis crediderint, neque audierint vocem tuam, ſume aquam fluminis, & effunde eam ſuper aridam,& quicquid hauſeris de fluuio, vertetur in ſanguinem. Ait Moyſes; Obſecro, Domine, non ſum eloquens ab heri,& nudiuſtertius: & ex quo locutus es ad ſeruum tuum,impeditioris,& tardioris linguæ ſum.

§. XXIX.

Ille gubernator fœliciter eligitur, qui ſermonis facundia plurimùm valeat.

ECce tibi Moyſes dum virgam accipit, quam poſſit in draconem conuertere;& poteſtatem, qua poſſit flumina vertere in ſanguinem; nihilominùs detrectat Præfecturam populi,aiens: *Non ſum eloquens*,&c. Quid intereſt,ô bone, quod eloquentia careas, cùm habes poteſtatem conuertendi virgam in ſerpentes; & flumina in ſanguinem? Cur non magis terribili hac poteſtate animaris ad munus ſubeundum? Cùm omnia ſubiicere potes vel immiſſis ſerpentibus,vel infectis aquis, cur iis deſpectis requiris ſolam oris elegantiam? Equidem non inſipienter hanc requirit bonus gubernator, quando id præſtantis gubernatoris eſt, quòd non violenta poteſtate, ſed facundia ſciat ſubditorum animos capere. Hinc extollebat Gennadium Præfectum D. *Syneſ.* Syneſ.epiſt. 73. fatus: *Pentapolis noſtra in multis eſt à Gennadio Syro ſubleuata: cuius illud maximum eſt, quòd orationi,& perſuaſioni Imperium permittens, nemine noſtrum aduertente,plus pecuniæ in publicas rationes intulit, quàm crudeliſſimi quique & atrocitatis nomine celeberrimi: propter quam nemo lacrymatus eſt,propter quam nemo agrum vendidit, contributionem illam piam, meritò aliquis appellauerit,quam non iniuria, aut verbera extorſerunt.* Expende illud: *Orationi, & perſuaſioni Imperium permittens*; inde maximus, inde fructuoſus, inde præſtans,& ſalutaris apparuit bonus gubernator, qui imperium non feritati, non abſolutæ poteſtati, non atrocitati,ſed orationis efficaciæ, & perſuaſioni permittebat,quibus vt maximè valebat, ſic vel ad onera rapiebat libentes ſubditorum animos. Quam in Principibus *Pſal.17.* virtutem mirabatur Pſalm.27.aiens: *Qui ſubdis populos meos ſub me.* Ex Hebræo legitur: *Alloquens populos meos ſub me.* Tale enim erat eius eloquium, vt idem eſſet, & loqui, & nationes ſubiectare. Quod promittebat Iſaias cap.5. *Et paſcentur agni iuxta ordinem ſuum*: Hebraicè legitur: *Paſcentur agni iuxta verbum*: hoc eſt,habebunt Iſraëlitæ rectores,& Principes,qui eloquio, & verbis potentiſſimi ſint. Et quantum hoc ad Principem,quod eloquio valeat? Crediderim hoc non inter mediocres Principum virtutes numerari. Quippe *Caſſiod.* Caſſiod.10.var. 7. vocans eloquentiſſimum virum ad principatum, ait: *Talem itaque virum non decuit iuſtitiam petere,ſed docere. Quia iudiciaria virtus eſt, linguæ bonis abundare.* Maximè conducit ad Poteſtatis ornatum,& compoſitionem,quòd lingua valeat, quòd elo- *Miche.2.* quentiæ vi poſſit ſubditos trahere. Ex quo Micheas cap.2.aiebat: *Congregatione congregabo Iacob totum te: in vnum conducam reliquias Iſraël,pariter ponam illum quaſi gregem in ouili,quaſi pecus in medio caularum.* Ex Hebræo: *Quaſi pecus in medio verbi tui*, quaſi totum Iſraëlis Imperium committat orationi, & perſuaſioni regnantium. Ille enim Rex,& Princeps paratur à beneficio Deo,qui non tam virga, quàm verbo poſſit populos domare. Quam laudem Ferreolo Duci adſcribit *Appoll.* Sidonius Appollin.lib.8.epiſt.12. *Prætermiſi Gallias tibi adminiſtratas,tunc cùm maximè incolumes erant. Prætermiſi Gothiæ ferociſſimum inflexum affatu tuo,melleo,graui, arguto, inuſitato.* Sic bonus Princeps ferociſſimas nationes in medio verbi ſui,quaſi intra caulas detinebat. *Sapient.8* Vnde Salomon Sapient.cap.8.ait: *Habebo propter hanc claritatẽ ad turbas, & honorẽ apud ſeniores iuuenis,&c. loquentem me reſpicient,& ſermocinante me plura, manus ori ſuo ponent.* Nec miror, quod erudito Regi populi applaudant,quando & de regina Amalaſuntha ait Caſ- *Caſſiod.* ſiod.11.var.1. *Hanc enim digniſſimè omnia regna venerantur, quam videre,reuerentia eſt: loquentem audire miraculum. Qua enim lingua non probatur eſſe doctiſſima? Attica facundiæ claritate diſſerta eſt: Romani eloquij pompa reſplendet: natiui ſermonis vbertate gloriatur: excellit cunctos in propriis, cùm ſit æqualiter vbique mirabilis.* Sic eloquentia Reginam & mirabilem, & ſuſpicabilem populis reddebat; quaſi illa propria Principum poteſtas ſit,non quæ à virga, ſed quæ à verbis venit. Pro quo faciebat illa Herculis Gallicani effigies apud Alciatum; vbi homo & leoninis exuuiis, & claua ornatus,ab ore catenulas emittebat, quibus ingentem populi multitudinem ex aure trahebat. Quid tunc? Ait Alciatus emblem.180. *Alciat.*

Arcum læua tenet,rigidam fert dextera clauam,
Contegit & Nemees corpora nuda leo.
Herculis hæc igitur facies?
Quid quod lingua illi leuibus traiecta catenis
Quęis fiſſa faciles allicit aure viros?
Anne quod Alciden lingua,non robore Galli
Præſtantem populis iura dediſſe ferunt?
Cedunt arma togæ,& quamuis duriſſima corda
Eloquio pollens ad ſua vota trahit.

Ne miremur Moyſem non ſic credere potenti virgæ, ſanguineis fluctibus, vt facundiæ linguæ; quando in Hercule & claua, & pelles leoninæ otioſæ putantur, & vna lingua ad domandos populos creditur ſeruiiſſe.

§. XXX.

Vox cum operibus iuncta potentiſſima ad mouendos animos,& plauſus expiſcandos.

SIgnorum patrandorum poteſtatem accipiens Moyſes in virga,adhuc munus legationis detrectat, obiiciens defectum vocis,dum ait: *Non ſum eloquens: impeditioris,& tardioris linguæ ſum.* Cui virga militat potens tranſmutare elementa, potens Orbem implere miraculis, quid intereſt, quòd linguæ deſit facundia? Cur Moyſes non contentus es miraculorum efficiendorum poteſtate? Cur hac quaſi contempta, deſiderio afficeris linguæ volubilis elegantiæ? Non miror, quòd Moyſes in tanta poteſtate ſignorum, requirit linguam magis,vox enim cum operibus iuncta,potentiſſima eſt, vt animos omnium,& plauſus trahat. Iob cap. 38. aie- *Iob 38.* bat Dominus: *Cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Quæ verba ſic reddidêre Septuag. *Quando facta ſunt ſydera, laudauerunt me filij Dei.* D.Epiphan.tom.2.lib.2.Hæreſ.65. *Quando genita* *Epiphan.* *fuerunt ſydera,laudauerunt me omnes Angeli.* Et D.Baſil. *Baſil.Sel.* Seleu.orat.1. *Cùm aſtra faciebam, laudabant me voce magna omnes Angeli mei.* Itaque quando Deus faciebat mundi lumina,Deum vniuerſi Angeli ſummis laudibus efferebant. Sed ante luminum effectionem effecerat Deus cœlum,effecerat terram, & omnia elementa,& nullam dicuntur illi laudem attribuiſſe Angeli. Et cur in effectione luminum rapit Deus Angelos in ſuas laudes, quos non rapuerat in effectione cœli, & terræ? In creatione cœli prima, & terræ virtus infinita Dei oſtendebatur, producens ex nihilo ſubſtantias; quæ non adeò infinita in luminum productione requirebatur. Quid ergo inuentum eſt in lucis productione; quod magis traheret Angelos in creatoris laudes? Habes id in cap.1. Gen.vbi ait. *In principio creauit* *1.Gen.* *Deus cœlum,& terram. Terra autem erat inanis, & vacua,& tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: & ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Dixítque Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux*: Expende illud: *Dixítque Deus*, &c.

Quippe

Quippe tunc primùm oſtenditur Deum dixiſſe; tunc primùm oſtenditur vocem adiunxiſſe operi mirabili. Antea creabat cœlos, terras, & elementa, prorſus tacès, erant pulcherrima Dei facinora, ſed ſine voce; cùm ad lucis creationem ventum eſt, tunc vocem addidit, & vox operibus iuncta ſtatim rapuit Angelos in diuinas
Baſil.Sel laudes. Accipite D. Baſilium Seleu. orat. 1. fantem: *Cœlum profectò productum eſt, & terra cum aquis, cùm vox anteuerteret nulla. Lux verò cùm producebatur, Deus voce præiuit. Meritò nunc loqui occupat, vt eius, quod fit ſenſu, & admiratione Angelorum turbas moueat, quo imperium effectione rei comitatum conſpicati in hymnum Creatoris conuertantur.* Qui cœleſtia creans tacebat, & non laudabatur, vbi vocem operibus addidit, nullum non Angelum mouit, omnes in ſuas prædicandas laudes traxit. Ille enim potès eſt ad trahendos animos, qui ſimul contuentium oculos pulchritudine facinorum
Dan.3. implet, & pulchritudine verborum implet aures. Dan. 3. tres pueri Hebræi in conſpectu Regis conſtituti aiebant: *Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare: Tunc Nabuchodonoſor repletus eſt furore*, &c. Sed eò peruenit rès, vt coniecti pueri in fornacem ibi liberi prorſus apparerent: *Tunc Nabuchodonoſor acceſſit ad oſtium fornacis ignis ardentis, & ait: Sidrach, Miſach, & Abdenago ſerui Dei excelſi egredimini*, &c. Et quis ſic Regem immutauit, vt laudaret, quos antea cremabat? Antea prædicarunt Dei poteſtatem, & Regem in furorem verterunt, modò illum laudatorem habent. Vn-
Chryſoſt. de hæc? Pulchrè D. Chryſoſt. homil. 6. ad Pop. *Antea quando dixerunt, Diis tuis non ſeruimus, fornace ſæuius accenſus eſt; poſtquam verò per ipſa opera hoc oſtenderunt, laudauit, & admiratus eſt.* Quid pulchrius dici potuit? Equidem pulchritudo operum iuncta voci audientium animos rapit. Hinc Cant. 2. clamat ſponſus ad diuiniſſimam amaſiam ſuam: *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis.* Et mirabar, quoddam tam pulchra facies expectabatur, ſubiret memoria vo-
Caſſiod. cis, & mirum auget Caſſidorus ibi, faciei decorem explanans, fatus: *Faciem ſuam quaſi Deo oſtendit Eccleſia, cum proximis ad vtilitatem, & profectum per virtutum opera, quantam intrinſecùs habeat pulchritudinem, demonſtrat.* Cui aſſentitur D. Greg. PP. & alij: quando ergo in facie tantarum virtutum decor monſtrabatur, cur adhuc vox requirebatur, niſi quòd opera ſimul, & vox potentiſſima ſunt ad commendationem cuiuſuis viri
Caſſiod. maximi expiſcandam? Ex quo Caſſiod. 8. variar. 14. de præſtantiſſimo viro aiebat: *Affuit mandatis regalibus eloquens, & decorus orator, permulcens etiam inſpectus, quos gratiſſimos reddebat auditus.* In hoc maximus videbatur iſte regalibus decretis adſtitiſſe, quòd & eloquentiæ facundiam, & decorem referebat virtutum, vt viſus ſimul, & auditus de omnibus ageret trium-
Ioel 2. phos. Quò ſpectabat illud Ioel cap. 2. *Nolite timere animalia regionis, quia germinauerunt ſpecioſa deſerti.* Siue vt Græcus ait: *Confidite iumenta campi, quoniam germinauerunt campi ſolitudinis.* Et qui ſunt campi iſti, qui germinant in tantum iumentorum, beſtiarúmque bonum? Hi ſunt Doctores, qui pulchritudine operum, & doctrinæ ſic valent, vt beſtias transforment in homi-
Cyr. Alc. nes. Ait D. Cyril. Alex. ibi: *Campi eius ſunt populorum rectores, & Doctores, qui & diuinis è cœlo chariſmatibus animum velut ſcatentem, & pulcherrimè vndique florentem gerunt, & dogmatum floribus ſpirantem ſuauiter, & recenti herba vndique pubeſcentem. Hi beſtiarum naturam, & ingenia exhilarant, vt etiam ad prudentiam homine dignam adducant.* Sic valent, qui virtutum operibus floridam doctrinam adiungunt.

Exod.4. Dixítque Dominus ad eum: Quis fecit os hominis? Aut quis fabricatus eſt mutum, & ſurdum, videntem, & cæcum? Nónne ego? Perge ergo, & ego ero in ore tuo: docebóque te, quid loquaris.

§. XXXI.

Præclara oratio ex ſilentio, & linguæ tarditate naſcitur.

VT timorem, quem prætendebat Moyſes ex linguæ impedimento, Dominus depellat, & ſpes illius alat, quòd coram populo, & Pharaone non ſentiet linguæ damna, ait: *Quis fecit os hominis? Aut quis fabricatus eſt mutum? Nónne ego? Perge ergo*, &c. Qualis hæc ratio, vt Moyſes ſperet nulla ſibi futura linguæ damna, nimirùm, quia Deus fabricatus eſt mutum? Imò, quia ſcit Moyſes ſe ex Deo linguam mutam, & impeditam recepiſſe, ideò detractat munus in quo neceſſaria erat orationis efficacia. Cur, tu Domine, iubes, vt nihil dubitet de eloquentia futura, ex eo, quòd muta, & impedita labia tu fabricaris? An muta labia poſſunt habere aliquid cum viuida, & efficaci oratione? Equidem ex muto ore, ex tarda, & impedita lingua, non ſemel arguta, & efficax vox in occaſione naſcitur. Huc tendit Caſſiodorus 5. variar. 22. diſſertiſſimi ora- *Caſſiod.*
toris Capuani extollens laudes: *Eſt etiam quoddam ſpeculum morum agentis oratio: nec maius poteſt eſſe mentis teſtimonium, quàm qualitas inſpecta verborum. Nam vt eius, nimirùm Capuani, propria deſcribamus, patitur in ſimplicibus rebus linguæ retinacula: iis eò tamen correctior cùm perorat: & hoc illi ad gratiam datum eſt prouidente natura, vt quem præforibus hæſitantem videas, eloquentem in certaminibus obſtupeſcas.* Sic tarda, & penè muta lingua in ſimplicibus rebus, & quotidianis hominem parabat, vt admirationem faceret in eloquentiæ certamine. Nec ſemel longa taciturnitas, & linguæ tarditas obſtetricante Deo vocem parturit omni præſtantem eloquentia. Marc. 7. homo mutus addu- *Marc.7.*
citur ad Ieſum, qui tetigit linguam eius: *Et ſtatim ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.* Non miror, quòd mutus homuncio, ablato à Deo linguæ vinculo, loquatur; ſed illud mirandum, quòd, qui ſi natus fuiſſet ſine linguæ damno, communiter loqueretur, ex linguæ damno conualens dicatur locutus rectè? Vnde mutus tam rectè loqueretur, niſi quia linguæ tarditas de obſtetricantis beneficio Domini hoc haber, quòd ſplendentem orationem generet? Huc ſpectabat Victor Antiochen. aiens: *Quomodo enim non* *Antioch.*
rectè loqueretur, rectéque audiret, cùm naturæ opifex id expleret, quod naturæ deerat? Sunt equidem tarditas linguæ, & impedimenta præclaræ lapidicinæ, ex quibus Deus artifex præclaram hominis orationem ellicit. Ex quo monebat Eccleſiaſticus cap. 28. *Verbis tuis* *Eccl.*
facito ſtateram, & frænos ori tuo rectos. Et quando homines id maximè curant, vt linguæ tollant impedimenta, bonus conſulit, vt ori iniiciant fræna, cur non magis fræna rumpant? Ait Philo lib. Quòd deterior potiori inſidietur; *Ideò ſtudemus vnumquodque os, de quibus diximus, obligare non rumpendis temperantiæ vinculis. Quotquot enim nullis cohibentur vinculis, vt alibi Moyſes ait, impura ſunt.* Vt impura omnia naſcuntur à diſſoluto ore; ſic vbi frænum præceſſit in ore, mutáque taciturnitas, pura, & lucidiſſima oratio prodit. Nónne mutus erat Zacharias Baptiſtæ pater? Ab eo autem vbi interrogatur nomen pueri, poſtulans pugillarem, ſcripſit. Ioannes eſt nomen eius
Luc.1. *Aperium eſt autem illico os eius, & lingua eius,* *Luc.1.*
& loquebatur benedicens Deum. Expende in quàm ſplendidum prorumpat mutus verbum; nimirùm: *Loquebatur benedicens Deum.* Lingua enim taciturnitatis fræno cohibita, ſtatim vt ſoluta eſt, parturiuit diuinitatis halantia verba. Quò ſpectans Orig. hom. 9. in Lu- *Orig.*
cam, ait: *Vt ſtylus impreſſus eſt ceræ, lingua, quæ prius fuerat vincta, laxata eſt. Recepit eloquium, non humanum, quoniam*

quoniam ligata fuit lingua eius. Sic de ligata lingua aurei, & diuini ſermones procedunt. Huc trahe dicta in tom. 2. in Euang. lib. 10. cap. 10. §. 9.

Exod. 4. At illa: Obſecro, inquit, Domine, mitte quem miſſurus es. Iratus Dominus in Moyſem, ait: Aaron frater tuus Leuites, ſcio quòd eloquens ſit; ecce ipſe egredietur in occurſum tuum, vidénſque te lætabitur corde. Loquere ad eum, & pone verba mea in ore illius, & oſtendam vobis, quid agere debeatis: ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum; tu autem eris ei in iis, quæ ad Deum pertinent. Virgam quoque hanc ſume in manu tua, in qua facturus es ſigna.

§. XXXII.

Quæ per homines fieri poſſunt, per homine; procuranda ſunt, non vni Dei poteſtati committenda.

QVi ad tot Moyſis excuſationes non iratus fuerat, dum ſuam imbecillitatem, dum populi duritiam, dum linguæ tarditatem obiicit, cur modò iraſcitur, ad eiuſdem verba dicentis: *Mitte, quem miſſurus es?* Adde, quòd iis verbis petebat Moyſes Chriſti Domini aduentum, vt fert communior Catholicorum ſententia. Cur ergo Deus tot excuſationes Moyſis ſuſtinet, & ad petitionem, qua Chriſtus petitur, excandeſcit? Equidem totum munus educendi populi ex Ægypto, cõfundendi Pharaonis Regis per hominem purum cœleſti auxilio adiutum, perfici poterat; nec fert Deus, quòd ea, quæ per hominem fieri poſſunt huius diligentiis contemptis, expectatur vnus Deus. Inde cùm
Ioan. 11. euocaturus Lazarum à monumento Ioan. 11. vidiſſet ſepulcri ſpeluncam lapide occluſam, ait circunſtantibus:
Gen 29. *Tollite lapidem.* Quò licet trahere ex Gen. 29. vt Iacob à domo paterna peregrinatus venit in terram orientalem, inuenítque puteum lapide clauſum, qui tunc à ſimul iunctis paſtoribus amouendus erat, cum omnium greges accederent. Accedebat iam Rachel Iacobi cognata cum ouibus ſuis: *Quam cùm vidiſſet Iacob, & ſciret conſobrinam ſuam, ouéſque Laban auunculi ſui: amouit lapidem, quo puteus claudebatur.* Non expectat Iacob, vt lapis amoueatur, vt amatæ puellæ oues adaquet, nec requirit aliorum auxilium, ſed ipſe per ſe ſolum id præſtat munus; & Ieſus amicum ſuum vt vocet in vitam, ab aliis lapidem tolli iubet? Cur non magis, ô bone, in gratiam amicorum tuorum, velut Iacob, tu ipſe lapidem amoues? Cur aliis mandas hoc munus, quod minimè Iacob feciſſet? Iacob vt homo erat, quæ à ſe fieri poſſe videt, ſolus efficit, nec aliorum expectat auxilium, ſed ſuum ipſe impendit conatum diligentiſſimè. At Ieſus in præſenti perſonam Dei agebat reuocantis hominem à ſepulcro, qui vt Deus oſtendebatur, ſic detrectat ea facere, quæ per
Auguſt. alios homines poſſunt fieri. Ad hæc D. Auguſt. ſer. 104. de Tempore: *Quid dicimus? Nunquid lapidem Dominus à monumento præcepto remouere non poterat, qui inferni clauſtra propria virtute remouit? Sed quod ab hominibus fieri poterat, homines facere præcepit, quod autem diuinæ virtutis erat, ſua potentia demonſtrauit. Lapidem enim à monumento reuocare humanæ virtutis eſt, animam verò ab inferno reuocare, ſolius diuinæ potentiæ eſt.* Quod ſolius diuinæ poteſtatis eſt, id vult Ieſus per ſe præſtare; quod autem humanæ erat poteſtatis, & per homines poterat executioni mandari, id potius creditur labori humano, non enim amat Deus, quòd ſibi ea prorsùs committantur, quæ per homines poſſunt præſta-
Ioann 5. ri. Hinc Ioann. 5. cùm Dominus paralytico dixiſſet: *Vis ſanus fieri?* Illicò paralyticus ait: *Domine, hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam. Dum venio enim ego, alius ante me deſcendit.* Solùm interrogabatur iſte, an vellet ſanari; & ipſe ad hoc ſilens multa alia comminiſcitur, de quibus non interrogabatur, vt nimirùm homo nullus ſit, per quem ſalutem poſſet negotiari, vt ipſe fruſtra tentauerit illam acquirere. Cur hæc præmittis, antequam dicas: quòd vis ſanari? Cur non magis feſtinas Deo directè reſpondere, aiens, volo ſanari? Equidem bonus verebatur ſalutem ex Deo expectare, niſi prius quidquid per ſe, vel per homines ad illam poterat pertinere, facta omni diligentia repræſentaret. Ait enim Euthim. ibi: *Suſpicabatur, quòd hoc Dominus propterea interrogaret, vt argueret, quòd præ ſegnitie fruſtraretur ſanitate, ideò reſpondet, quia hominem non haberet. Dicens autem; Dum venio ego, alius ante deſcendit; ſuam oſtendit perſeuerantiam, qua tot annis fruſtratus adhuc perſeuerabat, idque non ſegnis, nec ſic negligentior efficiebatur.* In Ieſu offerentis ſanitatem verbis magis reprehenſionem ſuſpicabatur, quam ſolent incurrere, qui quæ per ſe, vel per homines poſſunt facere in re ſalutis, vel commoditatis effugiunt; & ideò meritò hanc reprehenſionem cauens nihil de ſuæ ſalutis deſiderio loquitur, quin prius oſtenderet ſe non habere hominem, ad quem recurrat, & nihilominùs per ſe curaſſe deſcendere in aquam, nullámque ſibi poſſibilem diligentiam non tentaſſe. Huc veniant homines, & credant, tunc ſolùm à Dei reprehenſione poſſe fugere, cum illi ſoli minimè credunt, quæ per ſe, vel per homines poſſunt facere. Sed potius eo ſunt animo, vt niſi poſt adhibitas vniuerſas diligentias nolint quid à Deo expectare.

Euthim.

§. XXXIII.

Iram Dei meritò incurrit, qui ſic fraternum effectum exuit, vt non putet ſibi prodeſſe, quidquid boni in fratre videt.

ACcedant huc, qui ſub Dei militant diſciplina, & videant Deum in Moyſem iratum, eò, quòd ipſe impedimentum ſuæ linguæ obiiceret, quo detrectaret impoſitum ſibi munus. Equidem detrectabat Moyſes munus ſubire, eò, quòd impeditioris eſſet linguæ. Quid tunc? *Iratus Dominus in Moyſem, ait: Aaron frater tuus Leuites, ſcio quòd eloquens ſit,* &c. Et cur Deus iraſcitur in hominem humiliter proponentem impedimentum ſuæ linguæ ad munus, quod maximè indigebat lingua? Cauſam ipſe Dominus indicans, dicit: *Aaron frater tuus Leuites, ſcio quòd eloquens ſit.* Meritò enim increpatus Moyſes, quòd defectum linguæ ſentiret in ſe, quando linguam in fratre nouerat diſſertiſſimam, quam deberet putare ſuam. Ait Diu. Auguſtin. quæſt. 10. in Exod. *Oſtenditur Deus increpaſſe potius Moyſem, qui timeret ire, quòd ipſe eſſet minus idoneus, cùm haberet fratrem, per quem poſſet ad populum loqui, quod vellet.* Proh Deus immortalis! Quot Dei iras, quot Dei increpationes caueremus, ſi quod in fratre boni eſt, illud nobis non deeſſe putaremus, ſed magis noſtrum putaremus illud? Sic viue Chriſtiane, eum fratrum amorem indue; quo poſſis pro tuo habere bonum, quod eſt in illo; & vitas Dei iram, & nihil in te requiris. De ciuitate pacis cœleſti Hieruſalem locutus Dominus Ioann. cap. 14. ait: *In domo pa* *Ioan. 14.*
tris mei manſiones multæ ſunt. Expende illud verbum, *manſiones*, quo explicantur ingentes diuerſitates gloriarum. Et mirum eſt, quòd gloria inferior alia poſſet dici manſio; in mundo enim vbi ſunt diuerſæ dignitates, aliæ inferiores aliis, nequit fieri, vt vlla in aliqua fiat vera manſio, quando vix aliquis vnam intrat dignitatem, & ſtatim pergit ad aliam, & requirens ſemper quam non habet, nun-

Auguſt.

quam in aliqua quietus manet. Vndè ergo poteſt fieri, quòd in cœleſti domo tot manſiones inueniantur, hoc eſt, tot gloriarum diuerſitates, aliæ aliis inferiores, in quibus ſingulis ſic quiſque quietus maneat, vt nullam moleſtiam inferat, aut patiatur pro acquirenda alia? Id naſcitur ex eo, quòd quiſque ſuum putat, quòd bonum videt in fratre. Ait Diu. Gregor. PP. libro 4. Moralium. 31. fatus: *In ipſis manſionibus erit aliquo modo ipſa diuerſitas concors: quia tanta vis amoris in illa pace nos ſociat: vt quod in ſe quiſque non acceperit, hoc ſe accepiſſe in alio exultet.* Non dolet, ſed exultat quiſque pro eo, quo caret, cum videat illud in fratre exiſtere; & quod in fratre exiſtere videt, ſic reputat ſuum, vt quaſi de re propria gaudeat de illo.

Gregor.

§. XXXIV

In rebus maximi ponderis minimè verborum ſplendor requirendus.

ADhuc mirari non deſinam, quòd dum linguæ tarditatem, & ruſticitatem Moyſes obiicit, mereatur incurrere iram Domini. Ait enim textus: *Iratus Dominus in Moyſem, ait,* &c. Et cur iraſceris Domine in eum, qui humiliter notiſſimum linguæ impedimentum refert, quod muneri putabat damnoſum? Mandabatur Moyſi munus de aſſerenda diuina potentia coram populo, coram Pharaone; in re autem tanti ponderis, in qua erat populi ſalus, & libertas, & Pharaonis vita, culpæ vertitur, quòd requiratur ſplendor, & pompa ſermonis. Ex quo ſapienter Arnobius contra gentes lib. 1. premit eos, qui in Chriſtianæ Fidei præconibus requirebant lumina ſermonum: *Pompa iſta ſermonis, & oratio miſſa per regulas, concionibus, litibus, foro, iudiciiſque ſeruetur; detúrque illis, imò qui voluptatum delinimenta quærentes, omnes vnum ſtudium verborum in lumina contulerunt. Cùm de rebus agitur ab oſtentatione ſubmotis, quid dicatur, ſpectandum eſt, non quali cum amœnitate dicatur, nec quid aures commulceat, ſed quas afferat audientibus vtilitates. Enimuerò diſſoluti eſt pectoris in rebus ſeriis quærere voluptatem, & cùm tibi ſit ratio cum malè ſe habentibus, atque ægris, ſonos auribus infundere dulciores, non medicinam vulneribus admouere.* Expende illud: *Diſſoluti eſt pectoris*, &c. Vt videas, quantæ culpæ vertat Arnobius, quòd in rebus maximi ponderis deſideratur, & requiratur ſplendor ſermonis. Quam vitans Paulus 1. ad Corinth. 2. aiebat: *Veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuntians vobis teſtimonium Chriſti: Et ſermo meus prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis.* Vir alioquin ſapiens, & eruditus, & qui linguarum dono pulchrum poſſet ſtruere ſermonem, vbi Chriſtianas virtutes perſuadere conatur, ſtatim rhetorum fluminibus Saluatoris fontes præponit. Et quidem Æſter cap. 10. *Fons paruus in lucem Solémque conuerſus eſt*: & Iſaiæ cap. 18. *Dirupuerunt flumina terram eius*, Vt paruus fons ad lucem, & fluminà ad direptionem terræ dari ſolent, ſic flumina rhetorum nocent, & linguæ moderamen maximè prodeſt. Quò aſpiciens Nazianzen. orat. 15. ait: *Profectò nec maior pluuiæ vis minore vtilior eſt, cùm illa ob vehementiam ſuam terram abſtrahat, atque ipſa etiam ſorte agricolam mulctet: hæc autem ſenſim ac leuiter labens, & ad ima vſque penetrans, agrum pinguem reddat, atque agricolam commodo afficiat, ſpicámque ad maturum fructum alat. Nec item in ſermonibus, is, qui vberior, ac copioſior eſt, ſapientiore fructuoſior, & conducibilior eſt. Ille enim poſtquam exigua voluptate auditorem affecit, abſceſſit, ſimulque cum percuſſo aëre ſolutus eſt; ac per linguæ leporem auidis auribus perſtigias quaſdam effudit; hic autem in mentem penetrauit, atque ingentem paucis ſyllabis ſegetem edidit.* Itaque non rhetorum fluminibus nimis inſiſtendum tibi eſt, niſi velis terram humanorum animorum obruere, quando flumina terram diripiunt, & à linguæ leporibus potius naſcantur perſtigiæ, quàm ſeges vlla. Fructus autem vberior venit ab iis, quæ oculis, quàm ab iis, quæ auribus ingeruntur. Vt dicat Pſalm. 110. *Initium ſapientiæ timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Ex quo Nazianzen. orat. 15. ait: *Præſtantior eſt pulchritudo ea, quæ oculis cernitur, quàm quæ ſermone pingitur; & ſapientia, quæ per opera demonſtratur, quam quæ ſermone nitet, ac ſplendeſcit. Intellectus enim bonus, inquit ille, omnibus facientibus eum, non autem prædicantibus.* Non ex concionis pulchritudine claritudo oritur, ſed ex operum ſplendore. Vndè eleganter Diuus Athanaſius homilia de ſemente: *Quid refert, ſi Græcè loquamur, & animo barbari ſimus? Quid prodeſt, ſi concinnus eſt ſermo, & mores ſint inconcinni? Multò præſtantius eſt neſcire Græcè hiſcere, & legem Dei in corde poſſidere. Si enim Eccleſia eſſet auditorium rhetorum, opportuna res eſſet eloquentia; ſed, quia certamen de moribus, & de fructificatione propoſitum eſt, & cœlum eſt, quod expectatur, non lingua requiritur, ſed mores boni.* Sic ibi.

Arnob.

1. Cor. 2.

Æſter. 10.

Nazian.

Pſal. 110.

D. Atha.

§. XXXV.

Linguæ ſplendor, & diſſertitudo ad modicum valet in re virtutis.

ECce tibi Aaron eloquens eſt Dei teſtimonio, Moyſis autem impeditioris linguæ eſſe concluditur, quid inde? Sanè eloquentiſſimo Aaroni ſolùm mandatur, quòd loquatur, ait enim: *Ipſe loquetur pro te ad populum*; Moyſi autem creduntur diuina omnia, & efficienda ſigna: *Tu autem eris ei, in iis, quæ ad Deum pertinent. Virgam quoque hanc ſume in manu tua, in qua facturus es ſigna.* Diuinorum tractatio, ſignorúmque effectio vni Moyſi impeditioris viro linguæ creduntur; eloquenti Aaroni nihil aliud præter loquelam committitur. Cur non magis eloquentiæ fiditur? Hoc eſt ingenium diuinum, quòd in re virtutum parum, aut nihil eloquentiæ committat. Accipite Diuum Paulum 1. ad Corinth. 13. loquentem: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & nouero myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Quibus illud maximè venit notandum, quòd cùm cætera dona proponuntur, ſimul proponuntur cum multis effectibus ſuis, fidei donum proponitur cum eo, quòd montes transferat: prophetiæ donum proponitur cum cognitione myſteriorum omnium, & omnium ſcientiarum, ſolùm donum linguæ proponitur ſine effectu aliquo. Et quidem hoc linguæ donum eſt, quod poteſt omni effectu nudari. Ait Diuum Chryſoſtom. homilia 32. in præſenti. *Vide vt rurſus etiam hic linguarum æſtimationem depreſſit. In prophetia magnum quoddam oſtendit momentum, myſteria, ſcientias omnes noſſe, in fide rem non mediocrem, montes transferre: ſolum linguarum donum poſuit nudum.* Hoc ſanè linguarum donum, quo quis ſplendidè, & copiosè loquatur, infirmius quid eſt, & nudius in re virtutis, nec adeò valet ad edendos animi veros fructus. Vnde ipſe Paul. 1. ad Corinth. 2. ait: *Veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ annuncians vobis teſtimonium Chriſti.* Et quando veniebat in ſublimitate virtutum, cur non veniebat in ſublimitate ſermonis? An qui mortuos ſuſcitabat, & mutos loqui faciebat, non poſſet eloquentiam præſtare linguæ ſuæ?

1. Cor. 13.

Chryſoſt.

1. Cor. 2.

Pe-

Poſſet equidem, ſed ab eloquentia abſtinuit, vt à re inutili. Ait Diuus Chryſoſt. hom. 6. in præſenti: *Cuius veſtimenta mortuos ſuſcitarunt, & vmbræ morbos expulerunt, longè magis illius anima pollere facundia potuiſſet. Sed noluit ita Deus, quoniam nullam attuliſſet vtilitatem.* Cauit Deus in prædicatore ſuo facundiam, vt quæ vtilitatem afferat nullam. Hinc Nazianzen. orat. 3. Iuliani Imperatoris turpiſſima facinora deteſtans, ſimul eius præceptores irridens, ait: *Hæc ipſa Platones, & Chryſippi, & venerandus Peripatus, & Stoa, & ſcita illa ſonoro gutture fundentes, edocuerunt. Hæc geometriæ æquitas, & de iuſtitia ſermones. Hæc egregij magiſtri, & imperij defenſores, & legiſlatores, quos ex triuiis, & barathris ſibi collegerat. Quorum non vitam, aut mores laudauerat, ſed facundiam ſuſpexerat. An non hos ſuſpicere, atque admirari par eſt, qui ciuitates etiam, quæ re ipſa conſtrui, ac coagmentari nequeunt, ſermone fingunt.* Expende, quò perueniant rhetorum ſtudia, & facundiſſimi philoſophi, nimirùm, vt vitia foueant, vt illas ciuitates oratione demonſtrent, quæ reipſa minimè eſſe poſſunt: Chriſti diſcipuli, etſi idiotæ, etſi barbari ea docuerunt, quæ facta ſunt, & in quæ traxerunt vniuerſum Orbem maximo ipſius Orbis bono: at facundi illi quas vrbes effinxerunt, minimè conſtrui, & coagmentari poſſunt.

Chryſoſt.

Naz.

Exod. 4. Abiit Moyſes & reuerſus eſt ad Iethro ſocerum ſuum, dixítque ei: Vadam, & reuertar ad fratres meos in Ægyptum, vt videam, ſi adhuc viuant. Cui ait Iethro, vade in pace. Dixit ergo Dominus ad Moyſem in Madian: Vade, & reuertere in Ægyptum, mortui ſunt enim omnes, qui quærebant animam tuam. Tulit ergo Moyſes vxorem ſuam, & filios ſuos, & impoſuit eos ſuper aſinum, reuerſúſque eſt in Ægyptum, portans virgam Dei in manu ſua.

§. XXXVI.

Nullus ad imperium aptior, quàm qui ſub legibus, & obedientia ſcit viuere.

IMperatorium animum indutus ex Deo, vt Iſraëlem educat de Ægypto, hunc primum in executione muneris ſui greſſum facit, vt ſoceri ſui facultatem exquirat: *Reuerſus eſt ad Iethro ſocerum ſuum, dixítque ei, vadam, & reuertar ad fratres,* &c. Apud Lucam cap. 9. dicenti iuueni: *Permitte mihi primùm ire, & ſepelire patrem meum.* Reſpondit Dominus, qui vocauerat: *Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos, tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* Idem Deus erat, qui vocauerat Moyſem, & qui vocauerat hunc adoleſcentem; & adoleſcenti non permittitur ire in paternam domum, ſed omnia humanitatis iura obliuiſcens trahitur in executionem vocationis ſuæ. At Moyſes longè aliter facit ex Deo, à quo vocatus in Ægyptum ſuſpendit executionem vocationis, & ad domum paternam redit, nec viam adornat, donec humanitatis iuribus ſatisfaciat, & ſoceri licentiam obtineat. Cur cùm adoleſcens renuntiat iuribus humanitatis, vt ſequatur vocationem diuinam, Moyſes vocationem ſuſpendit, vt ſatisfaciat humanitatis, & obſequij debiti iuribus? Mittebatur adoleſcens ad annuntiandum regnum cœleſte, cui cedere debent humana iura, mittebatur Moyſes ad Iſraëliticum imperium ciuile, ad quod nullo melius diſponebatur, quàm ſatisfaciens omnibus humanitatis & ciuilitatis iuribus, viuénſque ſub illis. Et fallor, ſi quis aptior poteſt ad imperium inueniri, quàm qui nulli legi, nulli iuri ſe nouit ſubducere. De mundi dominatore populo Romano hanc virtutem extollebat 1. Machab. 8. vbi ſic: *Omnes obediunt vni.* Ecce tibi in natione ad Orbis imperium deſtinata, dempto vno, omnes ſub legibus viuunt. Quò ductus Araulphus Gothus maluit in Romanis regnum ſtabilire, quàm in Gothis hominibus gẽtis ſuæ. Rem ſic oſtendit Paulus Oroſius lib. 5. in fine: *Beatiſſimo Heronymo referente audiui militem ſtrenuum Narbonenſem familiariſſimum Araulpho apud Narbonam fuiſſe: ac de eo ſæpe ſub teſtificatione didiciſſe, quòd ille, cùm eſſet animo, viribus, ingenióque nimius, referre ſolitus eſſet, ſe in primis ardenter inhiaſſe, vt obliterato Romano nomine, Romanum omne ſolum, Gothorum imperium, & faceret, & vocaret: eſſétque, vt vulgariter loquar, Gothia, quod Roma fuiſſet, fierétque tunc Araulphus, quod quondam Cæſar Auguſtus. At vbi multa experientia probauiſſet, neque Gothos illo modo parere legibus poſſe propter effrænatam barbariem, neque Reipublicæ interdicere leges oportere, ſine quibus Reſpublica non eſt Reſpublica, elegiſſe ſe ſalutem, vt gloriam ſibi de reſtituendo in integrum, augendóque Romano nomine, Gothorum viribus quæreret, haberetúrque apud poſteros Romanæ reſtitutionis auctor, poſtquam eſſe non poterat immutator.* Quid ſapientius à cordatiſſimo Principe, aut dici, aut excogitari potuit? Et Gothus ipſe erat, & Gothorum genti addictiſſimus, & Romanis infenſiſſimus, quos funditùs perdere amaret, vt ſuos exaltaret. Vbi autem expertus eſt Gothos ſuos exleges homines eſſe, qui nulli ſcirent attendere iuri, è contra Romanos maximè legibus obtemperantes, Gothos maluit Romanum imperium conſeruare, quod minimè durare poſſet ad homines exleges tranſlatum. Sic ratio ipſa cuique perſuadet, illum ad imperium habendum meritò ordinari, qui ſcit omnibus legibus, & ſtatutis reuerentiam præſtare. De Deo cœleſtium Principum æternante principatum, ſic dicebat Paul. ad Epheſ. cap. 1. *Et conſtituens Ieſum in cœleſtibus ſuper omnem principatum, & poteſtates,* &c. Et quãdo Ieſum conſtituit Deus in cœleſtibus, vt eius nutui omnes principatus pareãt, an fecit hoc, vt principatus cœleſtium ciuium euacuaret? Abſit, imò nunquam firmiùs æternantur principatus, quàm vbi ſub legibus ſciunt ambulare. Pulchrè ad hæc D. Bern. lib. 5. de conſideratione ad Eugen. fatur: *Quid hoc ad ſummum ſempiternum, ſingularéque dominium? Præſunt principatus, & regunt, ſed reguntur & ipſi, ita vt regere iam non norint, ſi regi deſierint.* Expende vnde D. Bernard. commendet, vt ſummum, ſingulare, & ſempiternum dominium, nimirùm ex eo, qui principatus regi ſciat, & ſub legibus viuere. Et quando finietur regnum, cuius Princeps nulli vrbanitatis, humanitatis, aut honeſtatis legi ſe ſubducit?

Paul. Oroſ.

Eph. 1.

D. Bern.

§. XXXVII.

Ille aptus imperio, qui domeſticas rectè adminiſtrat curas.

ECce tibi Moyſes electus in tanti populi Principem, adhuc in ſoceri domum pergit, eiúſque licentiam ſolicitat; vxorem ſuam, filióſque ſuos conuenit, eóſque ſic accommodat, vt poſſint proficiſci. Ait enim: *Tulitque Moyſes vxorem ſuam, & filios ſuos, & impoſuit eos ſuper aſinum.* Non abſtulit virum regale munus à demeſticis curis; quin potius vbi ad imperatoriam functionem eligebatur, nil prius curat, quàm res domeſticas aptare, vxori, liberíſque proſpicere, in eo enim maximè oſtenditur regale ingenium ad publicas curas, ſi quis ſciat domeſticis rebus iuſtam impendere curam. De Ioſepho ad Ægyptiorum regnum deſtinato à Deo, ait Gen. 49. vt fuerit vẽditus à fratribus, vt emptus ab Iſmaëlitis, vt ductus in Ægyptum, vt ibi iterum emptus à Putiphare, apud quem maximam gratiam inuenerit; imò: *A quo præpoſitus omnibus, gubernabat creditam ſibi domum*, &c. Ecce tibi qui ducebatur

batur in regale munus, vt prius detinetur, ſic Deo prouidente, in domus adminiſtratione. Ille enim præclarus oſtenditur ad regni adminiſtrationem, qui in domeſticis curis probatur optimus. Pulchrè ait Philo lib. de Ioſeph: *In ſpecie ab emptore ſuo domui præfectus eſt; reuera autem a natura conciliante illi magnæ gentis, ac regionis principatum. Oportebat enim futurum adminiſtratorem Reipublicæ præexerceri in rebus œconomicis, nam & domus eſt parua quædam ciuitas, & œconomia compendiaria Reſpublica. Vndè facilè diſcimus eundem eſſe aptum, & diſpenſationi domeſticæ, & adminiſtrationi publicæ.* Philo. Ridendus ſanè eſt, qui cùm neſciat domeſticas ſubire curas, ſeſe publicis ingerit. Imò irridendus eſt, qui cùm quatuor filiorum, & totidem ancillarum nunquam norit diſponere greſſus, feſtinet, vt commentum diſponat exercitibus; cùm nulla lege ſciuerit tenere domeſticos, præſumat ampliſſimæ Monarchiæ dare iura. Cùm ſemper ſubſtantiolam domeſticam ære alieno preſſam tenuerit, iactet ſe imperio æris alieni leuamen allaturum. Cùm debita propria nulli ſoluat, amet haberi hominem, qui neminem in regno pati velit iniuriam. Cùm nunquam domui ſuæ, vel obolum acquiſiuerit, ſed dilapidata omnia domeſtica oſtendat, in conſilia de augendis, ampliandiſque regnis velit venire. Oportet equidem præexerceri in rebus œconomicis, & ſtrenuum ſe oſtendere in domeſtica adminiſtratione, qui vult aptus haberi ad regalia munera ſubeunda. Hinc Ezechiæ læthaliter languenti ait Iſaias cap. 38. ex Dei nomine: *Diſpone domi tuæ; morieris enim tu.* Iſai. 38. Et quidem Regi maximo in primis conſulendum erat, quòd diſponeret regno, & id præcipuè mandandum erat Ezechiæ, qui cùm filium non haberet, niſi clarè, & apertè omnia circa regni ſucceſſionem, & adminiſtrationem reliquiſſet, non parua orirentur regno incommoda. Id, quod notat Abbul. 4. Reg. 20. quæſt. 4. Cur ergo Iſaias Regi moribundo nihil de regni diſpoſitione mandat, ſed de domus diſpoſitione? Hoc eſt primum, & principale in homine, quòd ſciat proſpicere domui, domeſticiſque rebus optimè conſulere; qui hæc ſciat, non eget moneri de regno, illud enim quàm aptiſſimè tractabit, & diſponet. Fallar enim, ſi qui dolet in perditione domus, & gaudeat in eius reparatione, non magis doleat in regni perditione, & magis gaudeat in eius reparatione. Rex Niniue cum tota curia ſua ad vocem Ionæ contremuit, & miſerè lugebat regni perditionem; Ionas autem, qui totam illam calamitatem induxerat, nihil patiebatur humanum in tanti regni perditione. Quid tunc? Ex virentibus cuiuſdam fructicis foliis tuguriolum ſibi inuenerat Ionas, ſub quo ſecuriùs iacebat contra Solis ardores. At Deus præparauit vermem, qui tugurioli hederam roderet: *Et percuſſit hederam, & exaruit.* Et cur Deus, qui feceras Prophetæ tuæ tuguriolum ex hedera, tam ſubitò illud perdis? Si deſtructurus illud eras adeò breui, cur illud ædificaueras? Præparabat Dominus Ionam in Saluatorem regni Niniuitarum, & cùm videret hominem nudum ſine domo, in primis extemporaneam illi domum de hedera fabricauit, quam ſtatim perdidit, vt In variis proprij tigurioli ſucceſſibus ſpeculum haberet, vnde diſceret & condolere, & proſpicere regno, & ciuitati Niniuitarum. D. Ephr. Ait D. Ephræm ad Ionam legens pro hedera cucurbitam: *Figuram, & vmbram tibi viuæ ciuitatis præbeo in cucurbita arefacta. Cucurbita tibi nunc loco magiſtri efficitur, ex qua ſapientiam, & prudẽtiam addiſce. Tugurium tuum ſit ſpeculum ciuitatis. Tugurium abiectum quæris, & vrbem funditùs euertis? Vbi rectum iudicium tuum?* Non mouearis, quòd Ionæ detur domus ex cucurbitarum foliis compacta; quæcunque enim domus ſit, licèt parua, licèt vilis, ſummum habet magiſterium, vt ex eius adminiſtratione diſcat homo, qualis futurus ſit in adminiſtratione ciuitatum. Scitè enim dicitur illud: *Tugurium tuum ſit ſpeculum ciuitatis*; nequit enim rectũ iudicium eſſe in homine illo, qui cùm domui propriæ augendæ incumbat, totus ſit in minuendis ciuitatibus; cùm inſtet domui propriæ implendæ bonis, multus ſit in regnis euacuandis. O bone, tugurium tuum ſit ſpeculum ciuitatis! Diſce in domo tua, qualiter es adminiſtraturus ciuitates. Quòd ſi nec in domo tua ſcis præcauere mala, firmare bona, neque ad regni adminiſtrationem aliquid vales. Illud optimè obſeruatum à Paulo, dum 1. ad Thimoth. 4. ait: *Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit: & quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* 1. Tim 4. Quibus & ego addiderim, quòd ſi quis domui ſuæ rectè præeſt, & longè aliter in adminiſtratione publica agit, is rectum iudicium non habet.

§. XXXVIII.

Eo ſint homines animo, vt ſi aliqua vi diſiungi cogantur, hac ablata facilè, & promptè redeant ad primam vnitatem.

ECce tibi quàm paucis Dominus Moyſi reditum ad ſuos perſuadeat: *Vade, & reuertere in Ægyptum, mortui ſunt enim omnes, qui quærebant animam tuam.* Coactus fuerat Moyſes abire à ſuis metu mortis per Pharaonem ſibi intentatæ; nunc Dominus, vt reditum perſuadeat, hoc vnum proponit, quòd mortuo Rege, omnis abſit periculi occaſio. Et cur aliam etiam vrgentiorem rationem non addidit? Eo erat Moyſes in ſuos animo, vt ablato impedimento, citiſſimè ad illos remearet. Et vtinam omnes induerent erga proximos hunc animum, vt impedimento ablato, in eorum currerent vnionem, & charitatem. Quò reſpiciens Deus populos hominum per aquas deſignabat, Apocal. 17. *Aquæ, quas vidiſti, populi ſunt.* Apoc. 17. Et cur populi deſignantur in aquis? Aquæ ſi per aliqua diuidantur, hoc habent, vt vi ablata, facili negotio ad ſuam priſtinam redeant vnitatem. Exodi cap. 14. iubebat Dominus Moyſi: *Tu autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare, & diuide illud.* Exod. 14. Quod & factum eſt, eleuante enim Moyſe virgam, & extendente manum, mare diuiſum eſt, vt pertranſiret Iſraël; tunc iterùm ait Dominus ad Moyſem: *Extende manum tuam ſuper mare, vt reuertantur aquæ*, &c. Vt diuiderentur aquæ, & virga, & manus Moyſis eleuatur, vt aquæ reuertantur, nihil de virga dicitur, ſed ſola manus extendi mandatur, ea eſt námque natura aquarum, quæ vt diuidãtur vel virgæ ictibus egent; vt autem in primam vnionem reuertãtur, ſolùm indigent, vt cauſa diuiſionis non appareat. Quò ſpectabat Nazianzen. orat. 3. fatus: *Mare, tum ad virgæ ictum cedens, tunc ad ſermonem rurſus coiens.* Nazian. In tantum durauit diuiſio aquarũ, in quantum virgæ percuſſio apparuit; vbi hæc ceſſauit, rurſus aquæ ad ſermonem coiêre. Sed vt coirẽt rurſus aquæ, nullum ſermonem fecit Moyſes, ſed tantùm extendit manum: ad qualem ergo ſermonem coierunt? Coierunt equidem ad ſermonem, non ad ſermonem à Moyſe prolatum; ſed ad ſermonem dictum à Deo in prima conditione aquarum vbi dixit Gen. 1. *Congregentur aquæ.* Quippè ait Elias Cretenſ. Nazianzenum explicans: *Quod autem aqua rurſus ad ſuum locum curreret, & conflueret, id verò naturæ aquæ erat, ac ſermonis ab initio ipſi ab artifice Verbo dicti.* Elias. Sic verba vnionis à Deo aquis antiquitùs data conſeruabantur ſculpta naturæ earum, vt non egeant aliis aquæ ad hoc, vt ſeſe vniant, & congregent in vnum, niſi vt impedimentum tollatur. In quo præclarè oſtenditur fidelium populorum præſtantia; qui quidem vt diuidantur, multa opus eſt violentia; at vt ad concordiam reducantur, dum violentia abſit, ſufficit vel verbulum à Deo datum.

Exod. 4. Dixítque ei Dominus reuertenti in Ægyptum; Vide, vt omnia oſtenta, quæ poſui in manu

manu tua,facias coram Pharaone:ego indurabo cor eius,& non dimittet populum. Dicéſq; ad eum : Hæc dicit Dominus:Filius meus primogenitus|Iſraël. Dixi tibi : Dimitte filium meum, vt ſeruiat mihi,& noluiſti dimittere eum : ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.

§. XXXIX.

Poſt perfectas vniuerſas diligentias in quolibet effectu quieſcendum tibi eſt.

MOnetur Moyſes,vt perficiat omnia,quę ad molliendum Pharaonis animum inuenta ſunt, nec vlli elemento parcat,ſed omnia turbet,omnia commoueat,& protentis impleat:*Vide,vt omnia oſtenta,quæ poſui in manu tua, facias coram Pharaone.* Et quid inde? *Ego indurabo cor Pharaonis*:Deo ſubmouente plura auxilia, & habenas contrariis affectibus permittente in Pharaone, indurabitur cor eius, ne populum dimittat. Et quando indurandus eſt Pharao, ne quid boni fiat, cûr ſic præmonetur Moyſes,vt omnia oſtenta perficiat coram illo;vt nihil prætermittat eorum, quibus poſſet emollire Pharaonis animum? Sícne amat Dominus Moyſem affligere, vocans illum ad opera, quæ ſimul oſtenduntur fruſtranea? Abſit,non enim hoc mandatũ Dei eſt affligentis Moyſem, ſed erudientis,vt quis debet eſſe promptus,& exactus in adimpletione omniũ, quæ ad ſe pertinent,pro bono aliquo præſtando;in effectu autem,quicunque ille fuerit,æquè ſe conformet Dei voluntati, quin velit aliud. Rem ſanctiſſimè ab Iſaaco videbis peractam Gen. 27. Is amabat filium ſuũ Eſau natu maximũ, cui vt primogenij benedictionem donaret, quid non fecit? Vocat hominem, petit de eius manu captam venationem, vt manducet, quam vbi ſibi allatam celeriter ſenſit,fallaciam ſuſpicatus,tẽtat afferentis manus,& colla,ora oſculatur,vt veſtimẽtorum odorem captet,poſt omnia,animaduertens non Eſau,ſed Iacobum fuiſſe benedictum ; ait ad dolentem Eſau:*Benedixi ei,& erit benedictus.* Cur,bone,non magis factum reuocas, quando euentum vides tuis diligentiis,& curis prorsùs contrarium? Sancti viri hoc curant, vt nulla diligentiarum prætermittatur pro bono aliquo,ſiue habendo,ſiue præſtando, poſt omnes autẽ diligentias impletas,in quouis effectu ſecuto,licèt contrarius ſit, æquè ſeſe conformant Dei voluntati, nihil aliud amãtes. Sic in præſenti de Iſaaco dicebat Theod. in cat. Græca: *Deceptus enim,quando minimè decipi credebat ; ſiquidem omnium rerum periculum faciens, ita vt manibus etiam iuuenem attrectaret, nihil tamen, cognitis inſidiis,immutare voluit.* Quid ſanctius? Quæ ad ſe pertinebant, diligentiarum nullam prætermiſerat,pro benedicendo filio nato maximo;poſt illas vniuerſas completas ſe noſcens effectu fruſtratum prorsùs,quieuit in effectu adeò contrario, nec quid facere voluit pro illo immutando.Quò ſpectat illud Ieremiæ cap. 51. vbi dicitur? *Subitò cecidit Babylon,& contrita eſt:vlulate ſuper eam,tollite reſinam ad dolorem eius, ſi fortè ſanetur. Curauimus Babylonem,& non eſt ſanata:derelinquamus eam,& eamus vnuſquiſque in terram ſuam.* Vox eſt hęc Angelorum cuſtodum,quibus credita erat Babylonis reprobæ curatio, & quibus iniuncta fuit impoſitio malagmatũ. Inſtant illi curationi,nullam prætermittunt diligentiã, nulli officio parcunt,videntes autem fruſtratos labores ſuos,clamant : *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam,& eamus*,&c.Cur non magis dolent in perditione ciuitatis tantæ? Cur non magis perditam operam plangunt?Cur ſic abeunt,quaſi nihil euenifſet mali? Ad illos non pertinebat effectus ſequendus, ſed diligentia præſtanda,vbi autem omnia artis,& medicinæ remedia præſtiterunt, nihílque in ſuis diligentiis defectuoſum,aut criminoſum habent,æquè in effectu contrario lætantes,in ſua abeunt. Id explicatiùs proponit Orig.hom.2. in Hierem. fatus : *Non ſcientiam artis ſuæ, neque reſinæ vim criminantur Angeli, ſed vident ſe operam perdere,cùm loquuntur inuicem, & dicunt : Relinquamus eam,& abeamus vnuſquiſque in terram ſuam,hoc eſt, credita nobis eſt à Deo medicina,vt animam curemus humanam, adhibuimus adiutorium, medicinam impoſuimus,ſtudium noſtrum non ſequitur effectus. Relinquamus eam*, &c. Expende illud : *Studium noſtrum non ſequitur effectus.* Non detrectant ſapientiſſimi Angeli ea fateri, quibus labores ſuos oſtendant effectu fruſtratos;quãdo enim nullum defectum in ſuis diligentiis verentur, quòd effectus aliter eueniẽt,nihil ad eos attinet.

Orig.

Theodor.

Ier.51.

§. XL.

Nemo primus in aliquo facinore apud Deum fuit, qui aliqua excellentia non notetur.

VIde vt pro Iſraële adſtat Dominus,cuius libertatem petit,cuius perſecutoribus mortem minatur, & vnde Iſraël tantum protectorem,& ſaluatorem meruit?Ipſe ait:*Filius meus primogenitus Iſraël*,&c.Nullus ante Iſraëlem populus diuinas accepit leges ; ipſe primus fuit, qui diuinis initiatus Sacramentis ſeſe ab aliis in diuinum peculium ſecreuit. Et meritò vt fuit primus in Dei ſigno accipiendo,ſic ſingularem excellentiam ex Deo meruit, quando nullus eſt primus in aliqua virtute ex Deo, qui etiam non inſigniatur aliqua excellentia. Matth. 1. vbi Ieſu progenitores recenſentur,ait textus:*Ieſſe autem genuit Dauid Regem. Dauid autem Rex genuit Salomonem, ex ea quæ fuit Vriæ.Salomon autem*, &c. Sed & Matth.23. ait Dominus ad Iudæos: *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine iuſti Abel, vſque ad ſanguinem Zachariæ*, &c. In primo vnus Dauid dicitur Rex,& cũ Salomon longè præſtantius regnum obtinuerit, Rex minimè dicitur. In ſecundo etiam vnus Abel iuſtus nominatur, & cùm Zachariae propter iuſtitiam occubuerit, non accipit nomen iuſti. Et cur præ Salomone Dauid Rex, & præ Zacharia Abel iuſtus nominatur, tantóque vocabulo inſignitur?Ille primus ad regnum, & Abel primus ad martyrium venit,ex quo in glorioſiores deuenerunt titulos.Ait D.Auguſt.lib.1. de Mirabilibus ſacræ Scripturæ,cap.3. *Ieſſe autem genuit Dauid Regem.Dauid autem Rex genuit Salomonem : cui non additur Regem, cùm Salomon patris regno teneret maius imperium.Sed ex hoc intelligitur patris ſui Dauid regnum Salomon hæreditario iure poſſidere, & ad Dauidem honorem regni plus pertinere,quòd & Abel in iuſtitia hominum primatum tenuit, quòd primus in terra iuſtus fieri cœpit.* Qui primi in aliqua virtute Deum vocantem ſequuntur, ij procul dubio præ cæteris debent præſtantiori aliquo inſigniri titulo. Quis enim apud Deum primus venit in virtute,& aliquid nõ recepit inſigne?Ex Ioan. 20. habes Magdalenam docentem diſcipulos, quòd Dominus reſurrexerit,ait enim : *Venit Maria Magdalene annuntians diſcipulis:Quia vidit Dominum.* Quod notans D.Cyril.Alex.lib.12.in Ioan.cap.52. fatur:*Curatur mulierum infirmitas miſericordia Domini, qui Magdalenam reſurrectionis nuntiam fecit,ac primitias Euangelij diſcipulis prædicare miſit.* Vt ſapiens Doctor vidit in mulieris ore primum reſurrectionis nuntium, ſtatim credidit totam mulierum infirmitatem curatam fuiſſe. Hoc fecit Deus, vt mulierum infirmitati proſpiceret, dedit mulieri, quòd prima Ieſum videret ſuſcitatum, quòd prima reſurrectionis proferret nuntium, quo in muliebri genere nihil non apparuit & præcellens, & illuſtre.Recèns natum Ieſum prima Ægyptus ſuſcepit, vt defenderet;ſic enim habet Matth.2. *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Et quis numeret ex tunc glorias Ægypti,quòd ſuſceperit,& defenderit Ieſum prima? Ait D.Chryſ.hom.8. in Matth. *Ægyptus ſuſcipit,*

Matt.1.

Matt.23.

Aug.

Cyrill. Alex.

Matt.2.

Chryſoſt.

ſuſcipit, ac tuetur inſidias fugientem tyranni. Námque tactu ipſo Domini guſtum quendam ſanctificationis adipiſcitur: vt cùm illum audierit ab Apoſtolis prædicari, huius quaſi priuilegij honore decoretur, quod Dominum prima ſuſceperit. Denique ſi quis nunc ad Ægypti veniat ſolitudines, paradiſo prorſus omnem illam eremum videbit digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus, & populos martyrum, & choros virginum, & omnem Diaboli tyrannidem ſolutam, & regnum Chriſti coruſcans. Pergit ſanctus vir glorias Ægypti recenſens, ex quo prima & ſuſcepit Ieſum, & defendit; nunquam enim primus ad aliquam virtutem venies ſine lucro ingenti. Quò refero dicta ſuprà tom. 1. in vetus teſtam. lib. 1. cap. 3. §. 6. & lib. 4. cap. 1. §. 45.

§. XLI.

Temporalia bona quò prius florent, eò citius euaneſcunt.

ILlud maximè notandum eſt in præſenti, quòd carnalis, & temporalis populus dicatur filius Dei primogenitus: *Hæc enim* dicit Dominus: *Filius meus primogenitus Iſraël.* Et quidem ante Iſraëlem fuerunt Sethi filij, qui pleno ore vocabantur filij Dei. Habes enim
Gen. 6. Gen. 6. *Videntes filij Dei*, &c. vbi Auguſt. Theodoretus, Chryſoſt. in filiis Dei filios Seth intelligunt; de quibus ait Gennadius in cat. Lypp. *Filios Dei filios Seth eſſe ego arbitror, vtpote erga quos ipſe affectum paternum, & curam ſingulariter oſtenderit. Quales, & Iacob, & poſteri dici poſſunt, ait enim apud Iſaiam: Filios enutriui, & exaltaui.* Quando ergo Sethi filij ante Iſraëlitas iam vocabantur filij Dei, cur Deus maluit & nomen, & bona primogenituræ Iſraëlitis attribuere, inquiens: *Filius meus primogenitus Iſraël?* Sanè maluit primogenituram Iſraëli & carnali populo, & perituro; vt oſtenderet, quàm paruæ fœlicitatis ſit carnali homini, quòd in ſuis bonis ferat primas, quando ad temporalia bona, quò prius accedit quis, eò etiam prius diſcedit ab illis. Quò
Zeno. fortè ſpectabat D. Zeno ſerm. 40. de Iudæis, inquiens: *Deus Iſraëli ducatum præbuit, idem à ſua eum facie poſtmodum abiecit.* Fuit primogenitus Dei Iſraëlita, ſed quò prius annumeratus eſt inter Dei filios, inter excipiendos fauores diuinos, eò prius decidit ab omnibus illis. Similiter primam mundi Monarchiam dedit Dominus
Gen. 10. Aſſyriis, ait enim Gen. 10. *Porrò Chus genuit Nemrod: ipſe cœpit eſſe potens in terra: Fuit autem principium regni eius Babylon*, &c. Sic Babylone cœperunt mortales ſibi regna ſtatuere, leges condere, populos ſubiugare, & eo peruenit regalis tyrannis, vt etiam populum Dei Iſraë-
Iſa. 43. lem captiuum traheret. Tunc Dominus Iſaiæ 43. *Propter vos miſi in Babylonem, & detraxi vectes vniuerſos, & Chaldæos in nauibus ſuis gloriantes.* Quibus ruina Babylonis, & totius Monarchiæ Aſſyriorum per Cyrum facta explicatur, vbi, & muri ſolo æquati ſunt, & portæ detractæ, & ciuitas euerſa, & totum Aſſyrium nomen euanuit. Sed illud venit maximè ponderandum, quod vt Deus eriperet ſuos ab Ægypto, perdidit quidé exercitum Ægyptiorum, non tamen illorum Regiam euertit, nec regnum tranſtulit. Vt autem erueret eos ab Aſſyriorum tyrannide, non ſolùm perdidit exercitum, ſed & Regiam, & totum imperium eorum de terra eraſit. Cur non Ægyptus, ſed Aſſyrius funditùs interiit in Iſraëlitarum libertate? Debebatur Aſſyriis hæc perditio, qui vt primi ad regnum euolauerant, ſic primi
Paul. Oroſius. erant in exitium extremum deturbandi. Ait Paulus Oroſ. lib. 2. cap. 6. Babylonis ruinam demiratus: *Exaggerare hoc loco mutabilium rerum mutabiles ſtatus non opus eſt; quicquid eſt opere manufactum labi, & conſumi vetuſtate, Babylon capta confirmat, cuius vt primum imperium, ac potentiſſimum extitit, ita & primum ceſſit.* Quid euidentius in mortalium vita? Æquali curſu in bona, & in interitum ruitur; quem gradum facis in curriculo fœlicitatis, ſimilem, neceſſum eſt, vt facias in excidij curriculo; ne tibi obblandiaris, quòd prior in bona veniſti; quando qui prior in bonis, & prior ſolet eſſe in excidio. Iobo dicebat poſtremus nuntius cap. 1. *Filiis tuis, & filiabus veſcentibus, & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt.* Vide quæ domus extremam calamitatem excipiat, nimirùm, domus primogeniti fratris. Equidem vniuerſi filij faciebant conuiuia, vnuſquiſque in domo ſua, & in die ſua; cur ergo non alterius, ſed primogeniti domus excepit ruinam, niſi quia debuit, qui prior in bona venit, & prior patere fini? *Iob. 1.*

Exod. 4. Cúmque eſſet in itinere, in diuerſorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eũ. Tulit illicò Sephora acutiſſimam petram, & circuncidit præputium filij ſui, tetigítque pedes eius, & ait: Sponſus ſanguinum tu mihi es. Et dimiſit eum, poſtquam dixerat: Sponſus ſanguinum tu mihi es, ob circunciſionem.

§. XLII.

Qui Deum, vt par eſt, veretur, nihil aliud vereri ſciet.

QVem in Ægyptum trahebat Dominus, venientem inuadit, vt eum occidat, ſic enim textus: *Volebat occidere eum*, nimirùm, *Moyſem*, vt melior ſententia tulit. Cur, Domine, interfectionem moliris eunti ad complendum munus commiſſum? Cur te adeò terribilem oſtẽdis viro, qui in Ægyptum properat, vt tuum imperium adimpleat? Sapientiſſimè Deus ſe terribilem oſtendit Moyſi, & eunti, & Pharaoni verenti; vt Dei ira territus, Deúmque terribilem veritus, nihil inde poſſit vereri in creaturis. Ait Diodorus in cat. Lyppom. *Diodor.* *Id totum factum eſt, vt Moyſes, qui Pharaonis timore correptus erat, adeò vt mittenti ſe Deo diceret; Obſecro, Domine, mitte alium, quem miſſurus es, tanquam ab Angelo interficiendus, mortis ſuæ diſcrimen, quam euaſerat, ſecum in mente circunferret, & timor vehemens, quem illi Angelus incuſſerat, Pharaonis timorem, vt clauus clauum, truderet.* Et quis timens Deum, vt par eſt, aliud timere, aut vereri ſciat? Hoc cura homo, vt tibi ob oculos ſit Dei terribilis ira, & fallar, ſi poſſis aliorum vereri vel rabidiſſimam iram. Nota eſt hiſtoria Eunuchi Candacis Reginæ, qui dum imbueretur myſteriis Fidei à Philippo, venit ad aquæ lacum, cuius conſpectu vehementer appetiuit Babtiſmum. Quid tunc? Actor. 8. *Deſcenderunt* *Act. 8.* *vterque, inquam, Eunuchus, & Philippus, & baptizauit eum.* Et cur Eunuchus magnus Reginæ Princeps non magis veretur nudare ſe coram ſeruis, vt Baptiſmum ſuſciperet? Pulchrè Dionyſ. Carthuſ. ait: *Eunuchus magnam familiam habuit, nec tamen coram illis ſe nudare, ac lauare erubuit, dum coram Deo de propriis verecundabatur peccatis.* *Dionyſ.* Vbi cœpit coram Deo peccata ſua videre, quæ iram merebantur diuinam, eum concepit horrorem, & timorem, quibus nil aliud horrere, aut timere ſciuerit. Vtinam & nos terribilem Dei iram noſtris culpis reſpondentem videamus; in illum horrorem, & verecundiam veniemus, quibus nihil aliud timeamus, & vereamur.

§. XLIII.

Vt Mariæ puritas originalis adſtruatur.

PRoficiſcens cum vxore, & liberis in Ægyptum Moyſes ad eruendos Iſraëlitas de captiuitate, meritò in Angelum incurrit, qui *volebat occidere eum.* Quis enim crederet alios eruendos à captiuitate per illum, à quo & vxor propria, & liberi ferebantur in ſeruitutis locum? Imò ipſe Moyſes ferens vxorem in Ægyptum videbatur non credere ſibi inde proficiſcendum, propter

pter quod malè audiebat apud Deum. Id quod notans
Euſeb. Euſeb. Cæſarienſis apud Lyppom. ait: *Propterea Angelus Moyſem interficere volebat, quòd ſocum vxorem ac liberos ferret, quaſi egreſſionem ex Ægypto minimè crederet.* Speciem profectò non credentis egreſſionem ex Ægypto præſeferebat, qui illuc totam familiam, & vxorem ipſam ducebat. Si enim firmiter crederet, quòd inde egreſſurus erat, & extracturus populum ſuum vniuerſum, minimè permitteret ille ire in locum ſeruitutis vxorem ſuam dilectam. Quid plura? Hac eadem fortiſſima ratione conuincor putare Mariam, & filiam, & matrem, & ſponſam Dei minimè permiſſam eſſe venire in originariæ ſeruitutis ſtemma. Quando enim Deus veniebat in mundum, vt diaboli imperium confringeret, & homines ab eius ſeruitute erueret; vix credi poteſt, ab hoc vindice, & liberatore captiuorum permiſſum fuiſſe matrem, & filiam, & ſponſam ſuam captiuitatem incurrere. Sponſus Mariæ erat, qui diaboli vacuabat imperia, qui ſeruitutis diabolicæ iura reſcindebat, qui eo ipſo, quòd talia, ac tanta peragebat, & extracturus erat à ſeruitute homines vniuerſos, profectò minimè ſineret, quòd eius ſponſa, & filia ſeruitu-
Pſal.8. tem videret. Quod ſpectat illud Pſal. 18. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedit de thalamo ſuo.* Expende connexionem illam; & coniunctionem Dei orientis ex Maria, tanquam ſponſi, & facientis tabernaculum ſuum inſtar Solis. Quod tabernaculum ſolari iubari ſimile perfecit, ex illa tanquam ſponſus proceſſit. Et quid eſt in Sole, in quo, vbi Maria Soli aſſimilata eſt, ſtatim Deus tanquam verus, & per-
Nazian. fectus ſponſus inde exoritur? Rem attigit D. Nazianzen. orat. 43. ſatus: *Cùm in aliis rebus hanc rationem tenuiſſet Deus, vt materiam prius conderet, ac deinde eam forma conueſtiret: hîc, vt maioris cuiuſdam miraculi ſpeciem ederet, formam materia priorem protulit; (forma enim Solis lumen eſt,) ac poſtea materiam induxit, Solem hunc, nimirùm, diei oculum fabricatus.* Formauit equidem Deus cœlum rude, & terram informem, inanem & vocuam, nulla pulchritudine exornatam; & poſtmodum pulcherrimorum accidentium formis omnia conueſtiuit. At in Solis formatione longè aliter ſe geſſit, vtpotè maioris miraculi ſpecimen editurus, in primis enim produxit formam Solis, nempè lucem, dicens Gen. 1. *Fiat lux*; ne obſcuritas corporis ſolaris anteuerteret pulchritudinem luminis, ſed cùm crearetur, iam anteriore luce gauderet. Hoc erat ſpecimen maioris miraculi facti in formatione Mariæ, cùm enim omnes alij informes naſcerentur, priúſque in illis vitiata appareret natura, quàm gratiæ ſplendorem induerent: in
Damaſ. Maria longè aliter factum eſt; nam vt loquitur D. Damaſ. orat. 1. de Mariæ natiuitate: *Natura gratiæ fœtum anteuertere minimè auſa eſt, verum tantiſper expectauit, dum gratia fructum ſuum produxiſſet.* In hoc, & Solis, & Mariæ formationes ſimiles factæ ſunt, in neutris anteuertit formæ ſplendorem vitium naturæ, ſed in vtriſque non antea corporea moles fuit, quàm ſub ſplendenti forma luxiſſet, ne pateretur Mariæ natura aliquid triſte, aliquod diabolicæ captiuitatis inſigne, in quo inſtar perfectiſſimi ſponſi ſe geſſit Chriſtus; qui vt veniebat homines eruturus à mortis vmbra, ſic non paſſus eſt ſponſam in talem vmbram venire. Hinc Mariæ præſeruatio à diaboli captiuitate fecit, vt Deus ex illa, tanquam verus, & perfectus ſponſus appareat. Eò
Baſil.Sel ſpectabat D. Baſil. Sel. orat. 3. *Vnigenitus Dei contrariis medicamentis curans vulnera, de homine corpus, in quod ſe inſinuaret, delibauit, & ſecundùm Adamum ſibi circuniecit. Paradiſo ſolitudinem obiecit, ſerpentinæ fraudi trophæum, quod per hominem contra diabolum ſtatuit, Euæ virginem, & innuptam puellam, quæ ſponſum generauit immortalem.* Expende illa: *Quæ ſponſum genuerauit*, &c. Vſitatiùs diceret: *Quæ filium generauit immortalem*, cur relicto vſitatiori filij agnomine ſpõſum dicere maluit? Commune erat, quòd mater filium generaret, ideò in Maria aliquid magis nouum, & ſingulare ſpectauit, nimirùm, quòd ipſa ab omni macula libera liberatorem mundi perfectum ſuum ſponſum faceret. In quo maximè oſtenditur Euæ contraria; dum enim Eua Adamum traxit in peccatum, illum ſimul peſſimum oſtendit ſponſum, vt qui videns vxorem præcipitari in mortem, & ſeruitutem diaboli, præcipitationi eius conſenſit. Quid magis alienum à bono ſponſo? Sed fecit hoc Euæ perſuaſio; at Maria dum non permittitur à filio ire in communem hominum calamitatẽ, rectè dicitur peperiſſe ſponſum immortalem, quando ex eius libertate, & indemnitate præclarus ſic ſpõſus Chriſtus apparuit.

§. XLIV.

Præſtantes virtute ob errores duriùs à Deo tractari ſolent.

VT liberaret virum à morte Sephora, arrepto gladio, filium circũcidit; quippè ait: *Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circuncidit præputium filij ſui*, &c. Quando ergo propter circunciſionem filij liberatur à morte Moyſes, clarè oſtenditur, ideò in periculum mortis veniſſe, quia filium haberet incircunciſum. Sed qui tantus erat, vt mereretur accipere Dei viſionem in rubo, & eligi in Iſraëlis liberatorem, & Principem, cur ſtatim ad mortem vocatur propter omiſſam circunciſionem filij? Cur non magis diſſimulat Deus errorem in præſtantiſſimo viro? Equidem ſolent præſtantes virtute viri duriorem Dei manum ob errores ſuos experiri. Id fatetur D. Auguſt. in præſenti, quæſt. 16. veteris teſtamenti iam à me explicata. Similiter Act. 4. vbi Anania, & Saphira parùm defraudarunt de ingenti agri pretio, quem vendiderant, & pauperibus diſtribuerant, vbi res peruenit ad Petrum, & ipſe hominem duris verbis exciperet: *Audiens Anania hæc verba, cecidit, & expirauerit.* Et longè iis nequior Simon Magus, qui Dei dona ſpiritualia vendere amabat, factus author Simoniæ, cui tamen dicit Petrus
Actor.8. Actor. 8. *Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto, cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. Pœnitentiam itáque age ab hac nequitia tua: & roga Deum.* Itáque peſſimus homo Simon Magus liber euadit in Petri tribunali, nulla plaga percuſſus, ſed ſolùm monetur, vt pœnitentiam agat; Anania autem multis clarus externis virtutibus, qui ingentia bona pauperibus fuerat elargitus propter Chriſtum, is tantus, ac talis vir propter aliquale pecuniæ furtum ſtatim plectitur, & occiſus decumbit. Cur non magis Simon Magus interficitur?
Petrus Cùm in ſolum hominem fidelem Ananiam Petrus ſic durus exiſtit? Rem attigit OEcumenius ibi fatus: *Conſidera verò & hoc, quomodo ad familiares vehementer afficiantur. Etenim nolunt eos, qui ſpiritualem gratiam adepti ſunt, ac ſuam conuerſationem, fures, ac ſacrilegos eſſe. In extraneis autem non ſunt vſi ſupplicio*, &c. Hoc proprium ſolet eſſe diuini ſpiritus, quòd erga extraneos mirificè patiens ſit, etiamſi videat illos multò fœdatos crimine; verùm eos, qui ſpiritualibus donis fulgent, duriter punit, ſi quod flagitium committant. Hinc etiam Petrus 2. epiſt. 2. memorans priſtini ſæculi ſupplicia, ait: *Nam ſi Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartaram tradidit cruciandos, in iudicium reſeruari*, &c. Et vbi tot ſuppetebant hominum ſupplicia, cur in primis maluit Angelos præuaricatores caſtigatos meminiſſe? Ait OEcumenius ibi: *Non autem temerè à præſtantioribus aggreditur, ſed oſtendere volens, quod hi, dum peccant, magis obnoxij ſunt ſupplicio.* Hoc timeant in erroribus ſuis præſtantes viri, quòd ſoleant per illos certiori patere ſupplicio. Matth. 18. qui decem millia talenta debebat, acceſſit ad Regem cœleſtem, & veniam petiuit. Quid

tunc Rex? *Miſertus autem Dominus ſerui illius dimiſit eum,& debitum dimiſit ei.* Sed & Luc.19. qui vnum talentum acceperat,& integrum ſeruarat, nec minimum illius perdiderat,malè apud Regem audit,eò, quòd nõ afferebat vſuras: *Serue nequam, quare non dediſti pecuniam meam ad menſam?* Hìc tanta ſeueritas percutit eum,qui nihil perdiderat,eò,quòd non negotiatus fuerat,illic tanta miſeratio excipit, qui tot dilapidarat talenta. Vnde hoc Chryſoſt. hom. 5. de Pœnit. *Debitori decem millium talentorum vniuerſa dimiſit,a iuſtis verò & vſuras repetere promittit. Quibúſdam quidem multa dimittit peccata, quaſi inimicis, quibúſdam verò & nimis exacta de minimis etiam quærit, nihil his ad perfectionem deficere volens.* Sic in iuſtos magis ſolet animaduertere, ob leuiſſima.

Luc. 19.

Chryſoſt.

Exod. 4. Dixit autem Dominus ad Aron: Vade in occurſum Moyſi in deſertum. Qui perrexit obuiam ei in montem Dei, & oſculatus eſt eum. Narrauítque Moyſes Aaron omnia verba Domini,pro quibus miſerat eum, & ſigna, quæ mandauerat:veneruntque ſimul, & congregauerunt cunctos ſeniores filiorum Iſraël.

§. XLV.

Angelorum auxilium tunc nobis euidentiùs datur, cum vel mala adſunt, vel pericula imminent.

PRoperanti ad Pharaonis conſpectum Moyſi frater Aaron mittitur in auxilium: *Dixit autem Dominus ad Aaron: Vade in in occurſum Moyſi in deſertum*, &c. Antea promiſerat Deus Moyſi fratris auxilium; nunc non ſolùm promittit, ſed, & de facto exhibet. Et cur adeò feſtinat Deus fratris exhibere auxilium Moyſi, nónne ſufficeret, quòd ſtaret promiſſis de illo præſtando in Pharaonis cõgreſſu; Cur antequam Pharaonem videat, iam fratris vidit auxilium? Erat Moyſes in deſerto à ſuis deſtitutus,ingentibus periculis vicinus,magno timore percuſſus,& ideò placuit Deo, tunc illi ob oculos ponere fratris auxilium, vt fortior, & audentior fieret. Sic vbi nos mala circunſtant, vbi magis inſtant pericula,euidentiùs ſentimus fraternum auxilium per Angelos nobis à Deo exhibitum. Ait in præſenti D. Niſſen. Niſſen.de vita Moyſis: *Diuinum patrocinium tunc apertiſſimè apparet,cùm nos meliori vitæ tradiderimus, ac pro zelo fidei,& virtutis certamina ſuſcipimus grauiora. Tunc homini manifeſtiùs fratris adminicula vndique apparent, ſécum aduersùs hoſtes armati, frater enim quodam modo hominis animo Angelus eſt,qui tunc maximè nobis aſſiſtere videtur,cùm Pharaoni appropinquamus.* Nullus equidem homo eſt,cui fraternum Angelorum auxilium deſit, at illi,qui pro Deo,& virtute mala ſuſtinent,multáque in pericula decidunt,hi euidentiſſimè tale auxilium,& patrocinium experiuntur. Erat Petrus vinctus in carcere Herodis Actor.cap.12.& quadam nocte, dum inter vincula dormiret: *Ecce Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in tabernaculo:percuſſóque latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem Angelus ad eum: Præcinge-re,& calcea te caligas tuas. Et fecit ſic. Et dixit illi: Circunda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me. Et exiens ſequebatur eum: Et exeuntes proceſſerunt vicum vnum: & continuo diſceſſit Angelus ab eo.* Et quando dicitur Angelus diſceſſiſſe, non credendus eſt, quòd localiter diſceſſerit, cùm enim is cuſtos eſt Petri, ei à primo natiuitatis puncto addictus, vt putat Gerſon relatus à noſtro Lorino in præſenti, non deſeruit Petrum, ſed illi etiam tunc inuiſibiliter affuit,ab illo tantùm externo habitu,& lumine, ſub quo apparuerat primò,ſeparatus. Sed quando Angelus modò inuiſibiliter Petro aderat, illúmque in omnibus comitabatur,cur & antea,non etiam inuiſibiliter affuit, & catenas ſuſtulit, & hominem impulit, vt exiret de carcere? Cur maluit in carcere cum tanto lumine viſibilis apparere,vt vinctum ſolueret,& ſolutum duceret,& poſteà hæc externa deſpiciens,in ſolis inuiſibilibus auxiliis præſtandis durare? Poſt egreſſionem è carcere cum iam Petrus eſſet ſuis vicinus,inter quos latere poſſet,& ſic defendi, vt tam grauia pericula non inſtarent,meritò Angelus ab exhibendis externis,& viſibilibus auxiliis diſceſſit: cùm autem erat in carcere duabus catenis conſtrictus inter quatuor milites poſitus, vt poſſit certiùs ad mortem reſeruari. Tunc ſub multo lumine Angelus apparuit, vt euidentiſſimè, & apertiſſimè poſſet Petrus experiri fraternum auxilium ſui Angeli. Quò ſpectans D.Chryſoſt.hom.26. in Acta fatur: *Ea ſane,quæ in carcere geſta erant,magis mirabilia erant,hoc autem iam humanius: recedit enim Angelus cùm nihil prohiberet.* Cùm carcer, cùm milites, cùm catenæ prohibebant exitum Petri,& auxiliatoris aditum, acceſſit viſibilis, & refulgens Angelus ſæpè enim in magnis periculis apertiſſimè Angelorum auxilium adeſt,vbi autem non carcer,nec catenæ,nec milites prohibentes erant, ſed res humaniùs agebatur, receſſit Angelus non à cuſtodia Petri, ſed à tam viſibili apparatu. Multus Syrorum exercitus cingebat Dothain, vt Eliſæum caperet,qui ſeruulo timenti ait.4.Reg.6. *Noli timere. Plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis. Cumque oraſſet Eliſæus ait,Domine,aperi oculos huius, vt videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curuum igneorum in circuitu Eliſæi.* Antequam Eliſæus oraſſet, iam ſciebat tantum Angelorum exercitum ſibi tunc temporis adeſſe, pro quibus puero ſuo oſtendendis orabat. Sed vnde Sanctus ſcire poterat tantum ſibi Angelorum exercitum aſſiſtere? Videbat clariſſimè illum; tam patenter enim, & clarè adeſt Angelorum auxilium tribulationis tempore,quaſi quod oculis cernitur, & manibus attingitur. Ex quo ait D.Amb.ſerm.1.de Eliſæo, *Eliſæo aſſiſtebant Angeli,quod videbat,& ideò agmina hoſtium non timebat, ſed timebat puer eius, qui Angelos non videbat.* Equidem factum virum hoſtibus cinctum tam apertè confirmabant, & protegebant Angeli, quaſi ſub eius oculis exiſterent; non enim certiùs adeſt res,quæ videtur,vt adeſt Angelorum auxilium iis,qui pro Deo, & virtute pericula ſubeunt. Vnde Daniel cap 6. inter leones liber aiebat: *Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* Poterat hoc miraculum fieri à Deo non per Angelum; vnde innotuit Danieli non aliter quàm per Angelum factum fuiſſe; niſi quia Angelorum auxilium iuſtis tribulatis tam clarè adſit,quaſi qui cerni poſſit ab illis? Ioſue cap. 5. dicitur: *Cùm eſſet Ioſue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos,& vidit virum ſtantem contra ſe, euaginatum tenentem gladium,perrexítque ad eum,& ait. Noſter es,an aduerſariorum? Qui reſpondit: Nequaquam,ſed ſum Princeps exercitus Domini,& nunc venio.* Cùm primùm ad hoſtilem vrbem accedit Ioſue,ſeſe illi manifeſtat Angelus Dei,& manifeſtè ſuum auxilium prætendit; ſic enim apud Carthuſianum fatur: *Sum Princeps exercitus Domini, Angelica virtus ſum præſidens toti populo Hebræorum. Et nunc venio,id eſt,præſtò iam ſum ad dandum tibi conſilium,& auxilium.* Non ampliùs moratur, ſed cùm primùm vidit certamen inſtare Hebræis ſuis, ad clariſſimum, & apertiſſimum auxilium præſtandum feſtinat.

Actor.12.

Chryſoſt.

4.Reg.6.

Amb.

Daniel.6

Ioſue 5.

Carthuſ.

§. XLVI.

Properantes in Dei obſequium vix, & agrè ſe impedimentis expediunt in populorum frequentia.

MIttitur Aaron obuius fratri in deſertum: *Dixit autem Dominus ad Aaron. Vade in occurſum Moyſi in deſertum.* Cur non magis expectaret fratrem in

populi

populi frequentia? Quid in causa fuit, quòd exiret in desertum? Crediderim hunc fratrum occursum in loco deserto fuisse, vt citiùs se ad viam peragendam expedirent; vt nulla impedimenta orirentur, quibus Moysis iter in Dei obsequium retardaretur. Quando enim quis in populorum frequentia sese expedit, vt vocantis Dei ductum sequatur? Quando ibi tibi impedimenta desunt, ne currere possis in Dei præceptis? Meritò mandatur desertum illis, à quibus citò erant omnia obsequij diuini superanda impedimenta. Post
Matt 4 Ioannis baptisma susceptum, Matth. 4. *Iesus ductus est in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo.* Posset equidem mediis ciuitatibus, & media hominum frequentia diaboli tentationes sustinere; cur maluit ire in desertum, vt tentatori locum præberet? Pulchrè
D. Amb. D. Ambr. lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 18. rem tetigit, fatus: *Ieiunaturus à spiritu ducitur in desertum, vt euacuaret diaboli tentamenta. Nam etsi in abundantia copiarum continenter vixisse laudabile est, tamen in diuitiis, & amœnitatibus frequentior tentationis illecebra est.* Sanè in frequentia diuitum, & amœnitatum adeò frequentes sunt tentationum laquei, vt vix euacuari possint. Vndè Dominus in desertum abiit, locum præbens tentanti, vt sic tentationes citò euacuaret, & omnia impedimenta ablegaret. Nunquam nisi longè à ciuitatibus absumuntur omnia impedimenta Exod. 14. aquæ maris hinc inde diuisæ iter expeditum, & solitarium Iudæis præbuerunt: *Ingressi sunt filij Israël per medium ficci maris.* Sed non ibi hostibus caruerunt; namque Ægyptij simul post illos introierunt, at reductæ aquæ vniuersos hostes absorbuerunt, ne vel vnus remane-
Ambr. ret. Ex quo monebat D. Ambr. in exhortat. ad virg. *Calcate mundi huius profundum, vt quicunque voluerit persequens comprehendere vos, demergatur.* Vbi in medio mundi sumus affluentibus vndique bonis, fallor, si possent effugi omnia hostilia tela, omnia vulnera deuitari: Cùm autem à mundo fugimus, omnia illius calcantes ingressi per medium ficci maris, tunc omnia impedimenta possunt suffocari, ne vel vnum remaneat. Nec miror, quòd vt impedimenta proficiendi in Dei obsequio euacuentur, inuia, & deserta loca quærantur, quando vel ex vnius hominis occursu mille soleant oriri impedimenta. Vndè mittens Eliseus ser-
4 Reg. 4. uum ad suscitandum filium Sunamitidis, ait illi 4. Reg. 4. *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum; & si salutauerit te quispiam, non respondeas illi.* Et cur properanti in virtutis obsequium, vel salutationem admittere vetet, nisi ex hominum conuictu, & frequentia oriri soleat,
Ambr. quod virtutis viam impediat? Ait D. Ambr. in cap. 10. D. Lucæ: *Eliseus seruo mandauit, ne per viam aliquem salutaret. Festinatò enim volebat contendere; ne confabulatione alicuius obuij mandato deflecteretur à munere. Ergo non salutationis officium aufertur, sed obstaculum impediendæ deuotionis aboletur.* Sic ibi.

§. XLVII.

Fidelium vnitas, & concordia fraterna clarissimum auspicium præbet pro hostibus, & tyrannis debellandis.

ECce tibi quæ armabantur manus ad Pharaonem debellandum; hinc Moyses veniebat Dei imperium secutus, illinc obuius arat Aaron frater, & ambo in oscula, & amplexus ruunt. Sic ait textus de Aarone: *Qui perrexit obuiam ei in montem Dei, & osculatus est eum.* Quid facitis, ô boni, vocamini aduersùs truculentissimum Ægypti tyrannum, & vos fraternis osculis, & amplexibus vacatis? Qualia hæc arma aduersùs Pharaonem? Quæ hæc meditamenta militaria? Fallor, si quæ sint alia fortiora arma fidelibus Principibus ad deuastandos tyrannos, quàm si fidelium populorum vnitatem, & concordiam fraternam cogitauerint. Post multos tyrannos numeratos, quorum contritio nota erat omnibus, Paulus Orosius lib. 7. c. 42. sic tandem *Pau. Oro.* fatur: *Huc omnem catalogum, vt dixi, vel manifestorum tyrannorum, vel inobedientium ducum, optima Honorius Imperator religione, & felicitate meruit, magna Constantius comes industria, & celeritate confecit; meritò sanè, quia in iis diebus præcipiente Honorio, & adiuuante Constantio, pax, & vnitas per vniuersam Africam Ecclesiæ Catholicæ reddita est; & corpus Christi, quod nos sumus, redintegrata rescissione, sanatum est.* Quid pulchrius? Confirmabatur Honorius Imperator aduersùs omnes tyrannos, & rebelles duces, quos penitùs confregit, & dissipauit; eò, quòd pacem, & vnitatem Africanorum fidelium procurauit, simúlque diuisiones fidelium in Africa excussit, concordiam redintegrauit, & timorem incussit suis hostibus, & tyrannis. Non aliter cogitabat D. Cyril. Alexand. hom. habita tom. 6. Concilij Ephe- *Cyr. Ale.* sini cap. 6. vbi de aduentu Episcoporum ad tollendam diuisionem à Nestorio factam in populo Christiano locutus, ait: *Ecce igitur omnia gaudent, mare conseruos suos agnoscens, illorum voluntati sese subdidit; sanctorúmque transitus feroces, insultantésque procellas in tranquillitatem conuertit. Terram denique, quam latrones quondam infestabant, ista sanctorum profectio pacificatam reddidit. Sunt enim admodum speciosi pedes euangelizantium pacem.* Fuit hoc hominum fideles adunantium quòd terram latronum tyrannide liberarent. Nunquam enim fidelium regna non purgantur tyrannis, dum valent vnitatem, & concordiam seruare. Caue homo, ne scissio aliqua, vel diuisio in populo fideli appareat, nil inde non detrimentosum regnis constabit. Accipite rem delineatam 1. Reg. 15. *Et conuersus est Samuel, vt abiret;* *1. Reg. 15.* *Saul autem apprehendit summitatem pallij eius, quæ exciſa est. Et ait ad eum Samuel: Scidit Dominus regnum Israël à te hodie.* Vide rei consequentiam, ex parua scissione pallij Eliszi, & concissionem, & ablationem regni Sauli auguratur. Ex quo sapienter Petrus Damianus mo- *Petr. Da.* net Enricum Imperatorem, ne diuisiones in populo fideli patiatur. Ait enim lib. 7. epist. 3. *Pallium igitur Samuelis Saul abrupit, & regnum perdidit; Christi scinditur vestimentum, & scindere permittentis stabit imperium? Inconsutilem vestem Iesu miles Gentilis metuit scindere, & Christiani non verentur Ecclesiam per errorem schismaticum separare? Cum ergo vestis Christi sancta dicatur Ecclesia, scissio vestis diuisionem minatur regiæ potestatis. Hinc est fortè, quòd vrbes, oppida, siue Prouinciæ huius regni ab exteris quotidie cernimus nationibus vsurpari.* Sic quotidie imperium permittens diuisiones fidelibus patet hostibus, patet tyrannis; vt quod retinet fidelium vnitatem, fortissimum stat aduersùs omnes incursus malos.

Exod. 4. Locutúsque est Aaron omnia verba quæ dixerat Dominus ad Moysem, & fecit signa coram populo, & credidit populus. Audierúntque, quòd visitasset Dominus filios Israël, & quòd respexit afflictionem illorum, & proni adorauerunt.

§. XLVIII.

Gratus animus difficillima quæque perficit.

VIx Israëlitæ audiunt, quòd Dominus respexerit afflictionem eorum, & miserit liberatorem, & iã proni adorant. Quippè: *Audierunt, quòd visitasset Dominus filios Israël, & quòd respexit afflictionem eorum, & proni adorauerunt.* Caietanus ibi: *Incurruauerunt se, & adorauerunt Deum, gratiam agentes.* Quid festinatius? De liberatore tantùm audiunt, & iam gratias agunt, quasi libertatem consequantur: Cur non magis

expectant aliquem ſucceſſum ? Cur ſic de incerto properant gratias agere ? Non id fruſtrà factum eſt, gratus enim animus nequit fruſtrari, ſed difficillima quæque in effectum trahit. Suſcitaturus Dominus La-
Ioan. 11. zarum è monumento Ioan. 11. ait: *Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me; ego autem ſciebam, quia ſemper me audis, ſed propter populum, qui circumſtat, dixi, vt credant, quia tu me miſiſti. Hæc cùm dixiſſet, voce magna clamauit, Lazare, veni foras. Et ſtatim prodit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus inſtitis.* Quot ibi miracula perfecta ſunt ? Quot impoſſibilia ſuperata? Mortuus quatriduanus,& fœtidus ſubitò ad Chriſti vocem reſurgit,& ligatus pedes inſtitis ambulabat. Sed illud notandum,quòd ante hæc omnia oſtenſa, gratias egit Dominus Patri, nimirùm,vt oſtẽderet nobis vnam ſuperandæ cuiuſlibet maximæ difficultatis, nimirùm per
Euthim. actionem gratiarum. Huc ſpectans Euthimius in præſenti,fatur: *O maximum,ac duplum miraculum! Non ſolùm,qui iam olebat,reſurrexit ſed etiã, qui obuinctus erat, exiuit à monumento. Itaque gratiarum actio, diſpenſationis erat iuſſio,ac opus authoritatis.* Præmiſſa gratiarum actio perficiebat miracula, ne ſepulcrum, ne fœtor, ne ligamina impedirent,quominus Lazarus, & fœtidus in ſepulcro reſurgeret,& ligatus inſtitis ambularet. Nihil adeò difficile eſt,quod gratus animus ex Dei manu nõ capiat. Hinc Dominus in difficillimi morbi curatione, nihil citiùs amauit oſtendi in infirmo ſanando, quàm gratitudinem,vel in animatis benefactoribus exhibitã.
Ioan. 5. Ait enim Ioan. 5. *Surge,tolle grabatum tuum, & ambula. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille, & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat.* Ecce de Domini præcepto hoc vnum præſtat, qui de triginta & octo annorum infirmitate liberabatur, nimirùm grabatum ſubſtollens ambulabat. Et ad quid grabatum ſubſtollere iubẽbatur? Vt par pari referret,& eandem ipſe præſtaret grabato gratiam,quam ab illo acceperat tot annis ſuſtenSedul. tatus. Ait Sedulius lib. 3. Paſchali c. 9. *Tollens lectum, quo iacebat immobilis, grata mutua redhibitione mercedis vectorem ſuum proprium humeris famulantibus mox reuexit.* Sic Deus difficillimæ redditæ ſanitatis teſtem vocat gratitudinem,qua ſanatus mutua redhibitione vectorem ſuum humeris ipſe vectabat. Et quas difficul-
Gen. 24. tates ſuperatas non teſtatur animus gratus ? Gen. 24. Eliezer ſeruus Abrahami, dum Meſopotamiam peruenit quæſiturus ſponſam Iſaaco filio Domini ſui, nondum primam vrbem ingreſſus fuerat,adhuc iuxta fontem illius erat, preces fundens pro bono euentu: *Nec dum intra ſe verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur,* &c. Quid fœlicius ? Quam primam vidit puellam poſt preces, eam æſtimat ſponſam deſtinatam Domino ſuo. Et qua virtute tam citò deuenit in cognitionem dignæ ſponſæ,in quam alij vix poſt longa examiTheod. na deueniunt ? Ait Theod. ſer. 8. de Prouid. *Quòd verò iis, quæ petiit, potius eſt, Dei amicum fuiſſe demonſtrat. Nec enim tam facilè iis potiri potuiſſet, niſi in largitorem fuiſſet gratiſſimus. Gratitudinem verò hanc animi virtus elaborauit.* Sic ibi.

CAPVT IV.

Primus cum Pharaone congreſſus.

PÆTANTIBVS Iſraëlitis de ſibi miſſo ſaluatore Moyſes,& Aaron,quos forſan alij ſeniores comitabantur, Ægyptiam intrant Regiam. Et viri imperio in elementa potentes, non accendunt in arma captiuos; ſed imperterriti adſtant tyranno, cui notam faciunt legationem diuinam. Vt omnipotens Orbis Dominus vocabat in deſertum Hebræos,accepturus poſt tres dies de eorum manibus placabiles victimas. Nescio an ſancta apud barbariſſimos quoſque legatorum religio cohiberet ferocientem Pharaonem, ne Moyſem,& Aaronem opprimeret,cohibitus tamen fuit cœleſti numine,quòd ſuis iam ferebat apud tyrannos auxilium. Verùm,qui flagris parcebat Rex, verba iactare cœpit ſuperbiſſima; Dei ignoto ſibi numine irridet, eius legatos otioſorum factionarios minatur, niſi citò ad operum penſa adimplenda feſtinent. Quibus eiectis, Præfectos omnes conuocat, & Exactores, penes quos erat arbitrium laboris populi captiui; mandat rem ſeueriùs adminiſtrari, nullum leuamen permitti, & quod miſeri, & præſcriptorum laterum impleant numerum,& paleas,vel ad furnos, vel ad lateritium opus ipſi perquirant. Itaque afflicti vndique Hebræi,partim luteo labori inſudant; partim paleis,& quiſquiliis extrahendis per totam regionem inuigilant; omnes cœlum,& Regiam gemitibus implent. Nec lenitur animus tyranni,ſed vocaliſſimis lacrymis miſeriam repreſentantes ſuam,ad lethales labores non ſemel remittit. Egredientes miſeros à facie Principis Moyſes, & Aaron excipiunt; & ecce tibi ingens querelarum pondus ab afflictis erumpens tantum non opprimit viros,quaſi pro oblata ſalute, duplicata ipſi incommoda fecerint ſcaturire.

His, & talibus frangebant primum aduersùs Pharaonem Moyſis,& Aaronis impetum, qui à popularibus ſuis remoti,Deo ſe ſiſtunt, eiúſque oculis, qua reuerentia poſſunt, obiiciunt euentum minimè reſpondentem diuinis promiſſis. Hæccine, inquiunt, erat ſalus per nos danda captiuis? Si duriora illis parabantur,cur nos bonorum ſponſores miſiſti ? Tantum locutus ſum ad tyrannum,& pluit plagis ſuper afflictos; quid mali non meterent, ſi mandaſſem fugam ? Ita loquentem Dominus præoccupat, & ad nouos cum Pharaone congreſſus parari iubet. Is enim eſt Deus, cuius fortitudini quiſque tyrãnus ſit impar,& qui ſolus nouit ſtare promiſſis; nec afflictorum gemitum inanem ſinit.

PARS VNICA.

Moralis circa literam.

NOn patiar amplius ſtagnari moralem ſuccum, quo inſtructi poſſimus alacriter alia percurrere.

Exod. 5. Poſt hæc ingreſſi ſunt Moyſes,& Aarõ, & dixerunt Pharaoni: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Dimitte populum meum,vt ſacrificet mihi in deſerto. At ille reſpondit: Quis eſt Dominus,vt audiam vocem eius,& dimittam Iſraël? Neſcio Dominum,& Iſraël non dimittam.

§. I.

Diuinus halitus non excitat,ſed ſopit factiones,& rebelliones aduersùs legitimos Principes.

COnueniant huc Nouatores, qui rebellium bellis, & factionibus turbant Reſpublicas, & videant Moyſem, & Aaronem conſtitutos à Deo in ſalutem populi ſui, vt inermes Regiam Pharaonis intrant, vt reuerenter legationem, & munus ſuum referunt Principi. Equidem: *Ingreſſi ſunt Moyſes, & Aaron, & dixerunt Pharaoni: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Dimitte populum meum*, &c. Cur ſic blandè ad duriſſimum Regem loqueris ? Cur non magis popularibus inſtas,eorum animos erigis, vt arma corripiant,& te illorum ex Deo promittis ducem ? Cur promiſſa Dei ope non populum ſeruilem ſolicitas, vt audeant iugum excutere,& vel occiſis Rege, & Principibus in libertatem proſilire ? Non id permittit Dei ſpiritus in ſuis, qui nouit non excitare, ſed ſopire rebelliones, & factiones in legitimos Magiſtratus, & Principes.

Rem

Lyppom. Rem in præsenti ponderat Lyppomanus, inquiens: *Hi tametsi habebant mandatum liberandi Israëlitas à tyrannide Pharaonis, & Pharao erat Rex longè omnium impiissimus, atque à Domino manifestis verbis condemnatus, non tamen armant Israëlitas suos aduersus Regem, legitimum magistratum in Ægypto, nec trucidant tyrannum gladio, Dominus enim non dixit: Ingredere ad Pharaonem, & trucida eum; sed ait, ingredieris tu, & seniores Israël ad Regem Ægypti, & dices, Dominus Deus Hebræorum vocauit nos*, &c. *Quod si non licuit Moysi, & Aaroni trucidare Pharaonem, vt liberarent Israëlitas suos à tyrannide eius, cui obsecro nunc liceret gladium aduersùs legitimum magistratum suum accipere, & sese violenter in libertatem vindicare?* Huc semper tendit Dei spiritus, vt factiones, & rebelliones excitentur nullæ aduersùs legitimos Principes. Hinc Dauid ille, vir iuxta cor Dei effectus, nactus Saulem infensissimum hostem, cuius rabiem euadere posset internecione illius 1. 1.Reg.24 Reg.24. ait: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.* Ecce tibi quem noscit hostem infensissimum, non percutit, dum illum legitimum nouit Regem, & Dei Christum. Vbi Carthus. Carthus. ait: *Quia Christus Domini est, ideo reseruandus fuit diuino iudicio, nec interficiendus authoritate priuata, præsertim a subdito. Et quamuis fuit tyrannus, non tamen tantus, quod fuit occidendus ab aliquo de populo suo, qui aliter potuit manus illius euadere.* Hunc hominibus præstat animum Dei spiritus, ne quis subditus manum inferat legitimo Principi, sed magis eius sustineat iniurias. Nunquam enim cum Dei spiritu non venit, & factionum, & rebellionum in Principes leuamẽ. Isa. 52. Quò spectans Isaias capit. 52. aiebat: *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem.* Procop. & Euseb. apud Castrum legunt, *prædicantis Iesum.* Quæ verba communiter referuntur ad Apostolorum peregrinationes, quocunque enim perueniebant annuntiantes Iesum, summam pacem, & tranquillitatem afferebant, ne quis mutire auderet contra suũ Prin- Pau. Orosius. cipem. Quod notans Paulus Orosius lib. 7. cap. 6. in Petri accessu ad vrbem, hoc cantatissimum miraculum narrat contigisse: *Accidit etiam eodem tempore præsentis gratiæ Dei grande miraculum: siquidem Turius Camillus Scribonianus Dalmatiæ legatus bellum ciuile molitus, legiones multas, fortissimásque ad Sacramenti mutationem pellexerat. Itaque die dicto, vt in vnum vndique ad nouum Imperatorem conueniretur, neque aquilæ ornari, neque conuelli quoquomodo signa, mouerique potuerunt. Exercitus tanta, & tam inusitata miraculi fide motus, & conuersus in pœnitentiam, Scribonianum interfecit, seséque sacramento prioris militiæ continuit.* Miraculum agnoscunt omnes, at quod id ortum fuerit ex D. Petri ingressu in vrbem, vnde constat? Ait ipse: *Itaque propter aduentum Apostoli Petri hanc exorieniem tyrannidẽ, & consurgens istud ciuile bellum neget quisquam diuinitùs esse compressum, qui præteritis temporibus de compressione bellorum ciuilium simile probarit exemplum.* Et quando ex innumeris factionibus, & rebellionibus excitatis in vrbe, ea solùm inueniatur sopita diuinitùs, quæ excitabatur, dum Petrus ingrediebatur vrbem, sine iniuria fatebimur, tale quid contigisse propter aduentum hominis prædicantis Iesum, de cuius halitu venit, quòd sopiantur factiones, & rebelliones ciuium in Principes suos.

§. II.

Qui Deo mancipatur, caueat aliis præter Deum seruire.

POpulum suum vocat Dominus, & in desertum abire iubet, vt offerat sacrificia, ait namque: *Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto.* Et cur ne- cessum est, quòd sacrificaturus Deo in deserto sit? Cur non sacrificet in vrbibus? Benè in desertum mittitur populus sacrificaturus, ne quid præter Deum in obsequio suo possit aspicere. Nequit enim quis, vt oportet, Deo seruire, vbi alium præter Deum habet, cui præbeat cultum. Ait Orig. hom. 3. in præsenti: Orig. *Non vult Moyses, vt populus in Ægypto positus seruiat Domino, sed vt exeat in desertum, ibique seruiat Domino. Hoc est sine dubio, quod ostendit, quia quandui quis in tenebris sæcularibus manet, & in negotiorum obscuritate versatur, non potest seruire Domino. Non enim potest duobus Dominis seruire.* Vbi tibi aliquid aliud præter Deum ob oculos versatur, cui velis cultum præbere, non prorsus aptus es, vt Deo sacrificium offeras, qui nihil vult habere commune cum ilijs. Dum Israëlitæ vrbem Iericho expugnant, ait Iosue capit *6. Vrbem,* Iosue 6. *& omnia, quæ sunt in ea, succenderunt.* Nihil reliquerunt in vrbe, quod possit humanis seruire vsibus, sed vniuersa in cineres, & fauillas redegerunt. Et cur voluerunt sic perdere pulchram, & populosam vrbem? Causa insinuabatur ibidem, dicente Domino: *Sit ciuitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea sunt, Domino.* Vbi ergo ciuitas consecranda erat Domino, prudenter euertitur à Iosue, ne possit seruire homini, quando Deus in suis amat esse solus. Ait Theodoretus Theod. quæstione 8. in Iosue: *Quoniam hæc ciuitas erat dicata Deo, meritò euersa erat. Absurdum enim esse Iosue putabat, fieri commune, quod Deo donatum est.* Prudentissimè cauet, ne alteri seruiat, quod Deo dicatum est; vt inde discamus vniuersi, qui Deo mancipamur, alij nos tradere, quàm Deo, non debere; Abrahamus ductũ sequens diuinum, nil terrenum voluit habere cui curam impenderet, vbi autem vxorem vidit defunctam Gen. 23. iuit ad filios Heth, dicens: *Ad-* Gen.23. *uena sum, & peregrinus apud vos; date mihi ius sepulcri vobiscum.* Non domum, non ius ciuitatis, sed ius sepulcri quærit; & cur non ius ciuitatis simul petit? Diuus Hieronymus de vera Circuncision. ait: *Abra-* Hieron. *ham post verbum Domini, locum sibi, non vbi viueret, sed vbi moreretur, acquirit.* Vbi sese dederat Deo, nihil mundiale voluit, quod sibi non esset mortuum, nulli enim vitam suam esse communem volebat, sed vni Domino. Componite modò Iobum cum populo Iudaico; ille semel omnia bona sua amisit; hic etiam spoliatus omnibus bonis suis, & miserè captiuus additur. Sed illi in breui restituta sunt omnia duplicia, sic enim habes cap. 42. *Et addidit Dominus omnia, quæcunque fuerunt Iob, duplicia.* Iudæis autem semel spoliatis, nunquam in integrum omnia restituta fuêre; posterioris templi gloria lõgè inferior fuit gloria prioris; & denique funditùs interierunt. Cur hæc tam diuersa, & Iobo, & Iudæis acciderunt? Sanè Iob, ex quo omnia propter Deum amisit, nihil illorum repetiit, & in tantam egestatem redactus, vt corporis saniem raderet testa; nihil tamen perditorum requirebat. At Iudæus ab Ægypto eductus, vel cœlestibus cibis impletus, semper ad relicta bona inhiabat, & pro illis ardentissima suspiria emittebat. Ait D. Hieron. de vera Cir- Hieron. cuncis. ad perditos Iudæos: *Denique spoliatus Iob omnibus bonis nihil requirit. Tu Ægyptum in heremo post manna delitiosa suspiras.* Cur non pereat, qui habens Deum, vel iam dimissa velit etiam habere?

§. III.

Hoc in primis Deus à Regibus exposcit, quod conducit subditis in his, quæ ad Deum sunt.

MVltus erat Pharao in opprimendis Israëlitis, quorum causam suscipiens Dominus, ait illi per Moysem: *Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto.* Cur clariùs non petit populum dimitti, ne pereat sub durissimo seruitutis iniustæ iugo?

Vel ne ſuccumbat oneri operis lateritij? Cur iis dimiſſis ſolùm petit dimitti populum, vt ſacrificet? Equidem illud meminit Deus, quod in primis à Regibus exquirit, quòd nimirùm nullius ſint impedimenti ſubditis circa diuina omnia obeunda, ſed illos ad ea, quæ ad Deum pertinent, habeant expeditiſſimos. Hinc Iſaias
Iſa. 45. cap. 45. ait: *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt ſubiiciam ante faciem eius gentes, & dorſa Regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Et dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum, vt ſcias, quia ego Dominus, qui voco nomen tuũ, Deus Iſraël. Propter ſeruum meum Iacob, & electũ meum Iſraël,* &c. Non eſt animus clariſſimam Cyri Monarchiam deſcribere, nec eius ingentes opes, & diuitias, ad quas peruenit, vbi Babyloniorum imperium expugnauit, & tenuit, ad id afflante prouidentia diuina. Teſte enim Paulo Oroſio, tanta erat Babylonia, vt non videretur fieri ab homine potuiſſe, nec ab homine dirui. Hanc tamen in omni ſuo flore, & fortitudine expugnatam tradidit Dominus Cyro. Sed illud maximè notandum, propter quid dedit Deus tam ingentem gloriam Cyro? Quid tanto imperio dato repetiit à Rege pro illo? Ait textus: *Propter ſeruum meum Iacob*, &c. Erat Iacob Babylone captiuus, nec licebat illi Ieroſolymitanum tẽplum viſere, nec vllum ibi offerre ſacrificium; hoc ergo vnum ſpectabat Dominus in promouendo imperio Cyri, hoc expectabat ſolùm à Rege ſibi obligatiſſimo, ne ampliùs Iacob impediretur, quominùs in tem-
1. Æſd. 1 plo offerret ſacrificia. Sic ipſe Cyrus 1. Æſdræ 1. *Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum. Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipſe præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa. Quis eſt in vobis de vniuerſo populo eius? Sit Deus illius cum ipſo. Aſcendet in Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa, & ædificet domum Domini Dei ſui.* Expende: *Et quid dederit Deus, & quid pro donis præceperit Regi?* Dedit illi vniuerſa regna terræ, pro quibus vnum in primis repetiit, nimirùm, quòd liceret populo Iſraëlitico ædificare templum, in quo Deo ſacrificia
Cyr. Al. offerret. Pulchrè D. Cyril. Alex. lib. 4. in Iſaiam orat. 2. *Vocaui enim te, inquit Deus, ad hoc, ego Deus ſolus, & hac tam illuſtri te honoraui gloria, vt fias tu ſeruo meo Iſraëli beneficus*, &c. Non aliud pro tanto regno dato petiit Deus, niſi quòd Rex beneficus eſſet in permittendis populo Iſraëlitico templi adytis, & ſacrificiorum oblationibus in templis. Qui enim Rex in iis, quæ ad Deum pertinent, multus eſt in populo, non miror, quòd ampliſſimum regnum ex Deo teneat. Rex Niniuæ Ionæ 3. videns imperium ſuum ruiturum, ſacco ipſe indutus vniuerſos ad ſaccum, & ieiunia Deo offerenda vocabat: *Et ſurrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere. Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore Regis, & Principum eius, dicens: Homines, & iumenta, boues, & pecora non guſtent quicquam.* Quid hoc ad Regem? Ad regni conſeruationem Reges ad arma currunt, exercitum conuocant, munitiones inſtruunt, arces telis muniunt, & omnia milite implent. Nil horum meminit Rex iſte in imminenti periculo, ſed populum coëgit ad ſacrificia, quò regni
Ambr. ſecuritatem acquiſiuit. Ait D. Ambr. ſerm. 40. *Non perdidit imperium, quia ſiue ferro, ſiue iuſtitia pro ciuium ſalute primus inuigilat. Primus planè inuigilat, quia vt tota ciuitas ieiunaret, famem ſibi Rex primus indixit, & ſolus omnium cauſa prior cœpit eſurire, quàm miles. Exemplo igitur ſuo præparat religionis exercitum, non armis ſed ſola deuotione munitum.* Itaque bonus Rex, dum viam populi religioni aperit, viam regni confirmandi facillimã inuenit, cùm hoc in primis à Regibus Dominus exquirat. Necnon, & Adrianus Imperator maximè ſuas glorias ampliauit, eò ſolùm, quòd Chriſtianis liberam ſacrificandi Deo libertatem permiſit. Ait enim Paulus Oroſius lib. 7. cap. 13. *Adrianus conſobrinæ Traiani filius principatum adeptus, vno & viginti annis imperauit. Hic per Quadratum diſcipulum Apoſtolorum, & Ariſtidem Athenienſem virum fide, ſapientiáque plenum, & per Serenum Granium legatum, libris de Chriſtiana religione compoſitis inſtructus, atque eruditus, præcepit per epiſtolam ad Minutium fundanum datam, vt nemini liceret Chriſtianos ſine obiecto criminis, aut probatione damnare. Idem quoque continuo pater patriæ in ſenatu vltra morem maiorum appellatur, & vxor eius Auguſta.* Quod duodecim Imperatores antecedentes minimè adepti fuerant, id obtinuit Adrianus libertate Chriſtianis data; quaſi Deus hoc ſolùm expectaret in Imperatoribus, quòd nimirùm permitterent Chriſtianis ſacrificare Deo, vt imperatorias glorias amplificaret. Pau. Oro.

§. IV.

Carnales homines non eſſe putant, quidquid oculis non vident.

OMnipotentis Domini mandatum ideò contemnit Pharao, quia non noſcit Dominum, ait enim: *Nõ noui Dominum, Iſraël non dimittam.* Quid ſtultius? Si ille Dominus eſt potens ſibi rebelles punire, quid intereſt, quo tu minimè noſcas illum? Ad hoc, vt illum non timeas, non ſatis eſt, quòd minimè noſcas, ſi verum eſt, quod ſit. Dic ergo potiùs: *Non eſt Dominus, & Iſraëlem non dimittam?* At carnali homini idem eſt, non eſſe, & non noſci; quidquid enim non noſcit, nec oculis videt, prorsùs non eſſe putat. Magdalena nuntiauit Simoni Petro, & Ioanni vacuatum eſſe ſepulcrum Domini
Ioan. 20. Ioan. 20. *Exiit ergo Petrus, & ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo ſimul: & ille alius diſcipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum. Et cùm ſe inclinaſſet, vidit poſita linteamina, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introiuit in monumentum, & videt linteamina poſita, & ſudarium, quod fuerat ſuper caput eius, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in vnum locum. Tunc ergo, & introiuit ille diſcipulus, qui venerat primus ad monumentum; & vidit, & credidit, nondum enim ſciebat Scripturam, quia oportet eum à mortuis reſurgere: Abierunt ergo iterum diſcipuli ad ſemetipſos. Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans.* Ecce tibi & diſcipuli, & Magdalena viſis linteaminibus, & vacuato ſepulcro viſo non vident corpus Chriſti magiſtri ſui. At illi non videntes corpus, Ieſum minimè plangunt, quin potiùs læti redeunt ad ſemetipſos, Magdalena autem tota in riuos lacrymarum effunditur, quia corpus Ieſu non videt. Et cur illi non plorant, cũ hæc tot lacrymas fundat Ieſu non viſo? Illi vt ſpirituaAmbr. liores vbi non vident Ieſum in ſepulcro, credunt eum viuere: hæc autem vt carnalior, quod non videt, putat funditùs periiſſe. Ait D. Amb. lib. 3. de Virgin. *Quæ foris eſt, plorat, nam quæ intùs eſt, plorare non nouit. Plorat autem, quia corpus non videt Chriſti, & periiſſe putat, quia ipſa non cernit.* Sic, qui externis incubant, qui carnalia ſolùm ſapiunt, nihil credunt eſſe, quod non paret oculis ſuis. Hæc enim erat horũ vox Sap. 2. *Dixerunt* Sap. 2. *enim cogitantes apud ſe non rectè. Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt, qui agnitus ſit reuerſus ab inferis, quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hæc erimus, tanquam non fuerimus.* Ecce tibi, qua ratione miſeri adducantur, ne credant aliquid eſſe poſt vitam, nimirùm: *Non eſt, qui agnitus ſit reuerſus ab inferis.* Inſcienter putant funditùs periiſſe, quæ oculis non parent. Quorum ſtultitiam ſic arguit Minutius Fœlix in Octauio: *Tu perire, & Deo credis, ſi quid oculis noſtris hebetibus ſubtrahitur? Corpus omne, ſiue areſcit in puluerem, ſiue in humorem ſoluitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, ſubtrahitur nobis, ſed Deo ſeruatur.* Et verum eſt, quòd

etiam

etiam dum subducimur oculis creatis, Deo seruamur; sed hoc non satis percipiunt carnales, quæ ab oculis deficiunt, abesse deficere putantes.

§. V.

Non omnium est in Dei cognitionem venire.

HÆc Principis, hæc potentissimi Regis vox: *Nescio Dominum*: Qui enim in regnorum venerat potestatem, in Dei veri cognitionem non venerat. Nec miror, non enim est omnium in Dei cognitionem venire, quando cuncta creata lumina vmbræ sunt, & tenebræ respectu illius. Hinc Isaias 45. de potentissimo Rege Cyro, ait: *Assimilaui te, & non cognouisti me.* Quippe Deus dedit Cyro clarissimam Monarchiam, cantatissimos triumphos, ingentes diuitiarum cumulos. Quid tunc? Per tot bonorum lumina venit Cyrus in Dei cognitionem? Nullo modo, imò, qui sic bonis mundialibus splendescebat, non meruit inter eos numerari, qui Dei cognitione vigent. D. Cyril. Alex. lib. 5. in Gen. inquit: *Et non cognouisti me. Videtisne vt aperte, non cognouisti me, diceret? Inter eos enim, qui Deum cognouerint, tam præclarum hominem nominare noluit, quem & Regibus excellentiorem, & innumerarium gentium Principem fecit.* Proh miser homo! Accepit ex Deo mundiales omnes glorias, accepit imperiū, quo se extolleret super mortales cunctos, sed cognitionem Dei non accepit, sed illa priuatus euanuit in omnibus bonis suis. Meritò enim ait Sapiens cap. 13. *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, nec operibus attendentes agnouerunt, quis esset artifex.* Ex quo Arnob. lib. 1. aduersùs gentes inter immensas diuitias mūdo allatas per Christum, hoc eius infinitæ benignitatis opus notat, quo Dei cognitionem docti fuerimus. Ait enim: *Honoribus quantis afficiendus est nobis Christus, qui quod frugiferum primo, ac humano generi salutare, Deus monstrauit, quid sit, quis, quantus, & qualis, qui profundas eius, atque enarrabiles altitudines, (quantum nostra quiuit mediocritas) capere, & intelligere permisit, & docuit. Qui, quo authore, quo patre mundus iste sit constitutus, & conditus, fecit benignissimè sciri?* Non equidem tantùm esset Christianæ benignitatis opus, quòd mundialibus gloriis impleremur, quàm quòd efformamur in eos, qui Dei cognitionem percipiunt. Vt dicat Hierem. 9. *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur diues in diuitiis suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur scire, & nosse me.* Sic ibi.

Isa 45.

Cyrill.

Sap. 13.

Hier. 9.

Exod. 5. Dixerúntque: Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro: ne fortè accidat nobis pestis, aut gladius. Ait ad eos Rex Ægypti. Quare Moyses & Aaron solicitatis populum ab operibus suis? Ite ad onera vestra.

§. VI.

Impij homines seditiones, & tumultus metuunt in diuinarum virtutum studio.

QVàm nota est in impiis hominibus hæc Pharaonis vox aduersùs Dei sanctos, aduersùs virtutum diuinarum assertores, nimirùm: *Solicitatis populum.* Inquietatis Rempublicam, dum veri Dei subest obliuio, omnésque in vitiorum barathra ruunt, nullúmque nō viget flagitium, sed innocentes affliguntur, immerentes vapulant; tacent Principes huius mundi, rectores tenebrarum harum. Verùm vbi Deus verè quæritur, virtus nudè requiritur, & ad veritatem, & virtutem itur. Tunc ab impiis prætexitur seditio, timetur tumultus, & læsæ maiestatis criminis prætenditur suspitio. Ait in præsenti Orig. hom. 3. *Donec secum est populus, & lutum operatur, ac laterem, donec in paleis occupatus est, non putant eum esse peruersum, sed recto itinere incedere. Si verò dicat, volo ire viam trium dierum, & seruire Domino, peruerti populum dicit per Moysem, & Aaronem.* En quā sæpè id apparet in Christianis Rebuspublicis, in iis & veritatis proferendæ, & virtutis persuadendæ studium pessimè audit apud magistratus impios. Dum enim contra tyrannidem, contra sacrilegia, contra facinora sileas, prudentiæ nomen acquiris; si quid dicas, quod pro virtute stet, quod veritatem tiniat, iam temerarij, & factionarij nomen incurristi. Iam diceris quietis turbator, & populorum subuersor scriberis. Cùm Iesus pullo vectus asinorum Ierosolymam veniret, clamabant turbæ, clamabant discipuli: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Tunc Iudæi proceres iis vocibus commoti dicunt ad Iesum: *Magister, increpa discipulos tuos.* Et quale crimen erat, ob quod deberent increpari Iesu discipuli? Sanè nihil illi aliud faciebant, quàm palliis dimissis ornare viam Iesu, illiúsque maiestatem, & gloriam celebrare hymnis; at Iesu laus, & acceptio nunquam non rea maiestatis læsæ apparet apud magistratus impios. Ex quo D. Ambr. lib. 5. epist. 32. orat. in Auxentium, sic sui temporis rem definit: *Audistis legi, quòd cùm Christus super pullum asinæ sederet, clamabant pueruli, & molestè ferebant Iudæi. Semper ergo Christi laudes verbera perfidorum sunt. Et nunc cùm laudatur Christus, dicunt hæretici, quia seditio commouetur, dicunt hæretici, quia iis mors paratur, & verè mortem habent in laudibus Christi.* Semper impij sunt idem in figmentis suis; semper seditioni tribuunt, quòd laudetur Christus. Vide in Anglia innocentes Christi Sacerdotes accusari, imò damnari crimine læsæ maiestatis, crebris accersiri iudiciis de proditione regni, de seditione excitata inter turbas. Et in quo hi homines venerabiles, omni fulgentis virtute seditiosi, aut proditores fuerunt? Extollunt Ecclesiam verustissimam Christi, prædicant Sacramenta Christi; & semper hæretici dicunt, cùm laudatur Christus, quia seditio est. Vide etiā in regnis sincera religione imbutis, multos sapiētes viros inscitiæ, & temeritatis accusari & damnari; non aliā ob rem, quàm quia nudam veritatem dixerunt; quia percusserunt notissima pōpulis facinora, & inde temerarij, inde seditiosi? Equidem cùm res agitur virtutis, semper dicunt impij, quòd fit seditio. Id, quod ex aliis multis, & epistola Scismaticorum Orientalium ad populum Constantinopolitanum data patet, quæ habetur tom. 3. Concilij Ephes. c. 7. Vbi sic de sanctissimo Cyrillo, & socio eius Memnone loquuntur: *Opere pretium duximus vos certiores facere, nos Ephesum aduenisse, ibidémque ciuitatem quidem omni tumultuationis genere plenam, vniuersam verò Synodum non vulgaribus turbis agitatam, Ecclesiam autem velut mare sæua quadam tempestate concitatam reperisse; Cyrillo Alexandriæ quondam Episcopo, & Memnone Ephesino instar ventorum tetram hanc procellam excitantibus.* Quid impiorum ingenio accommodatius? Duæ erant fidei columnæ, Cyrillus, & Memnon, duo capita, quæ pro veritate stabant: duo erant lumina, quæ portum salutis ostendebant: & eo ipso tumultuum authores, & seditionum vocabantur. Sic parens meus Sanctus Ignatius, quia Parisiis scholasticos iuuenes in Christi sequelam trahebat, vt seditionis reus verberibus addicitur. Et quam virtutem non æstiment seditionem magistratus impij? Actor. cap. 10. *Aperiens Petrus os suum, dixit in veritate comperi, &c. Verbum misit Deus filiis Israël, annuntians pacem per Iesum Christum: (hic est omnium Deus.) Vos scitis, quòd factum est verbum per omnem Iudæam: incipiens enim a Galilæa, &c.* Sic Petrus in Christi laudem promit eius doctrinam à Galilæa incipientem; at Principes Ierosolymitani accusantes Iesum apud Pilatum Lucæ cap. 23. *Inualescebant, dicentes: Commouet*

Orig.

Amb.

Cōc. Eph.

Act. 10.

Luc. 23.

mouet populum docens per vniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa huc vſque. Hoc erat vnum, quod faciebat Ieſus, in quo amici conueniunt, & inimici, nimirùm quod docebat per vniuerſam Iudæã, incipiens à Galileę. Hoc autem Petrus laudi tribuit, Iudæi autem illud tribuunt ſeditioni, & tumultui. Sed vnde, quod laudabile erat Petro, ſeditioſũ erat Ieroſolymitanis Principibus. Ille amator pius Ieſu, iſti hoſtes erant, & impij, qui rem virtutis æſtimant ſeditiones, & tumultus. Ait Beda ibi: *Hic accuſantium ſermo magis, & eum, qui accuſatur, innoxium, & eos, qui accuſant, docet eſſe peruerſos. Potuit nanq; aliquis amator Domini, ſicut etiam fecit, eandem ſententiam laudis loco ponere, dicendo auditoribus bonis: Vos ſcitis, quod factum eſt verbum per vniuerſam Iudæam: incipiens enim à Galilæa.* &c. Sic pij laudem æſtimant, quod impij, & peruerſi ſeditionem æſtimant.

Beda.

§. VII.

Mundiales Principes ſeditionis crimen æſtimant, quidquid illorum quæſtus temporales imminuit.

PEtebat Moyſes Iſraëlitas ad hoc, vt irent ad ſacrificandum Deo via trium dierum; propter quod apud Pharaonem ſeditionis crimen incurrit. Quippe ait: *Quare Moyſes, & Aaron ſolicitatis populum ab operibus?* Vbi Noſter poſuit verbũ, *ſolicitatis*, eſt in Hebræo verbum, quod iuxta multorum opinionem apud Oleaſtrum, *deficere, & rebellare*, ſignificat: quaſi arguat Pharao Moyſem, quòd in eo ſolicitaret populum ad rebellionem, & defectionem, quod ſeditioſorum proprium eſt. Sed vnde Rex ſuſpicabatur, vel vmbram rebellionis, aut ſeditionis, quãdo ſolùm expetebatur profectio ad ſacrificãdum Deo. Vnde ſacrificiorum ſtudium potuit præbere Regi ſeditionis ſuſpicionem? Id inſinuat verbum textus: *Solicitatis ab operibus*, &c. Vbi ſacrificia impediebant opera, per quę regalis fiſcus adaugebatur; non miror, quòd vel ipſa Dei adoratio æſtimaretur à Rege quaſi ſeditio, & rebellio aduersùs regnum. Notiſſima eſt hiſtoria ex Act. cap. 16. vbi Paulus puellam liberauit à ſpiritu Phitonico, quo imbuta multas res prædicebat, & non paruum quæſtum Dominis ſuis acquirebat: Quid tunc? *Videntes autem Domini eius, quia exiuit ſpes quæſtus eorum, apprehendentes Paulum, & Silam perduxerunt in forum ad Principes, & offerentes eos magiſtratibus, dixerunt: Hi homines conturbant ciuitatem noſtram.* Expende, qui dicantur perturbatores ciuitatis, qui ſeditioſi dicantur, nimirùm Paulus, & Silas veri Dei prædicatores, dæmonum expulſores. Hoc vnum faciunt, vt Dæmon à puella abſcedat, & quia ad eorum voces Dæmon pellebatur, ſeditionis accuſantur. Vnde, ô boni, putatis ſeditioſos illos, qui Dæmones exturbabant? Ait textus: *Videntes, quia exiuit ſpes quæſtus eorum.* Quippe excluſo Dæmone lucrum minuebatur, & dum lucrum minuitur, ipſam Diaboli contritionem æſtimabant proditionem ciuitatum: Ad hæc D. Chryſoſt. hom. 35. ibi: *Vbique malorum cauſa pecuniæ. O paganorum inhumanitatem, vt augeant pecuniam, puellam à Dæmoniis vexari volunt. Arrepto Paulo, & Sila dixerunt: Hi homines turbant ciuitatem noſtrum. Et maieſtatis læſæ crimen dicunt.* Proh genus Politicorum hominum Deo inuiſum! Malunt hi Dæmonibus vexari, quàm lucrum amittere; quidquid ſpem temporalis lucri minuit, & ſeditioſum, & tumultuarium, & regno exitiale putant. Et quid non faciat lucri amor apud Politicos? Ex ſepulcri cuſtodibus audientes Phariſæi reſurrectionem Chriſti Matth. 28. *Copioſam pecuniam dederunt militibus, dicentes: Dicite, Quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus.* Chriſti gloriam in proditionis, & furti ſuſpicionem retorquere conabantur; quod vt facerent, copioſam pecuniam ponunt in medium accipiendam à militibus, qui configerent diuini cadaueris furtum, & Apoſtolorum proditionem. Nec miror, quòd metus perdendi pecunias clamaret Apoſtolos proditores, & lattones. Ex quo D. Hilar. canone 33. *Emitur verò à cuſtodibus, qui omnia hæc viderant, argento reſurrectionis ſilentium, & mendacium furti, honore ſcilicet ſæculi, & cupiditate, quia in pecunia honor ſæculi eſt, Chriſti gloria denegatur.* Et quidem vbi inter Politicos interceſſerit ſpes acquirendi lucrum, vel metus perdendi, haud dubium, quin Chriſti gloria negetur, & ſanctiſſimi quíque vel furti, vel proditionis accuſentur.

Act. 16.

Chryſoſt.

Matt. 28

Hilar.

§. VIII.

Fides reſurrectionis maximè homines promouet.

LIs erat inter Pharaonem, & Moyſem de itinere trium dierum neceſſariò ad hoc, vt populum ſacrificaret Deo; quippe ait Moyſes: *Deus vocauit nos, vt eamus viam trium dierum*, &c. Et cur Diabolus in Pharaone ſic cauebat trium dierum profectionem, quam adeò Deus in Moyſe requirebat? Erat ibi Dominicę reſurrectionis Sacramentum, in cuius fide maximè conſiſtit ingens hominum promotio, & accretio. Ex quo D. Aug. ſer. 90. de tempore, ait: *Videamus, quid ſit illud, quod dixit Moyſes; viam trium dierum ibimus in deſertũ, vt ſacrificemus Domino Deo noſtro. Hæc quidem volebat Moyſes, ſed contradicebat Pharao, nolens filios Iſraël à ſe longè diſcedere. Non enim volebat Princeps huius mundi trium dierum ſacramenta cognoſcere. Illa vtique ſacramenta, de quibus Oſeas dixit: Viuificabit nos poſt duos dies, & in die tertia ſuſcitabit nos.* Tridui ſacramenta exitialia erant Dæmoni, vt quæ reſurrectionis continebant myſteria; in cuius fide hominum conſiſtebat ſuſcitatio, & erectio. Ex quo enim homo ſub reſurrectionis initiatur myſterio, maxima ſibi bonorum acquirit augmenta. Hinc Matth. cap. 1. attexens Saluatoris noſtri genealogiam, inter fœliciſſimos, & auctiſſimos eius proauos, ait: *Booz autem genuit Obed ex Ruth.* Non fuit contentus Boozum percenſere inter Chriſti parentes, ſed inſuper notauit ex qua vxore habuit, quòd Chriſti pater diceretur. Sed illud inquirendum eſt, cur Boozus in tantam gloriam venire meruit, non ex alia vxore, ſed ex Ruth? Boozus ideò Ruth in coniugem accepit, vt ſuſcitaret ſemen fratris ſui defuncti, iuxta legem Deutheron. 25. in quo Dominica exprimebatur reſurrectio. Quapropter cùm coniugium celebrat ſub reſurrectionis typo, ad tantam gloriam deuenit, quòd numeretur inter Chriſti Domini parentes. Ait Procopius in Gloſſa ad dictum cap. 25. Deuther. *Nondum manifeſtata reſurrectione, ipſa poſteritas, ac memoria per ipſam generis conſeruata ſolatio veteribus fuit. Interim verò reſurrectionis figuram obtinuit. Eam verò cùm obſeruaſſet Booz, & duxiſſet Ruth, prodigij quiddam ſimile adeptus eſt, vt proauus eſſet Chriſti, futuram promiſſionem reſurrectione mortali imitatus. Nam oportebat eum, qui nobis reſurrectionem donauerat, genus ducere per eos, qui typum eius ſecundùm carnem conſeruauerant.* Quia in materiali ſeminis ſuſcitatione Boozus reſurrectionem dominicam adumbrabat, inde in tantam gloriam Chriſtiferæ proſapiæ fuit exaltatus. Hinc Dominus per Ionam cap. 3. Niniuitis dicebat iuxta Septuag. lectionem: *Adhuc tres dies ſunt, & Niniue ſubuertetur.* Et mirabar, quòd triduum præfigeret ſubuerſioni Niniuitarum, quando triduum conſecratum reſurrectióni Dominicæ erat. Quippè ait Ioann. 2. *Soluite templum hoc, & in triduo ſuſcitabo illud.* Et quando triduum ſacratur reſurrectioni, cur etiam præfigitur Niniuitarum ſubuerſioni, niſi vt in ipſis minarum verbis per reſurrectionis typum, nouæ ſalutis, nouæque vitæ reciperent auſpicium? Ait D. Ephræm ſerm. de Pœnit. *Oppone ſermonem ſermoni. Ille ſuſcitare promittebat, hic euerſionem comminabatur. Chriſtus reſuſcitat ad pœnitentiam inuitans, & à propria reſurrectione oſtendit pœnitentiam, cuius homini*

Aug.

Matt. 1.

Ion. 3.

Ephram.

homini causam ad resurrectionem existere, in pietate. Ecce tibi vt triduum in vtriusq; resurrectionem adumbrabat, sic sub huius typo incrementi salutaris auspicium dabatur.

§. IX.

Vt tridui abstinentia inauspicatum quid timet in sacrificio Eucharistico.

VOcantur Israëlitæ ad sacrificium per viam trium dierum, nisi velit peste, aut gladio perire; inauspicatum enim quis vereri debet, si in trium dierum itinere nullo sacrificio munitur. Ecce textus: *Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro, ne fortè accidat nobis pestis, aut gladius.* Et cur pestis, aut gladius non immineat iis, qui in trium dierum via nullum participent diuinissimi altaris sacrificium? Quod vno, aut alio die ad sacrificium Eucharisticum vocatus abstineas parco infirmitati tuæ. At vbi trium dierum fit concursus, & per omnes tres dies continuos, & Dei vocibus, & multitudinis exemplo voceris ad sacrificandum Deo in Eucharistia, & nihilominùs abstineas, fallar, nisi pe-
Matt. 14 stifer aliquis exitus immineat. Matth. 14. quadam die concurrerant ad Iesum in desertum, vt curationem morborum acciperent: *Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes: Desertus est locus, & hora iam præterit: dimitte turbas, vt euntes in castella, emant sibi escas.* Curant ibi Apostoli de turbarum cibo, at Iesus
Matt. 15 nulla eius ostenditur occupari solicitudine. Sed Matth. 15. dum similis concursus fieret ad Iesum, conuocatis discipulis, ait Iesus: *Misereor turbæ; quia triduo iam perseuerant mécum, & non habent, quod manducent: & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via.* Non solùm attendit Dominus, sed & prouidet cibos, timens iis, ne deficiant in via. Et cur id in primis non timebat Dominus? Cur magis ad hos afficitur, & magis cauet, & timet, ne ij sine cibo deficiant? Ait ipse: *Quia triduo perseuerant mécum*, &c. Illi per spatium vnius diei solùm abstinuerant à cibo, nec miror, quòd nihil illis Deus timeat: at ij, qui toto triduo iuxta panem viuum extiterant, nec vllam panis buccellam applicuerant ori suo, meritò iis solis Deus timet, ne in via salutis deficiant.
Euseb. Vt enim ad hæc ait Euseb. Emissenus: *In hac via deficiunt ieiuni, per hanc viam currere non possunt, qui Christi pane non sunt refecti.* Sic ibi.

Exod. 5. Dixítque Pharao; multus est populus terræ: videtis, quòd turba succreuerit: quanto magis si dederitis eis requiem ab operibus? Præcepit ergo in die illo præfectis operum, & exactoribus populi, dicens: Nequaquam vltra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, sicut priùs, sed ipsi vadant, & colligant stipulas. Et mensuram laterum, quam prius faciebant, imponetis super eos, nec minuetis quicquam: vacant enim, & idcircò vociferantur, dicentes: Eamus, & sacrificemus Deo nostro. Opprimantur operibus, & expleant ea: vt non acquiescant verbis mendacibus.

§. X.

Nimia oppressio subditorum in temporalibus extremum exitium parat regno terreno, & maximum augmentum cœlesti.

QVid Pharaone crudelius? Vocabantur Israëlitæ, vt se Deo subiicerent, eique cultum præberent: metuens autem Pharao & sibi, & regno suo damnum ab Israëlitarum perfectione, eam miseris captiuis parat oppressionem, qua funditùs in eis pereat Dei memoria. *Præcepit ergo in die illa Præfectis operum, & exactoribus populi, dicens: Nequaquam vltra dabitis paleas*, &c. *Et Opprimantur operibus, & expleant ea*, &c Proh Deus immortalis! Hæc est illa Israëlitarum liberatio à te promissa? Siccine captiuitatis pœnas exuunt, etiam contrito Ægyptio per manum tuam fortem, vt promittebas? Estne idem opprimi populum feralissimis exactionibus, & liberari prorsus contrita tyrannide? Estne idem seuerioribus edictis in laboriosa opera teneri, & in libertatem filiorum Dei auolare? Equidem hæc duo solent à nimia oppressione subditorum nasci, & quòd cœleste regnum assurgat, & quòd terrenum imperium prorsus cadat. Nullo fortiùs prouidentia diuina promissionem suam ad effectum perduceret in conterendo Pharaonis regno, & in promouendo suo, quàm dum permissit Pharaonem tanta sæuire tyrannide. Ad hæc *Lyppom.* sapienter, & pulchrè loquebatur Lyppoman. in cat. fatus: *Tyrannorum profectò hic mores describuntur, & ferocitatis exempla, qui dum Deus populum è seruitute, & captiuitate vocat, indurati grauius premunt. Sed sic regere debent, qui iudicio diuino prope diem regno pellendi sunt. Talia sunt opera prouidentiæ diuinæ, ita initia sancta grauia sunt, ac difficilia. Nemo ad summam requiem sine summo labore vnquam contendit. Sic libertati viam aperit, atque parat nimia crudelitas exactionum.* Ecce tibi exseueriſſimis edictis Pharaonis duo iam monstrantur imminentia; alterum scilicet est, quòd Pharao citò erat à regno depellendus, quando, qui tam duriter, & immaniter regunt, citissimè currunt in perditionem regni: quippe ait: *Sic regere debent, qui prope diem regno pellendi sunt.* Alterum autem est, quod populus inde quam primùm sit in requiem Dei, & libertatem filiorum eius promouendus, talia enim sunt opera prouidentiæ diuinæ, quæ ex maioribus afflictionibus magis augeant cœleste regnum in cœlo, & in terris. Sic, quæ nocent terreno regno, maximè prosunt cœlesti. Nota est historia Roboami filij Salomonis, à quo cùm populares peterent aliqualem diminutionem exactionũ 3. Reg. 12. *Respondit Rex populo dura*, &c. *Et locutus est eis secundum consilium iuuenum, dicens: Pater meus aggrauauit iugum vestrum, ego autem addam iugo vestro: Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus. Et non acquieuit Rex populo, quoniam auersatus fuerat eum Dominus, vt suscitaret verbum suum, quod locutus fuerat in manu Ahiæ Salonitis ad Ieroboam.* Itáque vt Deus suum consilium perficeret in tollendo regno Roboami, permisit Roboamum in eam seueritatem, & crudelitatem venire, qua duplicaret patris sui exactiones populo molestissimas. Sed & Iesus vnicus Dei Filius Patris sui seueritates, & exactiones multiplicat, sic enim Matt. 5. *Audistis, quia dictum est antiquis: Non* *Matth. 5* *mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam iam mœchatus est eam in corde suo*, &c. *Iterum audistis, quia dictum est antiquis. Non peierabis; reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis non iurare omnino*, &c. *Audistis, quia dictum est: Diligis proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros*, &c. Compone modò Iesum cum Roboamo, vterque Regis filius, vterque regnum hæreditabat ex patre; vterque paternas superabat seueritates, addens plures rigores, supra eos, quos pater posuerat aduersùs subditos. Sed Roboam in illam cogitationem permittitur ire, vt regnum amittat, Iesus autem sic regit, vt regnum stabiliat, vt regni cœlestis vacuatas sedes impleat. Quid agis, ô bone? Cur seueritatis leges, & exactiones multiplicas? Nónne inde Roboam regnum amisit? Nónne inde regna temporalia perduntur? Cur tu magis ea non caues, vt regnum tuum stabilias? Imò inde magis ea intédit Christus, per quæ terrena regna perduntur,

perduntur, quæ enim terrena ſubditis vacuant, cœleſtia implent. Ad hæc Ruper. de Trinit. lib. 1. in Euang. cap. 19. *Itaque quod nunc ait Rex iſte, Rex nouus. Ego autem dico vobis, & in omnibus anguſtam oſtendit eſſe viam regni ſui, magis quam hactenus fuerit, pene idem eſt, ac ſi dicat: Pater meus poſuit ſuperbos iugum graue; ego autem addam ſuper iugum veſtrum. Quid igitur hoc ſibi vult, niſi quia Rex iſte Deus eſt, & quod regno terreno ſolet obeſſe, hoc cœleſti prodeſt regno eius?* Per eadem equidem & perduntur terrena regna, & cœleſtia ſtabiliuntur. Exactorum ſeueritas nimia, & crudelitas in affligendis ſubditis terrenum regnum ad extremum impellit exitium, ſed cœleſte regnum valdè confirmat.

Rupert.

Exod. 5. Igitur egreſſi Præfecti operum, & exactores ad populum, dixerunt: Sic dicit Pharao: Non do vobis paleas. Ite, & colligite ſicubi inuenire poteritis, nec minuetur quicquam de opere veſtro. Diſpersúſque eſt populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas. Præfecti quoque operum inſtabant, dicentes: Complete opus veſtrum quotidie, vt priùs facere ſolebatis, quando dabantur vobis paleæ.

§. XI.

Non eſt Rex, qui ſubditos ſupra modum premit.

NOn poſſum non mirari ſacri Scriptoris differentiam in nominando Pharaone, namque ſuprà, vbi introducitur Pharao locutus cum Moyſe, & Aaron, ait textus: *Ait ad eos Rex Ægypti; Quare Moyſes, & Aaron ſolicitatis populum ab operibus ſuis? Ite ad onera veſtra.* Verùm vbi agitur de eodem aggrauante ſupra modum populum ſibi ſubiectum, ſtatim relicta Regis appellatione, incipit textus: *Dixítque Pharao*, &c. imò ipſiſſimi illius Præfecti, vt eius crudeliſſimum edictum notum faciant Iſraëlitis, aiunt: *Sic dicit Pharao: Non do vobis paleas.* Et cur vocatus primò Rex Ægypti, modo ſolùm Pharao vocatur? Nónne efficacius edictum proponerent ſub expreſſo nomine Regis, dicentes: *Sic dixit Rex: Non do vobis*, &c. Cur modò nomen ſupprimitur Regis, quod primò exprimebatur? Equidem, in primo dicitur Rex, vt qui à ſubditis conſueta, & moderata opera exquirebat, ſub quibus non nimis opprimebantur. In ſecundo autem, quando nimiam eorum tractat oppreſſionem, quando vult eos ſupra modum, & ſupra vires grauari, tunc ablato nomine Regis, ſolùm nominatur Pharao. Et meritò, non enim Rex eſt, qui ſubditos ſupra modum grauat. Vnde Paul. Oroſius lib. 7. cap. 4. de Tiberio Imperatore aiebat: *Tiberius quibuſdam præſidibus augenda prouinciis tributa ſuadentibus ſcripſit. Boni paſtoris eſſe, tondere pecus, non deglubere.* Non paſtor, non Rex, non Princeps, ſed carnifex eſt, qui pecus ſubditum mactat. Exod. 3. vbi Moyſes dux populi inaugurabatur ad rubi ardentis miraculum, ſic audit ex Dei voce: *Solue calceamenta de pedibus tuis.* Nunquam anteà auditum fuit, quòd in ſignum reuerentiæ calceamenta ſoluantur, frequentior ad hoc erat apud nationes capitis nudatio. Cur Deus à ſuo Principe petit calceorum ablationem, non nudationem capitis? Caput laneis operiebatur, quæ de pecudum tonſione ſumebantur: calcei autem ex pellibus fiunt, quæ ſupponunt iugulationem, & mortem animalis. Sic innuebatur Principi, ne de pellibus occiſorum, ſed de tonſione vitam agat. Non enim Rex eſt, qui mactat ſubditos, ſed qui illis vitam affert. Hinc Dauidi puerulo regnum ſtatuens Deus, illum vocat in certamen cum Goliath, per quem totus Iſraël periclitabatur. Ait enim textus 1. Reg. 17. *Audiens autem Saul, & omnes Iſraëlitæ ſermones Philiſthæi huiuſcemodi, ſtupebant, & metuebant nimis.* Cum hoc Philiſthæo pugnaturus mittitur à Deo Dauid; quando fortiſſimi omnes Iſraëlitarum pugnatores cadebant animo, & mortem, aut ſeruitutem expectabant. Et cur Deus maluit omnium Iſraëlitarum ſpem in vnius puerili Dauidis conſtituere manu? Meritò; vt inde iam Rex deſignaretur, ex quo nullus ſubditorum non deberet ei vitam, & libertatem. Pulchrè ad hæc D. Baſil. Seleu. orat. 15. *Iam Saul à dæmoniaca ſeruitute liberatus erat; & lyræ pulſu Dauid impurati ſpiritus dominationem fregerat: conflictus cum Goliath, dæmonum pugnæ ſucceſſit; ne ſolius Regis ſoſpitator eſſet Dauid, verùm etiam palam de vniuerſo Iſraële bene mereretur, & ſubditis allata ſalute Rex ſtabiliretur, ac promulgaretur.* Quippe inde quis Rex ſtabilitur, & deſignatur, ſi ſubditis ſuis, & vitam, & incolumitatem præbeat. Sanè nullus eſt, qui illum Regem credat, qui in danda ſalute ſubditis non perſeuerat. Vnde cùm Chriſtus Dominus ſuffixus cruci ſubditorum ſuorum ſalutem ſanguine proprio emebat; ſtultiſſimè clamabant Phariſæi Matth. 27. *Si Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* Contra quos ſapienter ait D. Leo ſerm. 4. de Paſſ. *De quo erroris fonte Iudæi, de quo inuidiæ lacu talium blaſphemiarum venena potaſtis? Quis vobis magiſter tradidit, quæ doctrina perſuaſit, quòd illum Regem Iſraël illum Dei Filium credere deberetis, qui ſe crucifigi non ſineret?* Nullus magiſter, nulla ratio, nulla doctrina oſtendere poteſt eum Regem eſſe, qui pro ſubditorum ſalute ſibi parcit.

Exod. 3.

1 Reg. 17

Paul. Oro.

Basil. Sel

Matt. 27

D. Leo

§. XII.

De malitia Diaboli venit, quòd homo ad leuidenſia, & minuta ſolum reſpiciat.

VIde & tyrannum, & diabolicum decretum aduersùs homines, nimirùm: *Ipſi vadant, & colligant ſtipulas.* Non permitteris aliud reſpicere, aliud cogitare, quàm ſtipulas, quàm res nullius ponderis, & momenti. Sic ſemper tenentur, qui diabolica tyrannide, & malitia reguntur, vt neſciant attendere niſi ad ſtipulas, ad res leuiſſimas. De Ieſu locutus Ioann. cap. 7. inquit: *Iam die feſto mediante, aſcendit Ieſus in templum, & docebat. Et mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic literas ſcit, cùm non didicerit?* Sanè multa dicebat Ieſus mirabilia, quæ ſapientiſſimos quoſque in admirationem raperent, & maximè illos inſtruerent. Sed Iudæi, quid mirabantur in hoc Doctore cœleſti? An altitudinem doctrinæ? An vtilitatem? An præſtantiam? Minimè, ſed altitudine, & præſtantia, & vtilitate doctrinæ poſthabita, illud mirabantur, quòd ad illos erat momenti nullius, nimirùm, quomodo ſciret literas. Sic enim erant imbuti diabolica malitia, vt ſolùm ad id, quod leuius erat, & nullius ponderis reſpicerent. Ait D. Chryſoſt. homil. 48. in præſenti, inquiens: *Vides eorum plenam malitiæ admirationem? Non enim doctrinam admirabantur, neque capiebant. Sed alia eos mouebat admiratio, vnde id ſciret.* Quæ dicebantur à Ieſu, ea erant, quæ ex ſe maximè conducebant ad hominum vitam; ad hæc tamen non attendebant Iudæi, ſed iis magnis relictis, quod leuius, & nullius vtilitatis erat, id mirabantur, id exquirebant, clamantes: Quomodo hic literas ſcit? O plenam admirationem malitia! Vt enim pleni erant malitia diabolica, ſic relictis ſolidis, & pretioſis, ſolas reſpiciebant ſtipulans nullius fructus, nec momenti. Neſcit equidem malitia ad pretioſa, & ſolida reſpicere: Hinc Lucas cap. 7. *Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quòd accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retrò ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius*, &c. *Et vnguento vngebat.* Sed & Matth. 26. de hac eadem fœmina dicitur: *Acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum vnguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius*, &c. Expende, vt in primo dicatur mulier attuliſſe vnguentum

Ioan. 7.

Chryſoſt.

Luc. 7.

tum,non tamen exprimitur,quòd vnguentum pretiosum fuerit:in secundo autem,non solum vnguentum, sed & pretiosum explicatur. Et cur in primo non dicitur vnguentum etiam pretiosum? Tunc introducebatur mulier peccatrix in ciuitate, adhuc diabolicæ malitiæ seruiens reatui, ex quo habebat nondum pretiosa,& solida tractare. Ait Origenes homil.35.in Matth. *Orig.* *Considera,quàm cautè apud hos,qui peccatricem non retulerunt, vnguentum eius quasi pretiosum laudatur. Apud Lucam autem,qui expositit peccatricem, vnguentum simpliciter nominatur,nec pretiosum,nec nardi pistici. Adhuc enim habere non poterat vnguenta huiusmodi.* Minimè pretiosa,& solida tractantur ab illis, qui constringuntur diabolicæ malitiæ reatibus. Hæc enim non sinit suos ad alia aspicere, quàm ad leuidensia, & parui, aut nullius momenti. Nouit hoc sanctissimus ille Ioseph, qui vt dominæ suæ furentem libidinem repel- *Gen. 39.* leret,hæc illi referebat Gen. 39. *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis,ignorat, quid habeat in domo sua, nec quicquam est,quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi,præter te, quæ vxor eius es, quomodo ergo possum hoc malum facere?* Quantula hæc ratio pro peccato depellendo,quæ desumitur ab homine? Nónne fortior longè esset, quæ ex Deo desumeretur, & ex æternis pœnis peccatori imminentibus? Cur nec Deum,nec infernum meminit Ioseph,sed tantum heri sui offensam prætendit,quæ in peccato minimum ma- *Psal. 50.* lum est,adeò vt Dauid solùm dixerit Psalm. 50. *Tibi soli peccaui.* Quasi nihili æstimaret hominum offensas, præ Dei offensa?Cur ergo hoc, quod Dauid in peccato suo parui pendit,id solùm prætendit Ioseph,vt peccatricem auertat? Cur non ad maiora, & præstantiora recurrit?Sanè,res erat cum fœmina malitiæ diabolicæ plena, quæ minimè perciperet magna, & præstantia, & ideò sapiens iuuenis illi leuiora, & viliora prætendit, vt ad quæ mulier peccatrix magis atten- *Chrysost.* deret. Pulchrè Diuus Chrysostomus homil.32.in 1.ad Corinth.inquit:*Cur autem heri erga se beneficia commendat? Diuinarum rerum monitu barbaram impellere mulierem non potuisset, ab humanis igitur impellere tentat.* Diuina,& solidiora dimittit,vt quæ minimè attendantur ab iis,qui sunt diaboli malitia infecti;humana, & leuia prætendit, vt quæ sola respici soleant à vitiorum seruis.

§. XIII.

Lucellitemporalis ambitio in seruis Dei grauiores factiones parit.

DAbat anteà Ægyptius paleas Israëlitis ad confi- ciendos lateres; & cùm Ægyptius paleas dabat, minimè dicuntur Ægyptij per terram dispersi, vt illas colligerent. Vbi autem coacti sunt Israëlitæ paleas quærere, ecce ait textus: *Dispersúsque est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas.* Itáque Israël totus dispergitur per terram Ægypti, vbi intendit colligere paleas,sed Ægyptius in eadem collectione palearum dum occupabatur, non dispergebatur. Et cur palearum inquisitio non in Ægyptiis, sed in Israëlitis tantam dispersionem parit? Adumbrabatur iam tunc, quid in religiosorum hominum natione, vel parui lucelli temporalis inquisitio, & ambitio parit: lucelli enim parui ambitio, quæ non commouet homines mundiales, hæc in religiosorum adytis pernicioſas dispersiones, & diuisiones facit. Caueat religiosa natio affectum ad quæuis, licèt parua lucella temporalia; vbi enim hic affectus intrauerit religiosa claustra,fallor, nisi ibi mille animorum dispersiones, diuisiones,& factiones gignantur. Numer. 11. Israëlitæ fastidientes cœlestem panem plorabant pro cœpis, & peponibus: *Audiuit ergo Moyses populum flentem per familias, singulos per ostia tentorij sui*; vbi Lyra in addition.4.ad 4. audiens, quòd flebant per familias,colligit: *Quòd erant diuisi ab inuicem, & non congregati.* Sed Osseas capite 9.de illis ait: *Reuersus est* *Osseas 9.* *Ephrain in Ægyptum, & in Assyriis pollutum comedit,* &c. *Ægyptus congregauit eos.* Ecce tibi egressi ab Ægypto,cœlisti pane pasti, & recreati,diuisi ab inuicem, & non congregati fletibus vacabant pro cœpis Ægyptiorum. Verùm reuersi in Ægyptum profanis ibi pabulis dediti congregabantur, ait enim: *Ægyptus congregauit eos.* Cur ergo cœpæ Ægyptiæ Hebræos in Ægyptum reuersos minimè diuidebant, sed prorsus congregabant, at illæ ipsæ, vel concupitæ ab eisdem in deserto existentibus,illos diuisos, & dispersos tenebant fletibus vacantes?Equidem in deserto sancti, & religiosi erant Israëlitæ, cœlestibus alti pabulis, in religiosa autem natione temporalis lucri affectus diuisiones, & dispersiones parit, quas minimè pariebat in eisdem, quando à religione discedentes ad Ægyptum reuertebantur, ibique mundialiter, & profanè victitabant. Non enim vilis lucelli affectus adeò factionarius est in mundialibus,vt in religiosis claustris. Hinc Matth.20.ad Iesum: *Accessit mater ad eũ filiorum* *Zebedæi cũ filiis suis,adorans, & petens aliquid ab eo. Qui* *Matt.20* *dixit ei: Quid vis? At illi: Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram, in regno tuo.* Et quidem dextera æterni Regis non solùm duos capiebat fratres, sed & ibi vniuersa sanctorum multitudo erat collocãda;sic enim habes Matt.25. *Statuet oues quidem à dextris.* Vna ergo Iesu dextera vniuersos cœli Principes capiet. Cur mulier hæc non petebat, vt ambo filij collocarentur in dextera?Cur maluit, vt diuisi, & separati à dextris, & sinistris extarent? Cur non potiùs illis & sedis, & honoris requirebat vnitatem?Rationem attigit Diuus Chrysostomus homil.66. *Chrysost.* in Matth.fatus: *Quoniam prope Ierusalem erant, credebántque regnum Dei iam iam euenturum, quod huius vitæ,ac sæculare opinabantur,hæc postulabant.* Et meritò, vbi sæculare regnum expetitum opinabantur, rem postulabant, qua diuisi, & separati à se inuicem extarent, non potest enim temporalis affectus in natione sanctorum longas diuisiones non causare.

Exod.5. Flagellatíque sunt,qui præerant operibus filiorum Israël, ab exactoribus Pharaonis, dicentibus. Quare non impletis mensuram laterum sicut priùs,nec heri, nec hodie? Venerúntque Præpositi filiorum Israël, & vociferati sunt ad Pharaonem,dicentes. Cur ita agis contra seruos tuos?Paleæ non dantur nobis,& lateres similiter imperantur. En famuli tui flagellis cædimur,& iniustè agitur contra populum tuum.

§. XIV.

Non omnium est,sed præstantissimorum, quòd vel mediis ærumnis nihil Deo perficiant contrarium.

VIde quo ferat flagellorum acerbitas Præpositos populi Israël, nimirùm: *Vociferati sunt ad Pharaonem, dicentes. Cur ita agis contra seruos tuos? En famuli tui flagellis cædimur, & iniustè agitur contra populum tuum.* Nulla in illis memoria Dei, sed sese totos fatentur Pharaonis famulos. Quid turpius? Equidem non omnium est tormentis non vinci. Ait homil. 3. in præsenti Origen. *Superati verberibus non-* *Orig.* *nulli à fide decidunt, & confitentur se esse populum Pharaonis. Non enim omnes,qui ex Israël,hi sunt Israëlitæ,nec quia sunt semen,sunt omnes filij.* Non equidem omnium, sed præstantissimorũ est illa fortitudo, qua veri Israëlitæ,veri Dei filij nullis adducantur ærumnis,& præstét Pharaoni famulitium, sed vni Deo se sistant. Martha

illa Ioann. 11. fratris vnici morte afflicta, amariſſimíſque luctibus, & doloribus cincta: *Vt audiuit, quia Ieſus venit, occurrit illi.* Id quod meditatus Diu. Baſil. Sel. orat. 40. ait: *Occurrit Chriſto luctu adhuc adoleſcente. Vides amorem viuacem.* Et quidem non parui amoris res erat, quòd cùm tanti luctus, tanti doloris adoleſcerent cauſæ, non tamen pigritaret Ieſu venienti ſeſe in primis præſentare. Quin præſtantiſſimæ amatricis fuit, quod adoleſcentis luctu, & ærumna, adhuc nec ad modicum ſuſtinuerit à Ieſu ſuperari. Componite modo Matthæ Moyſem, qui numer. 2. iuſſus educere aquam de petra, aſſumpta virga ait: *Num de petra hac vobis aquam poterimus educere?* Multa indubitanter fecerat mirabilia Moyſes cum virga; cur modò dubitat aquam de petra præſtare? Theodoretus, quæſtione 38. *Ipſis de morte ſororis dolentibus inſtabant Iſraëlitæ, murmurantes ob aquæ penuriam. Quapropter moleſtè ferentes eorum petulentiam, ambiguis vſi ſunt verbis, dum educerent aquam.* Erant Moyſes, & Aaron dolentes de recenti obitu ſororis, & adoleſcente adhuc luctu vocabantur ad educendam aquam, & inde in errorem ſunt delapſi. Non enim omnium, ſed optimorum eſt, quòd mediis luctibus, & calamitatibus neſciant deuiare. Vnde commendans Gorgoniam ſororem ſuam Nazianzenus ait: *Modeſtiam, & verecundiam in doloribus quoque retinuit.* Hinc ipſe Ieſus, dum in cruce erat, immenſis penè doloribus occupatus Ioann. 19. *Cùm vidiſſet matrem, & diſcipulum, quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier ecce Filius tuus.* Et quantum hoc fuit ad matris ſolatium, quòd amiſſo Filio Deo, reciperet hominem Ioannem? Quando ergo hoc parum, aut nihil conducebat ad matris ſolatium, cur Ieſus inter tot dolores voluit id matri procurare? Fateor parum erat hoc matris ſolatium; at maximum argumentum fuit Chriſti præſtantiæ, quem tot genera pœnarum non adduxerunt, vt à debito matri officio deuiaret. Et quo pulchrè ait Diuus Cyrillus Alexand. lib. 11. in Ioann. capite 34. *Cùm igitur ita per legem ipſe præceperit, cúmque omnis virtutis ipſe fons ſit, quomodo non oportebat ab ipſo, & per ipſum primum nos diſcere, nec quando intolerabiles imminent ærumnæ negligendos eſſe parentes? Optimus enim ille certè eſt, non qui magna in tranquillitate, ac copia rerum, ſed qui in tempeſtate, & egeſtate mandatorum non obliuiſcitur.* Expende ab illis: *Optimus enim ille certè eſt*, &c. Inde enim quis oſtenditur inter præſtantiſſimos annumerari, quòd mediis calamitatibus, mediis ærumnis, mediis tormentis neſciat, quid debiti Dei obſequij detrahere. Bonum enim eſt, & præſtans, quòd in tranquillitate Deo obſequium præſtes, at quòd id neque inter verba, & tormenta obliuiſcaris, optimum eſt, & ſuperat quamcunque aliam præſtantiam. Forſan Apoſtoli Ieſu non clariùs prædicarunt veram diuinitatem, quàm illam Nabuchodonoſor prædicauit. Ecce tibi Daniel. capite 3. Babylonium Regem poſt viſos pueros in fornace ardenti incolumes, dicentem: *Nabuchodonoſor Rex, omnibus populis, gentibus, & linguis, qui habitant in vniuerſa terra, pax vobis multiplicetur: Signa, & mirabilia fecit apud me Deus excelſus. Placuit ergo mihi prædicare ſigna eius, quia magna ſunt, & mirabilia eius, quia fortia: & regnum eius regnum ſempiternum, & poteſtas eius in generationem, & generationem.* Quæ clarior, & illuſtrior de vero Deo prædicatio? Sanè Apoſtoli Dei mirabilia, magnalia, poteſtatem, & eius regni æternitatem mundo annuntiabant, eadem & Nabuchodonoſor annuntiauit. Apoſtoli ad remotiſſimas vſque terras prædicationem ſuam extenderunt, in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum. Sed & Nabuchodonoſor omnibus populis, linguis, & gentibus, quæ habitant in vniuerſa terra, prædicauit. In quo ergo Apoſtolica prædicatio fuit clarior, & illuſtrior prædicatione per Nabuchodonoſorem facta? Hic prædicabat Deum, ſed in regno, & bonorum affluentia conſtitutus; illi mediis ærumnis, mediis calamitatibus, mediis perſecutoribus, & tormentis non potuerunt impediri, quominùs Deum verum prædicarent. Diuus Chryſoſtomus epiſt. 8. ad Olympiam, fatur: *Vides Nabuchodonoſoris doctrinam, vides excelſam prædicationem, & extenſas literas vbique terrarum? Quid itáque, dic mihi, parem num Apoſtolis accipiet iſte mercedem? quoniam locutus eſt Dei non impari prædicatione virtutem, quoniam tanto ſtudio tam bonum ſparſit vbique ſermonem? Non planè, nec quaſi aliqua ex parte; ſed ſupra modum prorſus minorem. At quid ipſum opus fecit, quod illi. Sed quoniam non huic, vel afflictiones, vel paſſiones videntur adiunctæ, ideò interciſſa ſunt iura mercedis. Hic namque cum poteſtate agebat hoc totum; illi verò prohibitionem, & expulſiones ſuſtinentes, pœnas omnes ferentes, ac verbera, in miſeriis conſtituti*, &c. Sic optimum eſt, & ſuper omnia præſtantiſſimum, quòd, vel inter acerbiſſima tormenta, non te à Deo ſeparari ſinas

Basil. Sel. Theod. Naz. Ioan. 19. D. Cyril. Dan. 3. Chryſoſt.

Exod. 5. Qui ait: Vacatis otio, idcircò dicitis: Eamus, & ſacrificemus Domino. Ite ergo, & operamini. Paleæ non dabuntur vobis, & reddetis conſuetum numerum laterum. Videbántque ſe Præpoſiti filiorum Iſraël in malum, eo quòd diceretur eis: Non minuetur quicquam operis de lateribus per ſingulos dies.

§. XV.

Fidelium tribulationes vix ſiſunt exhauriri, aut laxari, dum in hac vita ſunt.

HÆc eſt vox aduerſariarum poteſtatum ad Dei fideles: *Non minuetur quicquam operis de lateribus per ſingulos dies.* Dum enim fideles in hac ſunt captiuitate, neſciunt aduerſariæ poteſtates ſuas finire tribulationes, ſua exhaurire iacula, quibus affligant fidelium animas, Iam Ieſus ſuffixus cruci erat, iam iam penè agebat animam, Ioann. cap. 19. *Poſteà ſciens Ieſus, quia iam omnia conſummata ſunt, vt conſummaretur Scriptura, dicit: Sitio. Vas ergo erat poſitum aceto plenum. Illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circunponentes obtulerunt ori eius.* Quis tantam crederet feritatem in Chriſti hoſtibus, vt & iam penè enecto, pro frigida aqua, acetum præberent? Cur non magis compatimini, ô miſeri? Mille tormentis Dominum in crucem egiſtis, & ibi illum pene exanimem, doloribúſque confectum habetis. Cur iam non miſeremini, & dulcem aquam ſitibundo præbetis? Cur non ferus cordis veſtri rigor, vel pauliſper lenteſcit, ſed & animam eius egredientem, & quaſi in labiis manentem, acerbatis aceto? Neſciunt Chriſti hoſtes lenteſcere, neſciunt aliquid Chriſtiani laboris minuere, ſed nouis illum acerbitatibus, dum in viuis manet, acerbant. Ex quo aiebat Diu. Cyril. Alexand. lib. 11. in Ioann. capite 35. *Inter cætera igitur, quæ crudeliter in Chriſtum facta ſunt, hoc quoque poculum iudicamus. Ex quo non parum vtilitatis conſequi poſſumus. Diſcimus enim hinc non poſſe ſatiari aduerſariorum animos in perſequendis amicis Chriſti, ſed vſque ad vltimum ſpiritum, magnum vndique tentationum commouent æſtum.* En inextinguibilem in fidelium hoſtibus odiorum flammam! Neſciunt manſueſcere fidelium aduerſarij, ſed in perſequẽdis Dei amicis noua ſemper meditantur, nec iam iam animam agentibus parcunt, imò nec mortuis ſeruis Dei moritur inimicorum rabies. Quod ſtupens Pſalm. 78. ait. *Poſuerunt morticinia ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cœli; carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ.* Circa quæ

Ioan. 19. D. Cyril. Pſal. 78.

Euseb. quæ pulchrè, & eleganter Eusebius Gallicanus homil. de sancta Blandina, fatur: *Id elaborabat ius iniquitatis, vt seipsum scelerum nouitate superaret. Sacra corpora funeris honore priuantes ignibus dabant, & post hominum mortem contra ipsam pugnabant humanitatem. Et cùm iam causa periisset furoris, finem non ponebant crudelitati.* Nesciunt equidem restingui rabies eorum, qui seruos Dei persequuntur, vel ablata furoris materia, adhuc nouis incenditur crudelitas flammis. Abstulerat Cainus fratrem, & fratre occiso non mitior factus, sic Deo
Gen. 4. respondit interroganti Genes. 4. *Nunquid custos fratris mei sum ego?* Cur sceleste non mitioribus verbis memoras defunctum fratrem? Cur in tantæ innocentiæ sanguine non magis emolliuntur pectora adamantina? Ea est rabies impiorum aduersùs sanctos, quæ nunquam sciat cicurari, quæ minimè vllam diminutionem
Basil. Sel. patiatur. Ait Diu. Basil. Sel. orat. 4. *O vocem ipsa cæde magis execrabilem! O sententiam impiam, & linguæ impietate tetriorem! Nec verò cæde ipsa consopiuit inuidentiam; odia enim nunc renouat, cumque exosum Abelum non videat, contra fratris animum stomachatur; fortè mœret, quòd mortui iugulum repetere nequeat.* Sic nescit minui furor aduersùs sanctos.

Exod. 5. Occurrérntque Moysi, & Aaron, qui stabant ex aduerso, egredientibus à Pharaone: & dixerunt ad eos: Videat Dominus, & iudicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius, & præbuistis ei gladium, vt occideret nos. Reuersúsque est Moyses ad Dominum, & ait: Domine, cur afflixisti populum istum? Quare misisti me? Ex eo enim, quo ingressus sum ad Pharaonem, vt loqueter in nomine tuo, afflixisti populum tuum, & non liberasti eos.

§. XVI.

Grauis, & insueta afflictio, & calamitas fideli populo est, quòd malorum remediis mala crescant.

NOn possum non mirari, cùm videam Israëlitas aduersùs Pharaonẽ tam humiles, aduersùs Moysem tam acres. Pharaonis non sustinentes tyrannidem, aiebant: *En famuli tui flagellis cædimur, & iniustè agitur contra populum tuum.* Verùm electi à Pharaone, & inuenientes Moysem, sic modò aduersùs illum insurgunt: *Videat Dominus, & iudicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone.* Hos in iudicium Dei vocant, Pharaonem minimè. Pharaoni solùm ostendunt afflictionem suam, Moysi, & Aaroni obiiciunt terribile Dei iudicium. Cur non magis illud Pharaoni obiiciunt? Cur acriores sese ostendunt in Moysem? Ipsi aiunt: *Quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone.* Videbãt in Moyse remedia omnia, quibus sperabant se à tyrannide Pharaonis liberandos, versa esse in maioris tyrannidis incitatiuum: & vitam, quam mediatore Moyse odorabantur, conuersam esse in fœtorem, quo citiùs perirent. Quod malum, durum, insuetum, & peregrinum erat fidelis populi iudicio. Et quantum malum est, quòd in ipso mali remedio duriora homines timeant? Sanè hoc atrocissimi mali genus semel in Ethnicis agnitum, à fidelium supplicio alienum reputat Paulus Oros. lib. 5. cap. 11. dum hanc in Africa calamitatem definit. Cùm per totam Africam immensæ locustarum multitudines coaluissent, & non modò iam spem cunctam frugum abrasissent, herbásque omnes cum parte radicum, & folia arborum cum teneritudine ramorum consumpsissent, verùm etiam amaras cortices, atque arida ligna perrosissent, repentino arreptæ vento, atque in globos coactæ, portatæque diu per aërem Africano pelago immersæ sunt. Harum cùm immensos aceruos longè vndis vrgentibus fluctus per extenta latè littora propulisset, tetrum nimis, atque vltra opinionem pestiferum odorem, tabida, & putrefacta congeries exhalauit. Vndè omnium pariter animantium tanta pestilentia consecuta est, vt auium, pecudum, ac bestiarum corruptione aëris dissolutarum, putrefacta passim cadauera vitium corruptionis augerent. At verò quanta fuerit hominum lues, ipse ego dum refero, perhorresco. Quid horribilius? Ablatio mali locustarũ versa est in funestiorem prouinciæ perniciem. Quis videns locustas vento rapi, & in mare demergi, non crederet præsentissimi mali remediũ existere? At receptæ in mare viuæ locustæ, & euomitæ mortuæ fœtore suo extremum Africæ ethnicæ attulerunt exitium. Quid tunc? Hoc malum fidelibus ignorum sic dixit: *Verumtamen, pace, & gratia omnipotentis Dei dixerim, de cuius misericordia hæc loquor; nunquam temporibus Christianis tanta vis inextricabilis mali accidit, vt pernicies locustarum, quæ nullo modo ferri viua potuisset, mortua plus noceret: & qua diu viuente peritura erant omnia, ea perdita, pereuntibus magis omnibus optandum fuerit, ne periret.* Et quidem ex malorum remediis orta pernicies, vt maxima, sic tum populo fideli erat insueta, & peregrina. Quid enim durius, quàm quod mali remedium eò perueniat, vt optandum sit, quod magis prius malum existeret? Tanta calamitas non inuenta est, nisi vt impios, & infideles puniat. De reprobo Pha-
Luc. 18. risæo ait Luc. 18. *Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum* &c. *ieiuno bis in Sabbatho, decimas do*, &c. Adducitur hic Pharisæus in perditorum exemplum, & adducitur ieiunãs, orans, & decimas dans. Et qualis pernicies esse potest in ieiunatore, in scelerum persecutore? Maxima, dum illa ipsa peccatorum remedia inficiebantur, & in pestiferum fœtorem iactantiæ conuertebantur. Sic de illo ait Euseb. Gallican. serm. 6. de orat. *De do-*
Euseb. *mo Dei Pharisæus nimis sibi securus præsumptionis reportauit offensam: odibile enim fecerat sacrificium orationis suæ fœtore iactantiæ.* Ecce tibi vt Pharisæus peccatorum remedia, & salutis fontes, nimirùm orationes, ieiunia, & solutiones decimarum in pestiferum fœtorem commutauit, qui hominem reprobum statuat. Sed cui accideret tantum malum, nisi Pharisæo? Perfido, & deplorato homini illud Dauid imprecabatur Psal.
Psal. 108 108. *Oratio eius fiat in peccatum.* Quando enim oratio fidelium remedium solet esse peccatorum, magni, & insueti supplicij est argumentum, quòd inde eructent peccata, & miseriæ, vnde sperabatur remedium. Vt dicat Diu. Ambros. lib. 1. de Abel cap. 9. *An nescis,*
Amb. *quàm graue sit in oratione contrahere peccatum, vbi speras remedium? Certè Dominus per Prophetam docuit hoc graue esse maledictum, dicens: Et oratio eius fiat in peccatum.* Quæ calamitas proditorem Christi tenuit, & vexauit, vt D. Hieronym. ibi, & D. Leo serm. 5. de Pass. testantur.

§. XVII.

Ex tunc vera Dei virtus in nobis apparet, ex quo tentationibus paramur.

VIx in Dei nomine cum Pharaone actum est de Israëlis salute, & Israëlitarum tentationes, & afflictiones incipiunt. Sic enim ait Moyses: *Ex eo enim, quo ingressus sum ad Pharaonẽ, vt loquerer in nomine tuo; afflixisti populum tuum.* Simul Moyses cœpit agere cum Pharaone in Dei nomine, & Israëlitarum afflictionibus aditus aperitur. Hoc enim indicium est veræ assistentis virtutis, quod & occurrat tentationibus, & probetur periculis. Ex quo aiebat Euseb. Gallicanus ho-
Euseb. mil. de sancto Honorato: *Teneamus veram humilitatem.*

Veram dixit, id est, quæ nouerit prouocata vinci, irrita non lædi; quæ parata sit ad omnem colluctationem. Expende ab illis: *Veram dixit*, &c. inde enim censet veritatem virtutis, si prouocata vincat, si parata sit ad omnem colluctationem, quasi dum non est in lucta, vera virtus non sit. Et ex tunc appareat vera esse virtus, ex quo illi præponitur probatio in tentationum periculis. Hinc
Iob 1. Dominus ad tentatorem diabolum de Iob cap. 1. *Num consideraſti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* In cat. Græca legitur: *Non est secundùm ipsum aliquis eorum, qui sunt super terram, homo irreprehensibilis, iustus, verus, pius.* &c. Expende, quòd prius vocat *irreprehensibilem*, & *iustum*, deinde *verum*, cùm in re prius sit esse *verum*, quàm *irreprensibilem*. Et cur prius dixit *irreprehensibilem*, quàm *verum*? Dum *irreprehensibilem* dicebat, diabolus tentator excitabatur ad tentationes parandas, quæ semper præmitti debent, vt clarè
Chrysost. veritas virtutum appareat. Ait ibi D. Chrysost. *Primum omnis homo verus est, idque ex opificij ratione; deinde sine reprehensione est, & sine querela ex vitæ consuetudine. Sed hoc loco propter conflictum cum diabolo irreprehensibilem vero proponit.* Illud in homine quouis proponendum est, quod conflictibus, & tentationibus est iunctum diabolicis; vt deinde eius virtutum veritas possit euidentiùs exponi. Sic ipse diabolus irridebat Iobi virtutes, quas minimè veras credebat, dum nulla probaba-
Iob. 1. bantur tentatione. Ait enim cap. 1. *Nunquid Iob frustrà timet Deum? Nónne tu vallasti eum, ac domũ eius, vniuersámque substantiam per circuitum, operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra? Sed extende manum tuam, & tange*, &c. Ecce tibi dum Iob tentationi non concedebatur, eius virtutem veram minimè diabolus credidit. Vnde cum hæc à diabolo dicta audit
Dydim. Dydimus in cat. Græca ait: *Propriam eorum est, qui virtuti sunt inimiciores, cæterorum bona minimè vera esse existimare.* Sed illud flagitat Dæmon, vt vera credat, nimirùm quòd Iob tangatur manu Dei, hoc est, quòd tentationibus, & periculis detur. Et quidem ex tentationũ
Num. 1. conflictibus vera virtus censetur. Vnde Num. 1. ait Dominus: *Tollite summam vniuersæ congregationis filiorum Israël per cognationes, & domos suas, & nomina singulorum, quicquid sexus est masculini à vicesimo anno, & suprà, omnium virorum fortium ex Israël.* Et qui numerabantur? ait infrà: *Omnes, qui poterant ad bella procedere.* Vbi eliganter Theodoret. in cat. Græca fatur: *Tu velim ex hoc etiam mihi consideres, in censum Dei, & in librum vitæ nullam ætatem referri, nisi quæ virilis, & idoneà sit bellis tentationum perferendis.* Itáque ex quo quis Dei esse incipit, hoc habere debet, quod idoneus sit, vt se exponat tentationum periculis.

Exod. 6. Dixítque Dominus dd Moysem: Nunc videbis, quæ facturus sum Pharaoni: per manum enim fortem dimittet eos, & in manu robusta eiiciet illos de terra sua. Loquutúsq; est Dominus ad Moysem, dicens: Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum ADONAI, non indicaui eis. Pepigíque fœdus cum eis, vt darem eis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt aduenæ.

§. XVIII.

Tunc solet Deus seruis suis accurrere, quando in illos rabies creata non habet, quid amplius agat.

EXpende illud: *Nunc videbis*, &c. Nunc nimirum, quando afflictiones Israëlis creuerunt, quando Pharao aggrauauit eorum oppressionem, vt iam eis vel viuere non liceret. Nunc, inquam affuturus est Deus, qui tunc solet suis accurrere, quando rabies humanæ omne suum virus exhauserunt. Et quidem Dan. 3. tres Hebræi pueri Nabuchodonosori furenti sistuntur, quibus ipse dira minatur, imò eos ligari iubet, & in ardentissimam fornacem immitti: *Angelus autem Domini discendit cum Azaria, & sociis eius in fornacem, & excussit flammam ignis*, &c. Non antea,, sed cùm iam mediis flammis pueri essent, Angelus Domini accurrit. Et cur non antè venit? Cur cùm Regi adstarent, siue cum ligarentur, affuit, & illos non eripuit? Cur maluit expectare, vt coniicerẽtur in ignem? Expectabat equidem, quòd Regis furor omne virus exhauriret, & nihil haberet iam, quòd aduersùs illos efficeret; vt sic clarior pateret puerorum triumphus. Ait D. Chrysost. *Chrysost.* hom. 6. ad Popul. *Propterea & Deus permisit omnia fieri, quæcunque tyrannus voluit, vt demonstraret, quod à se custoditos offendere posset nemo. Voluit Rex ipsorum vrbem euertere, & Dominus non prohibuit: voluit captiuos ducere, & non impediuit: voluit ligare, concessit in fornacem injcere permisit, flammam vltra modum succendere, & hoc demisit. Et quando nihil reliquum fuerat, sed omnem vim tyrannus exhauserat, tunc suam Deus virtutem monstrauit, & puerorum patientiam.* Is est Deus, qui in seruis suis gaudeat confligere cum omnibus aduersarum potestatum viribus; adeò, vt nisi prius eæ omne suum virus promant, vix amet Deus in arenam prosilire. Quis nesciat Diaboli prælia aduersùs Iobi innocentiam? Chaldeorum exercitus armat, qui eius rapiant greges; ignem cœlestem imittit, qui oues consumat, ventos trahit, qui domum quantiant, & filios opprimant. Addit insuper omnia morborum genera, vxoris insultus, amicorum morsus, & tunc c. 42. *Postquam autem locu-* *Iob. 42.*
tus est Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te, & in Duos amicos tuos, &c. Cur non antea respondit Dominus pro Iobo? Cur vel inter morbos non apparuit, vel amicorum nõ frænauit linguam? Expectabat bonus, vt Diabolus omnes suas machinas in medium produceret, vt nihil haberet, in quo non maneret victus. Ait D. Chrys. hom. *Chrysost.*
6. ad Popul. *Permisit Diabolum omnem suam potentiam ostentare: & postquam omnes hausit sagittas, & nullus insidiarum modus derelictus est, tunc è stadio pugilem eduxit, vt clara, & indubita fieret victoria.* Non adeò clara esset victoria, si hostis omnium suarum virium non feciſſet periculum; si adhuc haberet telum, in quo gloriaretur non fuisse victus; ideò expectare solet Deus, vt omnia sua tela aduersarij exhauriant, & tunc virtutem suam suis asseclis ostendit.

§. XIX.

Vbi regnandi cupido viget, non leuibus frænatur, sed maximis.

NOn immeritò de dimittendo à Pharaone populo Israëlitico locutus textus ait: *Per manum fortem dimittet eos, & in manu robusta eiiciet illos*: Hoc est, non nisi manus fortis, & robustæ plagam expertus populum sibi subiectum dimittet. Et quis à populorum regimine abstrahetur, aliis quàm robustis, fortibúsq; plagis percussus? Ecce tibi Num. cap. 12. *Locuta est Maria,* *Num. 12.*
& Aaron contra Moysem propter vxorem eius Æthiopissam, & dixerunt: Num per solum Moysem locutus est Dominus? Nónne & nobis similiter est locutus, &c. *Iratúsque contra eos Dominus abiit, nubes quoque recessit, quæ erat supra tabernaculum: & ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix.* Sic rebellio in Moysem castigata à Deo est, sed & infrà cap. 16. Ecce autem *Core filius Isaar, filij Caath, filij Leui, & Dathan, atque Abiron filij Eliab, Hon quoque filius Phaleth de filiis Ruben, surrexerunt contra Moysem*, &c. Vix Maria sanata erat à lepra, quæ inficiebatur propterea quòd aduersùs Moysem, locuta

locuta fuerat,& Core insurgit etiam in Moysem. Cur non magis cauet sibi in Mariæ supplicio? Cur non magis timet lepræ plagam? Sanè, non tantum erat lepræ supplicium, quod posset hominem ambitiosum frænare, qui vbi agitur cupidine regnandi, minimè curatur leuibus plagis. Procopius ibi fatur: *Conspirarunt autem Core,& cæteri, quantumuis recens infœlicis conspirationis Mariæ, & Aaronis haberent exemplum. Sed huiusmodi turbines, & fluctus in rebus humanis immoderata regnandi libido, inuidiáque commouet.* Non equidem Mariæ supplicium præ oculis positum cohibuit Corebum,in quo regnandi libido eos fluctus excitabat,qui minimè possent leuibus componi. Huc refero illud 3. Reg.1. vbi sic: *Adonias autem filius Haggith eleuabatur, dicens: Ego regnabo. Fecitque sibi currus, & equites,& quinquaginta viros, qui currerent ante eum,*&c. *Erat autem & ipse pulcher valdè, secundus natu post Absalon.* Circa quæ verba celebrem quæstionem agitat Abbulensis,14.cur necessum in præsenti fuerit notari, quòd Adonias fuerit pulcher, & secundo natus post Absalon?Id notatum crediderim, vt effrænem eius regnandi cupiditatem exaggerarent;quando habens sibi immediatum fratrem Absalonem à quercu suspensum ob ambitionem, nilominùs ipse etiam regnum præripere affectauerit. Et quis regnandi ambitionem in homine frænaret, quam ob id suspensus ab arbore frater minimè frænauit; Creauerat Deus Adoniam penè immediatum Absaloni, vt in huius exitu caueret sibi præripere regnum, at principatus amor nihil nouit timere,nihil nouit vereri. Imò ipsa mors placida apparet, si accidat inter regnandum. Aiebat enim Iob cap.3. *Nunc enim dormiens silerem,& somno meo requiescerem, cum regibus,& consulibus terræ,*&c. De morte,somno,ac quiete philosophatur: & vnde mors,somnus,aut quies,vel cum quibus res adeò amara in dulcedinem somni commutatur? Ipse aiebat: *Cum Regibus, & consulibus terræ*; Vbi Rex cum Regibus, & Princeps inter Principes caderet, & moreretur, non timet mortem, sed illam lucrum æstimat. Hinc Paul. Oros. lib.7. cap.42. nonnullos regni ambitores memorans,ait: *Iouinus vir Galliarum nobilissimus in tyrannidem mox vt assurrexit, cecidit. Sabastianus frater eiusdem, hoc solum vt tyrannus moreretur,elegit. Nam continuò vt est creatus,occisus est. Quid de infœliciissimo Attalo loquar, cui occidi inter tyrannos honor,& mori lucrum fuit?* Sic regnandi cupidi, vel mortes,vel crudelissimas interfectiones vorabant, dum in illis nil amitterent regium. Et cur affectus regnandi non contemneret mortem, quam posset manus creata inferre? At quando non creata manus, sed validissima Dei manus accedit,vt malum inferat, fallor,nisi vel lapideus Pharao flectatur, & à se prorsus obiiciat regnum.Ait enim textus:*In manu robusta eiiciet eos de terra sua.* Nollet equidem habere regnum, cuius cupiditate Dei robustissimam manum experietur. Serpens ille antiquus expugnaturus Adamum Gen. 3. ait: *Eritis sicut dij scientes bonum, & malum:* scientiæ Dei æmulationem proposuit, & non dominij: Et cur non magis proposuit dominij æmulationem? Cur non dixit potiùs: *Eritis sicut dij dominantes omnium creaturarum?* Nónne ipse priùs hunc appetierat dominatum. Planè appetierat,sed tam terribiliter fuerat à Deo in mortem præcipitatus, vt à se abiiceret omnem memoriam dominatus, nec vellet illius recordari. Ait D. Ber. ser.4. de Ascens. *Quàm pauci euadunt, quibus non dominandi libido dominetur? Nónne iste est mons in quem ascendit Angelus,& Diabolus factus est; Vel illud aduertite,quòd post casum suum inuidia cruciante malè solicitus de supplantando homine, illius tamen montis ascensum nullatenus ausus est suadere ei, in quo nimirùm inani ascensu tam immane præcipitium cognosceretur expertus.* Et quidem tanta Dei manus opprimens Angelũ propter regnandi cupidinẽ, vbi appareret,non esset, qui regnum meminisse vellet.

Procop.

3.Reg.1.

Iob. 3.

Paul.Oro.

D.Ber.

§. XX.

Christi vicinitas maiora semper afferebat gratiarum augmenta. Vbi quòd Iesus transformatur,iuxta propinquorum indigentiam.

OMnipotentẽ sese Deus ostendit Abrahamo,Isaaco, & Iacobo, sed tamen illis ADONAI nomen manifestauit,quod manifestauit Moysi: siue quòd Moysi promissorum adimpletionem, siue suam essentiam clariùs ostendit. Et cur tanta Moysi dedit, quæ minimè patribus antea data fuerint; Vicinabatur Moyses magis Christi aduentui, & inde plura percipiebat; quo enim quis Christo vicinior,eò & plura, & præstantiora percipit: Ait Rabannus apud Lyppom. in cat. *Si secundùm veritatem Scripturam inspicimus, agnoscemus aliquid Moysi reuelatum esse, quod anterioribus patribus non est innuatum. Quanto enim ipsius veritatis appropinquauit aduentui in carne,tanto manifestiùs reuelata sunt sacramenta patribus. Inde nunc ad Moysem dicitur: Ego Dominus,qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente,& nomen meum* ADONAI *non indicaui eis. Vnde & Dauid dicit: Super omnes docentes me intellexi. Et Dominus ad Apostolos ait: Beati oculi,qui vident,quæ vos videtis. Multi prophetæ,& iusti voluerunt videre,quæ vos videtis, & non viderunt.* Ecce tibi cum Christi vicinitate maiora semper gratiarum veniebant augmenta. Nunquam,qui Christo vicinior fuit, aliquod magnum bonorum incrementum non percepit. Dominicæ natiuitatis historiam attexens D. Lucas cap.2.sic notat: *Exiit edictum à Cæsare Augusto,vt describeretur vniuersus Orbis. Hæc descriptio primò facta est à Præside Syriæ Cyrino, & ibunt,vt profiterentur singuli in suam ciuitatem: Ascendit aut Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudeam, ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, eò quòd esset de domo, & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante.Factum est,cùm essent ibi,impleti sunt dies, vt pareret. Et peperit filium suum primogenitum,* &c. Ecce tibi vt Lucas describens ortum Iesu, simul notat omnia, quæ tunc fiebant, vt edictum promulgabatur de toto Orbe describendo sub Cæsare;vt hæc descriptio tunc primò facta est,nullus enim anteriorum Cæsarum tale quid cogitabit, quia nullus habuit tam latum imperium. Quid diuinius? Cùm Iesus in mundo nascitur, & Romanis libellis inscribitur, tunc primò omnis terrarum Orbis inscribitur sub Cæsare, nunquam enim Iesu vicinitas sine ingenti bonorum incremento venit. Ad hæc Paul. Oros. lib.6. cap. 22.ait: *Hac est prima illa,clarissimaque professio, quæ Cæsarem omnium principem, Romanósque rerum dominos singillatim cunctorum hominum edita adscriptione signauit, in qua se & ipse, qui cunctos homines fecit, inueniri hominem, adscribique inter homines voluit. Quod nunquam penitus ab Orbe condito, atque ab exordio generis humani in hunc mundum, nec Babylonio quidem, nec Macedonio regno concessum est. Nec dubium, quin omnium cognitioni pateat, quòd Dominus noster Iesus Christ hanc vrbem nutu suo auctam, defensámque in hunc rerum apicem prouexerit, cuius potissimum voluit esse,cùm venit, dicendus ciuis Romanus,census professione Romani.* Expende ab illis verbis: *Nec dubium*, &c. quibus manifestum esse putat, quòd simul Romanis tabulis Iesus scribendus accesceit, & per totum terrarum Orbem imperij Romani augmentum. Nulli enim Iesus appropiat, cui ingentia bonorum incrementa non præstet. Hinc illud Ioann. 12. *Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Sanè, omnes eramus mortui, omnes terrenæ corruptioni traditi; quòd si diuinissimum Christi granum in suis maneret, nos semper maneremus sub mortis potestate, Quid tunc?

Lyppom.

Lucæ 2.

Paul.Oro.

Ioan.12.

In terram cecidit diuinum granum, mortuis appropinquauit, & ſtatim mortui receperunt auſpicia vitæ
D. Mach. immortalis. D. Machar. Epiſcop. Hieroſol. lib. 2. Concilij Nicæni fatur ad quendam philoſophum: *Ipſe Ieſus erat ſpiritualiter granum frumenti, quod pro nobis cadens in terram, & carne moriens per ſuæ diuinitatis potentiam, corporale ſuum templum ſuſcitauit ſecundùm Scripturas, fructum afferens totius humani generis reſurrectionem.* Ecce quantum vitæ augmentum mortui recipiunt de Ieſu ad mortuos appropinquante. Similiter
Num. 24 Num. cap. 24. Balaam Iſraëlis glorias præcinens, ait: *Quàm pulchra tabernacula Iacob, & tentoria tua Iſraël, vt valles nemoroſæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quaſi cedri prope aquas.* Expende illa: *Vt horti iuxta fluuios*, & inſuper, *quaſi cederi prope aquas*, non enim ſic plantæ creſcunt ex vicinitate aquarum, vt Iſraël ex vicinitate Chriſti, qui velut fluuius pacis implet ſuos propinquos. Ait
Procop. ibi Procopius in Gloſſa: *Eadem prophetia, quid poſtremis temporibus per Chriſtum gerendum eſſet, prædicit. Item mox fore, vt Iſraëlis populus in hoc itinere amplietur, & in cœleſti Rege ex ipſis oriundo tanquam irrigatus ſurgat.* In propinquo Rege cœleſti populus Iſraëliticus tanquam irrigatus ſurgit. Sed quid commune rigationi, & cœleſti Regi? Vnde fit Ieſus fluuius, aut fons, qui rigare poſſet? Ex quo Iſraëlitæ proponuntur vt horti, & velut cedri, neceſſum iam erat, vt Ieſus fluuius fieret, is enim eſt Ieſus, qui iuxta appropinquantium ſibi indigentiam ſe transformat, vt maiora illis beneficia diffundat. Aſſumptis aliquando tribus diſcipulis ingreſſus eſt Ieſus hortum, vt Patrem oraret. Quid tunc?
Lucas. 22 Ait Lucas cap. 22. *Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Cur ad terram vſque ſanguineus ſudor decurrit de Saluatoris fontibus? Equidem vbi inter horti plantas proximos ſibi diſcipulos vidit, ſe iuxta eorum indigentiam in eam rigationem effudit, qua ipſi penè im-
Amb. menſum reciperent incrementum virtutum. D. Amb. lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 18. *Conſummaturus Ieſus ſuſceptæ carnis officia, cùm perfectionem in diſcipulis iam videret, quos verborum ſuorum radice fundauerat, hortum ingreditur, vt olearum nouellas in domo Domini plantaret, & iuſti palmam florentem modò, vitémque fœcundam riuo ſui ſanguinis irrigaret.* Et quidem vbi diſcipuli aderant inter horti plantas, ſtatim Ieſu ſe in eorum rigationem tranſmutauit, vt de tanti ſanguinis riuo ingens virtutum incrementum caperent.

§. XXI.

Id primum eſt in diuina poteſtate, quod benefaciat ſuis, ſine alicuius damno, imò cum aliorum bono.

APparuit Deus Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo, antiquiſque Patribus in Deo omnipotente, & non apparuit illis in nomine ADONAI, in quo eorum poſteris apparuit. Ait enim: *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotenti, & nomen meum* ADONAI *non indicaui eis.* Vt autem author eſt Oleaſter, pro Deo omnipotente eſt in Hebræo *Saddai*, quòd ſignificat Deum, quatenus præbet vbertatem, & bona ſua in nos diffundit: pro illo ADONAI eſt Hebræo IEHOVA? quod propriè ſignificat Deum, quatenus eſt conterens, mactans & deſtruens. Antiquis ergo Patribus oſtenſus eſt Deus vt beneficus, & beneficiorum largiſſimus diſtributor, non ſolùm ditans ſuos, ſed & propter illos in extraneos bona diffundens. Vt propter Iacob ditatus eſt Labanus, & propter Abraham Etheni, & propter Iſaac Paleſtini. Verùm illorum poſteris apparuit Deus, vt fortiſſimus deuaſtator, conterens Ægyptios, & Chananæos, vt Hebræi ditarentur. Et quando antiquis non apparut Deus in hac poteſtate deſtruendi contrarios, quomodo dicitur apparuiſſe illis in Deo omnipotenti? An ad omnipotentiam pertinet ſola pars benefica? Nónne & omnipotentis eſt, quod aduerſantes ſibi conterat? Quare vbi nullum contriuit aduerſarium, ſed totus melleus apparuit Deus, ditans propter ſuos etiam homines infideles, ibi dicitur apparuiſſe in Deo omnipotenti? Sanè hoc primum, & præſtantiſſimum eſt in diuina omnipotentia, quod propter benefaciendum ſuis conterat neminem, ſed ditet etiam exteros. Balaam maleficus
Num. 23 ibat maledicturus populo Dei Num. 23. *Cui cum occurriſſet Dominus, poſuiſſétque verbum in ore eius, ait: Reuertere ad Balac, & hæc loqueris ei*, &c. Mirabar, quòd Dominus peſſimo malefico dignaretur occurrere, vel illum propriis manibus conterere; ſed non ſolùm non conterit Dominus hominem peſſimum, ſed potiùs eius ora implet diuino verbo. Quid beneficentius? Accipe
Iſaiæ 45. aliud non diſſimile ex Iſaiæ capit. 45. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dextram, vt ſubiiciam ante faciem eius gentes, & dorſa Regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo: & glorioſos terræ humiliabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam: Et dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum, vt ſcias, quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Iſraël. Propter ſeruum meum Iacob*, &c. Nihil erat in terra Cyro crudelius, & tamen Deus illi applaudit, ingentémque præbet cumulum diuitiarum. Sed cur magis Deus non perdis, non teres homines nefarios? Nónne in deterendis iis tua omnipotentia clareret? Sed placuit Deo ſuo populo gratificari, nullum conterens, ſed etiam peſſimos propter illum ditare, quod eſt primum, &
Procop. præſtantius in diuina poteſtate. Quippe ait Procopius in Gloſſa ad ca. 23. Numer. *Atqui Deus propter Iſraëlem nihil non facit, etiam cum per Magum loquatur. Propter quem Cyrus etiam quantumuis indignus imperium ter maximum adipiſcitur, quo Iſraëlem liberet, ad quem dixit: propter Iſraëlem ſeruum meum te nomine tuo vocabo.* Mauult Deus impio Mago, & nefario Regi benefacere propter Iſraëlem, ne in beneficiis populo dilecto exhibitis clades aliorum appareat, ſed incrementum maximũ. Quis enim æſtimet incrementum de damno Alterius? Meritò enim cauebat lex Deut. 22. *Cùm ædi-*
Deut. 22. *ficaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum ne effundatur ſanguis in domo tua, & ſis reus labente alio, & in præceps ruente.* Quæ ſic apud Philonem leguntur: *Si domum nouam ædificaueris, & feceris in tecto coronulam, caue habearis author necis in domo tua, ſi quis inde prolapſus deciderit.* Expende, *vt in ædificanda domo, & imponenda domui corona cauere quis iubetur, ne author necis alterius exiſtat*, eo nimirùm, quod ſceleratum putet, quod quis dum ſibi quietem, & coronam acquirit; aliorum intendat ruinis. Ait Philio lib. de Agricul-
Philo. tura circa finem: *Si domum, inquit, nouam ædificaueris, & feceris in tecto coronulam, caue habearis author necis in domo tua, ſi quis inde prolapſus deciderit. Grauiſſimum eſt enim ab honore Dei prolapſum decidere, ſibimet coronam vſurpando, & ciuilem necem patrando.* Ecce tibi indignum quid, & nefas viro bono, quòd ipſe coronari velit de ruina alterius. Quò ſpectans. D. Amb. lib. 5. Exam.
Amb. cap. 8. ait: *Sunt ergo homines, qui cancri vſu in alienæ vſum circunſcriptionis irrepant, & infirmitatem propriæ virtutis aſtu quodam ſuffultiant fratri dolum nectant, & alterius paſcantur ærumna. Tu autem propiis eſto contentus, aliena te damna non paſcant.* Ferale eſt de alienis damnis impleri, ille fœlix, qui nouit creſcere decreſcente nemine, ſed cunctis proximis creſcentibus. Vt
Caſſiod. de præſtantiſſimo cauſidico dicat Caſſiod. 10. var. 7. *Alienam cauſam faciebat ſuam gloriam. Nam ſic cognitus eſt vincere, vt probaretur contrarium non læſiſſe.* Quid præſtantius de homine?

Exod. 6.

Exod.6. Ego audiui gemitus filiorum Israël, quo Ægyptij oppresserunt eos, & recordatus sum pacti mei. Ideò dic filiis Israël: Ego Dominus, qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de seruitute: ac redimam in brachio excelso, ac in iudiciis magnis. Et assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus, & scietis, quòd ego sum Dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum, & induxerim vos in terram, super quam leuaui manum meam, vt darem eam Abraham, &c.

§. XXII.

Afflictio subditorum efficacissima est, vt afficiat & bonum Deum, & bonum Dominum.

VT Deus audiuit gemitum Israëlitarum ab Ægyptiis afflictorum, statim recordatus est pacti de eorum liberatione. Sic enim ait: *Ego audiui gemitum filiorum Israël, quo Ægyptij oppresserunt eos, & recordatus sum pacti mei*, &c. Et quando gemitus afflictorum non
Lyppom. tangit Deum? Pulchrè Lyppomanus in cat. aiebat: *Gemitus piorum sunt efficacissimæ orationes apud Deum, maximè autem pauperum, & oppressorum.* Vix enim quid efficacius inuenietur ad Deum, quàm afflictio oppressorum. Id, quod rectè nouerat Rex Niniuitarum, qui ad prædicationem Ionæ perterritus carnis macerationem vniuersis mandauit. Sic Ionæ cap. 3. *Et clamauit,*
Iona 3. *& dixit in Niniue ex ore Regis, & principum eius, dicens: Homines, iumenta, boues, & pecora non gustent quicquam, nec pascantur, & aquam non bibant.* Et sanctum, & prudens consilium erat, quod homines sese affligerent, & fame laborarent, vt efficacius Deum tangerent. At brutorum fames, & afflictio ad quid mandatur? Estne Deo cura specialis de bobus? Negat Paul. sed tanti æstimabat Rex bonus subditorum afflictionis efficaciam, vt etiam in brutis crederet per illam
Euseb. posse Deum tangi. Euseb. Gallicanus hom. de Pœnit. Niniuitarum ait: *Tam manifestum iudicarunt afflictionis remedium, vt sibi etiam animalium crederent profuturum esse ieiunium.* Tanti æstimabant afflictionum remedium apud Deum, vt vel ex brutis afflictis sibi sperarent salutem obuenturam. Et quid efficacius, quàm afflictio, vt Deum protectorem sibi acquirat? Dum Israëlitæ in deserto vitam agerent; ad eleuationem arcæ aiebat
Num.10. Moyses Numer. 10. *Surge Domine, & dissipentur inimici tui.* Quid simplicius? Vnum verbum *surge* proferebat, & indubitanter sperabat auxilium? Vnde adeò indubitanter auxilium spectabat, vel ad vnum, & simplicissimum verbum? Cur non voces, & orationes, & diligentias alias multiplicat? Erant omnes in deserto, solitudinis afflictionibus macerati; ad horum autem auxilium præstandum non dubito quin Deus statim sur-
Procop. geret. Vnde ibi dicebat Procopius: *Ad ferendas nobis suppetias surrexit Christus, qui iam olim per Dauidem dixit: E mendicantium calamitatibus, & è singultu pauperum, nunc exsurgam, dicit Dominus.* Vbi pauperum calamitas est, & singultus, fere non potest non exsurgere Christus, & illis afferre salutem. Est hoc optimi Domini signum, quòd tangatur suorum gemitibus. Dice-
Cassiod. bat enim Rex Theodoricus apud Cassiodor. 2. var. 25. quo se maximè iactabat: *Detestamur miseros premi; commouemur & non quærentium malis; velociúsque ad nos peruenit, quod dissimulatio patientis abscondit. Meritò, quando nos respiciunt cunctorum auido ore læsiones.* Sic bonum Dominum afficiunt subditorum læsiones, & oppressiones.

§. XXIII.

Illud magnum, quod non solùm verbis, sed & miris operibus hominum salutem tractes.

NOn vtcunque eruendos Israëlitas à seruitute Dominus protestatur, sed *in brachio excelso, & iudiciis magnis.* Quid est *in iudiciis magnis*? Hoc est, in iudiciis, in quibus non sola vox valeat, sed & opera adeò præstantia, adeò mirabilia, quæ euidenter fortunent liberandorum causas, illósque in salutem trahant. Et quid iis operibus maius? Ait Matth. 12. *Viri Niniuitæ* *Mat. 12.*
surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plusquam Ionas hîc. In quo Christi prædicatio erat maior Ionæ prædicatione, nisi quia Ionas solis vocibus egit, nullum opus monstrauit, totus in minis proferendis, in euersione denuncianda; Iesus autem, & vocem emittebat, & minas intentabat, & mirabilia opera adhibebat, quæ in salutem traherent? Quantum hoc? Equidem magnum, & quod in immensum Ionam superaret. Aiebat D. Cyril. Alex. in Ionam cap. 1. *Quo-* *Cyr. Ale.*
modò autem plus in Christo quàm in Iona? Quoniam hic tantummodo comminatus est Niniuitis euersionem; Christus propter miraculorum efficientiam ineffabilem homines obstupefaciens in admiratione erat. Semper autem currentia prodigia, quasi machina quædam ad fidem trahunt. Ecce magnum iudicium, ecce machina, quæ expugnet aduersariarum potestatum imperia, quæ triumphet de malis, nimirùm, si voci mirabilia opera coniungantur. Si minitantibus verbis miracula addideris salutaria, magnæ efficaciæ iudicium habes, quo vel rebellissimorum animos in tuum obsequium trahas. Hinc apud Iob cap. 37. dicitur: *Tonabit Deus voce magnitudinis* *Iob 37.*
suæ; & non inuestigabitur, cùm audita fuerit vox eius. Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna, & scrutabilia. Dixerat, quòd Deus tonabit voce magnitudinis suæ, & quæ est vox magnitudinis Dei? Aquila posuit, *in voce superlationis, & celsitudinis*, quam Nicetas interpretatur vocem *præstantiæ, & comminationis.* Et vnde vox comminationis potuit esse vox præstantiæ, & magnitudinis diuinæ? Id explicant illa: *Tonabit Deus mirabiliter, qui facit magna, & inscrutabilia.* Tunc enim intelligitur Deus tonare in voce magnitudinis suæ, minas perfidis intentans, cùm tonat mirabiliter, vocibus præclara adiungens opera, & facinora. Qui ergo magna facit, qui multa operatur mirabilia, quibus & homines perterreat, & alliciat, is proculdubio tonat in voce magnitudinis diuinæ.

§. XXIV.

Sub iustorum fide etiam sensus expertia benè apud Deum audient.

QVam credenti Abrahamo promiserat Deus terram, hanc incredulo populo in præsenti asserit: quippè ait: *Qui induxerim vos de ergastulo Ægyptiorum, & induxerim in terram, super quam leuaui manum meam, vt darem eam Abraham.* Miraris, quòd incredulis Israëlitis dentur promissiones factæ credenti Abra- *Matt. 3.*
hamo? Sed accipe, quod mirere magis ex Matth. cap. 3. vbi sic: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Non solùm increduli homines, sed & prorsùs lapidei apud Deum Abrahami gratias hæreditabunt. Sed vnde fieri potest, quòd homo incredulus, vel lapideus sic Deo placeat, vt Abrahami capiat hæreditatem? Id fiet, si sub Abrahami fide militauerit; quicunque enim militant fidei Abrahami, non mirer, si quamuis lapides sint, magna ex Deo capiant. Ait enim
in præsenti Lyppoman. *Suscepit verò Israëlitas Deus si-* *Lyppom.*
bi in populum ad Patriarcharum magis fidem ardentem attendens, quàm ad istorum merita. Fuerunt enim in plurimis horum opera mala. Assumpturus alioquin ex lapidibus filios Abrahæ, ea parte qua Domino placuit Abraham, quo & iustificatus est, per fidem scilicet viuam. Non equidem attendebantur Israëlitæ merita, sed fides Abrahæ, cui militantes, ne dicam Israëlitas, sed ipsissimi lapides bene apud Deum audient. Quid plura? Habes ex Ionæ cap. 3. *Et clamauit, & dixit in Niniue*
ex ore

ex ore Regis,& Principum eius, dicens : Homines , & iumenta,& boues, & pecora non guſtent quicquam , nec paſcantur. Ad Deum placandum non ſolùm hominibus, ſed & brutis indicitur ieiunium. Sed quid ad Deum brutorum afflictio ? Sanè ea per ſe conſiderata nihil apud Deum obtinerent, at dum vel brutorum abſtinentia Regis militabat fidei, dum ſub hac fide eſt,etiã
Euſeb. tangit aures diuinas. Ait Euſeb.Gallican. hom de Pœnit.Niniuitarum : *Ecce ad aures Domini gemitus etiam brutorum animalium peruenerunt , qui quidem dum fidei hominum militant,cœlum cum ſupplicatione hominum militarunt.* Tanta eſt in iuſtis hominibus fidei vis,vt ſub ea militantes etiam bruta permulceant aures diuinas.

Exod.6. Narrauit ergo Moyſes omnia filiis Iſraël, qui non acquieuerunt ei propter anguſtiam ſpiritus,& opus duriſſimum. Locutúſque eſt Dominus ad Moyſem,dicens : Ingredere,& loquere ad Pharaonem Regem Ægypti, vt dimittat Iſraël de terra ſua. Reſpondit Moyſes coram Domino : Ecce filij Iſraël non audiunt me,& quo modo audiet Pharao, præſertim cùm ſim incircunciſis labiis ? Locutúſque eſt Dominus,&c.

§. XXV.

Illa citiùs puniuntur peccata , quæ magis conſultò peraguntur.

VErbis Moyſi non acquieſcunt Iſraëlitæ,& nihilominùs Deus de eorum agit liberatione : *Ingredere,& loquere ad Pharaonem,vt dimittat Iſraël.* Deus bone,cùm illi non acquieſcant legationi tuæ , tu magis inſtas eorum procurandæ ſaluti ? Cur non magis eos ſeruituti addicis ? Cur non magis mulctas ? Ait textus : *Non acquieuerunt ei propter anguſtiam ſpiritus , &*
Lyppom. *opus duriſſimum.* Vbi ſapienter ait Lyppom. *Excuſatur tamen aliquantiſper rebellio,& perfidia, quia anguſtia ſpiritus ex oneribus remorabantur.* Non equidem conſultò , & prorsùs deliberatè rebellabant iſti in Moyſem; ſed obtuſi doloribus, & afflictionibus duriſſimi operis poſſeſſi non paruam excuſationem habebant peccati ſui. Non enim quæ inconſultè,& vi affectionum , ſed
Oſeas 7. quæ promptè, & liberè,& deliberatè peccata aguntur, citiùs à Deo puniuntur. Hinc Oſeas 7. *Nunc circundederunt eos adinuentiones ſuæ,coram facie mea factæ ſunt.* Ecce tibi à quibus circundantur,& ad pœnam teneantur impij,nimirùm ab adinuentionibus ſuis. Adinuentiones enim hominis dicuntur , quæ multo ſtudio , &
Theoph. conſultatione admittuntur. Ex quo Theophylactus ibi : *Fortaſſe autem , quia Deus peccata illa vehementiùs punit,quæ à conſultatione fiunt , propterea dixit : Circundederunt eos adinuentiones. Non enim ſimpliciter, ait,operabantur mala, neque raptim,ſed ex conſilio , & conſideratione.* Et meritò ea deputantur peccata ad ineuitabile ſupplicium, quæ clariſſima mentis conſideratione , & electione fiunt. Multa equidem fuerunt Dauidis peccata,vt nudam fœminam intuitus concupiuit, vt illam ſibi vſurpauit, vt virum eius fecit occidi, vt poſt occi-
1.Reg.11. ciſum virum,illam duxit. Ait enim 1.Reg. 11. *Tranſactóque luctu miſit Dauid , & introduxit eam in domum ſuam, & facta eſt ei vxor, peperítque ei filium,& diſplicuit verbum hoc,quod fecerat Dauid coram Domino. Miſit ergo Dominus Nathan ad Dauidem,*&c. Itaque cùm Dauid aſpicit, cùm mœchatur,cùm virum occidit , Deus tacet , nihilque de Deo dicitur reſpectu Dauidis : vbi autem adulteram in vxorem duxit,ſtatim additur: *Diſplicuit verbum hoc coram Domino. Miſit ergo Dominus,* &c. Et cur antea non miſit ? Cur antea non manifeſtauit diſplicentiam ſuam ? Nónne reus iam erat Dauid, & adulterij , & homicidij ? Cur ad hæc tacet Dominus,& irritatur ad coniugium ? In adulterio,& homicidio conſiderabatur ratio perturbata vi affectionum; at coniugium ex ſe maiorem , & euidentiorem conſiderationem,& conſultationem referebat. Ira ergo Dei tunc citiùs pergit ad ſupplicium , quando maior deliberatio apparet in delictis. Ait Theodor. quæſt. 25. *Theod.* *Tacitè ſignificat oratio , quòd Deus magis ſuccenſuit ob matrimonium, quàm ob prius admiſſum adulterium. Nam illud quidem erat vehementiſſimæ cupiditatis , quæ rationi torporem induxerat : hoc habet autem etiam aſſenſum rationis.* Quis neget in regali coniugio conſiderationem, & conſultationem multam ? Hinc ergo coniugium nefarium Dauidis magis ſolicitauit Dei iram , quàm adulterium, quàm homicidium. Hæc enim perturbatam rationem , illud conſiderationem referebat multam.

§. XXVI.

Non Angelica, ſed virtutis eſt diuinæ linguarum dirigere virtutem.

SÆpe cũ Domino locutus Moyſes linguæ ſuæ ineptitudinem proponebat , quàm iterum in præſenti proponit , dicens: *Præſertim cùm ſim incircunciſis labiis.* Et cur in tot diuinis colloquiis toties linguæ ſuæ ineptitudinem refert ? Mihi vel inde euidentiſſima eſt ſententia Patris Pereirij diſputatione ſexta in capite tertio Exod. ex D. Dionyſio deſumpta , aſſerens non Deum , ſed Angelum apparuiſſe Moyſi , & equidem non Deus , ſed Angelus erat, qui cum Moyſe loquabatur , quando in tot colloquiis non eius aptauit linguam , ſed intactam reliquit. Non enim angelicæ, ſed diuinæ virtutis eſt opus , quod fit circa hominum linguas. Hinc Geneſ. 11. ait Dominus : *Venite igitur,* *Gen. 11.* *deſcendamus , & confundamus ibi linguam eorum.* Nec parua erat antiquitùs quæſtio , cum quibus loquebatur Dominus, quando aiebat : *Venite , deſcendamus?* Quam, ex munere ad quod deſcendebatur, ſapienter diſſoluere poteris ; deſcendebatur namque ad linguas confundendas , diuidendas , moderandas , ad quod munus non Angeli, ſed perſonæ diuinæ conuocandæ erant. Ait ibi Procopius : *Hæc verba ad Fi-* *Procop.* *lium, & Spiritum ſanctum , non ad Angelos referuntur. Non enim Angeli creare poſſunt quicquam , ſed creaturæ ſunt. Creatoris eſt nouas formare linguas. Spiritus ſancti opus eſt linguas mutare , vt diſcimus Apoſtolorum exemplo , quibus donum linguarum obtulit ſub ſpecie ignis.* Vbi aliquod bonum , & ſplendidum circa linguas hominum efformandum eſt, non id opus pertinet ad Angelicas virtutes , ſed requirit præſentiam perſonæ diuinæ , à qua venit quodlibet ſplendidum donum linguæ. Vt meritò dicat Prouerb. capite 16. *Hominis eſt* *Prou.16.* *animam præparare,& Domini gubernare linguam* ; quaſi nulli creaturarum , ſed vni Deo committatur linguæ gubernaculum. Hinc dum Iſaias labia immunda haberet , ait in cap. ſexto. *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus , quem forcipe tulerat de altari , & tetigit os meum , & dixit : Ecce tetigit hoc labia tua , & auferetur iniquitas tua.* Alia litera habet: *Et abſtulit iniquitates tuas.* Non ait Angelus, ecce attingo ego labia tua , ſed ecce tetigit hoc , nimirùm ardens, & ignitus calculus tua tetigit labia. Et cur cauit ſibi attribuere labiorum attactum ? In re linguæ mundandæ, & efformandæ non Angelus valebat , ſed Spiritus ſanctus in calculo ſignificatus. Ait.D.Ambr. *D. Ambr.* lib.1.de Spiritu ſancto cap.9. *Abſtulit , inquit , & circunpurgauit. Non ego abſtuli,ſed ignis ille de altari Dei, hoc eſt,gratia Spiritus ſancti.* Negant Angeli ſuam operam in re linguarum purgandarum;quando id munus diuiniorem , & excellentiorem requirit poteſtatem.

Sic

Exod. 4. Sic Exod. 4. dicebat Dominus ad Moyſem : *Ero in ore tuo, docebóque te, quid loquaris.* Septuag. legunt: *Aperiam os tuum, & inſtruam te,* &c. Sibi vni committit Deus munus oris aperiendi, non creaturæ alij, non Angelo.

Auguſt. Ex quo D. Auguſt. quæſt. 9. ibi fatur: *Non dicit: Tu aperi os tuum, & ego inſtruam te, ſed vtrúmque promiſit. Aperiam os tuum, & inſtruam te, vt appareat non tantum inſtructionem oris, ſed ipſam apertionem ad Dei voluntatem, & gratiam pertinere.* Equidem vnius Dei eſt linguas hominis regere, vt fœliciter poſſint eloqui.

CAPVT V.

Prima plaga Ægypti de aqua in ſanguinem verſa.

MOyſes ergo diuino imbutus numine iterum Pharaoni adſtat, ſecum non aliter, quàm cum Deo pugnaturo. Neſcires, vtra maior exiſteret, an Moyſis obedientia, an Pharaonis indurata perfidia; quam vt ille confringeret, non dubitat Dei expetita magnalia in medium producere. Aaroni imperat, à quo proiecta coram Rege virga horrendum draconem exhibuit, qui de Ægyptiorum Maleficorum virgis ſuperba æmulatione factos dracones facilè deglutit; & propriam virgulti ſpeciem rigida rurſus mutatione ſuſcipit. Potuit Aaronis virga mutari in draconem, qui Maleficorum dracones deglutiret, ſed non, qui virus abſorbet, quod in Pharaonis pectore poſuerat ſerpens antiquus.

Tanti prodigij curis vacuus Pharao, duriora tractabat matutinis auris iuxta ripas fluminis delinitus. Ibi ex Moyſe audit quantum rebelli genti immineret ſupplicium. Vt ſanguine manaturæ fluminum ſcaturigines, vt piſces morituri, vt vndæ putredinem halaturæ, ex quarum potu, quid non patientur Ægiptij? Nec mora, ad ictum Aaronicæ virgæ, mirantibus purpuratis cum Rege ſuo, non aqua, ſed ſanguis influxit Nili ripis. Ibant in ſanguinem vniuerſi, & riui, & fontes, & putei; & Pharao ad prodigij conſpectum totus obriguit. Dubius hæret, an malum premat, an augeat malitiam? Illud humanius erat, ſed ſupra regias vires. Et ratus facilius augeri morbum poſſe, quàm expelli medicina, ad Maleficos ſuos confugit, qui quas adhuc aquas vident, maleficiis in ſanguinẽ mutare feſtinant. Crederes animatam terram, cũius è venis vnus venit humor ſanguineus. Fiunt foſſæ profundæ iuxta flumina; in quas non aqua, ſed ſanguis defœcatior, & ſubtilior ſtillet, ex quo bibentes Ægyptij poſſint viuere. Nónne, & Sarmatæ ſanguinem bibebant? Ait Mar-

Epigr 3. tialis Epigram. 3. Amphitheatri: *Venit, & epoto Sarmata paſtus equo.* Et Virg. in Georg. *Et lac concretum cum ſanguine potat equino.* Qui ſanguis erat Sarmatis continuus potus, fuit potus Ægyptiis per ſeptem integros dies; non tamen ſine ingenti ſalutis diſcrimine; teſtante enim Philone, hic potus, vel ſitis quam plurimos Ægyptios abſumpſit.

PARS VNICA.

Moralis circa literam.

QVi potus ſanguis erat Ægyptiis, pura, & prædulcis erat aqua Iſraëlitis; vtinam, & nobis aliquid etiam purum ſtillet, quod moribus componendis proficiat.

Exod. 7. Dixítque Dominus ad Moyſem: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit propheta tuus. Tu loqueris ei omnia, quæ mando tibi, & ille loquetur ad Pharaonem, vt dimittat Iſraël de terra ſua. Sed ego indurabo cor eius, & multiplicabo ſigna, & oſtenta mea in terra Ægypti, & non audiet vos.

§. I.

Illi ſecuriùs Regum, Principúmque tractant ſalutem, qui inſtar Dei, nulla illorum re indigent.

PHaraoni dicitur Moyſes dari in Deum, non cæteris Ægyptiis, ait enim textus: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Quando Pharao in Dei obedientiam trahi debebat, Moyſis conſtituitur Deus Pharaonis. Suffeciſſet, quòd conſtitueretur Moyſes, ſiue Dominus, ſiue Rex Pharaonis; Abraham enim Gen. 23. vt Hebræos ſibi deuinciret, quaſi Rex eorum efformabatur. Sic ipſi aiunt petenti locum ſepulturæ: *Princeps Dei es apud nos, in electis ſepulcris noſtris ſepeli mortuum.* Gloſſa Græca legit: *Rex tu à Deo es in nobis.* Cùm ergo Abraham ſolùm proponatur vt Rex, vel Dominus exteris hominibus, cur Moyſes, nec vt Rex, nec vt Dominus, ſed vt Deus proponitur Pharaoni? Quid in Moyſe erat, quod magis deberet apparere Pharaoni vt Deus, quàm vt Dominus? Erat Moyſi mandatum, quod Pharaonem Regem, vel miraculis, & prodigiis curaret adducere in Dei obedientiã, quod munus exercere ſecurè non poſſet, niſi ſummam independentiam à Pharaone haberet, cuius nullis ſe oſtenderet egere bonis. Hoc autẽ, neque in Regis, neque in Domini, ſed in vna oſtenditur Dei forma: ſic enim ait Pſal. 15. *Deus meus es tu, quia bonorum meo-* Pſal. 15. *rum non eges.* Hæc eſt propriiſſima Dei notio, quòd nullius egeat. Quando ergo proponitur Moyſes adducturus Pharaonem in Dei obediẽtiam, meritò vt Deus illius proponitur, nullo illius egens, à nemine enim trahuntur Reges ſecuriùs, quàm ab eis, qui bonis regalibus minimè egent. Huc adduco Eliſæum diuino numine plenum, cui popularis homo attulit panes 4. Reg. 4. *Vir autem quidam venit de Baal ſaliſa deferens* 4. Reg. 4. *viro Dei panes primitiarum, & viginti panes hordeaceos, & frumentum nouum in pera ſua.* At ille dixit, da populo, vt comedat, acceptauit enim bonus homuncionis panes. Verùm ſtatim cap. 5. cùm Princeps militiæ Regis Syriæ Naaman lepra mundatus curatori ſuo aliqua offerret donaria. *Ille reſpondit: Viuit Dominus, in cuius conſpectu ſto, quia non accipiam. Cúmque vim faceret, penitùs non acquieuit.* Et cur, qui de manu popularis paucos panes accepit, de tanti Principis manu, nec per vim adductus eſt, vt acceptaret donaria? Ait Caietanus ibi: *Iurauit ſe non accepturum mu-* Caiet. *nus etiam pro gratiarum actione, vt arctius afficeretur Naaman cultui ſummi Dei.* Equidem nullo magis perficeret, quòd Princeps arctiùs ſeſe Deo vero obſtringeret, in eiúſque veniret obſequium, quàm dum prorſus abſtineret ab eius muneribus, quaſi nullius egens. Similiter Gen. 14. poſt Abrahami victoriam, cum iam Gen. 14. triumphator rediret, dicitur: *At verò Melchiſedech Rex Salem, proferens panem, & vinum, (erat enim ſacerdos Dei altiſſimi,) benedixit ei,* &c. Quid tunc? Pergit textus: *Dixit autem Rex Sodomorum ad Abram. Da mihi animas, cætera tolle tibi. Qui reſpondit ei; Leuo manum meam ad dominum Deum excelſum, poſſeſſorem cœli, & terræ, quod à filo ſubtegminis vſque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua ſunt.* Quæ verba ſic pulchra paraphraſi expendit Chryſoſt. ex Abrami ore: Chryſoſt. *Diuinæ gratiæ initor, non opus mihi diuitiis tuis, non indigeo humanis facultatibus, contentus ſum Dei in me beneficentia* Quid independentius? Quid humanis facultatibus ſublimius? Sed cur Abraham ſic ſe eximit à Regis Sodomorum muneribus? Cur nullius rei indigum ſeſe oſtendit tanto Regi, præcipuè cùm paulò antè ex Rege Melchiſedecho panem, & vinum accepiſſet? Cur magis placuit Melchiſedech, vt eius reciperentur dona, quàm Rex Sodomorum? Sanè, curabat Abrahamus Regem Sodomorum in fide, & religione, & cultu veri Dei inſtruere, ad quod ſeſe inſtar Dei repræſentabat, tam in eo, quòd de manu

Sacerdotis acciperet oblata, erat enim Melchiſedech Sacerdos Dei altiſſimi, quàm in eo, quòd Regis Sodomorum bonis egeret nullis. Et nemo, mihi crede, aptior, & ſecurior regiæ vitæ inſtructor, quàm qui inſtar Dei, nullis apud Reges temporalibus indiget. Aiebat Chryſoſt. hom. 35. in Gen. *Duo ſimul docere vult Regem Sodomorum. Nam & vitæ honeſtæ formam indicauit, & pietatis doctor ei fieri ſtudet, quaſi docens eum. Illum tibi teſtem adhibeo, quòd nihil tuarum rerum accipiam; illum, qui omnium eſt Conditor, & ne credas eſſe Deos, qui ab hominum manibus fabricantur. Ille cœli, & terræ Conditor, ille & nobis in hoc bello victoriæ Author. Ne igitur expectes me permiſſurum, vt mihi des quicquã.* Ecce tibi, vt Abrahamus Doctor fieri Regi pietatis ſtuduit, illúmque in veri Dei cultu inſtruere, nil magis cauit, quàm aliquid ab illo percipere, nihil magis egit, quàm nulla humana facultate ſe oſtendere indigum. Nec miror, dona enim regalia certiùs oſtendunt prophetas tranſiſſe in Regum vitia, quàm Reges veniſſe in prophetarum virtutes. Sic in Giezi accipiente munera ex Nahamã Principe aiebat Eliſæus 4. Reg. 5. *Accepiſti argentum, accepiſti veſtes*, &c. *Sed & lepra Nahaman adhærebit tibi.* Ecce qui accepit munera ex Principibus, vt & illorum contagionem incurrit. Nouerat hoc homo ille Dei, qui 3. Reg. 13. miſſus fuerat ad Regem Ieroboan; cui Rex dicebat: *Veni mecum domum, vt prandeas, & dabo tibi munera. Reſpondit vir Dei ad Regem; Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam*, &c. Eſto, quòd nollet comedere in Bethel, quando præceptum habebat non comedendi; cur non acceptat munera regia? Solùm erat præceptum de non comedendo, neque bibendo, nullum erat præceptum homini Dei de non acceptandis muneribus; ipſe tamen, & cauet comedere, & renuit acceptare munera. Cur ea non acceptauit? Rem conficit Abbulenſis ibi quæſt. 9. inquiens: *Poterat propheta accipere munera, quia tamen accipiendo illa aliquo modo approbaret ipſum dantem; & hoc reportaretur in peccatum, noluit accipere.* Fieri nequit, quòd munera Regis accipias, & in eius non tranſeas approbationem vitioſæ vitæ; quòd qui fugit, & magis amat Regem ad Dei obſequium adducere, fugiat eius munera, & inſtar Dei, ſe nullius apud eum oſtendat indigum.

Chryſoſt. 4. Reg. 5. 3. Reg. 13 Chryſoſt.

§. II.

Vbi diuinitatis vel vmbra, ibi & creaturarum obſequia.

ADeò diuinitatis proprium eſt creaturarum omnium imperium; vt nõ immeritò habeatur Deus, vel Dei vicarius, cui creaturæ ſeruiunt. Poſſet equidem Moyſes, aut Dominus, aut Rex conſtitui Pharaoni, ſed conſtitutus fuit illi Deus. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis?* Cur non magis Rex? Cur debuit conſtitui Deus? Imperaturus erat elementis, & imperanti Moyſi elementa erant paritura, quod regias vires excedit, & ad diuinitatem pertinet. Vt dicat ibi Rupert. Rupert. *Ita imperando elementis, Deus eris Pharaonis.* Neſciunt equidem creaturæ ſua præſtare obſequia niſi illi, qui ſupra Reges eſt, qui propriùs ad diuinitatem accedit. Hinc Dan. 3. vbi pueri Hebræi in ardentẽ fornacem immiſſi, obſequium ſibi à flammis exhibitum oſtendebant, adſtupens Babylonius Rex, clamabat ad illos. *Sidrach, Miſſach, & Abdenago ſerui Dei excelſi, egredimini, & venite.* Vnde barbarus nouit tres iſtos pueros ad ſummi Dei pertinere familiam? Quos ſibi ipſe captiuarat, & ſuos effecerat ſeruos, cur modò vocat ſeruos Dei altiſſimi? Videt elementa illis ſeruire, & meritò inde putat non poſſe, non pertinere illos ad Dei familiam; neſcirent enim creaturæ alij, Chryſoſt. quàm Deo ſeruire. Ait D. Chryſoſt. hom. 6. ad Pop. *Quid actum eſt, quòd ipſos Dei altiſſimi ſeruos vocas? Nónne tui erant ſerui? Verùm per opera ſuum demonſtrauere Dominum: ſi hominum fuiſſent ſerui, non ipſos ignis expauiſſet, non ceſſiſſet flamma: hominum enim ſeruos creatura reuereri, & honorare non nouit.* Sanè vbi cernũntur creaturarum obſequia, ibi neceſſum eſt munus aliquod diuinum conſpici. Nunquam enim de diuino halitu non venit, quòd obſequia ſua exhibeant elementa. Hinc Paul. ad Rom. 9. de filiis Iſraël filiorum Dei adoptione fungentibus: *Quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa.* Expende, quot bona conſequuntur diuinam illorum adoptionem, nimirùm vbi Dei filij dicebantur, à Deóque tanquam filij tenelli in vlnis baiulabantur, eorum erat & gloria, & obſequium, quando & glorioſi vbique oſtendebantur per obſequium elementorum. Ait S. Proclus lib. de fide ad Armen. in fine: *Iis, quos Deus tanquam nutrix geſtabat, immenſam gloriam aſſidua miracula conferebant.* Simul erat filiorum Dei adoptio, & elementorum omnium obedientia, qua ſeſe filij Dei in immenſum extollebant. Vel Deus ſis, vel in manibus Dei tanquam filius nutriaris, vel aliquo modo pertineas ad Deum, & tibi ſeruiunt elementa, circa quæ ſupremum habes imperium.

Ad Ro. 9 S. Procl.

§. III.

Qui Dei eſt, nullum inferat malum, cui non poſſit afferre medelam.

DEus Pharaonis conſtituitur Moyſes: *Ecce conſtitui te Deum Pharaoni.* Cur non potius iudex illius ſit, quàm Deus? Iudex poteſt inferre malũ reo, quod non poteſt auferre; ſolus autem Deus eſt, qui nullum poteſt malum inferre, quod auferre non poſſet. Ideò Moyſes non iudex, ſed Deus conſtituitur, vt ea inferat mala rebelli, quæ prorſus auferat pœnitenti. Ait D. Hilar. lib. 7. de Trinit. *Ad Moyſem dictum eſt. Dedi te Deum Pharaoni: cùm cynomiam, quam immiſerat, abigit, cùm grandinem poteſtate, qua euocauerat, auertit, cùm locuſtas ea virtute, qua inuexerat, repulit, cùm in operationibus eius Magi confitentur digitum Dei eſſe. Sic Moyſes Pharaoni Deus datus eſt, dum timetur, dum oratur, dum punit, dum medetur.* Expende notionem Dei, *dum punit, dum medetur*, is enim Dei ſpiritu agitur, imò Deus eſt, qui neſcit inferre malum, cui non poſſit medelam afferre. Vel Dæmonum, vel dirarum naturarum eſt in malis inferendis non meminiſſe remedij, imò remediis omnibus aditum intercludere vniuerſum. At qui Dei ſpiritu agitur, nil magis cogitat, quàm de remedio apponendo, vbi teneatur malum aliquod inferre. Dicebat enim Deus Deuteronom. 32. *Videte, quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me: ego occidam, & ego viuere faciam; percutiam, & ego ſanabo.* Hinc ſuam meritò diuinitatem diſcernit Dominus, quòd non ſit penes illum vulnus infligere, cui nõ poſſit apponere remedium. Simul & mortem mittit, & vitam præparat ad illam recurrere volentibus; & plagarum permittit ire procellas, & ſanitatum portum oſtendit. Habes Actorum quinto, vt Petrus ſententiam mortis vibrat contra Sapphiram, de qua dicitur: *Confeſtim cecidit ante pedes eius, & expirauit.* Hoc mirandum, quòd mulier adeò peccatrix, & mortis ſentẽtia percuſſa permittatur à Petro ante ſuos pedes cadere? Cur non magis, Petre, ab illa abſcedis? Cur tam te exhibes illi proximũ, vt poſſit cadere iuxta pedes tuos? Erat ad pedes Petri peccatoris remediũ, ſi velit ſua peccata confiteri: ideò Petrus vt Deo plenus non intulit mortis ſententiã peccatori; quin ſimul præparet remedium, ſi vellet. Pulchrè Oecum. *Quomodo ad pedes eius? quia iuxta eum ſtabat: Petrus verò ſtetit iuxta eam, vt ſi reſipiſcere vellet, ac confiteri, non vereretur alios, qui audirent.* O verè Dei Vicarium Petrum, qui vt malum infert

D. Hila. Deut. 32 Act. 5. Oecum

infert merenti, simul & præparat, & apponit confessionis remedium. Hinc tu etiam poteris approximare Deo, si nullum malum cogites, cuius non habeas paratum remedium. Nescit enim à Deo non multùm deuiare, cuius in voluntate est malum inferre, nec in potestate habet remedium. Quò adducenda sunt dicta suprà tom. 1. in Vetus testam. lib. 3. cap. 3. §. 20.

Exod. 7. Immittámque manũ meam super Ægyptum, & educam exercitum, & populum meum filios Israël de terra Ægypti per iudicia maxima. Et scient Ægyptij, quia ego sum Dominus, qui extenderim manum meam super Ægyptum, & eduxerim filios Israël de medio eorum. Fecit itáque Moyses, & Aaron sicut præceperat Dominus: ita egerunt. Erat autem Moyses octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem.

§. IV.

Bonus gubernator magnos rigores solùm exercere debet circa ea delicta, quæ sunt noxia aliis.

IVdicia magna minatur Dominus Ægypto, & Pharaoni, dicens: *Extendam manum meam super Ægyptum, & educam populum meum filios Israël de Ægypto per iudicia magna.* Cùm ait: *Iudicia magna*, summos vindictæ rigores etiam in mundo ostendit, qui solos eos peccatores premit, qui manifestè impij sunt, & noxij aliis, vt erant Ægyptij. Nunquam enim bonus gubernator in hoc mũdo laqueos plueret, & rigores magnos in eos, qui occultè, & sibi ipsis tantùm peccasient. Hinc
Deut. 27. Deuter. 27. *Accesserunt filiæ Salphaad*, &c. *steruntque coram Moyse, & Eleazaro Sacerdote, & cunctis principibus populi ad ostium tabernaculi fœderis, atque dixerunt: Pater noster mortuus est in deserto, nec fuit in seditione, quæ concitata est contra dominum in deserto sub Core, sed in peccato suo mortuus est. Hinc non habuit mares filios: Cur tollitur nomen illius de familia sua, quia non habet filium? Date nobis possessionem inter cognatos patris nostri. Retulítque Moyses causam earum ad iudicium Domini. Qui dixit ad eum: iustam rem postulant filiæ Salphaad.* Fatentur istæ fœminæ patrem suum mortuum esse in peccato, & mortuum esse in eodem loco, vbi & impietatis publicæ rei, & seditiosi fuerant mortui, nempè in deserto. Et nihilominùs petunt; ne vlla supplicij publici afficiatur nota exhæredatione familiæ suæ. Et permittunt, quòd causa hæc deferatur ad Dominum. Quid agitis fœminæ patrem supplicio eripere tentatis coram Domino, & fatemini illum in peccato mortuum? Et quomodo fieri potest, quòd qui in peccato mortuus est, absoluatur à supplicio coram Domino? Sanè, fatentur patrem mortuum in peccato, sed in peccato nulli alij, quàm sibi soli pernicioso, hoc autem peccatum in mundiali iudicio, nec per bonum gubernatorem, imò neque per Deum supplici-
Procop. orum laqueis inuoluitur. Ait ad hæc Procopus ibi: *Iustam causam, sortem paternam petendo proponunt, cùm impietatis pater commisisset nihil: Verum peccati proprij iusta persoluisset, & ad longiorem vitam peruenire non posset.* Itáque iustam causam apud Deum habuerunt fœminæ istæ, dum patrem peccatorem mundiali supplicio eripere volunt, quia etti peccator fuit, & in peccato discessit, discessit in peccato solùm & sibi noxio. In mundiali autem foro, & boni gubernatoris, & ipsius Dei proprium est suppliciorum rigores exercere solùm circa ea delicta, quæ aliis sunt noxia. Notabile est in
Iob. 31. hanc rem cap. 31. Iobi, vbi multa genera delictorum recensens, solis illis apponit pœnam, quæ noxiam aliquam inferunt proximis: *Si ambulaui in vanitate, & festinauit in dolo pes meus: Appendat me in statera iusta, & sciat Deus simplicitatem meam. Si declinauit gressus meus de via, & si secutum est oculos meos cor meum, & si in manibus meis adhæsit macula. Seram & alius commedat, & progenies mea eradicetur. Si deceptum est cor meum super mulierem: & si ad ostium amici mei insidiatus sum: Scortum alterius sit vxor mea*, &c. *Si leuaui super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem: Humerus meus à iunctura sua cadat, & brachium meum cum ossibus suis confringatur*, Ecce tibi quot peccata memorat, tot pœnarum maximarum illis apponit genera. Sed ecce pergit alia memorans nullis appositis pœnis: *Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi: Fiducia mea. Si lætatus sum super multis diuitiis meis, & quia plurima reperit manus mea. Si vidi Solem, cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè: Et lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo. Quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum*, &c. *Si abscondi quasi homo peccatum meũ, & celaui in sinu meo iniquitatem meam*, &c. Compone modò hæc cũ illis, & videbis illic ad singula peccata appositam pœnam; hîc multa, & maxima peccata percensèri, & nihil de supplicio illorum dici. Et cur non similiter iis peccatorum generibus pœnam apponit? Nónne & de iis ponderat, quòd maximam iniquitatem habeant? Ait equidem in iis. *Quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum*: Vnde ergo in quibus iniquitatem maximam inuenit, nullum adiungit supplicium, quod maximum adiungebat in primis? Sanè Varabulus vltima capitis verba expendens putat in illis clausulam includi *forensem*, qua ostenditur iuxta mundiale forum totum caput processisse, vbi grauissima etiam peccata, si aliis noxia non sunt, nullis deputantur suppliciis, illa maximè plectuntur, quæ aliis pernicioſa inueniuntur. Huiusmodi erant peccata primi ordinis, quæ consistebant in dolis, in adulteriis, in oppressione pupillorum, quæ nec recenseri debent in magno iudicio mundialis fori sine supplicij memoria. At reliqua peccata, quæ non aliis, sed solùm committenti erant noxia, non miror, quod pœna careant, iuxta mundiale forum.

§. V.

Improborum, reproborúmque est non nisi per afflictiones, & res timoris in Dei agnitionem venire.

IN manu forti, in plagis multis educturus erat Dominus Israëlem de Ægypto. Et cur in tot plagis voluit educere populum? Quippe ait: *Extendam manum meam super Ægyptum*, &c. At vbi ab Assyria educturus erat populum, nullis plagis vsus est, quin potius multis bonis cumulauit Regem Babylonium. Ait enim
Isaias 45. Isaias cap. 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius gentes, & dorsa Regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum, vt scias, quia ego Dominus, qui voco nomen tuum Deus Israël. Propter seruum meum Iacob, & Israël electum meum, & vocaui te nomine tuo: assimilaui te, & cognouisti me.* Itaque vt Israëlem liberaret à captiuitate Babylonis, ecce quantis impleuit Cyrum Regem; vt autem eũdem ab Ægypto educeret, non beneficiis, sed plagis multis, & calamitatibus affecit Pharaonem. Cur ergo ab Ægypti captiuitate eduxit Dominus populum suum per plagas multas Pharaoni illatas, è Babylonis autem captiuitate eundem eduxit per beneficia ingentia collata Cyro Regi? Ait Moyses in præsẽti: *Et scient Ægyptij, quia ego sum Dominus, qui extenderim manum meam super Ægyptum.* Nõ equidé homines reprobi, & nefarij aliter in Dei cognitionem deuenissent nisi multis plagis, & calamitatibus affecti. Vnde qui plagis erudiendos asserebat Ægyptios,

aſſeueranter dicens: *Scient Ægyptij*: de Babylonio ait. *Non cognouiſti me.* Neſciunt improbi ſapere beneficiis, fauoribúſque acceptis, ſed multo verbere, & plagis
Lyppom. multis ad Dei cognitionem accedunt. Ad hæc Lyppoman. in præſenti: *Sic igitur impij, vel tandem coguntur agnoscere iuſtitiam Dei, atque potentiam, & afflicti admittere coguntur, quod ſani recuſabant.* Non niſi metuenda, & horrenda inferat animis reprobis, qui illos in Dei
Mar. 1. agnitionem trahere velit. Mar. 1. *Erat in Synagoga eorum homo in ſpiritu immundo, & exclamauit, dicens: Quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene: veniſti perdere nos. Scio, qui ſis Sanctus Dei.* Expende, vt prius afflictionem ſuam proponat, & perditionem ſuam manifeſtet, deinde fateatur: *Scio, qui ſis*, &c. Et cur nō antea id fateatur? Cur antequam meminerit propriam perditionem, non ait ſe noſſe aduentum veri Dei? Equidem hoc eſt prius in dæmoniacis mentibus, in animis impiorum, quòd flagra percutientis ſentiant, & per timoris res ad Dei
Aug. cognitionem deueniant. Ait D. Auguſt. apud D. Thom. in cat. *Innotuit Dæmoni Deus, non ſicut Angelis ſanctis, qui eius ſecundùm id, quod eſt Dei verbum, participata æternitate perfruuntur, ſed ſicut eis terrendis innoteſcendus fuit, ex quorum poteſtate tyrannica fuerat liberaturus prædeſtinatos.* Aliter bonis, aliter malis, & reprobis Angelis apparet Deus, & innoteſcit: bonis enim innoteſcit per ea, quibus non parua bonorum frutione lætantur; malis autem, & reprobis, non niſi per ea, quæ terrori poſſunt eſſe. Hinc Gen. 22. vbi Abrahamus filium iugulandum deduxit, & ſub gladio paterno amantiſſimi pignoris apparuit ceruix ferienda. Appellauit nomen loci illius, *Dominus videt.* Vnde vſque hodie dicitur: *In monte Dominus videbit.* Hebraicè autem per verbum paſſiuum explicatur, nimirùm: *In monte, Dominus videbitur*: ita vt non referantur verba hæc ad id, quod Abrahæ accidit in ſacrificio filij ſui, ſed ad id, quod Abrahæ, & mundo in Chriſti aduentu obuenire debebat. Sed cur non magis loquitur Abrahamus de præſenti fauore ſibi filium immolanti oblato, vt dicat: *In monte, Dominus videtur?* Cur de futura Dei apparitione in carne loqui maluit? Dur potius dicit: *Videbitur Deus, quàm videtur?* Non erat conueniens viro iuſto, & ſancto manifeſtationem Dei ſibi factam oſtendere per rem adeò horribilem, & metuendam, qualis erat filij dilectiſſimi iugulatio. Per hanc enim non tam aſſolet Deus iuſtis innoteſcere, quàm rebellibus. Ideò confugit vir pius ad illam Dei manifeſtationem, quam & ipſi, & omnes veri Abrahamides in Chriſto acceperunt per ingentem profuſionem benignitatis eius. Quod vt maximum, ſic Chriſto Domino ac-
Arnob. ceptum Arnobius refert, locutus enim de Ieſu ait lib. 1. aduersùs Gentes: *Qui, quo authore, quo patre mundus iſte ſit conſtitutus, & conditus fecit benigniſſimè ſciri.* Expende hæc: *Fecit benigniſſimè ſciri*; vt enim Ieſus non pro vexandis, torquendiſve malis, & reprobis, ſed pro ſaluandis veniebat electis, ſic non plagis, ſed beneficiis Deus, & author mundi nobis innoteſcebat. Beneficia enim faciunt Deum apertiſſimè innoteſcere bonis; malis autem, & peſſimis non beneficia, ſed flagella. Compone modò id, quod dicitur in præſenti: *Scient Ægyptij, quia ego ſum Dominus, qui extenderim manus meas ſuper Ægyptum*, &c. & id quod dicitur ad Roman. cap.
Ad Ro. 10 10. *Ad Iſraël autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi.* Extenſio manus diuinæ ſuper Ægyptios illos facit in cognitionem Dei venire; & expanſio diuinarum manuum ſuper Iſraël, Iſraëlitas non credentes, & contradicentes experiebatur. Cur hæc? Extenſio manuum ſuper illos erat plagarum immiſſio, quibus reprobi in Dei agnitionem etiam ſolent venire; expanſio autem manuum ad Iſraëlitas erat beneficiorum exhibitio, quorum occaſione magis excæcabantur miſeri. Sic D.
Anſel. Anſel. ibi; *Ad Iſraël carnalem dicit: Tota die, id eſt, toto tempore, quo cum eis in terra conuerſatus ſum, illuminans mundum, expandi manus meas, id eſt, ampliaui operum meorum beneficia ad populum Iudaicum, non credentem mihi, & quod peius eſt, contradicentem.* Ecce tibi vt apud impios ſola vexatio dat intellectum, beneficia excęcant.

§. VI.

Turpe eſt, quòd quis in curſura virtutis minor ſit illo, cui in vocatione, & inſtituto par eſt.

NOn otiosè, ſed notanter ponit ætatem Moyſis, & Aaron, quando eorum obedientiam in exequendis Dei mandatis præſcribit. Sic enim ait: *Fecit itáque Moyſes, & Aaron ſicut præceperat Dominus, ita egerunt. Erat autem Moyſes octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quando locuti ſunt ad Pharaonem.* Ecce tibi vbi fratres, & octogenarios coram Pharaone Moyſem, & Aaronem notabat, illud ſimul præfixit: *Fecit itáque Moyſes, & Aaron ſicut præceperat Dominus, ita egerunt.* Non contentus dicere, quod fecit Moyſes, & Aaron, ſed inſuper replicat, quòd ita egerūt. Et cur neceſſum fuit id ſemel, & bis replicare, & inculcare, quòd ita ambo egerint omnia iuxta pręceptum Domini? Curabat diuinus ſcriptor, vt qui pares erant in munere, pares è parētibus, è morū grauitate, è Dei electione, è fortitudine ex Deo accepta ne timerent Pharaonem, ſic pares oſtenderentur in muneris executione, ne alter altero videretur inferior in virtute, licet eſſet in ætate inferior. Nec miror, valde enim turpe eſt, vt qui in cæteris ex Deo acceptis pares ſumus, in executione virtutum, patiamur inferiores videri. D. Paul. 1. ad Corinth. 1. Cor. 11
11. latè probat, vt in rebus naturæ mulier cenſeri debet viro inferior; vt vir debeat longè abeſſe ab infirmitate mulieris, primáſque in omnibus ferre. Quibus latè explicatis, ſic pergit: *Verumtamen neque vir ſine muliere, nec mulier ſine viro in Domino.* In dignitate, & præcellentia naturæ ſit vir ſine muliere: at in iis, quæ Domini ſunt, minimè vir mulierem præcedat, nec mulier patiatur, quòd vir appareat ſuperior. Et quando in naturæ dignitate eſt æquum, vt mulier primas viro cedat, cur non erit etiam æquum, vt ſimiliter maneat mulier inferior in iis etiam, quæ ad Deum pertinent? Natura in multis virum prætulit fœminis, nimirùm in fortitudine, in animi magnitudine, in ſapientia, in dexteritate; vnde non eſt mirum, quòd in naturæ dignitate cogatur mulier eſſe inferior. At Deus in gratiæ ſuæ ordine in nullo viros prætulit fœminis, ſed æquè pro omnibus mortuus eſt, æqualem regenerationem omnibus dedit. Et valdè turpe eſſet, quòd quæ æqualiter formata, & reformata eſt à Deo, in re virtutis, & gratiæ minor appareret. Rem conficit D. Baſil. Sel. orat 2. Baſil. Sel.
aiens: *Naturæ differentiam virtutis curſus neſciat. Scit in fidei certamine fœmineum genus viriliter agere; ſcit in pietatis certamine coronam rapere: quorum enim parem molitus eſt Deus formationem, ij ſe in curſura relinqui turpe ducunt.* Et ſanè turpiſſimum eſt, quòd, qui pariter in Chriſto regenerati ſumus, paribus Sacramentorum alimoniis nutrimur, pari ſanguinis lauacro mundamur, ad parem gloriam inuitamur, patiamur inferiores videri in curſura virtutum. Meritò Euſeb. Gallican. Euſeb.
hom. 6. de orat. hunc vnum ſtimulum proponit, quo ſe quis ad virtutem vrgeat, ait enim: *Cùm in Eccleſia poſiti ſumus, ita ſe vnuſquiſque arguat, dicens: Quare in cultu Dei, & tempore creationis, alius pluſquam ego deditus ſilentio? Cur ille attentior lectioni? Cur maiorem exhibet diſciplinam? Ego qui in actu ſæculi, in cupiditatis parte, in ordine dignitatis nulli velim deterior inueniri, cur minor in ſpe ſalutis appareo?* Equidem turpitudinis non paruæ eſt, quòd, qui non patimur ab æqualibus vinci in actibus ſæculi, patiamur in re ſalutis vinci, & longè ſuperari ab iis, qui pari nobiſcum Dei vocatione vigent.

Exod. 7.

Exod.7. Ingressi itáque Moyses, & Aaron ad Pharaonem fecerunt, sicut præceperat Dominus. Tulítque Aaron virgam coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in colubrum. Vocauit autem Pharao sapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam similiter. Proiecerúntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones. Sed deuorauit virga Aaron virgas eorum. Indurátúmque est cor Pharaonis, &c.

§. VII.

Seueritas, & rigoris executio longè absit à Principe.

NOn Moyses, sed Aaron tulit virgam, quæ verteretur in colubrum. Sic textus: *Tulítque Aaron virgam coram Pharaone, quæ versa est in colubrum.* Suprà c. 3. Moyses tulerant virgam, cur modò non Moyses, sed Aaron? Ait D. Augustinus. *August.* quæst. 19. in Exod. *Hic certè non ministerio vocis erat opus, cùm videbatur velut ex necessitate datus Aaron Moysi propter gracilitatem vocis, sed virga erat proiicienda, vt draco fieret. Cur ergo Moyses ipse non fecit?* Incipiebat modò seueritatis exercitium aduersùs Pharaonem, quod minimè per se debebat præstare Moyses, vt qui optimi Principis gerebat formam, cuius est alienum esse à seueritate, & rigore. Quò spectans D. Chrysostomus homil. 43. in Acta, fatus: *Chrysost.* *Nihil ita humanum ostendit caracterem, vt misereri, & humanum esse. Propter hoc, & leges lictoribus totum permittunt, volentes iudicem vsque ad pronuntiationem sententiæ punire, educunt autem illos ad opus. Ita, etiamsi iustè fiat, non est animæ virtutum studiosæ punire. sed aliquo alio hoc habet opus. Quia & Deus non per se ipsum punit, sed per Angelos.* Hoc cauet bonus Princeps, hoc cauet virtutis studiosus, qui diuino spiritu agitur, vt non ipse per se exerceat seueritatis, & punitionis munus. Seruile est, *Gen.18.* non regium munus, etiam merentes punire. Ex Gen. 18. vt tres peregrini apparuerunt Abrahamo, vt ille in tribus vnum adorauit, Dominum Deum ibi recognoscens. Quid tunc? Ait textus: *Ablítque Dominus postquam cessauit loqui ad Abraham, & ille reuersus est in locum suum. Venerúntque duo Angeli Sodomam.* Ecce tibi è tribus, qui Dominus erat, abiit; duo autem, qui erant Angeli ad perdendam Sodomam pergunt. Et cur Dominus, qui cum illis venerat ad Abrahamum, cum illis etiam non pergit ad Sodomam? Non regium est, neque dominicum per se ipsum punitionibus adesse. Rem *Chrysost.* multis ponderat D. Chrysost. dicta hom. 43. in Acta: *Quando Sodoma subuersa sunt, per Angelos facta sunt omnia. Quando seruare oportet, per se ipsum hoc facit. Ita* *Matt.25.* *Filium misit in salutem generis. Et iterum. Tunc, inquit, dicam Angelis: Congregate facientes iniquitatem, & proiicite in caminum. Et iterum: Ligate illius pedes, & manus* *Luc.9.* *& mittite in tenebras exteriores. Vide illic seruos, qui ministrant. Quando autem beneficiis opus est, se ipsum benefactorem vocat. Quando loquendum cum Abraham ipse* *Matt.25.* *adest, quando in Sodoma adeundum seruos mittit. Et iterum. Euge, serue bone, & fidelis, super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Et hunc quidem ipse benedicit, illum autem malum non ipse, sed serui ligant.* Quidquid ad benefaciendum attinet, id suum putat bonus Princeps, quod pertinet ad pœnam infligendam, id seruile putat, & ingenuo Domino indignum.

§. VIII.

Dei præco parum proficit apud mundiales Principes.

Exod. 4. ECce tibi Exod. cap. 4. virga Moysis in terram proiicitur, *& versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses.* Modò etiam dicitur, quod eadem virga coram Pharaone, & seruis eius, *versa est in colubrum*, nec tamen additur, quod Pharao, aut alius timuit monstrum. Parum equidem cœlestis doctrina, concionatorum minæ apud Principes mundiales proficere solent. Sapienter ex hoc monebat D. Petrus Dam. sui sæculi religiosos *Pet. Da.* opuscul. 12. de contemptu sæculi, cap. 30. *Nolite, quæso Monachi, nolite sub Ecclesiasticæ compassionis specie Regum aulas irrumpere, nolite aures Principum velut salutaria suggerendo, fastidiosa importunitate pulsare: Credite experto, credite in huius gratiæ studio non leuiter fatigato. Imperatoriæ námque maiestati, sæpe quæ suggerenda videbantur, expressimus à summis Pontificibus inuitati, Synodalibus Conciliis interfuimus, sed qui hoc tempore ista prosequitur, tanquam si semina crederet arenosis litoribus videatur.* Et vtinam hoc malum non serperet vsque ad sæcula nostra, sed proh dolor! nemo non videt etiam hodie, quàm infructuosi sint apud mundiales Principes diuini verbi latores. Licet totus abeas in serpentum prudentiam, illáque plenus fias euangelicus coluber diras sibilans Principibus, potentibus, vanè fatigaris, vix aliquid illis emolumenti confers. Quò aptarim illud Hier. 8. *Ecce ego immittam vobis serpentes* *Hierem.* *regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos, ait Dominus.* Regulus serpentum Princeps est, iuxta D. Greg. PP. cui soli nulla est incantatio, nullus adeò sa- *Greg.* piens, & prudens incantator est, qui Principem hunc serpentum sopire possit. Hoc sibi dictum putent euangelici ministri, qui Curias, qui Aulas colunt, credant, inquam, sibi dictum à Deo: *Immittam vobis serpentes regulos.* Hoc est, proponam vobis Principes mundiales, qui ad bona terrena reptant: *Quibus nulla est incantatio.* Qui nullis vocibus, nullis carminibus auertentur à vitiosis moribus, Dauidem excipio, qui peccati accusatus. 2. Reg. 12. statim clamauit: *Peccaui Domino.* De *2.Reg.12* quo, vt de re insolita Regibus, & Principibus, præclarè philosophatur D. Amb. Apol. 2. cap. 3. *Peccauit Dauid,* *Amb.* *quod solent Reges; sed pœnitentiam gessit, & fleuit. quod non solent Reges. Quem mihi huiusmodi reperias virum, qui in potestate constitutus non magis peccata sua diligat, culpam prædicet, crimina defendat? Qui putet sibi, quod non decet, non licere?* Sanè ij sunt penè vniuersi Principes, qui nullis clamoribus norint obedire prudentum.

§. IX.

Principum familiaritates, & conuictum fugiat, qui velit illos continere in virtute.

MOysis virga cap. 4. proiecta in terram conuersa in colubrum fuit, & metum incussit Moysi ipsi; eadem in præsenti in colubrum versa, nec Pharaoni, nec vlli alij metum incutit. Et cur in primis coluber ex virga factus efficacior apparuit ad perterrefaciendum Moysem, quàm modò ad perterrefaciendos Pharaonem, & eius Principes? De illo ait textus: *Dixit Dominus: Proiice eam in terram. Proiecit eam, & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses.* De hoc autem ait: *Tulit Aaron virgam coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in colubrum.* Itáque primò virga proiecta est in nudam terram, in terram, inquam, deserti, indéque sumit faciem, quæ perterrefaciat omnes. At secundò eadem virga, non in nudam terram proiicitur, sed in Aulæa Pharaonis, inter Regiæ tapeta preciosa, inter aureas Principũ vestes; & quidem qui Principibus aduiuit, qui regiis stratis adrepit, quantumuis acer, & validus appareat, nullo timore frænauit Principum mores. Vilis vermiculus, sis vel abiecta lacerta, si nuda in terra versaris, ab omni re aulica alienus, omni mundiali alienus splendore, fallar, nisi potentissimos quosque valeas continere in bonis moribus. At si Aulis adrepas, inter Principum delicias agas, vel breues morulas, nihil proficis. Rem explico in paruo pisciculo, qui Remora di- *Plin.* citur, de quo ait Plinius lib. 32. cap. 1. *Ruant venti licèt, & sæuiant procellæ, imperat furori vnus, ac paruus*

admodum piscículus, Ethneis appellatus, virésque tantas compescit, & cogit stare nauigia. Infrænat impetus, & domat mundi rabiem, nullo suo labore, non retinendo, aut alio modo, quàm adhærendo. Hæc tantilla res, contra tot impetus satis est, vt vetet ire nauigia. Ecce parui piscículi vires. Quid tunc? Accipe, quod mitere magis. Proponit illicò historiam, fatus; *Cum è tota Caij Principis classe quinqueremis sola non proficiscerat, exilierunt protinus, qui id quærerent circa nauim, inuenerunt adhærentem gubernaculis, ostenderúntque Caio indignanti, hoc fuisse, quod se reuocaret, quadringentorúmque remigum obsequio contra se intercederet. Constabat peculiariter miratum, quomodo adhærens tenuisset, nec idem polleret in nauigium receptus.* Ecce tibi magnum piscículi miraculum, qui enim extrinsecùs adhærescens nauigio, imperat furori ventorum, domat rabiem procellarum, & sistit ingentem nauem ne progrediatur; ipse intrinsecùs in nauigio receptus nihil tale præstare valet. Quid pulchrius? Quoties euangelicus minister extra res aulicas est, extraneus fit Principum aulis, ô quàm frænat impetus illorum, & potentissimos quosque ipse vilis, & infirmus in virtute consistere facit. At si intrinsecùs pergat, & sese insinuet aularum penetralibus adrepens thronis, aduiuens rebus aulicis, nihil prorsus est ad mores Principum frænandos. Ionæ cap. 3. *Cœpit Ionas intrare ciuitatem itinere vnius diei, & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maioris vsque ad minorem. Et peruenit verbum ad Regem Ninive, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum,* &c. Et qui fieri potuit, vt vna vilissimi hominis vox sic Niniuitas, & Regem, & Principes compesceret? Vilis erat Ionas, sed prorsus extraneus, & peregrinus omnibus Niniuitis, ab illorúmque alienus cupiditatibus, vnde tantam vim habuit ad eorum commouendos animos. Sic Rex Niniue fatur apud D. Emphræm orat. in Ionam: *Sola nostra vox Reges exterruit, & miserandi istius vox omnes nos perturbat? Nos frequenter quocunque tempore ciuitates depopulati sumus, & in nostra ciuitate nos modo peregrinus superat. Vilissimi hominis voce deterrita est ciuitas nostra Niniue mater gigantum,* &c. Non domesticus, nõ familiaris, sed peregrinus, sed alienus Ionas apparuit, & quamuis vilis homuncio à mari euomitus tot compescuit Principes, & in pœnitentiam traxit. Sunt equidem potentissimi ad trahendos Principes illi, qui minimè eorum bonis communicant. Similiter 4. Reg. 5. Naaman Syrus lepra mundatus per Elisæi consilium & virtutem, stetit ad ostium Elisæi, inquiens: *Verè scio, quòd non sit Deus alius in vniuersa terra nisi tantùm in Israël. Obsecro itaque vt accipias benedictionem à seruo tuo. At ille respondit: Viuit Dominus, ante quem sto, quia non accipiam. Cúmque vim faceret, penitus nõ acquieuit. Dixitq; Naamã: Vt vis: sed obsecro, concede mihi seruo tuo, vt tollam onus duorum burdorum de terra. Non enim faciet vltrà seruus tuus holocaustum, aut victimam diis alienis, nisi Domino,* &c. Expende ordinem; recepta sanitate Deum confitetur verum, & prophetam multis cogit, vt de aulæ bonis aliquod munus accipiat. Quod postquam efficere non potest, statim petit sibi permitti terram ferre, in qua vero Deo sacrificet, cui soli se sacrificaturum polliceretur; & negaturum falsos Deos. Et quare hæc non promisit in primis? Quare vbi recepit sanitatem, & Deum verum testatus est, non simul dixit se renuntiare diis falsis, & Deo vero seruire, sed ante has promissiones de donis dandis Elisæo disputat? Sanè prophetæ signum non tantam efficaciam habuit ad trahendum Principem, antequam propheta ostenderetur alienus ab omni accipiendo Principis munere. Vnde meritò Theodor. quæst. 29. cum prophetæ paupertate Principis integram conuersionem coniunxit. Quippe ait: *Propheta valde expentendam paupertatem prætulit omnibus diuitiis, & legem euangelicam adimpleuit, priusquam ferretur. Vir autem ille admirabilis credens, vel ipsam terram Israëlis esse sanctificatam, rogauit vt duo onera mulorum ex ea acciperet, vt super eam Domino Deo soli offerret sacrificia.* Sic pari passu currunt, & prophetæ paupertas voluntaria, & conuersio Principis. In tantum enim vales Principes trahere ad Deum, in quantum magis te eorum bonis alienum putas. Nota est historia impiissimi Regis Ieroboam 3. Reg. 13. vt ad eum missus est vir Dei, cuius voce & altare scissum est, & manus Regis aruit, & restituta sanitati fuit. Ait tunc Rex: *Veni mecum domum, vt prandeas, & dabo tibi munera. Respondítque vir Dei ad Regem, si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum,* &c. Sanè vir nequam vidit altare scissum, vidit manum suam aridam, & sanitati restitutam; & tantis iis prodigiis, nec Deum testatur, nec ostendit pœnitentiæ signum; sed solùm offert prophetæ munera. Cur non antea Deum confiteris, & idololatriæ renuntias? Non miraculorum visio sic trahit ad Deum Principes, vt visio bonorum omnium abnegationis in Dei ministris. Ait Iosephus lib. 8. de Antiq. cap. 3. *Excusauit propheta, negans se in ea vrbe panem, aut vinum sumpturum. Rex autem miratus viri continentiam, eo magis de se cœpit esse solicitus, ex iis, quæ viderat, audierat, parum fœlicem rerum suarum euentum augurans.* Ecce tibi vt prima miracula ad reddendum Regem solicitum de sua salute efficaciam summunt ex prophetæ bonorum renunciatione. Non antea sic mouebat Regem propheta, quàm vbi sese alienum ab eius conuictu, & bonis prorsus exhibuit. Ex tunc enim iam timebat sibi, & malè sperabat de rebus suis.

Ionæ 3. — Ephræm. — 4. Reg. 5. — Theodor. — 3. Reg. 13. — Ioseph.

§. X.

Veritatem euidentissimè testatur, qui sola dira, & horrenda proponit Principibus.

Aaronis in manu virga coram Pharaone versa est in colubrum, ait enim: *Tulitque Aaron virgam coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in colubrum.* Sed libet illud memorare, quod pro Aarone accidit Numer. 17. vbi vniuersi Principes Israël dederunt virgas suas Moysi: *Quas cùm posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonij, sequenti die regressus inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt. Protulit ergo Moyses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israël.* Ecce tibi hîc Aaronis virga in flores, & in dulcissimos fructus abit, ibi autem in manu Aaronis virga versa est in colubrum. Cur non magis in vtrisque & flores, & fructus protulit? Cur in vno magis exhibuit flores, & in altero exhibuit draconem? Sanè innumeris testabatur veritatem populo vniuersò, ait enim: *Protulit Moyses omnes virgas ad cunctos filios Israël*, in Exodo autem res erat cum Pharaone Rege; vnde meritò non flores, sed colubrum exhibuit, nullo enim apertiùs veritatem quis testatur, quàm dum Regibus, & Principibus non blanditias, sed diras, & horrenda profert. Hinc Ionæ c. 3. *Peruenit verbum ad Regem Niniue: & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum, & indutus est sacco,* &c. Miraris, quod ignoti, & vilis hominis verbum tantam fidem haberet apud Regem. Et vnde verbum hominis abiecti, sibi Regis, Principúmque fidem conciliare potuit? Erat verbum asperum, verbum iram, & euersionem testificans, quod minimè ab homine vllo exiret ad Regem, nisi vis veritatis id cogeret. Ex quo prudentissimè Rex Niniue philosophatur apud D. Ephræmum orat. in Ionam fatus: *Si aduentans pacem prædicasset: suspicari potuissemus, ipsum velut aliquem turpis lucri cupidum, præclaris, scilicet ac faustis, quæ nobis vaticinaretur, munera*

Num. 17. — Ionæ 3. — D. Ephr.

uera à nobis captare. Medicus veritatis ad ægrotantem ingrediens, veritatem prædicat. Non pertimescit ad Regẽ properare, & ei suos morbos aperire. Non veretur, vel ipsi austeritatis pharmacum propinare. Quis ergo mendacem eum appellet, qui iram prædicat? Si enim mendax esset, etiam verbis adulatorem ugere deberet. Quòd homo non vtatur verbis lenocitantibus apud Principes, sed horrenda, & dira illis prætendat, id euidentissimæ veritatis est argumentum. Quis putet mendacem, qui iram potentibus prædicat? Mar. cap. 1. *Iesus ingressus in Synagogam, docebat eos. Et stupebant super doctrinam eius.* Itaq; Christi doctrina in stuporem, & admirationem rapiebat vniuersos. Sed scire cupis vnde doctrina Christi tantum sibi conciliabat respectum, & creditum? Inde putarim, quòd nullis lenociniis vteretur, sed nudè, & acriter Principes, & Pharisæos carpebat, extremum illis exterminium repræsentans. Ait Victor. Antiochenus ibi: *Cur stupebant? Quia non loquebatur ad gratiam, neque vlli prorsus adulabatur, neque auditorum laudes captabat, sed erat sermo eius in potestate. Hortabatur enim, non ad quæuis promiscuè, sed ad cœlestia, & animæ salutaria; perfidisque, & obstinatis peccatoribus imperterritè supplicia comminabatur.* Hinc summum sibi creditum in doctrina Dominus conciliabat, quod loquens cum Principibus populi, nulli adularetur, sed imperterritè, & scelera eorũ, & supplicia imminẽtia in medium dabat.

Mar. 1.

Vict. An.

§. XI.

Nil copiosius sub Principum aulis, quàm serpentina venena ad accedentium perniciem.

PRo vno ex virga Aaronis facto colubro, cœpit tota Pharaonis aula mille dracones parturire. Ait enim: *Vocauit autem Pharao sapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas & arcana quædam similiter: proiecerúntque singuli virgas suas, quæ conuersæ sunt in dracones.* Nec miror, quòd in Pharaonis aula tot dracones scaturiant, quando nil copiosius inuenitur in aulis Principum, quàm venena serpentina, quibus pereant, qui accedunt illuc. Accipite Æneam Siluium, qui postea creatus Pontifex, vocatus est Pius Secundus. Is lib. 1. de Gestis Alphonsi, relatus à nostro Cornelio in capite 6. Danielis, inquit: *Est apud Indos iuxta Plinium, herba quædam præcipui odoris, referta minutis serpentibus, quorum ictu protinus moriendum sit. Ita habent Principum aulæ, quod allectent, sed occultant lethale venenum in caueas.* Sunt equidem aulæ Principum odoriferi, & gratiosi herbarum manipuli, qui virore, & odore suo omnes inuitant. Sed latent angues in herbis illis, serpentibus venenosis scatent, quorum ictu omnibus accedentibus moriendum sit. Vnde Roboan Salomonis filius aiebat ad suos: *Ego autem cædam vos scorpionibus.* 3. Regum 12. licèt autem à Glossa, & aliis, per scorpiones intelligatur genus flagelli, non est, cur non intelligi possit lethalissimus serpens, quando aulæ nil aliud copiosius foueant? Et meritò pessimus Rex suis minatur ictum scorpij, cuius & ingentes, & multiplices sunt segetes venenorum. Ait enim Tertull. in Scorpiaco contra Gnosticos: *Magnum de medio malum terra scorpium supputat: tot venena, quot ingenia; tot pernicies, quot species; tot dolores, quot colores Nicander scribit, & pingit; tamen vnus omnium violentia gestu de cauda nocet.* Ecce tibi in scorpionibus tot venena, quot ingenia; tot dolores, quot colores; tot pernicies, quot species; & licèt multi sint scorpiones specie, venenis, nocumentis; tamen hoc est omni scorpioni commune, quòd caudâ noceat. Quid in aulis notius? Ibi quot ingenia, tot venena; quot colores, tot dolores, & licèt varias mortes aulæ promant; omnibus hoc commune est, quod caudâ, hoc est, in fine noceant. Ex quo illud monebat Æneas Siluius vbi suprà: *Illi aulici plurimùm sapiunt, qui accepto aliquo beneficio, vel mediocri, aulæ valedicunt. Ostendunt enim animum suum expletum esse, & periculo se subducunt, in quod curiales frequenter incidunt; qui veluti sues, vbi saginati sunt, in cœnam Domini mactantur.* Sic denique pereunt curiales venenis scorpiacis, quibus abundant aulæ Principum. Pro omnibus proferam vnum Caium Caligulam, de quo ait Paulus Orosius lib. 7. cap. 5. *Ipse à suis protectoribus occisus est. Duo libelli in secretis eius reperti sunt, quorum alteri pugio, alteri gladius pro signo nominis adscriptum erat, ambo lectissimorum virorum vtriusque ordinis senatorij, & equestris nomina, & notas continebant morti destinatorum. Inuenta est & arca ingens variorum venenorum, quibus mox Claudio Cæsare iubente demersis, infecta maria traduntur, non sine magno piscium exitio, quos enecatos per proxima litora passim æstus eiecit. Quibus notesceret omnibus, quid tanta veneni moles arte aucta, agere in misera ciuitate potuisset, quæ negligenter effusa etiam maria corrupit.* Fallor, si vel in Scythiæ cauernis, vel in arenis Lybiæ tot venenorum genera, tot segetes nutriantur, quot inuentæ sunt in aula huius Principis.

Æn. Sil.

Æn. Sil.

Pau. Oro.

§. XII.

Imperium temporale, quo plura alia ad se trahit, & vorat, gracilius ipsum fit.

COnueniant huc vniuersi mundi Principes, qui eò tendunt, vt voratis aliorum regnis suum imperium augeant. Videant, vt draco ex virga Aaronis factus cæteros vorat, ait enim textus: *Sed vorauit virga Aaron virgas eorum.* Serpens ex virga Aaronis factus vorat serpentes ex virgis Magorum factos; nec inde maior fit, nec pinguior, sed in virgæ marcorem transit. Anteà dicit, de virga Aaron, quòd *versa est in colubrum*, modò cùm eius meminit voracitatem, non meminit colubrum, sed virgam solam nominat, dicens: *Vorauit virga Aaron*, &c. Cur non magis dixit: *Vorauit coluber, seu vorauit draco ex virga factus?* Cur maluit obliuisci draconis in explicatione voracitatis, & solùm virgæ meminisse? Vt ostenderet ex tanta voracitate nullum augmentum traxisse, sed ad virgæ venisse marcorem, & siccitatem. Hoc est enim proprium omnibus sceptris humanis, quò plura vorant, & sibi acquirunt, eò infirmiora, & graciliora apparent in propria substantia. Rem firmat imperium Romanum, de quo tempore Pompeij, ait Paul. Oros. lib. 5. cap. 18. *Nánque eodem tempore cùm penitùs exhaustum esset ærarium, & ad stipendium frumenti deesset expensa, loca publica, quæ in circuitu Capitolij Pontificibus, auguribus, decemviris, & haminibus in possessionem tradita erant, cogente inopia, vendita sunt, & sufficiens pecuniæ modus, qui ad tempus inopiæ subsidio esset, acceptus est. Et quidem tunc in sinus ipsius ciuitatis euersarum omnium vrbium, nudatarúmque terrarum abrasæ vndique opes congerebantur, cùm ipsa Roma turpi adigente inopia, præcipuas sui partes auctionabatur. Quamobrem consideret tunc tempora sua, cùm quasi inexplebilis venter cuncta consumens, & semper esuriens, cunctis vrbibus, quas ipsa miseras faciebat, ipsa miserior. nihil relinquens, nihil habebat.* Ecce tibi, vt Roma, quasi venter facta consumit cuncta, & semper esurit, & cùm nihil in cæteris regnis relinquit, nihil ipsa habet; imò cùm ad se trahit omnium regnorum opes, quidquid suum est, vendebat; aurum, argentum, gemmæ omnium prouinciarum raptæ in vnam Romam confluebant, & Roma pauperior præcipuas sui partes auctionabatur. Fallar, nisi in se ploret regnum Castellæ, quod ex quo plura regna acquisiuit, & Americæ sibi adiunxit opes, apparet egentius. Oriens, & Occidens suas diuitias in Castellam mittunt, & ipsa, cogente inopia, præcipuas suas partes auctionatur, adeò vt annuorum tributorum

Pau. Oro.

tributorum capitalia,& omnia,& loca, & munera publica iam vendita fuerint. Id equidem commune erit omnibus mundi ſceptris, quo plura vorarint, eo ſemper egentiora erunt. Huc retulerim illud Pharaonis
Gen.41. ſomnium,ait enim Rex Gen.41.*Putabam me ſtare ſupra ripam fluminis, & ſeptem boues de amne conſcendere, pulchras nimis, & obeſis carnibus, quæ in paſtu paludis vireta carpebant. Et ecce has ſequebantur aliæ ſeptem boues, in tantum deformes,& macilentæ,vt nunquam tales in terra Ægypti viderim. Quæ deuoratis, & conſumptis prioribus, nullum ſaturitatis dedêre veſtigium, ſed ſimili macie, & ſqualore torpebant.* De macilentis alias vorantibus expreſſius quid ponunt Septuag.fantes : *Etſi deformes, & macilentæ vaccæ, quas nemo dignaretur alere, pingues tamen, & pulchras boues deuorauerunt, adeóque vt omnes in viſcera earum intrauerint, non tamen in eis ſignum aliquod apparuit ſaturitatis, ſed eadem macie, & tenuitate laborabant,perinde,ac ſi illas non comediſſent,nec enim impinguebantur aliquatenus,ſed perditum erat,quic-*
Ambr. *quid ediſſent.* Meritò iis dictis adiecit D.Ambr.lib.de Ioſeph cap. 7. *Vetus ſomnium,res recentes.* Equidem ſomnium illud vetuſtiſſimum eſt,at ſomnij res multùm ſunt recentes; quò enim regna plures prouincias vorant,plures regiones acquirunt,& plura ſpolia metunt, eò citiùs in maciem eunt, nec ex tot voratis aliquam oſtendunt pinguedinem.

Exod. 7. Dixítque Dominus ad Moyſem: Ingrauatum eſt cor Pharaonis, non vult dimittere populum. Vade ad eum manè: ecce egredietur ad aquas: & ſtabis in occurſum eius ſuper ripa fluminis:& virgam, quæ conuerſa eſt in draconem, tolles in manu tua. Dicéſque ad eum, Dominus Deus Hebræorum miſit me ad te, dicens: Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi in deſerto: & vſque ad præſens audire noluiſti. Hæc igitur dicit Dominus;In hoc ſcietis, quod ſim Dominus; ecce percutiam virga, quæ in manu mea eſt, aquam fluminis, quæ vertetur in ſanguinem. Piſces quoque, qui ſunt in flumine, morientur, & computreſcent aquæ, & affligentur Ægyptij bibentes aquam fluminis. Dixit quoque Dominus ad Moyſem: Dic ad Aaron: Tolle virgam, &c.

§. XIII.

Tunc maximè dilationem ſuppliciorum non patitur Deus eſſe, cùm diuinæ prouidentiæ fides periclitatur.

NOn poſſum non mirari feſtinationem Dei, vt ſupplicium aquæ verſæ in ſanguinem Pharaoni inferat; ait enim ad Moyſem : *Vade ad eum manè*, &c. Vt morte primogenitorum Pharao mulctetur, pro-
Sap.18. uectæ iam noctis tempus expectatur;ſic enim ait Sap. 18.*Cùm enim quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus, Domine, exiliens de cœlo à regalibus ſedibus durus debellator in mediam exterminij terram proſiluit, gladius acutus inſimulatum imperium tuum portans, & ſtans repleuit omnia morte.* Ibi prouectæ noctis expectatur ſpacium, hîc autem primo mane vrgetur Moyſes, vt denuntiet, & inferat ſupplicium.Cur hîc maximè mali inferendi dilationem Dominus non patitur? Ipſe ait : *In hoc ſcietis, quod ſim Dominus*, &c. Laborabat Pharao,laborabat Ægyptus circa cognitionem diuinæ prouidentiæ, nihil per ſupremum Dominum putabant mandari, quod malum ne ſerperet, iubet Deus quàm primùm aliquale ſupplicium accelerari, vt qui minimè ſoleat dilationem ſupplicij pati, vbi notitia,& fides diuinæ prouidentię periclitatur.Nemo neſcit impiiſſimi tyranni Iuliani apoſtatæ feſtinatam mortem, cuius feſtinationis cauſam proponens D.Nazianzenus
Nazian. orat.4,ait: *Ac proinde finem quoque amentia ſua dignum tulit : Deo hic ſolum conſueta ſua patientia vti non ſuſtinente, vbi multis pernicioſa futura erat benignitas, atque & iis,qui honeſtè viuunt,mœrorem multum, & peccantibus contemptum non paruum allatura:tanquam videlicet, nemo eſſet, qui res noſtras inſpiceret, præmiáque,& pœnas cuique pro merito rependeret, ſed temerè, ac fortuito mundus ferretur.* Expende verba illa nimirùm:*Deo hic ſolum conſueta ſua patientia vti non ſuſtinente*,&c. Quippè qui pene incredibili patientia impiiſſimos homines ſuſtinet, & in largiſſima tempora differt eorum pœnas;vbi puniendus fuit Iulianus, non diu ſuſtinuit, quin potius quaſi pro tunc ſuæ patientiæ oblitus, accelerauit ſupplicium, cuius dilatio benigna peccantibus contemptum non paruum eſſet allatura, tanquam videlicet nemo eſſet, qui res noſtras inſpiceret. Periclitabatur ibi notitia diuiniſſimi vindicis, & ideò non ſuſtinuit Deus ſua conſueta patientia vti in inferêdo ſupplicio. Poſt peccatum primorum parentum Gen. 3. *Aperti ſunt*
Gen. 3. *oculi amborum, cúmque cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus,& fecerunt ſibi perizomata.Et cùm audiſſent vocem Dei ambulantis in paradiſo ad horam poſt meridiem,abſcondit ſe Adam, & vxor eius à facie Domini, in medio ligni paradiſi. Vocauítque Dominus Deus*, &c. Ecce tibi quot ſpatia interceſſerũt poſt peccatum Adæ;oculi aperiuntur, perizomata ex foliis conſuuntur, greſſus Dei poſt meridiem audiuntur, fuga arripitur, & inter ligna deliteſcere curant. Tunc denique Deus reos perquirit, clamans : *Adam vbi es?* Longè citiùs Cain comprehenditur in peccato ſuo, quippè
Gen.4. Gen. 4. dicit : *Conſurrexit Cain aduersùs fratrem ſuum Abel, & interfecit eum. Et ait Dominus ad Cain*, &c. Cùm primum homicidium peragitur,iam vox Dei intonat,& maledictiones vibrat in Cain. Et cur,qui poſt tanta ſpatia plectit Adamum, Cainum nulla admiſſa mora,& in iudiciũ vocat, & ferit maledictis? Periclitabatur in Caino diuinæ prouidentiæ notitia, & ideò nec momento differtur eius ſupplicium. Ait Saluianus
Saluian. lib.1.de Guber. *Puto,quod hæc in Caino iam fuerit opinio,quæ nunc in multis eſt : Deum terreſtria non reſpicere, & actus ſceleratorum hominum non videre. At aliter expertus eſt, quàm putabat. Nam Deum, a quo non exiſtimauit videri ſcelera,cum occideret,ſenſit videre,cum damnaretur.* Sic feſtinato præoccupantur diuino ſupplicio illi,in quibus diuinæ prouidentiæ periclitatur fides.

§. XIV.

Mundialium ſplendorum ſummitates cauendæ a religioſo viro.

VRgetur Moyſes à Deo, vt matutino tempore ad Pharaonem accedat;ait enim:*Vade ad eum manè*, &c. Cur mane? Vt qui Principes conueniunt religioſi viri, diſcant eos ita conuenire, vt minima ſplendorum mundialium fruantur luce, caueant plenas illorum ſummitates experiri, ne periclitentur in ſalute. Rem pulchro exemplo expendit Æneas Siluius, qui
Æn.Sil. Pontifex fuit Pius XI.lib.1.de geſtis Alphonſi,relatus à noſtro Cornelio ad cap.6.Danielis : *Indicæ teſtitudines meridiano tempore blandiente gaudent toto dorſo per tranquilla fluitare, donec oblitis ſui, Solis vapore ſiccetur cortex, vt mergi nequeant, iámque inuitæ nanti opportunæ venantium prædis. Ita qui ſpe rerum magnarum allecti in Principum aulas ſeſe coniiciunt, & adeo deliniuntur aulæ delicijs, donec imprudentes eò rediganeur, vt non poſſint, etiamſi velint, in ſuum otium ſeſe recipere.* Quid pulchrius? Teſtudinum rem habes apud Plinium lib. 9. cap. 10. quæ enim intra maris aquas ſub leni cortice viuunt, vbi meridiano tempore ſupra aquarum tranquilla aſcendunt,vt pleniore fruãtur Solis lumine, ſub

sub huius ardentioribus radiis sic earum siccatur cortex, vt fluitare cogantur, nec possint se intra aquas recipere, sed venatorum prædis manent relictæ. Siccine sunt religiosi viri, qui à recessibus suis ad mundiales Principes accedunt, sub horúmque plenioribus splendoribus non verentur viuere: heu quàm sæpe de ardentibus mundialium bonorum radiis sic siccantur, vt nequeant ad mentis tranquilla se recipere, sed exposi-
Psal. 55. ti maneant mille ruinis. Rex erat, & religiosus ille Psal. 55. dicens: *Conculcauerunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes aduersum me. Ab altitudine diei timebo.* Ecce tibi à quo sibi timeat religiosus animus expertus inimicorum telà, imò & plagas. Timet equidem sibi *ab altitudine diei*, hoc est, vt ait Hugo, *à fortitudine prosperitatis*; ne dum plenissimis prosperitatis regiæ radiis fruitur, sit siccetur, vt fluitans per mundiale pelagus, minimè se posset recipere in securitatem.

§. XV.

Pœnâ certo imminens plus torquet expectantem.

TOtum plagæ ordinem prius denunciare Pharaoni, quàm infligere monetur Moyses, dum ex præcepto Domini dicendum sibi putat ad Regem: *Ecce percutiam virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis, & vertetur in sanguinem, pisces quoque*, &c. Et cur antequam infligatur plaga, ob oculos proponitur Pharaoni, nisi vt exacerbetur amplius supplicium, quando certissima pœna imminens expectantem magis affligit? Ait enim
Nazian. D. Nazianz. orat. 4. *Satis enim magna pœna censeri debet, cum ij, qui molestiam intulerunt, metu concutiuntur, meritásque pœnas expectant, propriaque conscientiæ cruciatu afficiuntur. Nam quæ quisque vt iam iam perpessurus timet, hæc passus est, etiam si non patiatur: grauiúsque à se ipso fortasse, quàm ab iis, qui supplicium illaturi sunt, torquetur.* Itaque non parua pœna, sed grauissima est, qua quis se torquet sub expectatione pœnæ imminentis. Ex quo
Sap. 17. lucem accipit locus Sapientiæ cap. 17. ait enim de Ægyptiis tenebrarum plaga affectis: *Solis autem illis superposita erat grauis nox, imago tenebrarum, quæ superuentura illis erat. Ipsi ergo sibi erant grauiores tenebris.* Iam homines tenebræ opprimebant, quæ illorum animis repræsentabant alias superuenturas in futuro tenebras. Quid inde? *Ipsi ergo sibi erant grauiores tenebris*; ex quo enim non solùm præsentibus affligebantur tenebris, sed & expectatione aliarum iam iam venientium, occupabantur grauius à se ipsis, quàm à venturis tenebris ferebant tormentum. Nunquam enim homo non torquetur grauius sub expectatione venientis mali, quàm sub ipso malo. Hinc Dominus tentare volens Abrahamum, in-
Gen. 22. gens illi tormentum incutiens, ait Gen. 22. *Tolle filium tuum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium, quem monstrauero tibi.* Vnici filij iugulationem præscribit, sed longam viam prius terendam definit. Cur Deus quando acerbissimam patri rem mandat, non magis accelerat rei executionem? Vel cur non antea viam præscribit, & post confectam viam, post montis ascensum, tunc explicat Isaaci ruinam. Sanè Isaacum secum pater adducit, in montem pergit, ligna portare mandat, altare ædificat, & nihil illi dicit, sed post omnia peracta rem explicat. Cur non similiter Deus cum Abrahamo agit? Equidem volebat Deus Abrahamo maius inferre tormentum, quàm quod oritur ex morte filij in parente dulcissimo; & ideò filij imperat occisionem, & ante illam iter longum peragendum definit, vt ingentis doloris expectatio, plus vrgeat virum, quàm si ipse
Origen. dolor veniret. Ait Orig. in præsenti: *Potuerat duci prius Abraham cum puero ad illam terram excelsam, & imponi prius in montem, quemcunque delegerat Dominus, & ibi ad eum dici, vt offerret filium. Sed prius ei dicitur, quòd offerre debeat filium suum, & tunc iubetur ire in terram excelsam, & ascendere in montem. Quò hoc spectat? Vt dum ambulat, dum iter agit, per totam viam cogitationibus discerpatur, vt hinc perurgente præcepto, & vnici affectu obluctante crucietur. Propterea ergo etiam via iniungitur, etiam montis ascensio, vt in iis omnibus spatium certaminis accipiat affectus, & expectatio futurorum.* Nec dubium, quin expectatio futurorum malorum, plusquam ipsa mala animum passuri diuerberet.

Exod. 7. Fecerúntque Moyses, & Aaron sicut præceperat Dominus; & eleuans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in sanguinem. Et pisces, qui erant in flumine, mortui sunt; computruítque, fluuius, & non poterant Ægyptij bibere aquam fluminis, & fuit sanguis in tota terra Ægypti.

§. XVI.

Vbi sacri baptismi aquæ desunt, ibi crebræ à Deo veniunt & pugnæ, & ruinæ.

COnflicturus Deus cum Pharaone ecce quale plagarum imminentium dedit initium. Ait textus: *Eleuans virgam percussit aquam fluminis, quæ versa est in sanguinem.* De Dei mandato percutitur virga aqua fluminis, & iam aqua non est, nec inuenitur aqua viris Ægyptiis, sed pro aqua fluit sanguinis liquor. Quid plura? Non iam mirer, si Deus Ægyptios multis percutiat; vbi enim aqua sacri tollitur baptismi, quid aliud potest venire, quàm creber conflictus, crebræ ruinæ. Crede mihi, ablatio aquæ sacri baptismatis initium est omnis discriminis. Dum ad patriam rediret Iacob Gen. 32. peruenit ad ripam fluminis, ibique fecit, vt filij, & vxores, & serui vadum transirent, ipséque mansit solus ante ipsum flumen. Quid tunc? Ait textus: *Traductisque omnibus, quæ ad se pertinebant, mansit solus: & ecce vir luctabatur cum eo vsque manè.* Multi erant vltra flumen, & filij, & serui Iacob, quos omnes dimittit quietos nobilis luctator, & ad solum Iacob opprimendum festinat, qui solus manebat, antequam transiret flumen. Et cur lucta paratur Iacobo, potiùs quàm filiis, aut seruis eius? Cur Iacob solus à luctatore petitur, quando alij erant, cum quibus posset etiam confligere? Solus Iacob erat, qui vadum fluminis non terigerat, qui non expertus fuerat aquam fluminis; vnde meritò solus petitur ad luctas; vt discant illi, quibus sacri baptismatis aqua ignota est, quantis luctis debeant à Deo affligi. Pulchrè ad hæc Procopius ibi: *Cum iis, qui traiecerũt fluuium, non luctatur Christus, suorum in numero ipsos reputans, & vt mundi victores ipsos coronans: Præsagia autem hæc erant, qui ex Iacob repudiarent baptismi gratiam, hostem forent habituri Christum.* Monstrabantur in Iacob filiis, qui traiecerant vadum fluminis, illi, qui baptismi aquam erant susceperuri, cum quibus non pugnat Christus, sed illos coronat. In ipso autem Iacob illi ostendebantur, qui non traiicientes vadum fluminis minimè erant susceperuri baptismum. Ii autem quid sperent nisi hostiles ex Deo impetus? Nunquam non infensum, & durum sibi inuenient Christum. Cùm Israëlitæ educerentur ex Ægypto, peruenerunt ad ripas maris rubri, quod de medio abstulit Dominus, vt transirent non per aquam, sed per siccum. Ait enim Exod. 14. Exod. 14 *Cùm extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus, flante vento vehementi, & vertit in siccum: diuisáque est aqua. Et ingressi sunt filij Israël per medium sicci maris*, &c. Sic auferetur de medio mare, & paratur via sicca, vt Israëlitæ transirent. Non sic cum Christianis factum est, imò illis dicitur Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu* Ioan. 3. *sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et quando

Israëlitis aufertur maris aqua, vt per siccum transeant, cur Christianis ita paratur aqua, vt sine illa non debeant gradum facere? Sanè huius differentiæ qualitatem euentus ipse monstrauit, quando Israëlitas heremus excepit, in qua & prælia, & serpentes igniti, & ignis, & gladius à Deo in illos immittebantur: Christianos autem, & pax, & regnum expectabat. Ex quo
D. Zeno. eleganter D. Zeno lib. 3. ser. 38. fatur: *Illorum profugus populus per mare rubrum dextra, lœuaque vndarum stupentibus rupibus, pede sicco transiuit; at nostrum mare, quos voluntarios suscipit, fœliciter naufragos facit; interimensque vniuersa peccata genitali vnda submergit, vt cœlestes effecti terram desiderare non norint. Denique illi post mare ad heremum peruenere; nos per baptismum ad paradisum peruenimus.* Ecce tibi, quos mare fugit, & aqua non aspersit, heremus suscepit plena Dei iris, plena illorum necibus, quos autem baptismi vnda submergit, hos paradisus pacificè expectat.

§. XVII.

Vbi diuinæ iustitiæ virga apparet, vel illæ creaturæ homini infensæ reduntur, quas magis sibi obligauerat homo.

ECce tibi ad virgæ ictum primæ aquæ vertuntur in sanguinem, vt Ægyptios affligant. Quippè ait: *Eleuans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone, & & seruis eius, quæ versa est in sanguinem, & pisces, qui erant in flumine mortui sunt; computruitque fluuius, & non poterant Ægyptij bibere*, &c. Et cur ad ictum virgæ prima aqua lethalis fit Ægyptiis, nisi quia Ægyptij maximis, & diuinis honoribus sibi fluminis sui aquas deuinxe-
Procop. rant? Ait Procop. ibi: *Pœnæ, quæ primò irrogantur, petuntur ab elemento aqueo. Siquidem Ægyptij maximis, & diuinis honoribus coluerunt aquam, statuentes ipsam esse principium vniuersi. Proinde aquæ primò affliguntur.* Et quidem, vbi diuinæ iustitiæ virga instat, illæ creaturæ in primis aduersùs nos insurgunt, quas obsequiis nostris putamus magis nobis deuinctas. Id, quod minabatur
Num. 34 dominus Israëlitis Numer. cap. 34. *Si autem nolueritis interficere habitatores terræ, qui remanserint, erunt vobis quasi claui in oculis, & lanceæ in lateribus, & auersabuntur vobis*, &c. Sed qui remanserint, minimè remanserint nisi ex Israëlitarum beneficio, quibus Israëlitæ parcerent, & parcendo maximè sibi deuinxissent. Quomodo ergo fieri poterat, vt homines adeò obligati sic infensi redderentur Israëlitis? Hic est effectus diuinæ iustitiæ, vt nullos prius experiamur infensos, quam eos, quos maioribus obsequiis con-
Procop. tra Dei placitum nobis obstrinximus. Ibi Procopius ait: *Porrò, quibus aliquis applaudit contra Dei voluntatem, iisdem quoque in manus traditur. Quemadmodum Cæsari Iudæi, cum eum Regem præ Christo seruatore elegessent, sub Romanis enim captiui perierunt.* Non dubitò quin in causa Christi, multum sibi Iudæi Cæsarem obstrinxerint, eius honori, & regno maximè consuluerint; at dum cœpit excitari in illos diuina iustitia, nullus prior, quàm Cæsar percussit miseros. Id nouerant Iudæi ipsi, qui traditi à diuina iustitia Babyloniorum gladiis, in summa
Oseas 10 angustia constituti, ait Oseas cap. 10. *Dicent montibus, cadite super nos, & collibus operite nos.* Et cur expectantes hostiles gladios, ad montes confugiunt, volentes in primis opprimi ab illis? Erant montes, quos honoribus diuinis coluerant, quos multa religione sibi obstrinxerant; quibus meritò primas supplicij sui deferunt, vbi instat diuina iustitia. Ait D. Cyril. Alex ibi apud
Cyril. Delrium in Adagiis. *Dicent montibus illis, & collibus, in quibus idola colebant: Cadite super nos, anticipate crudelitatem Babyloniorum.* Non enim esset fas, quòd alij prius percuterent miseros, quàm ij montes, quos magis ipsi sibi sacrificiis funestis deuinxerant. Equidem nulli priùs, quàm quos magis habemus in charis, nos affligent, vbi apparuerit iustitiæ diuinæ virga. In primos peccatores exardescebat diuinissimus iudex, & vocans eos ad pœnam, quid inquit Adamus? Ait iste Genes. 3. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Gen. 3
Vix iudex apparuit, & primus Adam opponit Euam discrimini, cur primus Adam sic in Euam crudelis, nisi quia ille erat maximè Euæ in deliciis? Rem pulchrè tractans D. Ber. ser. 1. in festo omnium Sanctorum, inquit: *Ecce scimus, ô Adam, quia os de ossibus* Ber.
tuis est, & caro de carne tua. Videamus nunc quantum diligas eam. Venit dominus igneum tenens gladium in vltionem præuaricationis, oppone te discrimini propter illam, & dic, Domine, mulier infirmior est, mea est iniquitas, in me solum vindicta procedat. Sed non loquitur sic: Mulier, inquit, quam dedisti mihi, dedit de ligno, &c. Vbi iudex apparuit, nihil promit Adamus, quod Euam excuset, sed quod condemnet, ipse primus obiicit miseram rigori sententiæ. Sic semper, qui nobis in deliciis sunt, qui maiora nobis debent, in carnifices conuertentur, vbi iudex apparuerit.

§. XVIII.

Vel ad primum diuinæ iustitiæ virgæ ictum quæcunque scelera abscondita prosiliunt in medium.

VIrga tangit fluuium, & totus fluuius in sanguinem conuertitur: *Eleuans virgam percussit aquam fluminis, quæ versa est in sanguinem.* Et cur necessum fuit, quòd fluuius in sanguine tangenti virgæ responderet? Latebat intra fluminis alueum puerorum Hebræorum sanguis, quos recens natos præcepit Pharao suffocari in flumine: quod nefas non potuit moraliter non prodire in publicum, vel ad primum tactum diuinæ virgæ. Ait Procopius ibi: *Cùm in flumen mandauerint præcipitandos Hebræorum infantes, & tandem diuina virtute versum sit in cruorem, satis redarguit, & in mentem illis reuocat crudele, & immane edictum.* Eò sanè spectat sanguis fluminis, vt repræsentet, & redarguat immane delictum infanticidij, quod propriissimum facinus est diuinæ virgæ. Cùm primum enim diuinæ iustitiæ virga hominem tangit, quæuis occulta scelera in medium producit. Sic Gē. 4. *Dixitque Lamech vxoribus suis Adæ,* Gen. 4.
& Sellæ: Audite vocem meam vxores Lamech, auscultate sermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum. Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies. Et quidem, vt sapienter D. Chrysostomus, hoc homicidium à Lamech perpetratum, occultissimum erat nullus tale facinus patrari viderat, nec de illo audierat. Vnde ergo Lamech cogitur occultum facinus suum in mediū proferre, illúdque manifestare mulieribus? Sanè pulsauerat hominis animum diuinus iudex, & ad diuinæ virgæ tactum, protinus occultissima quæque scelera prodeūt. Ait D.
Chrys. hom. 20. in Gen. *Quis enim, dic, obsecro, talem ad* Chrysost.
confessionem adegit? Nullus alius, quàm conscientia, & incorruptus ille iudex. Vnus diuinus iudex virum tetigit, & ad tactum virgæ eius protulit omne scelus in medium, Huc spectans Ezech. cap. 7. ait dominus. *Nunc de pro-* Ezech 7
pinquo effundam iram meam super te, & replicabo furorem meum in te, & iudicabo te iuxta vias tuas. Et imponam tibi omnes abominationes tuas. Et non parcet oculus meus, neque miserebor, sed vias tuas imponam tibi, & abominationes tuæ in medio tui erunt, & scietis, quia ego sum Dominus percutiens. Expende sequelam: *Et abominationes tuæ in medio tui erunt, & scietis, quia ego sum Dominus percutiens.* Inde equidem scitur Dominus percussisse, & tetigisse, quòd abominationes in medio nostri sint, hoc est iuxta D. Hier. quòd videamus abominationes nostras in cōspectu omniū positas. Vt primū enim diuini iudicis virga percutit, statim occultissima quæque scelera sūt in manifesto. Hinc ipse Ezec. c. 7. clamat: *Floruit virga, germinauit* Ezch 7.

nauit superbia. Ex quo enim supremi iudicis virga flores suos edidit, nimirùm percussionem aliquam fecit, statim erupit superbia, quæ latebat. Ibi D. Hier. *Ideo Dominus visitat, & percutit, vt oriatur, & pateat omnis superbia, quæ diu latebat inclusa.* Non enim possunt ad diuinissimi iudicis virgæ ictum secretissima quæque scelera non prodire in medium. Hieron.

Exod.7. Fecerúntque similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis: & induratum est cor Pharaonis, nec audiuit eos, sicut præceperat Dominus. Auertítque se, & ingressus est domum suam, nec apposuit cor etiam hac vice. Foderunt autem omnes Ægyptij per circuitum fluminis aquam, vt biberent: nō enim poterant bibere de aqua fluminis. Impletíque sunt septem dies postquam percussit Dominus fluuium.

§. XIX.

Non locus, sed propria cuiusque affectio sibi, aut bona trahit, aut mala.

VIde Ægyptios facientes foueas per circuitum fluminis, vt stillatum sanguinem, velut aquam potarent: *Foderunt autem Ægyptij per circuitum fluminis aquam, vt biberent: non enim poterant bibere de aqua fluminis.* Ægyptij foueas faciunt, Ægyptij affliguntur potu sanguinis; nil dicitur de Israëlitis in eadem terra commorantibus. Cur similiter Israëlitæ, ac Ægyptij non experiebantur eiusdem loci mala? Non miror, quòd soli Ægyptij affligantur sanguine fluminis, quādo soli Deo rebelles inueniebantur; mala autem, vel bona non propter locum, sed propter hominum affectiones dantur. Vt dicat D. Nyssenus ibi. *Eodem tempore, eodem loco Iudæi ab officio non recedentes nihil mali sentiebant. Ægyptij verò perperam sentientes, & cogitantes acriter plectebantur. Nam aquæ per vniuersam Ægyptum in sanguinem iubente Moyse conuersa est, vt vel ipsi pisces crassitudine aquarum carnea morerentur. Iudæis solis sanguis aqua erat limpidior.* Non equidē loci malum erat, sed affectionis humanæ; qui prauè afficiebantur, sanguinis plagam sibi conciliabant; qui autē boni, & fideles erant, etiam in eodem loco existentes limpidissima aqua fruebantur. Huc refero illud Daniel. 3. vbi tres pueri Hebræi fidelissimi Dei serui in fornacem flammantem coniecti sunt. Pueri erant in medio ardentis fornacis: Babylonij infideles iuxta erant videntes flammas. Quid tunc? *Erupit flamma, & incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis. Angelus autem Domini descendit cum Asaria, & sociis eius in fornacem, & exclusit flamam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis.* Ecce tibi, qui iuxta fornacem erant, cremabātur, qui verò intra ipsam erant perfusi rore nil recipiebant damni. Et cur qui intùs erāt, securiores apparebant mediis flāmis? Ne putaretur res loci esse, sed affectionis, vt qui benè affecti sunt, quocūque loco inueniantur, possunt à malis liberari, & mali vbicunque sint, debent supplicia pati. Ait D. Chrys. hom. 6. ad Popul. *Recorderis igitur illorum trium puerorum, qui erāt intra fornacem, & nihil graue patiebantur; & eorū, qui ipsos iniecerant, & extra fornacem manebant, quomodo, qui circunstabant, omnes consumpti sunt. Quid hoc mirabilius? Quos continebat ignis, exoluit, quos non continebat, rapuit. Vt sic discas, quòd non locus, sed morum qualitas salutem, & pœnam affert.* Qualitas morum trahit salutem, aut pœnam hominibus, quando in paradiso homo acquisiuit sua malitia flammeū gladium versatilem; & in sterquilinio, in media malorum sartagine Iob bona recepit duplicata. Sic Ioann. 13. *Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat de hoc mūdo ad Patrem; cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. Et cœna facta, cū Diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas.* Duodecim erant discipuli congregati iuxta Iesum, cum eo comedentes panem: in vndecim eorum corda diuini amoris mittebantur pabula, in Iudæ cor proditionem mittebat Diabolus. Et cùr in simili mensa, in simili conuiuio, & consortio, tā dissimilem hospitem Iudas trahit? Res erat non loci, sed qualitatis morum; & quisque pro vt affectus erat, recipiebat in animo; boni Benefactorem, & Saluatorē Deum, mali carnificem Diabolum. Ait D. Leo ser. 5. de Pass. *Illius spiritu inflammatus Iudas exarsit, cui ministerium sponte præbuit; & qualem habuit mentem, talem inuenit & præsidem.* Non aliunde, sed ex se ipso traxit Iudas in eadem mensa, in eodem conuiuio tam trucem hospitem animæ; eius morum qualitas carnificem conciliabat, quando cæteri Saluatore fruebantur. Ne quis multum deferat locis, sed morum qualitatibus, quando malus, vel in Dei mensa vorat inferni flammas; & boni vel in carnificinis, vel in fornacibus cœlesti rore perfusi de salute comparata gaudent.

Nyssen. Chrysost. Ioann. 13. Leo.

§. XX.

Maximè attendenda sunt salutis viæ his, qui nolint in illis implicari.

FEcit Moyses ex aqua sanguinem, similiter fecerunt & Magi, vnde Pharao non acquieuit Dei placito. Sed quando Magi eadem faciebant, cur peccaret Pharao, si eis eandem fidem præstaret? Rationem peccati Pharaonis assignat textus, aiens: *Fecerunt similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis. Et induratum est cor Pharaonis, nec audiuit eos, sicut præceperat Dominus. Auertítque se, & ingressus est domum suam, nec apposuit cor etiam hac vice.* Expende ab illis: *Auertítque se,* &c. Quippe vbi Pharao vidit maleficos similia faciētes, non amplius attendit, nec apposuit cor suum ad discernendum inter maleficos, & Moysem, sed statim re leuiter perspecta auertit se, & domi se recepit. Cur ergo non pereat Pharao, & culpabiliter implicetur falsitatibus, quando in rei adeò ancipitis examinatione noluit immorari, nec apposuit cor suum, vt veritatem indagaret? Non sufficit equidem in re salutis leuis quædam perspectio, sed maxima attentione sunt viæ salutis dignoscendæ, & examinandæ. Monebat Ecclesiast. c. 9. *Scito, quòd in medio laqueorum ingrederis.* Quæ sic legūtur à D. Chrys. *Agnosce, quòd in medio laqueorum transis.* Sunt equidem salutis viæ multis permixtæ laqueis; & sunt laquei eundem colorem referentes exteriùs, quē viæ salutis habent. Quid faciam, vt me expediam laqueis? Iam disce ex consilio monentis, *Agnosce*; hoc est, non leui prospectu, sed multa attentione, multo meditationis labore satage, nec capiaris falsitate. Diuus Chrys. hom. 13. ad Popul. *Non enim dixit, Aspice, quòd in medio laqueorum pertransis, sed Agnosce. Et quare dixit, Agnosce? Obumbratus est, inquit, laqueus, non manifesta clades, sed vndique obtecta adiacet. Propterea dixit, Agnosce. Multa tibi opus est agnitione, & diligenti scrutatione.* Non qui leui oculorum intuitu, sed qui multo studio, integróque cordis, & mentis conatu res humanas attendit, distinguit veras à falsis. Ex quo Ecclesiastes c. 2. *Cogitaui in corde meo abstrahere a vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam, deuitarémque stultitiam, donec viderem, quid esset vtile filiis hominum.* Vide quanta faciebat Ecclesiastes, sese ad internas cordis meditationes recipiebat; ibique in primis se alienabat ab omni re, quæ mentis perspicaciam fallere posset, & prorsus vel suspicionem stultitiæ fugiebat, neque in iis cessabat, aut remittebat animum, donec veritatem prorsus callebat. Et credat mihi, non recedat à diligenti scrutatione, cui totum se impendat, qui velit ad veritatem accedere. Pulchrè Hugo Victorin. hom. 8. in Ecclesiastem ait: *Benè in hoc feci sti, quòd abstrahere proposuisti à vino carnem tuam, vt melius inebriares sapientia animam tuam, &*

Chrysost. Eccles. 9. Chrysost. Chrysost. Eccl. 2. Hu. Vict.

eam ad se ipsam introrsum colligeres; & totam animi intentionem, omnésque cordis conatus sub rationis moderamine cohibendo, veritati conformares. Hoc ergo bene feci-sti, sed vsque quo? Donec, inquit, viderem quod est vtile filiis hominum. Vide ergo, vt perseueres, vt in veritate quæras, quia non inuenitur veritas, nisi ab iis, qui eam in veritate quærunt. Qui toto corde ad eam accedunt: Qui non dimidij veniunt, & dimidij recedunt, sed toti veniunt, & ex toto veniunt. Quid pulchrius? Totum hominem, totum cordis attentionem requirit veritatis inuentio; non dimidius, sed totus intende veritati percipiendæ, nisi & falsis implicari velis.

§. XXI.

Commune est Principibus, quòd in veritate indaganda non immorentur.

VBi malefici similia fecerunt, non amplius indagauit Pharao, sed statim ad sua recessit: *Auertitque se, & ingressus est domum suam, nec apposuit cor etiam hac vice.* Pro *hac vice*, dicitur Hebraicè, *ad hoc.* Vidit itaque Pharao similia à suis maleficis facta, & statim auertit se, nec apposuit cor ad hoc. Cur non magis rem attendis, & veritatem indagas, vt pereat, qui te talibus prodigiis fallere tentat? Cur rem adeò grauem sic mãcipiti relinquis, & nõ magis curas, vt veritas proferatur in medium? Hoc sanè ominibus Principibus commune est, quòd in proferenda veritate minimè immorentur. Veritatis magistrũ nactus Pilatus, de veritate quærit, sed responsum non expectat. Ait enim
Ioan. 18. Ioan. c. 18. *Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cùm hoc dixisset, iterum exiuit*, &c. Ecce tibi quæstionem de veritate propositam relinquit, & abiit ad alia. Cur non magis expectas, vt scias, quid sit veritas? Euthymius ibi: *Discere cupiens interrogat: Quid est veritas? Sciens autem quod mora opus esset ad quæstionem, subsistit, ab interrogatione confestim egressus.* Ex eo solùm, quòd mora opus esset ad veritatem percipiendam deterritus est, & confestim recessit, vt qui nesciat pro veritate vel minimum terere tempus. Sed & quod mireris magis Dauid, religiosissimus Rex, vbi à Siba interrogauit de Domino suo Miphiboseth, & ex illo audit, quòd Miphiboseth non bono animo esset erga Regem, statim inauditum reum omnibus bonis priuat, illáque Sibæ accusatori largitur. Et non multum pòst accedit ipse Miphiboseth, & habitu, & verbis suam innocentiam testificans, ait enim.
2. Reg. 19 2. Reg. 19. *Insuper, & accusauit me seruũ tuum ad te Dominum meum Regem; tu autem Domine, mi Rex, sicut Angelus Dei es, fac quod placitum est tibi*, &c. *Tu autem posuisti me seruum tuum inter conuiuas mensæ tuæ, quid ergo habeo iustæ querelæ? aut quid possum vltra vociferari ad Regem? Ait ergo ei Rex: Quid vltrà loqueris? fixum est, quod locutus sum, tu & Siba diuidite possessiones.* Expende illa: *Quid vltrà loqueris.* Quibus Dauid non permisit plus temporis consumi à Miphiboseth in ostendenda innocentia sua, & Sibæ proditione. Et quidem res erat grauissima, in qua agebatur de fama, & bonis Miphiboseth, & de proditione Sibæ; & facilè poterat ostendi vter esset in Regem fidelior, an Siba, an Miphiboseth? Cur ergo Rex non magis finis rem ostendi? Cur non permittis, vt tantus vir Miphiboseth filius amicissimi Principis pro se loquatur; & satagis, vt tibi rei veritas euidenter constet? Equidem non solent Principes immorari in dignoscenda veritate, & si id præstare facilè possint. Ex quo meritò Caiet. Dauidem accusat, aiens: *Prius Dauid fuerat præceps dando totum Sibæ inaudita parte; modò audita parte, sed indiscussa veritate manifestè iniustus inuenitur*, &c. Dupliciter errauit Dauid, prima vice, dum inauditum hominem damnat, & illum damnat ex simplici Sibæ accusatione, sine vlla veritatis discussione, quam facilè præstare posset. At secunda vice correxit alterum errorem, audiens partem accusatam, sed minimè sustinuit, vt corrigeretur alter error de veritate discutienda, quasi in hoc immorari sit omnibus aliis molestius Regi.

Caiet.

CAPVT VI.

Ranæ, cyniphes, & muscæ excitantur in Pharaonem.

INterea Dies plagam visura secundam illuxit, & quæ draco fuerat virga, in altum erecta per Aaronem ranarum, perstrepentium multitudinem ingentem conuocans è lacubus, è fontibus, è fluuiis, fœculentissimum tormentum immisit Ægyptiis. Cogebant exulare miseros omnia plena spurcissimis hospitibus, & domorum penetralia, & lectos, & mensas, & vasa cuncta; nec licebat ad panem manum porrigere, quem non præoccupasset, & fœtidus, & importunus ranarum assultus. Videres Pharaonis pectus adamantinum nulli sanguini cedens, ranis persultantibus emollitum: qui ad maleficos iuerat pro augenda pœna, ad Moysem castigatus venit pro minuenda illa. Crastinus statuitur dies ab ipso Rege, quo preces fiant; nunquam enim non procrastinare nouit humana infirmitas in re salutis.

Igitur, orante Moyse, fœtida ranarum plaga mundatur Ægyptus, & lapideus Pharao ad tantæ diuinæ benignitatis radios magis obduruit. Rursus ad culpam Pharao, rursus Aaron ad virgam, cuius ictu è puluere cyniphum phalanges exurgunt, qui coadunatim vibrando densati, cum vrente morsu homines impetunt. Minimè valuit similes exercitus instruere Magorum maleficium; sed inter horum aculeos, infirmitatem prædicant suam, & digitos agnoscunt diuinos. At Rex nec tot stimulis ad remedium ducitur, vt necessum fuerit cyniphum instaurari certamen adiunctis caninis muscis. Harum tanta increuit multitudo, tam pestilens, tam importuna, ne licuerit misero amplius omnipotenti manui resistere. Dat abeundi facultatẽ Hebræis, dum iis liberetur bestiolis: quam tamen facultatem dedit oppressus muscis, confestim recreatus substulit.

Pars Moralis circa textus literam.

AB aqua, & terra plagas traxit virga Moysis; vtinam noster stylus trahat à cœlo auxilium, quo de tantis plagis possit moribus nostris offerre medicinam.

Exod. cap. 8. Et extendit Aaron manum super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti. Fecerunt autem malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntque ranas super terram Ægypti. Vocauit autem Pharao Moysem, & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum, vt sacrificet Domino.

§. I.

Plaga exitialis regnis est, quæ venit à poetarum vanorum libris.

QVanta hæc fuit Ægypti plaga? Inquit enim *Ascenderũt ranæ, operueruntque terram Ægypti.* Nullus locus sacer, nullus recessus puellarum, nullum secretum cubile, non plenum fuit perstrepentibus iis ranis. Sic paulò ante minatus fuerat: *Ebullet & fluuius ranas, quæ ascendent, & ingredientur domum tuam, & cubiculum lecti tui, & super stratũ tuũ, & in domos seruorum tuorum, & in populum tuum, & in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum, & ad te, & ad populum tuũ, & ad*

& ad omnes ſeruos tuos intrabunt ranæ. En miſera Ægypti conditio, cuius nullus receſſus adeò immunis eſt, quem immundiſſimæ, & vocaliſſimæ ranæ non peruadant! Sed longè miſerabilior eſt populus Chriſtianus, cui non fluuius Ægyptius, ſed fons Parnaſi, & Tempe, & Helicon, & Caſtalia ebulliunt tot immundas ranas, quot vanos poëtas, quorum ſcripta ingenti Reipublicæ damno vniuerſas domos replent, & cubilia ſecretioris lectuli, & virginum receſſus, & matronarũ ſtrata; & in ipſis culinis, & furnis inueniuntur, ne ſit locus, qui non putreſcat hac plaga. Da mihi vel ſacrum locum, in quo vel poëmata fabularum, vel amorum carmina, vel libri profaniſſimarum comœdiarum non legantur. Nullum dabis. En plaga populi Chriſtiani & in extẽſione, & in damno Ægyptiis ranis prorſus com-
Rupert. paranda! Accinit meritò Rupert. qui lib. 1. in Exod. cap. 32. tractans ranarum plagam, ſic fatur: *Qui iuſtius comparantur fœditati ranarum, quàm poëtæ perſtrepentes in theatris ridicula figmenta fabularum? Hi plane aſſumunt Dei nomen in vanum, verbi gratia, cum adultero Ioui, & meritriculæ Veneri nomen diuinitatis adſcribunt. Et illæ quidem ranæ permoleſtæ fuerunt, aſcendentes, & ingredientes domum Regis, & cubiculum lectuli eius, & ſuper ſtratum eius, & in domos ſeruorum eius, & in populum eius, & in furnos eius, & in reliquias ciborum eius, iſtæ autem ranæ, id eſt, fabuloſi poëtæ animis exitiales extiterunt.* Corporalia loca vniuerſa peruadentes fœdabant ranæ illæ; ſed iſtæ, nimirùm poëtæ ſimul animis vniuerſis inferunt venena lethalia. Et neſcio, an plaga exitialior inueniatur in populo Chriſtiano, quàm quæ venit de ſcriptis iſtis poëtarum, quæ vniuerſas domos peruadũt.
Ioſue 7. Nota eſt hiſtoria ex Ioſue cap. 7. quando Iſraëliticus populus plagam mortis accepit ab hoſtibus ſuis, cuius plagæ cauſam aperiens Acham, fatur: *Vidi enim inter ſpolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulámque auream quinquaginta ſiclorum, & concupiſcens abſtuli*, &c. Vbi noſter *regulam* poſuit, poſuere Græci *linguam auream*: quippe in vnius tabernaculo lingua aurea introducta eſt, & totus periclitatur populus. Et quæ lingua aurea adeò exitialis, niſi lin-
Orig. gua vanorum poëtarum? Inde aiebat Orig. homil. 6. *Si poëtam legeris modulatis verſibus, & præfulgido carmine Deos, Deaſque texentem, ne delecteris eloquentiæ ſuauitate. Lingua aurea eſt, ſi eam ſuſtuleris, & poſueris in tabernaculo tuo, ſi introduxeris in cor tuum ea, quæ ab illis aſſeruntur, pollues omnem Eccleſiam Domini.* Ad totius Eccleſiæ pollutionem putat ſufficere, quod vel in vnius tabernaculo vanus, & laſciuus poëta legatur. Quid ſi in omni loco, in omni receſſu perſtrepant hæ ranæ? Nullus erit, qui ad earum numerum non ſaltet, & in
Ierem. 51 perniciem abeat. Ierem. 51. *Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram: de vino eius biberunt omnes gentes, & ideò commotæ ſunt. Subitò cecidit Babylon, & contrita eſt.* Calicem hunc ad Parnaſſi poculum
Orig. refert Orig. ex quo poëtæ multa propinant toxica ciuitatibus. Quippe ait homil. 2. in Ierem. *Cognoſces, quomodo vnuſquiſque poëtarum, qui putantur diſſertiſſimi, calicem aureum temperauerit, & in calicem aureum venenum iniecerit idololatriæ, & venenum turpiloquij venenum eorum, quæ animam hominis interimunt, dogmatum.* Ecce in aureis poëtarum vanorum verſibus quot venena, quot ſunt lethiferæ potiones, ſed illud expendendum eſt in verbis prophetæ, nimirùm: *De vino eius biberunt omnes gentes, & ideò commotæ ſunt: Subito cecidit*, &c. Pro quibus vertit Arabicus: *De vino eius biberunt omnes populi, & babylonizati ſunt. Subitò cecidit Babylon*, &c. Itaque cum potu & mores hauſerunt, & perierunt. De babylonio calice à poëtis temperato biberunt omnes populi, & quotquot biberunt, babylonizati ſunt. Quotquot de laſciuis poëtis biberint, ſimiliter & laſciuient, & ibunt in interitum.

§. II.

Principibus fatalis eſt poëticus ſpiritus.

CVrat diligenter Pharao, vt à Regia ſua tollantur ranæ; ait enim: *Vocauit autem Pharao Moyſem, & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum, vt auferat ranas à me.* Cùm aquæ verſæ ſunt in ſanguinem, non dicitur Pharao petiſſe, vt tolleretur à fluuiis ſanguis; nunc petit anxiùs, vt tollantur ranæ. Et cur Pharao magis inſtat pro depellendis ranis, quàm pro depellendo ſanguine? Vbi iuxta D. Auguſt. ſerm. 87. de tempore, & *Aug.*
Rupert. ſuprà, per ranas poëtarum ſpiritus exprimebantur; non miror, quod Principi Pharaoni acerbiores eſſent voces ranarum, quàm riui ſanguinis. Vt enim Principum animi ad ſanguinis viſum excitantur, & roborantur, ſic poëtarum ſpiritibus infirmantur. Accipe, vt ingenui animi excitentur viſo ſanguine ex 4. Reg. 3. 4 Reg. 3
Viderunt Moabitæ aquas rubras, quaſi ſanguinem, dixeruntque: Sanguis gladij eſt, pugnauerunt Reges contra ſe, & cæſi ſunt mutuò; nunc perge ad prædam Moab. Vident ſtrenui homines fluminis ſui aquas, quaſi verſas in ſanguinem, & nihil ſibi præſagiunt mali, quo animo cadant, quin potius inde ad prædam excitantur. Non equidem in regiis animis quid ominoſum eſt, vel ſi fluuij ſanguinis videantur. Illud Principibus ominoſum, & fatale, ſi poëtarum ſpiritibus afflantur. De Saule dicitur 1. Reg. 19. *Abiit in Naioth in Ramatha, &* 1. Reg. 19
factus eſt etiam ſuper eum ſpiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat vſque dum veniret in Naioth in Ramatha. Et expoliauit ipſe ſe veſtimentis ſuis, & prophetabat cum cæteris coram Samuele, & cecinit nudus tota die illa, & nocte. Tota hæc prophetatio eò ſolùm tendebat, quòd hymni, & carmina funderentur in Dei laudes, vnde à Caietano dicitur Samuel ibi ſtetiſſe *di-* Caietan.
rigendo, proponendóque diuinarum laudum materiam, aut carminis metrum. Quod enim genus carminis incipiebat Samuel, illud ſtatim afflati cæteri proſequebantur. Igitur ad hos cum pergeret Saul, ſtatim & ipſe afflari cœpit ad carmina, hymnóſque fundendos, & illud accidit maximè notandum, quòd *expoliauit ipſe ſe veſtimentis ſuis, & prophetabat, & cecinit nudus tota die.* Nullus alius ſe veſtibus ſpoliauit, nullus alius nudus cecinit, vt ſapienter notat Abbulenſis quæſtione 39. in præſenti: ſolus Saul vbi afflari cœpit hoc ſpiritu fundendi hymnos, & carmina, ſimul ſeſe cœpit nudare veſtibus regalibus, vt oſtenderetur, quàm eſſet ominoſum, & contrarium regio ſpiritui, quod inter carminum conditores tamdiu ageret: *Sic cecinit nudus tota die, & nocte*: ne miremur, quod regio nudetur, & exſpolietur ſtemmate Princeps, qui integros dies, noctéſque conſumit condendis carminibus, vel cum conditoribus carminum. Nunquam enim ad Prncipes non ſpectauit illud Eccleſiaſtæ cap. 12. *Obſurdeſcent omnes filiæ* Eccl. 12
carminis. Septuagint. *Humiliabuntur omnes filiæ carminis.* Et fallar, ſi Principes illi fugiant humilationem, qui toti ſeruiunt carminibus condendis. Quò adduco Egeſippum lib. 3. cap. 1. poſt rebellionem Galuæ in Egeſip.
imperium, fantem: *Ea Neroni nuntiata ſunt in Achaiæ partibus ſito, qui tragicorum carminum meditatione contenderat, vt de pluribus ſcenicam coronam referret; neſcias, quo magis turpis, vtrum quod in ſcenam Imperator prodiret, an quod ſcenam ſuis flagitiis impleret, qui turparet Oreſtem canendo, & paricidio repræſentaret. Grauis eum inuaſit metus: non illa ludorum ſimilia, ſed bellorum ſuprema pertimeſcentem, vt aliquando à Theatralium voluptatum obſcænitate reſipiſceret, atque ad curas Reip. conuerſus intra ſe fremeret, & deſæuiret, quod in curia ducis potius, quàm aduerſariorum virtute tantam cladem Reſpublica Romana acceperit.* Quid aliud audiat Princeps totus deditus carminibus recitandis, & conficiendis?

Exod. 8. Dixítque Moyſes Pharaoni: conſtitue mihi, quando deprecer pro te, & pro ſeruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ à te, & à domo tua, & à ſeruis tuis, & à populo tuo, & tantum in flumine remaneant. Qui reſpondit: Cras. At ille: Iuxta, inquit, verbum tuum faciam: vt ſcias, quoniam non eſt ſicut Dominus Deus noſter. Et recedent ranæ à te, à domo tua, à ſeruis tuis, & à populo tuo, & tantùm in flumine remanebunt.

§. III.

Principes mundiales plus gloriæ ex ſanctorum virorum precibus, quàm ex ducum facinoribus acquirunt.

PHaraonis arbitrio relinquit Moyſes tempus, quando pro illo precaturus eſſet. Ait namque: *Conſtitue mihi tempus, quando deprecer pro te.* Quæ verba ſic Hebraicè ſonant apud Lyppoman. *Gloriare de me quando orem pro te*; non ſolùm mandans, quòd tempus conſtituat orandi Pharao, ſed & inſuper petit, vt iam glorietur de tanto habito oratore apud Deum. Et crede mihi, non ſic apparent glorioſi Principes mundiales ex facinoribus ducum ſuorum, vt ex ſanctorum virorum precibus ad Deum. Hinc 4.Reg. 13. *Eliſæus ægrotabat infirmitate, qua & mortuus eſt. Deſcenditque ad eum Ioas Rex Iſraël, & flebat coram eo, dicebátque: Pater mi, pater mi, currus Iſraël.* Et quidem multi currus erant potentiſſimo Regi, multi armati duces, qui eius gloriam æternarent apud hoſtiles gentes. Et tamen in vno Eliſæo moriente, ſic deflet, quaſi nullus iam triumphalis currus ei ſupereſſet, in quo poſſet, ſe ſuper hoſtes afferre. Et meritò, quando à ſancto viro plus gloriæ habebat Rex apud hoſtes, quàm à cæteris ducibus ſui exercitus. Ait Ioſephus lib. 9. Antiquit. cap. 8. *Cùm Eliſæus ægritudinem incurriſſet, venit Iſraëlitarum Rex viſitare eum. Et dum eum in nouiſſimis inueniſſet, flere cœpit eo vidente, & ingemiſcente, patrémque, & ſcutum ſui regni vocare; præter eum ſe dicens, nunquam contra hoſtes armis egiſſe, ſed illius prophetia, ſine dimicatione viciſſe; qui dum à vita diſcederet, Hebræos inimicis captiuandos relinqueret.* Sic bonus Rex non ducibus fortiſſimis, ſed vni ſancto viro Eliſæo omnes regni fortunas, victorias, & glorias acceptas referebat. Qui ſi maneret in viuis, etiam ſine armis, & ducibus ſperaret Rex glorificanda ſua imperia. Huc refero hiſtoriam à Paulo Oroſio conſcriptam lib. 7. capite 36. cùm aduersùs truculentiſſimum tyrannum Gildum expeditionem Maſcezil pararet. De hoc enim dicitur ibi: *Igitur Maſcezil iam inde à Theodoſio ſciens, quantum in rebus deſperatiſſimis oratio hominis per fidem Chriſti, à clementia Dei impetraret, Caprariam Inſulam adiit, vndè ſecum ſanctos ſeruos Dei aliquot permotos precibus ſuis cum iis orationibus, pſalmis dies, & noctes continuans ſine bello victoriam meruit, ac ſine cæde vindictam.* Vide regaliſſimum Principem, qui in exercitu parando, nihil prius curauit, quàm vel à remotis inſulis ſibi Dei ſeruos adiungere, quibus victoriam ſine bello potitus maximè exaltauit gloriam ſuam. Sed accipe victoriæ modum glorioſiſſimum: *Tertio demùm die poſt noctem orationibus, hymníſque per vigilem ab ipſis cœleſtium ſacramentorum myſteriis, circunfuſum in hoſtem proceſſit: & cùm ad eos, qui primi occurrerant, pia pacis verba iactaret, ſigniferum quendam inſolenter obſiſtentem, & iam, iamque pugnam excitantem gladio percuſſit in brachio, eúmque manu debilem ipſo vulnere coëgit pronum inclinare vexillum. Quo viſo, reliquæ cohortes deditionem iam fieri priorum exiſtimantes certatim ſeſe ad Meſcezilem ſignis tradidere conuerſis. Barbari, quorum magnam multitudinem Gildo ad bellum deduxerat, defectu militum deſtituti in diuerſa fugerunt. Gildo & ipſe fugæ molitus, arrepta naui, & in altum prouectus, ac deinde renocatus in Africam eſt, poſt aliquot dies ſtrangulatus interiit.* Sic ibi, nec vnquam tam glorioſam victoriam Principes habuerunt de hoſtibus ſuis, vt Meſcezil habuit per ſeruos Dei ſibi adiunctos.

4.Reg.13

Ioſeph.

Pau.Oro.

§. IV.

Oratio, quam præparatio præcedit, & gratior, & efficacior.

PEtit Pharao Moyſis orationem, ſed quæ non ſtatim fiat, ſed in craſtinum differatur facienda. Sic textus: *Qui reſpondit, Cras.* Et cur non magis petit, vt ſtatim oret ad Deum? Cur magis orationi fidit in craſtino faciendæ? Prudens in hoc Rex non multùm fidit orationi repentinæ, & ſubitaneæ, quæ nulla fit præparatione antecedenti. Ideò mauult, vt in craſtinum differatur, vt habeant tempus Moyſes, & Aaron ſeſe præparandi ad eam. Nunquam enim non efficacior, & pinguior accedit ad Deum, quæ ex præparatione oratio venit. Bonus ille paterfamilias ſacrificaturus pro rediuiuo filio aiebat ad ſeruos Luc. 15. *Adducite vitulum ſaginatum.* Non contentus eſt petere vitulum ad offerendum pro filio, ſed inſuper vitulum ſaginatum petit. Et cur ſaginatum? Per ſaginatum intelligit ſacrificium illud, quod multis antè temporibus, multis antè diebus præparatum fuerit, vt enim vituli per multos dies antè curantur, ſaginantur, vt poſſint in conuiuio placere: ſic ſacrificia, & orationes ex anteacta præparatione eam ſaginam comparant, qua efficaciter placeant Deo. Quò ſpectans Anaſtaſius. Sinaita lib. 8. Exam. ait: *Saginatus vitulus nominatur Chriſtus, quoniam multis temporibus ante nuptias, & eius vnionem cum Eccleſia parabatur à ſuo Patre in eſum gentium, & quodammodo ſaginabatur Sacramentum.* Quot præparationes fiebant ab initio pro Chriſto venturo, tot erant ſaginæ, quibus eius oblatio pro nobis pinguior fiebat, vt magis nobis proficeret in gratiæ, & gloriæ augmentum. Sic ipſum Chriſti ſacrificium, vt magis proficeret, præparari multis antè temporibus debuit, ſic & quæuis oratio ex antecedenti præparatione plus placebit. Exod. capite 19. monebat ipſe Dominus: *Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie, & cras, lauéntque veſtimenta ſua, & ſint parati in diem tertium. In die enim tertio deſcendet Dominus*, &c. Vbi deſcendenti Deo occurſuri erant, per tres dies antecedentes præparari, & præmundari debebant, vt ſic fructuoſiùs Deo poſſint aſſiſtere. Id, quod Diuus Cyrill. Alexand. lib. 4. in Ioannem cap. 51. meditabatur, dicens: *Præparari igitur, præmundaríque omnes oportet, qui Deo coniungi ſtudent. Cuius rei habes imaginem, quod à Deo Moyſi dicitur. Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie, & cras. In die enim tertio deſcendet Dominus.* Itáque inde erit fructuoſior, & ſecurior acceſſus tuus ad Deum, ſi non ſubitò, ſed multa antea præparatione præmiſſa iueris illum oraturus. Pro quo aiebat Eccleſiaſticus cap. 18. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum.* Præparanda eſt anima ante orationem, & diſponenda multis virtutum exercitiis. Ait D. Nyſſen. lib. de Orat. 2. *Docet igitur nos Dei ſermo, ne prius aliquid petamus à Deo, quàm aliquid ei munus acceptum, & gratum obtulerimus. Vouere enim prius oportet, deinde orare, perinde, ac ſiquis dicat ſementem prius fieri, quàm fructus percipi oportere. Ergo voti ſemina prius deiicere, atque ita ex deiectis ſeminibus adultas iam, atque maturas fruges percipere oportet per orationem.* Quid pulchrius? In re orationis ponit totum ruſticationis officium; in quo vt ante meſſem multo labore præparatur terra, cui paratæ ſemina credentur; ſic quando orationis hora tempus eſt metendi fructus, neceſsú eſt vt ante illam aliarum deiiciamus ſemina virtutum.

Luc. 15.

Anaſt. Si

Exod. 19

Cyr. Ale.

Eccl. 10.

Nyſſ.

Quæ

Quæ enim messis orationis erat, si nulla sementis præparatio fuit præmissa? Meritò ergo dicit: *Ante orationem præpara animam tuam.* Id quod euidentiùs etiam apparet necessarium, si oratio sit animæ cum Deo conflictus, & lucta, vt volunt multi patres explicantes Iacobi luctam Gen. 32. Ille namque victoriæ securior descédit in certamine, qui multis sese ante probauerit. Ex quo Titus Romanos milites aduersus Iudæos maximè confirmabat, aiens apud Egesip. lib. 3. de Excid. Ierosol. cap. 24. *Illi nesciunt arma, nisi in bello, nos in pace armis exercemur: vt in bello casus belli dubios non sentiamus. Insuetis enim euentus dubij: veteranis solemnis triumphus. Quid enim agimus quotidie, nisi vt nobis vana nunquam prælia sint? vnusquisque domi quasi in prælio exercetur, vt in prælio meditatio quædam certaminis sit.* Egesip. Hoc est ingenium triumphantium, quòd nunquam descendant in certamen, ad quod non se multo ante parauerint.

§. V.

Semper à malo venit procrastinatio in re virtutis, à bono autem acceleratio.

VIde mali spiritus ingenium, cognoscit se precibus ad Deum egere, vt ab intolerabili plaga liberetur; & requisitus, quando fundendæ preces sint, ait: *Cras.* Cur non magis statim amas liberari? Equidem vt bonus in re virtutis amat accelerare, sic malus non procrastinare. Ex quo Phil. lib. de sacrificio Abelis, & Caini. Sic fatur: *Faciunt igitur suum officium Dei filij, qui naturam patris imitando, incunctanter cum omni festinatione, quod bonum est, agunt; qui nihil pulchrius facere possunt, quàm quod honorant Dei sine dilatione. At dissipator Pharao, dicente Moyse, constitue tempus, quo pro te, tuisque famulis precer, vt ranæ tollantur è medio, cum debuisset in tanta necessitate constitutus dicere:* Iam nunc precare, *maluit differre, dicens,* Cras, *vt per omnia retineret impietatis teneritudinem.* Sic semper impietas tenera adeò est, & delicata ad virtutem, vt nesciat in illa non pigritare, & procrastinare: vt iam ex acceleratione, seu procrastinatione euidentissimè boni, aut mali discernantur. Hinc de iusto illo Abrahamo dicitur Gen. 18. *Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre, sedenti ad ostium tabernaculi sui in ipso feruore diei.* Expende illud; *Sedenti ad ostium.* Quando magis Sol feruebat, Abrahamus ad hostium domus sedebat, totum æstum Solis patiens. Et cur non magis ad vmbras confugiebat? Cur malebat esse sub Solis radiis: Ait Procopius in Glossa: *Diligenter attendenda est Abrahami hospitalitas. Eo tempore, quo plerique deficere solent, iter facientes æstu fatigati, ipse pro tabernaculo consedit, cùm Sol foret feruidissimus. Sed quare hunc laborem subibat? Quia grauem tacturam se facere putabat, si se oscitante præsisset viator aliquis.* Sic bonus in re virtutis cauebat oscitationem, & vel minimæ pigritiæ signum aliquod. Nihil enim pulchrius faciunt iusti, quàm quod honorant Deum sine dilatione. Dum ad præsentiam arcæ detinerentur aquæ Iordanis, vt per sic cum Israëlitæ pertransirent Iosue 4. ait textus: *Festinauítque populus, & transiit.* Iosue 4. Origen. Quæ verba exponens Origen. ibi ait: *Quod verò scriptum est:* Et festinauit populus, *non puto esse otiosum. Nobis enim venientibus ad baptismum, & susceptionibus verbi Dei Sacramentum, non seguiter agendum est, sed festinandum, vt peruenire ad promissam beatitudinem mereamur.* Semper enim bonis adiuncta est festinatio, & acceleratio in re virtutis, vt dicat Exod. 16. de iis, qui vtiliter colligebant manna: *Colligebant autem manè singuli, quantum sufficere poterat ad vescendum.* Exod. 16 Ex quo monebat Procopius relatus in Glossa Numer. cap. 24. *Noli negligere, aggredere iter, nec heremi solitudinem perhorresças: habitanti enim in huiusmodi tabernaculis occurret manna cœleste, & Angelorum panem manducabis. Incipe tantum citò, in consortium veniunt Angeli.* Procop. Expende illud: *Incipe tantum citò,* quasi id maximè in iustis viris requiratur, ne pigritent, ne dilationem faciant, sed sese accingant ad opera Dei quàm primùm operanda.

Exod. 8. Egressique sunt Moyses, & Aaron à Pharaone, & clamauit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum, quam condixerat Pharaoni. Fecitque Dominus iuxta verbum Moysi, & mortuæ sunt ranæ de domibus, & de villis, & de agris. Cõgregauerúntque eas in immensos aggeres, & computruit terra. Videns autem Pharao, quòd data esset requies, ingrauauit cor suum, & non audiuit eos, &c.

§. VI.

Vox orantis pro inimicis validissima est ad quodnis præstandum facinus.

CLamat Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum, & confestim ranæ pereunt vniuersæ. Ait námque textus: *Clamauit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum, quam condixerat Pharaoni. Fecitque Dominus iuxta verbum Moysi, & mortuæ sunt ranæ,* &c. Et vnde clamor Moysis tantam habuit efficaciam, quòd operante Deo expelleret ranas? Id textus explicat, dum ait. *Et clamauit Moyses pro sponsione ranarum, quam condixerat Pharaoni.* Quippè Pharaoni infensissimo hosti suo, vt notat Oleaster, condixerat Moyses expulsionem ranarum, sub quibus affligebatur. Clamor ergo, & vox, quæ erat pro inimicis iuuandis, non miror, quòd valentiam nanciscantur, qua possit perficere omne facinus. Nota est historia Dauidis, quando nactus infensissimum hostem Saulem dormientem, illi pepercit, abstulit tamen lanceam, quæ ad caput eius stabat, & lanceam ablatam ostendens ducibus Saulis, multis vocibus suam mansuetudinem in hostem prædicabat. Quid tunc? Ait textus 1. Reg. 26. *Cognouit autem Saul vocem Dauid, & dixit: Nunquid hæc vox tua, fili mi Dauid?* Quàm Dauidis vocem cognouit Saul, & de qua voce Dauidis interrogat, dicens: *Nunquid hæc vox tua.* Nouerat antiquitùs Saul Dauidis vocem præmissam ingentibns facinoribus; vbi enim Dauid in certamen descendit cum Philisthæo has præmisit voces 1. Reg. 17. *Tu venis ad me cum gladio, & hasta, ego venio ad te in nomine Domini exercituum,* &c. Quas inter paruulus virum bellatorem prostrauit, & ingenti discrimine populum Israëliticum liberauit, has ergo voces tantorum facinorum effectrices cognoscit Saul in Dauide, vbi illum audit infensissimo sibi hosti parcere, vox enim pro inimicis iuuandis, non miror, quod cognoscatur esse vox ingentia facinora portans. Ait D. Chrysost. hum. de Dauide, & Saule 3. *Agnoscens vocem Dauidis Saul, ait: Vox tua ista, fili Dauid. Quænam ista? Quæ Goliath deiecit, quæ ciuitatem periculis eripuit. Siquidem hæc barbarum illum prostrauit, eo quod priusquam mitteret lapidem, prius dixerat:* Tu venis ad me in diis tuis, ego autem venio ad te in nomine Domini: *Atque hæc locutus misit lapidem, atque hæc vox lapidem direxit, hæc pauorem incussit barbaro, hæc hostis confidentiam fregit.* Quid pulchrius? Meritò vox parcentis, & benefacientis inimico agnoscitur esse vox quæcunque ingentia facinora patrans. Illa ipsa vox, quæ in Dauide in facinoribus præmittebatur, agnoscitur in illo inimicis parcens. Nunquam enim tantæ charitatis vox non valida est ad quæuis patranda. Hinc Act. 7, de Stephano dicitur: *Clamauit voce magna, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Cuius vocis valentiæ tribuit D. Fulgentius conuersionem miraculosam Pauli: nam dicit: *Per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur. Charitatis virtute subnixus*

1. Reg. 26
1. Reg. 17
Chrysost.
Act. 7.
D. Fulg.

nixus vicit Saulum crudeliter sauientem, & quem in terra habuit persecutorem, in cœlo meruit habere consortem. Ipsa sciuit charitas desiderando, orando acquirere, quos nequiuit monendo conuertere. Quò aliæ virtutes, & operationes peruenire non poterant, vt lapideos homines conuerterent, eò valor orationis pro inimicis factæ peruenit.

D. Aug. Accinit D. Aug. ser. 94. de diuersis: *Putas verba ista audiuit Saulus? Audiuit sicut sannans, sed irrisit, & tamen ad orationem Stephani pertinebat. Adhuc grassabatur, & iam pro illo Stephanus exaudiebatur.* Sanè hæc vox vel lapideam hominum frangeret confidentiam.

§. VII.

Confidentius agit, qui inimicis est salutaris.

NOn submissè orat Moysis pro sibi, suisque infensissimo Pharaone, sed cum clamore. Ait enim textus: *Clamauit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum*, &c. Et cur non magis summissè orat? Consulebat

Tertul. Tertul. de orat. cap. 13. *Sonos etiam vocis subiectos esse*

Cyprian. *oportet.* Et Cyprianus, & Macharius hom. 6. *Qui accedunt ad Dominum debent in silentio, pace, & tranquillitate multa preces fundere, nec vti clamoribus.* Et sanè vox ipsa summissa ostendit animi demissionem necessariam illis qui Deum precantur. Quæ laudabatur in publicano orante, nec audente leuare ad cœlum oculos. Luc. cap. 18. Cur ergo Moyses maluit cum clamore orare pro Pharaone? In clamore ostenditur quædam animosa confidentia clamantis, quam quidem habere necesse est, qui pro inimicis orat. Ea enim est charitas, vsque ad inimicos extensa, quæ in tantum faciat confidentes suos, vt non vereantur, vel ad cœlum leuare

1. Reg. 24. clamores. Dauid 1. Reg. 24. nactus fuerat Saulem inimicum in spelunca, vbi eum facilè perimere posset, abstinuit tamen ab inimici cæde, & multis persuasit, ne illi milites socij inferrent mortem. Egreditur autem Saul nihil horum sciens, sed & Dauid post illum egreditur: *Et egressus de spelunca clamauit post tergum Saulis*, &c. Cur Dauid clamare nunc audes? Antea in spelunca latebas, nec cœlum videre audebas, nec cœli lumen, sed nec audebas mutire, nunc totus abis in clamorem. Cur sic clamas? Egrediebatur loquens suis pro vita, & salute acerrimi hostis, ex quo tam confidenter agebat, vt nihil vereri iam posset.

Chrysost. Pulchrè D. Chrysost. hom. 2. de Dauide, & Saule, fatur: *Egressus est autem post Saulem & Dauid liberis deinceps oculis cœlum intuens, ac tunc temporis magis exultans, quam cum Goliath deiecisset.* Expende illam maximæ confidentiæ notam, nimirùm: *Liberis deinceps oculis cœlum intuens:* Nihil inde summissum meditabatur, non iam vt publicanus summissè agebat, non audens ad cœlum leuare oculos, sed vel liberis oculis rimabatur cœlestia omnia. Miraris, quòd Dauid confidentiùs agat apud Deum, dum pro saluando inimico loquitur. Sed accipe, quod mirere magis, dum ipse Dauid parcens hosti confidentiùs agit medius inter confertissimos exercitus hostium. Dum Saul cinctus ingenti exercitu dormiret ingressus est Dauid vsque ad lectulum acerrimi hostis, vidensque lanceam ad caput eius, non permisit sociis, vt aliquam iniuriam inferrent dor-

1. Reg. 26. mienti hosti. Quin potius ait 1. Reg. 26. *Nunc igitur tolle hastam, quæ est ad caput eius, & scyphum aquæ, & abeamus.* Hebraicè legitur, *& ibimus nobis*, quasi diceret, interpretante Caietano, *& ibimus ad nostrum bonum.* Sanè redeundum erat ei per medios exercitus hostiles, qui nihil aliud spectabant, quâ vt Dauidē cōprehenderent. Et vnde Dauid viso hoste, circunstante exercitu hostili potuit persuadere sociis, quòd per me-

Chrysost. dios illos ituri essent in bonum? Ait Chrys. suprà. *Ipsis factis docuit nihil esse tutius, quam parcere inimico. Contrà nihil pernicioſius, quàm velle vlcisci, ac vindictam sumere.* Inde omnimodam confidentiam persuadebat, qua nihil non auderent, nihil timerent, si scirent parcere hosti, & dare operam, vt viuat hostis.

§. VIII.

Solet Deus omnia illius hominis verba adimplere, qui scit etiam adimplere verba Domini.

COnfidenter petit Moyses ad impletionem sponsionis suæ factæ Pharaoni de tollendis ranis. Quò spectant illa: *Clamauit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum, quam condixerat Pharaoni.* Dicitur clamasse Moyses pro hac sponsione sua, ne tam vilescatur vox ista orantis, quàm exactoris sibi aliquomodo debitum exigentis, meritò enim Iob cap. 39. clamorem adaptat exactori. Sed cur Moyses vbi pro sponsione sua Pharaoni facta stat, non submissè agit, vt bonus orator, sed mauult clamorosè agere, vt exactor? In re Pharaonis nil iusserat Dominus, quod ad amussim non perfeciſſet Moyses, vt dicitur sæpe cap. præcedenti.: *Fecit itaque Moyses, & Aaron sicut præceperat Dominus, ita egerunt.* Nec miror, quod suaverba à Deo impleri exigat, qui adeò perfecta omnia Dei verba apud ipsum Regē implebat. Solet enim Deus curare, vt impleantur verba illius, qui implet Dei verba. Hinc Gen. 22. dum Abrahamus filij holocaustum à Deo expetitum tractaret, & iam ad holocausti locum accederet, dixit ad seruos suos: *Expectate hic cum asino, ego & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Hæc dixit bonus senex cum putabat filium mactare iuxta Domini præceptum, & postea solus redire ad seruos. Sed vbi montem conscendit, altare construit, filium aptat holocausto, ignem parat, gladium stringit. Tunc Deus vitum cohibens, liberat puerum, & satagit, vt pater, & filius redeant simul ad seruos, vt promiserat antea senex. Et meritò, quādo enim senex curabat omnia Dei verba perfectissimè adimplere, æquum erat, quòd Deus etiam impleret omnia verba senis. Ait Dominus apud D. Chrysost. Illi, quem teneriter, tamque germaniter amas, non pepercisti propter me, propter mandatum meum, propterea quia ego tibi præcepi, prætulisti iussionem meam filio tuo, proinde & filium tuum accipe. *Propter hoc enim præcepi tibi, vt semen tuum extenderetur, redimitus ergo obedientiæ tuæ corona, abi. Opere impleri congruit, quæ à te dicta sunt, & pueris tuis, & Isaac, illis enim promisisti, cùm adorauerimus, redimibus. Ecce hoc nunc erit.* Non potuerunt promptissimi Dei serui verba cassa esse, vt Abrahā sese Deo proptum exhibuit, ne vllum Dei verbum caderet in terrā; sic Deus curauit, ne irritaessent Abrahami verba. Hinc Elias 3. Reg. 17 *Viuit Dominus Deus Israel, in*

3. Reg. 17. *cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluuia, nisi per os meum*, &c. Vni ori suo cœlestia omnia famulatura credit; & vnde tantam confidentiam concepit, vt ori suo obstringat Dei potentiam? Ad id præmittebat illud: *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto.* Quibus sese promptum seruum, & Deo in procinctu adstantem ostendebat. Vbi autem quis sic proptè Deo seruit, quasi nescit Deus irrita facere eius verba. Quò spectans D. Basil. Sel orat. 11. ait: *Et si verò sine Prophetæ assensu Deo perfacilis erat imbrium datio, noluit tamen serui amantis edictionem soluere.* Sic se adstrinxit Deus firmandis iis, quæ edicunt eius propti ad obediendum serui.

Basil Sel.

Exod. 8. Extendit Aaron manum virgam tenens, percussítque puluerem terræ, & facti sunt cyniphes in hominibus, & iumentis. Omnis puluis terræ versus est in cyniphes per totam terram Ægypti, Fecerúntque similiter malefici in cantationibus suis, vt educerent cyniphes, & non potuerunt. Erántque cyniphes, tam in hominibus, quam in iumentis. Et dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei est hic. Induratúmque, &c.

§. IX.

§. IX.

Indique oriuntur calamitates diuexandis impiis.

VNde non veniet calamitas impiis? Sanè vel de terræ puluere exurgent, quæ premant illos. Sic in præſenti: *Omnis puluis terræ verſus eſt in cyniphes per totam terram Ægypti.* Miſeram Ægyptum vndique calamitates opprimunt, è mari, è fluuiis, è cœlo, ex ipſo terræ puluere mille exurgunt peſtes, quæ Dei rebellē
Amos 5. diuexent. Pulchrè aiebat Amos c. 5. *Quomodo ſi fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrſus; & ingrediatur domum, & innitatur manu ſua ſuper parietem, & mordeat eum coluber?* Nuſquam liber erit Dei rebellis à calamitate, dum ab vna fugiat, eum comprehendet altera; & vel domeſticus paries beſtias producet ſub quarum veneno cadat. Rebelles, & impios homines caſtigabat
Num. 16. Moyſes Numer. 16. vbi ſic: *Confeſtim ergo vt ceſſauit Moyſes loqui dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis*, &c. Expende vnde exſurgat plaga impiorum, nimirùm: *Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum.* De terræ puluere, de ſub pedibus eorum ruina exurgit, ſub qua pereant,
Procop. qui rebelles ſunt vero Domino. Vndè Procopius in Gloſſa ait: *Commouet enim ſeſe fabrica contra eos, qui cōtra Deum fabrum exurgunt, mortéque acerbiſſima, ac prope modum dæmoniaca viui ad infernum deſcendunt.* Et quidem vbi in authorem mundi impius es, non mirari debes, quòd ſe aduersùs te commoueat tota fabrica mundi, & quòd vel de ſub pedibus tuis calamitates oriantur, quibus feraris in extremam perniciem. Id,
Iob 20. quod impio minabatur Sophar Nahamites Iob c. 20. *Reuelabunt cœli iniquitatem eius, & terra conſurget aduersùs eum.* Vbi author cat. Græcæ, ait: *Omnis natura cum eo, qui Deo inuiſus eſt, inimicitias geret, & partem quidem malorum à cœlo accipiet; partem vero à terra: cœlum quidem ipſum eius reteget iniquitates, ipſáque terra inſtructis, armatíſque copiis decertabit.* En impiorum miſerandam fortunam! Vel ipſa terra armatos exercitus
Iſaias 5. producet aduersus illos. Iſaias c. 5. *Iratus eſt furor Domini in populum ſuum, & extendit manum ſuam ſuper eum, & percuſſit eum, & conturbati ſunt montes*, &c. Alij legunt: *Et exacerbati ſunt montes.* Vbi enim quis in ſe Dei iram mouet, nulla eſt creatura, quæ in illum non
D. Baſil. exacerbetur. Ait D. Baſil. ibi: *Quando manum ſuam populo iniecerit, & montes exacerbabuntur, quia creatura omnis coorietur, ſimúlque irruet ad vltionem expetendam.* Sic ibi.

§. X.

Quod in Deo non fundatur, citiſſimè finitur.

VT Moyſes, ſic & malefici in primo, & ſecundo ſigno fecerunt, at vbi ad tertium de producendis cyniphibus ventum eſt, ibi penitùs poteſtas maleficorum defecit: *Fecerunt, ait, ſimiliter malefici, vt educerent cyniphes, & non potuerunt.* Quid mitaris? Euaneſcant citiſſimè, neceſſum eſt, quæ à Deo non veniunt; & permaneant ſola, quæ fundantur in Deo. De Amorrhæis,
Num. 14. & Cananæis locutus Ioſue, ad Iſraëlitas aiebat. Num. 14. *Receſſit ab illis omne præſidium, Dominus nobiſcum eſt.* Septuag. poſuere: *Abſceſſit tempus ab eis, Dominus nobiſcum eſt.* Habent equidē etiam impij tēpus ſibi à Deo permiſſum, quo floreant, & præualeant in ſua potentia. Piis autem non tempus conceditur, ſed Deus illis adſtat, eorum promouens ſucceſſus. Et quid inde? Sanè quibus tempus datur ſolum, neceſſum eſt, vt omnia illorum euolent rapidiſſimo motu temporis, & in citiſſimum finem deueniant. Fœliciores illi, quorum
Aug. pars Deus eſt, in quo quæ fundantur, non abſcedunt, ſed creſcunt in immenſum. Pulchrè Diuus Auguſtinus quæſtio. 23. in Numer. fatur: *Satis diligenter non dixiſſent: Abſceſſit ab eis Dominus, impij enim fuerunt. Sed quoniam etiam impiis occulta diſpēſatione datur tempus florendi, & regnandi, inquiunt: tempus ab eis diſceſſit, Dominus autem in nobis. Non dixerunt, tempus ab eis abſceſſit, & noſtrum ſucceſſit; ſed dominus autem in nobis, in eis tempus. Illi enim tempus habuerunt, iſti Dominum temporum.* Equidem qui ſolum tempus habent, & non Deum, proculdubio rapidiſſimè abibunt cum motu temporis. Neſcit tempus non citiſſimè abſcedere, relinquens temporales ſuos omni ſpoliatos decore: vt omnes hæ poteſtates prudentiſſimè debeant à viris ſapientibus timeri. Timebat illas Dauid Pſalm. 55. *Ab*
Pſal. 56. *altitudine diei timebo, ego verò in te ſperabo.* Et quando in Deo ſperas, à qua times altitudine, ô Dauid? Vel quam expaues altitudinem tu, qui ſperas in Deo? Ait ipſe: *Ab altitudine diei.* Illa altitudo, & poteſtas, quæ diei eſt, nimirùm, quæ tempus habet, illa meritò timenda, vt quæ intra vnum diem poſſit abſcedere. Ait
Hu. Car. Hugo Card. *Ab altitudine diei timebo, ab altitudine eorum, quæ tantum diei eſt, & parum durat, timebo.* Nec miror, quod vir prudens caueat eſſe in poteſtatibus diariis, & temporaneis, quæ cùm rapidiſſimo tempore abſcedunt, cùm poſſit eſſe in Deo, qui ſolus permanet, cuius poteſtas regni nunquam poteſt finiri. Crede mihi, quidquid in Deo non eſt, vel illi aduerſatur, tempus habet florendi, & tempus valde curtum, & limitatum, quod citiſſimè pertranſeat; ſolum Dei regnum firmum ſemper manet, & ſtabile. Vide Pilatum Iudæorum Præſidem, vt poteſtate ſibi in Ieſum data gaudet, vt illum flagellis percutiet, vt morti tradit, & iubet duci in montem, vt ibi ſuffigatur ligno, in quo titulus appareat, qui morientis referat cauſam, aiens: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Ioann. 19. Sed Iudæi, qui Pilatum
Ioan. 19. adduxerant in tot nefaria, iterum hominem conueniunt, vt illum in tituli abolitionem trahant. At qui adductus fuit, vt Ieſum verberaret, vt ei vitam eriperet, non potuit adduci, vt vel literam tituli abraderet. Et cur, qui vitam ſubſtulit, titulum non abradit? In titulo Chriſti regnum oſtendebatur, quod ſemper firmum manet; in Pilato poteſtas erat, quæ habebat tempus, quod neceſſariò erat claudendum finibus, ne quid vlteriùs ageret. Ait D. Cyril. Alex. lib. 12. in Ioan. cap. 31.
D. Cyril. *Non vult autem Pilatus mutare titulum; quia non fuit in omnibus ſibi diuinitùs permiſſum aduersùs Saluatoris gloriam furere. Stabile namque, & citra calumniam Chriſti regnum eſt.* Ecce tibi vt Pilato permiſſum fuit à Deo tempus florendi, & furendi aduerſus Ieſum, quod in Chriſti crucifixione abſceſſit, nec inde amplius efficere valuit, regnum autem Chriſti & tunc, & ſemper immutabile apparuit.

§. XI.

Quæ à Dei manu plaga venit, ſolet & defenſionem ab aliis, & aliqualem remiſſionem afferre.

VBi non permittuntur malefici productis cyniphibus plagam augere, ſtatim ibi agnoſcunt Dei manum manifeſtam. At textus: *Fecerúntque ſimiliter malefici in cantationibus ſuis, vt educerent cyniphes, & non potuerunt. Et dixerunt malefici ad Pharaonem; Digitus Dei eſt hîc.* Sanè qui conuerterant virgam in ſerpentes, aquam in ſanguinem, & ranas effecerant, optimè norant & cyniphes poſſe dæmoniaca virtute etiam fieri. Vnde ergo norunt cyniphum plagā minimè à Dęmone venire, ſed à ſolo Deo? Cur non magis illam fortiſſimo alij attribuunt Dæmoni? Satis hæc plaga oſtendebatur, vel ipſis cæcis à Deo venire, quę minimè permittebatur aggrauari per maleficorum potentiam, quin potius defenſionem ab illorum incantationibus afferebat, ſola enim quæ à Deo plaga venit, ſolet ab aliis defenſionem inferre, & aliquam remiſſionem concedere. Petrus videns armatas cohortes in Ieſum venire, volens magiſtrum defendere, gladium exerit, & Malchi

Ioan. 18. auriculam præcidit Ioan. 18. Cui Dominus eius defensionem contemnens, ait: *Mitte gladium tuum in vaginam, calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Cur Domine non magis acceptas discipuli amatoris defensionem, qua nitatur amariſſimum calicem à te depellere? Cur eius non magis laudas affectum pro te tuendo? Satius tunc erat ostendendum, quàm non sint necessariæ defensiones in plagis, quæ à Deo veniunt, vt quæ per se ipsas inexpugnabilem defensionem soleant afferre. Id, quod ostendit Dominus verbis illis datis: *Calicem, quem dedit mihi Pater*, &c. vbi enim manus Dei propinantis amaritudines ostendebatur, simul & ibi defensio veniebat, quæ omnes alios

Aug. aduersarios videret. Accipite D. Aug. tractatu 112. in Ioan. fantem: *In suo quippe facto ille discipulus magistrũ defendere voluit, non quod faciendum est, cogitauit. Et ille igitur ad patientiam commonendus fuit, & hoc ad intelligentiam conscribendum. Quod autem à Patre sibi dicit datum calicem passionis, profectò illud est, quod ait Apostolus. Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Ecce tibi, vbi Deus introducitur porrigens calicem passionis, simul & illud Apostoli adimpletur, quod Deus stet pro nobis, & depellat omnes irruentes alios hostes. Ad Sata-

Iob 2. nam aiebat Dominus de Iob c. 2. *Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serua.* At ipse Iob iam in ærũnis constitutus dixit c. 19. *Manus Domini tetigit me.* Dominus tradebat Iobum manibus Diaboli affligendum, Iob autem afflictiones suas, non à Dæmone, sed à Dei manu esse profectas existimat. Et quando Deus de manu Diaboli loquebatur, vnde suspicio venit, quod tot ærumnæ à manu Dei orirentur? Id ostendebat apertè executio sensibilis illius verbi: *Animam illius serua.* Quando enim Iob sese inter tot mala adhuc seruari, & aduersùs hostem crudelissimum defendi, ne crescerent hostiles fluctus, sed vel ad sui corporis arenam cõfringerentur, manifestè cognouit iacula illa, non posse nisi à Dei manu decuti, quando sola Dei manus est, quæ cum pœnis defensionem ab aliis solet inferre. Ex quo

Amb. meritò aiebat D. Ambr. in Psal. 36. *Misit ergo Dominus manum suam in seruum suum, & manum peccatoris, quam in eum accepta misera: potestate, brachiumque contriuit.* Ecce tibi manus Dei afflictiones multas Iobo immittens, sed & simul hostiles Dæmonum manus coërcens, ne nimis iustum affligant. Ea quippe est manus diuina, quæ pœnis ipsis, imò & suppliciis custodiam, & defensionem admisceat. Cùm Iesus esset in terra Gerasenorum

Luc. 8. Luc. 8. *Occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & vestimento non induebatur, nec in domo manebat, sed in monumentis.* Miraris, quòd homo traditus Dæmoni in interitum carnis, & adeò ab illo possessus, vt teneretur nudus in fœtidis monumentis, sic valeret, vt ipse perse Saluatori occurrerit. Cur Dæmon, qui tuum mancipium ab aliis hominibus separabas, non magis illum separas à Christo? Cur hominem non magis claudis in tumulis, vt potius pereat ibi, quàm vadat ad Iesum? Erat equidem virtus diuina, quæ hominem illum tortori tradiderat, ideò simul illum permittit affligi à Dæmone, & simul illum custodit, & defendit vel in ipsis suppliciis. Ait alio da-

Basil. Sel. tus D. Basil. Sel. orat. 23. *Occultiore virtute steterit homo, restitutque contra excitatas à Dæmonibus procellas in ipsis etiam supplicijs custoditus.* Id præstat occultissima deitatis virtus, vt & supplicium, & defensionem, & custo-

Iob 30. diam inferat. Vt dicat Iob c. 30. *Scio quia morti trades me, vbi constituta est domus omni viuenti. Veruntamen nõ ad consumptionem meam emittis manum tuam, & si corruerim, ipse saluabis.* Securus Iob de Deo videns se ad mortem impelli, cùm hoc de manu Dei putet venire, simul cum pœna sperat etiam salutem, quam solus ille funditùs perdit, qui Dei manum fugit. Vnde de Deo

Iob 27. aduersùs impium locutus Iob c. 27. ait: *Et mittet super eum, & non parcet, de manu eius fugiens, fugiet.* Ecce tibi, vt Deus iratus mittet manum suam super impium, manum, inquam, quæ nullo modo parcat, nullam spem relinquat salutis. At quomodo fieri potest, quòd Dei manus sit adeò dura impio, vt illi nullum salutis effugium relinquat? Ait textus: *De manu eius fugiens, fugiet.* Non patietur impius teneri manu Dei ad pœnam, sed potiùs ab illa effugiet, inde deueniet in extremam ruinam. Philippus ibi ait: *De manu eius fugiet, non tenebitur manu Dei, vt saluetur, sed veloci lapsu in ruinam decidet.* Fœlix, qui manu Dei comprehendatur, in cuius etiam verberibus poterit sperare, & defensionem, & salutem. Hinc Paulus Actor. 13. ad Elimam Magum, Act. 13. ait: *Ecce nunc manus Domini super te, & eris cæcus.* Vbi Chrys. apud Lorinum. *Minimè vltio erat, sed sanatio:* Chrysost. *etenim tantum non dicebat, non ego facio, sed Dei manus.* Vbi Dei manus percutiens ostendebatur, & simul ostendebatur curatio.

Exod. 8. Dixit Dominus ad Moysem: Consurge diluculo, & sta coram Pharaone, egredietur enim ad aquas, & dices ad eum. Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi. Quòd si non dimiseris eum, ecce ego immittam in te, & in seruos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas omne genus muscarum, & implebuntur domus Ægyptiorum muscis diuersi generis, & vniuersa terra, in qua fuerint.

§. XII.

Plaga regnorum est, quòd ministri iustitiæ lautè viuant.

ECce immittitur à Deo musca ad perdendam Ægyptum. Et quid habet musca cum regni perditione? Ait Olympiodorus in c. 10. Ecclesiastæ: *Musca impu-* Eccl. 10. *rum animal putredinis, & vlcera insidendo exugit: appetítque laceræ cutis sciſſuras.* Vbi autem musca de vulneribus animalium exugere debet, quo satura, & stridula, & splendens viuat, non miror, quod ad regnum perdendum fiat instrumentum diuinæ iustitiæ. Dic mihi homo, quid magis perdit regna, quàm quòd ministri iustitiæ vitæ lautitiam, splendorẽ, & fœlicitatem quærant ex vulneribus hominum, ex concertationibus, & litibus? O quam citò finirentur lites, quàm properè raptores, sacrilegi, percussores, homicidæ, impij exhaurirentur, nisi ministri iustitiæ horum appeterent crimina, vt vitæ lautitias & splendores sibi acquirerent! Accipite pulchrum rei exemplum apud Ezechiel. c. 9. de- Ezech. 9. cernebatur enim ibi interfectio, & extirpatio impiorum: *Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem, & vniuscuiusque vas interitus in manu eius: vir quoque vnus in medio eorum vestitus erat lineis, & atramentarium scriptoris ad renes eius.* Sex virorũ manus dabantur ad interficiendos Iudæos, propter exuberantiam, & copiam impiorum interficiẽdorum, vt ait Theodoretus ibi. Sed illud notandũ maximè, quòd vbi tot rei interficiuntur, tótque ostenduntur tanti supplicij executores, vnus tãtum notarius dicatur esse, qui tot causas scriptas promat: *Vir quoq; vnus in medio eorum vestitus lineis, & atramentarium scriptoris ad renes eius.* Et cur tot funestarum causarũ executionibus, quibus vix sufficiunt sex viri validissimi, vnus tantum scriba, vnus tantùm notarius apponitur? Ait textus: *Vestitus erat lineis.* Contentus erat lineis vestibus; vbi autem & notarij, & alij iustitiæ ministri contenti essent lineis vestiri, honestáque mediocritate in cibo, & vestitus, & supellectili; fallar, nisi vnus sufficisset, vt vniuersi fraudatores, raptores, criminatores, litigatores penitùs extirparentur. At quia ministrorum atramentarium non super lineas tunicas, sed super pretiosas fericas vestes ponitur, inde tot ministri potius fouent, quàm tollant Reipublicæ pestes. De aduocatis

forensibus

D. Bern. forenſibus aiebat D.Ber.ſer.78. *Fidelis Aduocatus, qui quoniam nõ quærit, quæ ſua ſunt, facilè obtinet omne, quod quærit.* Expende illud: *facile obtinet*, &c. Quaſi oſtenderet ſanctus, vnde fœlices cauſarum fines facilè poſſent ab Aduocatis forenſibus; ſi nimirùm ſe propria cupiditate exuerent; ſi non quærerent quæ ſua ſunt, ſed quæ iuſtitiæ, & veritatis. At quia nec Aduocati, nec notarij, nec innumeri alij miniſtri iuſtitiæ, deſinunt in primis quærere ſua, & hæc ſplendoris,& preciositatis plena, ideò nullus finis cauſarum, nullus fraudum, & criminum interitus. Hæc plaga eſt hæc muſca grauiſſima, quæ de criminibus, & vulneribus ſplendidè viuens; illa fouet,& regna perdit. Quò ſpectat il-
Iſaiæ 7. lud Iſaiæ cap. 7. vbi Deus populo ſuo plagam minitatus, inquit: *Sibilabit Dominus muſcæ, quæ eſt in extremo fluminis Ægypti, & api, quæ eſt in terra Aſſur, & veniẽt, & requieſcent omnes in torrentibus vallium*, &c. Dicuntur Ægyptij, & Aſſyrij dominaturi Iſraëlitarum, eóſque gubernaturi. Et cur in hoc comparantur muſcæ; & api? Exprimuntur per hæc animalia duæ nocentiſſimæ conditiones miniſtrorum iuſtitiæ; in muſcis enim eſt, quod de aliorum vulneribus viuant, & precioſa
D. Cyril. quæque inuadant, in apibus autem, teſte D. Cyril. ornatus,& externi cultus affectus exprimitur. Et quanta plaga eſt populi, quibus dantur iuſtitiæ miniſtri, qui ſub pictis veſtibus fulgeant, & de vulneribus aliorum quærant vitæ lautitiam?

§. XIII.

Regum maxima plaga eſt, quòd eorum conſilia multi peruadant, & prodant.

QVid melleum poteſt à muſca abſcondi? Sapienter ille apud Plautum dicebat hoc muſcarum ingenium attendens: *Muſca eſt meus pater, nihil poteſt clam illum haberi. Nec ſacrum, nec tam profanum quicquam eſt, quin ibi illicò aſſit.* Vnde non miror, quod Regem Pharaonem perterrefaciat Dominus, dum aduersùs illum muſcas immittendas minetur. Quippe ait: *Immittam in te omne genus muſcarum.* Cur non magis tygridum, aut leonum, aut ſerpentum agmina immittenda minetur? Quid in muſcis poteſt Rex timere? Equidem maximo debet eſſe Regibus timori muſcarum ingenium, quod omnia peruadit,& prodit ſecreta. Crede mihi, non ſic Regibus damnoſi ſunt tygrides, aut leones, vt muſcæ iſtæ, quæ omnia rimantur, & nihil clam illas poteſt decerni. Hæ ſunt potentiſſimi, & fœliciſſimi Regis plagæ, quæ omnem illius fœ-
Eccl 10. licitatem perdunt. Ait Eccleſiaſtes cap.9 & 10. *Melior eſt ſapientia, quàm arma bellica, & qui in vno peccauerit, multa bona perdet. Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti.* Hebraicè legitur: *Muſcæ mortis*, nimirum, quę mortem & cladem afferunt extremam. Et ſto à ſentẽtia Feri,& Rabb. Achados, qui putant iis verbis inſtrui à Salomone fœliciſſimum Imperatorem; cuius fœlicitatem non tam firmant arma bellica, quàm ſapientia, adeò vt ſi vel in vno errauerit conſilio, nihil ei proſſint vniuerſa militaria inſtrumenta, ſed cum omnibus perdetur. Duo ergo ſunt, quæ validiſſimum armis Imperatorem perdunt, & error in ſapientia; & muſcæ. Quæ muſcæ? Nimirùm maligni rimatores,& exploratores conſiliorum, imò & proditores ſecretorum, quibus dum diuina ſeueritas permittit aditũ in penetralibus Imperatorũ, regúmque, nihil ibi non perditur. Et militaris gloria,& præclari nominis fama, quæ ſuauiſſimo odore afflabat regnum, in perditionem eunt. Ecce tibi muſcæ fatales, & Regibus, & regnis. Sciebat hoc Dauid, qui omni militari manu deſtitutus, vt potẽtiſſimum tyrannum Abſalonem debellaret, vnam hanc muſcam illi iniecit, dicens ad Chuſai Archites: *Si veneris mecum, eris mihi oneri, ſi autem in ciuitatem reuerteris, & dixeris Abſalon: Seruus tuus ſum Rex, patere me vi-*

uere, ſicut fui ſeruus patris tui, ſic ero ſeruus tuus; diſſipabis conſilium Achitophel. Habes autem tecum Sadoc, & Abiathar ſacerdotes, & omne verbum, quodcunque audieris de domo Regis indicabis, &c. Chuſai erat homo nigri coloris, vt putat Abbul. inſuper erat ineptus bello, vt mauult Lyra, ne à colore, & infirmitate eius abeſſet muſcæ ingeniũ, quo penetraret Abſalonis Regiam,& omnia eius exploraret ſecreta, quæ nota faceret Dauidi fugienti. Sed illud valde mirandum eſt, quòd iſte Chuſai notiſſimus,& cantatiſſimus Dauidis amicus tam facilè admittatur in Abſalonis Regiam,& fiat ipſi Abſaloni à ſecretis. Cur non magis tyrannus cauet hoſtis ſui amicum? Cur tam facilem aditũ illi præbet in Regiam, imò & illi militaria ſecreta credit? Non equidem, vt ait Abbul.q.18. hoc veniebat ab Abſalone, ſed à Deo, immittente vnum hunc hominem, & nigrum, & imbellem in Regiam, vt funditùs Abſalonem, eiúſque regnum perderet. Nullo enim citiùs Deus perdit imperia mundi, quàm dum permittit in Regiis Imperatorum facilem aditum haberi ab iis muſcis, quæ peruadant omnia, & abditiſſima quæque prodant ſecreta. Ex quo cauebat Vegetius lib. 3. cap. 6. *Tutiſſimum in expeditionibus creditur, facienda ab hoſtibus neſciri. Ob hoc veteris Minotauri ſignum in legionibus habuerant, vt quemadmodum ille in intimo, & ſecretiſſimo labyrintho abditus perhibetur, ita ducis conſilium ſemper occultum eſſet.* Vegetius. Quid plura? Qua in aula nigricare has muſcas videas, quæ cùm nihil roboris habeant, permittuntur omnia rimari ſecreta, puta ibi plagam muſcarum eſſe, quæ omne perdet imperium.

Exod. 8. Faciámque mirabilem in die illa terram Geſſen, in qua populus meus eſt, vt non ſint ibi muſcæ: & ſcias, quia ego Dominus in medio terræ, ponámque diuiſionem inter populum meum, & populum tuum: cras erit ſignum iſtud. Fecítque Dominus ita, & venit muſca grauiſſima in Domos Pharaonis,& ſeruorum eius,& in omnem terram Ægypti, corruptáque eſt terra ab eiuſmodi muſcis.

§. XIV.

Plus torquet plaga propria ad conſpectum fœlicitatis aliorum.

VT plus torqueat Dominus Ægyptios, dum illis muſcarum proponit plagam, ſimul & immunitatem Iſraëlitarum à muſcis proponit. Dicit enim: *Faciámque mirabilem in die illa terram Geſſen, in qua populus meus eſt, vt non ſint ibi muſcæ*, &c. Et illis plagam muſcarum,& Iſraëlis immunitatem ſimul oſtendit, vt hinc Ægyptij ſub muſcis cadentes acriùs mordeantur, vehementiorémque dolorem ſentiant, videntes Iſraëlem in pacifica ſecuritate eſſe. Quis dolor non creſcat de pœna propria in conſpectu fœlicitatis, qua alij potiuntur? Vbi Herodis falx ſanctos puerulos Bethleemi natos metebat, dicitur Rachel inconſolabile feciſſe lamentum. Sic Matt.2. *Rachel plorat filios ſuos, & noluit conſolari*, &c. Matt.2. Fuerant Rachelis filij multo antè tempore occiſi in Gabaa Benjamin, & nullus tunc expreſſus fuit Rachelis luctus Iudic.c.20. Modò Bethleemi, nõ Rachelis, ſed filij Liæ occidebãtur ab Herode, quando Bethleem pertinebat ad Iudam, qui fuit filius Liæ. Cur ergo Rachel filios ſuos plorat, non quando illi occidebãtur, ſed quando occidebantur filij ſororis ſuæ? Planè Liæ filij occidebantur glorioſiſſimè, ſiquidem illis mors obueniebat ob Chriſtum. Quam glorioſam mortem videns Rachel in ſororis filiis, tunc acriùs cœpit ſentire miſeram ſuorum vicem, qui occubuerant in vindictam ſtupri. Pulchrè D. Aug.quæſt. 11. ex vtro- Aug.
que: *Ideò filiis Liæ paſſis, & occiſis in Dei cauſa planctum adimpletum Rachelis Euangeliſta teſtatur, quia tunc*

plus plangere filios suos cœpit, quando filios sororis suæ in tali causa vidit occisos, vt ad vitam pertineant, quia cùm aduersum aliquid euenit, ex fœlicitate alterius infausta sua miserius luget. Nunquam non miseros acriùs mordet ob oculos posita aliorum fœlicitas. Non sic cruciantur miseri, cùm sunt in pœnis, vt cruciantur cùm simul aliorum fœlicitates vident. Vnde Isaias cap. 65. Ingrati populi recensens facinora, ait: *Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus: Ecce serui mei comedent, vos esurietis; ecce serui mei bibent, & vos sitietis, ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini*, &c. Cum rebellibus & ingratis agit, & illis, non solùm debitum supplicium, sed & bonorum glorias proponit; non solùm famem, sed & iustorum saturitatem obiicit. Et ad quid pessimis, & reprobis hominibus cum meritis suppliciis proponuntur fœlicitates iustorum? Planè, vt acerbaretur pœna malorum ex comparatione gloriæ iustorum. Ait Theod. apud Leonem à Castro: *Appositio contrarij pœnam amplificat: & Iudæos cruciandos sempiternis pœnis Ecclesiæ fœlicitas torquet vehementissimè.* Sic semper fœlicitas aliena ob oculos posita tormentum auget eorum, qui in pœnis sunt constituti. Vnde de damnatis gloriam iustorum in iudicij die videntibus dicit Sapiens c. 5. *Videntes turbabuntur timore horribili in subitatione insperatæ salutis.* Expende illud: *Timore horribili*; Mirum est enim, quòd nouus horror possit esse homini in æternis tormentis constituto. Et vnde tam nouum horrorem concipient, nisi ex salute iustorum visa? Ait enim Carthusianus ibi: *Turbabuntur tam horribiliter ex magnifica apparitione, & inspectione iustorum.* Quot in bonis fœlicitates visentur, tot in reprobos venient noui horrores. Ex quo dicebat D. Chrys. epist. 5. ad Theod. locutus de extremo iudicio: *Si enim fluuius ignem non volueret, neque Angeli assisterent formidabiles: soli autem conuocati homines, quorum pars laudata est, & in admiratione habita, pars ablegata ingloria ne gloriam Dei videat; num istud per se pœna foret tota gehenna acerbior?* Sanè acerbissimum est, quo miser inueniaris in conspectu fœlicis.

Isai. 65.

Theod.

Sapien. 5.

Chryso.

§. XV.

Verus Dominus ab omni prorsus tyrannide alienus agnosci qui velit, beneficentiam suam in aliquo testatam faciat. Vbi de Mariæ puritate originali.

VT sese Dominum verum præbeat agnoscendum Deus, non id præstat tam in Ægyptiorum plagis, quàm in Israëlitarum indemnitate. Quippe ait: *Faciam mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, vt non sint ibi muscæ, & scias, quia ego dominus in medio terræ*, &c. Ecce tibi quid se facturum pollicetur Deus in Ægypto, vt ibi verus Dominus cognoscatur. Quid ad hoc faciet? *Faciam mirabilem in die illa terram Gessen, vt non sint ibi muscæ.* In die quando desæuiat muscarum plaga, ne quis Ægyptius possit illarum fœditate liberari, tunc Deus ostendet seruatam terram Gessen ab omni muscarum contagio, vt sic sese verum Dominum ab omni asserat alienum tyrannide. Et cur necessum fuit ostendi Gessen immunem, & liberam à contagio muscarum, vt Deus agnosceretur verus Dominus alienus ab omni tyrannide? Equidem dum vniuersi Ægyptij tot plagis vapulabant, non tam dominicam beneficentiam, quàm seueriſſimam tyrannidem in Deo sic ferienre suspicarentur; ideò in Gessen liberata, & præseruata à plagis communibus, ostendit Deus se prorsus alienum à plagarum crudelitate, qui suis magnificentissimè incolumitatem, & salutem præstabat. Rem explico historia ex D. Nazianzeno petita. Cùm Constantini magni imperium ad Constantium esset deuolutum, Constantinopolitani Principes, qui de Cæsarum familia erant, tumultus in Imperatorem cœperunt agere. Tunc prætoriani milites in noui Imperatoris obsequium insurgunt, vt Principes vniuersos è genere regio mactent. Erant inter hos Principes morti destinatos Gallus, & Iulianus fratres, quos Constantius morti eripuit, & dum alij iugulabantur, in Regia domo absconditos magnificentissimè seruauit. Et cur hos voluit Constantius seruare? Vt in sertis duobus iis Principibus testatam faceret omnibus imperatoriam beneficentiam in suos, & animum prorsus alienum ab illa strage, qua per milites suos vniuersi Principes metebantur. Rem pulchrè conficit Nazianz. orat. 1. in Iulianum, fatus: *Splendidissimo quidem victu, cultúque, in Imperatoria quadam domo Gallus, & Iulianus ab humanissimo Imperatore digni habebantur, ac veluti generis reliquiæ ad imperium seruabantur. Id autem ea mente faciebat; primùm, vt se de iis rebus, quæ in imperij sui auspiciis designatæ fuerant, purgaret, tanquam de ipsius consilio, ac voluntate haud quaquam perpetratis. Deinde vt eos ad imperij societatem ascisceret*, &c. Quid pulchrius? Eo consilio bonus Imperator Galli, & Iuliani præseruationem, & liberationem à crudeli illa strage curauit, vt sese prorsus alienum ab illa ostenderet, qui tam beneficè suos mallet tutari. Hæc eò gratius pondero, quò magis adducat in fidem Marianæ puritatis, indemnitatis ab omni originalis labis contagio. Vbi enim Deus suum in terris imperium firmabat, duo diuini generis homines cœperunt in Regia paradiso tumultus agere. Et ecce tibi imperatoriæ maiestatis milites Principes tenebrarum vniuersos illius generis viros, fœminásve sub mortiferi peccati iugo trahunt. Nullus ex fœmina, & viro natus non gemit sub hoc vulnere, non sustinet hanc atrociſſimam plagam. Quid tunc Dominus creaturarum, & hominum factor? Mirabilem fecit terram Gessen Mariam Virginem, in qua Iesus Dei Filius erat habitaturus, vt illam non attingeret plaga. Imò hanc splendidissimis donis cumulatam, veluti generis reliquias ad imperium iussit seruari. Id eo consilio faciebat, vt de iis, quæ in imperij sui auspiciis dira hominibus euenerunt, se purgaret, tanquam de ipsius consilio, ac voluntate haudquaquam perpetratis; cuius dominatus, non seueritatis, sed beneficentiæ in suos, & gratiæ. Est equidem beneficij, gratiosique dominatoris, ita in suis beneficentiam testari, ne illos vel musca tangat. Hinc 1. Reg. 17. cum Philisthæus Saulem Regem, & exercitum eius ad certamen prouocaret, antequam in arenam decenderent Israëlitæ, antequam hostis vllum contorqueret iaculum, Dauid adest: *Tulítque vnum lapidẽ, & funda iecit, & circunducens percussit Philisthæum*, &c. Cur Dauid prostraturus Philisthæum, non expectas vt alij prius Israëlitæ descendant in arenam, & ab illo feriantur, vt sic tua sit victoria clarior? Agebatur Dauid à gratiosissimo, & beneficentissimo Dominatore creaturarum, cuius est sic percutere hostes, vt in suis beneficentiam suam ostendat per omnimodam præseruationem à communibus malis. Ait Diuus Basil. Sel. orat. 16. *Vicerat pridem alienigenam inermis Dauid cum in acie coram Goliath constitisset, & victoria gratiæ erat. Metu Regem liberauit, priusquam seruitij iugum contribules experirentur.* Expende illud: *Et victoria gratiæ erat*, Vt erat victoria, & interfectio Goliath opus supernæ gratiæ, supremi Dominatoris omnium, hoc debuit habere proprium, quòd suos liberaret, antequam seruitij iugum experirentur. Et credam, quod gratiosissimus Dominus in communi duello peccati originalis, matrem suam, & Angelorum Reginam non liberauit, antequam sub tali iugo esset?

Abſit hoc à gratiæ Dominatore Deo.

1. Reg. 17.

Nazianz.

Basil. Sel.

Exod. 8.

Exod. 8. Vocauítque Pharao Moyſem, & Aaron, & ait eis: Ite, & ſacrificate Deo veſtro in terra hac. Et ait Moyſes: Non poteſt ita fieri. Abominationes enim Ægyptiorũ immolabimus Domino Deo noſtro. Quòd ſi mactauerimus ea, quæ colunt Ægyptij coram eis, lapidibus nos obruent. Viam trium dierum pergemus in ſolitudinem, & ſacrificabimus Domino Deo noſtro, ſicut præcepit nobis.

§. XVI.

Vt ſupplicia deſunt, ſic deſunt, qui conuertantur ad Deum.

QVem ſupplicia non domẽt? Ecce duriſſimus Pharao vt ſuppliciis emollitus Moyſem vocat, & agit de ſacrificiis peragendis Domino: *Vocauit Pharao Moyſem, & Aaron, & ait eis: Ite, & ſacrificate Deo veſtro.* O quot duri flagellis molliuntur, vt credant Deo. Ait
Orig. Origen. hom. 3. in præſenti: *Nemo ita ineruditus diuinæ ſit diſciplinæ, vt flagella perniciem putet, vt verbera Domini pœnalem credat interitum. Ecce Pharao duriſſimus, tamen proficit verberatus.* Fallat, ſi raritatem conuerſorum, & Deum quærentium non faciat impunitas peccatorum. Vbi malitia humana ſæuiebat impune aduersùs Dominum, fugerunt vel eius diſcipuli; adeò vt deſtitutus à ſuis actus in crucem clamaret ad patrem, quaſi duriſſimè ferret tantam ſolitudinem, & deſola-
Matt. 27 tionem. Ait enim apud Matth. cap. 27. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Itaque quod ab omnibus hominibus ſe derelictum videat, quod nullus, aut rarus compatiens cruci approximet, ſed omnes crucifixũ fugiant, & abominentur, illúmque in pœnis relinquant ſolum, id Deo attribuit Ieſus bonus. Sed cur Deo attribuis, Domine, quòd ſolus ſis, quòd nemo, aut rarus tibi adſit? Quid fecit Deus vt illi aliquo modo hæc filij ſui ſolitudo attribuatur? Fecit Deus pro tunc impunitatem peccatoribus, quod non haberet punitorem, nec correctorem; & pro impunitatis modo creſcebat
Orig. ſolitudo Domini. Ait Orig. hom. 25. in Matth. *Videns peccata hominum, pro quibus patiebatur, dicebat: Quare me dereliquiſti? Vt fierem quaſi qui colligit ſtipulam in meſſe, & ſicut, qui colligit racemos in vindemia, cum non ſit botrus ad manducandũ primitiua. Et hæc dico, quia periit timoratus à terra, & qui corrigat inter homines non eſt.* Et quidem vbi in terris non eſt, qui puniat; & corrigat errantes, ſed impunè ſcelera fiant, non miror, quòd occluſa ſit penitùs via, ne quis aut rarus accedat ad Deũ. Sit, qui puniat, & oſtium patebit, quo ſe innumeri iun-
Oſeas 2. gant Deo. Oſeas cap. 2. obduratæ, & obcæcatæ animæ dicitur: *Dabo ei vallem Achor ad aperiendam ſpem.* Sima-
Cyrill. chus poſuit, *ad oſtium ſpei.* Cyrillus addit, *ad aperiendã intelligentiam eius.* Chaldæus autem, *ac delicias animæ.* Ecce tibi ad quanta datur vallis Achor, nempe vallis illa, in qua Ioſue capit. 7. Acham ſeueriſſimo ſupplicio furti damnauit, eſt. Sanè ſeuera hæc punitio, & homines fecit intelligentes, & oſtium euidentiſſimum aperuit, quo innumeri ad Deum accederent. Sed illud valde notandum, quòd vallis huius pœna non ſolùm paret hominibus oſtium, & ingreſſum ad Deum, ſed & delicias paret animæ ingredienti. Sic enim dicit Chaldæus, *ad delicias animæ.* Mirabilia etiam hæc ſolent venire à flagellis, quòd qui pœnis trahitur, ſuper alios
Aug. proficiat in Dei Eccleſia. Qua in re multus eſt D. Aug. epiſt. 57. aiens: *Cum Petrum, & alios Apoſtolos ſolo verbo vocaſſet Ieſus, Paulum prius Saulum; Eccleſiæ ſuæ poſtea magnum ædificatorem non ſola voce compeſcuit, verum etiã poteſtate proſtrauit, & ad deſiderandum lumen cordis, vt ſurgeret, prius corporis cæcitate percuſſit. Vbi eſt, quod iſti clamare conſueuerunt, liberum eſt credere, vel non credere. Cui vim Chriſtus intulit? Quem coëgit? Ecce habent Paulum, agnoſcant in eo prius cogentem Chriſtum, & poſtea docentem, prius ferientem, & poſtea conſolantem. Mirum eſt autem quomodo ille, qui pœna corporis coactus intrauit, plus illis omnibus, qui ſolo verbo vocati ſunt, in Euangelio laborauit.* Tractus Petrus verbo, tractus Paulus flagello, nec ideò Paulus Petro inferior; ſed ad delicias paradiſi ſubuectus inde ad ampliores pro Eccleſia Dei labores deſcendit.

§. XVII.

Commendatio eſt non parua rei, quòd veniat in abominationem impiis.

ABominationes vocat Ægyptiorum Moyſes, quos greges parat ſacrificendos Deo ſummo. Ait enim: *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo noſtro.* Sic, bone, abominabilia eligis, vt Deo ſacrifices? Cur abominabilia paras, quæ deberent eſſe præſtantiſſima? An Caino ſimilis, qui potioribus dimiſſis peiora, & abominabilia elegit, vt Deo litaret? Abſit; ſed vocat abominationes Ægyptiorum ſacrificandos greges vt aſſerat præſtantiſſimos. Non enim deſpectio, ſed commendatio eſt maxima rei, quòd dicatur, abominabilis Ægyptiis; neſciunt equidem impij abominari niſi præſtantiſſimum. Pulchrè ad hæc D. Amb. lib. 1. epiſt. 4. ex *Amb.* Ægyptiorum odio colligit præſtantiam victimæ: *Oderant ergo Ægyptij immolata ſacrificia, id eſt, perfecta ſtudia virtutum, & plena diſciplinæ, quod ergo vitioſi oderunt, hoc apud bonos ſincerum, ac pium eſt.* Nemo bonus, non reputat pium, & commendabile, quod nouit odioſum, & abominabile eſſe impiis. Hinc D. Syneſ. dum ſe peti *D. Syneſ.* iniuriis nequiſſimi Iuliani audit, ſic ait epiſt. 94. *Quid enim non ad gloriam vobis, atque exiſtimationem conferet? Quicunque laudare nos nititur, cum inuenire quid dicat, aliud nihil poteſt, hoc primum, & vnum, & maximum proferet; Iulianum de illo detrahere: hoc autem vno verbo, quæ non bonorum copia continetur? Siquidem nequitiæ generi omni aduerſari nihil aliud eſt, quam eſſe generi omni virtutis affinem. Per ſacrum tuum caput, & liberorum ſalutem iuro, nihil eſſe in quo melius de me Iulianus, quàm iniuriis, & probis laceſſendo mereatur. Nam & apud Deũ, & apud homines præclarum mihi erit, & ampliſſimum.* Meritò vir ſapiens ſuas laudes, ſuas virtutes menſurat ex impij hominis probriis, & iniuriis. Tunc ſe præclarum, & ampliſſimum æſtimat, & in ſumma bonorum cõſtitutum, cùm impio & odioſus, & abominabilis inuenitur. Ne miremur, quod paſtoris optimi ſigna oſtendens Naz. *Naz.* orat. 32. vbi inquit: *Videbit ſibi Dominus paſtorem ad præfecturam, quemadmodum ouem vidit ad holocauſtum. Hoc vnum requiro, vt ex eorum numero ſit, qui aliis inuidiæ ſunt, non miſerationi, qui non in omnibus rebus cunctis obſequuntur, ſed qui in quibuſdam etiam ob recti ſtudium offenſionem hominum incurrant.* Ecce tibi & ouis, & paſtor deſignatur præſtantiſſimus, qui odioſus eſt, & inuiſus Ægyptiis, nimirùm hominibus mundialium tenebrarum malo ſepultis.

Exod. 8. Dixítque Pharao: Ego dimittam vos, vt ſacrificetis Domino Deo veſtro in deſerto, verumtamen longiùs ne abeatis, rogate pro me. Et ait Moyſes, egreſſus à te orabo Dominum, & recedet muſca à Pharaone, & ſeruis ſuis, & à populo eius cras. Verumtamen noli vltrà fallere, vt non dimittas populum ſacrificare Domino. Egreſſúſque Moyſes à Pharaone orauit, &c.

§. XVIII.

Reincidentia in peccatum cauenda.

ORaturus pro Pharaone Moyſes, hoc vnum ab illo petit: *Noli vltrà fallere.* Et quidem poſt omnimodam innocentiam, hoc ſecundum locum habet, vt poſt

peccati caſtigationem nō iterum ad illud reuertamur.
Nazian. Ex quo monebat Naz.orat. 4. *Illud magnum,ac præclarum,ne omnino quidem peccaſſe, aut certè non grauiſſimè: quandoquidem eum vitæ ſtatum, qui omni prorſus peccato vacat, Deus ſupra humanæ naturæ modum conſtituit. Proximum autem,vt mihi videtur, illud eſt,vt cum admiſſo aliquo peccato caſtigati fuerimus,ac poſtea ſoluti, & indulgentiùs habiti,in diſciplinæ ſaltem ſenſu permaneamus, ac ſecunda ob ſecundum peccatum verbera fugiamus.* Itáque innocentiæ proximum eſt,quòd Dei ſupplicia reuereamur,& quod in nobis fuerit caſtigatum peccatum,iterum non admittamus, ſed magis caueamus ſecunda verbera ob ſecundum peccatum. Nunquam enim quæ ob ſecundum ſecunda veniunt,non ſunt grauiora primis. *Oſeas 5.* Quò ſpectans Oſeas cap.5.ait: *Facti ſunt Principes Iuda quaſi aſſumentes terminum,ſuper eos effundam,quaſi aquam, iram meam.* Septuag. *Facti ſunt principes Iuda tranſponentes terminos.* Ecce tibi horum crimen, ni mirùm,quod terminos tranſponerent,ſæpe enim ſuis iniquitatibus terminos ponebant, decernentes ſe in Dei permanſuros obſequio; at quacunque occaſione data illos terminos auferebant, & aliò tranſponebant ad peccata reuertentes. Et quid iis minatur Dominus? *Super eos effundam,quaſi aquam, iram meam.* Rem pul-
Theoph. chrè tractat Theoph.aiens: *Quando quiſquam Princeps Iuda exiſtens confeſſus fuerit, ac promiſerit ſe non eiſdem prauis ſtudiis admoturum mentem, idque ſécum decreuerit, & interim tranſmouerit tales fines, atque decretum ſuum fecerit irritum, ac reuerſus fuerit ad proprium vomitum,ira Dei ſuper talem prorſus effunditur: perinde ac rubri maris aqua ſuper Pharaonem, qui ſæpius mentitus erat.* Habentiam deſignatam in Pharaone ſuam pœnam,qui caſtigati ad vomitum redeunt; vt illum aqua maris funditùs perdidit, ſic ipſi metuant ſub Dei ira perdi. Imò vt Pharao ibi cum ſuis omnibus perditionem incurrit,metuendum eſt,ne cum iſtis,& ſui etiam
2.Reg.15 pereant.Plane 2. Reg. 15. *Venit nuntius ad Dauid dicens:Toto corde vniuerſus Iſraël ſequitur Abſalon. Et ait Dauid ſeruis ſuis,qui erant cum eo in Ieruſalem:Surgite,& fugiamus.* Mirabar, quod cantatiſſimus dux ſic feſtinaret, vt Abſalonem fugeret. Cur non magis fortiſſimam vrbem claudis,munis, ibique ſtas aduersùs tyronem,& indiſciplinatum ducem? Quid expaues in adoleſcenti Abſalone, quod fugias? Peccauerat antea Abſalon in fratrem Ammon, cuius ſceleris paſſus fuerat exilium, & veniam obtinuerat à patre. Vbi autem iterum venit ad paricidium, ſtupens Dauid hominis au-
Ioſeph. daciam,ab illo fugit,ne pereat cum illo. Ait Ioſephus in Gloſſa: *Ad Abſalonem multus populus eo inuitante confluxit,& Rex ab omnibus ordinatus eſt. Dauid metuens impietatē eius,& præſumptionem miratus,quia nec peccati veniam recordatus eſt, ſed ſcelera potiora committeret, deliberauit fugere,*&c. Hominem oblitum veniæ acceptæ, & iterum implicatum eiſdem ſceleribus fugiat, quiſquis nolit perire cum illo. Vnde peccatores com-
Tertul. monefaciens Tertul.lib.de Monogam.inquit: *Redi in Adam,vel priorem,ſi in nouiſſimum non potes. Semel guſtauit ille de arbore,ſemel cōcupiuit,ſemel pudēda protexit, ſemel Deo erubuit,ſemel ruborem ſuum abſcondit,ſemel de paradiſo ſanctitatis exulauit. Si in illo fuiſti, habeas tuam formam,ſi in Chriſtum tranſiſti, melior eſſe debebis.* Sanè. qui peccatum inuexit in mundum Adamus, nunquam bis dicitur eadem facinora attigiſſe; quidquid ruboris fuit,quidquid malitiæ ſemel tantum effecit,poſſemus nos in Chriſto ab omni abſtinere delicto, at ſaltem in Adamo minimè nobis contingat iterum ad eadem redire. Vide infrà c. 25. §. 4.

CAPVT VII.

Peſtis, veſicæ, & fulguris plaga.

MVſcis leuatum Regem non ſinit diu quieſcere propria malitia,quæ repetitis offenſis in noua præ-
lia traxit iras diuinas. Ægyptiorum pecorum plurimum abſumitur pernicioſa lue, dum Iſraëlis greges incolumes læta Geſſen arua paſcuntur. Morbi itidem ſuccedunt, qui rebelles homines maximè affligunt, cum iacto per aëra cinereo puluere, ſupra miſerorum carnes tument veſicæ,quæ ingenti gemitu plena deſinunt in vlcera. Inſuper horrendum,quid cœlum intonat nigris ſub nubilis,de quibus non viſæ magnitudinis grandines,& ardentia fulmina iaciuntur.in multorum hominum,& iumentorum damnum, & omnium ſegetum extremam ruinam. Quem non frangerent tormenta iſta? Mollitus quidem eſt vel ipſe Pharao pauliſper dum plaga ceſſat, à qua orante Moyſe recreatus iterum ſeſe præſtat incudem nouis excipiendis ictibus.

PARS MORALIS VNICA.

AMarus plagarum cortex noſtri amat puctionem ſtyli,vt dulces moribus ſuccos ſcaturiant, quibus in virtutum vitam ſaporetur humanus guſtus.

*Exod.*9. Ecce manus mea erit ſuper agros tuos:& ſuper equos,& aſinos, & camelos,& oues, & boues,peſtis valde grauis. Et faciet Dominus mirabile inter poſſeſſiones Iſraël, & poſſeſſiones Ægyptiorum, vt nihil omnino pereat, ex iis, quæ pertinent ad filios Iſraël. Conſtituítque Dominus tempus, dicens:Cras faciet Dominus verbum iſtud in terra. Fecit ergo Dominus,&c.

§. I.

Idola hominum etiam innocua malè habent apud Deum propter arcendos homines.

QVid oues,& boues peccant,Domine,vt eas peſte abſumas propter Ægyptios peccatores? Ait enim: *Ecce manus mea ſuper agros tuos:& ſuper equos, & aſinos,& camelos,& oues,& boues,*&c. Nónne omnia hæc animalia & manſueta ſunt, & innoxia? Cur in iis innoxiis ira tua deſæuit? Erant hæc Ægyptiis prodiis,ſub quorum formis fingebantur idola,ne miremur, quòd malè habeant apud Deum illa, quæ ſunt hominum idola; vt ſic ab eorum cultu arceantur homines. Ait
Orig. Origen.hom.4.in præſenti: *Animalium nece Ægyptius verberatur,vt in quibus cultum credebant ineſſe diuinum, in iis viderent diuina ſupplicia.* Proh quanta hæc eſt Dei miſericordia, quæ diuina ſupplicia faciat videri in ipſis hominum idolis! Solet hæc Deus facere amator noſtri,iræ ſuæ rigorem immittit in ea, quæ nobis pro idolis ſunt,vt magis inde arceantur affectus noſtri. Et patitur ſæpe Deus, quòd creaturæ etiam innoxiæ aliquam luem, aut fœditatem incurrant, ne ad ſe rapiant, ſed magis abiiciant humana corda. Poſt omnium animalium conditionem Gen. 1. dicitur Deus *Gen.1.*
reſpexiſſe omnia,*& erant valde bona.* Sed & Gen.7.ait: *Ex omnibus animantibus mundis tolle ſeptena, & ſeptena, maſculum, & fœminam:de animantibus vero immundis duo,& duo*, &c. Ecce tibi in primo dixerat omnia animalia eſſe valde bona, modò iam multa plectit immunditiæ nomine. Et cur, Domine, quæ valde bona erant,plectuntur nomine immundorum? Cur apud te turpi,& fœda inuruntur nota, quæ ex ſe nihil habebant fœdum,vel noxium? Erant hæc colenda ab hominibus pro idolis.quos vt arceat à tam nefario auſu, ſuſtinet Deus,vel pulcherrima opera ſua immunditiæ nota ferire. Ait D.Baſil.Sel.orat.6.inquiens: *Quædam* *Baſil.Sel.*
appellauit immunda,vt à ſuperſtitione abſtinerent, euaderétque legis edictum animæ medicamentum. Férque Deus creaturarum iniuriam nomine tenus, vt hominum morbum ſanet, vt impediat idololatriam, quæ vſque ad animalia procedit. Et immundorum nomenclationem fert

ita

in creaturis, vt purum ab impietate custodiat hominum propositum. Citus equidem est Deus in turpandis creaturis,quæ ab hominibus solicitant cultum; & quæ pro idolis haberi humana fecit stultitia, ea sæpe solent multis ignominiæ notis vilitatem prodere suam. Sic
Gen.1. Genes.1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram. Terra autem erat inanis,& vacua.* Vix tetra cum cœlo fit,& statim terra de inanitate, & deformitate infamatur. Cur de cœlo taces, & properas terræ ostendere inanitatem?Ea erat terra,quæ possit coli ab hominibus ob beneficia impertienda illis, & ideò in primis infa-
Chrysost. manda fuit. Chrysostomus hom.2. in Gen. *Ne homines ob vsus necessitatem, plusquam dignum est, terram venerarentur, ostendit primum rudem, & absque forma, & inexpolitam.* Ecce tibi vt properauit Deus ignominia afficere eam, quæ posset pro idolo haberi ab hominibus. Vt iam inde sibi à Deo timeant, quæ fœminæ eò ambitionis tendunt, vt gaudeant adorationem hominum sibi acquirere.

§. II.

Vbi diuinitas,non potest carnis lasciuia non perire.

IAm non virga Moyses operatur, sed nunc primùm incipit per se apparere in plagis manus diuina, quæ dum ipsa applicatur,nil prius quàm pecora in mortem ruit. Sic habes: *Ecce manus mea super agros tuos, & super equos,& asinos,& camelos*, &c. In iis pecoribus intelligit D.August. & Glossa, pecuinas libidines, quæ non possunt non cadere, cùm primùm Dei manus
D.Ambr mentibus humanis affulget. Quò respiciens D.Ambr. in cap.1.epist.ad Rom.inquit: *Non ergo hoc vitium, & contaminatio de honestate vitæ ab eo admittitur, qui in animo cogitat Deum.* Et simul Deus,vel in mentem venit, & occidunt affectus pecuinæ libidinis. Mirabar ego sæpe Iesum Simonis leprosi mensæ assidentem, cur ipse Simon erat proximus,& rursus Maria Magdalena: *Stabat retro secus pedes eius.* Luc.cap. 7. Et Simon & mulier Iesu appropinquabant,Simon à fronte, mulier retrò; sed Simon vel in illo conuiuio non remittit malitiam suam, quando & Iesum capit, & mulierem contemnit in corde suo. At mulier nihil pristinæ conuersationis in se habens,tota mutata hærebat Iesu pedibus. Et cur ad eiusdem Iesu præsentiam in Simone nihil periit malitiæ, in Magdalena vniuersi occidunt
D. Ephr. affectus pecuni?Causam ipsa insinuat apud D.Ephræm serm.in Peccatricem, inquiens: *Ecce iam cerno oculis veritatis Deum magnum, & sanctum in carne nostra apparuisse,vt saluet nos. Non te video, Domine, sicut videt Pharisæus,qui te ad prandium inuitauit, at videò Deum magnum,Opificem,ac Creatorem, qui verbo vniuersa constituit. Pessimum fœtorem iniquitatum mearum expuli*, &c. In Iesu non illuxerat Deus Pharisæo,sed illuxerat Mariæ;vbi autem huic Deus illucescebat, non potuerunt in illa non occidi mores pecuini.Habent hoc maximè brutæ libidines,quòd diuinitati aduersantur,nec vel ad illius vmbram propinquæ possint esse. Hinc
Luc. 16. prodigus ille in se reuersus clamabat Luc. 16. *Pater, peccaui in cœlum, & coram te,non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum ex mercenariis.* Cur ibi magis audes miser?Cur non magis approprias, & manum, vel pedes niteris osculari parentis? Viuebant adhuc in illo porcini affectus, insanæ libidines, quæ non sinebant miserum appropinquari Deo, nisi prius
Tit.Bostr occiderentur. Titus Bostrensis ibi: *Peccaui in cœlum, & coram te. Propter quod diuinatis tuæ lucem intueri vereor: nam & animi, & corporis oculos immundos habeo. Præ omnibus autem malis, plurimum me incusant insanæ libidines.* Inter omnia alia mala nullum est, quod sic contrarietur diuinitatis lumini,vt carnalis, & pecuina voluptas.Hæc prorsùs occidat,necessum est,vbi affulserit Deus;dum illa viuit,fallar, si quid possit diuinum percipi. Dum enim Ioseph depingitur multa dicens mulieri lasciuæ, quæ Dei timorem inferrent, statim subdit D.Ephræm ibi: *At nihil diuinum admittebat auris, ac cor mulieris.* Vix enim vel minima Dei vmbra admittitur,vbi non occidunt carnales illecebræ. *D. Ephr.*

§. III.

Turpe est Principibus,quòd propter solas exactiones sciantur a subditis.

QVinque præterierant plagæ,inter quas, percussis Ægyptiis,Israëlitæ incolumes perseuerabant, & non dicitur Pharao misisse, qui viderent Israëlitarum incolumitatem.Nunc in iumentorum ruina dicitur: *Et misit Pharao ad videndum, nec erat quicquam mortuum de iis,quæ possidebat Israël.* Cur antè non dicitur misisse,& modò id asseritur à textu sacro?Conducebat maximè ad Pharaonis turpitudinem monstrandam,vt notaretur,quando miserit ad Israëlitas in Gessen visitandos,nimirùm cùm ex eorum iumentis posset sibi sumere aliqua. Cùm enim mortuis suis, audiret seruata iumenta Israëlitarum,statim misit,qui viderent, vnde aliqua possit trahere. Quod turpe est in Principibus mundialibus solum mittere, qui subditos spolient, & solum à suis sciri propter vim exactionum crebrarum. Id, quod ponderabat D. Synes. epist. 147.dum villæ *Synes.* montanæ fœlicitatem narrans,ait: *Cæterum Imperator, & Imperatoris amici,atque omnis illa sortis, casúsque veluti saltatio,de iis,inquam,omnibus altum apud nos silentium, & ab eo genere acromatum aures nostræ feriantur. Quandoquidem Imperatorem semper aliquem viuere, probe hoc fortassis norunt: reuocatur enim nobis in memoriam annis singulis à tributorum exactoribus.* Quid turpius de Rege dici potuit? Non aliunde illum norant subditi, quàm ex tributorum exactoribus,quàm ex iis,qui mittebantur, vt reculas eorum scrutarentur, & Principi caperent.Qui aliud de Principe nuntiaret,non inueniebatur in tota illa prouincia;nec Princeps alios vnquam mittebat Nuntios ad suos, nisi qui bona eorum caperent. Quam maculam Principibus Niniuitis inurebat Dominus Naum c.2.fatus: *Ecce ego ad te,dicit Dominus exercituum,& succēdam vsque ad fumum quadrigas tuas, & leunculos tuos comedet gladius,& exterminabo de terra prædam tuam, & non audietur vltrà vox nuntiorum tuorum.* Expende,quæ erant à Principibus Niniue tollenda per Deum vltorem iniquitatum,nimirùm,& prędę, & voces nuntiorum. Sed quid habent commune Nũtij regij cum prædis, vt cum illis ad perditionem iungantur?Nónne prædæ tyrannorũ dignæ supplicio sunt? At Nuntij iure gentium habent apud omnes immunitatem?Cur ergo in Niniuitis Principibus,& ipsi Nuntij damnantur,& cum prædis exterminantur?Erat hoc in iis Principibus singulare malum, quòd nulli alij illis Nuntij fuerint,nisi qui mittebantur ad prædas,vt subditos spoliarent.Hoc,inquam,erat magis turpe,& maximè Deo odiosum,quod de nullo alio Nuntium mittebant,nisi de exactione facienda,de minuenda vniuscuiusque substantia,& ideò meritò ij Nuntij cum prędatoribus à Deo casti gantur. *Naum.*

Exod.9. Et dixit Dominus ad Moysem, & Aaron: Tollite plenas manus cineris de camino, &c. Tuleruntque cinerem de camino, & steterũt coram Pharaone, & sparsit illum Moyses in cœlum:factáque sunt vlcera vesicarum turgẽtium in hominibus,& iumentis:nec poterant malefici stare coram Moyse propter vlcera, quæ in illis erant,& in omni terra Ægypti. Indurauítque Dominus cor Pharaonis,&c.

§. IV.

Vbi vel vmbra Dei est,non terrena,sed cœlestia petuntur.

QVam aliter Aaron, quàm aliter Moyses signa faciebant! Aaron terram, & aquas percutiebat,

vt

vt ſigna faceret; vbi autem Moyſes incipit operari, non ad terram, ſed verſus cœlum manum extendit. Ait text. *Sparſit illum Moyſes in cœlum*, &c. Cur cum Aaron circa terram operabatur, vbi res ad Moyſem deducitur, ſtatim operatio incipit eſſe versùs cœlum? Habemus ex cap. 7. vt Moyſes datus erat in Deum Pharaoni, in quo autem vel vmbra Dei erat, non debebat eſſe
D. Aug. operatio circa terrena, ſed circa cœleſtia. Ait Aug. qu. 31. in Exod. *Signa ſuperiora virgâ fiebant, quam non Moyſes, ſed Aaron, vel extendebat ſuper aquam, vel ad terram percutiebat; nunc verò dicitur, vt Moyſes fauillam ſpargat in cœlum de fornace, tanquam Aaron, qui datus erat ad populum, terram percutere deberet; Moyſes verò, de quo dictum eſt, erit tibi in iis, quæ ad Deum, in cœlum iubetur fauillam ſpargere.* Sic Deus de illis amat fulgere, qui nihil habeãt cum terra, ſed ad cœleſtia ſpectent. Hinc
Exod. 3. Exod. 3. *Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Cur in igne apparuit? Ait D. Auguſt. quæſt. 7. ex
Aug. Veteri teſtam. *Ideò Dominus in igne apparuit, cuius natura ſemper ad ſuperiora tendit, vbi Chriſtus eſt.* Non ſe credit Deus illis, qui terrenis immiſcentur, qui oculos demiſſos habent, vt terrena ſpectent, nec norunt, vel odorari cœleſtia. Inde cenſebitur quiſquam Deum in ſe habere; & ad Dei partes pertinere, ſi inferioribus iis, terreníſque deſpectis, ad cœleſtia totis viribus tendat. Reuocandum eſt in memoriam miraculum illud, quo
Exod. 14 Iſraëlitæ ſub Moyſe in nube, & mari baptizati ſunt, teſte Paulo; nimirùm ait Exod. 14. *Ingreſſi ſunt filij Iſraël per medium ſiccimaris.* Vt ſic mari baptizarentur Iſraëlitæ, prius aquæ maris diuiſæ ſunt, oſtendentes illis in profundo ſiccam terræ ſemitam, per quam graderentur. Itaque nullum fecerunt gradum, anteaquam ſicca terra in medio maris eis pateret. Longè aliud baptiſma
Ioan. 3. paratur Chriſtianis, de quo Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Chriſtiani non per ſiccam terram tranſeunt diuiſis vndique aquis, ſed toti ſeſe aquis immergunt. Illi diuiſionem aquarum expectant, vt appareat terra, per quam gradiantur; ij minimè expectant aquarum diuiſionem, nec quòd appareat terra. Et quare in Chriſtiano baptiſmo non diuiduntur aquæ, vt terram oſtẽdant, niſi quia in eo diuinitatis virtus incubat, quæ ſuos
D. Zeno. ad ſuperiora impellit? Hinc pulchrè D. Zeno lib. 3. ſer. 38. *Noſtrum mare, quos voluntarios ſuſcipit, fœliciter naufragos facit, interimẽúſque vniuerſa peccata genitali vnda ſubmergit, vt cœleſtes effecti terram deſiderare non norint.* Non ſanè Aaronis virga, ſed Spiritus ſanctus noſtrum mare, noſtrum baptiſma præparat, noſtríſque aquis inſidet, ne ipſæ terram oſtendant, ſed magis nos à terra ſeducant, & faciant cœleſtes, vt terrenis iis prorsùs deſpectis, ad ſola ſpectemus cœleſtia.

§. V.

Quæ verus, & naturalis Dominus, & iudex per ſe facit, nullum timorem incutiunt bonis, & iuſtis.

HOc ſingulare fuit in hac plaga, quòd nullo inſtrumento ſumitur cinis, ſed propriis Aaronis, & Moyſis mánibus, & tollitur ex camino, & ſpargitur. Sic enim dicitur illis: *Tollite plenas manus cineris de camino*, &c. Cùm autem cæteræ plagæ fierent mediante virga Aaronis, non vacat myſterio, vt vult D. Auguſt. quæſt. 31. in præſenti, quòd hæc nullo inſtrumento, ſed propria ipſius Moyſis manu fiat. Et cur hæc non ſtrumento, ſed Moyſis manu fit. Vt quod in præcedentibus Dominus dixerat de non tangendis Iſraëlitis, nunc ipſo opere aſſeratur, quando quæ ipſi veri iudices, & Domini per ſuas ipſas manus faciunt, non ſolent periculum, aut formidinem incutere viris iuſtis. Caue inſtrumenta, caue miniſtros, caue eos, qui non ex ſe veram poteſtatem habent, ij non ſemel & iuſtos, & iniuſtos, & merentes, & immerentes ſub eiſdẽ plagis inuoluũt. At veri Domini manus oculatiſſima eſt, vix poteſt aliquem iuſtum affligere. Iſaiæ capite 6. vt purgarentur prophetæ labia, ignitóque affligerentur calculo, venit Seraphin, qui forcipe calculum de altari tulerat: *Volauit ad me vnus de Seraphin, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.* Non immediatà manu, ſed forcipe tulit prunam de altari Seraphin, at Eze-
Ezech 10 chielis cap. 10. *Extendit Cherub manum de medio Cherubin ad ignem, qui erat in medio Cherubin, & ſumpſit, & dedit in manus eius, qui indutus fuerat lineis*, &c. Ecce tibi, ibi mediante forcipe ſumitur pruna, hîc nullo mediante inſtrumento, ſed immediata Cherubini manu ſumitur, & porrigitur. Et quare hîc non forcipe, ſed manu ignem aſſumunt poteſtates cœleſtes? Sumebatur in Ezechiele ignis ad comburendos impios Ieroſolymitanos, ita vt nullum timorem, aut periculum conciperent iuſti viri, & ideò non fuit permittendus ignis inſtrumento, ſed ſoli manui poteſtatis, quæ nullum ſcit bonis periculum incutere. Quò potuit reſpicere Diuus Hieronym. epiſt. ad Damaſ. 2. dum inquit: *Hieron.*
Verè manus apparuit, vt dum manus cernitur porrigentis, propheta non timeat. Metum eripit iuſtis manus dominantis per ſe ſupplicium impiis inferentis. Vbi enim immediata cernitur naturalis Principis manus, vis aliqua exurgit immerentium oppreſſio; quæ tunc appareat in terris, quando per inſtrumenta, & miniſtros res geritur. Huc ſpectans Eccleſiaſtes fatur capite 5. *Si* *Eccl 5.*
videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & ſubuerti iuſtitiam in prouincia: non mireris ſuper hoc negotio; quia excelſo excelſior eſt alius, & ſuper hos quoque eminentiores ſunt alij. Et inſuper vniuerſæ terræ Rex imperat. Expende, cur non debeamus de iuſtorum oppreſſionibus mirari, nimirùm, quia multi ſunt miniſtrorum inferiorum ordines prætereundi, antequam res ad naturalem Regem, & dominum deuoluatur. Vbi Rex eſt ſolùm imperans, & rurſus alij ſunt celſiores aliis, & infra hos alij, qui res executioni mandent, non mirandum, quòd mille iuſtorum oppreſſiones appareant, Sola naturalis Domini manus cauet illas, de miniſtris autem raro non profilit iniuſtitia, & rapina. Hinc 3.
Reg. 10. *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem,* *3. Reg. 10*
& veſtiuit eum auro fuluo nimis. Qui habebat ſex gradus; & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori, & duæ manus hinc, atque inde tenentes ſedile; & duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas. Et duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc, atque inde non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis. Et quid in hoc opere eximium erat, quod nullis aliis regnis inuentum eſt? Sanè, & aurum, & ebur familiare erat multis aliis regnis, & in magna copia; inſuper, & artifices cantatiſſimi, qui & maiora poſſent operari. Quid ergo erat in hoc opere adeò ſingulare, quod in nullis regnis inueniebatur? Sto à ſententia ſapientiſſimi Patris Pinedæ rem ad throni ſignificationem moralem deducentis, nimirùm, quòd & in ſedili Regis, & in ſex inferioribus gradibus eadem ſemper ſpecies, & in nitore eboris, & in fulgore auri, & in leoninis vultibus ſeruabatur. Nullus vel de infimo gradu miniſter à leonina vigilantia, & incorruptibilitate auri deſciſcens, in lupum, aut vulpem abiit. Quinimò præterquam quòd iuxta ſolij ſupremi manus duo aurei ſtabant leones; ſimiliter: *Et duodecim leunculi ſtabant ſuper ſex gradus.* Hoc magnum, hoc nouum, hoc non eſt factum in vniuerſis regnis. Vide alia regna ſplendidiſſima quorum throni ſplendeant ſub leonibus aureis; & reſpice ad miniſtrorum gradus, & fallar, niſi pro leunculis, & vulpes, & lupi appareant prædæ inhiantes.

§. VI.

Iracundi, & homicida, & hîc, & in futuro ſæculo flammis aduruntur.

SVb ardentibus vlceribus gemunt Ægyptij, quippe
ait: *Facta ſunt vlcera veſicarum turgentium in homi-*
nibus,

nibus? ſic adurebantur miſeri, qui poſtmodum adurendi erant æternis ignibus. Et, cur maluit Deus hanc in præſenti ardentium vlcerum plagam illi immittere? Reſpondebat plaga eorum animo, & iracundo, & homicidæ erga Iſraëlitas, iracundi enim, & homicidæ, & ſimul hîc, & in futuro flammis aduruntur. Quippe ait Gloſſa: *Sexta plaga puſtula in corpore: veſicæ bullientes, & ſcatentes, incendia vulnerum, & f auilæ fornacis. Ardent enim homicidæ ira, & inſania.* Par pœna iracundis, & homicidis animis, vt ſub flammis viuant, ne illis flammarum tormenta hîc, & in futuro deficiãt. Seuorum, & homicidarum erat vox querentiũ de immaturis tor-
Matt. 8. mentis apud Ieſum. Ait enim Matth. 8. *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, ſæui nimis; ita vt nemo poſſet tranſire per viam illam. Et ecce clamauerunt, dicentes: Quid nobis, & tibi Ieſu fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos?* Sic homicidæ, & ſæui dæmones immaturis tormentis affligebantur apud Chriſtum; quaſi vix darent pœnas ſuæ ſæuitiæ, & ante tempus, & in tempore. Quibus prorſus ſimiles ſunt vniuerſi iracundi, nunquam non anguntur flammarum ſtimulis, & dum morem gerunt ſuæ iracundiæ, & cum in inferno plectuntur. Ex quo ſapienter aiebat D. Iſi-
Iſidor. dor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 162. inquiẽs: *Eum, qui pugnis gaudet, atque id ſtuoet, vt omnibus, odio ſit, quonam eo nomine aptius quiſnam appellet, quam ſi ipſum nequam Dæmonem vocet; Quoniam igitur Chriſtus, & hîc, & ante tempus Dæmones torquet, & in altero æuo ſempiternum ipſis ignem promiſit, aut tumultuariam victam conſectari deſine, aut illud ſcito te & hic flagris obnoxium eſſe, & illic vindictã minimè vitaturum.* Expende, quibus dæmonibus comparentur in pœnis homines iracundi; nimirùm illis, qui bis plectuntur, qui in tempore, & ante tempus flammas experiuntur. In hoc ab illis peccatoribus iracundi diſſimiles, illos enim flammæ expectant cum Diabolo in futuro ſæculo, at hos, & in hoc ſæculo flammæ ardentes impetunt, vt affligantur cum Dænibus, qui in tempore, & ante tempus plectuntur.

Exod. 9. Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi. Quia in hac vice mittam omnes plagas ſuper cor tuum, & ſuper ſeruos tuos, & ſuper populum tuum, vt ſcias, quod non ſit ſimilis mei in omni terra. Nunc enim extendens manum percutiam te, & populum tuum peſte, peribíſque de terra. Idcircò autem poſuit te, vt oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.

§. VII.

Vt prius in corde hominis præſignantur, quæ in corpore fiunt.

IMmiſſurus Dominus plagas grandinis ad obduratiſſimum Pharaonem: *In hac vice mittam omnes plagas meas ſuper cor tuum, & ſuper ſeruos tuos, & ſuper populum tuum.* Non ait, vt notat Caietanus: *Mittam ſuper te. ſed ſuper cor tuum.* Et quando plaga tota ſuper ſeruos, & populum mittenda eſt, cur dicitur, quòd mittetur, non ſuper Pharaonem, ſed ſuper cor Pharaonis? Vt oſtendatur cor Pharaonis & deſſignaſſe in ſe, & traxiſſe plagam imminentem; vt enim cor miſeri Regis obdurabatur aduerſus Deum, lapideſcebátque, ſic lapideſcentibus nimbis per totam ventutam plagam percutietur. Eſt enim in corde hominis præſignatio quædam eorum, quæ immediatè corporibus euenient. Accipite
Matt. 2. ex Matth. c. 2. vt futura hominum renouatio exprimebatur in creaturis Ieſu moriente: *Et mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt; & monumenta aperta ſunt; & multa corpora ſanctorum, quæ dormierant, ſurrexerunt: Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* Ecce tibi quantis præfigurabatur renouatio hominis in futuro ſæculo; vt terrena ſubſtantia in ſpiritualem virtutem conuertenda, vt durities mollienda, vt monumentis apertis ſurrecturus eſt homo ciuitatem ſanctam Hieruſalem cœleſtem introducendus. Sed cur neceſſum fuit hæc in iis creaturis præſignari, & oſtendi, niſi vt homo in corde ſuo ſimilia præſignet, quæ poſtea poſſit in corpore tenere? Sequuntur enim ea, quæ corpori obuenient, ad ea, quæ quis in corde ſuo habuerit. Ex quo ſapientiſſimè D. Leo monebat ſerm. 13. de Paſſion. *Contremiſcat* D. Leo. *in Redemptoris ſui ſupplicio terrena ſubſtantia, rumpantur infidelium mentium petræ; & qui mortalitatis grauantur ſepulcris, diſcuſſa obſtaculorum mole proſiliant. Appareant nunc quoque in ciuitate ſancta, in Eccleſia Dei futuræ reſurrectionis indicia, fiat in cordibus, quod gerendum eſt in corporibus.* Expende illa: *Fiat in cordibus*, &c. Quippe quæ in corde hominis præmonſtrantur, ea poſtea ſequentur in corpore. Ad cordis tui normam vel pœnæ, vel fœlicitates externæ de ſententia Dei venient. Qui nihil aliud corde voluis quàm flammas libidinum, ſulphureas Sodomorum flammas expecta, qui lucida virtutum tractas mente, ad lumen inacceſſum Dei meritò accedes. Sequentur ſane tui cordis præſignationem externi euentus. Id quod vel in Nabuchodonoſore manet perſpectum, de quo dicitur Dan. 4. *Alligetur* Dan. 4. *vinculo ferreo, & æreo in herbis, quæ foris ſunt, & rore cœli tingatur, & cum feris pars eius in herba terræ. Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei.* Vt cor ferale gerebat inter homines agens, ſic iuxta eius cordis normam venit pœna. Quid tunc? Ait ipſe Daniel. c. 7. Dan. 7. *Quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari diuerſæ inter ſe. Prima quaſi leæna, & alas habebat Aquilæ: aſpiciebam, donec euulſæ ſunt alæ eius, & ſublata eſt de terra, & ſuper pedes quaſi homo ſtetit, & cor hominis datum eſt ei.* Quibus verbis putat D. Hieron. intelligi ipſum Nabuchodonoſorem, vt poſt feralem pœnam iterum ad politiã, & monarchiam humanam reſtitutus. Sed illud notandum, quod vt feris, & beſtiis annumeraretur, nihil prius attendebatur, quam ferale cor eius, ait enim: *Cor feræ detur ei:* & ſtatim ad cordis normam venit extrinſecùs feralis pœna, & ſpecies. Vt autem feram exuerer, & priſtinam monarchiæ humanam gloriam obtineret; hoc peractum eſt, vt cor eius ad humanitatem flecteretur: *Cor hominis datum eſt ei:* & ſtatim ad cordis humanitatem omnia humana decora proſilierunt. Sic bona, vel mala aduenientia ſequebantur cordis ſpeciẽ. Sic Pſal. 96. *Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia.* Iu- Pſal. 96. ſtus, & rectus corde idem prorſus, eſt, cùm autem dictus ſit iuſtus percepiſſe orientem ſibi lucem, cur addicit, quòd rectus corde lætitiam perceperit? An aliquid magis explicatur per rectum corde, quàm per iuſtum? Sanè ideò poſt iuſtum, explicatius dixit rectum corde, vt oſtenderet perceptionem glorioſi lumini, nõ ſolum venire homini propter iuſtitiam vtcunque, ſed inſuper venire reſpondentem cordis illius præſignationi. Id quod apud Genebrardum aiebat Rabbi Kim- Rabbi. hi, fatus: *Lucem, & lætitiam futuræ beatitudinis, his ſemi-* Kimhi. *natam in cordibus noſtris, & conceptam, colligent in cœlo iuſti beato Dei conſpectu.* Quæ præſeminata, & præſignata in corde cuſuſque fuerint ea in effectu venient. Vnde Dei filius vulnerum in cruce ſuſceptorum cauſas referens ad Sponſam, fatur Cant. 4. *Vulneraſti cor meũ* Cant. 4. *ſoror mea ſponſa.* Vbi Chaldeus explicat: *Infixus eſt in tabula cordis noſtri amor tuus ſoror mea.* Et quando Ieſus meus cor ſuum referebat, vt tabulam noſtri amore transfixam: non miror, quòd & in corpore ſuo lignum ſuſceperit crucis, in quod aſcenderit, vt poſſit ipſe ſuſſigi. Sic ad cordis normam formantur effectus extrinſeci Num. etiam 14. murmurabant Iſraëlitæ, dicentes: Num. 14. *Vtinam mortui eſſemus in Ægypto, & non in hac vaſta*

ſolitudine,&c. *Nónne melius eſt reuerti in Ægyptum?* Quibus Deus iratus reſpondit: *Omnes homines, qui viderunt maieſtatem meam,& ſigna,&c. non videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum,nec quiſque eorum,qui detraxit mihi,intuebitur eam;&c. Cras mouete caſtra;& reuertimini in ſolitudinẽ per viam maris rubri.* Hæc ſanè reuerſio à Deo mandata versùs Ægyptum erat;vt enim illi corde,& animo ſuo reuerſi in Ægyptum fuerant,ſic iubet Deus vt morituri in deſerto reuertantur versùs eandẽ Ægypti terrã. Ait Procopius in Gloſſa: *Reuerſionem pro ſupplicio illis erogat, ratione habita delicti, quo animos ſuos in Ægyptum reflexerant. Non enim voti ſui ita fiunt cõpotes ſed in ſupplicium,& promotionem promouentur. Vias enim eorum,inquit,in caput ipſorum dedi. At quò nos cogitationes noſtras deducant,vide.* In mente, & corde noſtro conflantur, quæ nobis eueniunt.

Procop.

§. VIII.

Non parua Dei gloria oſtenditur, & pulchritudo, dum impij puniuntur.

VT ſibi faciat nomẽ glorioſum in terra Dominus, accingitur aduerſus Pharaonẽ. Sic enim ait: *Poſui te,vt oſtendam in te fortitudinem meam,& narretur nomẽ meũ in omni terra.* Et quãta ſpecies,& gloria diuini nominis, quod cognoſcatur interficiens vnum homũcionem? Eſtne pulchrum,& ſpecioſum omnipotenti Deo, quòd poſſit tradere morti hominem? Equidem vbi homo impius eſt, & peccator, non parua inde & laus, & pulchritudo acquiritur Deo,qui puniat impios,& peccatores. Ioël cap.2. *A facie eius contremuit terra,moti ſunt cœli, Sol, & Luna, obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum. Et Dominus dedit vocem ſuam ante faciem exercitus ſui, quia multa ſunt nimis caſtra eius, quia fortia,& facientia verbum eius. Magnus enim dies Domini,& terribilis valde.* Græcè legitur: *Magna dies Domini, & illuſtris valde.* Eſto, quod tantæ vindictæ dies magna, & horribilis diceretur iuxta vulgatam lectionem, at illuſtris vnde potuit dici? Vnde inter tot luctus, tot ſtrages,aliquid illuſtre potuit attribui Domino,qui indignum à ſe putat facere mortem hominis? Non parum equidem luminis affert diuino nomini,quod ſic puniat rebelles peccatores. Quippe ait D.Cyril. Alex.ibi: *Subindicat per hæc,non temere, ac fortuitò mala accidere, ſed à Deo potiſſimum infligi, læſo videlicet, & iuſtè pœnas repoſcente. Magna igitur,& illuſtris dies,inquit, propter famam vagantem de malis in homines inuehendis.* Itaq; vbi mala à Deo peccatoribus illata annuntiantur, illuſtre nomen,ingens decor,& ſpecies attribuitur vbiq; Deo. Aiebat Iſaias cap.53. de Deo ſuſtinente peccatorũ opprobria: *Vidimus eum,& non erat aſpectus,deſideravimus eum:deſpectum,& nouiſſimum virorum,virum dolorum,& ſcientem infirmitatem:& quaſi abſconditus vultus eius,& deſpectus.* At ſi audiamus Dauidem Pſal.44 longè aliter nobis depingit ipſum Dominum. Quippe ait: *Speciouſus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.* Iſaias vocat eum deformem,deſpectum: Dauid vocat ſpecioſum,& illuſtrem forma præ filiis hominum. Et quomodo ſimul potuit eſſe deſpectus,& ſpecioſus; inſpectabilis, & illuſtris? Equidem dum ſuffigebatur in cruce, dum tacẽs patiebatur,dum impias ſuſtinebat voces, & manus furentium, & quaſi inaſpectabilis, & deformis erat; vbi autem à facie eius terra mouebatur, & Sol obtenebrabatur, & tenebræ peccatores opprimebant, inde non parum decoris,& ſpeciei Deo patienti obueniebat. Sic D.Hieron.in Iſaiam, fatur: *Deſpectus erat, & ignobilis, quando pendebat in cruce factus pro nobis maledictum. Inclytus autem erat, & decorus aſpectu,quando ad paſſionem eius terra tremuit,ſaxa dirupta ſunt, & fugiente Sole æternam noctem elementa timuerunt.* Dum ſub tenebratum, & terræmotus verbere rebelles erant, magnum ſibi decorem, & ſpeciem Dominus adſcribebat. Similiter & Iſaias cap.53.dicebat: *Aſcendet ſicut virgultum coram eo,radix de terra ſitienti; non eſt ſpecies ei, neque decor.* Et Dauid Pſal.44.clamabat: *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime: Specie tua, & pulchritudine tua intende proſperè,* &c. Et quando ei ſpecies, nec decor erat,iuxta Iſaiam; vnde ille potuit venire decor,& ſpecies, qua iuxta Dauidem procedat proſperè? Iam ipſe ſignabat,aiens: *Accingere gladio tuo potentiſſime. Specie tua,* &c. Gladius, quo perimit rebelles, ipſe eſt pulchritudo, & decor maximus Domini. Ait Tertul. lib.3. in Marcion. *Non eſt ſpecies eius, neque gloria, ſed ſpecies eius inhonorata,deficiens citra omnes homines. Nam & ſi tempeſtiuus decore apud Dauidem citra filios hominum, ſed in ſtatu gratiæ ſpiritualis,cùm accingitur enſe, qui verè ſpecies,& decor, & gloria ipſius eſt.* Negarit licèt natura Saluatori ſuo iuxta Tertullianum decorem, & ſpeciẽ, tamen gladius eius interimens peccatores magnam illi acquirit gloriam, & decorem. Non poteſt enim non illuſtris, & glorioſus apparere apud omnes, quando plectit ſontes; qui apud plurimos ignoratur, dum illos tolerat. Ait enim Tertul.lib. de Patient. *Diuina diſpoſitio delegat Deum, ipſum oſtendens patientiæ exemplum, ſuſtinens ingratiſſimas nationes,ludibria artium,opera manuum ſuarum adorantes, nomen familiam ipſius perſequentes, luxuriam,auaritiam quotidie inſoleſcentem, vt ſibi ſua patientia detrahat: plures enim Dominum idcircò non credunt, quia ſæculo iratum tandiu neſciunt.* Sanè patientia Dei, & tolerantia in impiis non perdendis per tot ſæcula faciebat, ne à pluribus crederetur Deus eſſe. Non credebatur Deus, qui non iraſcebatur inter tot ſcelera, credendus, & adorandus vbique iratus in rebelles cernitur,

Ioël 2.

D.Cyril.

Iſaias 53

Pſal. 44.

Hieron.

Exod.9. Adhuc retines populum meum, & non vis dimittere? En pluam cras hac ipſa hora grãdinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto, à die qua fundata eſt vſque ad præſens tempus. Mitte ergo iam nunc, & congrega iumenta tua, & omnia, quæ habes in agro. Homines enim,& iumenta, & vniuerſa, quæ inuenta fuerint foris, nec congregata de agris, ceciderítque ſuper ea grando, morientur. Qui timuit verbum Domini de ſeruis Pharaonis fecit confugere ſeruos ſuos, &c.

Iſai.53.

Pſal.44.

Tertul.

§. IX.

Vbi ira Dei deſæuit, etiam promptiſſima, & facillima effugia non cernuntur, niſi Deo monſtrante.

NOua, & inuſitata grandinis tempeſtas denunciatur, & ſimul admonentur Ægyptij, vt domi cuſtodiant pecora, ne pereant foris lapideo nimbo. Ait enim: *En pluam cras grandinem multam nimis,&c. Mitte ergo iam nunc, & congrega iumenta,* &c. Proh Dei bonitatem profuſiſſimam plagam minatur,& oſtendit effugium;& iratus miſericordiæ non obliuiſcitur. Sed illud maximè notandum, quod de effugio admonens, illud proponit,quod cuique erat euidentiſſimum,& prõptiſſimum, nimirùm quòd pecora homo congreget ſua,& domi retineat. Et cui non promptum, & facile id erat,vt tempeſtati furenti pecora eriperet? Quis audiens tempeſtatem grandinibus lethalibus plenam imminere,non ſciret in domibus eſſe tempeſtatis effugia, prõpta,& facilia? Cur neceſſum fuit illos admonere de adeo prompto,facili,& noto effugio? Cantatiſſimus eſt Abſalonis caſus,de quo 2.Reg.18.dicitur: *Accidit autẽ, vt occurreret Abſalon ſeruis Dauid ſedens mulo: cúmque ingreſſus fuiſſet mulus ſuper condenſam quercum, & magnam, adhæſit caput eius quercui, & ille ſuſpenſo inter cœlum, & terram, mulus, cui inſidebat, pertranſiit. Vidit autem hoc quiſquam, qui nuntiauit Ioab,* &c.

2.Reg.18

&c. Ibi habes, vt res nuntiata fuerit Ioab; vt Ioab colloquia iniuerit cum nuntio, cui mortem Absalonis mádabat, à qua ille multis se excusat; & tunc Ioab ipse pergens ad suspensum, tribus illum transfodit lanceis. Vidisti longo temporis spacio fuisse suspensum Absalon, & prompta effugia, vt possit liberari? Sanè licèt penderet coma, solutas habebat manus, quibus & mulum detinere potuisset; vel assumpto gladio secare ramum, aut comam resecare, gladius ad latus pugnatoris necessariò erat, manus promptè, & in percussionè hostium paratæ; cur ergo in tam longo spatio temporis, non attendit ad tam prompta, & facilia remedia, quibus se morti posset subtrahere? Prompta, & facilia erát remedia; sed vbi Dei ira incipit, nec promptissima attenduntur effugia, Deo non monstrante. Rem pulchrè
Abbul. notat Abulen. quæst. 12. in præsenti, fatus: *Absaloni multa acciderunt, à quibus posset liberari, nisi Deus voluisset eum perdere. Nam poterat ipse tenens mulum, soluere capillos, & fugere.* Etiam dato, quòd mansisset pendens, poterat capillos amputare; vel si non habebat gladium, poterat manibus tenens arborem, illos soluere, vel rumpere, sed nihil horum fuit, eò quòd Deus habebat eum exosum. Vnde tanto eum timore concussit, quòd mulum tenere nequiuit, & cùm fuit sub arbore, habenas remisit, & mulus ex impetu fugit: *Ipse autem Absalon iam moriturus, non attendebat quid ad liberationem suam faceret, sed sententiam Dei pauefactus expectabat: quia voluntas Dei fuit*, &c. Expende illud: *Non attendebat.* Quippe dum currit ira Dei, & promptissima, & facillima non attenduntur effugia, Deo illa
Psal. 59. minimè monstrante. Vnde Psal. 59. *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.* Ecce tibi & facies arcus imminentis iam conspicua proponitur, & tamen dicitur Deus dedisse suis significationem, vt fugiant. Quid promptius, quàm fugere ad conspectum
Prou. 1. persecutoris? Dicebat Prouerb. 1. *Frustrà iacitur rete ante oculos pennatorum.* Cùm primùm enim laqueus apparet ptomptissima est fuga vel rudi passerculo, vt di-
Ouid. cat Ouidius: *Quæ nimis apparent retia vitat auis.* Quid ergo necessum est præmonere de fuga eos, ante cuius oculos facies arcus est? Equidem vbi arcus Dei extenditur iamiam & vltio facienda est, nulla effugia, etsi alioquin promptissima, & facillima attenduntur, nisi Deus illa monstrauerit. Idque ostendebat Dominus
Amos 2. per Amos cap. 2. aiens: *Ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno. Et peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam*, &c. *Et robustus corde inter fortes nudus effugiet.* Græcè legitur: *Et nudus persequetur in diebus illis.* Quid mirabilius? Ad percutientis Dei stridorem; & fuga, quæ familiaris est veloci homini, & prompta prorsus deficiet, miniméque parebit. Et quod magis est, & coram nudis persecutoribus nullum inuenient effugium. Quid tunc? Dat Deus metuentibus se significationem, vt fugiant; & nisi Deus dederit, promptissima quæque euanescunt effugia. Sanè primi parentes immediatè post peccatum sentientes corruptionis iam imminentis spicula ad folia ficus
Gen. 3. confugiunt. Ait enim Genes. 3. *Aperti sunt oculi amborum, cùmque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus.* Mirabar, quòd cùm eorum oculi aperti fuerint, vt viderent sibi mala obuentura, pœnam mortis imminentem, irati Dei penè contorta spicula, ad folia ficus recurrerint. Nunquid non æquè liberum erat illis cur-
Chrysost. rere ad fructus arboris vitæ? Sanè ait Chrysost. *Potuisset ipse, si voluisset, cum aliis etiam de vitæ arbore edere, quòd perpetuam illi contulisset vitam.* Et tam prompta erat illi hæc arbor, quam ficus? Cur ergo mortis reo in mentem potius venit ficus, quàm vitæ arbor, quæ erat infirmitatis conceptæ facilis medicina? Vbi Dei ira incipit, non cernuntur facilima effugia, nisi Deus dederit videri illa.

§. X.

Summa Dei bonitas est periclitantibus prompta proponere effugia.

SEueriſſimæ plagæ ſimul proponit diſcrimen, & promptiſſimum effugiũ offert, aiens: *En pluam cras hac ipſa hora grandinem*, &c. *Mitte ergo iam nunc, & cõgrega iumenta.* Quæ ſeuerior plaga, quàm plaga immaniſſimi grandinis? Et quod promptius, & facilius effugium, quàm quòd iumenta trahantur in ſtabula? Eſt in agro plaga mortis, ſed eſt ſalus in ſtabulis, vt bonitas Dei euidentiſſimè clareat, promptum effugium permittens immiſſis plagis. Primi parentes poſt peccatum patratum, ſimul iram Dei imminentem ſenſerunt, & in paradiſo adhuc manebant. Ait enim Gen. 3. *Vocem tuam* *Gen. 3.* *audiui in paradiſo, & timui, eò quòd nudus eſſem, & abſcondi me.* Itaque ira Dei erat excitata aduersùs Adamum, & ipſe adhuc & reus, & peccator in paradiſo erat? Cur, Deus, permittis reum in paradiſo, vel tantiſper eſſe? Cur vel antequam perficeret foliorum amictum, illum non expulis? Cur ſic moras nectis in expellendo? Pulchram huius rei rationem reddit Tertul. *Tertul.* lib. 2. in Matt. fatus: *Certamini enim dedit ſpatium, vt & homo eadem arbitrij libertate illideret inimicum, qua ſuciderat illi, probans ſuam, non Dei culpam, & ita ſalutem dignè per victoriam recuperaret; & Diabolus amarius puniretur, ab eo quem deuicerat antè, deuictus, & Deus tantum magis bonus inueniretur. ſuſtinens hominem in glorioſiorem paradiſum, ad licentiam decerpendæ arboris vitæ iam de vita egreſſurum.* Expende illa, per quæ Dei bonitas oſtenditur ſumma, nimirum: *Suſtinens hominem in paradiſum ad licentiam decerpẽdæ arboris vitæ*, &c. Quippe erant in paradiſo tot vitæ conciliatrices, quot arbores vitæ. Deus autem vt ſummè bonus ſumul reũ mortis agnoſcit hominem, & ſuſtinet eſſe in loco paradiſi, vbi & vitæ arbor, & nulla eius interdictio, ſed & licẽtia erat edendi, & eſus facillimus. Quid dici poteſt cõuenientius bonitati ſummæ? Medias inter iras locum permittit, quo homo & facilè reſipiſcere poſſet, & prõptam haberet arborem, ex qua fructus decerperet vitæ. Huc etiam ſpectat illa irati Dei vox Iſaiæ cap. 2. *In-* *Iſa. 2.* *gredere in petram, abſcondere in foſſa humo à facie timoris Domini, & à gloria maieſtatis eius.* Et ſimul ſeſe Deus oſtendit iratum, & locum refugij oſtendit. Sed qualem locum refugij oſtendit? Ad quem non opus ſit maria tranare, non aëra penetrare volatu, ſed qui præ manibus appareat. Quæ magis opportuna, & prompta res, quàm petra, quàm humus? Eſt equidem Deus iratus peccatoribus, ſed dum ſcandit ira, opportuniſſimum illis parat vel in petra refugiũ. Quò ſpectans D. Baſil. in præſen- *D. Baſil.* ti, inquit: *Ait Pſaltes: Petra refugium herinaceis, ei, inquã, qui purus eſt opportunum ſuffugium.* Eò enim peruenit bonitas Dei, vt cùm iras prætendit, ſuffugia paret non qualiacunque, ſed quæ opportuna ſint, & prompta, & quaſi præ manibus, vel de ſub pedibus appareant.

§. XI.

Palatinorum virtus eò tendit, vt ſibi proſpiciat.

INuenio apud Aulam Pharaonis viros timentes Deum, ſed qui nihil aliud feciſſe dicuntur, quàm ſua pecora in ſtabulis retinere tempeſtatis tempore. Sic textus: *Qui timuit verbũ Domini de ſeruis Pharaonis, fecit confugere ſeruos ſuos, & iumenta in domos*, &c. Et quãdo iſti timebant Deum, cur pro afflictis Iudæis non loquebantur apud Regem, vt ab illo iram Dei auerterẽt? Cur ſolùm de pecoribus ſuis cuſtodiendis curarunt, & non potiùs de totius regni repellẽda ruina commonefacientes Pharaonem? Timebant Deum, ſed erant de ſeruis Pharaonis, ſed erant Palatini, quorum virtus eò ſolùm tendit, vt ſibi prouideant. Pulchrè rem attigit

Lyppom. Lyp. ómán. *In ſeriis Pharaonis erant timentes Deum, qui abominabantur Regis atrociſſima imperia, aulicorum tamen more muti ad patrocinium pro afflictis.* Ea fortaſſis in aulicis inuenietur virtus, quæ abominetur & tyrannides, & Principum imperia iniqua; ſed qua ſtent pro afflictis, eorúmque ſumant patrocinium, ea non eſt virtus Palatinorum, quorum eſt ſibi proſpicere. De Moyſe electo à Deo ad defenſionem Iſraëlitarum, & ea ratione, prouidente Deo, in aulam Pharaonis adducto, Act.7. ibique regaliter nutrito dicit Actor. 7. *Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, aſcendit in cor eius, vt viſitaret fratres ſuos filios Iſrael. Et cùm vidiſſet quendam iniuriam patientem, vindicauit illum, & fecit vltionem ei, qui iniuriam ſuſtinebat, percuſſo Ægyptio.* Fuit Moyſes in Regia vſque ad quadrageſimum ætatis annum, & per totos integros quadraginta annos, quibus in Regia erat, non dicitur curaſſe de afflictione fratrum ſuorum, nec vllius afflicti patrocinium ſumpſiſſe. Iis autem annis tranſactis, exiuit à Regia, contendit ad fratres viſitandos, quos ab iniuriatoribus maximè vindicabat; imò pro illis Ægyptios morti dabat. Ait text. *Fecit vltionem, percuſſo Ægyptio.* Vnde tam repentinus zelus in Moyſe, qui per tot annos, nec verbũ pro ſuis fuerat fatus? Erat ab aula egreſſus, & animo ſuo totã vitam aulicam abdicauerat, vt notabat Paulus ad Hebræos vndecimo, & ideò iam aſſumit patrocinium fratrum, quod minimè aſſumpſerat, dum D. Amb. erat in aula. Ait Diuus Ambroſius libro ſecundo, de Caĩ, cap. 4. *Interfecit Moyſes Ægyptium, & fugax factus eſt de terra Ægypti, vt declinaret eius terra tyrannum. Sed non ante illum interfeciſſet Ægyptium, niſi prius in ſe abdicaſſet regalium luxum honorum, maius patrimonium æſtimans theſaurus Ægypti improperium Chriſti.* Equidem dum aulicus erat Moyſes, licet audiret, imò & videret Pharaonis barbaram tyrannidem in Iſraëlitas, quam abominabatur, tacebat tamen ſibi ſoli proſpicies, neceſſum fuit, vt tantiſper recederet ab aula, & animo ſuo honores contemneret aulicos, vt poſſet pro ſuis aduersùs tyrannos ſtare. Nunquam enim pro afflictis loqueretur, niſi prius in ſe abdicaſſet regalium luxum honorum. Id, quod apertè monſtrabatur in ſanctiſſima Æſter, quæ dum in aula eſſet, audiuit iniquiſſimam ſententiam ab Aſſuero coniuge ſuo aduersùs Iudæos omnes latam, & nihilominùs tacebat ipſa, imò & perſuaſa à Mardochæo, vt ſtaret pro Iudęis, cunctabatur, excuſationéſque prætendebat non paucas. Sic cap. 4. ad aulicorum mores reſpondit ei Mardochæus: *Ne putes, quòd animam tuam tantùm liberes*, &c. Eſt enim hæc communis aulicorum excogitatio, vt ſibi attendant tantùm. Huc refer dicta ſuprà 1. tom. in Vet. Teſt. lib. 4. cap. 1. par. 2. §. 11.

Exod. 9. Extenditque Moyſes virgam in cœlum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac diſcurrentia fulgura ſuper terram. Pluítque Dominus grandinem ſuper terram Ægypti. Et grando, & ignis mixta pariter ferebantur. Tantæque fuit magnitudinis, quanta antè nũquam apparuit in vniuerſa terra Ægypti, ex quo gens illa condita eſt. Et percuſſit grando in omni terra Ægypti cuncta, &c.

§. XII.

Propria reproborum plaga, quòd neque inter pœnas emolliantur.

ECce vobis reproborum hominum plaga: *Grando, & ignis mixta pariter ferebantur.* Inter ignis flammas grando duritiam ſuam ſeruabat, ſic enim obduratæ malitiæ homines, & pœnis exuruntur, & adhuc in- Sap. 16. tegri ſunt in peccatis. Quò ſpectabat Sapiens, cap. 16. fatus: *Nix autem & glacies ſuſtinebant vim ignis, & non tabeſcebant, vt ſcirent, quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine.* Planè non amicos, ſed inimicos, non iuſtos, ſed reprobos tangit ignis pœnarum, qui integrum ſeruat malitiæ grandinis lapidem. Vbi ſub ipſis flammis pœnarum adhuc obduraris, adhuc rigeſcis frigore vitiorum, & peccati inimicus es, reprobus appares: propria enim reproborũ eſt hæc plaga. Pulchrè Hier. cap. 6. *Defecit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum. fruſtrà conflauit conflator: malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ. Argentum reprobum vocate eos.* Multus equidẽ erat plagarum ignis à Deo conflatore immiſſus, & tantus, qui plumbea pectora liquefacere potuiſſet; tamen inter hos ignes, malitia cordis, & frigus vitiorũ vigebat. Quid inde? *Argentum reprobum vocate eos.* Sanè vbi vitiorum frigus cum pœnarũ ignibus non minuitur, id iam pertinet ad reproborum ſupplicium. Ab Angelis reprobis parũ, aut nihil abeſt, qui in ſe ſimul retinet & flammas pœnarum, & frigus peccati. De iis aiebat Pſal. 34. *Diſſipati ſunt, & non ſunt compuncti.* Vbi ſapienter Hugo Car. fatur: *Diſſipati ſunt, id eſt, victi ſunt Dæmones, & mali homines afflicti. Nec tamen compuncti ad pœnitentiam, quia Diabolus præ ſuperbia pœnitere non poteſt; & reprobi homines præ duritia, & frigiditate cordis.* Quibus frigus & duritia peccati eſt inter flammas pœnarũ, ne dubites, quòd Diaboli ſint, vel Diabolorum pœnis deputati. Solus reprobus, & flãmas pœnarum ſuſtinet, & vitiorum frigiditatẽ. Quod ſignũ in reprobo populo agnoſcebat Hier. c. 5. fatus: *Percuſſiſti eos, & non doluerunt; attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam: induranerunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reuerti.* Nil grauius de miſero, & iam deplorato dici poteſt, quàm quòd vel in fornace ſupplici frigidus maneat. Quod ponderans Nazianz. orat. de plaga grandinis, fatur: *Non graue eſt plagis affligi, ſed plaga meliorem non fieri grauiſſimum, & acerbiſſimum eſt. Atque eo nomine Propheta de duro illo, atque corde incircunciſo Iſraële verba faciens, ait: Percuſſiſti eos, & non doluerunt, corripuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam.* Et fallar, ſi quod ſignum euidentius eſt animi reprobati, quàm hoc, quod vel ſuppliciis addicti integrum peccandi affectum cõſeruent. De reprobis ſub iudicis ſententia poſitis ait Dominus Matt. 7. *Et tunc confitebor illis: Quia nunquam noui vos: Diſcedite à me, qui operamini iniquitatem.* Expende illud, *operamini*, quippè & tunc, cùm ſententiæ flammis ſubſunt, malum operantur. Sic D. Chryſoſt. hom. 19. in Matth. *Non dicit illis: Diſcedite à me, qui operati eſtis iniquitatem, ſed qui operamini. Quia iniqui etiam poſt mortem non deſinunt eſſe iniqui, quia & ſi peccare non poſſunt, tamen peccandi propoſitum tenent.* Nulla flamma, nulla mors, homines reprobos à vitiorum affectu deterret, & flamma ſuppliciorum, & frigus vitiorum ſemper eſt illis circa pectus. Verè de illis dicere poteſt Philo, quòd dixit de plaga præſenti: *Grando intermixta, nec ipſa liqueſcebat, nec extinguebat fulmina, ſed vtráque vno, eodémque ferebantur impetu.* Non liqueſcit frigiditas reprobi inter ignes, nec illos extinguit, ſed auget, vt ſimul & vitiorum affectus, & flammæ ſuppliciorum facto impetu miſerum diuexent.

Hier. 6.

Pſal. 34.

Matt. 7.

Chryſoſt.

Philo.

§. XIII.

Contraria quæque copulantur in defenſionem eius, qui ſcit benefacere ſuis contrariis.

ECce tibi & grando, & ignis adunantur pro Moyſe aduersùs Phataonem; dicit enim: *Grando, & ignis pariter mixta ferebantur.* Ex Hebræo ſic habes: *Et fuit grando, & ignis aſſumptus in medio grandinis.* Quæ enim contraria erant, ſic inter ſe adunabantur, quaſi omnem exuiſſent contrarietatem. Et cur neceſſum fuit tantũ fieri miraculum, vt adunarentur ſimul frigus, & ardor? Sto à ſententia Patris Lorini, qui in cap. 16. Sapientiæ hoc tribuit Moyſis charitati, qua infenſiſſimum

ſibi

ſibi, & populo ſuo hoſtem Pharaonem complectabatur. Vbi Moyſem aduerſarium Pharaonem totis animi viſceribus ſuſtinebat; & quanta poterat bona illi præſtabat, non miror, quod contrariſſimæ naturæ vnirentur, vt pro illo ſtarent. Videbis, homo, contraria vniri in tui tetulam, ſi contrariis parcis, vt videbis vnita diuidi in tui pœnam, ſi benefactori malefacis. Accipe, quid factum eſt iuxta crucem Domini, quando cùm adhuc inimici eſſemus, noſtra ſalus operabatur. Matthæi 27. *Ieſus autem iterum clamans voce magna, emiſit ſpiritum. Et ecce velum templi ſciſſum eſt; & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt*, &c. Nulla creatura non adunatur, vt ſuum præſtet obſequium Ieſu morienti pro hoſtibus ſuis, & Sol, & Luna, & cœlum, & terra, & mors, & vita. Et cùm ſic diuerſæ, imò & contrariæ creaturæ adunantur pro Ieſu, ſimul quæ vnita erant, ſcinduntur, velum enim, & petræ ſciſſæ ſunt. Vndè hoc? Equidem vbi crux pro hoſtibus eleuabatur, totum orbem in ſe adunatum trahebat, at Iudæum vbi Ieſu oſtendebant, vel petras diuidi faciebant, ne deficerent, quæ eorum duriciem premerent. Pulchrè aiebat D. Chryſoſtom. hom. 2. de cruce, & latrone: *Hodie crux vicit, & mors victa eſt. Hodie apud Iudæos terra contremuit, & apud nos firmata eſt. Hodie apud Iudæos, quia mente audaci contra Deum vadunt, petræ ſciſſæ ſunt. Hodie amabilis Deo pietas vniuerſum conſuit Orbem. Dicebat enim, quæ pietatis erant coniungi.* Sanè Ieſu pietas, qua vel hoſtes amplectebatur, pro ſe vniuerſum conſuit Orbem: vbi enim tantæ pietatis cauſa agenda erat, vniuerſi Orbis creaturæ, etſi diſſitæ, etſi contrariæ ſeſe conſuerunt, & adunarunt, vt ſtarent pro Ieſu. Quæ autem Iudæorum duritiem puniebant, ea diuiſa, & ſciſſa ſunt, vt pœnam eorum oſtenderent. Trahit conſutum, & adunatum Orbem pro ſe Ieſu pietas in ſuorum hoſtiles animos; traxerunt Iudæi, vel ſciſſas petras, vbi ipſi ſeſe à tanto benefactore abſcindebant. Nunquam, mihi crede, creaturæ non æmulantur affectus eorum, qui proximos ſuos odio, vel amore proſecuntur.

Matth. 27.

Chryſoſt.

§. XIV.

Strenui viri proprias oppoſitiones, & ſimultates obliuiſcuntur, vbi exequendum eſt munus à ſuo principe commiſſum.

NOn poſſum non mirari denuò nouum hoc prodigium apparens in grandinis plaga, nimirum quòd *grando, & ignis pariter ferebantur.* Siue vt Hebræus habet: *Fuit grando; & ignis aſſumptus in medio grandinis.* Fuerit grando à Deo veniens ad deuaſtandam terram; fuerit inſuper ignis, qui omnia incenderet. Cur tam contrariæ naturæ ignis, & aqua gelida ſimul conueniunt, vt Ægyptios feriant? Cur aqua non nocet igni, ſed illum ſibi ſocium adiungit; & quæ ex natura ſua mutuò ſe expellunt, ſimul modò gradiuntur, in Ægyptiorum damnum tam inuſitatam, & prodigioſam ſocietatem oſtendentes? Sanè omnium creaturarum munus eſt ſtare pro Dei ſeruis; vbi autem tanti muneris adimplendi inſtabat tempus, promptè creaturæ conuenientes proprias ſimultates, & contrarietates non meminerunt. Quid pulchrius? Quid moralius, vt ſtrenui viri ſciant proprias contrarietates obliuiſci, vbi muneris à Principe demandati viderint inſtare tempus? Ait Sapiens cap. 16. *Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat; vindex eſt enim orbis iuſtorum.* Expende noui, & inuſitati prodigij rationem, nimirùm: *Vindex eſt enim orbis iuſtorum*, hoc eſt, orbis militat Deo pro iuſtis, & ideò vbi inſtabat iuſtorum defenſio, ſic conueniunt, & concurrunt vniuerſæ creaturæ, & ignitæ, & gelidæ, quaſi inter ſe nullam contrarietatem, nullam oppoſitionem haberent. Ait D. Baſil. Sel. orat. 9. *Ibi grando cum igne conferta ruebat, & quæ ab ingenio diſcordant, ita præter naturam concordabant, vt naturalem diſcordiam contra Ægyptios verterent.* Sic ſciunt coniungi contraria in ſui Principis rebelles. Huc tendit Iſaiæ c. 11. *Iudicabit in iuſtitia pauperem, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ, & percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. Et erit iuſtitia cingulum lumborum eius: & fides cinctorium renum eius. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit.* Expende ordinem, dicit enim, vt Deus ſtabit pro iuſtis, & manſuetis, vt arguet impios, vt ſibi aſſumet iudicij veſtimentum, quo malos plectat, & bonos defendat. Quid tunc? *Habitabit lupus cum agno*, &c. Vbi enim Deus pro iuſtis ſteterit, & lupi, & agni, & pardi, & hœdi, & contraria quæque ſimul accurrent ſuæ contrarietatis immemores. Accedite huc nobiles Principum duces, præſtantes Dei ſerui, & lugete, vel Dei, vel Regum, vel patriæ contempta à vobis obſequia, dum occupabamini in propriis ſimultatibus, & contrarietatibus acuendis. Hæc eſt peſtis boni communis, hæc eſt peſtis diuini obſequij, hæc eſt peſtis regalis ſeruitij, quod ſtrenui viri, vt ſe propter proprias ſimultates mordeant, regalia munera, obſequia Dei, communia bona contemnant. Hanc maculam à viris religioſis ſui temporis nititur expellere Nazianzenus. Accuſabantur enim Catholici ab Hæreticis Arianis, quod inter ſe maximè deſiderent, & magnas nutrirent contradictiones, & ſimultates. Fatetur hoc in Catholicis malum Nazianzenus, quod diſcordes eſſent, & maximè contrarij inter ſe, verum illud addit ad maximam diſcordantium laudem, quod vbi fidei, virtutis, religioniſvè cauſa inſtabat, ibi vniuerſi conuenirent nullarum memores ſimultatum. Sic enim ait orat. 2. de Pace: *Nos ob pulchra quæque concordiam colimus; vt vnanimes, vnoque ore Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum glorificemur, idque de nobis prædicetur, quod verè in nobis ſit Deus, eos, à quibus vtitur, vniens. Verum aliis de rebus contentio inter nos fuit, malè etiam id quidem.* Non negat ſanctus ſuorum contrarietates, ſimultates, & oppoſitiones, quibus ſeſe mutuò impetebant, at acerrimè negat illas ſimultates in cauſa fuiſſe, quod circa virtutis, fideique defenſionem minus acres, & magis conniuentes eſſent. Quin potius, quantumcunq; contrarij fuerint, cùm res virtutis, aut fidei inſtabant, ſic proprias contrarietates obliuiſcebantur, ſic vnanimes accurrebant, vt in ſumma concordia eſſe viderentur.

Iſai.

Nazian.

Exod. 9. Miſitque Pharao, & vocauit Moyſem, & Aaron, dicens ad eos: Peccaui etiam nunc: Dominus iuſtus: & ego, & populus meus impij. Orate Dominum, vt deſinant tonitrua Dei, & grando, vt dimittam vos, & nequaquam hîc vltrà maneatis. Ait Moyſes: Cùm egreſſus fuero de vrbe, extendam palmas meas ad Dominum, & ceſſabunt tonitrua, & grando non erit, vt ſcias quia Domini eſt terra. Noui autem quod & tu, & ſerui tui nec dum timeatis Dominum Deum, &c.

§. XV.

Humilis confeſſio propriæ infirmitatis, & malitiæ plurimum apud Deum valet.

SAnè, vt bene notat D. Auguſt. requirebat Moyſes in Pharaone timorem Dei filialem, ſolo vir nequam ſeruiliter timens pœnam ſuam, & flagelli acerbitatem. Cur ergo ei acquieſcit Moyſes, imò, & Deus, & tollit ab eo plagam? Hæc erant verba humiliati Regis: *Peccaui etiam: nunc Dominus iuſtus: & ego, & populus meus impij. Orate Dominum*, &c. Vbi ſic ſe deiicit Rex, ſic ſuam malitiam, & impietatem humiliter proteſtatur, non miror, quòd à Moyſe, imò à Deo obtineat abolitionem pœnarum. De peruerſiſſimo Achab dicitur

3. Reg. 21. 3. Reg. 21. *Dormiuit in ſacco, & ambulauit dimiſſo capite. Et factus eſt ſermo Domini ad Eliam, dicens: Nónne vidiſti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa non inducam malum*, &c. Et quidem ſciebat Deus peruerſiſſimum Achabi animum, eius ſeruilem timorem, tamen vbi ſe humiliauit, & humiliatus coram Deo inceſſit, proteſtans ſuam malignitatem, liber euaſit à malo denunciato. Ex quo meritò

Baſil. Sel. Diu. Baſil. Sel. orat. 28. extollit potentiam humilitatis: *Et ſi plures ſaluti congruant modi, tamen omnibus humilitatis ornamentum conuenit. Ea comite continentia in admiratione eſt, & fides fit amabilior, & iuſtitia purgatior, & verior miſericordiæ fructus, & pœnitentia tunc creditur, quando cum humilitate coniuncta eſt. Ideò primates ſanctorum dignitatem aliquam ſupra naturam conſecuti, tunc vel maximè humilitatem reſpiciunt.* Sic de humilitatis profeſſione venit, quod & omnia pulchra, & omnia acquirantur, vel conſeruentur ſublimia. Vbi humiliantem ſe hominem vides, quidquid magnum, quidquid ſplendidum, & diuinum puta oſtendendum in illo. Notum eſt colloquium illud inter Deum, & Abraha-

Gen. 18. mum Gen. 18. vbi Abrahamus petebat à Deo, vt furorem ſuum temperaret aduerſum Sodomitas, & Deus Abrahamo acquieſcebat in multis. Eò tandem deducta res eſt, vt Abrahamus dixerit: *Quia ſemel incœpi, loquar ad Dominum cùm ſim puluis, & cinis. Quin ſi minus quinquaginta iuſtis, quinque fuerint? Delebis propter quadraginta quinque vniuerſam vrbem? Et ait: Non delebo*, &c. Quid maius dici potuit de homine iuſto? In Dei familiare colloquium admittitur, cum Deo quaſi cum amico, & familiari loquitur, eius temperat iram, vnde hoc? Id faciebant verba illa, *cùm ſim puluis, & cinis*. Accipite pulcherrima, & elegantiſſima Diu. Baſilij

Baſ. Sel. Sel. verba, qui ad hæc dicit orat. 28. *Congreſſa eſt aliquando cum Deo creatura, colloquebatur, & oratio viciſſim ab vtriſque ſine honoris diſcrimine ferebatur, ac cernere erat rem inuſitatam, linguam è luto auſam cœleſtia loqui, & Deum impigrè reſpondentem homini terreno. Hæc enim parta ab humilitate lucra homines in altum euehunt, & Deo perſuadent, vt cum hominibus verba faciat. Quando igitur Abraham ſuo illi ſermoni prætexuit: ſum puluis, & cinis, tunc naturæ agnitione naturæ terminos eſt meritò ſupergreſſus.* Quid pulchrius? Non parua expectes ab eo, qui ſe paruum putat, & ſuam infirmitatem publicat. Contemptis maioribus Iſai filiis quærebat Samuel à patre, an reliquus eſſet alius filius, qui poſſit deſignari in regios triumphos. Cui pater quaſi per deſpectum

1. Reg. 12. reſpondit 1. Reg. 12. *Adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues.* Videte, quæ coniungantur: *Eſt paruulus,*

D. Greg. *& paſcit oues*; de quo ſapienter ait D. Greg. PP. lib. 6. in præſenti: *Meritò ergo ergo non ſolum paruulus ſed paſtor aſſeritur; quia, qui verè humiles ſunt, foris ſe deiiciunt, ſed per internam ſocietatem in ſummis, & æternis paſcuis immorantur. Nam ſcriptum eſt, Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Quæ autem gratia, niſi vt ſumma videant, & cognoſcant; cognoſcant, & diligant, atq; ad ipſa dilecta quaſi pingues, & fortes currant?* Nunquam humilitas non valet apud Deum, vt ex illo aliquid magnum acquirat.

§. XVI.

Poteſtatis diuinæ agnitio efficaciſſima eſt ad impetrandum.

AD parua Pharaonis verba, ſtatim ei tempeſtatis ceſſatio promittitur, & quæ fuerunt verba, quæ à Deo obtinuerunt immunitatem tam citam? Ait: *Peccaui etiam nunc: Dominus iuſtus: ego, & populus meus impij. Orate Dominum*, &c. Tunc petit ſanctorum patrocinium, cùm ipſe diuinæ iuſtitiæ cognitionem præmittit: facit enim agnitio poteſtatis diuinæ orationẽ eſſe efficaciſſimam. Dum mater Ieſu in nuptiis orabat Fi-

Ioan. 1. lium pro ſupplendo defectu vini, Ioan. 1. reſpondit Ieſus: *Quid mihi, & tibi mulier? Nondum venit hora mea.* Sed quæ hora aptior erat Deo ad præſtandum, quàm ea, in qua mater poſtulabat? Quæ circunſtantia temporis promptiorem Deum redderet, vt matri in hac valle lacrymarum ſupplicanti pro miſeris annueret? Pulchrè illam indigitat Euthym. aiens: *Non-* Euthym. *dum adeſt tempus meum: tunc autem aderit, cum ij, quibus opus eſt miraculo, cognouerint, quod talia poſſim operari, & ipſi me fuerint deprecati.* Ecce tibi tempus aptiſſimum ad hoc, vt efficaciſſimè Deus moueatur ad præſtandum, nimirùm quando qui ſuſcepturi ſunt, cognouerint Dei poteſtatem, tunc eius cognitionis proteſtatio ſanctorum patrocinium, & orationem efficacem facit. Et quid non poſſit in Deo hæc diuinæ poteſtatis cognitionis proteſtatio? Ait Pſal. 86. *Memor ero Raab,* Pſal. 86. *& Babylonis ſcientium me.* Raab muliercula erat gentilis tota innutrita peccatis, quibus non obſtantibus multa à Deo accepit. Et quæ virtutes dicuntur de hac fœmina, ob quas tanta à Deo impetrauerit? Vnã hanc ſcientiã diuinæ poteſtatis proponit Pſaltes, aiens: *Scien-* D. Cyril. *tium me.* Pro quo ait D. Cyril. Ieroſol. Catech. 2. *O magnam Dei benignitatem! Etiam inhoneſtæ mulieris meminit in peccatis: ſed non ſimpliciter meminit, verum ſcientium me.* Itaque mulier, & peccatrix, vt in eam Dei cognitionem deuenit, vt diuinam poteſtatem ſibi cognitam proteſtaretur, iam habuit, vnde ſui memorem Deum faceret, multáque ab illo beneficia reciperet.

CAPVT VIII.

Locuſtarum, & tenebrarum plagæ.

EPties furentem tyrannum octauus traxit verber in manſuetudinem; videres namque vorante tenera quæque locuſta rigere totam Ægyptum, ſed molleſcere Regem illius adeò, vt perſuaſus à ſuis facultatem faceret abeundi Iſraëlitis. Parari viam mandat viris, nec adducitur, vt fœminas, paruulóſque abire ſimul permittat. Vrgebat interea rebellem duriſſimus nonæ plagæ ſtimulus, is fuit tenebrarum, ſub quibus denſatus aër, nihil à tartaro faciebat differre Ægyptũ. Tenebantur miſeri tenebrarum ſpiſitudine conſtricti, inter quas horrendum quid ſingulorum auribus intonat, & ſubitis fulguribus oculos ſpectra perſtringũt horribilia. Libenter iam impiiſſimus Pharao permitteret Iſraëlitis, vt ſimul cum paruulis, & vxoribus proficiſcerentur ex Ægypto, dummodo ibi greges ouium, armentáque relinquerent. Præclarus autem Moyſes, nec agni vngulam tyranno permittit, quo ille excandeſcens ira mortem Moyſi denuntiat, niſi regium conſpectum deinde fugiat.

PARS MORALIS VNICA.

VEniunt Ægypti tenebræ, quæ noſtras mentes cãdido illuſtrent lumine, dum quod tunc paſſa eſt caro, modò ſpiritus guſtet.

Exod. 10. Dixit Dominus ad Moyſem: ingredere ad Pharaonem, ego enim induraui cor eius, & ſeruorum illius: vt faciam ſigna mea hæc in eo, & narres in auribus filij tui, & nepotum tuorum, quoties contriuerim Ægyptios, & ſigna mea fecerim in eis: & ſciatis, quia ego Dominus.

§. I.

Quidquid filiis virtutis inſtillauerit pater, ſibi fructuoſum inueniet.

EXpende ordinem nimirùm: *Narres in auribus filij tui*, &c. *& ſciatis, quia ego Dominus*: quaſi non ſufficeret, quòd Moyſes ſigna Dei videret, vt in Dei cognitionem

gnitionem veniret, nisi & illa filiis suis narrasset, & illis filios instituisset. Nunquam enim non parentum commodum est, quod in aliqua virtute instituant filios.

Euseb. Pro quo monebat parentes Eusebius Gallicanus hom. de Machabæis: *Duplex vobis commodum erit, cùm salus ad filios vestros de vestra salute transierit: vt cùm per vos ad illos peruenerit, ex illis ad vos multipliciter reuertatur. Hoc enim bonum dando non consumitur, sed dilatatur; & magis dum transfertur acquiritur; ac miro modo transmittitur, & retinetur.* Solent patres dum bona sua temporalia ad filios transmittunt, egere ipsi multáque penuria affligi, dum filij locupletes existunt. Quod minimè accidit in bonis virtutum; imò, quæ à parentibus in filios transmittuntur, ad ipsos parentes redeunt duplicato, imò multiplicato fructu. Quò respiciens Nazian-

Nazian. zen. orat. 10. de parentibus suis locutus, ait: *Ambo filiorum simul, & Christi amantes, imò Christi amantiores, quàm liberorum; quippè, qui vnum hunc ex liberis fructum caperent, vt a Christo agnoscerentur, nomènque ducerent.* Sanè multa erant fortunæ bona, imò & multæ dotes naturæ iis filiis, at ex nullis bonis veniebat ad parentes fructus, nisi ex eo, quòd ex parentum educatione pro Iesu starent filij. Vnum hunc ex liberis fructum

1. Par. 7. capiunt boni parentes. Quò spectat illud 1. Paralip. 7. vbi gloriosissimorum parentum dum nominatur filij, dicit textus: *De stirpe Thola viri fortissimi numerati sunt.* Septuaginta autem parenti gloriam, & decus filiorum assignantes legunt: *Ipsi Thola fortes virtute numerati sunt*: quasi filiorum ille fructus parenti solùm adscribatur, qui non à virium venit fortitudine, sed à fortitudine virtutum. Qui virtutibus pollent filij, ij parentibus meritò adscribuntur, vt qui non paruum commodum inde recipiant. Quò forsan spectans Elisæus

4. Reg. 2. 4. Reg. 2. dicebat ad Eliam: *Fiat in me duplex spiritus tuus.* Optabat bonus spiritum Eliæ duplicatis viribus adolescere, & quale medium proponit, vt sic duplicetur spiritus Elianus? Vnum dicit: *Fiat in me.* Quasi per hoc solum, quod patris spiritus ad filios transeat, non possit, non ipsis parentibus duplicari. Id, quod no-

D. Amb. tans D. Amb. ser. 2. de Elisæo, fatur: *Pretiosa planè hæreditas, quæ dum à patre transfertur ad filium, meritorum quodam fœnore duplicatur.* Veniant huc parentes, & videant, quali modo possint in se augere dona gratiarum, si nimirùm illa filiis communicauerint. Tunc nequeunt bona gratiæ in parentibus non apparere duplo maiora, cum ea filiis suis communicata proponunt.

§. II

Publici scelerum patratores æterna infamia castigandi sunt.

NOn solum Dominus supplicium infert Ægyto, sed & hoc satagit, vt memoræ insculpatur æternæ; ait enim: *Et narres in auribus filij tui, & nepotum tuorum, quoties contriuerim Ægyptios.* Sic pœnam, & supplicium Ægyptiorum æternari Dominus procurat, & meritò, quando isti apertum, & manifestum bellum Deo indixerant. Debent enim publici patratores scelerum æterna supplicij infamia puniri. Notissima fuit diluuij pœna hominibus primi sæculi inflicta, sub qua vniuersa terra submersa fuit, & aquis suffocata per an-

Gen. 8. num, quo peracto Gen. 8. *Mense secundo, septimo, & vicesimo die mensis arefacta est terra. Locutus est autem Deus ad Noe, dicens: Egredere de arca*, &c. Aquæ exsiccantur, & terra iterum reuiuiscit, iterum hominibus, animalibúsque impletur, iterum frondibus, floribúsque

Gen. 19. vestitur, & ditatur fructibus. Non sic Gen. 19. vbi sub cœlesti igne puniuntur Sodomitæ, imò ibi ignis de cœlo *subuertit ciuitates has, & omnem circà regionem, vniuersos habitatores verbium, & cuncta terræ virentia.* Mansítque ibi perpetuus cinis, & fauilla, vt aiunt communiter, neque vnquam habitabilis facta est terra ista. Sed cur Deus in punitione prima vsus est aquis, quæ penitus effluerent, & nouis terræ fructibus locum permitterent; in secunda autem punitione venit in igne, sic regiones Sodomitarum deuastans, vt nihil inde iam posset sperari vtile? Hi carnales erant, & illi, omnis quippe caro corruperat viam suam; sed de Sodomitarum peccato hoc additur, quòd fuerit publicatum, & prædicatum ab illis. Ait enim Isaias cap. 3. *Peccatum* Isai. 3. *suum quasi Sodoma prædicauerunt.* Meritò ergo Deus impudentissimis hominibus, qui apertè peccare non erubescebant, æternæ infamiæ pœnam decernit. Ait

D. August. D. August. lib. 1. de Mirabilibus, cap. 10. *Hoc namque modò conueniebat, vt qui peccatum suum non solùm faciendo, sed etiam prædicando palam fecerant, infamen vitam famosa pœna consummarent. Quæ vindicta, & hactenus eorundem terram non deseruit, dum quali pœna, qui talia agunt, subiacebant, ostendit. Inter istas verò duas primarias in sæculo pœnas, diluuij scilicet, & Sodomitarum, talis differentia deprehenditur, quòd vna aqua terra, altera igni punita sit. Anni vna circulo, vnius permanente terra retegitur, per alteram terra adhuc sine cessatione maceratur.* Sequi semper oportet peccandi impudentiam æternæ infamiæ pœnã, ne obliteretur infame insigne supplicij in eis, qui peccatum suum facere palam non erubuerunt. Quò spectans Isaias cap. 3. de Iudæorum excidio Isai 3. loquens, ait: *Ruit Ierusalem, & Iudas concidit: quia lingua eorum, & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius. Agnitio vultus eorum respondit eis; & peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt.* Possent Iudæi de extremo suo excidio dolere, & apud Deum interrogare causam eius, dicentes: Quare nos repulisti in finem? Quid tunc Deus? *Agnitio vultus eorum respondebit eis*; nimirùm hæc vniuersalis infamia, qua per omnes generationes sunt noti, clarissimè manifestauit eorum scelera; quæ vt similia fuerunt Sodomitis in impudentia, sic non potuerunt euadere æternæ infamiæ pœnam. Ait D. Nazian. in Athan. *Vt* Nazian. *Sodomitæ, quorum scelera vulgatissima fuerunt toto orbe, pœna tamen multo nobilitatior, & vulgatior est, igne, & sulphure consumpti sunt: ita Iudæi quorum facinus illud immane crucis toto orbe nobilitatum est, & pœna incendij toto orbe vulgatissima est, ferro, fame, & incendio sunt consumpti, & Sodomitis similes effecti.* Sic supplicij infamia perpetua respondet illis delictis, quæ impudentia summa trahebantur in lucem.

Exod. 10. Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Vsquequò non vis subiici mihi? Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi. Sin autem resistis, & non vis dimittere eum, ecce ego inducam cras locustam in fines tuos, quæ operiet superficiem terræ, ne quicquam eius appareat, sed comedatur, quod residuum fuerit grandini, corrodet enim omnia ligna, quæ germinant in agris. Et implebunt domos tuas, & seruorum tuorum, &c. Auertítque se Moyses, & egressus est à Pharaone.

§. III.

Clarissima salutis via est, quòd te subdas, & obedias Deo.

OBedientiæ, & subiectionis defectus ineuitabilia trahit Dei flagella, quæ tunc solùm cessant, dántque saluti locum, vbi extorquetur obedientia, & subiectio. Hinc ait Dominus in præsenti homini rebelli: *Vsquequò non vis subiici mihi? Dimitte populum meum: Sin autem resistis*, &c. Ecce tibi tota ratio imminentis periculi, nimirùm, quòd resistamus Deo; ecce totum, quod à nobis requirit Deus, vt terminum ponamus inobedientiæ nostræ, quo flagellum auerter, & d bit locũ saluti. Manifestè res patet Numer. cap. 22. vbi dum

perge

Num.22 pergeret Balaam maledicturus populum Dei, aſina vidit Angelum auerſum in via cum gladio ſtricto, & vt vidit minimè retitit, ſed ſtatim declinauit à via. Declinantem aſinam percutiebat ſemel, & ter Balaam diuinus: Tunc Angelus: *Cur tertiò verberas aſinam tuam? Ego veni, vt aduerſarer tibi, quia peruerſa eſt vita tua mihique contraria, & niſi aſina declinaſſet de via dans locum reſiſtenti, te occidiſſem.* Ecce tibi in quo fuit ſalus Balaami ſita, nimirùm, quòd aſina eius daret locum Angelo, eiúſque ſe ſubderet nutui declinans à via. Pulchrè ibi Procop. Procopius ait: *Obedientia aſinæ Balaamo ſaluti fuit. Ita perit, quidquid Deo eſt auerſum, quemadmodum tenebræ a luce.* Equidem, quod Deo reſiſtit, funditùs perit; obedientia, & ſubiectio Deo exhibita poteſt viam ſalutis oſtendere, imò & oſtium prorſus occludere, ne abeamus in interitum. Aiebat Dominus Ioann. 6. Ioann.6. *Eum, qui venit ad me, non eiciam foras, quia de cœlo deſcendi, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me.* Expéde rationem, qua non eiiciendi ſumus à Deo, nimirùm, quia Ieſus non facit voluntatem ſuam, ſed in omnibus ſe ſubdit parenti, eique obedit. Et cur, quia Chriſtus obediens eſt, non ſumus nos eiiciendi à Deo? Nimirùm; vbi Ieſus patri obedit, nos ſimiliter docet obedire Deo, qua ratione conſequitur, vt qui obedientes ſumus, à via ſalutis non declinemus. Ait D. Gregor. Iob 16. PP. lib. 35. in Iob, cap. 10. *Cùm igitur non ſuam, ſed voluntatem Patris facit, eos qui ad ſe veniunt, foras non eiicit: quia dum exemplo ſuo nos obedientiæ ſubiicit, viam nobis egreſſionis claudit.* Nihil eſt penè, quod timeas, vbi te Deo ſubdis; vt nihil eſt, quod ad virtutem, vitámque conducat, vbi Deo non te præbes ſubditum. Hinc 1. Reg. 18 Reg. 18. *Ædificauit Saul altare Domino. Tuncque primò cœpit ædificare altare Domino.* Sanè & ſuprà cap. 13. obtulerat Saul holocauſta, & ſacrificia, cur modò primum dicitur litaſſe? Ait Gloſſa: *Quia obedienter, & rectè. Superiùs verò cùm increpatus eſt a Samuele, non dicitur ædificaſſe Domino, quia inobedienter ædificauit.* Obedientia eſt, quæ nobis facit bona ſalutaria, & à ruinæ extremæ periculo nos tutatur. In inobedientia mors eſt, vnde Ioan. 6. *Murmurabant Iudæi de Ieſu*, quorum murmu- D. Cyril. rationem componens D. Cyril. Alex. cùm murmuratione eorum, qui in deſerto erant Exod. 16. ait lib. 4. in Ioan. cap. 3. *Murmurabant illi aduerſus Deum ex ingratitudine in deſerto: murmurant & iſti de Criſto, & Saluatorem ſuum inobedientia ſua vituperant: ſed draco venenoſus eos mordebit: ſemper enim in pernitiem inobedientia ſolet exire.* Sic ibi.

§. IV.

Tunc ſe Deo excipiendo quis parat, cùm impiorum conſortium fugit.

DEnuntiat Moyſes Pharaoni imminentem plagam locuſtæ, & protinus ab illo ſeſe auertit, ait enim: *Auertítque ſe Moyſes, & egreſſus eſt a Pharaone.* Cur non magis cunctaris? Cur non magis apud Regem quieſcis? Erat tunc Moyſi cura Dei colloquia excipere, & ideò quàm primùm conſortium impij hominis fugit. Tunc enim ſe quis aptat Deo, cùm ſe auertit ab impiis. Ioan. Ioan.9. cap. 9. de cæco à Ieſu ſanato locutus, ait: *Eiecerunt eum foras. Audiuit Ieſus, quia eiecerunt eum foras: & cùm inueniſſet eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei? Reſpondit ille, & dixit: Quis eſt, Domine, vt credam in eum? Et dixit ei Ieſus; Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum ipſe eſt.* Ecce tibi, quanta reuelatio diuinitatis homuncioni fiat; & quidem non vidit hæc quando ad fontem Siloe lutum à Ieſu poſitum abſterſit, & oculorum recepit lumina; ſed tunc hæc vidit, quando à Phariſæorum communione eiectus fuit. Parat enim hominem Deo excipiendo fuga, quæ de impiorum conſortio fit. Ait D. D. Cyril. Cyril. Alex. lib. 6. in Ioan. cap. 20. *Phariſæi quidem illum prius cæcum eiiciebant, ſed Chriſtus eum ſuſcipiebat. Tunc magis meruit cognoſcere Chriſtum, cùm eiectus eſt de conſortio inimicorum Chriſti.* Hic primus gradus eſt, quo quis ſe Deo excipiendo aptat, nimirùm cum impiorum fugit conſuetudinem. Quod animaduertens Dei ſponſa Cant. 3. ait: *In lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni. Surgam,* &c. Cant.3. Vt dilectum inueniat, hoc proponit in primis, nempe: *Surgam.* A quo ſurges, ô bona, vt poſſis Deum repetire? Ait Philo Carpat. ibi: *A præteritis vitæ meæ actionibus ſurgam, à malorum conſuetudine diſcedam.* Et quidem hoc in primis faciat, qui Deo inueniendo ſeſe aptare procurat, totis viribus malorum conſortia fugiat. Hinc Pſalm. 6. *Diſcedite à me omnes, qui operamini* Pſal.6. *iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei:* Quæ verba expendens Eſychius, ait: *Cernis, quemadmodum Deus tunc preces, ac ſupplicationes noſtras illicò exaudiat, cùm ab operantibus iniquitatem, ſiue hominibus, ſiue cogitationibus abſceſſerimus?* Coniuncta hæc ſolent eſſe, vt malorum conſortia fugiamus, & Deo proximi fiamus, à quo facilè exaudiamur.

Exod. 10. Dixerũt autem ſerui Pharaonis ad eum: Vſquequò patiemur hoc ſcandalum? Dimitte homines, vt ſacrificẽt Domino Deo ſuo. Nónne vides, quòd perierit Ægyptus? Reuocauerúntque Moyſem, & Aaron ad Pharaonem. Qui dixit eis: Ite, ſacrificate Domino Deo veſtro. Quinam ſunt, qui ituri ſunt? Ait Moyſes: Cum paruulis noſtris, & ſenioribus pergemus, cum filiis, & filiabus, cum ouibus, & armentis. Eſt enim ſolemnitas Domini, &c.

§. V.

Nullum eſt aulicorum patrocinium niſi extortum vi terroris alicuius.

ECce ſerui Pharaonis Iſraëlitis patrocinantur apud Regem, ſed tunc patrocinantur, quando miris vexantur plagis. Quippe aiunt: *Quouſque tandem patiemur hoc ſcandalum? Dimitte homines, vt ſacrificent Domino Deo ſuo. Nónne vides, quòd perierit Ægyptus?* Non anteà ſuſcipiunt patrocinium miſerorum, quàm videant plagas, & ruinam ſuam. Sic omnium Palatinorum fert vſus, à quibus niſi vi extorqueas patrocinium, habebis nullum. Nouerat hoc ſciolus ille Abſalon, qui egens patrocinio Ioab apud Dauidem, cùm ſemel, & bis Ioab ad ſe non poſſet adducere, iubet ſeruis ſuis, vt ſegetes Ioab incenderent. Quid tunc? An iratus Ioab ſegetum ſuarum ruina factus eſt hoſtis Abſalonis? Minimè, quin potius ex tunc eius ſuſcipit patrocinium, ſic enim dicit 2. Reg. 14. *Surrexítque Ioab, & venit ad Abſalon in do-* 2. Reg. 14 *mum eius, & dixit: Quare ſuccenderunt ſerui tui ſegetem meam igni? Et reſpondit Abſalon ad Ioab: Miſi ad te obſecrans, vt venires ad me, & mitterem te ad Regem, & diceres ei: Quare veni de Geſſur? Melius mihi erat ibi eſſe; obſecro ergo, vt videam faciem Regis,* &c. *Ingreſſus itaque Ioab ad Regem, nuntiauit ei omnia, vocatúſque eſt Abſalon,* &c. Cùm obſecrabatur Ioab, deſpiciebat preces Abſalonis, vbi ſenſit ſegetis ruinam, venit ad Abſalonem, & quod magis mirere, eius ſuſcipit apud Regem patrocinium. Quis tale ſperaret de homine affecto iniuria? Sed eſt hoc ingenium aulicorum, quorum patrocinium tum ſolùm ſecurius habetur, cum vi extorquetur ab illis. Accipite modò duas cãtatiſſimas fœminas, quæ Iſraëlis ſuſceperunt patrocinium, Iudith vt audiuit afflictionem populi ſui, ipſa ex ſe vocat Presbyteros, & Principes populi, quibus perſuadet fiduciam in Deo ponere, deinde cap. 8. *Dixit illis Iudith, ſicut quod potui loqui, Dei eſſe cognoſcitis: ita quod facere diſpoſui, probate, ſi ex Deo eſt: & orate, vt firmum fiat,* &c. Sic mirãtibus Principibus ipſa ſeſe offert in populi defenſionẽ; vnum requirit, vt populi iuuetur orationibus ſupplicibus.

Æster.4. cibus. At Æster simul audiens populi periculum, & cunctatur, & recusat illius subire patrocinium. Tunc Mardochæus sic illam vrget cap.4. *Ne putes, quòd animam tuam tantùm liberes, quia in domo Regis es, præ cæteris Iudæis: si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Iudei; & tu & domus patris tui peribitis*, &c. *Rursum Æster hæc Mardochæo verba mandauit. Vade congrega omnes Iudæos, & orate pro me.* Vtraque orationes populi petit, vtraque meditatur populi patrocinium; sed iudith ipsa vocat, & vrget Principes, à nullo stimulatur, à nullo vrgetur. At Æster, non prius loqui pro populo satagit, quàm Mardochæi verbis feriatur, dum dicit illi. Caietan. *Tu & domus patris tui peribitis.* Vbi Caietan. ait: *Minæ sunt diuini iudicij imminentis, si tacuerit:* Et cur necessum fuit, quòd Mardochæus tantæ vrbis timorem Æsteri inferret, quando Iudith sine stimulo libens sumebat populi patrocinium? Ipse rationem ostendit, dum dicit illi: *In domo Regis est.* Erat enim Iudith priuata fœmina, & in priuata domo sua erat, & inde non dubitat in populi defensionem ire; at Æster regina erat in domo Regis consistens, ne miremur, quod nisi terrore immisso non extorqueatur eius patrocinium, tale enim est ingenium palatinis. Hinc Iesus meus aliquale patrocinium parans sibi in Regia Pilati, & terrores, & Matt.27 tormenta immittit, ait enim Matthæus cap.27. *Misit ad Pilatum vxor eius dicens: Nihil tibi, & iusto illi. Multa enim passa sum hodie per visum propter illum.* Vbi Euthymius ait: *Nec videt solum, sed & patiatur, hoc est tormento afficitur.* Et quidem Dominus Iesus suauitate, & benignitate sua genus fœmineum excipiebat, ex illóque non parua commoda ad vitam temporalem sustentandam capiebat. Cur cum vxore Pilati non suauitate, sed terroribus, sed tormentis agit, nisi quia nullis aliis palatinorum patrocinium extorqueatur? Qui ergo miser aliquid certum ab iis sperat, oret Deum vt illis aliquem inferat terrorem, tunc enim solùm sapiunt miseris patrocinari.

§. VI.

Vtinam ægrè feras te sine tuis sistere Deo.

ECce præstantiam virtutis in Moyse, ait enim: *Cum paruulis nostris, & senioribus pergemus, cum filiis, & filialibus, cum ouibus, & armentis. Est enim solemnitas Domini.* Et quidem vbi solemnitas Domini est, præclarè Naz. agit, qui non fert ibi sine suis omnibus esse. Cum Nazianzeni mater infideli viro esset copulata, id magnum de illa dicebat Nazian. orat. 19. *Nec propter incredibilem quamdam fidei magnitudinem, cum diuersæ religionis homine iugum ducere sustinebat, verùm hoc vnum æquo animo ferre non poterat, se dimidia tantum ex parte, ob segmenti sui auersionem, Deo copulari.* Expende, quod sibi intolerabile putabat fœmina religiosa, nimirùm, quòd non cum marito suo, cum consorte adstabat sacrificatura Deo, sed quod maritus in vitiis permaneret, dum ipsa curreret ad Dominum. Et sanctè, & piè hoc vnum ferre non poterat. Vtinam vniuersi patresfamilias, aut matres simili afficerentur dolore, nec ferrent esse auersos à Deo aut consortes, aut filios, aut famulos, dum ipsi se sistunt Domino. Nec dimidia tantum ex parte, sed cum omni domo sua sese Deo copulent. Hinc pa- Nazian. rentes suos inducit ipsi Nazianzen. lætantes in morte Cæsarij iunioris filij. Et cur moriente filio patres ad lætitiam currunt? Ait Nazian. orat. 10. *Vt præmisso filio, cui propter ætatis lubricum magis timebant, ita iam ipsi securo animo vitam claudant, & cum vniuersa domo ad superna transferantur.* Hic erat vnus piorum parentum timor, ne ipsi ex parte dimidia ad Deum irent, manente aliquo filio in incerto vitæ curriculo. Timebant, ne dum ipsi Deo apparerent, aliquis filius esset in vitiis, ideò cùm iuniorem vident in tuto, lætantur, quòd iam cum omni domo sua ad Deum ibunt. Et vtinam nullus parens sustineat coram Deo esse sine liberis. De filiis Iob dicitur cap.1. quòd septem essent, & tres Iob.1. filiæ, quòd inter se celebrarent conuiuia. Quid tunc? *Cúmque in Orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, consurgénsque diluculo offerebat holocausta.* Expende ordinem, non prius surgebat sacrificaturus bonus pater, quin filios conuiuantes admoneret, & sanctificaret. Turpe enim esset, quod pater esset multus in offerendo sacrificio, & filios relinqueret immundis vacare conuiuiis. Ait Orig. lib.1. in Iob. Orig. *Mittebat Iob, & mundabat illos: mittebat ad eos, qui impietatem admonerent, qui iustitiam instruerent, qui Dei timorem docerent, qui testificarentur Dei iudicium terribile. Sic & Iob primùm mundabat eos, & ita demum, pro eis hostiam offerebat.* Non sinebat bonus paterfamilias filios vacantes conuiuiis, vacantes luxui, & ipse solus ibat ad sacrificium; sed sacrificaturus, prius curabat, vt mundi, & sancti essent filij. Et quidem per hoc maximè apparet parens ea munditie pollere, qua dignè accedat ad sacrificium, si curet antea, vt & sint mundi filij. Paulus 1. ad Corinth. 11. monebat sacrificaturos: *Probet* 1.Cor.11 *autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat.* De Iobo autem dicitur: *Mittebat ad eos, & sanctificabat illos; consurgensque diluculò offerebat holocausta*, &c. Apostolus iubet, quòd sacrificaturus se ipsum probet ante sacrificium; Iob autem non dicitur se sanctificare, sed filios; cur non magis se mundat, se sanctificat? Sanè per hoc homo se intelligitur mundare ad sacrificium, quòd nec filios relinquit in immunditie. Ait Orig. lib.1. in Iob. *Primò* Orig. *mundabat, purificabat, sanctificabat filios, & ita demùm pro eis hostiam offerebat, vt cunctis in perpetuum ostenderet, quia mundi, casti, & sancti concederent sacrificia, vt sanctè, & dignè immolata, sanctè atque dignè à sancto accipiantur. Sic namque & Apostolus post hæc dicit: Probet se ipsum homo, hoc est, mundet semetipsum, & ita de sanctissimis sacrificiis fruatur.* Et meritò tunc intelligitur homo se mundare, & probare dignè ad sacrificia diuina, cum ante illa, nititur mundare, & sanctificare filios, ne sacrificante patre illi maneant immundi. Nunquam enim filiorum immundities non inuoluet parentes suos. Res patet in Heli filiis; Heli bonus Dei sacerdos, filij pessimi erant, Heli domi erat sollicitus pro Dei cultu; filij eius erant in prælio, Dei hostes, & inimici. Venit nuntius ad patrem, qui diceret in quam ruinam impulissent filios scelera sua, vt mortui concidissent. Quid tunc pater? Ait textus, 1. Reg. cap. 5. *Cecidit de sella* 1.Reg.5. *retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est.* Vbi pulchrè D. Proclus epist. ad Ioannem Antiochenum, fatur: *Senex in iuuenum tempestate naufragium passus est, pro quibus affectum non gubernauit increpatione.* Sanè dum tempestas excitatur in naui, propter transeuntes, nequit nauclerus etiam sapientissimus, & vigilantissimus non inuolui illa. Ita paterfamilias licèt ipse per se bonus sit, & optimus in naufragio filiorum vix potest non perire. Vnde, qui se in tuto asserere cupiat, dum ipse virtuti incumbit, non relinquat filios in vitiis.

§. VII.

Paterfamilias tunc Deo festum agit cùm totius familiæ gerit curam in Eucharistico cibo, in pauperum alimentis.

QVi Deo festum agere cupit, hoc efficiat, vt nec minimus familiæ suæ maneat festi expers. Sic enim cauet Moyses: *Cum paruulis nostris, & senioribus pergemus, cum filiis, & filialibus, cum ouibus, & armentis. Est enim solemnitas Domini*, &c. Quasi hoc pertineat ad festum, & solemnitatem gratam Domino, quòd nullus familiæ, nec pusio filius, nec filia, nec languidus senex, nec vilis seruus abstineat à festo. Huc spectabat lex Deut. cap.16. dicens: *Septem diebus Domi-* Deut.16

no Deo tuo feſta celebrabis, in loco quem elegerit Dominus. Orig. Quæ verba ſic Græcus apud Origenem conflat: *Septem diebus celebrabis diem feſtum Domino Deo tuo, & epulaberis tu, & filius tuus, & filia tua, & ſeruus tuus, & ancilla tua, & aduena, qui eſt in te, & egenus gentis tuæ.* Itaque nullus relinquitur, nullus excluditur ex iis, qui triuerint limina boni patrisfamilias, qui feſtũ non participet, vbi gratus Deo agitur feſtus dies. Ex quo monet Orig. lib. 1. in Iob: *Ita debemus etiam nos, ô amici, in diebus feſtis noſtris, atque in iucunditatibus, non ſolum hoc reſpicere, quomodo nos ſoli epulemur, atque iucundemur: ſed hoc præſertim debemus intendere, vt epulentur nobiſcum, & celebrent diem feſtum noſtrum ſerui noſtri, & ancillæ, & clientes noſtri, & egeni, & pauperes vniuerſi, & celebremus diẽ feſtum Domino Deo noſtro. Si enim celebrauerit tecum diem feſtum, & epulatus fuerit tecum ſeruus tuus, & ancilla tua, & pauperes, & egeni, pro certo ſcito, quòd Domino Deo tuo diem feſtum celebras.* Illa eſt profectò ſolemnitas Deo grata, ille dies feſtus gratiſſimus, quo paterfamilias non patitur abſtinere filios, nec ſeruos, nec ancillas ab epulis diuinis. Quando enim paterfamilias facit, vt filij, & ancillæ, & ſerui cœleſtibus gaudeant epulis, inſuper & aduenas, & pauperes adhibet menſæ ſuę, tunc feſtum, & ſolemnitatem agit Deo gratiſſimam. Non enim eſt Dei ſolemnitas in familia, in qua vel filius, vel ſeruus, vel quilibet alius abſtinet à feſtiuis epulis. 1. Cor. 11 Vnde Paulus ad Corinth. 1. cap. 11. ait. *Conuenientibus vobis in vnum iam non eſt Dominicam cœnam manducare. Vnuſquiſque ſuam cœnam præſumit ad manducandum, & alius quidem eſurit,* &c. Ecce tibi Corinthios conuenientes in Eccleſiam vt feſtos dies agerent, tam in Euchariſticis, quàm in tẽporalibus epulis ad dominicæ cœnæ exemplum, & eos pungit Apoſtolus, quòd longè abſint à feſto dominicæ cœnæ: *Non enim,* ait, *eſt dominicam cœnam manducare.* In quo iſti deficiebant à tanto dominicæ cœnæ feſto? Sanè in cœna dominica & Dominus, & omnes pariter diſcipuli accumbebant mẽſæ; nullus ibi ieiunus relinquebatur, nec filius, nec ſeruus, nec Iudas ipſe. In Corinthiorum autem menſa, lõgè aliter fiebat, vnuſquiſque ſeorſum relictis pluribus aliis ſibi faciebat epulum: quo nihil habebant de dominica menſa, nihil de Dei feſto. Chryſoſt. Ait D. Chryſoſt. homil. 27. *Non eſt dominicam cœnam manducare, ad illam eos noctem relegans, in qua admiranda myſteria Chriſtus tradidit: etenim illa cœna communiter omnes habuit incluſos. Atqui non tanta differentia eſt diuitum, & pauperum, quanta magiſtri, & diſcipulorum. Et quid dico magiſtri, & diſcipulorum? Cogita differentiam magiſtri, & proditoris. Veruntamen Magiſter cum diſcipulis accumbit, neque proditor eiectus, ſed ciborum factus eſt particeps. Inde interpretatur, quomodo non eſt dominicam cœnam manducare.* Ex eo, quòd aliquis relinquitur, vel non relinquitur, coniectare licet, quis celebret cœnam Domini: Vide in cœna Domini, in Paſchæ feſto, vt Dominus cum omni familia ſua, cum omnibus familiaribus ſuis nullo excepto, nullo relicto facit paſcha, facit cœleſte conuiuium. Et inde coniice, ſi tu facias paſcha Domini; ſi dũ tu cœleſti menſæ aſſides, facis, vt nullus ſit in domo tua, in familia tua, qui non aſſideat ſimul, dominicam cœnam manducans, verè facis paſcha Domino. Verùm ſi dum tu accumbis, tui abſunt; & te ſaturo eſuriunt famuli, eſuriunt egeni, procul dubio, id eſt iam non manducare dominicam cœnam.

Exod. 10. Et manè facto ventus vrens leuauit locuſtas, quæ aſcenderunt ſuper omnem terram Ægypti, & ſederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerunt, nec poſteà futuræ ſunt. Operuerúntque vniuerſam ſuperficiem terræ vaſtantes omnia. Deuorata eſt igitur herba terræ, & quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiſerat. Nihilque omnino virens relictum eſt in lignis, & in herbis terræ in cuncta Ægypto.

§. VIII.

Nil pulchrum non deſtruit adulatio.

ECce ſub vento vrente locuſtæ exurgunt, quæ vniuerſam Ægyptum fructibus, floribus, herbis nudant. Ait enim: *Operuerúntq; vniuerſam ſuperficiem terræ, vaſtames omnia. Deuorata eſt igitur herba terræ, & quidquid pomorum in arboribus fuit,* &c. Et quæ locuſtæ hæ, ſic ore potentes vaſtare omnia? Pulchrè D. Greg. D. Greg. lib. 31. Moral. c. 12. ait: *Locuſtarum nomine adulantium lingua ſignatur.* Et fallar, ſi quæ lingua peſtilentior ad vaſtandum, ad perdendum, quàm lingua adulantium. De Holopherne dicitur Iudith, cap. 2. *Profectus eſt ipſe, & omnis exercitus, cum quadrigis, & equitibus, & ſagittariis, qui operuerunt faciem terræ, ſicut locuſtæ.* Ecce ſagittarij iſti, vt operiunt terram, ſicut locuſtæ; quos miratus Tilmannus in Allegoris, ait: *Sagittarij Holofernis, id eſt, diaboli, ſunt adulatores. Lingua enim adulatoris ad modum locuſtæ totum virorem gratiæ depaſcit.* Nulla herba viret, nullus flos candet, nullus fructus relinquitur, vbi apparet adulatoris lingua. Quò expectat Prouerb. 27. aiens: *qui benedicit proximo ſuo voce grandi de nocte conſurgens, maledicenti ſimilis erit.* Prou 27. Quæ ſic expreſſiùs redduntur apud Tygurinam: *Laudanti proximum ſuũ magna voce, mane ſurgenti, reputabitur, ac ſi execratus eum fuiſſet.* Tygur. Sanè, vt quæ ſub execratione, & maledictione ſunt, ſolent arere, marceſcere; ſic quæ adulatoribus ſermonibus tanguntur, in maciem, & extremam ariditatem ibunt. Cui maximè conſonat Hierem. cap. 11. inquiens: *Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocauit Dominus nomen tuum: ad vocem loquelæ grandinis exarſit ignis in ea, & combuſta ſunt fruteta eius.* Hier. 11. Et quæ loquela grandis ſic vberem oliuam depaſta eſt, & redegit in cinerem, niſi adulatoris ſermo? Ait D. Greg. PP. hom. 21. in Ezech. *Vox grandis loquelæ eſt fauor adulantis. Ad vocem ergo loquelæ grandis exarſit ignis in ea, quia in magnitudine fauoris, flamma in corde accenditur de amore laudis. Sed omnia oliuæ fruteta comburuntur, quia ante omnipotentis Dei oculos, vel quæ benè geſta, vel quæ ſcienter ſunt dicta depereunt, cùm iam non amore Domini, ſed intentione tranſitoriæ laudis fiunt.* D. Greg. Sic ſermo adulatorius omnem virtutum virorem deſtruit, nihilque vigere ſinit. Et fallar, ſi qua lues peſtilentior, & plaga acerbior inueniatur ad pulchra quæque, & optima deuaſtanda. Apud Ezechielem cap. 34. quærebatur Dominus de paſtoribus, qui pinguiora occidebant, aiens: *Quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis.* Ezec. 34 Et quando paſtor Eccleſiæ occidet craſſiora, niſi quãdo diuites, & potentes laudãdo prædicat, quos, & ſecuriùs, & vtiliùs caperet? Ait D. Hieron. Hieron. *Quod dicit, quod craſſum eſt, occidebatis, de diuitibus loquitur, quos mali paſtores in Eccleſiis iugulare narrantur, dum eos prædicant, & vitia eorũ increpare non audent.* Equidẽ præſentiſſimũ malum eſt adulatorũ laudatio, quæ poſſit celſiſſima quæq; in ruinã trahere. Id optimè calebat vafer ille tentator, de quo ait Matth. cap. 4. *Tunc aſſumpſit eum Diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſupra pinnaculum templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorſum, ſcriptum eſt enim, quia Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te.* Matt. 4. Non vtcunque præcipitium ſuadebat, ſed illud præcipitium à quo liberaretur Angelorum manibus. Petebat námque tentator, quòd Ieſus ſpectante populo ſeſe daret Angelorum manibus ſuſtentandum, vt ſic deſcenderet à templi pinnaculo. Et quid hoc intereſſet Sathanę? Quod Diaboli lucrum eſſet, quòd Ieſus Angelorum manibus ſuſtentatus videretur à populo? Non enim tunc populus magis

Ieſu

Ieſu virtutem laudaret? Nónne totus quantus erat populus, magnis illum proſequeretur laudibus? Quid hoc lucri afferret Diabolo, quòd exoneretur clamoribus laudantium? Equidem multum inde lucrum ſperabat Diabolus, ſciens laudum humanarum venena, quæ floridiſſima quęque aut perire, aut marceſcere faciunt.

Cyprian. Ait D. Cypr. ſer. de ieiunio, & tentat. Saluatoris, fatus: *Experientia Diabolus didicerat, & in multis probauerat vitiorum victores ſæpe nugis laudantium corruptos, & cognatum, propinquúmque eſſe malum virtutibus adulationem, nec facile quemquam poſſe euadere, quin libenter aſſentatorum canticis porrigat aures, & laudatorum modulationibus dilectetur. Hoc generale malum in humano genere Satham putabat ſuggere Saluatori, vt popularibus laudibus vellet attolli, ſi vectoribus Angelis ſuſtentatus ſe Filium Dei comprobaret. Huiuſmodi conſiliis filios hominum corrumpere conſueuerat.* Nec miror, quòd Sathan adulationis telum potiſſimum æſtimet ad corrumpendum quando Ieſus nullum tanta violentia repellit

Ioan 8. Ioan. cap. 8. *Dixerunt Iudæi. Nónne benedicimus nos quia Samaritanus es, & dæmonium habes? Reſpondit Ieſus: Ego dæmonium non habeo.* Quis mitior in reſpondendo ad

Matt 21. contumelias? Sed Matth. 21. accedunt Phariſæi dicentes: *Magiſter volumus à te ſignum videre. Qui reſpondens, ait illis: Generatio mala, & adultera,* &c. Quid ſeuerius? Cùm dæmoniacus vocatur, mitis reſpondet, cùm

Chryſoſt. magiſter prædicatur, & habetur, tunc durus, tunc ſeuerus. Et quæ huius ratio? Chryſ. hom. 44. in Matth. ait: *Cùm illi aſperè, atque contumelioſè interrogant, iucundiùs, atque humiliùs reſpondet: cùm verò aſſententur, tunc non mediocri vtitur acrimonia. Veluti enim nulla ira concitatur, eodem nunc modo adulationibus non delinitur.* Acris ſit, & acerbus in adulatores, quiſquis velit non deliniri adulationibus.

Exod. 10. Quamobrem feſtinus Pharao vocauit Moyſem, & Aaron, & dixit eis: Peccaui in Dominum Deum veſtrum, & in vos. Sed nunc dimittite peccatum mihi, etiam hac vice, & rogate Dominum Deũ veſtrum, vt auferat à me mortem iſtam. Egreſſúſque eſt Moyſes de de conſpectu Pharaonis, & orauit Dominum. Qui flare fecit ventum ab occidente vehementiſſimum, & arreptam locuſtam proiecit, &c.

§. IX.

Prius peccatis tollendis incumbat, qui mala temporalia pellere nititur.

SApit in hoc tyrannus barbariſſimus, qui dum optat morte moleſtiſſimâ tollere, nihil prius curat, quàm ſe peccatis eximere. Quippe ait: *Peccaui in Dominum veſtrum. Sed nunc dimittite peccatum mihi, & rogate Dominum veſtrum, vt auferat a me mortem iſtam.* Non antea agit de auferenda plaga, quàm de peccatis auferendis. Quid ſapientius? Vtinam ab hoc barbaro diſcerent vniuerſi ægri, atque afflicti, prius cogitare de tollendis peccatis, quàm de tollenda ægritudine. Ecce ti-

Ioan. 11. bi Ioan. 11 Lazarum, & ægrum, & defunctum, quem vt liberaret à morte, venit Ieſus, inuenítque ſorores eius flentes: *Ieſus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit ſpiritu, & turbauit ſe ipſum, & dixit. Vbi poſuiſtis eum? Dicũt ei, Domine, veni, & vide. Et lacrymatus eſt Ieſus.* Ad quid tot lacrymæ, tot gemitus, tot turbationes Ieſus? Veni Domine, vt Lazarum mortis plaga eripias, cur antea lacrymaris? Cur antea fles! Cur non magis feſtinas, vt amicum ſuſcites? Cur cunctaris in lacrymis effundendis prius,

D. Amb. quam morti, & ægritudini imperes? Sapienter D. Amb. lib. de Ioſeph, cap. 10. inquit: *Turbatus eſt autem, ſicut habes in Euangelio, quia turbauit ſe ſpiritu cùm Lazarum reſuſcitaret, & ibi fleuit, vt prius lacrymis ſui mortui delicta leuaret.* Exſufflaturus Dominus mortem, & ægritudinem ab amico, hoc in primis curat, vt eius exſufflet culpas, nos inde docens diligentiam primam, & efficaciſſimam pro malis temporalibus abigendis in eo eſte ſitam, quòd curemus ablui à culpis, & delictis.

Matt. 8. Matth. 8. dicit: *Veſpere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & eiiciebat ſpiritus verbo, & omnes malè habentes curauit, vt adimpleretur, quod dictum eſt per Iſaiam prophetam dicentem. Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras portauit.* Chryſoſt. Theophil. Euthim. & communiter Patres putant Iſaiam ibi locutum fuiſſe de infirmitatibus, & ægritudinibus animæ, nimirùm de peccatis. Quomodo ergo Matth. dicit verba Iſaiæ impleta in curatione corporalium infirmitatum? Erat equidem hoc in Chriſti curationibus commune, vt primus Chriſti conatus, & principalis eſſet circa tollenda peccata; nec vnquam ad mala corporis abigenda proceſſit, quin antea ſpectaret ablationem peccati. Vnde quod de peccatis auferendis dixerat Iſaias, præclarè adimplebatur in depulſione corporalium infirmitatum. Quò ſpectans D. Baſil. in regul.

D. Baſil 177. ait: *Scripũ eſt languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, quod eos, in quibus hæc erant curauerit: etiam, hoc in loco pœnitentiæ modus, & ratio conuenit.* Expende, quo loco putet ſanctus Doctor explicari pœnitentiæ rationem, nimirùm loco, quo explicantur corporales curationes, quæ vt certius fiant, prius per

Luc. 5. pœnitentiam fiat abolitio peccatorum. Hinc Luc. c. 5. paralitici hominis ſanitatem procurabant nonnulli extorquere à Domino: *Quorum fidem vt vidit: dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua.* Quid ais, Domine? Illi non meminerunt hominis ſcelera, ſed paralyſis morbum. Cur tu nihil locutus de morbo ante omnia, ſcelerum illius facis remiſſionem? Cur non magis dicis, eripitur tibi morbus quàm remittuntur peccata? Vt vera, & firma ſit morbi curatio, ſapientiſſimus medicus nil prius facit, quàm ab eius anima tollere peccata.

D. Amb. Ita D. Amb. lib. 5. in Luc. fatur: *Vt verè paralytici iſtius corpus credamus eſſe ſanatum, cognoſce tamen interioris hominis ſanitatem, cui peccata donantur.* Hæc peccatorum abolitio, animæque ſalus præcedens oſtendit veram, & firmam futuram corporis ſanitatem.

§. X.

Vel imperfectus Dei timor diſponit hominem ad diuina beneficia excipienda.

SVb ſupplicio tremẽs Pharao verbis peccati ſui dolorem publicat, & Moyſes ſtatim illi miſericordiam impertitur: *Egreſſus eſt Moyſes de conſpectu Pharaonis, & orauit Dominum. Qui flare fecit,* &c. Sanè non perfectè pœnituerat hominem impium; ſed ſolo pœnæ horrore coactus parua illa verba pœnitudinis dixerat, cur ergo tam promptus Deus illi accurrit, & plagam tollit locuſtæ? Tantum ne apud Deum valet, vel imperfectus, vel ſeruilis timor in homine peccatore exiſtens? Equidem peccator licèt ſis, dum aliqualem Dei timorem, etſi imperfectum, exhibeas, iam inde diſponeris, vt multa ex Deo conſequaris beneficia. Veneficus, & peſſimus erat Balaam, qui mercede conductus dũ iret maledicturus Iſraëlitas, aperuit Dominus oculos eius, & vidit ex aduerſo Angelum Dei cum euaginato gladio minitantem duriſſima. Sub quo periculo attonitus peruenit ad Regem Balac, iubet aras ſtrui, quæ Regi placeant, quantum eſt ex ſe locuturus. Sed dum hæc aguntur Numer. 23. ait textus: *Dominus autem poſuit verbum in ore eius, & ait,* &c. Quantum hoc? In ore malefici hominis, in ore impij, & peruerſiſſimi Dominus ſuũ verbum ponit? Cur non magis caues, Deus, fœtidũ, & ſpurcum os, maledicentia plenum? Pulchrè ad hæc

Num. 23 Procop. ait Procop. in Gloſſa: *Animus illi apparatus eſt, metu enim apparitionum adornatus fuerat.* Nec miror, quòd vbi timoris etſi imperfectiſſimi præceſſerat ornatus,

diuinorum beneficiorum capax fieret. Qui enim Dei timor in homine exiſtens eum capacem non reddit beneficij diuini excipiendi? Hinc Gen 7. *Factum eſt diluuium quadraginta diebus ſuper terram.* Cur non breuiori tempore tãtum malum claudebatur? Nónne poſſet Deus, vel vnico diluuij die terram ſubmergere? Cur rem per quadraginta dies amat differre? Ait D. Chryſ. hom. 24. ibi: *Quid? Non erat ei poſſibile, vt vno die totam pluuiam induceret? Quid, inquam, vno die? Vno momento poſſet: ſed hoc dedita opera facit volens ſimul, & timorem incutere, & occaſionem præſtare, qua poſſent pœnam, quæ in foribus eſt, effugere.* Expende illud: *Et timorẽ incutere, & occaſionem præſtare.* &c. Namque in quo timor Dei incuſſus eſſet, non poterat, non eſſe occaſio, qua aliquod Dei beneficium reciperetur. Sic Iudæi multo flagello contriti dicunt Iſaiæ c. 26. *Sic Facti ſumus a facie tua, Domine. Concepimus, & quaſi parturiuimus, & peperimus ſpiritum.* Vbi Septuag. in rem noſtrã: *Propter timorem tuum, Domine, in vtero accepimus, & parturiuimus, & peperimus ſpiritum ſalutis tuæ.* Ex quo Theodor. in cat. Græca in Pentateuchum, ait: *Oſtendit vtilitatem, quæ ex minis Dei percipitur. Accipientes enim timorem tuum, velut bonum ſemen, & hunc in vtero geſtãtes, opportuno tempore ſalutem reportabimus.* Eſt ſemper timor Dei in animis noſtris bonum ſemen, cui ſi adoleſcere liceat, non debito, quin nos approximet Deo. Hinc Matth. 8. dum coorta tempeſtate nauicula Apoſtolorum operiretur fluctibus: *Acceſſerunt ad Ieſum, & ſuſcitauerunt eum, dicentes: Domine, ſalua nos, perimus.* Vbi ait D. Baſil. Sel. orat. 22. *O timorem naturæ magiſtrũ! O periculum, quo docetur, vbi ſalutis ſit anchora! O mare exanimatos metu diſcipulos præceptori reconcilians!* Sic ſanctus vir extollit pericula, quæ Dei incutiunt metum, ex quo habemus ad Deum acceſſum, & ſecuritatem in Deo. Vnde monet Naziazen. orat. 40. *Dum ſecundo vento nauigas, naufragium time, & tutior à naufragio eris, adiutorem, & ſocium tibi timorem aſciſcens.* Sic tibi.

Gen. 7. Chryſoſt. Iſaiæ 26. Theodor. Matt. 8. Baſil. Sel. Nazian.

Exod. 10. Dixit autem Dominus ad Moyſem: Extende manum tuam in cœlum, & ſint tenebræ ſuper terram Ægypti tam denſæ, vt palpari queant. Extenditque Moyſes manum in cœlum, & factæ ſunt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Ægypti. Tribus diebus nemo vidit fratrem ſuum, nec mouit ſe de loco in quo erat, &c.

§. XI.

Repentina calamitas intolerabilior.

INter vniuerſas Ægypti calamitates hæc tenebrarũ calamitas non denunciatur Pharaoni, ait enim textus: *Dixit Dominus ad Moyſem: Extende manum tuam ad cœlum, & ſint tenebræ.* Non iubet, vt in aliis, quod antea dicat Pharaoni de tenebris immittendis, ſed iubet, vt ſine admonitione illas quàm primùm adducat. Non iam Deus remiſſionem parabat in pœnis, ſed augmentum, quod maximum fit ex eo, quod calamitas veniat improuiſa, & repentina. Sic 1. Reg. 31. dicitur de Dauide: *Cum ergo veniſſet Dauid, & viri eius in ciuitatẽ, & inueniſſent eam ſuccenſam igni, & vxores ſuas, & filios ſuos, & filias ductas eſſe captiuas. Leuauerunt Dauid, & populus, qui erat cum eo, voces ſuas, & planxerunt, donec deficerent.* Mirabar, quod virum bellatorem malis aſſuetum ſic opprimeret calamitas illa. Quem nec vrſi, nec leones, nec Philiſthæus, nec crebra Saulis iniuria minimè inflexerunt, quomodo potuit modo in lacrymas inflecti, & ſuſpiria? Vnde calamitas iſta ſic mollefecit lapideum aduersùs calamitates virum? Venit hæc illi prorſus inopinata, & repentina, vnde non miror, quod omnibus eſſet intolerabilior. Ait D. Chryſ. lib. 3. de Prouid. in Gloſſa: *Dauid percuſſus verbis ſatrapa rum receſſit mœrens, ac domum rediens tanta mala, tot clades offendit, vt penè mœrore ſuffocaretur: Ex inſperato enim ſuperuenientia, duplo, quam erant, grauiora videbantur, neque iam tollerabilia. Iuerat enim ille quaſi quieturus domi, mœroris prætendit conſolationem inuenturus vxores, ſcilicet, ac liberos: cùm repentè audiuit illos in ſeruitium ab hoſtibus abductos, hauſitque oculos, ignem famum, ſanguinẽ, cadauera. Triſtitia, & metu iuſti huius perturbantibus animum, tempeſtas maxima, tumultúſque harum paſſionum inerat.* Vides, vt inopinata, & repentina calamitas valuit robuſtiſſimum Dauidis pectus infringere; Equidem intolerabilia ſunt mala, quæ repentè ingruunt. Hinc Ieſus noſcens Iudæorum rabiem in diſcipulos ſuos, & cupiens ire, vt Lazarum ſuſciraret in vitam, ait Ioan. 11. *Eamus in Iudæam.* Non alibi monuit Dominus diſcipulos de profectione ſua in aliquod oppidum, aut prouinciam. Cur modò nõ aripit iter, quin præmoneat diſcipulos? Erat prouincia illis dura, & periculorũ plena, ideò voluit illos præmonere de profectione, ne ſi ſubitò ſe viderent ire in pericula, animo caderent, & affligerentur nimis. Ait D. Baſil. Sel orat. 40. *Cur cum nuſquam profectionem prædicat, nunc prædicit: Ne repentè totos exterminaret. Dicunt enim; cùm ibi paulo antea ageres, quærebant te lapidare.* Cauit Dominus ne repẽtina, & inopinata afflictio ſuos opprimeret; eum enim eorum ob oculos eſſet. Iudæorũ durities, & rabies, ſi non præmoniti inter illos ſe viderent, non debito, quin conſternationem paterentur nimiam: quod cauens bonus magiſter, illis prædicit difficultatem ſuſcipiendi itineris. Adeò enim potens eſt ſubita, & inopinata calamitas ad coſternandos animos, vt hinc maximè extollatur Iobi ſanctiſſimi robur, quod non opprimeretur ſubitis, & filiorum, & rerum omnium caſibus. Dum enim ipſe in domo ſua floreret, venit, qui renunciaret ruinam ouium, & qui ruinam armentorum renunciaret, & qui filios, filiáſque ſubita tempeſtate ſublatas ediceret. Tunc Iob c. 1. *Corruens in terram adorauit: & dixit: Nudus egreſſus ſum,* &c. Quanta hæc fortitudo in ſubitis caſibus? Ait Didymus in cat. Græca: *Prorſus animaduertendum eſt, quemadmodum quæ repentè contigerunt, vel ex ipſa renunciatione pondus, atque ad ſummam animi moleſtiam vim habeant. Verum etſi propter ſubitum caſum perturbare Iobi mentem hæc poterant, nequaquam tamen iuſtum permouerunt.* Hæc ibi, vt videas, quantum ad infringenda corda valeat ſubita calamitas.

1. Reg. 31. Chryſoſt. Ioan. 11. Baſil. Sel. Iob. 2. Didym.

§. XII.

Splendores mundiales obſcuriſſimis immergunt tenebris ſuos cultores.

QVid aliud meterent Ægyptij ſplendentium mundi bonorum amatores, quàm tenebras? Sic ait: *Sint tenebræ ſuper omnem terram Ægypti tam denſæ, vt palpari queant.* Sic mundi amatoribus, ſic ſplendentium mundi bonorum coltoribus tenebræ gignuntur palpapiles. Ex Amos c. 5. ait Actorum cap. 7. *Nunquid victimas, & hoſtias obtuliſtis mihi annis quadraginta in deſerto, domus Iſraël? Et ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch, & Sydus Dei veſtri Rempham.* Colebant miſeri Molochi ſtatuam regia corona illuſtrem, pellucidis lapillis inſtar Luciferi pullucentem, in quo monſtrabantur ſplendidiſſimum colere Luciferi aſtrum. Sed illud notandum, quòd Sydus iſtud ab Iſraëlitis cultum, vocatur *Rempham, ſiue Ræpham*, quod nomen idem eſt, ac *obtenebratio.* Et quid tenebræ cum fulgenti, & pellucido Sydere? Cur non magis illud vocant illuminationem, quàm obtenebrationem? Non poſſunt cultores ſplendorum mundialium negare qualem fructum ab illis capiant, qui ſemper eſt obtenebratio, & obſcuratio. Quippe ait D. Cyril. Alex. in c. 5. Amos: *Portarunt igitur tabernaculũ Moloch, hoc eſt, Regis noſtri. Qualis autem iſte Rex? Aſtrũ Dei noſtri Ræpham, id eſt obtenebratio,* &

Act. 7. 4. Cyr. Ale.

& excæcatio. Porrò Luciferũ adorabant; veruntamen adorantibus factus est Repham, id est, obtenebratio, & obcæcatio. Non quasi astrum in illis operatiũ sit tenebras; sed quod illis cultus illius obtenebrationis causa extiterit. Et quando cultus splẽdorum mundialium tenebras obscurissimas non pariat alumnis suis? Proh miser homo, quò magis inhias splendoribus terrenis, eò in obscuriores, densioréque tenebras te præcipitas! Id experiebantur, qui
Isa. 59. dicebant Isaiæ c. 59. *Expectauimus lucem, & ecce tenebræ splendorem, & in tenebris ambulauimus. Palpauimus sicut cæci, & quasi absque oculis attrectauimus.* Ecce tibi lucis expectatores, nihil aliud metunt, nisi tenebras, & caliginem, & cæcitatem. Et quam lucem expectabant? Ait
Hu. Car. Hugo Card. *Expectauimus lucem, id est, nobis promisimus longam prosperitatem in terra.* ne miremur, quòd terrenis splendoribus inhiantes tenebras metant, & obscurissimam cæcitatem, quam frequentissimè mundiales splendores pariunt.

§. XIII.

Non parum castigatur peccator, si quæ animo habet, in corpore patiatur.

QVi omni veritatis luce carebant Ægyptij ad tenebras adducuntur palpabiles, ait enim: *Factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti. Tribus diebus nemo vidit fratrem suum.* Et quæ hæc pœna? Sanè nihil nouum effectum est, sed quæ erat in eorum animis obtenebratio, qua nec virtutem videbant, nec agnoscebant Israëlitas fratres; ea extrinsecùs in corpore posita est, qua vehementer castigabantur. Ait Orig.
Lyppom. apud Lyppoman. *Noua plaga tenebræ sunt, vt mentis eorum cæcitas arguatur.* Et crede mihi in eo vehementissimè peccator castigatur, si quæ mente gerit ipse, extrinsecùs patiatur: si tenebræ, & cæcitates animi, dum incumbit peccatis, in corpore appareant. Quod & sæ-
Act. 13. pè facit Deus in impiorum plagis. Sic Actor. 13. cùm Magus Elymas resisteret prædicationi D. Pauli, in illum Apostolus iratus ait: *Et nunc, ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns Solem vsque ad tempus. Et cecidit in eum caligo, & tenebræ.* Vnde in hunc miserum caligo, & tenebræ ceciderunt, nisi quod ex eius animo in corpus deuenit extrinsecùs, quæ intrinsecùs caligo erat? Sic pulchrè cecinit Arator lib. 2. in Acta.

Tunc nubila vultum
Cæruleis fixere notis, & pectoris atri
Venit in ora color.

Hæc fuit miseri Magi pœna, quod obscuritas mentis eius, sub qua viuebat, & sese opponebat veritati lucidissimæ, extrinsecùs prodiit, & eius apparuit in vultu. Nec dubium, quin durissimè castigarentur peccatores, si interni animæ morbi sentirentur extrinsecùs in corpora venire. Sic dum cruci Dominus adhæret, dicit
Matt 27 Matth. 27. *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram.* Meritò vniuersa terra, quas ignorantiæ tenebras in mente habebat, exteriùs perpessa est.
Sim. Cas. Ait enim Simon de Cassia apud Palacios: *Dantur tenebræ mundo ignoranti, quia mundus eum non cognouit.* Ecce de obscurato mundi corde procedunt tenebræ, quibus suffunditur in morte Saluatoris.

§. XIV.

Vehementer tenebrescit ille, qui in fratres, & proximos crudelis est.

QVæ maior caligo, & obscuritas, quàm quæ tenet hominem crudelem in fratres? De Ægyptiis dicitur in præsenti: *Factæ sunt tenebræ horribiles in Ægypto. Tribus diebus nemo vidit fratrem.* Ecce vnde expendatur terribilitas tenebrarum Ægyptiarum, nimirùm: *Quòd tribus diebus nemo vidit fratrem.* Quid tenebrosius? Equidem illi in summis tenebris ambulant, qui malè affecti sunt ad proximos, & fratres. Quò spectans Rupert. apud Lyppom. ait: *Hæc tenebrarum horribilium dẽsitas rectè Ægyptiis illata est. Ægyptij nánque nomine dicuntur, & re, scilicet odio filiorum Israël oculi eorum fuerant obtenebrati.* *Rupert.* Quibus erat odium tam crudele aduersùs proximos Israëlitas, non miror, quòd & in densissimis tenebris essent. Sic Psal. 135. clamabat immanissimus tyrannus: *Collocauit me in obscuris sicut mortuos sæculi.* *Psal. 135* Obscuritatem tenebrosam in se sentiebat, qua immobilis velut mortuus apparebat. Et quæ hæc obscuritas tenebrosa erat, nisi eius in fratres crudelitas? Ait D. Chrysost. ibi: *Non vides pauperes quotidie clamãtes, & eiulantes à nemine tamen audiri? Quare non audiunt? Quoniam collocauit eos Diabolus in obscuris sicut mortuos sæculi. Quod enim sunt aliis tenebræ, & mortis affectio, hoc est eis inhumanitas.* *Chrysost.* Et meritò inhumanitas in proximos tenebrosa hominis affectio vocatur. Quid enim aliud potest esse in homine sine affectione, & charitate, quàm tenebræ densissimæ, quàm caligo magna? Hinc Iudæi clamabant Isaiæ cap. 59. *Expectauimus lucem, & ecce tenebræ splendorem, & in tenebris ambulamus.* *Isa. 59.* Et quidem in tenebris ambulant, qui exuunt animo fraternam affectionem, & nihil meditantur, nisi crudelitatem. Ex quo D. Cyril. Alex. in Nahun, cap. 1. *Cyr Al.* ait: *Facti sunt etiam in tenebris Iudæi, & diuini luminis omnino expertes, fatui, & cæci permanent infœlices. Et quoniam sine affectione, & indomiti erant, idcircò ait Propheta: Expectantibus illis lucem, factæ sunt illis tenebræ, præstolantes lucem in tenebris ambularunt.* Expende illud: *Quoniam sine affectione*, &c. Quippè dum affectionis, & charitatis fraternæ experres erant, non poterant non in tenebris esse. Res enim est tenebrosa, & caligine plena, quod non mansuetudinem, sed duritiem, sed rigores ostentes. Ait Dominus Exod. 19. *Veniam ad te* *Exod 19.* *in caligine nubis, vt audiat me populus*, &c. Sed Matt. 17. vbi Iesus in Tabor erat cum discipulis suis, ait: *Ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Illic caliginosa, hîc lucida nubes obumbrat, quia illic rigores, & seueritates in Dei hostes ostendebantur, hîc omnia erant suauia, & mansueta. Ait D. Chrysost. hom. 57. in Matth. *Quando* *Chrysost.* *minatur, tenebrosam ostendit, quemadmodum in Sina; intrauit enim in nubem, & in caliginem Moyses. Et Propheta de inimicis eius differens, ait: Tenebrosa aqua in nubibus aëris. Hîc verò, quia non terrere, sed docere volebat, lucida nebula videtur.* Vbi mansuetudo, ibi lux: vbi rigoris durities, ibi caligo, & tenebræ. Quò spectant dicta tom. 3. in Euang. lib. 14. cap. 18. §. 8. à medio.

Exod. 10. Vocauítque Pharao Moysem, & Aaron, & dixit eis: Ite, sacrificate Domino: Oues autem vestræ, & armenta remaneant, paruuli vestri eant vobiscum. Ait Moyses: Hostias quoque, & holocausta dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro. Cuncti greges pergent nobiscum, non remanebit ex eis vngula, quæ necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri, præsertim cùm ignoremus, quid debeat immolari, donec ad ipsum locum perueniamus. Indurauit Dominus, &c.

§. XV.

Durissima hominis afflictio est, quod bonis vacuetur, & impleatur filiis.

VIde crudelissimam Pharaonis in Israëlitas condescendentiam, quippe ait: *Ite, sacrificate Domino: Oues autem vestræ, & armenta remaneant, paruuli vestri eant vobiscum.* Permittit illos filiorum examinibus plenos abire, sed sine ouibus, sine armentis, in quibus tota illorum substantia consistebat. Quid crudelius? Fallar, si feriissimus hostis aliud durius excogitarit aduersùs Hebræos, quàm cùm illos cum filiis esse iuber,

& sine armentis, sine vlla substantia rerum. Hanc dutitiem nouit Diabolus, qui expugnaturus Iobum cap. 1. primùm oues, armenta, & vniuersam eius substantiá consumit, postremò filios eius perdit: *Domus corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* Hæc postrema scena tragœdiæ, in qua filij vniuersi mactantur. Prius oues, boues, asini, cameli, & segetes, postremò filij ruinæ dantur. Cur prius armenta & bonorum omnium substantia tollitur, nisi ad summam afflictionem patris dum se bonis omnibus vacuatum, & filiis adhuc plenum consideraret? Hinc Iobi certamina extollit D. Hieronymus *Hieron.* suprà præstantissimi viri Iuliani certamina. Sic enim ait epist. ad Iulian. *Audio te in breui tempore duas virgunculas filias iunctis penè extulisse funeribus, & pudicissimam, ac fidissimam coniugem tuam Faustinam, in qua post amissos liberos quiescebas, subita tibi dormitione subtractam. Consecuta rei familiaris damna: vastationem totius barbaro hoste prouinciæ, & in communi de populatione priuatas possessionum tuarum ruinas, abactos armentorum, pecorúmque greges, vinctos, occisósque seruos. Hic est cathalogus tentationum tuarum, hæc cum Iuliano tyrunculo Christi pugna hostis antiqui. Quæ si ad te respicias, grandia sunt; Si ad bellatorem fortissimum, ludus, & vmbra certaminum. Beato Iob,* &c. Expende quæso, quàm pares proponantur Iuliani, & Iobi certamina, & quàm superior exprimatur Iob suprà Iulianum. Vterque oues, boues, rem familiarem, seruos, & filios amisit: & in tanta ruina, támque pari certamine, Iulianus tyrunculus vocatur, & Iob fortissimus habetur prælior. An non Iulianus oues, boues, omnem substantiam, & filios dicitur amisisse, velut Iob? Cur ergo certamen Iuliani dicitur non certamen, sed certaminis vmbra, & ludus? Amisit equidem Iulianus eadem, quæ Iob amisit, sed diuerso ordine; nam Iob prius amisit bona, quàm liberos, vt se sine bonis, & cum liberis decem posset prospicere, quod ad summam afflictionem maximè conduceret: at Iulianus prius amisit filias, vxorem; & postmodùm bona amisit, nec ad momentum se vidit cum filiis, & sine bonis, ex quo adeò eius imminuebatur afflictio, vt comparata ad Iobi afflictionem, dici posset vmbra, & ludus. Tantùm equidem creuit in homine afflictio, vbi se videt vacuatum bonis, & plenum liberis. Meri- *Chrysost.* tò de Diaboli astu in Iob dicebat D. Chrysost. homil. 1. *Quo enim per liberos totaliter plecteret, primùm cœpit substantiam perdere: primùm cœpit hæreditaria bona viuis hæredibus arripere. quo filiis, filiabúsque existentibus, per iumentorum amissionem lethale accipiat iustus mœstitiæ vulnus.* Nescio, an sit vulnus magis lethale homini ingenuo, quàm bonorum defectus, vbi filij abundant. Sic *Gen. 21.* Genes. 21. dimisit Abraham ancillam vnà cum Ismaële filio, & ait textus: *Quæ cum abiisset, errabat in Bersabee. Cúmque consumpta esset aqua in vtre, abiecit puerum subter vnam arborem, quæ ibi erat. Et abiit.* &c. Dum aqua durauit, non passa est à se filium disiungere, vbi aqua defecit, statim filium abiicit, & ipsa longè ab illo fit. Cur mulier in aquæ penuria sic abiicis filium? Cur non magis illum tibi adiungis, vt saltim soletur in matre, qui non habebat, vnde extingueret sitim? Sanè disrumpebatur doloribus videns vtrem vacuum, & maternum sinum occupatum sustinendo filio. Quippè ait *Chrysost.* Chrysost. ibi: *Cùm aqua consumpta nullam vsquam inueniret consolationem, abiecit puerum subter vnam abietem. Disrumpebantur eius viscera, & dolebat multum ob immodicam erga puerum affectionem.* Quo magis filium amabat, eo vehementiùs dolebat, ita vt disrumperetur habens secum illum cum omnimoda alimenti penu- *Ier. 2.* ria. Hinc Ierem. Thren. 2. ponderat ingentem Iudæorum calamitatem, cum qua nulla alia comparari potest. Ait enim: *Matribus suis dixerunt filij, vbi est triticum, & vinum? Cum deficerent, quasi vulnerati in plateis ciuitatis, cùm exalarent animas suas, in sinu matrum suarum. Cui comparabo te? Vel cui assimilabo te filia Ierusalem?* Non equidem est comparabilis cum aliis calamitatibus, vt quæ omnes aliàs longè superet vna hęc calamitas, quod patribus bona, & alimenta desint, & abundent filiorum examina clamantia pro panibus. Hinc Psal. 127. non antea filios optat iusto, quàm & co- *Psal. 127* piosam mensam panis: *Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Et simul filij, & mensa farta pro benedictonibus datur. Nec Iob cap. 29. aliter amat filios *Iob. 29.* exoptare; sic enim ait: *Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, quando erat omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei.* Nicetas explicat: *Cùm mihi materies diuitiarum suppetebat:* Tunc enim solùm filij sunt grati in circuitu patris; vbi enim bona deficiunt, potius augent calamitatem.

§. XVI.

Nil prætermittat ex iis, quæ ad Deum spectant, qui sibi diuinas promissiones amat certas habere.

BOnus diuinarum promissionum assertor, nihil, vel minimum prætermittendum putat ex iis, quæ ad Deum pertinent; ait enim: *Cuncti greges pergent nobiscum, non remanebit eis vngula, quæ necessaria sunt in cultum Domini,* &c. O vocem exactissimi Dei serui, omnia officia implentis, & omnes promissiones recipientis! Conueniant huc quicunque magna ex Deo excipere contendunt, & sciant tunc sibi omnia euentura certò, cùm nihil omiserint ex iis, quæ ad Deum pertinent. Non remaneat, vel vngula ex eis, quæ necessaria sunt ad cultum Domini, & nil tibi non veniet, ex iis, quæ promissa à Deo fuerint. Quæ omnia tunc integra obtinebis, cùm omnia tua officia impleueris. Abrahamæ promissa fuerat in Isaac longissima nepotum clarissimorum posteritas; sed & requisitum ab illo fuerat, quòd Isaac in holocaustum Domino offerret. Quid tunc senex? De nocte consurgit Genes. 22. filium exci- *Gen. 22.* tat, & cum filio pergit in montem, ligna parat, aram struit, ignem apponit, filium ligat, gladium exerit, & iamiam percussurus voce Angeli cohibetur dicentis: *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi, & multiplicabo semẽ tuum sicut stellas.* Ecce firmantur Abrahamo promissiones diuinæ: ecce vt illi datur filius ex quo lucidissimi nepotes auo fiant. Sed cur mireř? Omnia ad holocaustum pertinẽtia fuerat in filio executus, nihil prætermiserat, vnde sibi meruit impleri promissiones diuinas. Pulchrè aiebat Diu. Aug. apud Lypp. *Parce Abraham, inquit Angelus, paricida sine crimine parce. Ego, quod iusseram, vt obtulisses, accepi. In vsto probaui, quod in facto tenui. Acceptaui votum, nec repuli sacrificium. Perfecta sunt omnia, & salua sunt vniuersa.* Quid pulchrius? Pondera semel, & ter illam auream sententiam, nimirũ: *Perfecta sunt omnia, & salua sunt vniuersa*: vbi nullo relicto omnia holocausti perfecit, saluas sibi omnes diuinas promissiones asseruit. Sic amat Deus à suis omnia officia virtutis cõpleri, vt nullũ prætermittant. Hinc Iudic. c. 2. ait: *Abierũt filij* *Iudic. 2.* *Israël vnusquisq; in possessionẽ suam, vt obtinerent eã seruierúntque Domino cunctis diebus eius.* Orig. legit: *Seruie-* *Orig.* *rúntque Domino cunctis diebus Iesu.* Expende illud: *Cunctis diebus Iesu.* Nullus enim Iesu dies, nulla Iesu virtus prætermittẽda est illi, qui gratũ amat Deo prębere officium. Ait Orig. ho. 1. in Iudic. *In his omnibus diebus Iesu Domino seruies. Nõ vult Scriptura sancta, vt aliquas virtutes habeas, & alias negligas, sed vt omnibus his virtutibus adornatus, & in earum actibus positus Deo seruias.* Nihil prorsus remittendum est ex his, quæ ad Dei possunt spectare seruitium. Nec minimus actus virtutum contemnendus est, sed vel minima omnia perficiat, qui ad Deum festinat. Hoc tibi persuade, quòd nihil tuum reserues, ex quo non nitaris aliquod seruitium Deo prębere. Habes Luc. 7. Magdalenam, quæ afferens *Luc. 7.* alabastrum

alabaſtrum vnguenti, & ſtans retro Ieſum : *Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguẽto vngebat.* Sed & Matth. 26. dicitur de illa : *Acceſſit ad Ieſum mulier habens alabaſtrum vnguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis.* Quid tunc? Ait ibi Ieſus : *Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mũdo, dicetur, quod hæc fecerit in memoriam eius.* Apud Lucam vnguento vngebat Magdalena, & non audit, quod facinus ſuum prædicabitur in toto mundo; quod audit apud Matthæũ. Et cur potius à Matthæo dicitur, quod Magdalenæ facinus prædicabitur? Nónne, & vtrobique vnguentum pretioſum offerebat? Cur, & vtrobique non ei ad æqualem commendationem cedit? In primo dicitur, quòd afferens alabaſtrum, de eius vnguento vngebat Domini pedes, non explicatur ibi, quòd non remaneret in vaſe aliquid vnguenti: at in ſecundo plena totius vnguenti effuſio notatur. *Effudit* enim, quidquid in vaſe erat, nihil ibi relinquens, nihil, nec guttã reſeruans, quæ in Dei obſequium non effunderetur. Quod facinus præ illi maiorem commendationem, & prædicationem meruit. Vnde Origen. homil. 35. in in Matth. *De muliere ſecundùm Lucam non eſt dictum: Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo, dicetur, quod fecit hæc in memoriã eius. De muliere autem ſecundum Matthæum hoc ſcriptum eſt. Iuſtum enim erat, non de illa, quæ vnxerat pedes, ſed de hac, quæ vnguentum effuderat ſuper caput eius, dici: Vbicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mũdo, dicetur, quod fecit hæc in memoriam eius.* Inſignis enim commendatio illud facinus ſpectare debebat, quo ſic totum vnguenti vas effunderet in Dei obſequium; vt nec minima pars illius in vaſe remaneret. Huc trahe dicta ſuprà tom. 1. lib. 2. cap. 1. §. 29.

Matt. 26

Orig.

Exod. 10. Dixit Pharao ad Moyſem : Recede à me, & caue, ne vltra videas faciem meam. Quocunque die apparueris mihi, morieris. Reſpondit Moyſes : Ita fiat, vt locutus es : non videbo vltrà faciem tuam.

Exod. 11. Et exiuit à Pharaone iratus nimis.

§. XVII.

Quæ à ſanctis in peccatores venient execrationes timendæ ſunt, vt quæ impleri ſoleant.

NOn ait Moyſes ad Pharaonem : *Ita faciam, vt locutus es*, ſed, *ita fiat*, quaſi imprecans tyranno malum, quod ipſe ſibi volebat, ne amplius placabilis in Regiam propheta veniret. Et vt Moyſes imprecatur, ſic prorſus euenit, non amplius Pharao vidit Moyſem ad ſalutem, ſed iam iam periturus illum vidit. Tremẽdæ equidem ſunt imprecationes, & execrationes, quæ à ſanctis veniunt, vt peccatores percutiant. Sic 4. Reg. 1. ait Elias ad quinquagenarium: *Deſcendat ignis de cœlo, & deuoret te. Deſcendit itaque ignis*, &c. Et ibi capit. 4. vidit Eliſæus pueros irridentes, *& maledixit eis in nomine Domini : egreſſique ſunt duo vrſi*, &c. Sic Petrus Actor. 5. ad Saphiram: *Ecce pedes eorum, qui ſepelierunt virum tuum ad oſtium, & efferent te*: & ita factum eſt, Act. 13. Paul. Actor. 13. ad Magum: *Eris cæcus, non videns Solem vſque ad tempus. Et confeſtim cecidit ſuper eum cãligo.* Athan. Quid pluta? Ait ad hæc diuus Athanaſius apud Anaſtaſ. Nicenum, qu. 75. *Vides quemadmodum Deus ſuos honorans famulos, exaudit famulos, exaudit preces eorum, & execrationem. Facit enim eorum voluntatem, & exaudit eorum orationem.* Execrationes à iuſtis prolatæ in malos, à Deo ſtatim ſolent executioni mandari. Nec raro quidquid iuſtus imprecatur, Deus operatur. Ex quo Eccl. 4. aiebat Eccleſiaſticus cap. 4. *Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius, exaudiet autem eum, qui fecit illum.* Miratur forſan Theologus hoc aſſertum, quòd dicatur Deus gratas præbere aures maledicentibus, execrantibus. Et qualiter Deo poteſt eſſe grata maledictio, & execratio? Sanè, ſi maledictio à iuſto virtutis zelo extorta ſit, ea grata eſt Deo, & quàm primùm executioni mandatur. Huc Carthuſ. in præſenti: *Oratio pauperis imprecantis tibi ex zelo iuſtitiæ mala pœnalia, per quæ corrigaris in hac vita, exaudietur à Domino.* Sic efficax eſt iuſtorum execratio, exequente Domino quicquid petunt ſancti aduersùs eos, qui nolunt recedere à peccatis. Vt meritò dicat D. Athanaſ. vbi ſuprà: *Sic ergo ſancti, bonis quidem hominibus, & piis ſunt luminaria, & ſalutares, vt Dominus dicit ad eos, vos eſtis lux mundi, & ſal terræ. Sceleratis autem, & iniquis, exicioſi, & conciliantes ſupplicium. Sicut Sol ſanos quidem oculos illuminat, imbecillos autem obſcurat, & facit caligare.* Sic ibi.

Carthuſ.

Athan.

§. XVIII.

Diuinorum contemptus à manſuetiſſimis quibuſque iram trahit.

QVis Moyſe manſuetior? De illo tamen dicitur : *Exiuit à Pharaone iratus nimis.* Solet enim contemptus diuinorum manſuetiſſimos quoſque ad iram prouocare. Petrus Actor. 5. poſt percuſſum Ananiam Actor. 5. ait etiam ad eius vxorem: *Ecce pedes eorum, qui ſepelierunt virum tuum ad oſtium, & efferent te.* Quid ſeuerius? Vt ſceleratos videt Petrus alioquin manſuetus ſtatim illos internecioni tradidit. Vnde tanta ſeueritas in Petro? Oecumenius ait: *Nouit contemptus diuinorum eum quoque in iram incendere, qui ab ira alienus.* Non nouum eſt, quòd vel manſuetiſſimos, & ab omni ira alienos in iram trahat diuinorum contemptus. Puer erat Dauid paſtoritiis curis innutritus, nullam arenam, nullam pugnam viderat, verum vbi audit blaſphemum Philiſthæũ totus arma, bella, mortéſq; aſpirat, ãtque 1. Regũ 17. *Nunc vadam, & auferam opprobrium populi*, &c. Nunc vadam, ait paſtor, qui nil nouerat niſi paſtorales cantilenas, qui nil viderat niſi inſtrumenta pacis, qui adhuc puer erat, quietus, & manſuetus ex corde. Quid puero cum bellis, cum rixis? Pulchrè D. Baſil. Seleuc. ait orat. 15. *Dum Deo contumelia dicitur, ecquis in pugnã non armetur?* Et quidem vel pacis ſtudioſiſſimum diuinorum contemptus trahet in rixas. Phinees Sacerdos erat & Sacerdotis filius, & vt Sacerdos, ſic ſola meditabatur pacifica, ſolam ſpectabat populi ſalutem. Dum tamen nefandum ſtuprum committitur à Zambri arrepto pugione ſcortatores occidit. Num. 25. *Arrepto pugione ingreſſus eſt poſt virum Iſraëlitem in lupanar, & perfodit ambos.* Quid pugio cum Sacerdote? Quid cum Leuita homicidium? Sacerdotium manſuetudinis, & placabilitatis eſt index; ſed Dei contemptus etiam pacatiſſimos trahit in rixas. D. Baſil. Magnus ſerm. de Ira, fatur: *Phinees mitis, ac manſuetus, exiſtens poſtquam ſtuprum Sambri, & ſcorti Madianitidis vidit, adeóque impudenter admiſſum, vt nec tam turpe ſpectaculum occultari vellent, minimè tam indignum ſpectaculum paſſus, ira, vt oportebat, vſus, protinus vtrumque trucidauit:* Sic iuſta ira rapiuntur etiam manſuetiſſimi, vbi in Deum apparet iniuria.

Eaſ. Sel.

Num. 25

D. Baſil.

CAPVT IX.

Primogenitorum Ægyptiorum mors.

Textus Hiſtoria.

EXtremam Ægyptiorum plagam diuinitùs inſpirata ſacra antecedunt, quæ vt Ægyptiis exitium, ſic Iſraëlitis monſtrant incolumitatem. Dies decimaquarta menſis Niſan, vergente Sole ad occaſum, conſtituta ſacris erat: hoſtia, ſiue agnus, ſiue hœdus à decima

ma eiuſdem menſis die comparatus, omni carens labe, ab omni ſpurcitia mundus, vnius non excedens ætatis annum. Cùm lucebat decimus dies, à ſingulis familiis ſinguli agnelli quærebantur, ſi familia numeroſa erat, ipſa abſumebat ſacrum; ſin minus ex commodiſſima æde euocabantur, qui ſufficerent edendis agninis carnibus. Lectas victimas excipit decimæquartæ diei veſper, qui Solem habet ſeſe in occaſum præcipitantem: & ſuperueniens paterfamilias qua decet Sacerdotem munditie Deo facit. Confeſtim iugulato agno pellis detrahitur, inteſtina dantur aquis, vt poſt lotioné torreri poſſint, nam ſanctas carnes vel lixari, vel non perfectè aſſas eſſe, nefas habebatur. Tunc manu hyſopi ramum tenent, victimæ cruore aſperſus luſtralibus vndis fores irrorat, acceperant enim efficacis eſſe tutelæ, ſi agni cruor ſupremis domus liminibus eſſet impoſitus. Poſtquam ritè paritis agnis cum capite, & pedibus & inteſtinis, prunæ ardentes ſubiectæ erant, menſa adornatur ſuccis lactucarum aggreſtium amaris, panibus azymis, qui per ſeptem dies appoſiti, vt feſtinatum diſceſſum, & captiuitatis ærumnas repræſentarent. Adſunt conuiuæ nitentes baculis, aptè præcincti, ſimiles profecturis; qui ſic feſtinatò vorant carnes agni, vt oſſibus omnino parcant. Nullus de Iſraëlitica plebe excluditur; alienigenas omnes conuiuium arcet, pluréſq; libertas vicina, quàm agni eſus acciebat ad ſacrũ.

Interea procedens nox Iſraëlitarũ ſpes fouet, Ægyptios in ſomnum relaxat, cùm ſubitò diſcurrentiũ hominum fremitus tota vrbe percrebuit. Horrendis inſomniis excitati ſentire incipiunt Ægyptij ſpicula inſolentiſſimæ cladis; & eo terribilior erat, quòd inter ipſas tenebras clarius per omnes domos graſſabatur. Ob oculos parentũ primogeniti filij neci dantur; nulla domus, nec Regis aula vitat percuſſoris telum, niſi cuius limina ſacri pecoris ſanguine purpuraſcunt. Videres rem miram; qui apud Ægyptios ſic ſitit ſanguinem, vt omnes primogenitos mactet; apud Iſraëlitas vnius agniculi cruore exſaciatus, nulli infert damnum. Sic iam ediſcebat diuinæ iuſtitiæ rigor exſaciari immaculato ſanguine. Nec mora, aſtiterunt à Pharaone ſerui ad Moyſis fores, qui eum à Rege vocari admonerent. Conſurgit alacer, & vt erat præcinctus, tot ictibus emollito occurrit tyranno. Nec diu ſubſtitit; iubebat Rex, iubebant tumultuariè purpurati, quàm primùm Iſraëlitarum profectionem parari, omnia illorum aſportari, nihil relinqui, quod poſſet tantam ſuſtentare cladem. Accedebãt Ægyptij omnes, qui multis rogabant, imò extorquebãt profectionis celeritatẽ; adeò vt poſtulantibus confeſtim cõmodarent pretioſa quæque vaſa argenti, & auri, pretioſas etiam veſtes, & ornatus, quib. feſtos Domino dies Iſraëlitæ celebrarẽt.

PARS VNICA.

Moralis circa textus literam.

EST ſumus in Dei paſchate, ſiue tranſitu; ſic neceſſum eſt, vt nos tranſeamus, ſi tantæ cladis, & ſalutis exemplo poſſimus & carnis primogenita iugulare, & animæ ſalutem comparare.

Exod. 12. Decima die mẽſis huius tollat vnuſquiſque agnũ per familias, & domos ſuas. Sin autẽ minor eſt numerus, vt ſufficere poſſit ad veſcẽdum agnum, aſſumat vicinum ſuum, qui coniunctus eſt domui eius, iuxta numerum animarum, quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni.

§. I.

Quæ à Deo in nos veniunt in hac vita micæ ſunt, & guttæ reſpectu eorum, quæ in cœlo manent.

VT totus quantus erat Chriſtus nobis datus exprimeretur, agnũ proponi lex iubet: ſic enim inquit: *Tollat vnuſquiſque agnum per domos, & familias ſuas.* Adumbrabatur in agno Chriſtus, vt concors eſt omniũ ſanctorum ſententia. Et cur in agno Chriſtus? Quando Chriſti bona, & præcellentiæ adeò magnæ ſunt, & diuinæ, & ſuper omnem creaturarũ captum, cur in paruo agnello præſignantur? Sanè, qui infinitæ magnitudinis eſt, vt paruus agnellus nobis in præſenti proponitur, vt ſciamus parua eſſe omnia, quæ in hac lacrymarum valle ad nos è Ieſu veniunt, reſpectu eorũ, quæ nos in cœlo manent. Huc ſpectat illa ſponſi diuini vox Cant. 5. *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea; quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Expende, quæ prætendat Dominus, vt ab ſponſa ſuſcipiatur, nimirùm ait: *Caput meum plenum eſt rore, & cincinni guttis.* Solas guttulas roris prætendis, & vis, vt tibi oſtium aperiatur? Cur ſolas guttulas memoras? Abundãtiùs Pſ. 35. vbi ait: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Hîc torrẽs, ibi gutta datur, cur non magis ſemper torrens inundat? Cur, qui torrentes habet, guttas porrigit? Torrentes ſunt in patria; verùm in hoc ſæculo gutta eſt, mica eſt parua, quam ex Deo percipere poſſunt ſancti. Sic Nyſſen. hom. 11. in Cant. *Non poteſt enim fieri, vt qui ingreſſus fuerit adyta eorum, quæ vires humanas ſuperant, nec cadunt ſub contemplationem, deueniat ad imbrem aliquem, aut torrentem cognitionis: ſed præclarè cum eo agetur, ſi quibuſdam exilibus cognitionibus irroret eum veritas. Quarum vnuſquiſque, quantum capere poteſt, hauriens ex occultis theſauris, nobis quidem fiunt fluuij pleni aquis. Si rei autem ſpectetur veritas, ſunt guttæ roris.* Planè gutta eſt, quæ de cœleſti theſauro huc ad nos venit. In cœlo potabimur voluptatum torrente; in hac valle miſeriæ magnum eſt, ſi paruis guttulis implemur.

Cant. 5.

Pſal. 35.

Nyſſ.

§. II.

Maxima creaturarum vix, vni homini ſufficiunt, Ieſus autem omnibus ſufficit.

SIngulæ familiæ ſingulos agnos tollere iubentur, cùm dicit: *Tollat vnuſquiſque agnum per familias*, &c. Vt enim plures erant liberandi, ſic plures agni apponebantur pro illis, quando pro vniuerſo mundo vnus erat agnus apponendus, nempe Chriſtus. Et cur ſimiliter non ſolus vnus agnus apponebatur pro toto populo Iſraëlitico? Poſſet & vnius agniculi eſſe hoſtia, & vnius agniculi ſanguine omnia Iſraëlitarum limina poſſent intingi, quando vel minima quæque tinctura ſufficeret Angelis pro indemnitatis ſigno. Cur ergo tot agni quæruntur, ad quid tanta agnorum multitudo, vt ſinguli agni reſpondeant ſingulis familiis? Summebantur ij agni de creaturarum paſcuis, quarum maxima nec vni ſufficiunt, verùm ille agnus à montibus æternis deſcendens, & vnus, & ſimplex, infinitis licèt hominibus ſufficit. Ait D. Gaudent. tract. 2. in Exod. *In vmbra illius legalis paſchæ non vnus agnus occidebatur, ſed plures. Singuli enim occidebantur per domos, nam ſufficere vnus non poterat vniuerſis. In hac veritate, qua ſumus, vnus pro omnibus mortuus eſt: & idem per ſingulas Eccleſiarum domos in miſterio panis, ac vini, reficit immolatus, viuificat creditus, conſecratus ſanctificat conſecratos. Hæc agni caro; hic ſanguis eſt.* Non equidem quæ à creaturis veniunt, & ſi plura, & ſi maxima, & præſtantiſſima ſint, ſufficiunt vel vni. Ille, qui à Deo venit, & Deus eſt, agnus vnus cùm ſit, & omnes implet, & pro omnibus liberandis, ditandiſque ſufficit. Hæc agni caro eſt, quæ pro toto expoſita mundo, pro toto abundat. Vt Iſaac à morte liberaretur Gen. 22. *Leuauit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio.* Itaque non agnus, ſed aries oſtenditur Abrahamo offerendus pro filio; & aries oblatus vnum Iſaacum liberat. Sed Ioan. 1. de Ieſu ait: *Ecce agnus Dei, ecce*

Gaud.

Gen. 22.

qui

qui tollit peccatum mundi. Pro vno Isaac aries proponitur, & vnus agnus pro toto mundo. Et quidem quæ à creaturis sunt,& si magna, vix vni sufficiunt; cùm diuinus agnellus & vnus, & paruus totum Orbem refe-
D. Ephr. rat in salutem. Quò spectans D.Ephræm ser.de Abrah. fatur: *Aries in virgulto Sabec suspensus mysticè solum liberauit Isaac: at agnus Dei in cruce suspensus mundum à morte,& inferno liberauit.* Caue homo creaturas,quæ & si videantur bonis affluere,vix vni sufficiunt,& si alius venerit, vacuus apud illas remanebit. In hoc diuinissimo agno Iesu non vnus,aut alius,sed vniuersi,qui venerint omnia integra habebunt. Celebris est apud Ioannem c.4.probatica piscina, quæ iuxta probaticæ ethymologiam ouis dicebatur: huius aquam mouebat quãdoque Angelus,& sanatiua virtute implebat. Quid tunc? *Qui prior descendebat in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat.* Ecce tota illa aquarum sanatiuarum commotio per Angelum facta in vno stagnabatur, si post hunc alius accedebat,& infirmus manebat,& mi-
D.Tho. serabilis. Ex quo sapienter D. Thom.in cat. ait: *Nunc autem vnusquisque accedere potest, non enim Angelus est, qui turbat aquã,sed Angelorum Dominus,qui omnia operatur: sed & si Orbis terrarum vniuersus veniat, gratia non consumitur, sed similis manet.* Vbi diuinissimus agnus est, qui operatur, nescit in vno stagnari, sed ita abundat,vt licèt Orbis vniuersus accedat, non redibit vacuus; potẽs est enim noster agnus vniuersos satiare.

§. III.

Primæua nuditas,& infirmitas tollitur sub sacris epulis.

NOn de lignis,vt in paradiso,sed de gregibus vitales escas Deus parari præcipit. Quippe ait: *Tollat vnusquisque agnum.* Cur non magis pomum de vitali arbore iubet decerpi? Cur vt in paradiso viuidas arbores non proponit, sed magis amat agnum de grege? Sanè in nullo aptius,quàm in agno nuditas,& infirmitas sub arbore contracta ostenditur tollenda. Ex quo
Naz. Naz. orat.2.in Pasc.ait: *Quo circa agnus quidem accipitur, propter innocentiam veterisque nuditatis indumentũ: talis enim est victima pro nobis cæsa, quæ incorruptionis indumentum, vt re vera est, appellatur.* Fortè inuenire possemus in aliis,vnde infirmitati nostræ cõsuleremus per esum; in aliis vnde consuleremus nuditati per indumentum; qui simul esum,& indumentum præbeat solus agnus est. Meritò ergo sub figura agni monstratur nobis in ferculo, qui & esum contra infirmitatem, & contra nuditatem immortale prębeat indumentum.
Psal. 64. Hieron. Quò forsan respiciens Psal. 64. ait: *Induti sunt arietes ouiũ,& valles abundabunt frumento.* Prima legit D.Hier. *Vestientur greges agnis*; & consequenter ex Hebræo ponitur: *Et valles vestientur frumento.* Ecce tibi,& frumentum,& agnus,qui vestiant nos,qui aduersùs nuditatem offerant vestimenta. Nec amplius desinit nos dubitare Arnobius,de quo agno,siue de quo frumento gloriosè homo vestietur, quippe ibi ait: *Et conualles abundabunt frumento corporis Christi. Quod quando accipient, clamabunt arietes, & oues simul hymnum dicentes Christo Filio Dei.* Fœlix Ecclesia,in qua & agnus est,& frumentum est, nempe Christus Filius Dei, de cuius
Baruch. mensa,& humana infirmitas excludetur,& nuditas vestietur. Huc traho verba Baruch c. 5. *Exue te Ierusalem stola luctus,& vexationis tuæ,& indue te decore,& honore eius,quæ à Deo tibi est sempiterna gloria. Circundato te diploide à Deo iustitiæ, & impone mitram capiti tuo honoris æterni. Deus enim ostendet splendorem suum in te, qui sub cœlo est.* Sanè ostendit propheta Ierusalem renouatã, multóque splendore,multáque gloria vestitam; ne amplius vlla appareat nuditas in ea. Quam ornatus pompam à Deo venisse asserit, qui glorioso splendore suos alumnos vestit. Sed qui Deus tam splendentia vestimẽta dedit? Accipite argutissimam notionem Dei suos vestientis,nimirùm: *Qui sub cœlo est*; quippe Deus, qui sub cœlo est,est Deus sub panis,& vini speciebus,iuxta quam speciem minimè in cœlo est. Proh fœlix homo, qui ad hunc Deum accedis,qui sub frumenti speciebus est, sub quibus non est in cœlo, sed sub cœlo est,sed apud nos est, fallar,nisi inde fœdam nuditatem abieceris, candidissimáque stola vestieris, qua inter glorioso cœli ciues possis apparere. Ad hæc sunt trahenda dicta tom. 3.in Euang.lib. 14.c.10.§.30.

§. IV.

Misericordia in pauperes maxima dispositio est ad carnem Christi sumendam.

IN tanti agni epulo,id Deus satagit,vt nos faciat pauperum recordari. Quippe ait: *Assumat vicinum,* &c. Totúmque agni epulum plenum est excitatiuis misericordiæ in pauperes. Id, quod notans Theodoretus fa-
Theod. tur: *Iussit tot ad esum agni conuenire, quantum satis esset, vt fraternum amorem, atque erga pauperes misericordiam illos doceret. Ob id hortatur,vt quæ superfuerint, comburantur, neque in crastinum diem conseruentur, vt hac ratione cogeret Iudæos, vt ad festi diei communionem egentes conuocarent.* Sic tota agni mẽsa plena erat eis cæremoniis,quæ agni conuiuas impellerent in misericordiam pauperum. Nec miror,quando ad diuinissimi agni epulum, nulla virtute morali magis aptatur homo, quàm si pauperũ impleatur charitate. Cantatissima est Abra-
Gen. 18. hami historia ex Gen.18. vbi tribus peregrinis occurrit, & vt notat Paulus, tres videns,vnum adorauit. Vnum equidem è tribus Filium Dei agnouit,quem vt susciperet,& conuiuium, & hospitium peregrinis parat, Saram monet de aptandis panibus, de mensa instruenda: *Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum,* &c. Agnitum Filium Dei ad tabernaculi ostium relinquit, & ipse per se vadit, vt vitulum afferat peregrinis cibandis. Cur non magis Filio Dei excipiendo adstat? Cur à tanto domino auellitur,vt rem faciat,quam poterant famuli præstare? Equidem sciebat bonus Abrahamus tunc perfectè parari, vt diuinissimum exciperet agnum, si per se escas
Chrysost. peregrinis aptaret. Pulchrè D.Chrys. hom. de Ioannis decollat.ait: *Abraham in aduentu Angelorum festinauit ad boues,& tulit vitulum,vt acciperet agnum.* Quid pulchrius? Erat, qui excipiebatur, agnus Dei, qui tollit mundi peccatum, erat agnus Dei pro mundo sacrificandus, erat agnus ab origine mundi occisus, penes quem erat solutio signaculorum,& Scripturarum. Vt autem tantum agnum intra suam domum susciperet Abrahamus, nihil diligentius curauit, quàm adducto vitulo mensam peregrinis parare: *Tulit vitulum,vt acciperet agnum.* Sic de appositio cibo pauperibus, optimè præparamur,vt agnum diuinissimum intra mentis nostræ domum excipiamus. Apud Lucam c.19. Zachæus
Luc. 19. publicanus excepit in domo sua Iesum. Quid tunc? *Et cùm viderent,omnes murmurabant,dicentes: quod ad hominem peccatorem diuertisset. Stans autem Zachæus dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine,do pauperibus,*&c. Murmurant Pharisæi de eo,quòd Iesus apud notissimum peccatorem maneret, & tantæ murmurationi quid respondet Euangelista? Vnum illis obiicit Zachæum ipsum dicentem: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus*; dum enim quis ostenditur pauperibus benignus iniuriosè censetur indignus ad susciendum Christum. Pro quo Diuus Laurent. Nouarien. hom. de Pœnit. fatur: *In-*
Laur. *dignantur quidem,& imputare conantur, quòd Dominus ad peccatorem diuerterit. Sed quid Dominus ad eos? Amen dico vobis, quod hodie salus facta est domui Zachæi, eò quod sit filius Abrahæ. Non audistis, quid dixit? Dimidium substãtiæ meæ do pauperibus. Nõ vidistis,quia publicanus est factus indigẽtium præsul,& homo forensis meruit esse filius Abrahæ?* Equidem vbi pauperum curator

Zachæus ostenditur, immeritò non censetur dignus diuinissimi agni recipiendi, quem ille indignè recipit, qui à pauperum compassione est alienus. Vt illi aptem illud Amos c.6. *Væ, qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis*, &c. *Qui comeditis agnum de grege. Qui canitis ad vocem psalterij: sicut Dauid putauerunt se habere vasa cantici. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super contritionem Ioseph.* Ecce malum hominum reproborum, cùm multi sint in psalmis, in esu diuinissimi agni, in pauperum, & afflictorum compassione, & amore prorsus nulli sũt. Quos spectabat Dominus apud Mat. 23. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis, quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam*, &c. D. Gaudent. tract. 2. in Exod. legit: *Et relinquitis, quæ fortiora sunt*, &c. Itaque miseri Pharisæi relictis misericordiæ operibus, quæ sunt inter fortiora legis, multi erant in aliis adimplendis, quo æterno væ digni erant.

Amos 6.

Mat. 23.

Exod. 12. Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus. Iuxta quem ritum tolletis, & hoc dum, & seruabitis eum vsque ad quartam decimam diem mensis huius, immolabítque eum vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam.

§. V.

Iesus immolatus nobis suæ matris patrocinium acquisiuit, vt saluari possimus.

IMmaculatus agnus, & *masculus, & anniculus* immolandus proponitur, anniculus, inquam, nimirùm, qui ad aliquos dies primi anni pertineat. Sed non in omnibus diebus primi anni aptus est agnus, vt immoletur, ait enim Exod. 22. *Septem diebus sit cum matre sua: die octaua reddes illum mihi.* Et Leuitic. 22. *Septem diebus erunt sub vberibus matris suæ; die autem octaua, & deinceps offerri poterunt Domino.* Itaque tunc solùm licebat agnum Deo litari, cùm prius per septem saltem dies vberibus matris esset infixus, nec nisi de septiduo matris conuictu agnus aliquis fiebat victima. Et cur nisi de vberibus matris per septiduũ hausti agnus permittebatur ad aras venire. Exprimebatur ibi diuinissimus agnus Iesus, qui in oblatione sua nobis matris suæ lac, matris suæ acquisiuit patrocinium, quo possemus viuere. Ex quo aiebat D. Zeno lib. 3. ser. 30. *Primus vos non aries, sed agnus excepit, qui vestram nuditatem velleris sui noueo candore vestiuit; qui suum lac beatum hiatibus vestris labris indulgenter infundit:* Ecce tibi cur agnus, cur ab vberibus matris veniat in sacrificium? Vt dum nos excipit agnus, suum lac beatum, quod ipse de matre hausit, nostris labris instillet. Non nisi lacte materno potus diuinissimus agnus aras subit; vt & nos de seruitute accipiat, & quod de matre hausit, nobis tribuat. Pergis, diuine Agne, ad victimã, qua homines de morte eripias in viam, & pergis materno lacte potus, vt idipsum maternum lac, nempe maternum amorem, maternum patrocinium, nobis acquiras, nobis præbeas tua vescentibus pretiosa carne. Hinc Ioann. 19. vbi iam agnus diuinus erat in cruce immolatus, dicitur: *Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cùm vidisset ergo Iesus matrẽ, & discipulum stantem, quẽ diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.* Cur non magis fœminam fœminis cõmendat? Cur relictis mulieribus placuit matrem cõmendare Ioanni? Sanè vt non fœminæ, sed Ioannes vnà cum Iesu mysticum absumpserat agnum, ibique immaculati agni præsumpserat sanguinem, sic & diuinissimus agnus Ioanni applicuit singulariter fauorem, & patrocinium matris. Ait Arnoldus Carnotens. tractatu in hæc verba: *Discipulus, qui in cœna dominica cer-*

Exod 22. Luc. 22.

C. Zeno.

Ioan. 19.

Arnold.

nical sibi in pectore magistri aptauit ecce iterum alio priuilegio honoratur, & post illud reclinatorium in quo viderat: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, officina illa, in qua Verbum caro factum est, diligenter à filio ei commendatur. Vices filij naturalis filius accipit adoptiuus. Ecce tibi à cœna agni veniens Ioannes vt maternum fauorem ex agno accipit, qui amato discipulo vbera, id est, matris parrocinium pandit. Nescit diuinissimus agnus de matris vberibus lac haurire, quin simul illo cæteros homines sibi adhærentes alat. Quò spectat illud Cant. 4. ad Mariam dictum; *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis.* Duo vbera habebat Dei mater, vt cæteræ matres habent: sed hoc mirum, quòd illorum lacte duo dicantur hinnuli, duo filij ali. Nónne Mariæ vnicus filius erat? Nõne vnicus agnus pependit ab vberibus tantæ matris? Vnde ergo duo agni dicuntur illius lacte potari? Equidem vnicus erat agnus Mariæ matri, sed qui eo ipso, quòd eius sugebat vbera, cæteros omnes sibi adhærentes faciebat virgineis fauoribus abundare. Ait Guilliel. Abbas apud Delrium. *Sicut matris viscera sibi Iesus sanctificauerat, quibus vnicus portaretur, sic etiam materna sibi sanctificauit vbera, quibus vnicus aleretur. Porro eo ipso, quod Maria sibi magnum illum hinnulum corporaliter genuit; duos sibi hinnulos spiritualiter adoptauit. Siquidem per hoc, quod facta est Verbi mater corporalis, facta est membrorum eius mater spiritualis: per hoc quod caput nostrum secundùm carnem concepit, membra eius lacte pietatis alenda suscepit.* Ecce tibi vt diuinissimus agnus in matre fecit & sibi & nobis lac pietatis abundare. Fœlix, qui huic agno concorporalis fit, & per fidem, & per Eucharistiæ cibum: fallar, nisi inde habeat materno pietatis lacte, & patrocinio in vitam sustentari.

Cant. 4.

Guilliel.

§. VI.

Temporis prærogatiua parui momenti est apud Deum & cordatos viros.

QVi in aliis præstantiarum generibus summa requirebat ab agno suo, in genere temporis, & antiquitatis minima requisiuit. Quippe ait: *Erit auiẽ agnus, absque macula, masculus, anniculus.* In præstantia puritatis summum est, quod omni, vel minima labe careat; in vigore naturæ illud etiam est præstantissimum, quod in sexu masculo intelligitur. Verum in genere antiquitatis, & temporis, quidquid claudi potest intra vnius anni curriculum, non dubito, quin sit è minimis. Cur ergo, qui in re puritatis, & vigoris summa requisiuit in immolando agniculo; in re antiquitatis, & temporis contentus est minimis? Sanè vbi suppetunt præstantiæ virtutum, & fortitudinum, parui momenti est temporis, & antiquitatis prærogatiua apud concordatos viros. Hinc notandus est astus sanctissimi Iacobi, qui cùm amaret Iosephum supra omnes filios, vt cæterorum inuidiam falleret, causam sui amoris in Iosepho præmonstrabat, quæ nullius ponderis ostenderet prærogatiuã, nimirùm quòd esset senis filius. Sic Gen. 37. *Israël autem deligebat Ioseph super omnes filios eo quod in senectute genuisset eum.* Et sanè quòd non ea esset causa præcipua paternæ prælationis, vel inde patet, quòd cùm magis senex esset, genuerit Benjaminum, & nihilominùs super hunc etiam diligebat Iosephum: Quãdo ergo hæc non erat causa prælationis, cur, vt causa proponebatur à parente? Quærebat prudens pater causam minus inuidiosam fratribus aliis, & quæ minoris reputaretur ab illis, & ideò ad id recurrit, quod esset senectutis filius, antiquitatis alumnus. Ait D. Chrys. epist. 8. ad Olympian: *Amabat, inquit, eum propterea, quoniam filius senectutis erat ei. Hoc autem legislator scripsit, sicut ego arbitror, non quod verè erant, sed ipsam patris cogitationẽ, & occasionem exponens. Nam cum videret infantem inuidiam sustinere: curare hunc affectum in fratribus,*

Gen. 37.

Chrysost.

bus volens, finxit causam dilectionis, quæ non magnam ei inuidiam generaret. Acueretur inuidia fratrum, si Ioseph præferretur illis ob suauiores mores, ob præstantiores virtutes, at quòd præferatur ob prærogatiuam auitæ antiquitatis; quod inuideant ibi, nihil manet, quando hæc præstãtia nullius momenti est apud viros cordatos. Hinc damnata est illorum operariorum præsumptio, qui ob temporis prærogatiuam maiori æstimatione apud prudentem patremfamilias haberi optabant. *Mat.20.* Ait enim Matth.c.20. *Dicit Dominus vineæ procuratori suo. Voca operarios, & redde illis mercedem: incipiens à nouissimis vsque ad primos. Cùm venissent ergo, qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati sunt, quod plus essent accepturi, acceperunt autem, & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant*, &c. Quasi murmuratores repelluntur, qui querebantur, quod eorum antiquitas non attendebatur, nec vlla temporis aduentus sui ratio habebatur. Et cur non magis hoc in iis attendit nobilis paterfamilias, vt illis antiquioris laboris plus honoris habeat? Erat tunc distributio mercedis laborantium, quam vt bonus paterfamilias distribuat, quidquid virtutis est, veríque laboris maximè attendit; parum autem curat, aut vt melius dicam, nihili æstimat temporis prærogatiuam, quæ minimè est in nostra potestate. *Imperf.* Imperfectus hom.34. in Matth. fatur: *Si in hominis esset potentia quando nasceretur prius, aut postea: iusta ratione primam habebit mercedem, qui prius nasci voluit, secundam autem qui postea venit ad vitam: nunc autem cùm in Dei sit potestate quando hominem producat in mundum, nec illi sibi priorem honorem defendere debent, qui prius nati sunt, nec ille contemptibilior, qui postea.* Non equidem est voluntatis humanæ facinus, quod prius in vitam venerit, nec quod antiquitatis gaudeat stemmate, ideò apud iustum, prudentémque censorem nequiter sibi plus laudis, plus honoris quis ob antiquitatem sibi defendit, quando honor, & laus res est veræ virtutis, veríque laboris, non temporis, quod minimè consistit in facultate hominis viuentis.

§. VII.

Quod à primis incunabulis bonum ebibisti, firmiter vsque in finem solet durare.

QVando immolandus agnus figurabat Christum, non miror, quod petatur, quòd sit *absque macula, & masculus*; prorsus enim immaculatum, & fortissimũ repræsentabat. At id valde mirandum, quod *anniculus* petatur. Cur anniculus? Cur verò non magis antiquus dierum? De diuinissimo agno locutus Daniel c. 7. ait: *Antiquus dierum sedit*: sed & eius maturitatem expendens Ioan. Apocal. 1. notat, quod *capilli eius erant candidi.* Et quando verus agnus longissimè ætatis refert maturitatem, cur in agno mystico requiritur, quòd anniculus sit, & in primis vitæ diebus appareat in aris? Eadem prorsus est in agno sacro, & senectus, & infantia; quæ enim infantia immaculatæ vitæ datur, nihil ipsa in se excludit senilis maturitatis; nec in senili maturitate non eadem apparet sancta infanria. Quò *Psal. 2.* refero illud ex Psal. 2. sumptum à D. Paul. ad Hebræos cap. 5. de Christo Domino, cui resurgenti à sepulcro, vt concors est patrum sententia cum Paulo, ait Pater: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et sanè cùm mortuus erat Iesus, in matura erat constitutus ætate, in qua ætatis maturitate resurgebat à morruis, cur ergo de illo sic pater tunc loquitur, quasi de infante, qui tunc primum nascebatur? Sic tunc erat infans, vt posset recèns natus reputari? Equidem ea erat Christi Domini non parua commendatio, quam à primo conceptionis instanti ebiberat sanctitatem, eam sic conseruatus est, vt vel in ætate maturiori, adhuc recens videretur tota illa infantilis sanctitas. Quicquid in primo ingressu mundi tenuit, id ipsum in vltimo ingressu habuit, ne quid infantilis virtutis in ætate maturiori deficeret, nec maturæ ætatis in infantili. Quò respiciens D. Leo aie- *D. Leo.* bat serm. 7. in Epiphan. inquit: *Dispositos dies sub persecutione inchoauit, & sub persecutione finiuit, nec puero tolerantia passionis, nec passuro defuit mansueto puerilis.* Ecce tibi, vt nihil puerilis virtutis defuit Iesu, vbi in plenitudine temporis ad mortem ibat. Inter ipsos maturitatis annos adhuc recèns visebatur mansuetudo illa infantilis, quam à primis vnguiculis ebiberat. Sic firmatur in agnis Christi, quæ ab initio ætatis virtus sugitur. In tribus illis credentium patribus Abraham, Isaac, & Iacob, illud notandum inuenio, quod Abraham, & Iacob natiuitatis suæ nomina mutarint, vt qui Abram vocabatur, diceretur Abraham, & qui Iacob fuerit, Israël dictus. Solius Isaac nomen immutabile permansit: sic Gen. 17. *Sarai vxorem tuam non vocabis* *Gen. 17.* *Sarai, sed Saram, & benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum*, &c. *Vocabis nomen eius Isaac.* Ecce & nomen Isaac maturat apparere, vel ante conceptionem illius, & nihilominùs perseuerat cum illo vsque in finem vitæ. Et cur nomen Isaac sic perseuerat, quando Abram, & Iacobi nomina habent finem? Nomen Isaac maturauit apparere inter paternas benedictiones, & virtutes, quod autem in virtute apparere maturat, in ea solet apparere vsque in finem. Ait Pro- *Procop.* cop. in Glossa ibi: *Vt autem Isaacus sit sanctior, vnà cum patre, & matre benedicitur. Vt legitimè, & sanctus nascatur, nascitur ex vtroque parente benedicto. Nec in silentio prætereundum, quod inde ex vtero id nomen Isaacus gestat. Hinc eius nomen non mutatur, vt accidit Abraham, & Iacob.* Ex maturata benedictione, & sanctitate cum primo vitæ halito susceptã, habet Isaac quod nec benedictionis signum, quod erat in nomine, amittat, perseuerat enim quodcunque virtutis insigne à prima ætate suscipitur. Vide plura tom. 4. in Euang. lib. 16. c. 19. §. 2.

§. VIII.

Nostri à mundo exitus tempus non repentinum accidat, nec inopinatum.

ANtequam paschalis transitus accidisset, & exeundum esset Hebræis ab Ægypto, per quatuor dierum spatium iubetur agnus domi asseruari. Sic qui monuit agnum tollendum decima die mensis, nunc ait: *Et seruabitis eum vsque ad quartam decimam diem mensis huius*, &c. Et cur tandiu ante discessum iubetur agnus, qui in ipso exitu absumendus erat, domi asseruari? Erat agnus quasi ipsius exitus viaticum, qui domi asseruatus, crebrò exeundi tempus ob oculos poneret, nec sineret nos tantæ profectionis non recordari, ad illámque non parari. Ad hæc pulchrè Rupert. *Rupert.* lib. 2. in Exod. c. 3. inquit: *Vt quid tandiu antè tolletis, tanto tempore seruaturi? Videlicet, vt dum ille præsto est, causa quoque eius corda vestra solicitet, ne sitis immemores, nec imparati, quia transeundum est, dum ille tot ante diebus de profectione paranda vos admonet. Quoties enim ille balatum emittit, toties quasi tubæ sonitus exituras castrorum acies excitet.* Ne tanti exitus dies, vel hora repentina, aut inopinata accidat, datur agnus excitatiuus, qui tandiu domi asseruatus, vel balatibus suis faciat homines instãtis profectionis recordari, nec illam obliuisci patiatur. Quid plura? Hoc Deus solicitè in nobis satagit, ne simus immemores, quia transeundum nobis est, quia discedendum ab hac lacrymarum valle; quin potius domi habeamus plura illius diei excitatiua, quæ nos in memoriam instantis profectionis trahant. Cùm Dominus amicum Lazarum in vitam vocabat, dicit Ioann cap. 11. *Quod exiit ligatus manibus, & pe-* *Ioan. 11.* *dibus institis.* Mortem ipsam tulerat Dominus ab amico, & patitur in illo manere mortis ligamina. An qui mortem expulit, non potuisset & auferre funereas faces?

faces ? Cur permittis adhuc in mortis ligaminibus eſſe illum, quem à morte rapis? Dei erat mortem ab amico tollere; ſed non erat Dei illa auferre, quæ facerent eum
Baſil.Sel. mortis perpetuò recordari. Ait D. Baſil. Sel. orat. 35. *Chriſti virtute exiliebat quatriduanus mortuus lethi ſigna circunferens, & exuta morte ſepulcralem ornatum non exuerat.* Non tollit ea Deus, per quæ nobis mors ob oculos obuerſatur; tollit mortem; ſed patitur eſſe in amicis ſigna mortis, quæ corda ſolicitent, quæ non ſinant nos eſſe immemores, nec imparatos, quia exeundum eſt ab hac vita mortali. Hinc Ieſus non domi ſolùm, ſed in ſeipſis habere mortis excitatiua docet ſuos
Matt.6. alumnos Matth.6. inquiens: *Si quis vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Sed qualem crucem habet homo, quæ illi tollenda ſit, ne ſine illa gradum faciat ad Deum ? Hæc eſt cuiuſque mors, & vitæ exitus, qui præ oculis habendus, & quaſi frequenti manu attrectandus eſt illis, qui velint ad Deum pergere. Ait
Chryſoſt. enim D. Chryſoſt. orat. Sanctæ crucis in media Quadrag. habita apud Patrem Grethſerium tom. 2. de cruce. *Quid verò ſibi vult dictum illud: Tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Num vt quiuis portemus lignum? Nequaquam. Sed vt ad pericula ſimus prompti, ſanguinem noſtrũ in animis noſtris circunferentes parati in ſingulos dies ad mortem, ita omnia agentes, quaſi nunquam vitam noſtram vſque ad veſperam duraturam, ſed certiſſimè nos morituros arbitremur.* Hæc eſt nobis crux tollenda; nimirùm, quod noſtram mortem, noſtrum ſanguinem ob oculos circunferamus, & in breui nos morituros arbitremur.
Chryſoſt. Quid inde? Id ipſe Chryſoſtomus docet adhuc præfata verba luculentiùs premẽs. *Quid verò eſt, tollat? Adeò ſit promptus ad eadem, vt qui eam portat. Tam paratus vt ille, qui crucem iam fert humeris, tam vicinum morti ſeſe æſtimet. Talem omnes obſtupeſcunt. In hoc vera libertas poſita eſt. Nihil enim mortem tam fugat, quàm mortis contemptus.* Itaque vel quaſi in humeris habeat mortis ſigna, mortis ſyndones funereas, qui ad Deum pergit, & velit perterrefacere poteſtates rebelles. Nec miror, quòd à Deo veniat, quòd & domi, & humeris mortis excitatiua portemus, quando nec orationem patitur à ſuis fundi, quin mortis recordentur. Vndè
Matt. 6. Matth.6. in oratione Dominica illud petimus: *Adueniat regnum tuum.*
D. Cyril. Vbi D. Cyril. in cat. D. Thom. in c. 9. Lucæ, ait: *Mandauit autem, & in oratione petere illud tempus re vera terribile, vt ſciant, quòd viuere decet eos non remiſſe.* Sic in omnibus vult Deus nos eſſe memores terribilis horæ exitus.

§. IX.

Quod ſemel opere completurus es, id ſæpè animo perfice, quo multum apud Deum creſcis.

ADie decima vſque ad decimamquartam agnus immolandus domi manebat, iuxta legem, quæ cauit: *Seruabitis vſque in quartamdecimam*, &c. Et cur tandiu ante imm olationem domi ſeruabatur, niſi vt ſæpe illum videntes ſæpe animo offerrent, quem ſemel erant opere oblaturi Deo? Eſt hoc magni apud Deum quæſtus, quod pluries perficias animo rem, quam opere ſemel perficis. Hinc Gen. 4. dum Abel Deo agnum
Gen. 4. præſtantiſſimum offerebat, non prius Deus agnum vidit, quàm Abelem videret, quippè ait: *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Et quid erat in Abele, quod reſpiceretur à Domino antequam eius munera reſpicerentur? Sanè, erant in Abelis animo frequentia vota de offerendis muneribus; offerebat enim & bis, & ter, & ſepties mente ſua agnum, quem poſtea opere obtulit
Baſil.Sel. Deo. Hunc ſpectans D. Baſil. Sel. orat. 14. ait: *Res Abelis dilucidè deprædicauit Scriptura, quendam iuſtitiæ caractererem poſteritati delineans, quòd mentem Deo dono dediſſet ante donum, quòd Deum, qui proſpicit in proſpectus anteuiſa dona, inuiſibilibus donariis oblectaſſet.* Proh verum iuſtitiæ caractarem! Non miror, quod Abel raperet ad ſe Deum, & magni apud Deum æſtimaretur, quippe ante dona opere exhibita, multa inuiſibiliter in animo offerebat. Singulis horis, ſinguliſque momentis per tempus antecedens mente ſua mactabat Deo agnum, quem tandem manibus ſuper aram peremit. Huc veniat Chriſtianus, & diſcat non quieſcere in opere exteriùs exhibendo; ſed quod exhibiturus eſt corporaliter ſemel, mente, & animo frequenter prius exhibeat Deo. Hoc ſanè magni apud Deum quæſtus eſt; imò hoc ingens beneficiũ à Deo in nos deſcendit, quòd repetitis votis vnius operis poſſimus immensè augere mer-
1.Cor.15 cedem. Hoc faciebat Paul. 1. ad Corinth. 15. inquiens: *Quotidie morior.* Et ſanè vno ſolùm die mortem de facto oppetiit; ſed quam ſemel laturus erat mortem, ſæpe in dies animo perferebat, ſe crebrò mẽte ſua Deo deuouens, & vitam offerens; quo penè in immenſum eius merita creſcebant. Ex quo D. Chryſ. hom. de Feſto
Chryſoſt. crucis, in media Quadrag. apud Grethſerum tom. 2. ſic monet noſtrorum quemquam: *Nónne tibi à natura mors decreta eſt? Licet tibi, ſi velis, millies pro Domino mori. Hic enim gratiæ mos eſt, egeſtatem amicorum ad magnas euehere diuitias, propter liberalitatem Domini, qui non modo rerum euentu ſed voluntate propoſitóque certantium coronas metitur.* Hic equidem gratiæ mos eſt, hæc eſt Dei noſtri liberalitas in nos profecta, quæ in exiguis, & paucis operibus facit abundare coronarum ſegetes; ſi quæ ſemel opere exhibentur, crebris votis, & propoſitis repetitis antea offerantur in mente. Sic Ieſus ante crucis exhibitionem myſticam crucem agebat Matth.26. aiens: *Hic eſt calix ſanguinis mei*, &c. De quo
Mat. 26. Nyſſen hom. 5. de Reſurr. *Per ineffabilem ſacrificij mo-*
Nyſſen. *dum præoccupat impetum violentorum, ac ſeſe in oblationem, & victimam offert Sacerdos ſimul, & agnus.* Incruento animo, ineruentis ſignis præoccupabat prius agere, quæ poſtea cruentiſſimè erant operanda. Sic in horto mente tractans negotia crucis ſanguinem ſudabat, ait enim Lucas 22. *Factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſangui-*
Luc.22. *nis.* De quo Hildebertus Turonen. in verſibus de
Hildeb. Miſſa, ait: *Sanguineus ſudor. Crux fuit ante crucem.* Antequam humeris crucem ſuſtentaret, mille modis eam animo, mentéque tractabat, & offerebat patri. Vt diſcamus: & nos ſæpius mente offerre, quæ ſemel operi dabimus.

Exod.12. Et ſument de ſanguine eius, ac ponent ſuper vtrumque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes cum lactucis agreſtibus. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, ſed tantum aſſum igni. Caput cum pedibus eius, & inteſtinis vorabitis, nec remanebit ex eo quicquam vſque mane. Si quid reſiduum fuerit, igne comburetis.

§. X.

Diuinæ epulæ ſub memoria paſſionis, & crucis vt valeant.

IN poſtibus oſtiorum ſanguis agni ponitur, dum comeditur agnus, quippè ait: *Sument de ſanguine eius, ac ponent ſuper vtrumque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Et edent carnes*, &c. Ecce tibi vt ſimul ſanguis in poſtibus rubet, & facti agni caro in ferculo comedentes ſatiat. Et id quidem meritò, quando de ſanguinolento crucis ligno habent diuinæ epulæ, quod nunquam deſinant fideles ſuos ſaturare. Mihi crede, non experietur defectum in ſacro conuiuio, qui ſub crucis dominicæ recordatione illud reuerẽter capit. Huc ſpectat hiſtoria mulieris Sareptanæ, quæ fameſcenti Eliæ ait 3. Reg. 17. *Non habeo* 3.Reg.17

panem,

panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illud mihi, & filio meo. Sic mulier suam paupertatem prædicabat, & ostendebat farinam adeò paruam sibi esse, quæ sub duobus lignis coqui posset. Quid tunc propheta? *Ad quam Elias ait: Noli timere. sed vade, & fac sicut dixisti: veruntamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem paruulum, & affer ad me: tibi autem & filio tuo facies postea. Hæc autem dicit Dominus Deus Israël: Hydria farinæ non deficiet,* &c. Expende hæc, nimirùm: *Hydria farinæ non deficiet:* non equidem deficiet hydria farinæ, quæ sub duobus lignis facienda erat Deo; vt hinc intelligas, quàm nullum experieris defectum in cœlesti epulo, quod sub recordatione tenera viuifici ligni crucis co-
Cyr. Ale. mederis. De quo dicebat D. Cyrill. Alexand. lib. 8. in Ioann. cap. 17. *Duo ligna colligens mulier Sareptana, prophetam domo susscipit, atque sine olei, farinæque suæ diminutione aliquandiu victitauit. Cruce insignita mens cœlesti alimonia, & Spiritus sancti gratia affatim pascitur.* Abundat semper in sacris epulis pastio, vbi abūdat dominicæ crucis recordatio. Vis homo, nequid tibi deficiat salutare in epulo diuino? collige duo ligna, recole, quid transuersis crucis lignis affixus sustinuit Dominus, & sub hac memoria tibi conuiuium para: &
Ioan. 6. fallar, nisi tibi abundent gratiæ salutares. Ioann. 6. post multitudinem ingentem quinque panibus saturatam, Apostoli colligerunt reliquias: *Et impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum,* &c. Sanè de Iudaico popu-
Psal. 80. lo dicebat Psalm. 80. *Manus eius in cophino seruierunt.* Quando ergo sub Moyse in cophino seruiebant Israëlitæ, cur sub Apostolis in cophino recipiunt alimoniā? Vt ostenderetur quantum crucis prædicatio possit ad
D. Amb. præstandam cœlestem alimoniam. Ait enim D. Ambr. lib. 9. in Luc. *Populus, qui ante lutum in cophinis colligebat, hîc iam per crucem Christi vitæ cœlestis operatur alimoniam.* Facit crux Christi, vt vbi erat lutum seruitutis, abundet cœlestis alimonia. Hinc Sacerdos mensam sibi sacram paraturus in Missæ canone, sic incipit: *Te igitur clementissime Pater, per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus, ac petimus. Vti accepta habeas, & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta.* Quo ter signo crucis super oblata repetito sese ad mysterium peragendum parat. Et cur necessum est ter signum crucis super oblata repetere? Salutiferæ crucis recordatio in conuiuium diuinum meritò trahitur, quæ indeficientes tanti epuli gratias faciat. Quò spectans Hildebertus Turonensis carmine de officio Missæ, fatur:

Quippe velut quidam cruor est, meminisse cruoris,
Huius nos memores crux iterata facit.
Mentio mortis adest, vbicunque perennibus escis
Imprimit vncta manus mystica signa crucis.

Expende ab illis: *Vbicunque perennibus escis,* &c. Sapienter enim, quæ sub crucis recordatione paratur, perennis esca vocatur. Vix vnde deficiat habet escæ gratia, quæ crucis recordatione accipitur à manducante. Quis neget crucem dominicam multum Eucharistico cibo
Ezech. 41 inseruire? Ezech. 41. *Altaris lignei trium cubitorum altitudo, & longitudo eius duorum cubitorum,* &c. *Et locutus est ad me. Hæc est mensa coram Domino.* Altaris lignei mensuram meminit, & de illo ait: *Hæc est mensa coram Domino,* vt ostendat, quantum faciat lignum crucis ad mensam hanc Eucharistiæ, quæ ex cruce habet, quo
Rupert. placeat Domino. Rupert. in Ezech. cap. 27. *Totum altaris Sacramentum de ligno constat viuificæ crucis, quia totius sacrificij summa est passio eius, qui pro omni mundo semetipsum super lignum crucis sacrificauit. Et hæc est mensa coram Domino sola, & vnica.* Sic ibi: quippè crux
Hesych. fecit Eucharistiam esse mensam vnicam Domino. Et Hesychius in 2. Leuit. ait: *Crux carnem crucifixi, quæ ante passionem esui videbatur inepta, post aptam fecit; si enim non fuisset crucifixus sacrificium corporis eius non comedetur.* Huc trahe dicta tom. 1. in Euang. lib. 3. c. 8. §. 25.

§. XI.

Crux Christi libertatis signum.

COmedebatur agnus à profecturis ex Ægypto, & comedebatur igne assus, & cum panibus azymis, quæ abruptam profectionem ostendebant. Et dum sic profectio in ferculis exprimebatur, postes domus exteriores sanguine limebantur. Et cur postes sanguine rubebant? Ait: *Sument de sanguine eius, ac ponent super vtramque postem,* nullo enim melius, quàm cruento crucis ligno occurrens iam libertas exprimebatur. Huc spectans Machar. Philadelphiensis Archiep. orat. de Exaltat. Crucis, ait: *Etenim concessam nobis, crucis merito, & munere plenam admiratione libertatem tota hæc historia præmonstrat.* Quidquid de ligno sanguinolento dicitur, eò tendit, vt dominicæ crucis virtus dicatur, sub qua maxima Orbis libertas plaudit. Nunquam enim crux non indicat libertatem. Ex quo Isaiæ cap. 46. de *Isai 46.* Deo dicitur: *Vocans ab Oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ.* Quæ Chaldæus refert ad Iudæos ex seruitute ad libertatem vocatos, ait enim: *Iudæos quasi auem ex captiuitate Babylonica reducam,* &c. Sed cur vocatus in libertatem comparat aui, viróque, aiens: *Vocans ab Oriente auem, virum voluntatis meæ?* Meritò, & auem, & virum in libertatem vocat, quando inter omnia viuentia, & auis extensis pennis, & homo extensis brachiis crucem repræsentant, vt videas quam sit cruci anexa nostra libertas. Ex quo ait D. Metho- *D. Meth.* dius orat. in sanctam crucem, quā habes apud Grethſ. tom. 2. *Vniuersa creatura libertatis causa hoc signo crucis insignita est. Nam & volatilia in altum subuolantia crucis figuram expansione alarum adumbrant; itémque homo expansis manibus eandem repræsentat.* Itáque vt homo, & auis expansis brachiis crucem repræsentant, sic in libertatem vocantur, nequit enim vbi est crucis signum, non esse insigne libertatis. Hinc Paulus 1. ad Corinth. *1. Cor. 7.* 7. clamat: *Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum.* Prius ob oculos ponit pretium sanguinis, quo sub hasta crucis empti sumus, & inde infert absurditatem seruitutis humanæ, quasi de cruce nil citiùs, quàm libertas veniat. Vnde D. Chrysost. orat. in sanctam cru- *Chrysost.* cem apud Grethserum tom. 2. ait: *Liquido autem exploratum vobis est, quænam sint illa, quæ libertatem nobis præbent; quippè qui beatum Paulum clamantem, & ad competentem nobis libertatem nos inducentem audieritis; At qua ratione id facit? Dominicæ crucis, & sanguinis nos commonefaciendo his verbis. Pretio enim estis, nolite fieri serui hominum.* Et quidem infœliciſſimus est, qui sub tantis signis militat, si veram iam occurrentem libertatem non spectat, omníque se seruitute expedit.

§. XII.

Tunc Dominicæ carnis cibus nobis maximè salutaris, cùm sic accipitur, quasi non ampliùs nobis manendum sit in mundo:

SIc edendus erat agnus, vt nihil eius posset in crastinum reseruari; quippè sic lex cauet: *Nec remanebit ex eo quicquam vsque mane.* Meritò enim cauebat lex, ne comedentes tantum agnum cogitarent de crastino; sed magis crederent, quod nullo iam die ampliùs deberent in Ægypto morari. Sic comedat agni diuini carnes, qui velit eas salubriter manducere; nimirùm credat non sibi superesse crastinum, sed quàm primùm sibi esse à mundo euolandum. Hinc Ioann. 7. ait: *In* *Ioan. 7.* *nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat, dicens. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Ecce tibi vt Iesus sese in salutare poculum offerat; sed illud notandum, quod non se offert in poculum sitientibus

tientibus primo die feſtiuitatis, nec mediis feſti diebus, ſed nouiſſimo iam currente die. Ait enim textus: *Nouiſſimo autem die magno*, &c. Cur Domine adeò ſero poculum propinas ſalutarem? Cur non magis eum oſtendebas in primo die, vel in die aliquo mediante? Cur in nouiſſimo tantæ ſalutis fontem aperis? Aperit in nouiſſimo, ne bibentes ſalutem cogitarent de feſto craſtino, ſed prorſus de profectione, de reditu in patriam cogitarent. Hic eſt potus ſalutaris, qui ſic ſumitur, vt non cogitemus ſupereſſe craſtinum, ſed immediatè nobis eſſe ab hac vita migrandum. Pulchrè Diu. Cyrillus Alexand. lib. 5. in Ioann. capite 10. fatur: *Cyr. Alc.* *Medij dies feſti voluptatibus, & mundi negotiis potius, quàm Dei cultui adhibebantur. Nouiſſimus autem dies delitiis finem impoſuerat, cùm iam de reditu eſſet cogitandum. Itáque eo die tanquam cæteris commodiore ipſe fons vitæ exuberantiſſimus omnes, veram Dei cognationem habere deſiderantes, dulciter inuitat, vt ad ſe veniant, & bibant potum illum ſalutarem.* Expende, qui dies commodior ad potum ſalutarem præſtandum, nimirùm dies nouiſſimus, *cum iam de reditu cogitarent.* Vbi finitis omnibus nullus veniebat in mentem dies craſtinus ad manendum; ſed de reditu, & profectione iam inſtanti cogitabant, tunc opportunitas erat ſumendi potus ſaluraris. Et quidem proficit cœleſte conuiuium, cùm ſic ſumitur, vt con cogitemus de craſtino, ſed de pro- 3. Reg. 19 fectione iam iam inſtanti. Elias excitatus, 3. Reg. 19. *Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ, comedit ergo, & bibit, & rurſus obdormiuit.* Quid tunc? Rurſus eum excitat Angelus, & excitatum alloquitur, dicens: *Surge, comede: grandis enim tibi reſtat via. Qui cùm ſurrexiſſet, comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Horeb.* Bis excitatur Elias, & bis comedit, ſed in primo cibo, nihil proficit, iterum ſomno traditur, & quaſi ſui oblitus manet. At in ſecundo cibo adeò roboratur, vt prorſus excuſſo ſomno poſſit vſque ad montem Dei penetrare. Cur ergo in primo cibo ſic defecit, & in ſecundo ſic roboratur? Sanè, in primo illo cibo nihil de profectione cogitat, nec audit, ſed quaſi diu acturus eſſet in illo loco, de pane comedit, & relinquit adhuc panem comedendum in craſtinum. In ſecundo autem cibo, vt audit de via ſtatim arripienda, ſic accedit ad panem, quaſi ſciat inde ſtatim abeundum ſibi eſſe ad montem Dei, nec ampliùs vllũ ibi ſibi ſumendũ panẽ, quo maximè *Abbul.* in cibo roboratur. Ait Abul. q. 6. *In primo nõ comedit totum panem, nec bibit totã aquam, ſed ſumpto modico de illo rediit ad ſaporem; Deus autem volens, quòd Elias recederet inde, iuſſit quòd Angelus excitaret eum, & quòd comederet, & biberet fortiter, & non ſperaret, quòd de eodẽ pane ſæpe comeſturus eſſet, ſed quòd nunc totum comederet, quia ambulaturus erat per magnam viam, & tunc Elias ſurgens comedit ad ſaturitatem, & ambulauit.* Dum cogitat Elias de craſtino, & in craſtinum, non modicam reſeruat cibi partem, putans ibi ſibi adhuc manendum, tam parum cibo ſic ſumpto proficit, vt nec gradum faciat, ſed ſomno ſepultus maneat. Vt autem excitante Deo per Angelum audit de via facienda, & profectionem meditatur adeò citam, vt non liceat ibi vlterius veſci illo pane, tunc ſic edit, vt eius cibi fortitudine poſſet ad Deum euolare. Expendenda enim ſunt maximè illa: *Non ſperaret, quòd de eodem pane ſæpe comeſturus eſſet:* quippè multum ad profectum facit, ſi cibum diuinum accipiamus, quaſi non ſperemus iterum nobis illum in hac vita accipiendum. Quò ſpectans Dominus *Matth. 26* Matth. 26. dum primum hoc cœleſte conuiuium parat: *Accepit panem, & benedixit, ac fregit; dedítque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite; Hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit: & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis*, &c. Expende, vt ſumens, & porrigens hunc diuinum panem, & calicem, nil citiùs aſſerat, quàm quod amplius in hac vita de illo non ſit bibiturus, quippè ait: *Non bibam amodo*, &c. Cur Domine, hæc aſſeris tantum habens calicem in manu? Crediderim voluiſſe oſtendere, qua mente nos debeamus accipere dominicum calicem, nimirùm, vt qui eum non iterum accepturi ſumus in hac vita; ſed ſtatim euolaturi ſimus ad Deum.

§. XIII.

Illa apud Deum virtus valet, quæ vel in aduerſis roboratur.

NOn ſemel cauet Deus, quòd agnus non aqua coquatur, ſed igne aſſetur, inquit enim: *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, ſed tantum aſſum igne.* Et cur mauult Deus igne aſſum? Quæ igne aſſantur carnes, vel ipſo igne obdurantur, roborantur, quo exprimunt virtutem, quæ valde Deo placet, nimirùm, quæ vel in aduerſis ipſis roboratur. Ait D. Gre- *D. Greg.* gorius Pap. apud Lyppom. *Quæ carnes agni aſſandæ ſunt, quia nimirum diſſoluit ignis carnes, quas aqua coxerit, quas vero ignis ſine aqua excoquit, roborat. Carnes itáque agni noſtri ignis excoxit, quia eum ipſa vis paſſionis illius ad reſurrectionem valentiorem reddidit, atque in incorruptionem roborauit.* Hoc habent carnes, quòd igni traditæ obdurẽtur, & roborentur, quòd habeant virtutes, quæ apud Deum magni volunt æſtimari. Similiter cauebat lex Leuit. 2. *Cùm autem obtuleris ſacri-* *Leuit. 2.* *ficium coctum in clibano, de ſimila panes ſcilicet*, &c. Ecce non vult Deus panes, niſi qui in clibano ardẽnti coquantur, vt oſtendat, quàm amet eos, qui ex aduerſis virtutem, & robur capiant. Ex quo dicebat Hildebertus Turonenſ. carmine de officio Miſſæ.

In clibano coxtos panes altaribus offers
Si robur mentis nulla flagella mouent.

Tunc ſanè gratum te Deo offers, cùm inter flagella ſtas inconcuſſus; nec aliquid roboris inde perdis, ſed magis oſtenderis inuictus. Hinc placent, hinc cenſentur virtutes apud Deum, ſi aduerſitatibus cedant nullis. Hinc Ioann. cap. 7. *Nondum erat ſpiritus datus, quia* *Ioan. 7.* *Ieſus nondum erat glorificatus.* Quod non paruam quæſtionem facit Diu. Cyrillo Alexandrino: verum enim erat, quòd prophetæ locuti fuerant in Spiritu ſancto, & quòd Ioannes Baptiſta repletus eſſet Spiritu ſancto ab vtero matris ſuæ, vt Lucas capite 1. teſtatur. Quomodo ergo verum eſt, quod non eſſet ſpiritus datus, antequam Ieſus eſſet glorificatus? Equidem poſt Ieſu glorificationem deſcendens Spiritus ſanctus ſub ſpecie ignearum linguarum ſuper Apoſtolos, eos reddidit tentationibus, & aduerſitatibus inſuperabiles, quod maximè Deo placet. Ait Diuus Cyrillus Alexand. lib. *D. Cyril* 5. in Ioann. capite 10. *Fuit quidem, antequam glorificatus eſſet Chriſtus, pleriſque datus Spiritus ſanctus. Sed non ea apparitione, qua poſt glorificationem datus eſt. Nunquam enim antea in ſpecie linguarum ignearum apparuit Spiritus ſanctus; neque eos, in quos deſcendit, reddidit omnium linguarum peritos, & contra improborum perſecutiones impauidos, & fortes, vt poſt Chriſti Aſcenſionem reddidit Spiritus ſanctus Apoſtolos.* Meritò tunc diuini ſpiritus effectus apud Deum cenſeri incipiunt, cùm diuino ſub igne contra perſecutores ſæuiſſimos homines carni impauidi redduntur, & roborati. Sanè debet eſſe Dei ſeruus ſuperior omnibus aduerſis. Hinc Leuit. cap. 10. *Locutus eſt Moyſes ad Aaron, & Eleazar, &* *Leu. 10.* *Ithamar filios eius: Capita veſtra nolite nudare, & veſtimenta nolite ſcindere, ne fortè moriamini.* Et quidem ſub eorum oculis Aaronis filij, & fratres Eleazari cœleſtibus flammis fuerant abſumpti; & in tanta clade monentur, ne dolorem inſinuent. Et cur non doleat

pater

Procop. pater in tam acerba filiorum calamitate? Ait Procop. in Gloſſa: *Non permittit, vt habitus pontificius mutetur in luctu, etiamſi mortui fuerint homines tibi coniunctiſſimi. Nam amor Dei firmius nos obligat, & arctius tenet, quàm amor, qui coniunctis perſonis eſt impertiendus.* Sic Deus non ſuſtinet in ſuis alumnis, quòd flagellis infirmentur, & appareant imbecilles, ſed qui ſint ſuperiores omnibus illis. Tunc mihi crede Deum tibi maximè deuincies, cùm imperterrito animo multa aduerſantia
Ioan. 9. ſuſtines. Cæcus ille Ioann. 9. beneficium oculorum à Ieſu acceperat, ſed non acceperat diuinitatis notitiam. Vt autem adductus ad Phariſæos cum ignominia eiicitur, nec frangitur eius affectus ad benefactorem ſuum, ait text. *Audiuit Ieſus, quia eiecerunt eum foras: & cùm inueniſſet eum, dixit ei. Tu credis in Filium Dei?* &c.
D. Cyril. Vbi ſapienter D. Cyril. Alexand. lib. 6. in Ioan. cap. 20. *Quandiu inter Phariſæos fuit iſte, & ignominia ab eis non eſt paſſus, non ſe illi denuò exhibuit, ſed cùm primùm extra illorum eſt contubernium expulſus, & ignomiæ nota pro Chriſto affectus, protinus ſe illi Chriſtus præſentem oſtendit.* Sic valet apud Deum, qui imperterritè patitur aduerſitates pro Deo, & ignominias.

Exod. 12. Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter: Eſt enim Phaſe (id eſt) tranſitus Domini. Et tranſibo per terram Ægypti nocte illa, percutiámque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine vſque ad pecus, & in cunctis diis Ægypti faciam iudicia ego Dominus. Erit autem ſanguis vobis in ſignum, in ædibus, in quibus eritis, & videbo ſanguinem, & tranſibo vos, nec erit in vobis plaga diſperdens, &c.

§. XIV.

Nihil contemnendum eſt de iis, quæ tranſituro tibi iam ab hoc mundo mandantur.

QVòd præcinctus, quòd calceatus, quòd tenens baculum manibus agnum comedas, mandabatur Iudæis. Ait enim: *Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus veſtris, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter.* Sed quo adducerentur Iudæi, vt tam prolixa mandata curarent? Ait textus: *Eſt enim Phaſe (id eſt) tranſitus*, &c. Vbi Gloſſa: *Eſt tranſitus, quia a filiis Iſraël ex Ægypto migrantibus primò celebratum eſt; nobis quoque migrandum eſt de tranſitoriis ad æterna.* Vbi autem aliquid tranſituris mandatur, id minimè contemnendum, ſed ſumma diligentia,
Num. 31 & exactione procurandum. Ait Numer. 31. *Locutúſque eſt Dominus ad Moyſem, dicens: Vlciſcere prius filios Iſraël de Madianitis, & ſic colligeris ad populum tuum. Statímque Moyſes: Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam*, &c. Duo ex Deo audit Moyſes, & quòd morituru iam ſit, & quòd vindicet Iſraëlitas de Madianitis, quod, vt audit, ſic ſtatim curat executioni mandare. Duces vocat, arma parat, bellum indicit, nihilque feſtinatæ pugnæ præterire patitur. Cur bone, ſic iam ſenex, & morituru ferues in arma? Quid morituro cum bellis? Cur non magis curas de exitu tuo, quàm de pugna paranda? Sanè mandata eſt illi pugnæ tractatio, vt inde ex hoc mundo tranſeat; quæ autem pro vitæ exitu mandantur, omni diligentia, & feſtinatione debent
Procop. curari. Ait Procopius in Gloſſa: *Vltimum hoc negotium iniungit Dominus Moyſi. Iram enim Dei Madianitæ ſibi conciliarant. Non aſpernendum verò mandatum eſt, quod magnum aliquid ante obitum gerere, viaticúmque, ſeu ad vitæ exitum comparare ſuadet.* Et quidem ſapienter putat non aſpernendum eſſe mandatum, quo ante exitum aliquid gerere, vel comparare monemur. Quis enim vel mediocriter ſapiens contemnat ea, quæ pro vitæ exitu parando faciunt? Hinc de Ieſu ait loann. cap. 13. *Sciens Ieſus, quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem; cum dilexiſſet ſuos, qui erant in hoc mundo, in finem dilexit eos.* Itaque qui ſemper dilexerat ſuos, vbi tranſitus de hoc mundo inſtabat, eos in finem dilexit, hoc eſt, nihil prætermiſit, nihil contempſit eorum, quæ ad dilectionem erga eos oſtendendam faciebat. Decet enim tranſiturum de hoc mundo, nihil non facere ex iis, quæ ad Chriſtiani officium, obligationémque ſpectant. Ex quo dicebat ibi Theophylactus. *Cùm autem mortis hora inſtaret, rem facit magnæ miſericordiæ, & condeſcenſionis plenam, miráque erga diſcipulos præ ſe fert dilectionem. Nam cùm dilexiſſet eos, vſque in finem dilexit, hoc vult, quod nihil omiſerit eorum, quæ facere decet eum, qui multum diligit.* Semper erga ſuos dilectionem impleuerat, vbi autem tranſitus appropinquauit, ſic curauit dilectionem implere, vt nec minimam exhibitionem eius præterierit. Et meritò, nihil enim non magnum eſt, quo diſceſſuris mandatur. Exod. 16. *Manè quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum. Cúmque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum*, &c. Sed apud Luc. 14. dicitur: *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Vtrobique cœleſte pabulum adumbratur, ſed in primo dicitur minutum apparuiſſe, in ſecundo non minutum, ſed quòd magnum oſtendebatur. Et cur quod in primo apparebat minutum, in ſecundo cœna magna dicebatur? In cœna intelligunt ſancti extremum vitæ tempus. Beda in præſenti, Theophylactus, & alij: quod ergo ad finem vitæ proponitur, non poteſt eſſe nõ magnũ. Parui forſan erit momenti, quod in mane ſummitur, hoc eſt, in integra valetudine; at quod deficienti iam, & in extremis conſtituto datur, non pro minimo, ſed pro magno erit, ſi relinquatur.

Ioan. 13. Exod. 16. Luc. 14.

§. XV.

Fœminarum cupiditas hominem liberum non patitur.

AD libertatem properantibus nil priùs de habitu præcipitur, quàm quòd præcincti ſint. Sic enim ait: *Renes veſtros accingetis*, &c. Nec miror, quod laſciui affectus conſtringantur in homine, qui ſeruitutem exuebat, & in libertatem properabat, vt enim libertas eſt in caſtitate, ſic in laſciuia eſt ſeruitus. Quò ſpectans
Hildeb. Hildebertus Cænom. epiſt. 56. dicebat ſtatum hominis ante lapſum conſiderans: *Omnia ſubiecta homini, quandiu mulieri ſubiectus non fuit, cui poſtquam malè morigeratus eſt, cœpit ſuus non eſſe, & tot dominis ſeruire, quot vitiis.* Vide hominem antequàm mulieris ſeruiret cupediis, quàm altè dominabatur, qua omnia ſibi habebat ſubiecta! Verè liber tunc erat, verè Rex, qui ſuo omnia ſubingabat imperio; at vbi mulieris voluntati morem gerit, ſtatim fit ſeruus, & regnum, & libertatem perdidit. Accipe duo, & ſeruitutis, & imperatoriæ libertatis exempla. Achab Rex erat, ſed dum Iezabelis amoribus tenetur, dicit de illo text. 3. Reg. 21. 3. Reg. 21
Igitur non fuit alter talis ſicut Achab, qui venundatus eſt, vt faceret malum in conſpectu Domini; concitauit enim eũ Iezabel vxor ſua. Itaq; vb Iezabel prævalebat, concitabat miſerum Regem, vt venũdaretur, & fieret ſeruus; nihil enim non ſeruile poterat eſſe in homine, quem fœminea volũtas tenebat. Sed Phinees homo priuatus erat, vt autem vidit Iſraëlitẽ luxuriæ vacantẽ Num. 25. Num. 25
Arrepto pugione ingreſſus eſt poſt virum Iſraëlitem in lupanar, & perfodit ambos ſimul, virum ſcilicet, & mulierẽ. Vnde viro priuato tanta libertas, & confidentia, vt ſic percuteret reos? Sanè vt caſtus erat, ſic liber, ſic Rex, qui poſſit tales punire reos. Quò ſpectabat D. Iſid. Pel. Iſidor.
lib. 3. epiſt. 159. aiens: *Sacerdotij ergo honore affectus eſt, qui huiuſmodi obſcœnitatem exciderat, vt qui imperatoriæ honeſtatis experimentum præbuiſſet.* Expende illud: *Imperatoriæ honeſtatis*, &c. Quippe dum punit reos, imperium

imperium quoddam in ſe ab honeſtate profectũ oſtendebat. Eſt enim libertas, & imperium honeſtati annexum; vt ſeruitus miſera homines voluptarios, & mulieroſos premit. Eccleſiaſt. cap. 47. *Inclinaſti femora tua mulieribus. Poteſtatem habuiſti in corpore tuo.* Vaticana lectio ponit: *Subiugatus es in corpore tuo.* Alia lectio: *Vinci te corpore tuo paſſus es.* Nequit enim homo ab amoribus mulierum non venire in miſerã ſeruitutem. Quod in Salomone indigitans D. Chryſoſt. epiſt. 6. ad Theodorum ait: *Salomon iiſdem, quibus pater vitiis inuolutus, ob mulierum gratiam à paterno recedere auſus eſt Deo. Hinc aduerte, quam leue ſit, non vincere voluptatem cupiditatis: ſed peruertere ordinem naturæ, & virum genitum ſubiacere ſeruitio fœminarum.* Eſt ſemper ea indigna homine ſeruitus, qui ad regnum, & libertatem contendit. Verum à fœmina trahitur in viliſſimã ſeruituté; & vtinam in ſolam ſeruitutem traheret, ſed quod peius eſt, non quieſcit, donec trahat in æternum ſupplicium. Aiebat fœmina Iobo cap. 2. *Benedic Deo, & morere.* Circa quæ ait D. Chryſ. hom. in Decollat. Ioan. Baptiſtæ: *Non ſufficiebat ei, quæ erat ad tempus, diſciplina: ſed etiam, & æternam conſiliabat ſupplicium.*

Chryſoſt.

§. XVI.

Tranſitoriis bonis non nimiùm adhæreſcendum iis, qui ad exitum contendunt.

NOn minor præceptum de aſſando agno, de non frangendo oſſe, de panibus azymis, vbi omnes ad tranſeundum præcinctos contemplor: Cauet enim lex: *Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinantes.* Ecce tibi, vt præcincti, & parati ad feſtinatiſſimum iter monentur agnum comedere, quid mirum, quòd non permittantur oſſa eius confringere, & exſugere, nec panes ſaporare fermento? Qui enim ſic in tranſitu eſt, nimis curare res tranſitorias minimè debet. Pulchrè ad hæc aiebat Procop. in Gloſſa: *Quia feſtinatò eiiciebantur Ægypto, & feſtinantes faciebant iter, non abs re veſtiti more viatorum ouiculam ederunt toſtam igne, ob temporis breuitatem; nec inter manducandũ fregerunt oſſa, ſcrutantes medullas, quod faciunt otioſi. Nec iam eadem cauſa impulſi expectarunt, donec tota maſſa fermentaria fermentaretur.* Et meritò vbi in tranſitu ſunt, & feſtinatò coguntur Ægypto exire, non vacat nimis adhæreſcere rebus, vel æruendis medullis de oſſibus, vel ſaporibus condiendis inſtare. Quis non amens dũ multis impelliteur, vt tranſeat, pertinaciter adhæret oſſi, vt infringat, & medullam capiat, vel longa condimentorũ expectet ſpatia; Equidem quando ipſa noſtra conditione feſtinatò cogimur exire de mundo; & feſtinatiſſimum ſentimus vitæ noſtræ tranſitum, amentes ſumus, ſi nimis inhæreſcimus rebus temporariis, ſi vel ſaxa ſummo labore, & ſtudio rumpimus, vt terræ medullas eruamus, ſi toti in ſaparando palato incumbamus. Sanè apud Sapientes idem eſt viator, & qui non adhæreſcit rebus, per quas tranſit. Iob cap. 21. dicebat: *Interrogate quemlibet de viatoribus.* Quæ verba præmens D. Greg. lib. 15. Moral. cap. 35. ait: *Viator quippe dicitur, qui in prætereuntibus ſæculi cor figere deſpicit.* Monſtrum eſſet, ſi viator, qui in feſtinatiſſimo tranſitu eſt, ad quem etiam vi potentis impellitur, & nilominùs cor figeret in prætereũtibus rebus. Id vel in amẽte nequit expectari. Vnde Paulus 1. ad Cor. 7. vel hoc argumento conficit, quàm leuiter mundialibus rebus vti debemus. *Hoc itaque dico fratres: tempus breue eſt: reliquum eſt, vt & qui habent vxores tanquam non habentes ſint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non poſſidentes*, &c. Ecce vt perfunctoriè, & leuiter adminiſtrari velit humana omnia, ex eo ſolùm, quòd tempus breue eſt, quòd velox tranſitus nobis decernitur. Ait Tertul. lib. de cultu fœmin. *Qui emunt, inquit, ſic agant, quaſi non poſſidentes. Cur ita? Quoniam præmiſerat, dicens: Tempus in collecto eſt.* Quando vel ipſum tempus vrget, & oſtẽdit nos feſtinatiſſimos ad exitum, ſic ſolùm quaſi in tranſitu rebus humanis vacare debemus. Hinc de Ieſu Filio Dei locutus Petrus Act. 10. ait: *Vnxit eum Deus Spiritu ſancto, & virtute, qui per tranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos a Diabolo.* At de eodem ait Ioan. cap. 4. dum Samaritanæ conuerſionem ſpectat: *Fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.* Hic ſedet; ibi tranſit; & quando propter vnam Samaritanam ſedet, cur dicitur propter tot ſanandos non ſedere, ſed pertranſiſſe? In Samaritana bona ſpiritualia quærebantur, quibus Deus ſtudiosè attendere dignatur; & & ideò pro illis ſedet, & operam adhibet, & ſtudium maximum. In aliis autem ſolùm ſpectabantur corporales ſanitates; quibus vt oſtendatur Deus non multum intendens, in illis oſtenditur tranſiens. Ex quo D. Syneſ. epiſt. 57. aiebat: *Cum licebit, me ad inferiora dimittam. Hoc eſt leui cura, & animaduerſione ingens aliquod bonum efficiam: ita vt Deus ipſe ſeſe gerere ſolet: affici autem, & adhæreſcere penitùs, hoc demum malum eſt, quod neque natura Dei ſuſtinet, neque quiſquis ſeſe ad Dei exemplar componit.* Vt Dei eſt, non penitùs adhæreſcere temporalibus rebus, ſed illas leuiter tractare, ſic in illis tractandis pertranſiens oſtenditur. Nequit enim, qui in tranſitu eſt, rebus per quas tranſit, adhæreſcere. Hinc Moyſes vt ſecurum redderet Regem Edon, quod Iſraëlitæ ſui regni bonis parcerent, hoc ad illum mittit mandatum Num. 20. *Non ibimus per agros, neque per vias, nõ bibemus aquas de puteis tuis*, &c. *Tantum velociter tranſeamus.* Expende, vt promittit Moyſes in tranſitu ſe Edonis bona minimè tacturum. Et qui fieri poteſt, vt tot miletes in regno florentiſſimo ad nihil afficiantur, nulli rei percipiendæ incumbant? Id promittunt Verba illa: *Velociter tranſeamus.* Vbi enim in tranſitu veloci ſe promittunt futuros, prorſus credibile eſt, quod nihil ſtudiosè attingant. Sic aiebat Paul. 1. Cor. 9. *Qui in ſtudio currunt, ab omnibus ſe abſtinent.* Facilè parcunt obiectis bonis, qui ſunt in ſtadij curſu. Quam promiſſionem miratus Philo in lib. *Quod Deus ſit immutabilis*, tot in illam exagitat cauſas admirationis ſuæ, quot ſe offerunt homini volenti mudialia quæque deſpicere. Sic enim ait: *O promiſſionem generoſam, & magnificam. Itane obſecro ſuperare, tranſire, quidquid in terra bonum cenſetur, poteritis? Nihilne veſtram properationem remorari poterit? Conſpectum diuitiarum auerſabimini? Maiorum dignitates deſpicietis? Gloriam prætercurretis tanquam rem viliſſimam? Sanitatem corporis, integritatem ſenſuum, pulchritudinem optabilem rebus, & cætera, quibus animæ domus honeſtatur, tranſcurretis obiter, vt nihil horum referatis in bonorum ordinem? Olympiæ, cœleſtiſque animæ ſunt hæc inſignia.* Cum dicit *Olympiæ*, totum Olympij ſtadij nobis cum Paulo proponit ludum, in quo currentes nullis detinebantur bonis conſpectis in curſu, quin potius vel leuiter viſis, quæ ſe opponebãt, ocioſiſſimè præteribant. Sic ſanè qui rapido curſu fertur, qui feſtinato cogitur ire ad mortis metam præfixam, de Olympiæ mentis ductu fallar, ſi velit temporariis hærere vllis.

Procop.

D. Greg.

1. Cor. 7.

Tertul.

Syneſ. 57

Num. 20

1. Cor. 9.

§. XVII.

Per Euchariſticum Agnum ſumptum in deos tranſimus.

AGnus, qui comeditur, meritò dicitur Domini tranſitus, quando ait: *Eſt enim Phaſe id eſt tranſitus Domini*; vtpote, qui adumbrabat illum agnũ, cuius cibus in Euchariſtia ſumptus nos in ſortem diuinam tranſire facit. Quippe ait Macharius orat. de Exaltat. Crucis apud Grethſerum: *Tota hæc hiſtoria diuinum agnum pro nobis immolatum, & myſticũ illud paſcha, & totius mundi*

Machar.

mundi salutem euidenter præfigurat: Neque enim corporalis illa perceptio vitam custodiebat, & in libertatem traducebat; at huius vera sumptio, & communio immortalitatem, & filiorum adoptionem donant, & exterrestribus cœlestes, Deósque ex hominibus, eos, qui accipiunt, reddunt. Sanè diuinissimus Agnus Eucharisticus, minimè nos in natiua vilitate permanere sinit; sed de eius epulis sic extollimur, vt proximi ad sortem accedamus diuinam. Deus redditur, qui tanti Agni carnes participat; vt quantum ab illis distes, tantum à diuinitate alienus existas. Hinc textus locutus de Heli seruis, qui sacras car-
1. Reg. 2. nes vi eripiebant offerentibus, inquit. 1. Reg. 2. *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia detrahebant homines sacrificio.* Expende quos detrahebant, nimirùm: *Detrahebant homines*; ideò homines dicuntur, quia à tanto detrahebantur sacrificio; si enim non detraherentur, sed sacrificio vacarent, carnísque sanctæ epulis assisterent; non homines dicerentur, sed
D. Greg. Dij. Ait D. Greg. Papa lib. 2. expositionis cap. 2. *Et notandum, quia qui detrahuntur a sacrificio, homines dicuntur, quia nimirùm, si in fidei nostræ vera confessione persisterent, hos diuinus sermo filiorum Dei appellatione signaret.* Si non detraherentur à tanto mysterio fidei, sed magis diuinissimi agni epulis insisterent, haud dubium quin in sortem transirent diuinam.

§. XVIII.

Bruta lasciuia opponitur Eucharisticis epulis.

Redeo ad id, quod nisi renibus præcinctis ad sacri agni epulum admittuntur. Sic enim cauet: *Renes vestros accingetis.* In quo singulariter ostendebatur castigatio, & compressio brutæ lasciuiæ, quæ maximè opponitur epulis agni diuini. Præclarè ait Algerus
Algerus. lib 1. de Sacramento cap. 22. *Ad edendum agnum lex dedit, in calceamentis cautelam, in baculo disciplinam, in lactucis compunctionem, in festinatione desiderij ardorem, in accinctis renibus abstinentiam libidinis expressius indixit. Quia agnum Dei sine macula, quia virginis est filius, luxuriosi, & incesti sumunt periculosius: quia cum in Sacramento Christi ei vniri debeamus, nihil sic aduersatur passioni crucis, vt voluptas, nihil sic eius vnitioni, vt fornicariæ societatis vnitas.* Sanè multum debet ab immaculati agni aris distare pecuina voluptas; quem ille solus dignè manducat, & Deo pro se offert, qui luxuriantes habet compressos, imò enectos appetitus. Vnde
Ps. 109. Psal. 109. dicitur Christo: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Elegit enim Dominus sibi sacerdotium Melchisedech, cuius sacrificia constabant ex pane, & vino; abiecit Aaronis sacrificia, quę carnibus constabant & pecudum, & altilium. Sed cur amauit plus donum ex pane, & vino, quàm ex pecude, & ex altili? Nónne Abel in pecude placuit? Nónne & Aaron in pecude, & altilibus? Nónne & passeris caro, & aquæ potus possent etiam diuina virtute in corpus, & sanguinem Christi transire? Cur ergo horum sacrificia cauit, & sola accepta habet, quæ in pane, & vino Eucharistico sacrificia fiunt? Amabat verus Dei Filius sacrificia, quæ minimè essent communia pascua brutæ vitæ; sed prorsus ab animalibus brutis aliena; rationalem naturam nutrirent. Caro autem quæuis, & aqua cùm & brutum simul nutriant; meritò repelluntur; & assumuntur panis, & vinum, quæ solius sunt esca rationalis naturæ. Ratio enim mundissimam amat pudicitiã.
Cabasil. Ait Author Græc. Cabasila in Liturg. cap. 3. qui post numerata carnium diuersarum alimenta sic finit: *Mihi illorum est propriè nutrimentum humanum: commune est enim aliorum animalium, hæc quidem volucrum, & eorum, quæ herba vescuntur: illa vero ferarum quæ carnem deuorant. Humanum enim illud dicimus, quod ad solum hominem pertinet, confectione autem panis opus habere, vt comedat, & vinum conficere, vt bibat, est solius hominis proprium. Et hæc quidem est forma donorum oblationis.* Et meritò ad formam cibi Eucharistici illa quæruntur, quæ minimè pascant brutum, sed quæ sint solùm cibi rationalis naturæ; quando ratio amica est pudicitiæ, & inimica luxuriæ. Vnde eleganti ratione D. Theodotus
Theodot. orat. de Christi Domini natiuitate habita in appendice Concilij Ephesini, c. 2. probat Christum nascentem non potuisse officere puritati matris virgineæ. Quippè ait: *Vide quomodo factum est inopinabile sacramentum transcendens naturæ rationem. Quia enim est Verbum Dei, palam est, & ideò virginitatem non soluit. Quæ parit carnem puram, virginitate cessat. Sed quoniam natus est carnaliter Verbũ Deus, custodit virginitatem, se ipsum rationem ostendens*, Expende illud: *Seipsum rationem ostendens*, inde enim ratio cuiusque euidentissimè claret, cum virgineam puritatem seruat. Hinc Deus in Eucharistico cibo illas quæsiuit materias, quæ solius ad naturæ rationalis sustentationem deseruiunt; vt à castis tractentur. Quidquid enim brutæ lasciuiæ est, longè abesse debet ab eo sacrificio, in quo virgineus
L 12. Iesus est præsens. Vnde Luc. 2. dum puerulus Iesus Deo sistitur, pro eo redimendo offerunt parentes iuxta legem *par turturum, aut duos pullos columbarum.* Non sicut turtures, sic columbas offerunt, quin potius abiectis columbis earum pullos exhibent. Cur pullos, &
D. Bern. non columbas? Ait D. Bern. serm. 59. in Cant. *Licet alias per columbam Spiritus sanctus soleat designari, quia libidinosa auis est, non decuit offerri eam in sacrificium Domini, nisi ea ætate, qua nescit libidinem.* Sic puerulus Iesus cauet sibi proximum habere, quidquid oleat brutam concupiscentiam carnis.

§. XIX.

Eucharistia expellit comessationes, & gulæ festa.

Asus agnus cum lactucis aggrestibus sumendus proponitur, qui *Phase* dicitur, hoc est, *transitus Domini*, quippè ait: *Est enim Phase (id est) transitus Domini.* Et cur agnus amaricantibus succis datur in transitum, nisi vt ostendatur, quàm nos abstrahit diuinissimus agnus à comessationum deliciis, & facit gulã abiurare? Equidem non transit cum diuinissimo agno in regnum patris, qui mauult sedere super ollas carnium Ægyptiarum, deditus comessationibus, & ebrietatibus. Vt dicat Algerus lib. 1. de Sacramentis cap. vl-
Algerus. timo: *Comedamus agnum cum lactucis aggrestibus, cum desiderij feruore festinantes ad patriam. Est enim Phase (id est) transitus Domini, quo ex hoc mundo transiuit ad patrem: cum quo desidia tardus, & super ollas carnium in saculi Ægypto remoratus, transire non prævalet, vt illuc perueniat, vbi Christus in dextera Dei sedet.* Expende illud: *Et super ollas carnium remoratus*; malè quippe credit se cum agno diuinissimo ad cœlestem patriam transire, qui comessationibus, & ebrietatibus simul vacat. Non equidem mensa mundi diuinæ mensæ benè copulatur. Exod. 16. cum Israëlitæ iam essent in deserto, clamare cœperunt ad Aaron, & Moysem, di-
Exod. 16. centes: *Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate, &c. Dixit autem Dominus ad Moysem. Ecce ego pluam vobis panes de cœlo, &c.* Cupientibus vacare Ægypti carnibus, & ollis, datur à Deo cœlestis panis, habens omnium saporum suauitatem. Sed & Num. 11. similiter clamant,
Num 11 similiter afficiuntur ad Ægypti carnes, & amant illis saturari, quin & Deus illos carnibus impiet, tot illis adduxit coturnices, quot possent vel plures alios exsaturare. At quanto id damno? Ait text. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiusmodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis.* Cur similiter antea non puniuntur? Cur modò subiacent supplicio tanto? Nónne & antea clamauerant pro carnibus? Nónne &

antea etiam ollas Ægypti exoptauerat? Cur tunc impunè petunt carnes, & modò cum tanto vitæ damno? Antea nondum illis datus fuerat cœleſtis panis, nondũ manna guſtauerant, & ideò parcitur illis, quod gulæ vacent. At poſtquam cœleſtem panẽ recepérant, poſt viuificum epulum, poſt menſam Angelorum, imò ante ipſam Angelorum menſam non potuerunt impunè Ægyptiis comeſſationibus, & ollis vacare. Ait D. Cyril. Alex. lib. 3. in Ioannem, cap. 34. *Quoniam panem cœleſtem, qui cor hominis corroborat, adhuc non receperant, facilius poterant in cupiditates carnis incidere, propterea, & venia digni viſi ſunt. Poſtea verò quam Domino fruebantur, vt ſcribitur, tunc iure, quoniam corporalia ſpiritualibus præpoſuerunt, acerba dederunt ſupplicia, & ad ſupplicia inſignẽ calamitatis memoriam reliquerunt.* Meritò durè plectuntur, qui poſt mannæ cibum, poſt cœleſte conuiuium, imò inter ipſas dapes Angelorum, ſeſe Ægyptiis carnibus, & ollis ingurgitant. Qui & cum mannæ dulcedine adhuc ſtudent gulæ: Vel contempto cæleſti pabulo, mundialibus comeſſationibus inhiant, iis, fallar, niſi & amaritudo accidat ſupplicij, vt ſint prorſus in gula, & in ſupplicio Iudæis ſimiles; de quibus ait D. Zeno lib. 3. ſerm. 44. *Nihil, vt arbitror, reſtitit Iudæis proprium, niſi quod agno ſalutari neglecto ingrati viles agnos cum amaritudine manducant.* Ecce tibi Chriſtiane, ecce tibi proprium Iudæorum facinus, quod veri agni ſalutaris pabula negligant, & pabulis mundialibus inhient, quibus mereantur ſuppliciorum amaritudines. Caue tu ne illis ſimilis agni diuiniſſimi menſam fugias, & comeſſationibus mundialibus incumbas; quo tibi acquires immane ſupplicium.

D. Cyril.

D. Zeno.

§. XX.

Agni imaculati cibus nos magnificè transfert in patriam ipſe enim & commeatus, & currus eſt.

PRo transferendis Iſraëlitis in terram promiſſionis vnus paratur comedendus agniculus, in quo totus vel regalis tranſitus apparatus conſtituitur. Dicit enim: *Eſt enim Phaſe (id eſt) tranſitus domini.* At in Dominorum tranſitu multa ſolent requiri, quæ ad commoditatem, & pompam viæ pertineant. Ibi & iumenta multa pro commeatu aſportando, & equi pro familia, & currus, & lecticæ pro Dominis ipſis. Qui equi, qui currus, quæ lecticæ in hoc dominico tranſitu? Sanè agnus diuinus nobis in conuiuio oblatus pro omnibus ſufficit, ipſe commeatus, ipſe lectica, & currus, vt magnificè, & commode nos transferat in patriam promiſſam. Cum Ioſeph ageret de transferendo patre ad Regiam Ægypti Gen. 45. præmiſit fratres ſuos, *Quibus dedit plauſtra ſecundum Pharaonis imperium, & cibaria in itinere. Singulis quoque proferri iuſſit ſtolas binas*, &c. *addens eis aſinos decem*, &c. Itaque dum magnificum patris tranſitum ad Ægyptum parat, & cibaria mittit, & veſtes, & iumenta, & currus. At Deus pro transferendis ſuis vnum exhibet agni diuini cibum; cur non currus, equos, & aurigas ſimul mittis? Equidem omnia hæc ſunt in agni diuini conuiuio. Ait Guatricus Abb. ſerm. 1. de Reſur. *Caro Chriſti eſt viaticum: Spiritus vehiculum. Ipſe eſt cibus, ipſe currus Iſraël, & auriga eius.* Nihil magnifici apparatus ad viam requiritur, quod non inueniatur in epulo agni diuini. Quando ibi Deus eſt, & commeatus eſt, & viaticum, & currus, & auriga, qui nos magnificè faciat ad patriam tranſire. Apoc. 2. dicit Dominus: *Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum.* Quo circa D. Auguſtin. apud Viegas, ait: *In quo calculo nomen nouum ſcriptum eſt, id eſt, notitia Filij Dei.* At vbi manna cœleſte victori promittitur, vbi ſuauiſſimæ Euchariſtiæ epulæ parantur nobis, in quibus, & cibus datur, & pretioſi calculi pro viatico offeruntur, quid neceſſum eſt ibi præfigi nomen diuinum, id eſt, imprimi notitiam Dei Filij? Crediderim, ibi præfigi Filij Dei notitiam, vt inſinuentur quanta nobis veniũt in cibo diuino, vt veniunt & annona, & ornatus, & currus, & auriga, qui nos ad patriam deducat per omnes virtutes. Accippe ſimile Exod. 28. vbi poſt deſignatum ornatum Sacerdotis ſummi dicit: *Facies & laminam de auro puriſſimo, in qua ſculpes opere celatoris Sanctum Domino.* Itaque poſt omnem Sacerdotis ornatum iubet laminam auream poni in fronte ſacerdotis, quæ habeat inſculptum nomen diuinum. Ad quid hæc lamina cum nomine diuino? Pulchrè in rem præſentem D. Hieron. epiſt. 128. inquit: *Lamina aurea rutilat in fronte; nihil enim nobis prodeſt omnium rerum eruditio, niſi Dei ſcientia coronemur. Lineis induimur, ornamur hyacinthinis, ſacro baltheo cingimur, imperfecta ſunt vniuerſa, niſi tam decoro currui dignus auriga quæratur, & ſuper creaturas creator inſiſtens, regat ipſe, quos condidit.* Quid pulchrius? Datur in lamina diuino nomine inſcripta diuinitatis notitia, quæ & currum exhibeat virtutum, & auriga ſit, qui ſuos, & portet, & regat alumnos. Datur etiam nobis, cum manna cœleſti, cum epulo diuino & calculus inſcriptus nomine Dei, diuinitatis notitia; vt oſtendantur, quàm ibi abundent omnia, & cibus, & veſtitus, & currus, & auriga ad triumphalem profectionem in patriam ex Ægypto.

Gen. 45.

Guarric.

Apoc. 2.

Exod. 28

D. Hier.

§. XXI.

Dolores & tormenta in Chriſto feſtinatiſſimum tranſitum ad gloriam operantur.

MIrum eſt, quod agnus occiſſus, & igne toſtus dicatur Domini tranſitus. Sic enim ait: *Eſt enim Phaſe (id eſt) tranſitus Domini.* Qui occiditur, qui torretur, qui editur, is eſt tranſitus? hoc ſanè non inuenitur in pecude creata, at inuenitur in diuiniſſimo Ieſu agno, qui dum percutitur, dum transfoditur, dũ veru crucis aſſatur, ad regni gloriam feſtinatiſſimus tranſit. Simile habes in 1. Reg. 18. vbi dum Dauid citharam pulſabat, Saul arripiens lanceam: *Miſit eam putans, quod configere poſſet Dauid cum pariete; & declinauit Dauid a facie eius, lancea autem caſſo vulnere perlata eſt in parietem.* Non ſic apud Ioann. cap. 19. quin imò cum penderet cruce Ieſus: *Vnus militum lancea latus eius aperuit.* Et aduersùs Dauidem, & aduersùs Ieſum lancea iacitur; ſed Dauid inuulneratus aufugit, Ieſus autem tranſuorberatur lancea. Quid tunc? Qui ferrum vitat, diu fugiens peregrinatur in mundo; at qui ſub ferri vulnere, & doloribus cadit, in euidentiſſimum regnum tranſit. Ait ibi Rupert. lib. 2. cap. 7. *Dauid quidem in figura patiens, non confixus euaſit fugiendo; ille autem, cuius paſſiones præfigurantur, etiam lancea, clauiſque confixus euaſit in regnum.* Non quidem in Dauide, quẽ vitauit, ſed in Ieſu, quem ferrum transfodit, regnum parturit: Sic vulnera, dolores, & tormenta in Chriſto proficiunt, vt regnum, & gloriam citiùs inde capiat. Ionas, vt à Niuitis fugeret, aſcendit nauim, tempeſtatem patitur, mittitur in mare, à cete abſorbetur, tandem vorax piſcis cap. 2. *Euomuit Ionam in aridam*, nimirùm Niniuitis proximiorem, vt notat noſter Ribera. Itaque, qui à Niniuitis valde agebat remotus, vbi abſorptus à cete fuit, illis apparuit proximior. Quantum protenti hoc? Equidem & dolores, qui nos premunt, qui nos deuorant, in Chriſto proficiunt, vt ſimus regno propinquiores. Ait Euſeb. Gallic. hom. 2. de Paſch. notans Ieſum abſorptum à morte, & in regnum velociorem: *Quis eſt iſte, qui intra auidos victus aſſumi poteſt, conſumi non poteſt? Cibus eſt, corruptio non eſt; traditur perditionis profundo, & ſeruatur ipſius mortis obſequio.* Expende illud: *Mortis obſequio*; Quando vel ipſa mors vorax in Chriſto ſaluti obſequitur & liberationi, & gloriæ. Eam ebibunt dolores, & tormenta in Chriſto efficaciam,

1. Reg. 18

Rupert.

Ionas 2.

Euſeb.

caciam,qua potius videantur ad festinatissimam gloriá
Chrysost. spectare. Ex quo D. Chrys. orat. in adorat. crucis allata à Grethsero nostro tom. 2. ait: *Hodie Christi Ecclesia alius paradisus efficitur, cùm sanctissimum venerandæ crucis lignũ in medium proponit, eámque passionis Christi velut pompam præambulam, & resurrectionis eius, tanquam præresuscitationem statuit.* Expende illud: *Præresuscitationem*; quasi videretur Christi resuscitatio sera; vbi crux apparet, quæ in Christo didicit præresurrectionem, hoc est, festinatissimam resurrectionem importare.

§. XXII.

Durissimum est parentibus, quod filios pœna afficiat.

VT postrema, sic omnium durissima hæc plaga fuit Ægyptiis; ait enim Deus: *Percutiam omne primogenitum in terra Ægypti.* Et fallar, si quid acerbius parentibus accidat, quam quod videant filios perire. Nota fuit irrisio, quam iacenti Noëmo fecit Cham Gen.
Gen 9. 9. hanc vt plecteret Noë seueriss imè, ait: *Maledictus Chanaam puer, seruus seruorum erit*, &c. At non Chanaam, sed pater eius Cham irriserat, cur non magis in Cham procedit vindicta? Equidem sic vehementiùs Cham percutitur, cum videt culpa sua maledictionem
Procop. transferri ad filium. Ait Procop. *Cham punitus est in filio, qui maledictionis expertus est aculeos. Et maior dolor cruciabat patrem, cum videret filium maledictione diuexari. Grauius enim affligimur calamitate liberorum, quam si nobis aliqua miseria obiiceretur.* Hic est summus dolor parentum, quod videant filios torqueri; qui dolor, & crescit, si filius patiens fuerit primogenitus. Quò spe-
Zach. 12 ctans Zacharias capit. 12. vt vehementiam doloris crucifigentium Iesum exprimeret, ait: *Et plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt*
Cyr. Alex. *doleri solet in morte primogeniti.* Vbi diu. Cyrillus Alexand. ait; *Profusissimis namque lacrymis parentes primogeniti, & dilecti mortem semper prosequuntur, nec plangendi modum sustinent, estque dolor longinquus planè, & quasi perennis, acriter, & intolerabiliter vellicando animos macerans.* Sic intolerabilis est dolor parentibus in morte primogeniti. Qui enim filiorum mortem non doleat,
Deut. 16. is non homo est, sed dæmon. Quippè Deuter. cap. 16. de Chananæis dicitur: *Omnes abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt diis suis, offerentes filios,*
Psal. 105 *& filias, & comburentes igne.* At Psalm. 105. non dixit, quod immolarent filios diis, sed dæmoniis, aut enim: *Immolauerunt filios suos, & filias suas dæmoniis.* Non enim nisi à dæmoniaca sæuitia posset venire, quòd patres
Procop. non immensè dolerent, dùm vexarentur filij. Ait Procopius ad cap. 12. Deuter. *Dæmoniacum est naturalem affectionem erga affectam sobolem conculcare.* Soli, qui exuerunt hominem, & dæmonium induerunt, possunt non summè dolere in morte filiorum.

§. XXIII.

Sanguis Christi in altari omnia absorbet peccata.

SAnguis agni impressus superliminaribus domus solis Israëlitis afferebat incolumitatem. Ait enim: *Erit sanguis vobis in insignũ ædibus: Videbo sanguinem, & transibo vos.* Ecce tibi vt vindex iniquitatum transit Israëlitas, ad conspectum sanguinis positi in superliminaribus. Et cur etiam sub hoc sanguine non etiam Ægyptij saluantur? Erat sanguis in postibus, nondum apparuerat immaculati agni sanguis positus in altari, qui omnium hominum absorbet peccata, & vniuersos sal-
Exod. 24 uos facit. Hinc Moyses Exod. 24. de oblatis victimis accepit sanguinem, & dimidiam partem sanguinis, *Misit in crateras, partem autem residuam fudit super altare.* Iam non in domus postibus, sed in altari ponitur sacer
D. Amb. sanguis, cur in altari? Ait D. Ambr. epist. ad Simplicianum: *Quod verò ad altare effundit sanguinem, intellige re licet ablutionem mundi, remissionem omnium peccatorum. Etenim sanguinem illum ad altare, quasi hostiam effundit ad multorum exhaurienda peccata, agnus enim hostia est, sed agnus non irrationabilis naturæ, sed diuinæ potentiæ, de quo dictum est: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Non solum enim mundauit peccata vniuersorum, sed etiam diuina potestate donauit.* Ecce tibi vbi diuinissimus sanguis cœpit rubere ex altari, mundum vniuersum emundat; nullam præterit maculam, quam non lauet, quantum est ex se; cuiuscunque gentis, & conditionis fuerit homo, habet vnde munditiem capiat, & indemnitatem, ex quo Christi sanguis in altari purpurascit. Noëmus post diluuium Gen. 7. *Ædificauit altare Do-* Gen. 7.
mino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocausta super altare. Quibus verbis non tam intelligendum est Noëmi facinus, quàm Christi Domini; post cuius passionem apparuerunt in Ecclesia Dei ædificata altaria, in quibus corpus Christi à Sacerdotibus quotidie immolatur, & cum simul cum illo omnes homines immolamur. At cum dicit de cunctis pecoribus mundis fuisse holocausta oblata; quis peccator non se excluſum putet à sacrificio tanto? An mundus dicat, qui sum immundo conceptus semine? Ergo qui immundi sumus, prorsus debemus exulare ab aris? Verùm cùm dicit: *De cunctis pecoribus mundis*; non id dicit, vt excludat immundos, sed vt ostendat nullum esse, qui non sit ab huius altaris sanguine mundatus, & seruatus. Ait Rupert. lib. 4. in Gen. cap. 27. *Amplius, &* Rupert.
in hoc mysterium Domini nostri Iesu Christi præfulsit, qui nouum altare, nouúmque sacrificium instituit, & quod seruatum est in passione, in holocaustum Deo patri tam per semetipsum, quàm per manus Sacerdotum offerre non desinit, Ipsum denique corpus, ipsum sanguinem, qui illis effusus est, ei offerimus, qui eum à morte saluauit. Præterea de cunctis animantibus mundis, munda autem sunt omnia; quæcumque autem hactenus fuerant immunda, illa suo sanguine mundauit. Proh efficaciam diuinissimi sanguinis! qui in altari Eucharistico apparuit; nullum excludit, nullam ex se differentiam facit, sed omnes ex equo mundat, omnes sanat. Etiam quæ immunda repellebantur, sub hoc sacro sanguine in altari propinato noua munditie candent. Hinc Petrus Actor. 10. *Vidit cœlum apertum,* Actor. 10
& descendens vas quoddam, velut linteum magnum quatuor initiis, submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli. Quæ omnia mandantur comedi Petro, vt munda, & pura. Sed vnde serpentia terræ potuerunt dici munda, & munda haberi, nisi ex eo, quòd in linteo submittebantur? Equidem linteum mensam diuinam ob oculos mihi proponit, in qua sub vini specie sanguis diuinus propinatur. A qua mensa illud oritur, quòd nullum animal sit reiectaneum, sed serpentia etiam sub salutari munditie candent.

Exod. 12. Habebitis hunc diem in monimentum, & celebrabitis eum solemnem Domino, in generationibus vestris cultu sempiterno. Septem dies azyma comedetis. In primo die non erit fermentum in domibus vestris. Quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israël. Dies prima erit sancta, atque solemnis, & dies septima eadem solemnitate venerabilis. Nihil operis facietis in eis, &c.

§. XXIV.

Ingratitudo in vindictam armat etiam mansuetos.

QVi sub agni figura se comedendum offerebat, memoriámque sui beneficij Israëlitis præstiti in panibus azymis collocabat, sic hanc memoriam repetit, vt si hæc deficiat, quam modo arcet, tunc mortem minetur. Ait enim; *Quicunque comederit fer-*

mentatum, peribit anima illa, &c. Et cur pereat homo, eò solum quod fermentatum, & non azymum comederit? Quantum hoc malum, quod adeò seuerè pœna mortis Deus plectit? Sanè, in cibo fermentato nulla erat memoria diuinæ beneficentiæ Israëlitis præstitæ, quam perdere ingratissimi animi est, & acerbissima morte, vel à mansuetissimo Deo plectendi. Ad hæc Oleaster. Oleaster, ait: *Audis hic quale malum sit ingratitudo, quæ mortis pœna mulctatur.* Et fallar, siqua culpa sic armet in vindictam mansuetos, vt ingratitudo. Nota est historia Dauidis, quando misit Nuntios ad Nabal, vt peterent refrigerium cibi ab eo, cuius greges sæpe à malo custodierat. Iuerunt Nuntij, Domini sui proponunt indigentiam, & quàm honestè, & reuerenter possunt, aliqualem alimoniam petunt. Negat ille, vel frustum panis se daturum homini sibi ignoto, quod vbi Dauid resciuit, ira exardescens iubet suos in vindictam armari. 1. Reg. 25 Ait enim text. 1. Reg. 25. *Tunc ait Dauid pueris suis: Accingatur vnusquisque gladio suo*, &c. Mirabar in viro mansuetissimo tantum vindictæ ardorem, quòd statim stringat ferrum aduersùs Nabalem; qui & aliorum iniurias mansuetissimè tulit. Et cur qui sæpe in iniuriis patiens fuit, modò sic ad arma festinat pro Nabale percutiendo? Multa bona receperat Nabal à Dauide, quorum immemor se prorsus ingratum ostendit, vnde non miror, quòd in se armet virum adeò mansuetum. Ait Theod. Theodor. ibi: *Quamobrem, is, qui in Saulem tantam ostendit lenitatem, & patientiam, Nabalem tentat occidere? Iste multis beneficiis sæpe fuerat affectus. Nam cum pastoribus Dauid versans in solitudine, non solum prohibuit suos aliquid auferre ex iis, quæ ad ipsum pertinebant, sed etiam repulit damna, quæ aliunde ei afferebantur: Recordatus ergo Dauid horum beneficiorum, & auditis conuitiis, & contumeliis magno impetu venit armatus.* Et quem non armet in vindictam obliuio beneficiorum, quæ ab illo venerant? Sanè nihil non meretur ingratus homo, nullàque illi magna potest esse pœna. Vnde Oseas cap. 11. Israëlitarum perditionem, reiectionemque eorum meritis respondere, vnum hoc dicit ex parte Dei: *Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis, & nescierunt, quòd curarem eos.* Vide criminis exaggerationem: *Et nescierunt, quod curarem eos:* quippè salutem accipiebant, & saluatorem nesciebant. Quantum hoc crimen ad tantam pœnam eiectionis? Cyr. Alex. Ait D. Cyril. Alexand. ibi: *Grauissimum autem esse crimen ingratæ voluntatis, & quasi omnis improbitatis conuictum merito puniri, qui hoc morbo tenetur, & hinc facile est videre. Ingratus enim est similis blasphemo.* Quodcunque crimen excogitaueris, de illo conuictum puta hominem, qui est ingratus. Qui ingratus est, nihil horrendum non audebit, nullum facinus execrabile recusabit, vt hinc pateat, quantis debeat vel à mansuetissimis D. Naz. castigari. Et meritò D. Nazianz. orat. 3. hoc ingratitudinis vitium tatuit caput omnium facinorũ, & abominationum, quæ perpetratæ sunt à Iuliano. Sic enim ait: *Vnum igitur, & princeps illius facinus hoc est, quod à magno Constantio, qui patri nuper in imperio successerat, salutem consecutus, & quidem salutem inopinatam, & incredibilem cum fratre consecutus, nec Deo ob salutem, nec Imperatori, per quem salutem acceperat, gratiam habuit, verum vtrique nequam, & improbum se præbuit.* Hoc in flagitiosissimo homine ponitur pro omnium flagitiorũ capite, quod minimè habuerit benefactoribus suis debitas gratias. Et meritò in hoc crimen reiiciuntur, tanquã in fontẽ, vniuersa mala tanti Apostatæ: quando ingratus animus nihil nõ audet, quo possit in se mala cõglomerare.

§. XXV.

Sub crucifixi Domini memoria nequit admitti cupiditatum solatium.

ET redemptionis per agnum immolatum peractæ festum, & memoriam agni, & azymis vesci simul lex cauet. Quippè ait: *Habebitis hunc diem in monimentum, & celebrabitis eum solennem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. Septem diebus azyma comedetis*, &c. Ecce in commemoratione salutis factæ per agni sanguinem, fermentatum excluditur, & insipidus panis azymus infertur. Non enim benè conueniunt, & gulæ solatium, & commemoratio agni diuini, qui sanguine fuso nobis salutẽ emit: Similiter cauetur Leuit. 2. vbi ait lex: *Omnis oblatio, quæ offertur Domino,* Leuit. 2. *absque fermento fiet, nec quicquam fermenti, ac mellis adolebitur in sacrificio Domini.* Non admittit dominicum altare fermentum, nec suauitatem mellis; immolati enim agni memoria, quæ in altari fit, prorsus excludit quicquid ad suauitatem, & solatium pertinet. Ex quo ait Germanus patriarcha Constantinopol. orat, in adorat Germ. crucis, tempore medij ieiunij apud Grethserum to. 2. *Obtemperate præeunti per asperam viam, & cedite, & honorate eius altare: nihilque afferte, quod sensum exhilaret, & oblectet, & ad voluptatem resoluat. Cruci enim dolor competit, non voluptas; fellis hic gustandi tempus, non mellis, altare Christi respuit fermentum Ægyptium; post resurrectionem erit esus mellis, & sinceræ voluptatis fruitio.* Quid pulchrius? Quid sapientius? Dum in hac vita mortali sumus; memoriámque pro nobis immolati agni celebramus, fallimur, si suauitatibus excipiendis operam damus. Tempus est fellis, non mellis, tempus insipidi, & azymi panis, quidquid suaue est, quidquid dulce absit ab illo, qui accedit crucifixi aris. Diuinissimum agnum sub pallore mortis mirabatur Ierem. Thren. 4. dicens: Ierem. 4. *Quomodò obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* Sanè, cuius caput aurum optimum erat Can. 4. nimirùm, aurum splendens, aurum rutilans, decoloratum est, & versum in pallorem exanimis. Quid tunc? Ait Dauid Psal. 67. *Erunt pennæ columbæ deargentatæ, &* Psal. 67. *posteriora dorsi eius in pallore auri.* Non solum aureus Iesus pallet, & decoloratus apparet, sed & columba eius, nimirùm sponsa eius sub eodem pallore ostenditur. Et cur columba Dei, sponsa Dei non rutilans, sed pallidum refert suum aurum? Vidit pallere Iesum, vidit eum sub mortis pallorem cadere; & statim ipse similiter pallere elegit, & quidquid lucidum, & rutilum est, longè abiicit. Accipite D. Bern. ser. 61. in Cant. fantem: D. Bern. Aurum Verbum, aurum sapientia est: *Hoc aurum semetipsum decolorauit abscondens formam Dei, & formam serui prætendens. Decolorauit & Ecclesiam, quæ ait: Decolorauit me Sol. Ergo & posteriora illius in pallore auri, quæ fuscum non erubuit crucis, vstionem passionis non horruit, liuorem vulnerum non refugit. Et iam complacet sibi in illis, & optat nouissima sua fore horum similia.* Prudens anima, quæ vt crucifixum Deum meminit, quidquid de crucifixi forma non venit, constanter abiicit, & illi in doloribus, in amaritudinibus, in infirmitate assimilari amat. Nequit in se admitti, aliud, quàm id, quod videt in agno ad aras crucis immolato.

Exod. 12. Ite tollentes animal per familias vestras, & immolate Phase. Fasciculúmque hyssopi tingite sanguine, qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare, & vtrumque postem. Nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ vsque mane. Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios. cúmque viderit sanguinem in superliminari, & in vtroque poste, transcendet ostium domus, & non sinet percussorem ingredi domos vestras, & lædere, &c.

§. XXVI.

Nullus est adeò ferus, & brutus, qui non saporetur, & suauietur in Christi passione.

DVm agni sacrificium Moyses mandat, non otiosè abstinuit ab agni, siue hœdi vocabulo, & communc

mune omnibus,vel feriſſimis nomen poſuit:trait enim: *Tollentes animal per familias veſtras, & immolate Phaſe.* Cur non magis vſus eſt noto agni nomine? Cur placuit dicere animal,quod feriſſimis etiam commune eſt? Sanè vbi diuini tranſitus memoria fundabatur, quo Ieſus tranſiturus erat de mundo ad Patrem,non offendebat vel feriſſimis commune vocabulum;nullus enim adeò ferus,aut brutus affectus in paſſionis Dominicæ memoria non ſuauiatur.Petrus Actor. 10. *Vidit cœlum apertum,& deſcendens vas quoddam,velut linteum magnum quatuor initiis,ſubmitti de cœlo in terram,in quo erat omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli. Et facta eſt vox ad eum:Surge Petre,occide, & manduca.* Ecce tibi Petro oſtĕduntur in linteo omnia quadrupedia animalia,& ſerpentia,ſic præparata, vt poſſint edi, vt ſuauiſſimæ eduntur epulæ.Sed vnde ſuauiantur ſerpentia terræ,vt poſſint vorari à Principe Eccleſiæ? Vide in quo linteo veniebant, erat enim linteum, quo Ieſus pro nobis immolatus, inuolutus ad ſepulturam fuerat,& in quo neceſſario ſtigmata dolorum eius erăt impreſſa. Quid plura? Dominicæ paſſionis ſub linteo nullum animal adeò ferum,adeò brutum eſt,quod non ſuauietur,& recipiatur intra membra Eccleſiæ. Ait D. Hilar.in Matth. canon. 33. *Ioſeph munda ſindone corpus Ieſu inuoluit, & quidem in hoc eodem linteo reperimus de cœlo ad Petrum vniuerſorum animantium genera ſummiſſa.* Vide vt in linteo crucifixi Domini poſita feraliſſima quæque, & maximè bruteſcentia animalia, in eam ſuauitatem deuenerunt, quæ poſſent ſuſcipi à Petro. Similiter Gen. 7. tempore diluuij: *Ingreſſus eſt Noë,& filij eius,vxor eius, & vxores filiorum illius cum eo in arcam propter aquas diluuij. De animantibus quoque mundis,& immundis, & de volucribus, & ex omni, quod mouetur ſuper terram, duo, & duo ingreſſa ſunt ad Noë in arcam.* Mirabar, vt tot animalia, & feraliſſima, & carniuora, & rapacia potuerint ſimul conuenire in arca, nec huius manſuetiſſimæ conuentionis vllam aliam rationem aptiorem inueni, quam ipſam arcam vndique myſteria crucifixi aſpirantem, vt communiter prædicant ſancti Patres. Vbi autem crucifixi Domini myſterium radiat,feraliſſima quæque, & ſummè bruteſcentia ſuauiantur. Sed accipite nobiliſſimum huius rei commentatorem D. Baſilium Sel. qui orat. 6. & quæſtionem proponit,& ſolutionem pandit. Ait enim: *Verum age, quomodo arcà capi poterant tot animalium genera? Quomodo,quæ ab ingenio inter ſe diſcordant,in nona ſecum fœdera concordabant? Quomodo reptilium natura poterat eſſe pacata? Quibus frænis reprimebantur ferarum genera? Quomodo carniuora cum herbilegis ſtabulabantur,&c. O arca virtutum ſchola! O ſcapha admirabilis ligni ſalutaris vmbra,& imago! O quæ crucis gratiam præoccupaſti!* Quid pulchrius? Equidem in arca crucis imago, viſebatur iam ibi crucis dominicæ myſterium,& gratia, ſub qua non eſt adeò ferus, & brutus animus,qui in ſuauitatem,& facilitatem non abeat. Huc etiam ſpectat illud Abach. c. 3.ad Filium Dei dictum: *In medio annorum notum facies:* vbi Septuag. poſuere: *In medio duorum animalium cognoſceris:* quod D. Auguſt. 18.de ciuitate,cap. 32.refert ad tempus crucis, quando crucifixus Dominus inter latrones, alteri eorum & feraliſſimo, & rapaciſſimo ſuæ paſſionis gratiam impertiit,& eum in ſalutem traxit. Quis feralior, & magis brutus,quàm latro? Is ad crucifixi latus mollior cera factus humaniſſimam induit ſuauitatem. Ex quo D. Chryſoſtom. orat. de cruce, & latrone apud Grethſerum tom. 2. ait: *Non enim mortuum excitans, non mari imperans, non Dæmones increpans, ſed crucifixus,clauis affixus,iniuria affectus,ſputis oblitus, conuitiis impetitus,potuit ad ſe malam latronis mentem attrahere. Vide vtrinque potentiam illius effulgeſſentem. Creaturam concuſſit, petras diſrupit, animam latronis petra duriorem,cera molliorem effecit.* Quid plura? ſic feraliſſimi, brutiſſimíque animi ſub crucifixi aſpectu molleſcunt, & ſuauiantur.

Act. 10.

D. Hilar.

Gen. 7.

Basil. Sel.

Abach. 3.

Chryſoſt.

§. XXVII.

Præſtantior fœlicitas eſt, qua in domo tua, inter tuos frueris.

POſſit equidem Deus Iſraëlitas etiam à domibus exeuntes ſaluare,& liberare ab exterminatore, ſed maluit, vt hac ſalute fruerentur ſinguli clauſi intra proprias domos.Sic enim cauet: *Nullus veſtrum egrediatur oſtium domus ſuæ vſque manè.* Et quidem pertinet ad præſtantiorem hominis fœlicitatem,quod propria in domo inter ſuos fœlicitare gaudeat. Ex quo ſapientiſſimè Nazianzen.extollebat ſuę patriæ præſulatum ſibi oblatum orat. 8. fatus: *Paternis laboribus ſuccedere dulce eſt,ac noto, & familiari præeſſe iucundius quam externo,& alieno, addam etiam, & Deo charius.* Sapientiſſimè vir Theologus ad maiorem iucunditatem,& dulcedinem, imò ad rem magis ipſi Deo probatam refert, quòd quis paterna in domo inter ſuos dignitates clareat. Quod vt maximum fœlicitatis culmen eſt,ſic impiis hominibus ſæpe inuenitur negatum. De impio ait Iob c. 18. *Lux obtenebreſcet in tabernaculo eius.* Erit enim quandoque impius in luce,in dignitatum, & fœlicitatum ſplendore, ſed hæc lux non illum in domo ſua comitabitur: id quod Septuaginta magis expreſſerunt,dicentes: *Lux eius tenebræ in domo.* Multum lucis habebat apud exteros, ſed in propriis tenebroſus,& obſcurus erat. Pro quo eleganter mordet Iudæos.Zeno ſerm.4.de Iudæis fatus: *Quid tumet Phariſæus inanis, quem momenti præterita delectat vmbra? Exaltat,quod in Ægypto creuerit, at in originali decreuit ſolo.* Tota quidem lux externa obnubilatur, & obtenebreſcit, quando quis apud alienos fœlix eſt, in ſuis infœlix. Quo refero dicta 1.tom.de Chriſto figurato libro 2.cap.5.§.23.

Nazian.

Iob 18.

D. Zeno.

§. XXVIII.

Efficacius, & præſtantius ſacrificium exhibes,in quo rationis partem ſubiicis Domino.

TOtus agni immolati effectus Iſraëlitas protegebat manentes intra domum. Sic enim habet: *Nullus veſtrum egrediatur oſtium domus.* Sic intra domum quiſque ſeruabatur ſub ſacrificio agni. Longè aliter monebat Paulus Chriſtianos poſt Ieſum in cruce immolatum,aiens 1.ad Thim.2. *In omni loco leuantes puras manus ſine ira*; &c. Ibi in ſola propria domo licebat ſperare ſalutem per agni immolationem, hîc in omni loco iubet,vt ſperemus, & petamus per Ieſum ſaluari. Et cur hic in omni loco? Chryſ.orat.de cruce,& latrone apud Grethſer.to.2.ait: *Iudæis præcepit Deus,vt vno in loco immolarent,& preces in vno loco funderent. Cùm Chriſtus venit, & extra ciuitatem mortem obiit, vniuerſam terram mandauit, omnémque locum orationi idoneum effecit.Omnis enim terra de cætero ſanctificata eſt. Et ſanctior eſt Iudæorum illis ſanctis. Qua ratione? Quia ibi quidem orationis expers; hîc verò ratione prædita ouis oblata eſt. Quanto igitur præſtantius id,quod rationem habet, eò, quod ratione caret,tanto amplior, & hîc ſanctificatio eſt.* Pecuina mactabantur in lege, ideò minor eorum efficacia ad ſanctificandum, vbi autem in Chriſto non pecuinum quid, ſed ratio Deo litabatur, efficacius ſacrificium apparuit,quo poſſet omnis terra, omníſque locus mundari. Ne dubites quiſquis Deo rationem ſumitis,rationem immolas,quod illi offeras præſtantiſſimum omnium ſacrificium, ſub cuius efficacia vbicunque fueris,poſſis viuere. Non enim immeritò aiebat Samuel.1.Reg.15. *Melior eſt obedientia,quàm victimæ,& auſcultare magis,quàm offerre adipem.* Licèt enim quidquid pecuinum eſt in te,& animale, Deo mactes,

1.Thim.2.

Chryſoſt.

1.Reg.15

non ſic places, vt per obedientiam places in qua pars
D. Greg. rationalis mactatur, & litatur. Ait D. Gregor. PP. lib. 6. ibi: *Longè altioris meriti eſt propriam voluntatem alienæ ſemper voluntati ſubiacere, quàm magnis ieiuniis corpus atterere, aut per compunctionẽ ſe in ſecretiori ſacrificio mactare.* Vbi illa pars, quæ ad rationẽ pertinet, Deo litatur, maius, gratiúſve ſacrificium exhibetur, quàm ſi omnia
D. Ignat. mactarentur animalia. Ex quo D. Ignatius meus parens in aurea illa epiſt. quam de obedientia dedit ſuis, ait: *Vos ergo per Chriſtum Dominum noſtrum obteſtor, qui ſeſe nobis non modo præceptorem, ſed etiam exemplar præbuit obedientiæ, vt ad eam virtutem toto pectore incumbatis, & glorioſæ victoriæ appetentes, atque auidi voſmetipſos ſuperare, id eſt, excellentiorem, & difficiliorem animi partem, voluntatem dico, atque iudicium expugnare, & ſubiicere ſtudeatis; quo Dei Domini noſtri ſolida, veráque cognitio atque amor veſtros ad ſe animos penitus trahat.* Ea eſt victima, quæ nos ſub Dei protectione maximè facit, nempe qua pars rationalis, ſcilicet voluntas, & iudicium ei perfectè litatur. Quo erediderim ſpectaſſe
Rom. 12. Paulum ad Romanos c. 12. *Obſecro itáque vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra Deo hoſtiam viuentem, ſanctam Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* In margine legitur: *Rationale obſequiũ*;
Chryſoſt. & Chryſoſt. *Rationalem cultum.* Et quod eſt rationale obſequium, niſi quod ſit in excellẽtiori hominis parte, nempe in ratione, quando non ſolum pecuinæ affectiones; ſed & rationales diſcurſus, & affectus in cap-
Nazian. tiuitatem adducuntur Deo? De iis dicebat Nazianzen. orat. 25. oſtendens quibus vinceret Arrianos: *Hi*, nempe Arriani, *domos habent, nos hoſpitem*; *hi templa, nos Deum; idque præterea, quàm viua viuentis Dei templa ſumus, victimæ viuæ, holocauſta ratione prædita, ſacrificia perfecta, dij denique Trinitatis adoratæ beneficio.* Et meritò Catholicorum perfecta ſacrificia, quibus dij ſimus, rationalia putantur, vt qui rationem captiuemus in Dei obſequium.

§. XXIX.

Vt Diaboli ingenium eſt percutere: ſic Dei ingenium eſt benefacere. In quo perfecta eius imitatio conſiſtit.

IN Iſraëlitarum ſalute, & Ægyptiorum morte diuiſum eſt munus inter Deum, & Diabolum iuxta cuiuſque ingenium, vt Deus ſuos protegeret, & Diabolus ſuos percuteret. Sic enim in textu de Deo: *Non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras, & ladere.* Percuſſor, ſecundum Hieronymum, erat Diabolus, defenſor Deus, & quid aliud faceret Diabolus, quàm percutere, & quid aliud faceret quàm defendere, & ſaluare
Euſeb. Deus? De vtriuſque ingenio pulchrè ait Euſeb. Gall. ſer. de Epiphan. & Machabæis: *Quos, per cruentiſſimum perſecutorem humiliauerat Diabolus, exaltauit Deus; quos ille damnauit, iſte glorificauit, ille opprobriis adimpleuit, hic præconiis: ille affecit flammis, refrigeriis hic refecit, ille induxit in mortem, hic ad vitam de morte perduxit; ille interfecit gladiis, hic dignos fecit coronis.* Ecce tibi quæ ſint Dei, & quæ ſint Diaboli, Dei eſt, quidquid ad ſalutem, ad vitam, ad incolumitatem facit; Diaboli eſt, quidquid ærumnam, mortem perditionem halat. Id
Iob. 2. quod clariſſimè patet Iob c. 2. vbi dicit: *Egreſſus igitur Sathan à facie Domini percuſſit Iob vlcere peſſimo.* Recedit nequam à Deo, vt percutiat; nunquam enim Diabolus non diſtat à Deo in affectu, & opere percutiendi, quando ad Deum pertinet ſalutem dare, ad Diabolum exitium inferre. Ex quo & grauiter, & ſapienter D. Na-
Nazian. zian. orat. 17. monebat vrbis perfectũ: *Ad Deum te adiunge, nõ ad mundi Principem: ad benignum Dominum, non ad acerbum tyrannum. Ille homicida erat ab initio. Tibi verò, homo Dei, in mentem veniat, quis te finxerit. Quocirca Dei humanitatem, & miſericordiam æmulare. Nihil tam diuinum homo habet, quàm benignitatem, ac beneficentiam. Licèt tibi nullo labore Deum fieri, noli diuinitatis conſequendæ occaſionem abiicere. Alij opes ſuas effundunt, alij exhauſtam carnem ſpiritui mancipant, ac propter Chriſtum emoriuntur, atque omnino à mundo ſe remouent. Alij chariſſimaſibi pignora Deo cõſecrant. Horum nihil à te poſtulamus: pro omnibus hoc vnum offer, nempe benignitatem, (qua Deus magis, quàm cunctis aliis rebus, in vnum collatis, delectatur) donum proprium, donum omni labe vacuũ, donum Dei liberalitatem, & munificentiam inuitans.* Quid ſapientius? Quid diuinius? Piaculum fuiſſet, vel verbulum prætermiſiſſe, quibus oſtenditur, vt Diabolum exuas, & Deum induas, Diabolum quidem exuis, ſi te ab omni acerbitate, ab omni duritie, ab omni nocendi affectu alienum exhibeas. Deum induis in beneficentiæ, & benignitatis ſtudiis, quibus Deum refers pluſquam in omnibus aliis virtutibus. Quò ſpectans etiam D. Seneſ. epiſt. 31. inquit: *Benè aliis facere, hoc ſolum habent homines cum Deo commune. Imitatio porrò conciliatio quædam eſt, idque quod imitatur cum eo coniungit, quod imitandum proponitur. Quamobrem ſic habeto affinem te Deo eſſe factum, eiuſdem beneficæ communione voluntatis.* Habes homo vt te per beneficentiam, pluſquam per alias virtutes, Deum ſtatuas. Et quis non amet, ſibi hac virtute promereri Deum? Et quis non metuat à Deo in hoc multum diſtare? Sanè vbi Lucas Luc 3.
cap. 3. Genealogiam deducit Saluatoris vſque ad primum parentem, ait: *Qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Sed Adami primogenitus filius non Seth, ſed Cain fuit. Cur ergo excluſo primogenito, Seth eligitur in auum Chriſti? Cur non magis Cain ponitur? Fateor Cain malum; ſed & aliæ perſonæ, quæ in illa genealogia ſunt, peſſimæ fuerunt. Cur ergo Cain excluditur, niſi ob crudelitatem in fratrem, quem percuſſit? Ait D. Amb. lib. 3. in Luc. *Siletur planè paricida fratris.* D. Amb.
Neque enim rationabile erat, vt is, qui percuſſerat fratrem, inter Domini numeraretur authores; cùm ſeruulos iſte ſeruauerit. Meritò homo crudelis in fratrem, vt alienus excluditur ab eius genealogia, qui ſeruulos etiã ſuos ſumma amplectabatur benignitate. Solet enim Dei Filius vt à ſe prorſus alienos damnare eos, qui fratrum carnificinam audent ſpectare. Accipere ex Paulo Oroſio Oroſio.
lib. 7. rem ad præſens intentum, ſingularem, & præclaram. Ait enim ibi cap. 4. *Tiberij Imperij anno duodecimo nono, & incredibilis clades apud Fidenatium vrbem accidit. Amphiteatri cauea, populo gladiatorium munus ſpectante, collapſa eſt, & pluſquam viginti millia hominum occidit. Dignum ſane poſteris tantæ correptionis exemplum, tunc ad ſpectandas hominum mortes auidos homines conueniſſe, quando pro ſalute hominum prouidenda Deus homo eſſe voluiſſet.* Fallar, ſi quid pulchrius in rem præſentem dici potuerit: quo oſtenduntur periiſſe, qui ſpectabant hominum interfectiones, quando Deus homo factus erat, vt ſalutem hominibus afferret.

Exod. 12. Et cùm dixerint vobis filij veſtri, quæ eſt iſta religio? Dicetis eis. Victima tranſitus Domini eſt: quando tranſiuit ſuper domos filiorum Iſraël in Ægypto, percutiens Ægyptios & domos noſtras liberans. Incuruatúſque populus adorauit, &c.

§. XXX.

Ad conſpectum ſacrorum multa exhibenda eſt reuerentia.

PRoponit Moyſes populo, vt ſacrificaturus eſt agnum, & vt recordaturus eſt redemptionis per agnum obtentæ, ad cuius vocem incuruat ſe populus, & adorat. Ait enim: *Incuruatus populus adorauit.* Et quid in illis verbis: *Incuruatus adorauit*? Iam ibi diuiniſſimi agni immolatio figurabatur, inſuper & commemoratio redemptionis humanæ, quæ in Euchariſtiæ epulis

epulis celebratur. Quod vel adumbratè populus percipiens,non miror, quòd ſumma reuerentia correptus adorationẽ exhibeat humi poſtratus. Quis vel ad vmbram tantæ redemptionis, ad conſpectum tanti agni, non proſtratus adoret tanti beneficij Largitorem? Magdalena dum ad oſtium excubat monumenti Ioannes 20. *Vidit duos Angelos in albis, ſedentes vnum ad caput, & vnum ad pedes vbi poſitum fuerat corpus Ieſu.* Aderant Angeli ſepulcro, vbi corpus Ieſu poſitum fuerat,aderant, inquam, ſumma reuerentia locum venerantes. Ex quo ſic nos monebat Chryſoſtom. homil.in Paraſceuen apud Grethſerum tom.2. *Cum igitur eum, qui in cruce affixus eſt, viſuri ſimus tãquam agnum mactatum, & immolatum, moneo, vt cum tremore, veneratione, ac reuerentia multa accedamus. An neſcitis, quomodo Angeli adſtiterint ſepulcro corporis experti, ſepulcro vacuo? Attamen cùm ſemel totum corpus Domini recepiſſet, multum honoris ipſi quoque loco exhibent Angeli, qui naturam noſtram excellentia ſua longè ſuperant, tanta reuerentia, & obſeruantia ſepulcro aſſiſtunt; nos non ad ſepulcrum inane, ſed ad ipſam menſam, in qua agnus poſitus eſt, adituri cum tumultu, & turbatione accedimus. Et qua nobis de reliquo venia ſperanda erit?* Res ſanè tremoris plena eſt; ſanctiſſimus, & exercitatiſſimus pater vix credit ſupereſſe ſpem veniæ iis, qui irreuerenter adſtant menſæ diuini agni immolati in Euchariſtia. Nec miror, quod ſic deploratos putet homines, qui coram Dei menſa audent, & irreuerenter ſtare, & alios ad peccandum prouocare, quando hos Caino peiores putat idem pater. De Caino autem paricidium meditante ait Gen.4. *Dixitq; Cain ad Abel fratrem ſuum: Egrediamur foras. Cumque eſſent in agro, conſurrexit Cain aduersùs fratrem.* Id,quod meditatus Chryſoſtom. homil.15. ad Popul.ait: *Quid facis homo? Super menſam adiuras ſacram, & vbi Chriſtus poſitus eſt immolatus, illic fratrem tuum immolas? Et latrones quidem in viis mactant, tu verò coram matre Filium immolas, ſceleratius, quàm Cain patrans homicidium? Ille nempe fratrem ſuum in deſerto, & præſenti morte mactauit; tu verò fratrem tuum immolas in medio Eccleſiæ, & morte futura immortali.* Sic, qui coram diuina menſa Deum offendit. alióſque impellit in peccatum, meritò Caino peiores habetur, vt qui non in agro, nec in deſerto, ſed in frequentiſſima Eccleſia non veretur operari nefaria. Fœlix ille, qui vel ad vmbram immaculati agni incuruatus adorat,& maximam ſui oſtendit reuerentiam erga ſacra. Petrus Actor.10. linteum videt à cœlo miſſum plenum animalibus, quæ mandabantur ab illo manducari. Et ad vocem perterritus ait: *Abſit, Domine, quia nunquam manducaui omne commune.* Expende illud: *Abſit, Domine*, vocabatur ad conuiuium immundorum animalium, & nihilominùs vocat Dominum eum,à quo ad talia vocabatur. Quid tunc? Ait D.Ambr.lib.2.de Spiritu ſancto cap.11. *Quoniam vocatus Petrus reſpondit*, Domine, *ideò ſecundùm euidentius meruit oraculum.* Quid non mereretur, qui vocatus ad prandium immundorum, ſic reuerenter tractat vocantem, vt illum vocet, *Dominum*, & quaſi in Domini conſpectu paueat? Sanè magni meriti res eſt, quod in conſpectu diuini pabuli Dominum reuereamur.

*Exod.*12. Factum eſt autem in noctis medio, percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui ſedebat in ſolio eius, vſque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum.

§. XXXI.

Perfecta apparet iuſtitia, quando præceſſit clementia.

POſt prænunciatum primogenitorum exitium, poſt agni mandatum eſum, ſub cuius ſanguine aſſylum eſſet aduersùs interfectorem, iam gladius iuſtitiæ exeritur. Dicit enim: *Factum eſt autem in noctis medio, percuſſit Dominus omne primogenitum*, &c. Et quando in noctis ſilentio tantam hanc iuſtitiam exercere Dominus decreuit, cur toties illam antea publicauit, & prædixit; & præordinauit ea, quæ protectioni eſſent? Si executioni quæritur nocturnum ſilentium, cur tot antea præconia vt malum, caueretur? Debuit ſanè præcedere multa exhibitio clementiæ, vt oſtenderetur perfectiſſimè rigor iuſtitiæ procedere. Aurea eſt illa ſententia Euſeb. Gallic. homil. de S.Ephipodio aſſerentis: *Euſeb.* *Non eſt perfecta iuſtitia damnantis, niſi clementia præcederet arguentis.* Dicitur equidem futurus Iudex quaſi fur, qui media nocte, quando altior ſopor increſcit, veniat, vt ſubitò rapiat; & nihilominùs id multis nobis notificant prophetæ, & euangelia: ad quid hæ voces prophetarum? Ad quid hæ voces prædicatorum? Si furis aduentus decernitur, vt imparatos premat, cur tot præmonitiones antecedentes, niſi quia neceſſum eſt, vt antea miſericordia teſtificetur, vt poſtea iuſtitia appareat perfecta? Non equidem perfecta iuſtitia appareret, quam miſericordia non antecederet. De natione diluuio abſorbenda dicitur Geneſ.6. *Cùm cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſet*, &c. *Geneſ.6.* Itaque homines illi, qui protinus erant de terra eradendi, mirum in modum multiplicabantur, & fœcunditate penè incredibili replebant terram. Et cur Deus iis tantam fœcunditatem tribuebat? Cur agebat, vt multiplicarentur illi, quos tam citò erat deleturus? Quòd fœcundi eſſent, ex Dei beneficentia proueniebat, quòd miſerè obruerentur aquis, opus erat diuinæ iuſtitiæ. Quando autem tanta iuſtitia exhibenda erat, merito præmittebantur opera clementiæ. Ait pulchrè D.Ambroſ.ibi: *Non debuit æſtimari defuiſſe gratiam fœcunditatis illi generationi, quam diluuia abſorbuerunt, vt quod fuit humani generis abundantia, diuinæ deputaretur gratiæ, quod diluuium ſecutum eſt, noſtris adſcribatur iniquitatibus. Sic & in poſterioribus inuenies quod ſecuturam Ægypti ſterilitatem, præceſſit totidẽ annorum fœcunditas. Principale eſt enim virtutis inchoare a beneficiis, & præſeminare gratiam. Vnde & Dauid ait: Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi, Domine. Præcedit beneficij gratia, ſequitur cenſura ſobriæ diſciplinæ.* Ecce tibi ordinem minimè ſuſpectæ iuſtitiæ, quòd nimirùm antea præſeminentur gratiæ; præſeminentur beneficentiæ opera, poſt hæc enim minimè ſuſpecta orietur iuſtitia. Quis ſub iuſtitiæ ſplendore gloriabitur, cum nullum vnquam gratiæ opus præmiſerit? Conueniant huc ſeueriſſimi iniquorum vltores, & cum multa, quæ miſericordiam habent, præſeminauerint, tunc gloriosè exerceant iuſtitiam.

§. XXXII.

Reuerentia erga Reges in ſolo Deo illis aſſiſtente fundatur.

TOlle ſignum Dei aſſiſtentis à Regibus; & nihil in eis, quod reuereatis, inuenies, ſed æquè ac miſeri ſerui priuatis calamitatibus ſubiacebunt. Ecce enim tibi vbi agni ſacrati ſanguis limina Pharaonis non linierat, ait textus: tranſiens percuſſor: *Percuſſit omnem primogenitum in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis, qui ſedebat in ſolio eius vſque ad primogenitũ captiuæ.* &c. Et cur non magis reueritus eſt primogenitum Regis ſedentem in ſolio eius, quàm primogenitum captiuæ? Cur æquè inuoluit Regem cum vilibus ſeruis? Non erat in Regis poſtibus ſanguis immaculati agni; non erat vllum veſtigium Dei aſſiſtentis, quo non magis fuit reuerenda percuſſori perſona Regis quam perſona ſerui. Non enim in regio cultu, ſed in Deo aſſiſtente fundatur præcipua Regibus exhibita reuerentia. Hinc Dauid nactus Regem Saulem in ſpelunca inermem, & qui à militibus petebatur ad necẽ, hoc vnum propoſuit,

propoſuit,quo militari furori eriperet Regem 1.Reg. 24.*Propitius ſit mihi Dominus,ne faciam hanc rem Domino meo,Chriſto Domini,vt mittam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt*,Expende, quò confugiat Dauid, vt Regi Sauli conciliaret militarem reuerentiam, ne illum confoderent vt vilem ſeruum, nimirùm: *Quia Chriſtus Domini eſt.* Quæ ponderans D. Chryſoſt. Chryſoſt.ait hom.de Dauid & Saule: *Neque tamen dixit,Rex eſt,ſed Chriſtus Domini eſt, non ab humano honore,ſed cœleſti iudicio ſumpto honorifico teſtimonio: Contemnis,inquit,conſeruum tuum,reuerere Dominum. Aſpernaris electum,metue eum, qui elegit.* In toto regali faſtu nihil firmum,nihil ſecurum inuenit, quo Regem tutaretur,niſi ad diuinitatis munus faceret intentus. Aſpernarentur homines hominem, contemnerent conſeruum,niſi in Rege diuinitatis, quid præſentirēt aſſiſtentis.Hinc magnus Theodoſius ab Arbitrio duce rebelli cùm ſub inſidiis in Alpium anguſtiis expectaretur ad necem; religioſus Princeps à ſuis deſtitutus ad Deum confugit, & inſidens non videns in apertos hoſtis exercitus ſeſe dedit. Cùm autem ad hoſtes curreret, in inſidias deuenit, quid tunc? Rebellis dux vbi tenuit circumuentum Regem,ad eius præſentiæ reuetentiam mutatus, cui mortē pararat, auxilium dependit,quo victoria clarus Theodoſius ad ſuos reuertit. Et quid vidit homo nequam in Theodoſio,quod nunc reueretur, ne noceret, quod antea minimè reueritus Theodoſ. eſt,cum rebellaret in eum?Sanè,veniebat Theodoſius Dei ſignaculo tectus,quod ſolum nobis reddit Reges reuerendos.Rem ponderat Paul. Oroſius lib. 7. *Theodoſius in ſummis Alpibus conſtitutus ſciens,quod deſtitutus à ſuis, neſciens, quod clauſus alienis, Dominum Chriſtum ſolus ſolum, qui poſſet omnia,corpore humi fuſus; mente cœlo fixus orabat. De hinc ſciens ſe eſſe non ſolum ſigno crucis tuendum,ſed & victoriam adepturum, ſigno crucis ſe muniens ſignum prælio dedit, ac ſe in bellum etiamſi nemo ſequeretur,victor futurus immiſit. Prima ſalutis via exiit Arbitrius hoſtilium partium comes: qui cùm ignarum Imperatorem circumpoſitis excepiſſet inſidiis, conuerſus ad reuerentiam præſentis Auguſti, non ſolum periculo liberauit,verùm etiam inſtruxit auxilio.* Expende illud? *Conuerſus ad reuerētiam*,&c.Expectabat ſolū,vt occideret; excepit ſolum,& reuēritus eſt; & quid te ad reuerentiam traxit eius,quem deſpiciebas, quem ad mortem petebas?Non ſanè regius aſpectus,quem ſæpe videras, & oderas,ſed regius aſpectus ſub agni diuini ſignaculo conſpicuus: *Sciebat enim ille ſe eſſe ſigno crucis tuendum.*Id,quod vniuerſi Reges ſciant,quod non ſub alio, niſi ſub Dei aſſiſtentis ſigno poſſint eſſe reuerendi hominibus.

§. XXXIII

Quales nos erga Deum exhibuerimus,tales ſe exhibebunt erga nos creaturæ.

IN primogenitos Ægypti Angelus perouſſor deſæuit, nullóque agni ſanguine ab aliis filiis abſtractus, ſolos percutit primogenitos. Sic text. *Percuſſit Dominus omne primogenitum*,&c.Et quando neceſſum fuit Iſraëlitarum limina ſanguine rubricari, vt dignoſcerentur, & non percuterentur: minores Ægyptiorum filij ſinè ſigno ſaluti dantur,& occiduntur ſoli primogeniti. Et cur Angelus, qui neceſſarium habuit ſignum ſanguinis, vt parceret Iſraëlitis, nullum ſignum requiſiuit, vt parceret minoribus Ægyptiorum filiis, & percuteret primogenitos? Sanè hoc iam multis didicerat Angelus, cum videbat ab Ægyptiis percuti populum Iſraëlitam Dei primogenitum. Promptū eſt enim creaturis ſe tales hominibus exhibere, quales ſe homines Theodor. Deo exhibent. Quò reſpiciens Theodor.quæſt. 22 in Exod. ait: *Primogenita Ægyptiorum occidi voluit, propterea quòd Iſraëlem populum,qui primogenitus Dei erat, nimis durè tractarunt.* Ecce tibi qui Dei populum primogenitum percutiebant, vident ab Angelis ſua percuti primogenita. Quid aliud expectarent à creaturis, qui idem illud exhibebant Deo? Quàm cæci Iudæi in Deum? Quanta caligine obtenebrati fuerint,nemo eſt, qui neſciat. Hæc illorum cæcitas, & caligo fecit,vt eū cruci affigerent. Sed vix in cruce apparuit,& ait Luc. Luc. 23. cap.23. *Erat autem fere hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terrā vſque in horam nonam. Et obſcuratus eſt Sol.* Et Sol, & lumina cœli caliginem tenebroſam induunt, qua reſpondeant Iudæorum cæcæ caligini in crucifigendo Chriſto. Ait D. Leo ſer. 10. de Paſſ. *His* Leo 10. *vocibus veſtris ſtultis reddunt vniuerſa elementa reſponſum,& vna in vos ſententiā ferunt,Cœlum, terra,Sol, ſideráque indignos vos ſuos miniſterio proteſtantur terribili motu, inſolitoque defectu tenebras mundo veſtræ cæcitatis oſtendunt.* Sic Iudæi & defectum ſuum, & cæcitatem tenebroſam in Deum in Sole, & luminaribus cœli erga ſe inueniunt.Quid plura?De ipſis Iudæis ait Dominus Pſal.21. *Dinumerauerunt omnia oſſa mea. Ipſi verò* Pſal. 21. *conſideraverunt me, & inſpexerunt me.* Rabidi ipſi humanitatis Chriſti velum ruperunt, vt vel oſſa occultiſſima cum irriſione, & opprobrio inſpicerent. Quæ dū peragunt,ait D.Matth. cap. 22. *Velum templi ſciſſum eſt* Matt.22. *in duas partes à ſummo vſque deorſum.* Vt enim illi rūpebant Chriſti carnem, & internis eius irridebant; ſic velum templi ſcinditur eis, omniāque eorum ſacra exponit conculcanda, & irridenda. Ait D. Chryſoſt. Chryſoſt. orat.in Paraſceu. apud Grethſerum tom. 2. *Quare ſciſſum eſt velum? Quia templū per ea, quæ velo ſuo acciderūt, tantum non exhortationis modo iſta protulit. De cætero Sancta Sanctorum conculcet,quiſquis volet. Propterea ſciſſum eſt velum ſignificans ſolitudinem,& vaſtationem poſthac in perpetūm futuram.* Reuelabat ſciſſum velum Iudæorum ſacra conculcanda, & irridenda; vt ipſi per ſciſſuras in Chriſti corpore factas,intima eius oſſa cum irriſione inſpiciebant. Sic ſemper eadem inueniemus in creaturis erga nos, quæ fecerimus Deo.

§. XXXIV.

Irrationabilium pœnæ oſtendunt maiores alias hominibus imminere.

NOn contētus eſt Angelus percutere primogenitos hominum Ægyptiorum,ſed & primogenita percuſſit pecorum. Ait enim: *Et omne primogenitum iumentorum.*Et cur non ſolùm filij,ſed & percutiūtur iumenta,niſi vt in irrationabilibus iſtis oſtendātur,quàm maiores pœnæ maneant,& immineant rebellibus?Poſt Chriſti Domini mortem à Iudæis illatā, quid non ſuſtinuere creaturæ?Luc.23. *Obſcuratus eſt Sol.* Matt 27. Luc. 23. *Velum tēpli ſciſſum eſt*,&c.*terra mota eſt,petra ſciſſæ ſunt.* Et quando Iudæi ſcelera in Ieſum patrarunt, cur Sol, & terra, & petræ inſenſibiles pœnas dederunt? Quid hæc inſenſibilium rupturæ protendebant? Sanè hæc apertiſſimè monſtrabant, quanto maiora, & acerbiora Iudæis imminebant. Ad hæc pulchrè. D.Zen. lib.3. D. Zen. ſerm.39.ait:*Cœlum medio die perdidit diem:terra tremore nimio firmitatem. Hinc æſtimare licet,quid eis ſit reſeruatum; quorum in anima funerei luctus pertulit natura ſupplicium.* Et quidem quando criminis alicuius ſupplicium ad inanimes etiam creaturas extenditur, non dubito quin hominibus aliquid terribilius immineat. Non enim inſenſibilia puniuntur,vt rei immunes maneant pœnæ, ſed vt eis maioris alicuius ſupplicij iam iam imminentis terrorem incutiant. Hinc Ieſus Matth. Matt.21. 21. *Videns ficū arborem vnam ſecus viam, venit ad eam: & nihil inuenit in ea niſi folia tantum, & ait illi: Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum. Et arefacta eſt continuò ficulnea.* Cur ſic ſeuerus Dominus in ficulneam? Cur, qui tot facinora Iudæorū ſuſtinebat manſuetus,ſic rigidus percutit ficulneā? Ait D.Iſidor.Peluſ. D.Iſidor. apud Lypp.Gen.3. *Ab inanimata igitur ſubſtantia populum*

tum ingratũ docet,ac persuadet,quod & vlcisci potest. Exsiccata est igitur arbor,vt terreret homines. Inferuntur inanimatis mala,quæ hominibus terrorem incutiant maioris mali. Nil enim damnatur in irrationalibus, quod magis non sit damnandum in homine. Id quod spectãs lex multa bruta animalia execrabatur,& immundiciei
Tertul. percutiebat horrore,vt inde eadem vitia grauius damnanda ostenderentur in homine. Sic Tertul.lib.aduersùs Psychichos: *Proficere autem poterãt intellecto plus in hominibus vitia fugienda, quæ lex damnasset etiam in pecoribus. Nam quando irrationale animal ob aliquod reiicitur,magis illud ipsum in eo,qui rationalis est,homine damnatur. Ergo vt homines mundarentur,pecora culpata sunt, scilicet,vt & homines, qui eadem vitia haberent, æquales pecoribus æstimarentur.* Sic quæcunque animalium pœna eandem imminere indicat homini.

§. XXXV.

Solus diuinissimi agni sanguis potens est armatas in homines diras impedire.

NOn eripitur à sæuiente Angelo morti filius Regis,nec filius captiuæ molentis; nihil illi prodest potentia Regalis, vt vulnus effugiat, nec huic prodest vilitas seruitutis,vt despiciatur. Ait enim: *Percussit omne primogenitum in terra Ægypti,à primogenito Pharaonis, qui sedebat in solio eius, vsque ad primogenitum captiuæ.* Non equidem personæ vilitas, nec potentia valebat ad impediendum mortis Angelum,sed solus valebat agni sanguis impressus superliminaribus. Vbi hic non erat, & si essent quæuis alia, prævalebat percussor; vbi hic erat,quælibet potentia nociua frænabatur. Sic aiebat suprà textus: *Transibit Dominus percutiens Ægyptios, cúmque viderit sanguinem in superliminari transcendet ostium, & non sinet percussorem ingredi domos vestras,& ledere.* Ecce tibi,vt non regius fastus,nec vilitas,sed solus diuini agni sanguis cohibebat percussorem Angelum. Similiter in Christi Domini morte videres Orbẽ
Luc 23. terrarum armatum contra insensatos. Ait Lucas c.23. *Obscuratus est Sol.* insuper & ait Matth. cap.27. *Velum templi scissum est in duas partes à summo vsque ad deorsum; & terra mota est. & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt,* &c. Nihil pene est in Orbe,quod non cõmoueatur in tanti sceleris patratores. Sed in tãta creaturarum commotione,in qua petræ petras percutiebãt, & scindebant, & monumentorum marmores rumpebantur,non inuenitur homo fuisse periclitatus. Cur petræ,quæ vos adinuicem percutitis,non magis sceleſtos illos quatitis? Cur terra,quæ violento motu sepulcra aperis,& mortuos sãctos vomis,nõ magis glutis Iudeos sceleratos? Pẽdebat inter illos diuinissimus agnus,cuius sanguis lignum crucis tingens diras creaturarũ frænabat,ne cui homini vel scelerato inferrẽt damnum. Ait
Grethse. Author Græcus in orat.Exalt.crucis apud Grethserum tom.2. *Omnis sub cœlo creatura, ipso horrore instructa,& ad vltionem pro eo, qui in cruce pendebat, sumendam erat præparata; ab ipso tamen,qui in cruce pendebat, prohibita.* Et quis alius posset prohibere petras,ne Iudeos percuterent;terram,ne sceleſtos voraret;cœlum,ne igne absumeret nefariè clamantes, nisi agni diuinissimi sanguis,qui in crucis postibus monstrabatur? Equidẽ vnus hic sanguis valebat imminenti exterminio eripere homines adeò sceleratos. Quid plura? Armata arat lex in peccatores; tot amaritudinum fluctus in illos conglomerabat, quot minas,quot pœnas decernebat. Apparuit lignum sanguine agni rubricatum, & tota legis
Exod.15. seueritas mitigatur. Sic Exod.15. *Nec poterant bibere aquas de Mara,eò quòd essent amaræ,* &c. *Et murmurauit populus contra Moysem dicens, quid bibemus? At ille clamauit ad Dominum, qui ostendit ei lignum, quod cùm misisset in aquas,in dulcedinem versæ sunt.* Ecce tibi tota legis amaritudo armata in peccatores,vt ad aspectũ ligni sanguine Iesu rubricati in dulcedinẽ iuit. Ait D.Ambr. Amb.
serm.23. *Aquam amarã legem esse arbitror veteris testamenti,quæ lex erat immitis. Iubebat enim oculũ pro oculo, dentem pro dente,& velut austera nullum misericordiæ refrigerium porrigebat. At verò vbi ligno passionis est temperata, statim amaritudinem suam suauitate commutans, dulcem se cunctis præstitit.* Non valuit amplius ferire legis aculeus vbi lignum sanguine Christi rubricatum vidit. Quid times homo leges armatas pœnis in tuas culpas? Adhibe tibi sanguinem agni diuini, & nullas austeritates, nullas seueritates inimicas timeas. Hinc
Act.2. Act. 2. Iudæi prædicatione Petri scelus suum in Iesum agnouerũt, insuper & mala propter illud iam iã imminentia,quibus territi clamabãt ad Apostolos: *Quid faciemus?* Et meritò ipsi per se nihil inueniebãt,quod tãta mala posset auertere,& pene desperabant de remedio. Quid tunc? Ait D. August.tract.31. in Ioan. *Viderunt* Aug.
Christum suo scelere morientem,& quousque biberent sanguinem,quem fuderant, de sua salute desperauerunt. Vnus Christi sanguis inter tot mala imminentia illis ostium spei aperuit.

*Exod.*12. Surrexítque Pharao nocte,& omnes serui eius,cunctáq; Ægyptus, & ortus est clamor magnus in Ægypto, neque enim erat domus, in qua non iaceret mortuus. Vocatísque Pharao Moyse,& Aaron nocte,ait: Surgite egredimini à populo meo, & vos & filij Israël ite, & immolate Domino sicut dicitis. Oues vestras, & armenta assúmite, vt petieratis, & abeuntes benedicite mihi. Vrgebant ergo Ægyptij populum,&c.

§. XXXVI.

Regium est mediis calamitatibus non perturbari. Vbi de Maria iuxta crucem.

IN summa Ægyptiorũ perturbatione suis immistus, & exequatus ostenditur Pharao popularibus, dicit náque: *Surrexit Pharao nocte,cunctáq; Ægyptus,& ortus est clamor magnus,* &c. Sic calamitas Pharaonẽ subiiciebat communi perturbationi,& clamoribus,vt in nullo videretur distinctus à popularibus. Componite modò hunc Regẽ cũ Rege Angliæ,cuius primogenitũ filium absorbuêre maris fluctus: Vterq; Rex erat, vterq; filiũ primogenitũ amisit;sed Pharao calamitate perturbatus, Regẽ oblitus clamoribus populariũ admiscetur in nullo à popularibus distinctus. Rex autem Angliæ nec in amissione filij,minimũ Regis amisit. De illo pulchrè fatur Hildebert.Episc.Cænom ep.56. *O bene munitũ pe-* Episcop.
ctus,quo se fortuna minorẽ erubescit! O animũ custodem sui, & ignarum,vel sapientem extorqueri sibi,vel Regẽ! Neuter tibi ablatus est,neuter imminutus: alter libertatem mentis, alter statum regni seruat incolumem. Dubium est,quis integrius suum apud te expleat officium. Quippe nulla verba rumpuntur suspiriis, nullæ vultum tenebræ operiunt: in ore sua est seueritas; & animi serenitatem risus indicat moderatus. Non pendent regni negotia, nec subsidium frustrà præstolantur oppressi. Magnum hoc Regis,magnum sapientis indicium. Sic meritò extollit vir sapiens Regem,qui nec in perditione filij primogeniti Regẽ perdidit, sed qualem regia maiestas postulat serenitatem, & imperturbatum animum ostendit. Calamitatibus enim non perturbari,hoc præstantissimum est,& prorsus regium. Vnde superbissimus ille Assyriorũ Monarcha hoc sibi nomen dedit,quòd Nabuchodonosor diceretur. Dicit enim Richard.Victor.lib.1.de erud.par.1.c. *Nabucho-* Rich.Vi.
donosor interpretatur sessio in agnitione angustiæ. Quasi inde velit superbissimus totum sibi attribuere splendorem regium, quod nullâ angustiâ, nullâ calamitate, à quiete sua discedat. Hinc Ioan.cap.19. Angelorum ex- Ioan.19.
tollens Reginam, ait: *Stabat autem iuxta crucem Iesu Mater eius.* Nec longè à Ioanne Dauid Psalm.44. fortè Psal.44.
hunc actũ miratus,aiebat: *Adstitit Regina à dextris tuis.*

Itaque iuxta crucem filij stabat Maria, & stabat Regina nihil regalis dignitatis in se non ostendens. Imò vt
D. Ame. ait D. Amedeus hom. 5. de martyrio virginis: *Ipsa coronata corona tribulationum post Iesum incedebat. Stabat autem iuxta crucem, vt illud dulcissimum caput nati spinis coronatum tristi spectaculo videret.* Et D. Ambros. lib. de instit. Virg. cap. 7. *Stabat non degeneri mater spectaculo.* Itaque cœli Regina corona tribulationum coronata stabat non degeneri spectaculo videns Iesum filiũ vnigenitum in durissima cruce spirantem. Et quale erat
Amed. hoc spectaculum Reginæ non degener? Ait S. Amedeus dict. homil. de martyrio virginis: *Propterea in tanta posita aduersitate, nec resoluit pudorem verecundiæ, nec amisit vigorem constantiæ. Ad cuius rei probationem ait de ea Ambrosius: Lego stantem iuxta crucem, non lego plorantem. Stare námq; in illa cordis amaritudine magnæ adscribitur constantiæ, abstinere à lacrymis summæ verecundiæ annotabatur. Cohibebat illa lacrymas præ pudore, stabat sublimissima quadam magnanimitate.* Quid regalius, quàm in tanta calamitate, nec obliuisci pudoris, nec constantiæ? Notanter enim dixit: *Non resoluit pudorem verecundiæ*: quando dolor soleat in plebeis animis modestiæ obliuionem facere. Mulier illa Sunamitis videns
4. Reg. 4. defunctum filium currit ad Elisæum 4. Reg. 4. *Et apprehendit pedes eius*; pòst autem rediuiuo filio lætior facta: *Corruit ad pedes eius, & adorauit.* Modò cauet pedes viri tangere, quos antea apprehendebat ambabus
Caietan. manibus. Cur hoc? Sapienter Caietan. *Mœrore affecta ob mortem filij tenuit pedes Elisæi: læta autem ob resuscitatum filium non tangit pedes Elisæi, sed iuxta pedes super terram se prosternit solitam seruans modestiam, quam maternus dolor obliuioni tradiderat.* Hoc in plebeio Sunamitidis animo potuit dolor, non in regio spiritu Mariano, vt enim Regina cruci adstabat, sic nullum affectum degenerem referebat, nec amisit vigorem constantiæ, nec resoluit pudorem verecundiæ. Id, quod in
Nazian. sorore sua Gorgonia maximè extollebat Nazianzenus fatus: *Modestiam, & verecundiam in ipsis doloribus retinuit.* Quid regalius?

§. XXXVII.

Nullo efficacius trahitur homo, quàm iis, quæ circa se sunt.

MActatur Pharaonis filius, & iam non durus pater, sed humillimus vocat Moysem, liberam facultatem facit abeundi. Dicit námque: *Vocatísque Pharao Moyse, & Aarone nocte, ait: Surgite, egredimini à populo meo, & vos, & filij,* &c. Multi Ægyptij aliis plagis fuerant assumpti, nec tamen eorum perditione potuit Pharao adduci, vt liberè cum omnibus Israëlitas dimitteret. Cur modò eos sic anxiè dimittit? Cadebant antea Ægypti, & patres, & filij, sed nullus cadebat Pharaonis filius. Vbi autem cœpit in suis spiculum præsentire, non amplius distulit, sed confestim, vel cogebat Israëlitas abire. Proh quam efficaciter trahitur homo illis, quæ sunt circa ipsum! Ionas vt non credebat debere Niniuitas molliri prædicatione sua, sic fugiebat à facie Dei iubentis, vt illis indiceret extremam ruinam. Sed procurante Deo marinis fluctibus traditur, voratur à pisce, cuius in visceribus orat ad Deum, & exauditur, & voracissimum ventrem piscis conuertit in cunam salutis à qua nascitur denuò viuus. Imò iam fidelis intrat Niniuem clamans cap. 3. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur.* Cur modò prædicas Ionas? Cur speras proficere hominibus adeò perditis? Didicerat in se ipso, & perdito, & vorato à pisce, vt salus sperari posset à perditione ipsa, & nullius contẽ-
S. Ephr. nendam esse saluté. Ait D. Ephræm ibi: *Iona Deus intra continentem conseruat, & à se ipso didicit propheta Ionas non expertus fuerat periculum, despiciebat aliorum pericula, nec multum dolebat, quod perirent. Vbi autem in sese periculum experitur, Deus bone, nihil non facit, vt & alij pericula fugiant, & possint viuere.* Equidem efficaciter Deus trahit homines, dum mortis horrorem immittit in iis, quæ sunt circa ipsos. At quando is horror in ipsis miscetur, quæ sunt magis in deliciis, tunc vel Reges mundi efficacissimè trahuntur. Zacharias prophetans de reductione omnium gentium ad
Zach. 14 Deum ait cap. 14. *In die illa erit, quod super frænum equi est, sanctum Domino.* Quam prophetiam ex multorum sententia refert D. Cyril. Alex. ad Constantinum Im-
Cyr. Ale peratorem, qui à matre acceptum clauum dominicæ passionis in equi speciosioris fræno locauit. Sed quid, quod clauus dominicæ passionis in fræno regalis equi poneretur, vt hoc debeat decantari propheticis vocibus? Sunt sanè Principibus maximè in deliciis equi, vbi autem mortis dominicæ horror immissus est rebus adeò delicioſis Imperatori, iam imperia mundi cœperunt trahi ad Dominum. Rem sic ponderat D. Ambr.
D. Amb. orat. in obitu Theodosij fatus: *Misit itaque Helena filio suo Constantino diadema gemmis insignitum, quas pretiosiori ferro innexas crucis redemptionis diuinæ gemmæ connecteret. Misit & frænum, vtroque vsus, & Constantinus, & fidem transmisit ad posteros Reges. Principium itaque credentium. Imperatorum sanctum est, quod super frænum.* Innexus fuit cruentus Christi clauus fronti regalium equorum, & inde cœpere ad Deum trahi Imperatores. Putabantur olim Imperatores minimè posse ad Christum venire: nec vllis miraculis posse trahi ad Christianam religionem. Quid tunc? Clauus durissimus plenus dominicæ mortis horrore cœpit tangere ea, quæ maximè esse in deliciis solent Imperatoribus, & inde Imperatores cum omni imperio suo conuertuntur ad Dominum.

§. XXXVIII.

Tunc debes pro hostibus tuis ardentius orare, cùm eorum effugis rabiem, si quid Dei in te habes.

ECce quid petat rabidissimus tyrannus Pharao à suis captiuis: *Abeuntes benedicite mihi.* Audet nefarissimus homo sperare de Israëlitis, quod tunc magis benedicturi sunt suis tyrannis, quando de illorum rabie liberi euadunt. Et de quo posset talia sperare hostis, & tyrannus? De quo à te vexato, & oppresso, multísque afflicto speres, quod cum liber euadat, tibi bona, & non mala imprecabitur? Cur ergo crudelissimus iste de Israëlitis à se vexatis, & tyrannicè afflictis speret, quòd abeuntes è tanta angustia pro adeò hostili homine orabunt? Equidem Israëlitæ erant veri Dei cultores, veri Deum videntes, quorum est, quòd liberati pro inimicis, & persecutoribus suis velint orare. Quis enim videat Deũ, & non oret etiam pro hostibus? Actor. 7. Stephan. ait: *Ecce video cœlos apertos, & Filium* Actor 7. *hominis stantem à dextris Dei.* Quid tũc Ductis ad mortem, inter lapidantiũ furias orat: *Domine ne statuas illis hoc peccatũ.* Quantum hoc? Nyssenus in presenti: *Sic is, qui Christum cernit aduersùs hostes, sese gerere nouit.* Hæc est notio eorum, qui aspiciunt Deum, quod pro hostibus orent, etiam cùm ab eorum iniuriis euolant. Et vix inuenietur, qui aliquid Dei in se habeat, qui talem erga hostes suos non referat animum. Samuel repulsus à populo, & abiectus in ipso abeundi confinio, sic populo sibi infenso ait: *Absit autem à me hoc peccatum in Domino, vt cessem orare pro vobis.* Bonus Samuel sibi fore in peccatum, & perditionem putabat, si in recessu suo, pro illis nõ oraret à quibus reiiciebatur. Ex quo ait
Chryso. D. Chrys. orat. in Parasceuen apud Grethserũ tom. 2. *Peccatum arbitratus est, nõ orare pro inimicis. Absit à me, inquit, vt ita peccẽ, vt desina pro vobis orare. Quam igitur venia nos cõsequemur in posterum, cùm qui de nouo sunt, & qui de veteri Testamento, omnes nos impellant ad hoc, vt preces pro inimicis fundamus, si nõ omni studio, & dilige-*

tia hoc

hoc præstare conemur? Sanè hæc est salutis via Dei fidelibus, pro inimicis, & persecutoribus longas fundant ad Deum preces. Filij Iacob videntes Ioſephum à seruitute liberum, in solio regio sedentem, vehementer sibi timere cœperunt. Quibus ille, vt timorem adimat, sic ait c. 50. *Quibus ille respondit. Nolite timere: Num Dei possumus resistere voluntati?* Alia litera habet: *Ne timeatis, Dei enim sum ego.* Quippe, qui Dei est, semper bona pro malis paratus est rependere. Ibi Chryſ. *Beneficia rependere studeo his, qui irreparabilia contra me fecerunt, Dei enim sum ego.* Hoc est studium eius, qui Dei est, vt in recessu suo, in libertate sua, bona suis persecutoribus largiatur, & impetret. Hinc dum Christi crucifixores Iudæi Matt. 27. clamarent illudentes: *Salua te ipsum, si Filius Dei es.* Iesus autem Luc. 23. clamans dicebat. *Pater ignosce illis.* Ad ostensionem diuinæ filiationis petebāt illi, vt se ipsum saluaret, ad Iesus pro illis orare elegit, in quo magis ostēdebat, & euidentius se ad Deū pertinere. Chryſ. orat. in Paraſceuen apud Grethſer. to. 2. *Illi quidem dicebāt, si Filius Dei es, salua te ipsum. Ipse verò elaborabat, quomodo illos saluaret, illos, inquam, à quibus opprobria perpetiebatur, illudebatur, & opprobriis proſcindebatur.* Ecce tibi vbi diuina ostendenda erat progenies, in eo patentissimè ostendebat Dominus illum, quòd pro inimicis, pro conuitiatoribus oraret.

Chryſoſt. Mat. 27. Luc. 23. Chryſoſt.

§. XXXIX.

Miseri hominis à te confoti benedictio maximè tibi salutaris est.

NOn otiosè abeuntium à captiuitate Israëlitarum benedictionem expetit Pharao, dicens: *Abeuntes benedicite mihi.* Nunquam enim non est liberatori salutaris liberati, & confoti benedictio. De qua gloriatus Iob aiebat c. 29. *Benedictio perituri super me veniebat:* id est, benedictio perituri à me liberati, & confoti me implebat, quando nunquam vacua manet benedictio eius, qui liberatur à miseria. Ex quo sapienter monet D. Ambr. lib. de bono mortis c. 8. *Si quem viderimus pauperē morituru, sumptu iuuemus, & dicat vnuſquisque nostrum: Benedictio morituri veniat super me. Si quem viderimus debilem, non deseramus; si quem in extremis positum non relinquamus, occurrat, & nobis dicere: Benedictio morituri in me veniat. Laudet te vnuſquisque moriturus, vnuſquisque depositus ætuo, vnuſquisque confectus vulnere graui, vnuſquisque morbo absumptus, & morti proximus. Resonent te postrema verba morituri, & benedictionem tui egrediens corpore anima secum vehat.* Quis te fœlicior, si animæ miserorum è terra abeuntes tui benedictiones resonent? Fallar, nisi te ab omni malo, ab omni pressura liberent. Pro quo monebat Prouer. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare non cessa.* Nunquam enim liberatorum plausus non sunt salubres liberatori suo. Vndè D. Ambr. ſer. 8. in Psal. 118. inquit: *Opera manus tuæ eroga pauperibus, debiles eleuato, redime captiuos, & soluisti vincula tua. Eripe eum, qui ducitur ad mortem; hoc est, eripe eum intercessione, eripe gratia tu Sacerdos, aut tu Imperator eripe subscriptione indulgentiæ, & soluisti peccata tua, eruisti te à vinculis.* Hæc in te efficiunt liberatorum benedictiones, quæ vt te resonant, sic te ab omni vinculo exsoluunt. Quis vidit vnquam liberatorum benedictiones vacuas esse? Actor. c. 9. Tabitha fœmina cantatissima propter eleemosynas defuncta iacebat; eam circunfusæ vndique viduæ resonabant, quarum vocibus insertus Petrus iubet fœminam rursus in vitam venire. Quid tunc? *Illa aperuit oculos suos: & viso Petro resedit.* De qua pulchrè D. Cyprian. lib. de opere, & eleemosyn. ait: *Quæ laborantibus viduis largita fuerat subsidia viuendi, meruit ad vitam viduarum petitione reuocari.* Sic petitiones, & benedictiones liberatorum efficaces sunt, vt vitam impetrent iis, per quos liberati

Prou. 24. D. Amb. D. Cypr.

fuerunt. Vt meritò dicat Hildebertus epist. 61. *In cœlo nulli melius pro reis agunt, quam pauperes aduocati: pauperes ante supremum tribunal in propulsandis dilationibus obtinent principatum.* O te fœlicem, quem pauperes cantant, qui benedictionibus plenus per ora volitas pauperum, afflictorúmque, quos ab ærumnis liberasti, ne timeas diu torqueri malis, qui enim à te liberati sunt, te liberabunt. Hildeb.

§. XL.

Abeuntes à vita nil amarum voluant, vel aduersus sibi infensissimos hostes.

HOc ab Israëlitis petit infensissimus illorum hostis Pharao, nimirùm: *Abeuntes benedicite mihi*; quod ex singulis nostrorum crediderim repeti ab hostibus, vt abeuntes è vita nullam illis non velimus benedictionem. Vnam pro suis hostibus benedictionis vocem egrediens anima è corpore secum vehat. Nullus ita desipiat, vt mundo egrediens, aliud, quam benedictionem etiam ad hostes resonet. Stephanus iā iam rapiendus ad mortē Actor. 7. acriter increpat Iudæos, aiens: *Dura ceruice, & incircuncisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut & patres vestri. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri?* Sic mordebat impios sanctus vir festinans ad mortem; sed iam in mortis articulo constitutus aliter orat, dicens: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Compone modò acorem illum reprehendentis cum hac lenitate orantis. An cùm reprehendebat minus amabat hostes, quàm cùm pro eis orabat? An erat in prima reprehensione aliquod odium aduersùs nefarissimos hostes? Absit, imò & tunc illos amabat, qui enim adeò sanctè morti appropinquabat; nihil in ore voluere debebat, quod charitatem erga hostes non halaret. Ex quo D. Fulg. ser. de eius festo, ait: *Neque enim fratres, existimandus est Stephanus tunc inimicos dilexisse cùm pro eis oraret; & non dilexisse cum eorum incredulitatem arguendo corriperet. Absit hoc ab anima martyris ad cœli palatium festinantis.* Quid pulchrius? Sanè ab anima festinantis ad cœlum, quàm longè abest, quod vel in hostium amore tepescat aliquantulum. Non stat cum eo, qui festinat egredi è mundi carcere, & viuentium terræ appropinquare, quod oderit sibi aduersantes. Hoc tibi cordi sit quicunque abis è mundo, quicunque festinas ad cœlū, & iam iam exitum præ oculis habes, vt nullum velis hostibus malum. Nec hoc mirum videri debet, quando ad exitus conspectum, vel impiissimi homines inimicitiis, & odiis valere mandant: De Lazari defuncti sororibus locutus textus Ioan. 11. addidit: *Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham, & Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo.* Mirabar, quòd Iudæi venerint consolaturi Lazari mortui sorores, cùm & Lazarus amicus esset Iesu, & sorores summa ipsum pietate colerent. Decretum erat enim iam per Iudæos, vt vniuersi Iesu assectæ extra Synagogam fierent, & ab omnibus cauerentur. Cur ergo tam deuotas Iesu fœminas conueniunt Iudæi, & eas consolantur? Cur non magis expuunt, & auersantur eas, fratrísque Iesu amici memoriam penitùs eradere contendunt? Erat illis præ oculis mors, & sepulcrum, ad quod sese festinare cernebant, ex quo illum animum ebiberant, quo nemini malè precari vellent. Ait D. Basil. Sel. orat. 40. *Vnde consolabantur Iudæi dilectas à Christo, cùm inter eos conuenisset, si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret? An ob mali communis necessitatem?* Equidem vt sibi communem mortem videbant, vel rabidissimum in Iesu assectas odium ponebant.

Hildeb. Actor. 7. D. Fulg. Ioan. 11. Basil. Sel.

Exod. 12. Tulit igitur populus consperſam farinam antequā fermētaretur: & ligans in palliis posuit super humeros suos. Fecerúntque filij

Iſraël ſicut præceperat Dominus Moyſi: & petierunt ab Ægyptiis vaſa argentea, & aurea, veſtémque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, vt commodarent eis, & ſpoliauerunt Ægyptios.

§. XLI.

Aurea ſit anima Deo appropinquans, Deúmque excipiens.

NOn ſine aureis argenteíſque vaſis Iſraëlitæ incipiunt exire de Ægypto; ait enim: *Petierunt ab Ægyptiis vaſa aurea*, &c. Et cur non ſine aureis vaſis egrediuntur, niſi vt oſtendantur Deo appropinquantes, & à mundo egredientes, quàm aurei fiant? Ait
D. Mac. D. Machar. hom. 47. *Mutuari præcipit Deus ab Ægyptiis vaſa aurea, & argentea, & cùm acceperint, egredi: quia dum exit à tenebris anima, argentea, & aurea vaſa accipit, nempe ſuas probas cogitationes ſeptuplo ardentiores, quibus inſeruitur Deo, & Deus conquieſcit in illis.* Hæc ſunt aurea vaſa, nimirùm cogitationes Deo appropinquantes, & in quibus Deus conquieſcit. Quò citiùs mundo exutus cogitas Deo ſeruire, & vel cogitatione Deum excipis, iam luteus non es, iam luteis operibus minimè incumbis, ſed totus aureus ſplen-
Exod. 16. des, & effulges. Sic monebat Aaron Moyſes Exod. 16. *Sume vas vnum, & mitte ibi Man, quantum poteſt capere*
Cyr. Ale. *gomor, & repone coram Domino*, &c. D. Cyril. Alex. legit: *Sume aureum vas vnum*, &c. Et cur maluit explicare, quod vas aureum eſſet, niſi vt oſtendatur, quid conferat Chriſtus menti illi in qua recipitur? Vt enim Manna in aureo vaſe eſt, ſic Chriſtus in Manna figuratus auream efficit animam, in qua vel mente reci-
Cyr. Al. pitur. Ait D. Cyril. Alex. lib. 3. in Ioann. cap. 34. *Quoniam verum Manna illo ſenſibili figuratus eſt Chriſtus, neceſſariò nunc docet, qua gloria, & virtute plenus eſt, qui Chriſtum in ſe ipſo recondit, qui Ieſum in corde firmiter gerit. Audis enim quomodo vas aureum per Aaron impletur Manna, & coram Deo ad perpetuam conſeruationem reponitur: pia enim ſanctáque anima, quæ Chriſti fidem concepit, quæ totum in ſe ipſa cœleſtem theſaurum condidit, pretioſum atque aureum vas eſt.* Ex quo mens noſtra Chriſto accedit, Chriſtum ſuſcipit, ſuper omne aurum, & toparium ſplendet. Non enim poteſt ab aureo Ieſu aurea non effici. Quò adduc dicta tom. 3. in Euang. lib. 4. cap. 19. §. 6.

§. XLII.

Ingenuorum hominum eſt tyrannorum ſpoliis victitare.

ET pedem à ſeruitutis neruo exerunt Iſraëlitæ, & de præcepto Dei Ægyptios ſpoliant auro, argento, & veſtibus. Quippè dicit textus: *Et ſpoliauerunt Ægyptios.* Et quidem hoc iam ſignum erat excuſſæ ſeruitutis, & ingenuæ libertatis orientis, quando proprium eſt ingenuorum ſpoliis victitare, quæ de ty-
Philo. rannorum poteſtate eripuerint. Huc ſpectabat Philo ibi adductus à Lyppomano, dicens: *Poſt primogenitorum internecionem, Hebræis expulſis, generoſi, ac nobilis generis ſui in mentem venit, atque ob id præclarum facinus quale liberos decet, auſi ſunt. Multam prædam aſportarunt.* Ecce tibi liberorum ingenuorum, nobiliumque hominum facinus, nimirùm quod deprædentur, & ſpolient tyrannos. Dum ſub ſeruitute erant, omnem ſuam operam Hebræi impendebant tyrannis; vbi electi à neruo ſunt, memores nobilitatis; & ingenuitatis ſuæ, quale decet liberos, & ingenuos homines, aggrediuntur facinus, vt ſeſe de ſpoliis tyrannorũ augeant. Quid nobilius? Extollunt hinc homines ſuam nobilitatem, ſi tyrannorum ſpoliis, ſi prædis multis ſplendeat eorum proſapia. Quò ſpectat
Prou. 31. illud Prouerb. 31. de cantatiſſima fœmina dictum: *De nocte ſurrexit, dedítque prædam domeſticis ſuis, cibaria ancillis ſuis.* Expende, vt nobilis fœmina diſtinguit inter domeſticos, & ancillas; illis prædam ſumendam proponit, his cibaria. In ancillis enim illi intelliguntur, qui ſeruiles habent animos, quorum eſt, vtcunque cibum capere, in domeſticis autem notantur ingenui, & liberi, ad quorum nobilitatem pertinet non niſi ſpoliis, & præda multa tyrannis erepta victitare. Vt dicat Pſal. 67. *Speciei domus diuidere ſpolia.* Nullo Pſal. 67.
enim magis ſplendet nobilitas familiæ, quàm ſi tota effulgeat tyrannorum ſpoliis. Id, quod in diuina progenie extollebat Iſais cap. 8. fatus: *Dixit Dominus ad* Iſa. 8.
me: Voca nomẽ eius: Accelera ſpolia detrahere: Feſtina prædari. Quia antequam ſciat puer vocare patrem, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ. Sic ingenuæ proles non amant viuere niſi in prædis, niſi inter ſpolia, quæ de tyrannis acquirant. Vt de Anthemio Auguſto dixerit Sidonius Appol. in Panegy- Sid. App.
rico: *Ludus erat puero raptas ex hoſte ſagittas feſtina tractare manu.* Non aliter nouit nobilem cantare progeniem, niſi eius incunabula prædis, & ſpoliis rotilent. Ille nobilis, ille ingenuus naſcitur, qui vel in primo libertatis gradu nihil amat prendere manu, quod non ſit ex tyrannis raptum.

Exod. 12. Profectíque ſunt filij Iſraël de Rameſſe in Socoth, ſexcenta ferè millia peditum virorum abſque paruulis, & mulieribus. Sed & vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis, oues, & armenta, & animantia diuerſi generis multa nimis, &c.

§. XLIII.

In mundi renunciatione ingentia ſunt lucra.

CVm populus erat in Ægypto, & luctus erat, & gemitus, & opera importabilia: *Et paleæ non dabantur eis.* Modò cùm Ægyptum relinquit, & abit; Ægyptus det illi argentum, aurum, & veſtes plurimas; inſuper dimittit illum cum ouibus, & armentis multis; ait enim in præſenti: *Et oues, & armenta diuerſi generis multa nimis.* Quid rarius? Ciuibus non dat Ægyptus paleas, abeuntibus exteris dat diuitias. Et quidem licèt in mundo pauper ſis, vbi mũdum relinquis, & ſæculũ abnegas, ingentia recipis lucra. Huc reſpiciens Pſ. 104. Pſal. 104
ait: *Eduxit eos in argento & auro.* Erant apud Ægyptios Iſraëlitæ in luto, in vilibus paleis colligendis, in opere lateritio, acceſſit manus diuina, tetigit eos, vt exirẽt de Ægypto, & educti ſunt inde in argẽto, auro, & diuitiis multis. Pulchrè Euſeb. Gallic. in ſerm caſtigatorio: *Ecce* Euſeb.
filios Iſraël inimica Ægyptus, mundi ſpeciem præferens, dũ incolitur, afflixit, dum relinquitur, locupletauit. Sic eſt, chariſſimi, magnam ſæculo rapit prædam, qui ſe abſtrahere contendit è ſæculo. Cæcus eſt, qui nõ videt diuitias, quas ſibi acquirit, qui contendit abnegare mundum, ab illóque exire. Huc attende homo, & mundũ peſſunda, mũdum relinque, & te in ipſa abnegatione ſui locupletabit mundus, & fallar, ſi Deo poſſis aliquid ditius, aut locupletius exhibere, quàm ſi fugiſti mundum. Dicitur 3.
Reg. 9. *Pharao Rex Ægypti aſcendit, & cepit Gazer, ſuc-* 3. Reg. 9.
cenditque eam igne, & Chananæum, qui habitabat in ciuitate, interfecit, & dedit eam in dotẽ filiæ ſuæ vxori Salomonis. Vt Salomonis vxoris dotem faceret, Pharao ampliſſimam ciuitatem ſuccendit, & populatus eſt. Et qualis dos eſſe potuit in ciuitate ſuccẽſa? Qui dotem facit, diuitias congerit, theſauros auget, nõ enim poteſt dos parari Regi, niſi ex multis diuitiis congeſtis. At nos in cõſpectu veri Salomonis ditiſſimam dotem paramus, cũ ſæculum perdimus, cùm patriam, domúmque paternã fugimus, eámque obliuionis flammis tradimus. Ex quo
virgunculæ ſæculo renuncianti ait Hildebertus Cæ- Hildeb.
nomenſis ep. 57. *Ignoras reuiſere vanitates, & inſanias falſas, à quibus elongaſti fugiens, & manſiſti in ſolitudine.*

Sanum

Sanum hoc prouidi pectoris conſilium: auerti enim, & fugere ab illis omnis triumpho celebrius. Huiuſmodi fuga ſponſo tuo nulla dos eſt acceptior. Ecce tibi Sponſa Chriſti licèt paupercula ſis, vnde poſſis ingentem dotem lucrari ſponſo tuo. Si à mundo fugis, ſi obliuiſceris populum tuum, eúmque tradis igni, nihílque tibi reſeruas ex illo, ſed omnia calcas. Fallar, niſi mundus deſpectus, calcatus, & datus igni non tibi eam dotem accumulet, qua trahas oculos diuinos.

§. XLIV.

Magna fœlicitas domus eſt, in qua nullus inuenitur, qui Deo ſeruiendo non attendat.

ERant apud Iſraëlitas multi alij homines diuerſarum nationum, diuerſíſque innutriti religionibus, qui pro Iſraëlitarum ſeruitio, intra eorum morabantur domos, vbi autem Dei religio inſtabat, vt Iſraël de Ægypto egrederetur ſacrificaturus Domino; nullus adeò extraneus inuentus eſt in eorum domibus, qui diuinum nutum non ſequeretur. Ait enim textus: *Vulgúſque promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis.* Chaldæus legit: *Extraneíque plurimi aſcenderunt cum eis.* Quos meritò Caietanus putat famulos diuerſarum nationum, qui ſeruiebant Iſraëlitis. Hi omnes ſimul cum Dominis ſequúntur nutum Domini. Quid fœlicius? Sanè ad magnam facit domus fœlicitatem, quòd vniuerſi illius, ſiue patresfamilias, ſiue filij, ſiue ſerui, ſiue famuli operam eandem nauent ſeruiendo Domino.

Gen. 18. Accipe ex Gen. 18. pro excipiendis Angelis ſub peregrinorum figura, quàm ſedula ſit tota Abrahami familia. *Feſtinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixítque ei: Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericios panes. Ipſe verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero, qui feſtinauit, & coxit illum,* &c. Ecce tibi vt Abraham Sara, & puer ſimilem alacritatem præbent cibandis peregrinis, nullúſque in illa inuenitur familia, qui eidem

Canom. non ſtudeat virtuti? Rem exprimit Hildebertus Cænomanenſis epiſt. 60. inquiens: *Conſidera patremfamilias, attende pueros, in Domino deuotionem inuenies, in familia diſciplinam. Quippe in domo Patriarchæ nemo repertus eſt ſacris indeuotus obſequiis: ille tres viros videt, nec expectauit quæri officium, ne ſi precibus impetrarent, ægrè præſtitum videretur. Occurrit venientibus, rogantur, vt intrent. Deinde viro iubente tria ſata ſimilæ coniux acceleravit, ipſe ad armentum cucurrit, vrget apparatum puer, tota domus feſtinat, tota feruet obſequio, nihil negligenter fit in domo iuſti, omnes eius contubernales, tanquam ſi ab eo didiciſſent maledictum eſſe hominem, qui opus Dei negligenter facit.* Expende illud: *In domo Patriarchæ nemo repertus eſt ſacris indeuotus obſequiis.* Quippe faciebat hoc ad fœlicitatem, & commendationem domus Abrahæ, vt nemo in illa, nec minimus famulus inueniretur, qui diuinis obſequiis indeuotus eſſet. Quam commendationem merebatur Æſther, quæ nupta infideli Regi, ancillulas etiam infideles nacta, vbi pro patria religione ſtandum erat, ait cap. 4. *Ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo.* Gentiles erant ancillæ, & nilominùs earũ ieiunia promittit ſecura, quòd in ſua domo nulla inueniri poſſet ancillula pigra diuinis obſequiis. Quò

Iob 5. reſpiciens Iob cap. 5. de viro iuſto, & fœlici, ait. *Et ſcies, quòd pacem habeat tabernaculum tuum,* &c. Vbi Græcus in eat. legit: *Cognoſces, quod pace fruetur domus tua. Conuerſatio autem tabernaculi tui non peccet.* Quid fœlicius? Cognoſcet equidem fœlix homo, & iuſtus, conuerſationem ſuorum famulorum, totiúſque familiæ ſuæ non eſſe ad peccatum, ſed omnes virtuti operam dare. Quod conſulere volens Pſalm. 28. ait: *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum.* Circa

Pſal. 28. *Chryſol.* quæ ait Chryſol. ſerm. 19. *Seruum Catechumenum, ſi habeat, Dominus adducat, vt habeat iam fidelem, filium pater offerat, non retardet. Quomodo ſe Chriſtianum credit, qui non Chriſto annoſa, & vetera ducit? Aut quomodo domum ſuam indicat ouile Dei, vbi nõ paſcuale germen Dei pecudat balatum? Obſecro, vt in hoc vigiletis omnes, quatenus iis diebus nullus à Dei gratia relinquatur extorris.* Sic perſuadetur homo, ne quid ſuum patiatur à gratia Dei eſſe immune.

CAPVT X.

Exitus Iſraëlitarum de Ægypto.

IN Ramaſſe ciuitas in finibus Ægypti ſita, quam Hebræi in ſua ſeruitute vel condiderunt, vel mirum in modum auxerunt. Ad hanc vndique confluũt Iſraëlitæ cum vniuerſis familiis ſuis, ſub tentoriis, & tabernaculis expectantes profectionis ſignum. Nec diu in ſtatione perſeuerant; ſuboſcura enim lux decimæquintæ diei menſis Niſan aduentantes homines vocat ad iter. Ac ne timida videretur, aut furtiua diſceſio, militari ordine ſexcentorum millium pugnatorum acies conſtructa, immenſam aliam multitudinem imbecillium præmittens, geminatis clamoribus, potentiſſimum Deum compellat, & lætam, ſed moroſam capeſſit viam. Nullus in tanto populo erat infirmus, nullus qui velit remanere in Ægypto, ſed & oſſa ſanctiſſimi Ioſeph quietem Ægyptiam abiurant, & cum ſuis laborioſam peregrinationem ſuſcipiunt.

Sic gradientibus Iſraëlitis adeſt dux Moyſes, adeſt & Deus; ille beneficiorum diuinorum memoriam renouans vt æternari poſſit, oſtendit in paſchalibus ceremoniis, in primogenitorum conſecratione; hic præmiſſa ingentis virtutis nube, diei ardores temperans, & noctis tenebras illuminans, populi ſiue greſſum, ſiue ſtationem deſignat. Nullo clariùs extolleret Deus beneficientiam ſuam ergã Iſraëlitas, quàm hac erecta columna nubis. Hæc oſtentabat Dei triumphalem amorem, vt non permittit ſuos alumnos vel errare in via, vel torreri calore, vel obſcuris noctis tenebris ſuffũdi.

PARS VNICA.

Moralis circa textum.

EXeuntibus Hebræis de Ægypto, ſatius erit, quòd nos exeamus de cortice literæ, & ſpirituales curramus ad fructus, quibus in ætatem perfectam alatur humana virtus.

Exod. 13. Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filiis Iſraël, tam de hominibus, quàm de iumentis. Mea ſunt enim omnia.

§. I.

Quæ Deo ſacrantur, non in perditionem, ſed in augmentum ibunt.

PEtit Deus ſibi primogenita tam hominum, quàm iumentorum in Iſraële ſacrari, cùm inquit: *Sanctifica mihi omne primogenitum,* &c. An vt fœtus pereant datis Deo primis? Abſit, imò ideò prima petuntur à Deo, vt multipliciora fiant genimina; magno enim aumento creſcunt ea, ex quibus fit aliquod Deo ſeruitium: Ex quo Lyppoman. ait: *Qui offerebat primogenita ex fide, is reddebatur, non pauperior, ſed multo ditior.* *Lyppom.* Hinc Gen. 7. locutus Deus de animalibus mundis ſeruandis in arca non paruum illorum numerum prouidit, ait enim: *Ex omnibus animalibus mundis tolles ſeptena, & ſeptena.* De aliis duo, & duo ſumuntur, & quidem duo ſufficiunt; de mundis non duo, ſed ſeptena prouidentur. Et cur in tam multiplici numero munda anima-

Basil.Sel. tia cuſtodiuntur? Pulchram rationem reddit D. Basil. Sel. orat. 6. inquiens: *Cur non æquabilem numerum ſeruat in vtriſque? Et profectò ſumma ſapientia. Quorum enim frequentior apud homines vſus abſumente ſacrificio, eſu deſtruente: eorum benignior à natura copia eſſe debuit.* Expende illud: *Quorum frequentior vſus abſumente ſacrificio*: quippe, quæ ſacrificio ſeruiebant, & diuino mācipabantur cultui, ea multiplicatiorem à Deo prouidebantur in numerum. Nullis enim augmentis non creſcunt ea, ex quibus ſibi Deus aliquid ſumit. In Numeror. cap. 1. vbi bellatores viri recenſebantur, inuenti ſunt de tribu Ruben quadraginta ſex millia quingēti: de Simeone quinquaginta nouem millia trecenti: de Gad quadraginta quinque millia ſexcenti quinquaginta. Verum: *De filiis Iuda per generationes, & familias, ac domos cognationum ſuarum per nomina ſingulorum*, &c. *recenſiti ſunt ſeptuaginta quatuor millia ſexcenti.* Nulla tribus in tantum creuit filiorum numerum; omnes alias longè exceſſit vna Iudæ tribus numero filiorum bellatorum. Et cur hæc ſola ſic filiorum numero ſeſe extulit ſuper omnes alias tribus? Ait Theodoretus, quæſt. 3. in Numer. *Quo pacto tribus regia numero vincebat alias tribus? Decebat tribum regiam numero antecedere ob benedictionem Chriſti Domini, qui carnem ex ea tribu ſumpturus erat.* Vbi tribus Iuda carnem puriſſimam miniſtratura erat Dei Filio, non miror, quod alias omnes tribus excederet filiorum numero. Nunquam enim, quæ Deo dantur, non faciunt ad augmentum ſummum. Quapropter Iſaac benedicens filium Iacob Gen. 27. inquit: *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni*, &c. Vnum Iacob videbat, & in vno Iacob ingentem ſibi bonorum olfaciebat aduentare plenitudinem. Et cur tantam plenitudinem bonorum ſibi olfaceret in vno Iacob, niſi in illo ſentiret iam carnem ſuā ſumendam à Dei Filio? Ait D. Bernard. ſer. 61. in Cant. *Iacob tangens, & Chriſtum ſentiens, ecce, inquit, odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, cùm hoc dicebat, habebat delicias ſuas ſibi.* Vbi ſentiebat carnem ſuam exhibendam Deo in Chriſto, nihil non acquirebat ſibi, & magnum, & pleniſſimum. Fœlix, qui in ſuis habet, quod Deo exhibeat, nihil, mihi credat, perdet inde, ſed maxima bonorum incrementa recipiet.

Num. 1. Theod. Gen. 27. D. Bern.

§. II.

Nulla magis à nobis tenentur, quàm quæ pro Deo damus.

PEtuntur primogenita ex Iſraëlitis, dum ait: *Sanctifica mihi omne primogenitum*, &c. An vt Iſraëlitæ inſtar Ægyptiorum orbentur primogenitis? Sanè ab Ægyptiis Deus primogenita abſtulit, ſed nunc petit ab Iſraëlitis primogenita. An quia vult Iſraëlitas pariter ſine primogenitis eſſe, vt Ægyptij fuerunt. Abſit; ab Ægyptiis enim ſic petiuit primogenita, vt perirent; ab Iſraëlitis autem ſic petit eadem, vt magis à parentibus habeantur; nulla enim res magis habetur, quàm quæ pro Deo, vel Deo datur. Ex quo ſapienter monebat Euſeb. Euſeb. Gallican. ſerm. de Sancto Fauſtino, fatus: *Propter beatitudinem tuam offer Deo ſalutem tuam. O quale præmium eſt! O quale pretium! Quod cùm dederis, tecum remanebit. O pretium, quod à te expenditur, ſed magis dum prærogatur, augetur.* Habent hoc ſingulare omnia, quæ pro Deo expenduntur, nihil tibi adimis ex his, quæ donas; quæcunque das, tibi integra manent. Hinc Numerorum cap. 27. ait Dominus Moyſi: *Tolle Ioſue filium Num, virum in quo eſt ſpiritus Dei, & pones manum tuā ſuper eum. Qui ſtabit coram Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine: & dabis ei partem gloriæ tuæ.* Iubet Moyſi, vt partem gloriæ ſuæ elargiatur, an vt ſic maneat Moyſes minus glorioſus, quàm antea? Qui partem dat rei, quam habet, neceſſum eſt, vt vacuus maneat illa parte. Vult ergo Deus, quòd Moyſes det partem gloriæ ſuæ, an ne integer in gloria maneat? Abſit; ea eſt enim gloria, quæ pro Deo datur, quæ minimè deſerat dantem. Ait Procopius ibi: *Non enim dantem, id, quod datur, deſerit: Non enim res huiuſmodi quaſi partiliter diuiſæ minuuntur, ſed totæ ſunt omnibus, totæ ſingulis, qui earum habent ſocietatem.* Tibi integrum habes, quidquid pro Deo, & virtute impertiris. Quod vt manifeſtius conſtaret Ieſus Dominus poſtquam acceptis quinque diſcipulorum panibus famē ingentis expulit turbæ, ſinguliſque iuſſit dari, prout quiſque egebat, ait diſcipulis: *Colligite, quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant. Colligerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus.* Quid pulchrius? Non minuitur panis, qui datur, ſed mirum in modum auctus colligitur. Vt dicat D. Ambr. lib. 6. in Lucam: *Viſibiliter quoque panis iſte, incredibili ratione dum frangitur, dum diuiditur, dum editur, ſine vlla diſpendij comprehenſione cumulatur.* Diuiditur, datur panis pro Deo, & tantum abeſt, vt minuatur, quod datorem implet mirum in modum auctus.

Procop. D. Amb.

Exod. 13. Et ait Moyſes ad populum: Mementote diei huius, in qua egreſſi eſtis de Ægypto, & de domo ſeruitutis: quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco iſto, vt non comedatis fermentatum panem. Hodie egredimini menſe nouarum frugum, &c.

§. III.

Quidquid ad nouitatem vitæ ſpectat, opus agnoſcatur eſſe Dei.

NOn otiosè iubet Moyſes, vt Iſraëlitæ præ oculis habeant circunſtantiam temporis, qua de Ægypto egrediebantur. Ait enim: *Mementote diei huius, in qua egreſſi eſtis*: & inſuper magis in particulari tempus notans, ait: *Hodie egredimini menſe nouarum frugum*: nimirùm iuxta Interlinealem: *Vt nouos cibos edatis.* Et cur tam particulariter meminit nouitatis frugum apparentium in terra, ſub qua nouitatis circunſtantia Iſraëlitæ egrediebantur? Ipſe ait: *Quoniam in manu forti eduxit vos de loco iſto*, &c. Ideò nouitas fructuum ſumendorū proponitur ob oculos, vt euidentiùs pateat, qua fuerint manu ab Ægypto liberati; nequit enim non eſſe potentiſſimi Dei opus, quidquid pertinet ad vitæ nouitatem. Apoc. 3. *Angelo Laodiciæ Eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit: Amen, teſtis fidelis, & verus, qui eſt principium creaturæ Dei.* Expende, quale ſibi cognomen aſſumat Filius Dei, nimirùm: *Principium creaturæ Dei*, vt quidquid ad regenerationem noſtram, & vitæ nouitatem pertineat, vni diuiniſſimæ illius poteſtati attribuamus. Rupert. lib. 2. ibi: *Quid eſt principium creaturæ Dei? Quid eſt hoc loco creaturæ Dei? Vtique nouus homo, ſiue generatio, & recreatio hominis benè operando in nouitate vitæ ambulantis. Ergo pertinuit, vt diceretur Angelo huic de iſto teſte fideli, quod ipſe ſit principium creaturæ Dei; vt ſciret totam recreationem ſui, & quidquid ſanctæ nouitatis habeat, vel habere ſibi videbatur, non ſibi attribuere, ſed illi.* Nemo ſit, qui nouitatem ſanctæ vitæ ſibi attribuat, ſed Deo, cuius eſt nouam inſerere vitam hominibus. Quippe ait Paul. 2. ad Corinth. 5. *Si quà ergo in Chriſto noua creatura: vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia noua. Omnia autem ex Deo.* Vbi D. Remigius: *Omnia autem, ſubaudi genera innouationis, ex Deo Patre nobis procedunt.* Ne quis putet ſe poſſe in nouitatem aliquam ſanctæ vitæ venire, quæ à Deo non ſit, quando ab illo omnia eius innouationis genera procedunt. Ex quo monebat D. Nazianzen. orat. 43. *At nunc nouus appare, ſic nempe, vt totus immutere. Vetera enim tranſierunt; ecce facta ſunt omnia noua. Huic feſto muneris loco præclaram mutationem offer, ac neo ſic quidem magnificè de te ſentias, verùm dic cū Dauide: Hæc mutatio dexteræ excelſæ, à quo promanat, quicquid ab hominibus rectè, & cū laude geretur.*

Apocal. Rupert. 2. Cor. 5.

Quidquid

Quicquid in te nouæ vitæ appareat, hoc in primis efficiat, vt agnoscas à diuina dextera in te fuisse profectum. Dei enim solius est ad vitæ nouitatem homines impellere, expulso veteri malitiæ fermento.

§. IV.

Munificentissimo Deo sese vniuersa creatura conformat.

NOn prætereundum est tempus, quo Deus Ægyptios primogenitis spoliat; suáque primogenita cum libertate Israëlitis donat. Hoc est tempus nouarum frugum; quippe ait. *Hodie egredimini mense nouarum frugum.* Hoc est iuxta Lyppomanum; *Mense primitiuorum*; quando enim tunc prima germina frugum in terra visebantur, & vt ait Lyra, fiebat oblatio de primitiis. Itaque diuina beneficentia diei liberanti Israëlitas, illisque sua primogenita permittenti applaudebat, & sese conformabat tempus ipsum frugum suarum prætendens, offerénsque primitias. Quò spectans D. Nazianzen. orat. 43. inquit: *Princeps anni pars principi dierum pompam peragit, quidquid pulcherrimum & suauissimum habet, dono dat. Nunc cœlum splendidius, nunc Sol sublimior, magísque aureus, nunc Lunæ orbis clarior, & syderum chorus purior. Nunc & fluctus cum litoribus, & nubes cum Sole, & venti cum aëre, & terra cum stirpibus, & stirpes cum oculis in gratiam redeunt. Nunc & pratum suauiter olet, & planta viret, & herba detondetur, & in virentibus aruis agni saltitant.* Sic prima anni pars, nempe ver, pompam peragit primitiuo germine Dominicæ illi diei, qua Dominus tanta largitus est Israëlitis. Quid mirum; quòd Deo munificentissimo sese tempora in munificentia conforment? Fallar, nisi vniuersa creatura sese Deo conformet, vt augeat homines. Vidisti Cherub in paradisi ostio positum, vt flammeo gladio sese accedentibus hominibus opponeret. Quippe ait Gen. 3. *Collocauit ante paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Quis hominum audebit aduersùs tam validum custodem ire? Quis de ostio paradisi tantum contrarium aduertet, vt liberum habeat ingressum? Sanè ipse Cherubin tam validus custos paradisi; vbi vidit Deum terga dantem flagellis pro hominibus liberandis, & ipse statim terga dedit, & liberum reliquit ingressum. Huc respiciens Germanus Constantinopol. orat. de Festo crucis in media Quadragessima, sic fatur: *Terga autem vertet flammea romphæa conspectis nobis, pro quibus Dominus dorso suo flagella excepit.* Quid pulchrius? Nesciet creatura non sese conformare Deo pro hominibus extollendis, & quando Deus terga dedit flagellis pro hominibus; & flammans Angelus visis nobis terga etiam dabit cœlestem paradisum reliquens apertum.

Lyppom.

Ioan. 3.

German.

Exod. 13. Separabis omne, quod aperit vuluam domino, &c. Cúmque interrogauerit te filius tuus cras, dicens: Quid est hoc? Respondebis ei: In manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti, de domo seruitutis. Nam cùm induratus esset Pharao, & nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum, &c.

§. V.

Facinoris virtuosi præmium temporale minimè requirendum.

PRo interfectis Ægyptiorum primogenitis petit Deus sibi dari omne, quod vuluam aperit. Ait enim: *Separabis omne, quod aperit vuluam Domino.* Quale hoc, quòd pro tanto facinore expectentur primogenita temporalia? An is est Deus, qui pro operibus virtutis peteret primogenitum hominis; Absit; non temporale est, quod petitur, sed æternum; lex enim hæc non tam respiciebat primogenita hominum, quàm primogenitum Dei Iesum, qui solus inueniens clausam matris vuluam, per illam sic clausam, quasi per apertam ad nos penetrauit. Sic Orig. Amb. Hieron. Chrysost. Nyssenus, Amphilochius. & alij relati à Card. Toleto in cap. 2. Luc. annotat. 36. Non ergo temporalia primogenita, sed maximè æternus primogenitus Iesus expectatur à Deo pro facinore, quo Ægyptios trucidauit. Nunquam enim non dedecet in præclaro facinore temporalia tantum requirere, & expectare. Vnde turbas sequentes duriusculè Iesus tractat Ioan. 6. aiens: *Quæritis me, non quia vidistis signum, sed quia manducastis ex panibus.* Cur, bone Iesu, sic verecundiam ingeris hominibus te quærentibus? Cur non magis accipis eorum sedulam sequelam? Spectabant illi in Christi sequela nihil æternum, sed tantum temporalia, ideò duriter tractantur. Ait D. Cyrill. Alex. lib. 3. in Ioan. cap. 27. *Saluator noster ardentius illos arguit. Non enim quomodo probi viri fierent, quærebant: sed corporali, ac tenuissima mercede persuasi Christum sequebantur. Religionem ergo Christi amplectamur, non vt aliquid temporalium rerum assequamur, sed vt æternam inueniamus salutem: nec bonis verbis erga Dominum vtamur, vt caducarum rerum nobis aliquid concedatur. Nam qui hac re sic abutitur, eius occultam malitiam acerbè Dominus arguet.* Nunquam enim non damnosum homini est, quod in facinoribus præstitis, temporalia tantum spectet. Quod vt à Christianorum animis Paulus auerteret, nobis Remuneratorem Iesum proponit omnis temporalis splendoris expertem. Ait enim ad Gal. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Cur non dixit factum ex Regibus, factum ex Ducibus, vel ex Patriarchis, aut Prophetis? Cur non dixit factum ex Virgine splendenti? Cur assumpsit vocabulum, & communius, & abiectius, nisi vt pro virtute nihil temporale respicere doceremur? Ait Diuus Augustinus, epistola 120. caput. 5. *Itaque Christus homo, quoniam non ad temporalem, sed ad æternam vitam pertinet, non vtique terrena fœlicitate erat commendandus. Inde subiectio, inde passio, & tanquam superata mors ipsa, vt fideles eius discerent quale pietatis præmium ab illo petere, & sperare deberent, ne ad hoc pro magno seruirent Deo, vt terrenam fœlicitatem adipisci quærerent, abiicientes, & conculcantes fidem suam ast mundo eam mercede viliissima.* Expende, vt fides abiicitur, & conculcatur ab illis, qui pro virtuosis laboribus temporalia sperant. Viliissima enim virtutis merces est, quæ temporis mensuram non excedit.

Ioan. 6.

D. Cyrill.

Ad Gal. 4.

D. Aug.

Exod. 13. Cùm introduxerit te Dominus in terram Chananæi, & Hæthei, & Amorræi, & Hæuæi, & Iebusæi, & quam iurauit patribus tuis, vt daret tibi terram fluentem lacte, & melle, celebrabis hunc morem sacrorum mense isto, &c.

§. VI.

Terreni, & pessimi homines nunquam patiuntur ablactari.

EX lactis fontibus commendat terram Israëlitis dandam, aiens: *Vt daret tibi terram fluentem lacte.* Cur à lactis copia commendat terram? Erant Israëlitæ isti homines, & terreni, qui vt infantes terræ mammillis adhærescentes minimè ablactari paterentur. De sanctissimo Isaaco ait Gen. 21. *Creuit igitur puer, & ablactatus est.* Nec otiosè notatur Isaac ablactatio; sed vt eius virtus insinuetur, & præstantia, qui potuit viuere sine lacte. Quod minimè impij, terrenique homines faciunt. Ait enim ibi Procopius: *Notandum nullibi dici de impiis, ablactatos fuisse.* Nullus impius à mammillis auellitur, nullus terrenus homo ablactatur: eo ipso, quod quis mammillis renunciet, iam virtutibus induendis aptatur. Vt dicat Isaias capit. 11. *In cauernam reguli, qui ablactus fuerit, manum suam mittet.* Eo enim,

Gen. 21.

Isaiæ. 11.

enim, quòd quis mammillis renunciet, tanta virtute pollere intelligitur, vt vel cum regulis venenatis confligat, & vincat. Ibi D. Hieron. *Qui ablactatus eſt, ne lacte nutriatur infantia, ſed iam ſolido veſcitur cibo, iſte in reguli cauernam mittet manum, hoc eſt, in ipſo Satanæ habitaculum, vt inde eum extrahat.* Nec mora, vt quis renunciaſſe mammillis intelligitur; iam ſimul intelligitur talis, qui cum Satana confligat; eúmque vel à proprio habitaculo eliminet. Conſiſtit enim in hac ablactatione multum roboris, vt dicat Pſal. 130. *Sicut ablactatus ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea.* Vbi Chaldæus: *Sicut ablactatus ſuper mammas matris ſuæ, ſic roboratus ſum in lege.* Pertinet robur virtutis ad ablactatos, vt infirmitas, & imbecillitas propria eſt illorum, qui auelli nequeunt à terrenorum bonorum mammis. Quod malum in Hebræis ſui temporis carbebat D. Paul. epiſt. ad Hebræos cap. 5. aiens: *Facti eſtis opus habentes lacte, non ſolido cibo. Omnis enim qui particeps eſt lactis, rudis eſt ſermonis iuſtitiæ.* Nihil habet iuſtitia, & virtus cum lactantibus hominibus; nunquam enim non detrimentoſum eſt virtutis ſtudioſo; quod velit terrenorum bonorũ mammillis immorari. Ait enim ibi D. Chryſ. *Lac vocat, quia rudioribus congruit: hoc autem perfectioribus contrarium eſt, & noxium, vt in iſtis immorentur.* Quid noxium, & virtuti contrarium non fugat, qui mammillis amat ſemper inhæreſcere, ab vberibúſque terrenorum bonorum nunquam diſcedit? Hic quo magis noxia tractat, eo magis mammis hærebit, nullóſque ad perfectionem viri faciet progreſſus. Quò ſpectans lex Deut. 21. cauet: *Si habuerit homo vxores duas, vnam dilectam, alteram odioſam, genuerítque ex eis liberos, &c. non poterit filium dilectæ facere primogenitum.* Ecce tibi vt cauetur ne filius dilectæ habeatur primogenitus, & ſi prius naſceretur. Et cur iſte non haberi debet primogenitus? Sanè in filio dilectæ intelligit hominem nequam iis terrenis bonis penitùs adhæreſcentem, qui vt bonis adhæreſcit, ſic nunquam ad eam ætatem peruenit, qua alios excedat; ſed creſcentibus aliis, ipſe puſio eſt minimè abſtractus ab vberibus. Ex quo ait Philo lib. de verbis, Reſipuit Noë, fatus: *Obſeruaſti iam, quòd dilecta filium nunquam ſeniorem vocat, aut primogenitum, odioſæ verò filium ſæpius. Atqui prior ille natus, odioſæ vero filius poſterior, apparet in edicti principio. Si peperint, inquit, dilecta, odioſáque. Attamen prioris partus quanquam antiquior, a rectè iudicante iunior decernitur.* Semper iſtius mundi filius paruus; & lactans habetur, minimè volens diſcedere ab vberibus.

Hieron. Pſal. 130. D. Paul. Chryſoſt. Deut. 21. Philo.

Exod. 14. Et erit quaſi ſignum in manu tua; & quaſi monumentum ante oculos tuos, & vt lex Domini ſemper ſit in ore tuo. In manu enim forti eduxit te, &c.

§. VII.

Quod manuum opera non conueniant cum verbis, non à bono, ſed à diabolico ſpiritu venit.

ECce vt ſpiritus diuinus & manus, & os coniungit ſemper, curans ne diſcrepent à verbis opera. Quippe ait: *Erit quaſi ſignum in manu tua: & vt lex Domini ſemper ſit in ore tuo.* Dum enim manus non oſtendunt operibus id ipſum, quod ora ſonant, non Dei ſpiritus ibi, ſed ſpiritus diabolicus, ſpiritus nequam. Apud Marcum c. 1. *Erat in Synagoga eorum homo in ſpiritu immundo, & exclamauit, dicens: Quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene? Veniſti perdere nos. Scio, qui ſis, ſanctus Dei.* Quid ſanctius iis verbis? Fallar, ſi honorificentiùs, ſi ſanctiùs de Ieſu aliquis loqui poſſit. Verum Ieſus coëgit ſpiritum illum adeò ſanctè loquentem ab homine exire. Quid tunc? *Et diſcerpens eum ſpiritus immundus exiit ab eo.* Poterat equidem Ieſus facere vt ſpiritus ille nequam exiret nullo damno hominis cur ergo maluit permittere, vt exiret hominem diſcerpens? Vt oſtenderetur omnibus diabolicus eſſe ſpiritus, qui tam ſobria verba habens, tam nefaria opera exhiberet. Pulchrè ait Victor Antiochenus: *Dominus ob id illum hominem iactari, diſcerpique paſſus eſt, vt omnibus palam fieret Dæmonem eſſe illum, qui dicebat. Scio, qui ſis, ſanctus Dei, non hominem, tametſi ea ſobrietatis verba eſſent.* Et quidem euidentiſſimè apparet diabolicus ſpiritus eſſe, in quo adeò diſcrepant opera à verbis, vt cum ſobriis, & placidis, & ſanctis verbis opera plena ſint malignitatis, & nocumeti. De Iuda dicebat Dominus Ioann. 6. *Ex vobis vnus diabolus eſt.* Sed ſcire cupis, in quo iſte in ſe euidentiſſimè oſtendit ſpiritum diaboli? Quò ſpectans Pſal. 54 ait: *Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.* Expende genium nefarium, ſimul blanda, & dulcia verba promebat, & dura manibus torquebat ſpicula, Ex quo eleganter perſonam educens Diuus Hieronymus ait: *Ergo intellige Diabolum nuncupatum, & Iudam; qui leniores oleo fecit ſermones ſuos, cum ait: Aue Rabbi.* Pondera illud: *Ergo intellige Diabolum*, &c. Quippe vbi quis oſtendebatur, qui ore mela volueret, & manu tractaret venabula, non poterat ibi intelligi niſi Diabolus. Nunquam equidem niſi à Diablico ſpiritu veni, tquod bona dentur verba, & opera mala. Matth. 22. ait: *Tunc abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, vt caperent Ieſum in ſermone. Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes: Magiſter, ſcimus, quia verax es*, &c. Mittunt Phariſæi diſcipulos ad Ieſum, qui bona illi, & laudis plena verba dicentes aliquam inferendæ mortis cauſam venarentur. Sed illud notandum, quod ad hoc facinus non mittunt Phariſæi diſcipulos ſuos ſolos, ſed ſimul cum Herodianis. Et cur cum Herodianis? Erant Herodiani homines Idololatræ, diabolico ſpiritu pleni; vbi autem conſilium de inferendo malo cum dulcibus, & placidis verbis capeſſunt, nequeunt ſine diabolico ſpiritu ſocio procedere. Ait Imperfect. hom. 42. in Matth. *Abierunt ergo, & conſilium inierunt, vt caperent eum in ſermone. Quo abierunt? Ad Herodianos. Qui in Diaboli iniquitatibus ambulat, Diaboli adiutorium neceſſarium habet. Sic & iſti conuenienter non ad ſeruos Dei, viros religioſos, ſed ad gentiles, id eſt, Herodianos ſe contulerunt. Quis enim poterat dare conſilium contra Chriſtum, niſi Diabolus*, &c. Ecce tibi, vt cum blandis verbis damnum amant inferre Saluatori, ſolius Diaboli requirunt, & habent adiutorium. Non potuit non eſſe diabolicus afflatus, vbi cum bonis verbis cruentiſſima opera ordiebantur.

Marc. 1. Ioan. 6. Pſal. 54. D. Hier. Mat. 22. Imperf.

Exod. 13. Igitur cùm emiſiſſet Pharao populum, non eos duxit Dominus per viam terræ Philiſthiim, quæ vicina eſt, reputans ne fortè pœniteret eum, ſi vidiſſet aduersùm ſe bella conſurgere, & reuerteretur in Ægyptum. Sed circduxit eum per viam deſerti, quæ eſt iuxta mare rubrum. Et armati aſcenderunt filij Iſraël de terra Ægypti.

§. VIII.

Non imperfectorum eſt, ſed perfectiſſimorum hominum confligere cum inuidia, & triumphare de illa.

IN educendo populo de Ægypto maximè cauit Dominus Philiſthinorum congreſſus, ait enim textus: *Non eduxit eos Dominus per viam terræ Philiſthiim, quæ vicina eſt*, &c. Sanè & per aliam viam Amalechitarum prælia inſtabant, cur ergo Dominus magis timuit populo ſuo à Philiſthinis, quàm ab Amalechitis? Cur non cauit illos ducere per Amalechitarum hoſtilem regionem, & cauit illos ducere per Philiſthinos? Vel, vt clariùs ad textum loquar, cur metuit, vt præliis Philiſthinorum perterrefacti redirent in Ægyptum, & id minimè metuit in præliis Amalechitarum?

Fuit

Fuit in Philisthinis non solum odium,& singularissima inuidia de bonis Israëlitarum, vnde Deus,qui infirmitatem nouerat populi recenter egressi de Ægypto, ideò prouidentissimè cauit, ne infirmus,& imbecillus cum inuidia luctaret , cuius certamen fortissimis so-
Rupert. lum,& præstantissimis paratur. Ait Rup.lib.2.in Exod. c.26. *Igitur maximè habitatores Philisthiim erant vitandi,non frustra, quia aliis timentibus soli contra Israël iam hostilem coquebant inuidiam.* Sapientissimè non permittit Deus populum infirmum,& imbecillem adhuc pugnare cum inuidia; cui non infirmos, sed fortissimos
Mat. 17. validissimósque solet permittere. Matth.17.Post trãsfigurationis gloriam ostensam Petro, Iacobo,& Ioanni ; sic Dominus cauet : *Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.* Et cur cauet,ne & cæteris discipulis dicant visionem tantam ? Erat ibi Iudas,qui posset accendi inuidiæ rabie,& ideò bonus pa-
Damasc. ter imperfectos adhuc discipulos maximè cauit tradere inuidiæ certamini.Ait D.Damascen.orat. de transfig. *Quid est,quamobrem sic ex monte descendant, nemini quicquam ex his,quæ viderant, dicentes ? Cùm imperfectos discipulos esse cõpertum haberet, hoc idcircò ab eo factũ est, ne proditorem inuidiæ rabies furorem ageret.* Meritò cauet suos imperfectos,ne veniant in inuidiæ certamina, quæ solis validissimis, & perfectissimis solent permitti à diuino patre. Quis non sciat Saulis inuidentiam erga
1.Reg.18. Dauidem? Ait 1. Reg. 18. *Iratus est autem Saul nimis, & displicuit in oculis eius sermo iste : dixitque : Dederunt Dauid decem millia,& mihi mille dederunt, quid ei superest nisi solum regnum ? Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid à die illa.* Sic Saul exarsit inuidia in Dauidem,quem in multa coniecit pericula,& sæpe ad mortem quæsiuit. Et tamen Deus , qui Nabalem statim percussit,vbi in Dauidem durus fuit,& Absalonem non passus est viuere;Saulum Dauidis hostem diu permisit, nec illum abstulit,cùm posset, sed magis voluit,vt sub eius Dauid affligeretur inuidia. Et cur sub inuidia Saulis Dauidem tandiu reliquit, qui eum & Nabalis, & Absalonis tyrannidi tam citò eripuit ? Erat Dauid validissimus vir,cuius fortitudinem, & præstantiam inde commendare volebat Deus,quòd possit de inuidia ipsa
Basil.Sel. triumphare. Ait D.Basil.Sel.orat.15. *Ne tibi paradoxum videatur,si Dauid tantæ cùm esset gratiæ, Deóque in deliciis, inuidiæ iaculis fuerit expositus. Nam cùm inuidiam perimere Deus potuisset inuidente perempto, sentiendum non est nullam tusti rationem , nullam Dauidis curam Deum habuisse. Sic enim & Nabal sustulit Deus Dauidi gratificaturus, dum eius iniurias morte vindicauit. Sic ab Absalone commotæ mentis in patrem pœnas exegit Deus. Dauidem tamen Saulis motibus oblucłari permittit Deus, vt athleta ope diuina inuidentiæ victor euadat.* Vt infirmos Deus non permittit inuidiæ,sic fortes,& strenuos vocat in stadium , quo possint de inuidia ipsa triumphare. Aufert infirmum ab inuidorum rabie,at fortissimos eò deducit , vbi inuidentiæ victores euadant.
Iosep.49. Hinc Iacob extollit præstantiam Iosephi cap. 49.*Filius accrescens Ioseph,filius accrescens,& decorus aspectu. Filiæ discurrerunt super murum , sed exasperauerunt eum , & iurgati sunt,inuiderúntq; illi habẽtes iacula.Sedit in forti arcus eius* , &c. Nota fuit Iosephi gloria, vbi in Ægyptio solio concedit secundus à Rege. Sed quid in hac gloria præstantius inuenit Iacob decantandum ? Illud nimirùm : *Inuiderúntque illi,* &c. quod per inuidorum
Bas. Sel. certamina , ipsius inuidiæ victor regnum occuparet. Ad hæc D.Basil.Sel.orat.8. fatur. *Hoc Iosephi certaminum caput est. Perferens autem adolescens læto animo prima periculorum rudimenta, munerarium honorat. E nauigatis autem inuidiæ fluctibus Ægyptum occupat.* Quid præstantius ? Non aliter, quam post superatos inuidiæ fluctus decebat tantum virum corona.

Exod. 13. Tulítque Moyses ossa Ioseph secum: eò,quod adiurasset filios Israël, dicens : Visitabit vos Deus , efferte ossa mea hinc vobiscum. Profectíque de Socoth castra metati sunt in Etham in extremis finibus solitudinis. Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis , & per noctem , in columna ignis , vt dux esset itineris vtroque tempore, &c.

§. IX.

Inde præstantia Principis, si temporalia lucra postponit religioni,& virtuti.

SVprà de popularibus locutus textus dicit,quod petierunt ab Ægyptiis vasa aurea , & argentea , quæ asportarunt, modò de Moyse dicit : *Tulit Moyses ossa Ioseph secum.* Id, quod ponderans Græcus in caten. ait: *Iudæi vtpote infantibus similes , aurum , atque argentum secum detulerunt, Moyses verò intemerati animi vir , Ioseph ossa deportauit.* Illi ad aurum , hic ad religionem spectauit, illi quasi infantes,hic quasi vir , quasi Princeps populi,& præstantissimus Gubernator,cuius præstantia in eo sita est,quod religioni aurum , cæteráque lucra temporalia postponat. Et quid in Principe præstantius,& Deo coniunctius ? Accipite duos Reges inde commendatissimos, alterum in veteri , alterum in nouo testamento ; ille est Dauid Hebræorum Rex,hic est Racharedus Hispaniarum Rex , qui primus in Hispania religionem ab Arianismo purgatam libauit Christo. Sitibundo illi aquam de cisterna Bethleemi suorũ periculo partam obtulerunt milites , in qua vt bonus Rex suorum sanguinẽ vidit,maluit illam Deo sacrare, quam bibere. Ait enim 1.Paralip. 11. *Libauit eam Domino.* Verum huic egenti ingentem auri copiam obtulerunt Iudæi , vt liceret in Hispania illis Iudaicè viuere. At bonus maluit aurum perdere , quàm Hispanæ religioni maculã inurere. Vtrumque miratus D. Greg.PP. lib.7.epist.126. quam ad Recharedum dedit pulchrè dixit : *Excellentia vestra omnipotentis Dei placere iudicio requirens auro innocentiam prætulit. Qua in re mihi Dauidis factum ad memoriam venit, cui dum cõcupita aqua ab obsequẽtibus militibus fuisset allata: Libauit eam Domino. Si igitur ab armato Rege in sacrificium Dei versa est aqua contempta,pensemus quale sacrificium omnipotẽti Deo Rex obtulit,qui pro amore illius non aquam,sed aurum accipere contempsit?Itáque,fili excellentissime,fidenter dicam , quia libasti aurum Domino , quod contrà eum habere noluisti. Magna sunt hæc.* Cõponite modò duos Reges religiosissimos,& Hebræum,& Hispanum;vterque in religionis causa par fuit,& in regio spiritu ; nisi quòd Dauid, vel ab aqua abstinuit, vt se religiosum exhiberet; Racharedus,vel de auro triumphauit, quando illud contempsit,ne maculosos in Christiana Republica permitteret. Vterque magna præstitit,& digna Rege præstantissimo,quando contemptus auri pro virtute nunquam non ostendit Reges regalissimos. Quò spectans Theodoricus Rex Transmundo Regi mittenti aurea mune-
Cassiod. ra pro pace obtenta,sic respondit, munera minimè acceptans apud Cassiod.variar.5.epist.44. *Auri transmissi munera non tenemus, & vt ipsi intelligatis cáusam per iustitiam fuisse motam , quam nulla potuit finire vanalitas. Fecimus vtique regalia. Sic nos superauimus tyrannicam cupiditatem,sicut & vos vicisse constat errorem. Redeãt ad cubiculum vestrum munera , quorum tantum oblatio videtur esse gratissima. Negligatur aurum, vbi electum est conscientiæ præmium,patiatur aliquando repulsam, quod semper auaris Regibus imperabat. Ita quod per bella solebat quæri,amoris studio declaratum est potuisse contemni.* Hoc sit præclaris Regibus insitum,vt in eorum animis temporalia lucra,aurúmque ipsum postponatur virtuti, vt nunquam non cernatur aurum contemni, vbi ostendenda venit res virtutis.

§. X.

Nulla gratior ſedes, aut patria homini, quàm vbi ſunt cariſſimorum cineres.

Ægypto egreſſus Moyſes, vt promiſſam ſuis ſedem acquirat, nil prius ſecum defert, quàm Ioſephi cineres, ait enim: *Tulit quoque Moyſes oſſa Ioſeph ſecum.* Et meritò, nullam enim gratiorem ſedem, gratiorem patriam ſibi homo effingit, quàm eam, in qua cariſſimorum ſuorum requieſcunt cineres. Quò ſpectans Ruricius Lemouicenus Epiſcop. lib. 2. epiſt. 3. de morte conſobrinæ, inquit: *Solam tamen patriam, quæ mihi per ipſam acquiſita fuerat, non amittam; qui hanc mihi potiſſimum terram, quam illa corpore ſuo occupauit, patriam iudicabo.* Ecce tibi, vt bonus antiſtes illam ſibi ſolam veram patriam, gratámque ſedem iudicat, in qua tumulatur dilectæ ſibi conſobrinæ cinis. Hinc Dauidi prima decreta à Deo eſt ſedes regni in Hebron; ait enim 2. Reg. 2. *Aſcendit ergo Dauid, & duæ vxores eius, Achinoam Iezraëlites, & Abigail vxor Nabal Carmeli: ſed & viros, qui erant cum eo, duxit Dauid ſingulos cum domo ſua, & manſerunt in oppidis Hebron. Veneruntque viri Iuda, & vnxerunt ibi Dauid, vt regnaret*, &c. Sed cùm Hebron præ omnibus aliis ciuitatibus Iudæ in ſedem, & patriam Regis eligitur? Ait Theod. q. 8. *Ego opinor, propterea quod Patriarchæ in illa ciuitate, & viui habitarint, & mortui fuerint ſepulti.* Non equidem potuiſſet gratior Regi parari ſedes, & patria, quàm ciuitas illa, in qua erant cariſſimorum maiorum cineres. Oſſa illa auorum toties amata à Dauide, toties culta, & patriam regio ſemini, & ſedem faciebant gratiſſimam. Id, quod monſtrabat Reſpha Saulis concubina, quæ vt filiorum cadauera crucibus in monte à Gabaonitis ſuffixa vidit, eò currens 2. Reg. 21. *Tolleus cilicium ſubſtrauit ibi ſupra petram.* Carthuſian. ait: *Subſtratorium, & quaſi lectum ſibi fecit ibi ſupra petram.* Ecce tibi, vbi bona mulier ſibi & ſedem, & lectum paret, nimirùm in petra, iuxta quam erant filiorum cineres. Quod meditatus Caiet. ait: *Maternus amor deſcribitur tantus, vt quæ fuerat vxor Regis, in rupe habitauerit ad curam habendam affixorum corporum*, &c. Crede mihi nulla gratior habitatio, & ſedes amanti, quàm vbi chariſſimorum oſſa cubant. Ioan. 20. vbi ſepulcrum Domini vacuum apparuit: *Abierunt diſcipuli ad ſemetipſos. Maria ſtabat ad monumentum foris plorans.* Illi abeunt, hæc ſtat ad monumentum; vt enim iſta plus amabat, ſic illi gratior erat locus, vbi amatus iacuerat tumulatus. Vt dicat Origen. *O Maria, quid ſpei, quid cordis, aut quid conſilij erat tibi, vt ſola ſtares ad monumentum diſcipulis abeuntibus? Tu ante illos veniſti, & poſt illos remanſiſti. Cur hoc feciſti? Sapiebas plus illis, aut diligebas plus illis.* Amabat Maria Magdalena, & vt amabat, nullum gratiorem ſibi locum requirebat, quàm illum, in quo dilecti ſui ſepulcrum viſebatur; à quo minimè patiebatur ſeparari. Ait enim ipſa ibi apud Origen. *Melius eſt mihi ſepulcrum Domini mei cuſtodire, quàm ab eo longius ire. Stabo igitur, & hic moriar, vt ſaltem iuxta ſepulcrum Domini mei ſepeliar. O quam beatum corpus meum, ſi fuerit ſepultum propè magiſtrum meum! O quam fœlix anima mea, quæ egrediens de vaſe fragili corporis mei, mox poterit ingredi in glorioſum ſepulcrum Domini mei! Corpus meum ſemper fuit animæ meæ dolor, & labor, ſepulcrum Domini mei erit mihi requies, & honor. Viuens iuxta illud manebo, moriens illi adhærebo, nec viua, nec mortua ab illo ſeparabor.* Sic bonam nullam aliam ſedem ſibi gratam, in qua quieſceret, cogitabat, niſi illam, in qua quieuerat dilecti ſui ſanctum cadauer. Sic Abraham, qui peregrinum eſſe in mundo elegit, vbi vidit mortuam Saram dilectam coniugem in ciuitate Arbee, quæ eſt Hebron, ſtatim empto agro ibi inquilinum amauit eſſe. Gen. 23. loquens ad filios Heth, ait: *Aduena, & peregrinus ſum apud vos, date mihi ius ſepulcri vobiſcum, vt ſepeliam mortuum meum.* Hebraicè dicit: *Date mihi poſſeſſionem ſepulcri*, de omni terra illam ſolam ſuam propriam amabat eſſe, in qua dilectæ coniugis cineres eſſent. Et qui peregrinus, & extraneus alibi erat, ibi & ciuis, & inquilinus eſſe volebat.

§. XI.

Qui in iuſtitia præſidet, nulli grauis eſt.

NOn otiosè elegit Dominus nubis columnam, vt inde quaſi è ſolio populum duceret ſuum. Quippè ait: *Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis*, &c. Et cur Dominus in hoc miniſterium aſſumpſit nubem, ex qua fieret columna? Vt in columna Principis iuſta, & recta adminiſtratio notatur, iuxta ſententiam patris Ioannis Fernandij in theſauro, ſic eam ex nube fieri decuit, vt pateret, quam nulli poſſit eſſe vera iuſtitia grauis. Iſaias c. 19. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur ſimulacra*, &c. Dum percutit Ægyptum, dum pluit ſuper eam plagis, dicitur ille ſuper nubem leuem aſcendiſſe. Et quidem Zachar. c. 5. ait: *Ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna ſedens in medio amphoræ. Et dixit, hæc eſt impietas. Et proiecit eam in medio amphoræ, & miſit maſſam plumbeam in os eius.* Zacharias ſolium mulieris deſcribens nihil in illo non plumbeum meditatur, & ferculum, & ſedile mulieris erat plumbeum, & plumbum erat in ore eius. Compone modò ſedile Dei cum ſedili mulieris, Dei ſedile ingredientis Ægyptum è nube leui factum dicitur, mulieris ſedile è plumbo. Cur hæc? Pulchrè D. Ambr. ſer. 5. in Pſal. 118. *Venit in nube leui quaſi iuſtitia, iniquitas enim in talento plumbeo ſedet.* Quidquid de iniquitate procedit, plumbeum, graue eſt, ſub quo vel gygantes oppreſſi gemant, à iuſtitia autem nihil graue poteſt procedere. Huc ſpectat illud Gen. 2. vbi à paradiſo egredientia quatuor flumina deſcribuntur, in quibus deſignari conſueuerunt quatuor cardinales virtutes. De quorum duobus dicitur: *Nomen verò fluminis tertij, Tigris; ipſe vadit contra Aſſyrios. Fluuius autem quartus, ipſe eſt Euphrates.* De Tigri fluuio dicit, quod vadit contra Aſſyrios, de Euphrate autem non dicit, quod vadit contra aliquem. Et quando de Tigri fluuio dicit, quòd contra Aſſyrios pergat, cur de Euphrate cauet dicere, quòd contra aliquem eat? In Tigri fluuio oſtendebatur temperantia virtus, cuius eſt voluptuoſæ aduerſari vitæ; in Euphrate autem iuſtitia deſignatur, quæ nulli aduerſatur, nulli grauis eſt, ſed cuique ius ſuum tribuit. Ait Philo lib. 1. Allegor. legis: *Contra Aſſyrios vadit Tigris fluuius, id eſt, contra voluptates temperantia. Porrò iuſtitia, quam nobis refert Euphrates flumen, nec oppugnat quenquam, nec circunuallat, nec habet aduerſarium. Quare? Quia huius eſt ſuum cuique reddere, & eſt loco non accuſatoris, ſed iudicis. Quemadmodum igitur iudex, nec vincere vult quenquam, nec habere aduerſari, ſed lata ſententia pondus addit parti iuſtiori, ad eum modum iuſtitia quoque, cùm nemini aduerſetur, cuique rei quod ſuum eſt, tribuit.* Quando ſuum cuique tribuit iuſtitia, nulli aduerſatur, nulli grauis videri debet, ſed omnibus leuis, & ſuauis, Vt dicat Caſſiod. 11. variar. 10. *Nullum lædit obſeruata iuſtitia.*

§. XII.

Te multis præparare, & excolere debes, qui nutum Dei velis ſequi.

AD ſui ſequelam inuitabat Dominus populum ex nubis columna: *Dominus autem*, ait: *Præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis*, &c. Et cur in columna nubis præcedebat, vt illi ſequerentur,

tur? Ostendebat inde, quàm te excolere debeas ad Dei nutum sequendum, vt enim agricola terram arat, & multis excolit, vt nubium rorem excipiat vtiliter, sic qui Dei nutum vtiliter vult sequi, multis se primùm excolat. Aiebat Moyses Deuth. 32. *Expectetur sicut pluuia eloquium meum.* Et cur volebat, quod eloquium expectaretur sicut pluuia? Non expectat agricola otiosus, quòd nubes irrorent, & pluuiam mittant super terram; sed summo conatu terram præparat, vepres eradicat, sulcos componit, semina mittit, & iterato aratro operit, & sic nubium expectat benedictionem. Sic tu, qui nutum Dei expectas, caue otium, te multis excole, partim vitia eradicata, partim affectus, compone, vt sic vtiliter possis excipere diuinos affatus. Ait D. Cyril. Alex. in Cat. Græca. *Expectetur sicut pluuia eloquium meum, facite receptacula in vobis ipsis in eorum, quæ dicuntur perceptionem: nam hoc faciunt prudentes agricolæ? Etenim pluuia imminente arant terram, & studiosè colunt ea, quæ circa arbores sunt, nequid aquæ effugiat, sic etiam volo, nequid eorum, quæ dicuntur, vos lateat.* Quid pulchrius? Sanè prorsus desipit, qui nullo labore, nulla cultura præmissa nubibus fidit, vt ingentem metat segetem fructuum. Nunquam enim nubes nimbis suis fructiferam reddunt terram incultam, sed eam, quæ multis aptatur & excolitur excipiētibus cœlestibus imbribus. Quò spectans Psal. 98. ait: *Inuocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos.* Ecce tibi verbum Domini è nube factum non prius percipitur, quàm antecederet inuocatio ex eius gratia profecta, & ea inuocatio quæ aures Domini caperet. Debes enim prius multis te præparare, & Deum pulsare, quàm verbi eius nutum, & copiosos fructus possis spectare. Crede mihi, nō fructuosè ad verbi diuini nutum attendis, nisi te multis prius excolas virtutibus. Luc. 3. dicitur: *Factum est autem cùm baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orante, apertum est cœlum, descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba, in ipsum, & vox de cœlo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te complacuit mihi.* Ecce intonat vox Patris ostendens mundo Filium suum sequendum in vita, & nulla inde turbatio, nullus metus audientibus incutitur. Sed Matt. 17. visa Christi Domini transfigurati gloria, ait Petrus: *Domine, bonum est nos hic esse; si vis faciamus tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos: Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam.* Duo in prę̄senti sunt maximè pōderanda, quæ ad rem faciunt. Primum est, cur in Iordane vox de cœlo exiuit, in Thabor autem de nube intonuit? In Iordane sola filiatio diuina annuntiabatur, nihil de audiendo, aut sequendo illo dicebatur; in Thabor autē̄ præterquam quod filius dicitur, insuper & Doctor sequēdus ostenditur illis verbis: *Ipsum audite.* Et meritò quando sequendus, & audiendus acclamatur, de nube intonat vox, & innuat, quàm debeat ad hoc terra cordis humani excoli, & præparari, & quàm inutiliter adest Christo sequēdo, & audiēdo, qui incultus, & plenus vitiis adest. Secundum autē̄, quod ponderandum venit, illud est, quod audiens populus vocem de cœlo non cadit; Apostoli autē̄ audientes vocem de nube cadūt in faciem. Et cur populus in Iordane non cecidit ad vocem, & discipuli in Thabor cadunt? Populus in Iordane baptizabatur, ait enim Lucas: *Factum est cùm baptizaretur omnis populus.* Ne miremur, quod populus, qui virtuti operam tunc dabat, in cœlesti voce excipienda nullum acciperet damnum. At Apostoli in Tabor dormiebant, sic enim Lucas c. 9. *Petrus verò, & qui cum illo erant, grauati erant somno:* qui autem somno indulget, non miror, quod in voce Christi audiendi, & sequendi malè afficiatur, imò, & cadat. Ait Theophylact. ad c. 17. Matt. *Discipuli non ferentes fulgorem lucis, nec vocem, ceciderunt in terram, & oculi eorum erant quasi somno grauati.* Hinc cadunt, quia somno indulgent inter voces, & nutus Deum sequendum, audiendúmve monstrantes. Et cur non cadant, qui sic imparati Deo sequendo adsunt? Apud Matt. c. 8. aiebat quidam Iesu: *Magister, sequar te, quocunque ieris.* Quem attendens Iesus, ait illi. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Sic, Domine, ad diuinam sequelam currentem detines? Sic te sequendi repellis animum? Cur homo vias tuas secuturus veniens non magis placet? Veniebat secuturus, sed veniebat prorsus imparatus, nondum spinas curarum temporalium à corde euulserat, nondum virtutum exercitio excoluerat animum; quapropter docetur, vt sese excolere debet; & malè audit, dum est imparatus. Quippè ait D. Chrys. hom. 28. *Christi verba non erant repellentis sed eius, qui prauam hominis opinionem carperet, & potestatem daret, si cum spe eiusmodi sequi vellet. Tu verò vide hominis improbos mores, cùm hæc audisset, nec referre saltem valuit, paratum se esse Christo auscultare.* Monstratur sequela Christi illorum solùm esse, qui terram cordis sui sine foueis, sine cauernosis petris, sine spinis habeant; qui sic se excolit, vt illa tollat, ille sequatur, prorsus reiiciendus, qui minimè studet se ad sequendum parare.

Mat. 17 — Luc. 3. — Cyr. Ale. — Psf. 98. — Luc. 9. — Theoph. — Mat. 8. — Chrysost.

§. XIII.

Princeps leniter, & suauiter subditos tractet, etiam hostes, etiam rebelles.

NOn sub marmoris, sed sub nubis columna Israëlis ductor apparet. Ait enim: *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis.* Et cur in nubis columna? Cur non magis in columna siue æris, siue marmoris? Vt ductoris, & Principis commendaretur lenitas, & suauitas. Ait Ecclesiasticus c. 24. *Ego in altissimis habitaui, & thronus meus in columna nubis.* Vbi Hugo Card. *Nubis autem non lapidis columna dicitur, qui non debent esse duri, sed mansueti.* Sic, qui in humana Republica sunt columnæ, sunt ductores, & Principes populi, duritiem, & lapidum rigorem dissimulent, ostendant crebriùs humanitatem, suauitatem, etiam erga rebelles, & aduersarios. Docebat enim Dominus Matt. 6. exemplo nubium, vt erant aduersarij molliter tractandi, dum ait: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros,* &c. *vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, qui pluit super iustos, & iniustos.* Itaque vt nubes in effundenda pluuia, vel iniustos, & pessimos beneficio afficit, sic Princeps, & ductor populi sciat, vel aduersarios, & rebelles cum amore tractare. Ex quo suam asserebat apud Deum potentiam Dauid Psal. 114. *Dilexi, quoniam audiet Dominus vocem orationis meæ.* Expende, quanta meminerit, quibus Dei aures occupet, nimirùm vnum hoc proponit, hoc est, *Dilexi*, & cùm probet se vel rebelles amore prosecutum fuisse, id, quo maximè valet apud Deum, probat. Quod verbum vt in Theodosio recognouit D. Ambr. sic inde eius in diuino tribunali securitatem agnoscit. Quippè ait orat. in Theodosij obitu: *Dilexi, inquit Theodosius. Agnosco vocem piam, cuius testimonia vocis agnosco. Et verè dilexit, qui officia diligentis impleuit, qui seruauit hostes, qui dilexit inimicos, qui iis, à quibus est appetitus, ignouit, qui regni affectatores perire non passus est. Ergo decedens è terris pia anima, quasi interrogantibus iis, qui sibi occurrerent, cùm sese ad sublimia subrigeret, dicebat, dilexi. Interrogabant Angeli; Quid egisti in terris? dicebat; dilexi. Hoc est dicere: Legem impleui; Euangelium non præteriui. Hoc est dicere: morti me obtuli, & tota die reputatus sum sicut ouis occisionis.* Nihil non dicit Princeps apud Deum, qui humanitatem suam, qui suauitatem suam, qui amorem suum vsque ad hostes, & aduersarios extendit, qui velut nubes, nec iniustis suæ

Mat. 6. — Psf. 114. — D. Ambr.

gratiæ rorem voluit auferre. Hoc vnico ſuauitatis verbo ſatisfacit proteſtatibus cœleſtibus. Vtinam hunc ediſcerent vniuerſi populorum rectores affectũ, Matth. 17. vbi Ieſus in Thabor glorioſus apparuit: *Ecce apparuerũt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes.* Imò, vt ait Lucas cap. 9. *Erant autem Moyſes, & Elias viſi in maieſtate, & dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem.* Vt nimirum pro iniuſtis, & peccatoribus moriturus erat, & oraturus, & veniam impertiturus ſe perſequentibus. Ij erant exceſſus diuinæ bonitatis implendi Ieroſolymis. Sed cur Moyſes, & Elias adducũtur, vt memorent hos exceſſus? Meritò ij adducuntur, vt ſeueritatem, & rigorem legis obliuiſcerentur, & à Ieſu diſcerent ſuauitatem, & manſuetudinem etiam erga rebelles. Ait D. Damaſc. orat. de Transfig. *Moyſes, & Elias in gloria adſtant, atque vnà cum eo colloquentes à conſeruis conſpiciuntur. Oportebat ſiquidem ipſos conſeruorum ſuorum gloria, animíque fiducia conſpecta, Domini benignitatem, & indulgentiã admirari.* Et maximè oportebat, quòd Elias, & alij populorum ductores admirarentur, & imitarentur Ieſu ſuauitatem, & indulgentiam, qua proſequitur etiam rebelles.

Mat. 17.

Damaſc.

§. XIV.

In omni munere Deo potius, quàm hominibus cura placere.

IN columna nubis ibat ductor Iſraëlis iuxta textum: *Dominus præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis*, vt ex ipſa nubis natura oſtenderet, quid cuiuſque muneris adminiſtratorem deceret, nimirùm, quod potius curet Deo, quàm hominibus placere. Quid enim magis addictum hominibus ditandis, quàm nubes, quæ exaniantur, vt arua hominum fœcundentur? Et quid magis ab hominum placitis alienũ, quàm nubes? Ait Baruch. cap. 3. *Et nubes, quibus cum imperatum fuerit à Deo perambulare, in vniuerſum Orbem perficiunt, quòd imperatum eſt eis.* Et Iob cap. 37. *Et nubes ſpargunt lumen ſuum. Quæ luſtrant per circutum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit; & ad omne, quod præceperit illis ſuper faciem Orbis terrarum.* Vnum ſolum ſpectant nubes Dei nutum, cui in primis ſe conformare feſtinant, non homini, non terræ. Ad nubium ergo naturam te compone, quiſquis aliquo fungeris munere, & potius Deo, quàm hominibus placere procura. Iſaias c. 19. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum.* Non paucorum eſt ſententia putãtium iis verbis explicari ingreſſum Filij Dei in mundum in vtero Mariæ. Sed quid Mariæ, & nubi? Sanè in hoc maximè Maria cũ nubibus leuibus conueniebat, quòd ad tã ſublime munus aſſumpta, vt perficeretur hominibus, non tam illis, quàm Deo placere procurat. Ait D. Ambr. ſerm. 5. in Pſal. 118. *Significabat Dominum Ieſum in nube venturum leui, ſicut dixit Iſaias, hoc eſt, in Virgine Maria, quæ nubes erat ſecundùm hæreditatem Euæ. Leuis erat, quia non homini quærebat placere, ſed Domino.* Regina Angelorum, & hominum Maria, & ſi totam ſeſe impendit hominibus ſaluandis, & fouendis, tamen vel in hoc, non quærit placere hominibus, ſed Domino. Quid diuinius? Quid regalius? Vtinam vniuerſi in muneribus ſuis, hoc proſpicerent, vt potius placeant Deo, quàm hominibus. Hæc nos docent nubes. Matth cap. 17. *Ecce nubes lucida obumbrauit eos, & vox de nube dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè cumplacui, ipſum audite.* Et cur neceſſum fuit, quod nubes veniret, & quod vox de nube veniret? In Iordane eadem vox intonuit Lucæ cap. 3. ſed nec fuit nubes, nec vox proceſſit de nube. Cur in præſenti, & nubes, & vox de nube? Aderat Petrus Eccleſiæ Princeps, ſic affectus ad Moyſem, & Eliam, vt æquè illorum, & Ieſu commoditati proſpiceret, dicens: *Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.* Ideò nubes obiecta eſt, & vox de nube, quæ doceret Eccleſiæ Principes, vt deberent potius curare vni Deo placere, quàm hominibus. Ait Orig. hom. 3. in Matth. *Nubes lucida obumbrat ſanctos, ex qua venit vox patris dans teſtimonium Filio, quaſi dilecto, & exhortans eos, qui obumbrantur ab eo, ipſi non alij obedire.* Hoc continuè clamant nubes, ne hominibus, ſed Deo magis audientes ſimus.

Baruc. 3.

Iob 37.

Iſai. 19.

D. Amb.

Matt. 17

Luc. 3.

Orig.

§. XV.

Mariæ proprium eſt locum facere humanæ ſaluti.

BEnè dicitur: *Dominus præcedebat eos ad oſtendendum viam per diem in columna nubis*, cuius officium erat, & locum quietis opportunum ſtando oſtendere; & tẽpus etiam oſtendere ambulandi præeundo. Sic enim notabat Amb. ſer. 5. in Pſal. 118. *Vbi volebat exercitum quieſcere à laboribus, non mouebatur columna*, &c. Itaque columna nubis quiete ſua oſtendebat populo locum opportunum, & commodum quieti, & ſaluti. Quid plura? Hæc columna nubis nobis eſt Maria, quæ & protegit nos, & ab æſtu defendit, & locum opportunum oſtendit humanæ ſalutis. Eccleſiaſtici cap. 24. aiebat ipſa: *Ego in altiſſimis habitaui, & thronus meus in columna nubis.* Quid eſt *in columna nubis?* Ibi ait Hugo Card. *Hæc eſt columna nubis, quæ præceſſit, & protexit filios Iſraël per deſertum, ita ſtabilis, vt nec ab ipſis peccatoribus receſſerit. Sic beata Maria multos in peccato protegit. Ipſa enim eſt aduocata peccatorum. Item columna illa mobilis ſtatione ſua loca caſtrorum monſtrabat. Scit Beata Virgo, vbi locus eſt aptus quieti exercitus Chriſtiani, vbi ſcilicet non ſunt leones, neque ſerpentes, neque vermes; ſed fontes, & prata, & arbores.* Equidem de Mariæ munere venit, quod nobis clareat locus ſaluti obtinendæ aptus; in quo abſint vniuerſa mala, & non deficiant cœleſtis annonæ commeatus. Ipſa locum ſalutarem prætendit properantibus ad cœleſtem patriam; quod munus adeò proprium Mariæ eſt, vt pro illo parando non detrectet cum hominibus agere. Sanè Iacobo dormiẽti Gen. 28. viſa eſt ſcala plena deſcendentibus, & aſcendentibns Angelis, inter quos ſic lætus agit, vt nollet à ſomno excitari. Eliæ in deſerto agenti. 3. Reg. 19. adeſt Angelus, qui epulum præbet, quo refectus hominum cõſortium fugere ſatagit. Sed & Petrus Matth. 17. vt vidit Ieſu glòriam, clamat: *Bonum eſt nos hic eſſe*, quaſi nullam aliorum curam ageret. At Maria cum fœliciori ſomno contemplationis frueretur, in quo licebat cœleſtia omnia rimari, Deum ipſum videre, Angelorũ vti famulatu, & à Filij glorioſi latere non ſeparari; quomodo adduci poterat, vt homines non obliuiſceretur, vt vellet cum hominibus conuerſari? Rem ipſa exprimit Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat: Vox dilecti mei pulſantis. Aperi mihi ſoror mea*, &c. Dormiebat equidem Maria, & in ſomno contemplationis ſuæ & cœleſtia, & diuina luſtrabat. Interea vox intonuit pulſantis Dei, qui ſibi ſedem, & locum oſtendi cupiebat, vt ſalutem hominibus communicaret. A quo negotio noluit Maria ſuum otium excuſare. Ait Rup. lib. 5. in Cant. *Tu ô cœlum Dei cunctis mortalibus longè eminentior extitiſti, longè ſtudioſior ad contemplandum eum, in quo deſiderant Angeli proſpicere. Quid ergo tu cum hominibus, quamuis ſanctis? Quid tu loqui cum mortalibus, quamuis Apoſtolis? Cur nõ potius ſolitudinem expetiſti ſecretior, quàm Elias, vt ſoli te ſcirent, tibique familiarentur Angeli? Hæc nobis percontantibus tu reſpondens dicis: Vox dilecti mei pulſatis: Aperi mihi ſoror mea. Aperi igitur, & facito, vt in quibuſcunque locum habeam, vbi reclinem caput meum.* Expende illud: *In quibuſcunque locum habeam.* &c. quippe Mariæ eſt, in quibuſcunque locum oſtendere, imò locum facere, in quo Saluator hominũ inueniatur. Vt hunc oſtendat locum Maria, vt nubis columna præcedit eos, qui feſtinant ad patriam.

Gen. 28.

4. Reg. 19

Matt. 17.

Cat. 5.

Rupert.

Exod.

Exod. 13. Nunquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem coram omni populo.

§. XVI.

Sola dominicæ crucis protectio nunquam nobis deficit.

PLacet sententia Richardi Victorini, Abbulensis,& Patris Pereira putantium vnam, eandémque fuisse columnam nubis,& columnam ignis, quæ vt interdiu obumbrabat,sic nocturno tempore splendescens claram,& lucidam noctem efficiebat. Sed hoc singulare in hac columna fuit,quod nunquã defuit.Habes enim: *Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo.* Equidem cœlestia astra omnia habent suos defectus, quibus sese eripiunt ab oculis viuentium. Occidit Sol,occidunt stellæ, & Luna, ideò Deus suo populo præuidit ducem, qui non occideret, qui semper cadentibus aliis staret coram oculis sequentium. Quid gloriaris Iudæe ? Habemus verius hanc columnam Christiani in cruce Domini, quæ sola cadentibus aliis nunquam deficit,sed ob oculos assectarum suorum semper est. Quò spectans Nazianzen. agens de hominis vtilitate, postquam omniũ humanorum bonorum dixerat defectus, tandem ait: *Ego relictis omnbus Crucem vnam habeo, quæ tanquam clarissima columna vitæ meæ præluceat.* Deficiet tibi Sol, deficient tibi astra, clarissimáque mundi lumina tibi deficient,nec aderit necessitatis tempus auxiliator vllus,qui æternitatis demonstret viam. Vna crucis columna tibi præsto erit,& indefectibiliter te proteget, te deducet,te excipiet. De extremo iudicij tempore, quo omnes homines stare debemus ad diuinum tribunal,ait Matth. 24. *Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum,& stellæ cadent de cœlo,& virtutes cœlorum commouebuntur; & tunc parebit signum Filij hominis in cœlo.* Quid præstantius dici potuit de signo crucis? Vbi Sol, Luna,& stellæ sese homini subtrahunt;vbi & virtutes cœlorum mobilitatem prætendunt,sola Crux,vt vera, & stabilis columna apparet,ne vel tunc eius tibi ducatus,aut lux deficiat. Ait D.Chrysost.hom. in Parasceue apud Grethserum tom. 2. *Vides, quanta sit excellentia huius signi: quanta claritas, quantus fulgor? Sol obtenebratur,& Luna non splendet, astra cadunt, illud vero solum apparet.* Cadentibus,deficientibus,imò & fugientibus cunctis mundi luminibus,creaturis cunctis, vna crucis columna apparet,vt protegat,& excipiat suos.

Naz.

Matt. 24

Chrysost.

CAPVT XI.

Maris transitus.

SOlitudinem Etham iam Israëlita terebat,qua parte sinus maris Arabici suum caput immittit,facileque,& expeditum pergentibus patebat iter;cùm iubente Deo totus, quantus erat exercitus ad Phihahiroth reducitur versùs maris litus. Integro ergo die in statione hac perseuerant. Sub vesperam, cùm paruulis solent matres præbere cibum,primùm audiri, deinde videri cœpit à tergo ingens exercitus Regis Ægyptij. Sexcenti armatorum currus, cùm penè innumera pugnatorum manus ducentem Pharaonem sequebantur,geminatisque clamoribus, & tubis, tympanis ex composito pluribus, quam pro vsu auctis, quidquid ad horrorem valebat, impigrè cumulabant. Nihil eo aspectu horribilius potuit obiici fugitiuis Israëlitis, qui vel hostium clamoribus attoniti hærebant exanimes. A tergo quot hostes, tot pennatæ mortes in miseros iam volabant;à fronte fugæ aditus tumenti fluctu maris intercludebatur. Tandem Dominus in arctissimo angustiarum positis duplici signo latissimos salutis aperuit campos. Primo enim Angelus,qui præcedebat populum in nubis columna,stationem mutauit,& se à tergo populi cum nube constituit, eripiens hostium oculis prædam, quam iam putabant prendere manibus. Deinde ad virgæ Moysis eleuationem subitò scinditur mare,& aquæ dextra, lævaque gelido stupore frænatæ vitreos deriguntur in muros, ea conditione,vt persequentibus mare sint. Via erat per patentes facilis maris campos,qua parte Arabici sinus aduersæ ripæ vix nouem milliaribus distabant. Hanc iniit Moyses cum parte copiarum ex Iudæ tribu, quæ cunctantibus paulisper aliis impegrè sequebatur. Eandem, & cæteri arripiunt ea festinatione, qua fugitiui, & timidi solent à Dominorum excedere tyrannide. Proh quàm insperatas salutis vias solet Deus prouidere suis assectis!

Apertum maris iter Ægyptij mirati, vt fugitiuos prendant,non dubitant se credere hinc inde stupentibus fluctibus,qui ignotos sibi hospites experti, notos resumunt mores fluctuandi. Videres eodem temporis articulo fluctus effingere mundo specula pietatis, Israëlitis expeditos salutis calles, Ægyptiis procellas, rabidas tempestates,extrema naufragia. Simul Dei fideles securum litus scandunt, & rapidi maris fluctus Ægyptiorum cadauera voluentes ad nota litera currunt, & placido murmure sanctorum vestigia lambunt. Lætitiæ impetu exsurgunt populares in cantum,qua hilaritate Moyses compulsus in carmen est. Non vt inepti solent poëtæ verbosè heroum victorias cruciantes, sed vt diuino spiritu imbutus triumphatoris Dei nomen exaltat. Nec defuerunt fœminæ communi lætitiæ,quas in choreas omni plenas suauitate Maria soror Moysis tympano pulsato ductabat.

PARS VNICA.

Moralis ad textus litteram;

TRanandum nobis venit hoc ipsum mare, cuius fluctus vtinam & nobis apertos ostendant calles, per quos,quæ ad salutem ducit,semitam ineamus.

Exod. 14. Loquere filiis Israë. Reuersi castra metentur è regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum,& mare,&c.

§. I.

Vel vmbra remissionis à virtute incœpta maximè nobis est cauenda.

VT Israëlitæ reuerterentur versùs Ægyptum non solùm nubis columna præcedens fecit, sed & addita est vox Dei. Quippe ait textus: *Locutus est autem Dominus ad Moysem,dicens: Loquere filiis Israël. Reuersi castra metentur,*&c. Vt pergerent Israëlitæ sufficiebat,quod nubis columna moueretur ante eos, ad cuius motum statim omnis multitudo exurgens sequebatur ductum eius. Quid ergo opus erat hac voce denuò Moysem monente, cum nubes ad iter ostendendum sufficeret ? Cur præter nubem regredientem maluit Deus,& voce sua Moysem magis monere de regressu? Noui acutam dubitationem Patris Saliani in præsenti, cui satisfacio ex mente Caietani dicentis: *Non erat directa reuersio, sed species quædam reuersionis ad locum Ægypto propinquiorem.* Erat quidem, & si non vera,species tamen reuersionis in Ægyptum, & remissionis ab itinere cœpto, quam sic debent fideles cauere,vt nequeant illo adduci communibus signis, nisi signa multiplicentur. Genes. 22. *Tentauit Deus Abraham,& dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respondit, adsum. Ait illi: Tolle filium tuum*, &c. Nec mora,Abraham dicto parens,filium exciat, in monte proficiscitur,ligna componit,aram struit,& cum suprà

Caietan.

Gen. 22.

iam haberet ligatum iuuenem, gladium ſtringit, vt mactet Deo. Quid tunc? *Ecce Angelus Domini de cœlo clamauit, dicens: Abraham, Abraham: Ne extendas manum tuam ſuper puerum.* Cùm iubet percutere, non clamat, ſed ſimpliciter loquitur, & ſenex promptiſſimè obedit vel ſimplici loquelæ; cùm autem iubet à ſacrificio incœpto deſiſtere, non contentus eſt ſimplici loquela, ſed clamorem ingeminat. Cur modò clamor fit homini adeò obedienti? Cur cui ſuffecit vox ſimplex, vt filium mactare vellet, Deo modò clamor congeminatur, vt cohibeat dexteram? Imperabatur modò ceſſatio à ſacrificio incœpto, remiſſio tanti facinoris, quæ viro fideli communibus vocibus non poſſet perſuaderi. Ait
D. Aug. D. Aug. ſer. 72. de tempore: *Qui iuſſerat, vt feriret, modò vociferatur, vt parceret. Sciebat enim probatum patrem, & in deuotione feruentem.* Equidem vbi agnitus eſt bonus ferire in deuotione non perſuadendus erat, vt remitteret communibus vocibus, ſed maiora, & efficaciora incitamenta congeminanda erant. Nunquam enim non reſiſtunt ſancti ad remiſſionem ferri. Nec miror, quando vel minima remiſſio ab incœpto virtutis opere potens eſt totum hominẽ perdere. Nota eſt ſtatuta illa Nabuchodonoſori viſa Daniel c. 2. cuius caput aureum erat, argenteum pectus, venter æreus, &c. Cuius ſignificationem aggreſſus Daniel ait: *Tu es ergo caput aureum, & poſt te conſurget regnum aliud minus te, & regnum tertium aliud*, &c. Ecce tibi ſtatua vnius hominis figuram explebat caput aureũ habentis. Nihilominùs vbi Daniel ab aureo capite ad argenteum pectus deſcendit, iam non eundem hominem, ſed alium longè diuerſum recognoſcit. Ait enim ibi: *Conſurget aliud.* Cur non idem perſeueret? Quando ſtatua vnius erat figura, & iam in capite aureo Nabuchodonoſorẽ animaduerteras; cur non eundem agnoſcis in cæteris aliis membris? Cur in pectore iam cogeris alium agnoſcere diuerſum? Erat iam in pectore aliqualis remiſſio à primo illo aurei capitis ſplendore, quando pectus nõ aureum, ſed argenteum apparebat; & vbi quæuis remiſſio agnoſcebatur, non poterat totus primus homo
Richar. non euaneſcere. Ait Rich. Victor. de Erudit. interior. hom. par. 1. c. 31. *Nónne ſtatua vnius hominis perſonam repræſentat? Si vnus eſt, qui eiuſmodi eſt, habens caput aureum, pectus argenteum, ventrem æreum, cur quæſo, ſi ipſe, cui hoc dicitur, eſt caput aureum, cur non & ipſe eſt pectus argenteum, & cætera in hunc modum? An forte in ea parte, qua aureus eſt, ipſe eſt, & ipſe non eſt in ea parte, qua aureus non eſt? Quiſquis ergo es, cùm poſt caput aureum, iam cœperis pectus habere argenteum, vide, quæſo, ne fortè ipſe iam non ſis ipſe.* Et quidem qui à primo virtutis fulgore deſcendit, vt minor appareat, ſic totum hominẽ primum perdidit vt ipſe prorſus non ſit. Ex quo mo-
Matt. 24 nebat ſuos Dominus Matth. 24. *Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant in montes. Qui in tecto eſt, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua, & qui in agro non reuertatur tollere*
Hilar. *tunicam ſuam.* Et quidem, vt ſapienter monebat D. Hilar. dixerat prius Dominus, quod fugerent in montes, qui erant in Iudæa; modò iubet, quod non deſcendat in domum, qui eſt in tecto. Si ergo à tecto non erat deſcendendum, quomodo ad montes fugerent? Qualis ergo deſcenſus vetatur, qui non conducat ad fugã, ſed illam tollat? Non equidem corporalem deſcenſum
D. Cæſar. vetat, ſed deſcenſum affectionum, in quo non mirum eſt, ſi pereat fuga à perditione. Vnde ait D. Cæſar. Nazianzeni frater dialog. 3. *Qui verò in tecto eſt, non deſcẽdat ad tollendum aliquid de domo ſua; qui præſenti contempta vmbratili vita ſuperior euaſit relegatis internis affectibus, ne quid eorum ſecum trahat, non vanum timorem, non vanam gloriam, non opum amorem, quæ ſunt ab alto deſcenſus.* Ecce tibi deſcenſus, qui obſunt perditionis fugæ; nimirùm deſcenſus à perfectione virtutũ, quam aſſumpſerat. Qui ab hoc alto deſcenderit, nõ mirabor, ſi non poſſet perditionẽ fugere. Sit ergo hoc tibi cordi, vt minimè adducaris, vt velis aliquid in virtutis curriculo arrepto dimittere. Ieſu concionanti ad turbas dictum eſt, quod mater foris ſtaret, quærens illũ, quibus ipſe Matt. 12. *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres* *Matt. 12*
mei? Cur, Domine, non magis matri, fratribúſque adblandiris? Ait D. Cæſar. dial. 3. *Neque enim Chriſtus, cùm* *D. Cæſar*
à matre, & fratribus quæreretur, vocationem admiſit, cùm apud auditores ſaluti feram doctrinam exorſus eſſet. Non enim eſt Chriſtianum ab incœpta virtute deſciſcere. Quam qui primo in ſplendore conſeruat, nec vllam remiſſionem admittit, patentiſſimum oſtium in ſe facit; venienti Chriſto clamabat ſponſus Cant. 5. *Aperi* *Cant 5.*
mihi ſoror mea, columba mea, immaculata mea. Cui ipſa reſpõdit: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Ipſe adeò illam immaculatam nouerat, vt vellet ſibi ad manendum aperiri; illa verò proponit ſe minimè inquinari rurſus velle, nec ad veterem tunicam recurrere. Qualis hæc reſponſio ad verba ſponſi petentis ſibi aperiri? Præclara ſanè reſponſio, & prorſus petitioni ſponſi correſpõdens; nunquam enim anima illi patentius oſtium aperit, quàm vbi exhorret aliquid de reiecta vita reſumere. Ait Niſſen. hom. 11. in Cant. *Hæc ſunt, per quæ à ſponſa Verbo oſtium aperitur. Etenim ipſa illa confeſſio, qua pollicetur non amplius reſumpturam ſe tunicam illam reiectam, neque incedendo in hac vita terrenam inquinationẽ admiſſuram; aditus eſt animæ comparatæ ad ſanctificationem.* Sic ibi: vt caueat remiſſionem in virtute, quiſquis Deo in ſe patentem locum procurat. *Niſſen.*

Exod. 14. Et nunciatum eſt Regi Ægyptiorum, quod fugiſſet populus: immutatúmque eſt cor Pharaonis, & ſeruorum eius ſuper populũ, & dixerunt: Quid voluimus facere, vt dimitteremus Iſraël, ne ſeruiret nobis? Iunxit ergo currum, & omnem populum ſuum aſſumpſit ſecum: Tulítque ſexcentos currus electos, &c.

§. II.

Principibus citiſſimè renunciatur, id quod illos in perditionem trahit.

QVam velox venit ad Regem fama de Iſraëlitarũ fuga, ait enim textus: *Et nunciatum eſt Regi Ægyptiorum, quòd fugiſſet populus.* Nunciatum, inquam, eſt quarto die poſt egreſſionem de Ægypto, vt ait Gen. *Genebr.*
lib. 1. Chron. in 4. ætate. Petiuerant enim facultatem abeundi itinere trium dierum, & cùm primùm tertia dies finita fuit, & cœpit quartæ diei iter, ſtatim eorum fuga fuit Regi annunciata. Quid velocius? Hac equidem velocitate ſolent ad Reges peruenire, non quæ vtiliter, ſed quæ damnosè ab illis ſciuntur. Et defectiones, & regnorum calamitates, & penuriæ ciuium, & mala multa, quæ cognita à Regibus curationẽ inuenirent, aut tardè, aut nunquam ſciũtur. Nullus eſt, qui ea audeat renunciare Principi; at ea, quæ Principem trahant in perniciem, ſumma velocitate à pluribus ad eum referuntur. Dicebat Ferrandus Diaconus in Pa- *Ferrand.*
ran. ad Reginum regul. 3. de Regum lateronibus: *Licèt ſciant omnia deperiiſſe, quærunt tamen aliquanta loca ſatis rara, quæ miſericordia Domini protegente, meruerunt vel illæſa ſeruari, vel forſitan parum læsi. Quorum nomina commendata memoriæ frequentius recitantes magnitudinem calamitatis generalis extenuant. Nihil vident, vnde pietas indigetur, & hoc luminibus ſollicitis notant, vnde inuidia generetur.* Ecce tibi notiſſimum ingenium omniũ aularum, nullum ibi aditum habent expeditũ, niſi quę Regibus cedant ad malum. Quæ eorum poſſint excitare virtutes, vel tacentur, vel diſſimulantur, vel nimis ſerò ad illos perueniunt, quæ inuidiam conflent, vel alios nociuos affectus acuant, vt in perditionem trahant, ea dicto citiùs eorũ penetrant aures. Ioabo Duce proceſſerant

2.Reg.11 processerant in bellum Israëlitæ 2.Reg.11.*Et vastauerunt filios Ammon,& obsederunt Rabba*,nec dicitur hæc prosperitas fuisse Regi nunciata;at cùm ciuitatis obsidio arctaretur:*Ioab posuit Vriam in loco,vbi sciebat viros esse fortissimos: Egressiq; viri de ciuitate bellabant aduersùs Ioab,& ceciderunt de populo seruorum Dauid, & mortuus est etiam Vrias Hethæus. Misit itaque Ioab, & nunciauit Dauid omnia verba prælij*, &c. Ecce tibi in vastatione filiorum Ammon,in obsidione tantæ vrbis non mittitur Nũtius ad Dauidem;in primo autem belli infortunio,in quo nonnulli Israëlitæ cadunt, statim res tristis Regi nuntiatur. Mirabar ego hoc sæpè in prudẽtissimo Duce,& Palatino,quod sic festinaret primũ infortuniũ exercitus Regi renunciare.Cur non magis expectat finẽ belli, vt sub ingentis victoriæ gloria,& infortuniũ illud nunciaretur ? Cur adeò paruæ cladis famam non premit,nunciaturus statim captam ciuitatem?Sanè nũciabatur in illa clade mors Vriæ,quæ Regem in nefarium matrimoniũ traheret,& ingentẽ regni totius ruinam sollicitaret;ea autẽ, quæ sic noxia sunt Regibus, festinatissimè illis renunciantur. Fuisset clades, cuius notitia regias virtutes posset sollicitare,& nullus inueniretur,qui illã Regi nunciaret;at quando res illa Regem non ad virtutẽ,sed ad perditionẽ impulsura erat,
Gen. 12. vel ipse exercitus Dux curat, vt festinatissimè regias impleat aures. Sic Gen.12. *Cùm ingressus esset Abraham Ægyptum, viderunt Ægyptij mulierẽ, quod pulchra esset nimis. Et nunciauerunt Principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum.*Chrysost.ibi:*Vt viderunt eam Principes,laudauerunt eam coram Pharaone :* quasi in ictu oculi perlata sit ad Regem fama peregrinæ pulchritudinis. Cum quo coniungo Æstheris morositatem in denuncianda Regi Amanis proditione. Iam enim c.5.intrare Æsther ad Regẽ decreuerat,vt populi sic referret iniustam damnationem,imò & iam intrauerat,& cum Rege locuta solùm petit,vt Rex cum Amane in cõuiuium veniat,id quod semel,& ter postulauit ex Rege. Et cap.7.*Dixit ei Rex secunda die postquam vino incaluerat.Quæ est petitio tua Æsther*,&c?*Ad quem illa respondit:Si inueni gratiam in oculis tuis ô Rex, & si tibi placet, dona mihi animam meam,pro qua rogo,& populum meum pro quo obsecro. Traditi enim sumus ego, & populus meus, vt conteramur.*Ecce tibi vt nobilis palatina morosè explicat Regi iniustam populi sui necem,& componehãc cum illis, illi vt viderunt pulcherrimam Saram,statim in ictu oculi, de illa agunt cum Rege, hæc & vidit iniustam perditionem ingentis populi , & nihilominùs moratur,& cunctatur,multaque comminiscitur antequam rem deferat Regi.Et cur illic tanta festinatio,& hîc tanta mora intercedit ? Hîc materia erat Regi vtilissima, & quæ scita in magnam veniret vtilitatem regni , illic erat noxia Regi , quæ totam Regiam multis malis impletura erat. Quæ autem huiusmodi sunt,festinatissimè occupant aures regias.

§. III.

Noxia quæque cùm primum hominibus nota sunt.

VIx tertius dies concessionis finitus erat , vt diximus,& iam:*Nunciatum est Regi Ægyptiorum,quod fugisset populus.* Et adeò festinãter hæc fuga patuit Regi , nisi quia illi noxia futura erat, & perditionis occasio?Solent equidem noxia quæque, quàm citò mentes,& aures hominum præoccupare.Prius & audiũtur, & sciuntur vel ab ipsis infantulis , quæcunque futura
Cicero 3. sunt labendi causa.Id,quod maximè deplorabat Cicero Thusc.3.aiens : *Nunc autem simul,atque editi in lucẽ sumus,in omni continuò prauitate,& in summa opinionum peruersitate versamur; vt penè cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cùm verò magistris traditi sumus , tum ita variis imbuimur erroribus,vt vanitati veritas,opinioni confirmatæ natura ipsa cedat. Accedunt etiam poëtæ,qui cum magnam speciem doctrinæ præ se tulerint, audiuntur, leguntur, ediscuntur , & inhæresc unt penitùs in mentibus. Cum verò accedit eodem quasi maximus quidam magister populus,& omnis ad vitia consentiens multitudo,tunc planè inficimur.* Vide, quàm properent ad nos noxia quæque,cum nutricis lacte venit simul ad nos turpium vocabulorum vox;cum primorum rudimentorum magistris errores adsunt,& poëtarum spurcitiæ audiuntur, percipiuntur, & cantantur. Quis puer, aut adolescens prius non gustet spurca carmina , quàm solidos cibos capiat?Quis nõ prius audit ea,quæ noxia sunt,quã quæ salutaria ? Pulchrè Gen.43. *Audiens autem Iacob, quod* Gen. 43. *alimenta venderentur in Ægypto,dixit filiis suis: Audiui, quod triticum venundetur in Ægypto.* Et fames erat, & Iacob filij adolescentes omnia penetrabant , & tamen ad illos non peruenit tritici fama. Sed hãc prius senex pater accipit. Et cur prius rumor tritici non venit ad iuuenum filiorum aures? Sanè vtilia,aut necessaria nõ festinant venire ad aures iuuenum, sed noxia quæque illas properant occupare. Ait Ambr.lib.de Ioseph.c.8. Ioseph. *Citius vtique iuniores,quàm seniores consueuerunt audire, dum foris positi multa circumeunt.Sed hanc negotiationem prius senex audit, sed ille senex,in quo est fidei longæua canities.Prior senex intelligit, sed ille senex , in quo est venerabilis senectus,& ætas senectutis vita immaculata.* Equidem ad iuniorum aures citissimè solent res peruenire, sed quæ noxiæ sint,& prorsus ad bonum inutiles, quæ autem vtilia sunt , & necessaria ad animæ sustentationem,hæc minimè à iuuenibus percipiuntur , sed ab illis,quorum ætas senectutis est immaculata vita.

§. IV.

Relictæ occasiones vitiorum, nec memorandæ.

ECce tibi vnde sese Ægyptij in perditionem præcipitent,nimirùm memorantes Israëlitarum seruitia, quæ abiecerãt. *Immutatum est cor Pharaonis, & seruorum eius super populum, & dixerunt. Quid voluimus facere, vt dimiteremus Israël, ne seruiret nobis?* Seruitia iam à se reiecta iterum memorant, ex quo miserè labuntur in perditionem. Eu quàm periculosè tibi veniunt in mentem , quæ tibi præstiterant seruitia ea , quæ semel abiecisti ob Dei timorem! De cantatissima in hanc rem vxore Lothi ait pulchrè.Sedulius lib.1.Pas.cap.5.*Loth* 1.Ps 51. *peritura fugiebat ex Sodoma, cuius vxor dum respecit, quæ euasit , mutata salis remansit in statua.* Expende totam occasionem mali,nimirùm : *Respicit, quæ euasit*,non respicit ea, sub quibus, & semel, & ter perierat,si enim hæc respexisset,non mirarer,quod iterum periret. Sed respicit ea,quæ constanter abiecerat,quæ sequens Dei nutum contempserat, quæ pro Dei timore incolumis euaserat , & quia etiam ad hæc respicit , miserè cadit. Caue homo vel ad memoriam trahere,quas iam semel necessum fuit tibi dimittere, occasiones peccati,si has reiectas iterum aspicias,non mirabor, si in perditionẽ abeas.Hinc Ioseph dum carcere esset detentus,dũ pro se orat.Gen.40.ait : *¡Tantum memento mei cum bene tibi* Gen 40. *fuerit , & facias mecum misericordiam : vt suggeras Pharaoni, vt ducat me de isto carcere, quia furto sublatus sum de terra Hebræorum,& hic innocens in lacum missus sum.* Memorat fratrum sibi illatam iniuriam , quam furtum vocat;sed non memorat obsequia Ægyptiæ fœminæ, quibus inuitabatur ad adulterium , & ob quorum repudium in carcerem venerat. Sanè meretricia obsequia fœminæ reiecta iuuenẽ in carcerem miserant, cur hæc non magis meminit ? Absit hoc à viro, qui nollet perire,imò nil magis curabat, quàm reiecta illa meretricis obsequia penitùs obliuisci. Ait D.Chrysost.hom. Chrysost. 33.in 1.ad Cor. *Ioseph ne tunc quidem, cùm in ea necessitate constitutus esset,vt vinculorum, & vitæ superioris rationem reddere cogeretur ,fabulam patefecit. Sed quid inquit ? Nihil ego commisi, furto ex Hebræorum terra abreptus*

abreptus sum, adultera ne meminit quidem. Quid sapientius? Et proprior causa vinculorum fuerat adultera cõtempta, sed quam tanti periculi rem semel victor euaserat, semel victor dimiserat, prudentissimè cauit, vel illam meminisse. Vtinam sic saperent omnes, & penitùs obliuiscerentur, quidquid fuerat illis occasio vitiorum. De Enoch dicitur Gen. 5. *Ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Dominus.* Alij legunt: *Et non est inuentus, quia transtulit eum Dominus.* Vbi Philo Iudæus lib. de Abrahamo dicit: *Rectè verò, & illud dicitur: Non est inuentus de translato; eo quod prior vita culpabilis euanuerat, vt non inueniretur amplius, ac si nec fuisset quidem vnquam antea.* Fœlix cui sic euanent præteritæ occasiones peccati. Sic euanuerant illi, quæ ait Cantic. 5. *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* quasi prorsus ignoret pristinæ inquinationis vias. Ait D. Ambr. in Psal. 118. set. 22. *Veteris hominis vestimentum vitiis errorum intextum in lauacro depositum nescit, quomodo possit induere. Studio enim correctionis inoleuerat obliuio peccatorum. Tanta vis consummata emendationis est, vt in quandam pueritiæ redeat spiritualis ætatem, quæ vias erroris ignoret, crimen, & si velit non possit admittere, quia desueuerit vsum nosse peccandi.* Sic ibi. Huc trahe dicta tom. 4. in Euang lib. 16. cap. 1. §. 9.

Gen. 5. Philo. Cant. 5. Ambr.

§. V.

Quæ nobis occasiones fuêre malorum, non memorandæ sunt vt res commodæ, sed vt maximæ contrariæ, & aduersæ.

PEriculosè meminerunt Ægyptij seruitia sibi præstita ab Israëlitis, dicentes: *Quid voluimus facere, vt dimitteremus Israël, ne seruiret nobis?* Ad seruitia, & commoda sibi ab Israëlitis impensa respiciunt, ne miremur, quod redeant ad vomitum, & abeant in perditionem. Qui enim saluti suæ prospicit, nullo modo memoret commoda, & seruitia illatũ rerum, quæ fuerunt sibi malorum occasiones, quin potius has vt maximè aduersarias sibi cogitet. Matt. 5. monebat Dominus: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eũ, & proiice abs te.* At oculus quantumuis scandalum generet, non potest in aliis multis vtilis, & bonus videri? Cur ergo vt attendendum est eius scandalum, vt eruatur, non attendantur innumerabiles eius vtilitates, vt magis conseruetur? Nónne & vtilis, imò & necessarius est ad multa hominis commoda? Esto, quod vtilis alioquin sit, at vbi scandalum præbet, nihil in illo commodum est attendendum, sed quasi contrarius prorsus, & aduersarius repellendus. Ait D. Cyril. Alexand. lib. 12. in Ioann cap. 28. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum. Quod enim à fœlicitate nostra nos semouet, etiamsi amicitiæ lege nobis coniungitur, etiamsi natura ipsa, & sanguinis propinquitate copulatur, non nostrum, sed alienum, & hostile putandum est.* Expende illa pulchra verba: *Nõ nostrum, sed alienum, & hostile putandum est*, equidem quidquid animæ saluti vtcunque nocet, siue vt causa, siue vt occasio, non putandum est inter bona, & commoditates, & vtilitates nostras, quin potius sic habendum, quasi acerrimus sit aduersarius, & hostis, & ita repellendus à nobis. Sic Petrus maximus Iesu amator intolerabilem putans eius passionem, ait Matth. 16. *Propitius esto tibi Domine, nõ fiat tibi hoc.* Cui statim Dominus: *Vade retrò Satana, scandalum mihi es.* Et amicum, & salutis suæ procuratorem proiicit, & Satanã vocat, hoc est, aduersarium, & hostem. Cur sic Domine in amicũ inuehis? Esto, quòd ignorans aliquem fecerit, aut dixerit errorem, tamen hoc faciebat ob tui amorẽ, ob maximam tuæ dignitatis æstimationem, cui vt suus constaret honor, mallet ipse perire. Cur hunc affectum in amico non prospicis? Cur hoc contempto illum, vt Satanam proiicis? Equidem vt Petrus prohibebat Dominum à crucis victoria; sic in illo non aduertitur, quod amicus sit, & commodus, sed prorsus reiicitur, vt aduersarius, & hostis. Ex quo D. Cyril. Alex. lib. 12. in Ioan. cap. 28. *Discimus inde quando tempus ad certamina vocat, ne si ipsi etiam, qui charissimi nobis sunt, prohibeant, turpe forsan putantes, mentem vllo modo illis adhibeamus. Non enim a Satana differt qui scandala ponit.* Non equidem mentem adhibere debemus ad aliquam necessitudinem, aut commodum temporale in iis, qui nos à recto prohibent, sed nobis sunt vt aduersarij, & acerrimi hostes reputandi.

Matth. 5. Cyr. Alex. Cyr. Alex.

§. VI.

Prophanorum amicitiæ prorsus deficiunt, vbi cœperis ad virtutem iter facere.

QVi colebant Israëlitas, illósque multis ornabant, vbi vident ab Ægypto proficiscentes, imò fugientes, currus armant, vt illos persequantur. Ait enim: *Iunxit ergo currum, & omnem populum suum assumpsit secum. Tulítque sexcentos currus electos*, &c. Inconstans est amicitia, & gratia impiorum erga bonos; vt cœperunt fugere Israëlitæ ab Ægypto, non amplius in Ægyptiis gratia erga eos, sed odium, persecutio, & bellum. Matth. 24. de tempore iudicij dicit: *Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur*, &c. Ex quibus verbis id nouum, & inauditum sibi & Sulpicio accidisse ponderat D. Paulinus epist. 5. quòd cùm duo fuerint amici, & vnanimes, & alter eorum sese ad perfectionis viam receperit, nihilominùs in eadem amicitia, & vnanimitate cum altero fuerit. Quippe: ait: *Eramus enim & sigillatim duo cùm in nobis caro rebellis à spiritu desideret; nunc verò propitio illo, qui fecit vtraque, vnum, & duo vnum sumus, quia vnus spiritus in duobus, & nulla discretio, quorum corpus vnum. Sed hoc commune nobis cum omnibus in Christo fratribus. Vnum in te peculiariter gratum, atque gratandum est, in cuius amicitia beatissimum Dei manus accepimus, vt nec itinere mutato dissolueremur à nobis quod damnum de multis dulcissimis aliquando nostris pariter experimur.* Expende illud, & peculiare, & nouum in Sulpicio inuentum, quod nimirum, *nec itinere mutato* ab eius amicitia caderet Paulinus. Pari amicitia prosequebatur Sulpicius Paulinum suum, etiam fugientem à mundo, etiam sese recipientem ad Deum, quod vnus Sulpicius faciebat, cæteri namque & amici, & charissimi, statim vt hominem à mundo fugientem viderunt, ab amicitia resilierunt. Et quæ amicitia potest in profanis esse erga eos, qui sequuntur Dei vias? Gen. 4. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Ecce tibi Abel cœpit placere Deo officiis suis. Quid tũc amici, imò & fratres eius? Ait textus: *Iratúsque est Cain vehementer*, & fratrem interfecit. De quo eleganter Tertull. aduersùs Gnosticos, ait. *Vbi Deus coli cœpit, inuidiam religio sortita est. Qui Deo placuerat, occiditur, & quidem a fratre.* Frater erat Cain naturali beneuolentiæ in Abelem cõstrictus, quam prorsus exuit, & hostilem spiritum resumit, cùm primùm Abelem Dei habendi studiosum videt. Ne sperẽt viri religiosi aliud in sæcularibus amicitiis. Quod experiebatur ille Psalm. 68. *Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam. Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.* Ex quo enim eo ascendit bonus, vt propter Deum iniurias, & opprobria contemneret, continuò illum, vt extraneum, & peregrinum cœperunt odisse charissimi quique. Vt commune putẽ, quod Iob de se dicebat c. 19. *Abominati sunt me quõdam consiliarij mei, & quem maximè diligebam, auersatus est me*: siue vt ex Hebræo habes: *Insurrexit in me.* Vbi author cat. Græcè. *Ij, quibus cum erat mihi consuetudo, nunc meum vitant aspectum, & hostes habeo.* Et fanè vt amici mutarentur in hostes, nulla alia causa ex parte Iob fuit, nisi quod propter Deum summas exciperet iniurias, & calamitates.

Tertul. Psal. 68. Iob 19.

Exod. 14.

Exod. 14. Cúmque appropinquasset Pharao, leuantes filij Israël oculos, viderunt Ægyptios post se, & timuerunt valde. Clamauerúntq; ad Dominum, & dixerunt ad Moysem, forsitan non erant sepulcra in Ægypto, ideò tulisti nos, vt moreremur in solitudine. Quid hoc facere voluisti, vt educeres nos ex Ægypto? Nónne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Ægypto, dicentes, recede à nobis, vt seruiamus Ægyptiis? Multo enim melius erat seruire eis, quàm mori in solitudine.

§. VII.

Mens humana quasi præsago instinctu ex Dei prouidentia, quàm cito mala imminentia præsentire solet.

NVllum exceperant Hebræi, qui moneret de mutatione Ægyptiorum, quos amicos, & beneuolos sibi reliquerant, & nihilominùs, vbi illos venientes vident, statim omnia sibi tremenda præsumunt. Ait textus: *Leuantes filiij Israël oculos, viderunt Ægyptios post se, & timuerunt*, &c. Vt vident, statim timore implentur, & sibi iam mortem præsagiunt, & sepulcrum. Vnde hæc? Nónne amicos reliquerant? Nónne rogantibus illis discesserant? Nónne & munera ab illis acceperant in beneuolentiæ signum? Quare ad solum conspectum timent, & meditantur sepulcra? Quis mutationem narrauit? Quis dixit Ægyptiorum animos conuersos ad iram? Omnia hæc simplici hauriunt intuitu; mens enim humana quasi præsago instinctu imminentia mala; vel in ictu oculi solet præsentire. Nota est historia Flacci Ægyptij Præsidis, de huius suppliciis mandatum fuerat Romæ Basso cuidam, qui perueniens Alexandriam cum militibus intrat simulatè Regiam, vbi Flaccus magnifico erat in conuiuio. Conuiuium erat, & inter pocula Flaccus lætabundus fortè oculos
Philon. leuat, & Bassum videt. Quid tunc? Accipite Philonem de homine dicentem: *Pars militum discumbentem Flaccum ex improuiso circunstitit, propinatem cuidam, & cum conuiuis agentem comiter. Sed postquam Bassus in medio prodijt, ad primum eius conspectum attonitus obmutuit: cúmque vellet surgere, vbi se circumuentum animaduertit, intellexit, priusquam audiret, Caij voluntatem, quid mandatum sit militibus, quid ipsi mox euenturum. Sagax enim est mens ad momento percipienda, etiam quæ non percipiuntur longioris temporis spatio.* Expende ab illis: *Intellexit, priusquam audiret*, &c. Nihil audierat de Caij aduersùs se mutatione, de mandato & Basso, & militibus dato, at in simplici angustiarum suarum intuitu, omnia sibi imminentia, & iam iam aduentantia mala percalluit. Sic equidem mens humana quodam quasi præsago spiritu in momento percipit mala, quæ longum peterent tempus, vt possint explicari. Non absi-
2. *Reg.* 17 mile dicitur de Architophel 2. Reg. 17. vbi exercitum Absalonis in patrem ire vidit, & consilium à se datum haberi pro nihilo: *Porrò Architophel videns, quòd non fuisset factum consilium suum, strauit asinum suum, surrexitque, & abiit in domum suam, & in ciuitatem suam: & disposita domo sua suspendio interiit.* Cur sic præcipitatus est homo consultissimus, vt se interficeret? Cur non magis expectauit, vt exercitus Absalonis conflaretur, constitueretúrque, & saltem primum faceret impetum aduersùs Dauidem? Cur non finit saltem poni in anciputi res Absalonis, & tunc fugeret? Sanè sagax mens in primo mali aspectu, omnia ventura mala præsentissima sibi vidit, vt perdendus Absalon, vt victurus Dauid, & regno potiturus, & rebellibus pœnas illaturus, quas
Ioseph. 7 maluit fugere. Ait Iosephus lib. 7. Antiquit. cap. 9. *Porrò Achitophel, vbi suum alterius consilium posthabitum vidit, conscenso iumento Gelmonem patriam petiit. Ibi conuocatis omnibus domesticis, exposuit eis, quæ Absaloni consuluerat, addens quoniam non persuasisset, certo se breui perituros, Dauidem enim omnino superiorem hoc bello fore, & amissum regnum recepturum esse*, &c. Ecce quanta in solius contempti consilij sui intuitu percalluit iste, atque pertimuit. Sagax enim est mens humana ad subitò excipienda mala imminentia sibi.

§. VIII.

Vanissimus est apud Deum clamor, cum quo æstimatio perseuerat bonorum corruptibilium.

PRoh Israëlitarum vanissimus clamor! Et clamabant miseri, & simul ipsas Ægyptias mortes æstimabant. Ait namque textus: *Clamauerunt ad Dominum, & dixerunt ad Moysem; Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, ideò tulisti nos, vt moreremur in solitudine*, &c. *Multo enim melius erat seruire eis.* Quam seruitutem, & mortem nouerant, simul æstimabant meliorem, & interea clamabant ad Dominum. Et quantus hic clamor? Equidem non verus clamor, sed vanus oris sonus; non enim potest esse non vanus sonus oris clamor ille, quem comitabatur tanta æstimatio, & seruitutis, & Ægyptiorum sepulcrorum. Meritò ait Caietan. *Quantum sub-* *Caietan.*
iuncta innuunt, fuit clamor vocis potius quàm cordis. Subiuncta erat vox, qua ipsam seruitutem, & sepulcra Ægyptia æstimabant bona, & meliora: qui ergo clamor inde exiret, qui apud Deum non censeretur euanidus oris sonus? Apocal. 18. post Babylonis ciuitatis magnæ *Apoc.* 18
casum, dicit: *Et omnis gubernator, & omnis, qui in loco nauigat, & nautæ, & quimaria operantur longè steterunt, & clamauerunt videntes locum incendij eius, dicentes: Quæ similis ciuitati huic magnæ?* In Babylonis casu, & ruina compuncti nautæ clamabant, sed dum in clamoris voce adhuc magnitudinem, & speciositatem ciuitatis mirantur, quam sit vanus, & irrationabilis eorum clamor, ostendunt. Ait enim pulchrè Rupert. lib. 10. *Rupert.*
Sciendum est, quia in ipsis pœnitentibus clamantibus ratio, aut sapientia nulla est. Qualis enim, vel quam rationabilis est modus pœnitentiæ, vbi flentes, & lugentes clamant, & dicunt. Quæ similis ciuitati huic magnæ? Etiam nunc phantasiam gloriæ transitoriæ, quam viderant, arbitrantur magnam ciuitatem fuisse. Et lugent cadentem, & clamant, quia in cinerem eam vident conuersam, & simul eius magnitudinem, & speciositatem æstimant, in quo manifestè patet, quàm irrationabilis, & vanus sit clamor huius pœnitentiæ. Quid irrationabilius, & quid vanius, quàm æstimare magnum, & præstans id, quod in cinerem redigi confiteris? Quam clamare in ruina, & æstimare adhuc præstantiam esse in ruente? Sanè clamor iste non potest non euanidus, & irrationalis putari apud Deum. De Esau post amissam benedictionem dicitur Gen. 27. *Irrugiit clamore magno.* Chrysost. *Gen.* 27.
legit: *Clamauit voce magna valde.* Sed & de illo ait Paul. ad Hebr. 12. *Non inuenit pœnitentiæ locum, quamuis cum lacrymis inquisisset eam.* Et cur tantus clamor in eo vanus fuit, nisi quia simul, & corruptibilia, & carnalia adhuc æstimabat? Diu. Ephræm hom. de Pœnit. *D. Ephr.*
Lacrymatus est, non quia peccauit, sed quod Deum non illuserit, plangebat, verum vt carnalibus frueretur, intus erat radix amaritudinis, at folia, id est, verba in ore; occupabat mentem malitia, & per solam linguam voluit benedictionem lucrari. Ecce tibi vt inter clamandum, carnalia solùm æstimabat, quibus frui optabat, clamor eius adeò euanidus fuit, vt in ore esset velut folium, quod vento rapitur.

§. IX.

Reproborum est facilè ad eadem vitia redire.

QVi toties Deum adorauerant, toties eius experti beneficia in exeundo de Ægyptia seruitute, ad primum hostium aspectum in suam conuer-

tuntur malitiam. Sic textus: *Leuantes filij Iſraël oculos, viderunt Ægyptios poſt ſe, & timuerunt valde. Clamauerúntque ad Dominum, & dixerunt ad Moyſem: Forſitan non erant ſepulcra in Ægypto*, &c. Cur non magis ſperant in Domino toties eius beneficia experti in ſuis tribulationibus? Cur tam citò ad primum aſpectum hoſtium ſeſe priſtinæ ſeruituti deuouent? Ea eſt mens reproborum, & peſſimorum hominum, quæ neſciat, nec progredi, nec durare in bono, ſed facilè reuertitur ad vomitum. Lyppom. Ait ibi Lyppoman. *Quantumlibet igitur excelſa manu Iſraëlita exiſſent alacres, & animoſi, laudaréntque Deum videntes beneficium, ſtatim tamen viſis Ægyptiis ſequentibus, toti concidunt, immemores diuini auxilij toties experti. Fragilis enim eſt hypocritarum fides, & ſeruilis timor, ſi inordinatus fuerit, ſubitò vertitur in odiũ. Ficta dilectio non durat in aduerſis.* Neſciũt equidem durare ficti homines in Dei amore; ad primam ſcandali occaſionem omnia obliuiſcuntur diuina, & ad peſſimos recurrunt mores. Apoc. 18 Quæ reproborum nequitia præclarè exprimitur Apocal. 18. vbi dicit: *Et ſubſtulit vnus Angelus fortis lapidem quaſi molarem magnum, & miſit in mare, dicẽs: Hoc impetu mittetur Babylon magna illa ciuitas, & vltra non inuenietur.* Quibus Babylonis caſus comparatur eiecto lapidi molari; & cur neceſſum fuit, quod lapis molaris adduceretur in exemplum cadentis Babylonis in perditionem? Quid commune habuit Babylonis perditio cum lapide molari? Equidem lapis molaris, & ſi ab vno loco videatur moueri, & ſeparari per acceſſum ad alium, tamẽ nunquam progreditur, ſed ſemper in eundem locum, à quo exierat, reflectit, perpetuos circulos agens. In quo perditio cuiuſque animæ apprimè adumbratur, cuius eſt ſic à vitiis ſeparari, & ad Deum accedere, vt nunquam ibi ſiſtat, aut progrediatur, ſed continuè in eadem vitia, à quibus exierat, reflectat perpetuo motu hoc circulari. Rupert. Ait ibi Rupert. lib. 10. *Et congrue non qualemcunque lapidem, ſed quaſi molarem, pro exprimenda ſimilitudine dixit: quia videlicet Babylon iſta ſicut peccati pondere grauis, ita & erroris agitatione inſtabilis eſt. Hoc vtrunque lapis molaris conuenienter innuit, qui & pondere grauis eſt, & pro molendi officio ſemper circuit.* Quid pulchrius? Meritò lapis molaris aſſumitur in ſimilitudinem deplorati peccatoris, cuius eſt perpetuò agi circulo, vt nunquam progrediatur, ſed in idem frequenter recidat vitium. Quò trahenda ſunt dicta tom. 2. in Euangel. lib. 9. cap. 2. §. 31.

§. X.

Seruitutis nomen Iudæis, vt imperfectis apparuit fauſtum.

NOn parum vtilitatis inueniebant Iudæi in ſeruitute, qua redimebant alia incommoda vitæ. Planè modo fatentur fauſtam ſibi ſeruitutem, dum dicunt: *Multò melius erat ſeruire eis, quàm mori in ſolitudine.* Erat equidem illis ſeruitus non adeò ominoſa, vt imperfectis; ex quo Iudæos detrectantes Romanis ſeuire, con- Ægeſipp. ueniebat Ioſephus apud Ægeſippum lib. 5. cap. 15. inquiens. *Sed refertis, mori præſtare, quam libertatem amittere. Quando vobis iſta Iudæi ſucceſſit ſententia? Aut quãdo apud Hebræos vtilis fuit ſeruitus, libertati inutili non prælata? Iacob ipſe in Ægyptum deduxit Hebræos, ne perirent fame. Deſcenderunt Patriarchæ ſimul, duodecim filij eius, præclara illa generis noſtri exordia. Ibi Iudas ille nobilis Iudæorum proſapia, qui nomen populo dedit. Ibi Ioſeph curru ſublimis, & equis, ſubiicere ſe in poteſtatem maluit, vt aleret ſuos, quàm ad originis propriæ libertatem redire. Sic patribus veſtris etiam dura ſeruitus non diſplicebat, vt periculis anteferretur.* Sic apud Iudæos, vbi alia incommoda lethalia imminebant, ſeruitutis nomen apparebat fauſtum. Imò non ſemel in ſeruitute conſtituit illis Dominus cunctam populi fœlicitatem. Hinc Pſ. 104. pro fundamento ingentis fœlicitatis poſuit Pſal. 104. *In ſeruum venundatus eſt Ioſeph.* Et dum Aſſyrij Ieruſalem expugnabant, hoc vnum effugium Iſraëlitis Deus protendebat, vt ſeſe Babyloniis in ſeruitutem traderent. Sic Ierem. c. 27. *Nolite audire verba Prophetarum* Ier. 27. *veſtrorum, qui prophetant vobis, dicentes: Ecce vaſa Domini reuertentur de Babylone nunc citò, mendacium enim prophetant vobis. Nolite ergo audire eos, ſed ſeruite Regi Babilonis, vt viuatis.* Hoc monitum diuinum erat à Deo Iudæis datum, nimirùm: *Seruite Regi Babilonis, vt viuatis.* Salutem ergo amplectandam, & fœlicitatem Iſraëlitis ſeruitutis nomen ſonabat, ſed tanquam imperfectis, quibus ſemper beatius eſt ſeruire, quàm imperare. Vnde Iſaac cap. 27. coactus benedicere Eſau, ſic Gen. 27. precabatur: *In pinguedine terræ, & in rore cœli deſuper, erit benedictio tua. Viues in gladio, & fratri tuo ſeruies.* Ecce qualem benedictionem filio ſuo bonus pater parat, nimirùm: *Fratri tuo ſeruies.* Nónne ſeruitus potius ad maledictionem ſpectat? Sanè Gen. 9. Noë ſic in filium Gen. 9. nequam exardet: *Maledictus Chanaam ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis.* Hic pro maledictione ſeruitutem Chanaano imprecatur, ille pro benedictione Eſau ſeruire fratri ſuo facit. Cur, quod in cæteris maledictio eſt, in Eſau erat & benedictio, & ingentis fœlicitatis caput? Erat Eſau imperfectus homo, multùm à virtutibus alienatus, iis autem fauſtiſſima eſt ſemper ſeruitus, & quod aliorum imperiis ſubiaceant. Præclarè ait D. Amb. lib. 5. epiſt. 20. fatus: *Quia bonus pater erat, ſeruauit ſeniori filio benedictionem, vt eum ſeruum faceret fratris ſui; non quo familiam ſuam degeneri vellet ſeruituti addicere. ſed quia is, qui regere ſe non poteſt, & gubernare, ſeruire debet, & ſubditus eſſe prudentiori, vt eius regatur conſilio, ne ſua ſtultitia præcipitetur, & labatur temeritate. Pro benedictione igitur huiuſmodi confertur ſeruitus.* Sic imperfectis hominibus, & qui adhuc terrenis paſſionibus agitantur, fauſtiſſima benedictio eſt, quòd ignorent imperium, quòd neſciant libertatem, quòd in ſeruitute ſint, & ſapientiorum imperiis ſubiaceant. D. Amb.

§. XI.

Seruitus voluntaria propter Deum præſtantiſſima homini

PRæclarum illud eſſet aſſertum, nimirùm: *Multò melius erat ſeruire eis*: præclarum, inquam, eſſet, ſi de ſeruitute præſtita voluntariè propter Deum loqueretur. De hac ſeruitute dicebat Pſalm. 61. *Nónne Deo* Pſal 61. *ſubiecta erit anima mea?* Vbi Diuus Bernard. ſerm. 42. in Cant. *Parum eſt eſſe ſubiectum Deo, niſi ſis, & omni humanæ creaturæ propter Deum: ſiue Abbati tanquam præcellenti, ſiue Prioribus tanquam ab eo conſtitutis: Ego plus dico, ſubdere paribus, ſubdere & minoribus. Sic enim decet nos, inquit, implere omnem iuſtitiam.* Pertinet ad perfectionem iuſtitiæ obtinendam; quod propter Deũ, vel viliſſimo cuique ſeruias. Et quid præſtantius care, quæ facit, vt ad culmen iuſtitiæ peruenias? In hac vna oſtendebat Iſaac filio ſuo dilecto Eſau, vt poſſit damna ereptæ ſibi benedictionis reſarcire. Quippe Gen. 27. Gen 27. ait illi: *Viues gladio, fratri tuo ſeruies.* Et poteſtatem gladij illi attribuit, & monet, vt fratri ſeruiat. Si gladio potens futurus erat, ad quid ſeruiret? Nónne imperium conuenientius eſt gladio potentibus? Ad quid ibi ſeruitutis commendatio ponitur, niſi vt intelligas, quàm ſuper omnia ſe extollat ſeruitus pro Deo voluntariè accepta? Ait Diu. Ambroſ. lib. 5. epiſt. 20. Ambroſ. *Quia dixerat, ſuper gladium tuum viues, ne ei fortitudinis, aut poteſtatis noceret præſumptio, addidit: ſeruies fratri tuo, vt carnis fructus vberes, & diuinæ rorem adipiſcaris gratiæ, & eum ſequaris, qui te ſuo gubernaculo regat. Sed tunc erit iſtud quando depoſueris iugum eius à collo tuo, vt voluntariæ ſeruitutis mercedem habeas, non iniuriam ſubeas neceſſitatis. Inhonora huiuſcemodi ſeruitus, quæ neceſſitate cogitur: Honorata autem, quæ pietate defertur.* Itaque vt diuini roris adipiſcaris gratiam, ingentéſque

cœli,

cœli,& terræ fructus percipias,seruiendum est tibi,sed non ita vt sub iugo potestatis necessitate coactus gemas ; sed quasi excusso iugo voluntariam tibi propter Deum assumas seruitutem. Hæc seruitus honora est,& super omne imperium clarissima. Hinc Petrus 1. canon.2. ait : *Vos autem genus electum , regale sacerdotium, gens sancta*, &c. At Paul.ad Ephesios 6. *Vt serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo.* Ille regio nomine Christianos extollit , hic eos deprimit seruitutis nota. Cur,Paule,seruiturem obiicis eis, qui regij habentur à Petro?Cur non magis illos regales habes,quàm seruos?

D. Amb. Ait D.Amb.lib.5.epist.20. *Est seruitus libera,quæ est voluntaria,de qua Apostolus ait : Qui liber vocatus est,seruus est Christi. Hæc est seruitus ex animo , non ex necessitate.* Nec miror,quod Paulus regnum non meminerit , vbi offendit seruiturem voluntariam,qua homines sese supra Reges exaltant.

*Exod.*14. Et ait Moyses ad populum : Nolite timere. State , & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie. Ægypios enim , quos nunc videtis , nequaquam vltrà videbitis vsque in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Dixitque Dominus ad Moysem: Quid clamas ad me ? Loquere filiis Israël, vt profiscantur , &c.

§. XII.

Firma in Deo fiducia ingentem & efficacem clamorem habet apud Deum.

AD Moysem dicebat Dominus: *Quid clamas ad me.* Sed Moyses nullum ostenditur ad Deum verbum fecisse,ad populum tantum dicebat : *Nolite timere.State , & videte magnalia Domini , quæ facturus est hodie. Ægyptios enim, quos nunc videtis,nequaquam vltrà videbitis vsque in sempiternum, Dominus pugnabit pro vobis,& vos tacebitis.*Moyses ad populum loquitur verba ingentis fiduciæ , qua ingens Dei auxilium spondebat ; & Dominus dicit : *Quid clamas ad me* ? Non ad te Domine clamat, sed ad populum loquitur , vt te expectent, qui pro eis pugnabis,& vinces. An quia populo fidenter tua magnalia,non tam promittebat,quàm ostendebat,ideò ad te dicitur clamasse ; Equidem in quo tanta fiducia , tàm certa spes erat in Deo , non poterat eo ipso non esse,& clamor maximè intentus,& efficax

D. Amb. apud Deum. Ait D.Amb.in cat.Lyp.Moysi dictum est. *Quid clamas ad me ? hoc est: Tu solus ad me clamas,qui de me speras.*In eo enim est clamor intentissimus,& efficacissimus ad Deum,in quo est spes,& fiducia magna de Deo. Se Susanna illa castissima, quæ maluit se Deo committere,quam à morte eripi cum iam iam duceretur in supplicium, dicit Dan.13 *Exclamauit autem voce*

Dan.13. *magna Susanna,& dixit: Deus æterne*,&c.Vbi D.Hieron.

D. Hier. *Magna erat exclamatio eius Deo , quæ ab hominibus non exaudiebatur.* Nulla proferebatur vox , quæ ab hominibus exauditetur , & tamen dicitur voce magna clamasse. Cuius erat hæc vox magna ? Vel quis hanc vo-

D. Aug. cem minimè ab hominibus perceptam,sic eleuabat, vt apud Deum magna videretur ? Ait D.Aug.ser.242.de tempore. *Quam sententia praua deiecerat , illustris conscientiæ integritas erigebat,metúsque Dei,& imminentis sacri iudicij indubitata credulitas.* Itáque quæ vox ad durissimæ sententiæ tonitruum faucibus hærebat, & tota intercludebatur, ne ab hominibus perciperetur,ea per indubitatam credulitatē aduentatis Dei iudicij, sic erigebatur,& eleuabatur,vt magna apud Deum,& efficacissima esset. Non ad vocem , sed ad fiduciam contendat,quisquis amat ingenti clamore suo Deum attentissimum fieri. Vnum enim hoc habet sancta,& prudens fiducia , quòd repulsam apud Deum nesciat. Vnde

Ezec 40. Ezech.cap.40.dum agitur de templi porta , quæ respicit ad austrum,ait: *Et celatæ palmæ erant, vna hinc,& altera inde in fronte eius.* Itaque erant palmæ à dextris , & ad sinistris,nec miror , quod in dextris palmæ inuenirentur,illud magis mirandum quod in sinistris,vbi aduersitates,vbi pugnæ,vbi malorum exercitus ibi & palmæ essent. Ex quis fecit palmas inter tot aduersa ? Fiducia hominis in Deum, quæ repulsam pati nescit. Ait enim D Greg. PP. hom.20.in Ezechielem: *Vt ergo hinc inde palma gestetur in fronte,adesse semper nostris mentibus* D. Greg. *debet,& in aduersis fiducia,& in prosperis timor:ne aut aduersa in desperationem pertrahant;aut prospera animum in sui fiduciam extollat.*Expende,quæ duo fulcra sanctus doctor apponat,vt hinc inde palmę sustententur;nimirùm in dextris,& prosperis timor est adhibendus,in sinistris autem,vbi aduersa omnia,& malorum exercitus,ibi fiducia prudens in Deo , vt quæ efficacissima sit ad palmam ferendam.

§. XIII.

Carnalibus oculis fides superior est.

VIdentibus Israëlitis hostium exercitus , ait Moyses : *Nolite timere.state,& videte magnalia Dei,quæ facturus.est hodie*, &c. Iuxta Hebræum : *videte salutem Domini,quam allaturus est vobis hodie* : quibus non oculorum, sed fidei visionem requirit. Sed quando hostes de præsenti visebantur , cur videnda proponit , ea quæ nondum erant,sed futura erāt in proximo? Quomodo visio futurorum talis potest esse , quæ tollat præsentiū horrores? Sanè visio illa salutis futuræ, erat visio fidei; in quibus autem hæc fidei visio firma est , prorsus euanet,quidquid cernitur oculis. Ingens etiam exercitus cingebat Elisæum,illúmque ad mortē petebat 4. Reg. 6. cuius multitudinem videns seruulus voces edebat plenas timoris. Ad quem at Elisæus : *Noli timere: Plures enim nobi cū sunt,quam cum illis.* Vt timorem abiiciat aparētium hostium, plures obiiciebat pro se esse auxiliatores. Sed ij non videbantur , sed solùm credebantur adesse,& tanta erat fidei vis,vt ad eius præsentiam,qui hostes cernebantur oculis,quasi nihil reputarētur prorsus. Ait D.Ambr.ser.86. *O fides sancti prophetæ: non timet* D. Amb. *aduersarios,quos conspicit, quoniam scit Angelos secum esse, quos credidit.Videte beatitudinis meritum:propheta nuntiat etiam de multitudine,cum puer adhuc incertus sit de salute. Spirituales oculi carnalibus quanto plus cernunt.* Expende illa: *Non timet,quos conspicit , quoniam scit Angelos secum esse quos credidit:*vbi fidei oculi auxiliatores prospiciunt, euanent prorsus,qui hostes cernuntur carnalibus oculis. Et quando fidei visio non superat oculos carnales? Nomen Epiphaniæ impositum est mysterio illi,quando puer Iesus Magis adorandus apparuit.Est enim Epiphania idem,quod apparitio.Sed cur dicitur Iesus tunc apparuisse , & non prius cum natus visus fuit in stabulo? Ait D.Amb.ser.19.*Tunc primum signis atque mira-* D. Amb. *culis credentium cordibus Deus Christus illuxit;& in tenebrosas conscientias hominum fidei splendor aduenit : Cum igitur Deus vbique sit , & vniuersa possideat, tanquam non visus antea, apparuisse dicitur. Nam etsit prius natus ex virgine oculis carnalibus videbantur,tamen non apparebat,quoniam virtutem eius adhuc fidei acies ignorabat.* Semper fides oculorum visionis efficatiam superat.Aiebat Luc.16.di-

Luc.16. cens:*Si quis ex mortuis ierit ad eos,pœnitentiam agent.* Cui responsum diuinum datum est:*Si Moysem, & prophetas non audiunt,neque siquis ex mortis resurrexit,credent.*Non enim visio oculorum sic potens est confirmare hominē, vt visio fidei. Hæc enim quando nihil efficit,nec id efficient carnales oculi. Nunquā est vera hominis confirmatio in oculis carnalibus,sed in fide.Quò spectans D.

D. Zeno Zeno serm.de Resurr.fatur:*Habent,inquit , Moysem,& prophetas:quibus si non credunt,neque illi,qui hinc missus fuerit,credituri sunt, euidenter ostendens,non in oculis esse carnalibus verum,sed in fide credentium constitutum.* Euanet, quod oculis carnis conspicitur,vbi est fides,cui soli stabiliter verum subest.

§. XIV.

Timenda omnia ſuperat, qui in Deo firmiter ſperat.

VT irruentis exercitus euaneat metus, illud conſulit Moyſes: *State, & videte magnalia Domini.* Expẽde illud; *ſtate*, quod ſolũ requiritur, vt metus abeat, vt inſolita appareat ex Deo ſalus. Nimirùm ſic ſtate in ea ſpe Domini, in qua egreſſi eſtis de Ægypto, vt ab illa non excidatis, & nihil eſt, quod noceat, nihil quod timeatis. Solus erat Ionathas cum armigero, & videns ingentem Philiſthinorum exercitum, ait: *Tranſeamus ad ſtationem Philiſthinorum in circunciſorum horum, ſi forte faciat Dominus pro nobis, quia non eſt Domino difficile ſaluare, vel in multis, vel in paucis.* Cur vnus homo non magis pauet ad conſpectum hoſtilis exercitus? Cur vnus videns tot hoſtes aggreſſionem meditatur? Ait Theod. quæſt. 31. *Hæc verba ſunt animæ, quæ in Deo confidit. Cùm autem ſic confidiſſet, non fuit ſpe fruſtratus. Nam fudit caſtra hoſtium.* Fœlix, qui confidenter nouit in Deo ſtare. Nullum, mihi credite, malum poteſt præualere aduersùs eos, qui firmiter in Deo ſtant. Aiebat Dauid Pſal. 10. *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra in montes ſicut paſſer? Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetras, vt ſagittent in obſcuro rectos corde.* Erant equidem mille exercitus peccatorum aduerſus Dauidem parati, & iam iam intendentes arcum. Et in tali conflictu ille maximè deſpicit conſilium fugæ, & tranſmigrationem ad montes conſulentium. Sed quare non potius fugiat, & ad inacceſſos montes tranſmigret, qui à tanto malorum exercitu quærebatur; Ipſe ait: *In Domino confido*; quando autem in Domino fidebat, non illi fugiendum erat, ſed aduersùs omnes in ea fide, & ſpe ſtandũ. Ait. D. Hieron. lib. 3. in epiſt. ad Epheſ. cap. 6. *Cùm confidam in Domino, qua mihi datis ratione conſilium, vt non ſtem aduersùs inimicorum impetus, & iacula, quæ contra me in pharetis præparunt. Ecce enim ſto ſuper petram, & non tranſmigro ſuper montes caliginoſos, & omnia tela hoſtium repulſa in ipſos, qui diriguntur, conuertuntur.* Hoc vnum fecit bonus, nimirùm non tranſmigrare, non fugere, ſed ſupra petram ſtare, nimirùm in Deo confidere, & ſperare, ad cuius ſpei obiectum non præualerunt mala. Quæ maiora mala, quàm ea, quæ pueros Hebræos tenebant in fornace, & Danielem in leonum lacu? Sanè pueri Hebræi ab ingenti exercitu ligati Dan. 3. in flammantiſſimam fornacem ſunt iactati: & ipſe Daniel cap. 6. leonibus famelicis datus. Sed nec fornax, nec lacus offuit ſanctis. Vndè ſic, & flammarum, & ferarum rabiem incolumes euadunt? Pulchrè ait D. Chryſ. in Pſal. 10. *Elementa propriam ignorantia naturã, ad id, quod erat ſanctis vtile, mutata ſunt; & feræ, non erant amplius feræ nec fornax. Omnia enim componit ſpes in Deum. Dentes erant acuti, & arctus carcer, naturæ immanitas, & fames naturã irritans, nuſquam autẽ erat, quod eas arceret, ſeptum, & ora prophetæ corpori proxima, ſed ſpes in Deum, quæ eſt quouis fræno potẽtior, in ora earum irruens eas retrotrahebat.* Quid pulchrius? Sanè ſpes in Deo pro fræno eſt potentiſſimo ad coercenda feraliſſima quæque. Nullum enim malum eſt, quod poſſit aliquid aduersùs eos, qui firmiter in Deo ſperant.

§. XV.

Duces populi non ſolum Deo vacent, ſed & populum ſtimulent ad profectum.

QVaſi exaſperatus Deus Moyſem ab oratione repellit, vt populum proficiſci faciat. Quippè ait: *Quid clamas ad me? Loquere filiis Iſrael, vt proſiſcantur*, &c. Ecce vt depellit ad ſe clamantem, & iubet populi profectioni inſtare. Et cur, Domine, non magis ad te clamet, qui tantam multitudinem ducendam habet? Cur non potius elevatis manibus, multóque clamore ad te indeſinenter oret? Equidem ſi ſolum hoc ſit in ducibus populi, non placet Deo, vt qui debeant populis vrgendis ad protectum etiam inſtare. Quò ſpectans Nazianzen. orat. 1. de Prælatorum munere aduersùs occurrentia mala locutus, ait: *Ergo aduersùs iſta, iam magna, perfectáque fide opus eſt, tum maiori Dei auxilio, nec parua, vt mihi quidem perſuadeo, contentione noſtra, quæ partim ſermone, partim opere ſpectatur, atque etiam adhibeatur: ſiquidem id nobis propoſitum eſt, vt animæ probè purgentur. Iam quod ad vtriuſque medicinæ corporalis, & ſpiritualis fines attinet; illa nil aliud ſpectat, quàm vt ſanitatem conſeruet, abſentem reuocet. Huic contra ſcopus eſt, animæ pennas addere, ac mundo eam eripere; Deóque dare.* Ecce tibi quo tendere debet contentio regentium, nimirùm, vt ſtimulet per ſe alios ad Deum, illóſque à mundo fugere doceat, & opere, & verbo. Erant duæ filiæ Sauli, nempe Merob, & Michol, in quibus, & vita actiua, & contemplatiua ſignificabatur, vt in Lia, & Rachele filiabus Labani. Quarum coniugium ſi ſpectetur, Iacob accipit Liam, & Rachelem in vxores, quarum in vna oſtenditur in totũ cõtemplationi datus. Verum Dauid, qui primam Saulis filiam optauerat, vt in Merob contemplationi, & orationi vacaret, non hanc accipit, ſed Micholem, in qua actiua vita exprimebatur. Ait 1. Reg. 18. *Dedit itaque Sauli Dauidi Michol filiam ſuam vxorem.* Promiſſa fuerat Dauidi Merob, & tantum ei fuit Michol tradita; ſed & Iacobo promiſſa fuerat Rachel, quam non ſolam, ſed cum altera ſorore accipit. Cur ſimiliter Dauidi, & cum Michole non datur ſimul Merob, quæ ei promiſſa fuerat; Iacob homo priuatus erat, cui licebat indeſinenter vitæ cotemplatiuæ operam dare; non ſic Dauidi, qui vt Rex populi erat, magis debebat populo ad meliora ducẽdo inſtare. Ait D. Gregor. lib. 5. in 14. Reg. 1. *Quid eſt, quod Iacob vtramque ſororem habere licuit, Dauid autem ad maioris thalamum non peruenit? niſi quia Dauid Rex fuit, Iacob verò Rex non fuit? Qui ergo ergo regimen animarum ſuſcipit, hunc cenſura Eccleſiaſtica gregem deſerere, & remotæ vitæ otiis vacare non ſinit.* Equidem qui dux eſt, & animarum rector, non debet per orationem, & contemplanem ſic Deo eſſe continuus, vt non populo inſtet, illúmque ducat, imò impellat in ſalutis viam. Hinc Heli Sacerdos vitæ eripitur, quod filios ſuos non efficaciter ad Deum traxerit à peccatis. 1. Regum 2. Ex quo monebat Petrus Damianus libro 7. epiſt. 11. *Eat ergo iudex, cauſas, atque negotia iurgantium dirimere negligat: maximam diei partem Miſſarum ſolemniis, & orationibus inſiſtendo conſumat. Sed ecce illi dicitur, quia neque ipſius Sacerdotis iniquitas expiari poterit victimis, & muneribus, eo quod Heli vitia non coercuerit filiorum.* Non equidem princeps euadet ſupplicium neglecti muneris, ſi orationibus inſtans, non curauerit ſubditos promouere in vitam. Hinc Ieremiæ cap. 1. dicit Dominus: *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* Nil de meditatione, de orationis occulto iniungitur in præſenti, ſed omnia iniuncta ſpectant ad operationes, vt euellat, & exſtirpet mala, & plantet, & ædificet bona manibus operantibus. Sed de Iſaaco dicitur Gen. 24. *Egreſſus fuerat ad meditandum in agro.* In agro erat Iſaac, vbi & euulſionis, & plantationis ſolet eſſe occaſio; & tamen nihil dicitur ibi egiſſe operis, ſed tantum fuiſſe meditatus, orationi, meditationique vacaſſe. Et cur in Iſaaco ſola meditatio placet, in Ieremia autem magis requiritur diſſipatio malorum, ædificatio, & bonorum plantatio? Iſaac adhuc priuatus erat, & filiusfamilias, vxorem ducendam adhuc expectabat; hunc autem maximè decebat meditatio, & receſſus agrorum vbi Deo, & ſibi vacaret. At Ieremiæ, qui ſuper alios conſtituebatur, qui ſuper gentes, & regna ponebatur, illud cordi futurum erat, vt operationi inſtaret, extirpans quid-

quid

quid in subditis malitiæ videretur, & impellens omnes ad nouas virtutum vias peragrandas. Ex quo
D. Bern. sapienter monet Diuus Bernardus. Pontificem maximum Eugenium lib. 2. de consid. fatus: *In agrum Isaac exierat, cùm primum Rebecca occurrit ei; & vt Scriptura ait, exierat ad meditandum. Isaac ad meditandum exierat, tu ad extirpandum egrediaris necessum est. Tibi iam præcessisse meditatio debet, tempus faciendi præ manibus.* Equidem in priuata vita tempus est meditandi; at in solio regnantium iam tempus faciendi instat, & non orandi solum, vocatque duces, vt verbo, & opere promoueant suos populares.

§. XVI.

Non ponenda hominis salus in sola aliorum prece.

NOn amat Deus, quod Moyses totus vacet orationi, sed vt etiam curet, quod Israëlitæ aliquid per se faciant. Ait enim: *Quid clamas ad me? Loquere filiis Israël, vt proficiscantur.* Quasi minimè essent tuti Israëlitæ solo Moyse clamante, nisi & ipsi diligentiam præstarent. Nequit enim Deus regulariter auxilium suum, quo cum effectu transmittitur pelagus, præstare, nisi iis, qui prioribus auxiliis aliquid operantur. Pro quo ait Elias Cretensis apud Nazianzen. orat. 1. *Eius,*
Nazian. *qui curatur fides, atque animi promptitudo antecedat, supernum autem auxilium subsequatur. Deus enim eos demum adiuuare solet, qui ea, quæ partium suarum sunt, præstant, non autem, qui consternatis animis sunt, ac desidia torpent.* Quid si sancti viri pro te orēt, & tu desidia torpeas? Si illi pro te clament, & tu sumno stertas? Non equidem valde saluti tuæ studes, dum te aliorum orationibus commendas, & nihil saluti vtile per te peragis. Et simul viri sācti oratio, & tua cooperatio accedat,
Iob 42. si Dei auxiliū impetrare velis? Iob c. 42. dicit Dominus amicis: *Sumite ergo vobis septē tauros, & septē arietes, & ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis: Iob autem seruus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam.* Si Iobi preces suscipiendæ erant pro illorum salute, cur necessum est, vt simul ipsi cum victimis accedant? Ad quid illorum victimæ, quando Iobi oratio
Carthus. Deum tenebat? Ait Carthusianus ibi: *Suscepit Dominus faciem Iob, id est: precem ipsius pro suis amicis, ad quod etiam cooperabatur eorum obedientia, & humiliatio.* Itaque Iobi preces tenebant Deum, vt saluti amicorum eius prouideret, sed vbi illorum cooperatio cernebatur. Orabat ille, sacrificabant hi, & Dominus suum auxilium præstabat. Malè enim poneretur hominis salus in sola prece alterius, cum interea ipse nihil faceret. Post repulsum Saulem, Samuel incessanter pro illo orabat, & cum lacrymis orabat die, ac nocte, vt Dei misericordiam impetraret. At Deus 1. Reg. 16. ait ad
1. Reg. 16 Samuelem: *Quousque tu luges Saulem?* Orabat Samuel, & eius oratio à Deo repellabatur. Sed cur Samuelis oratio non magis valebat apud Deum? Orante Samuele nihil pro se faciebat Saul: vbi autem egens nihil cooperatur, non miror, quod oratio pro eo repellatur.
Chrysost. Chrysost. homil. 5. de Pœnit. *Multum exhausit tempus Samuel pro Saule deprecans, noctésque multas transegit insomnes pro delinquintis salute. Deus autem tempus repudians, dicit ad Prophetam: Vsquequo tu ploras? Non enim cum prophetæ oratione peccatoris conuenit pœnitentia.* Quid quod sanctus vigilet, si tu stertas? Quod sanctus cum lacrymis oret, si tu risui, & deliciis vaces? Hoc cura, vt pro te orantibus sanctis, aliquid tu saluti coope-
Ioan. 2. reris consentaneum, & omnia tibi erunt salua. Ioann. 2. oranti Mariæ pro vini defectu supplendo in nuptiis, respondit Dominus: *Quid mihi, & tibi est mulier?* *Nondum venit hora mea.* Quod si hora non erat subueniendi, quando Maria orat, quando putas, talis hora erit?
Eutym. Pulchrè Eutym. *Nondum adest tempus meum ad edendum, quod quæris miraculum: tunc autem aderit, cum ij, quibus opus est miraculo, cognouerint, quod talia possim operari, & ipsi me fuerint deprecati.* Itaque tunc certius tempus est, vt Deus subueniat, quando non totus es in prece aliorum, sed & tu etiam, qui eges, deprecaris.

Exod. 14. Tu autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud, vt gradiantur filij Israël in medio mari per siccum. Ego autem indurabo cor Ægyptiorum, vt persequantur vos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, &c.

§. XVII.

Sub Dei præcepto nihil non potest humana fragilitas.

VNo virgæ ictu iubetur Moyses sic diuidere mare, vt per medios fluctus siccum iter Israëlitis pateat. Sic enim ait: *Extende manum tuam super mare, & diuide illud, vt gradiantur filij Israël.* Poterat Moyses manum extendere, & mare percutere, at quod mare percussum diuideretur, non erat humanæ virtutis. Cur ergo Domine præcipis Moysi, quod diuidat mare, quando id non est eius potestatis? Sed habet hoc præceptum diuinum, quod & potestatem ad ardua quæque communicet. Ait Lyppoman. in cat. *Iubetur Moy-* Lyppom.
ses scindere baculo mare, quid magis inexpectatum, & admirabilius? Et tamen credenti impenditur. Nihil ergo tam arduum à Domino mandari potest, etiam introitus in mare pedestris, quod fidelis detrectet, Domini bonitatem cum omnipotentia perpendens. Vt præcipientis omnipotentia perpenditur, ad nullum præceptum cunctatur humana infirmitas; venit enim & cum Dei præcepto vis perficiendi quæcunque difficillima. Iacebat sponsa amore languens, & sic iacebat, vt vel ad iacendum
Cant. 2. egeret amatoriis fulcris. Cant. 2. interea clamat sponsus: *Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* Quo modo surgat, quomodo veniat, quomodo properet, quæ vix iacendo potest consistere? Si ad iacendum fulcris indiget, qui fieri poterit, vt surgat, & properet ad dilectum suum? Cur ergo, Domine, præcipis amatæ rem impossibilem? Sed ea est præcepti dominici vis, quod ipsa peragit, quodcunque iubet. Pul-
Nyssen. chrè D. Nyssen. hom. 5. in Cant. *Surge, inquit, & veni, O vis iussus, & imperij, est reuera vox virtutis. Ipse dixit, & facta sunt, mandauit, & creata sunt. Ecce nunc quoque dixit iacenti: Surge, & veni, & statim ad opus deducitur, quod iubetur. Nam simul atque accepit vim verbi, stat, & assistit, & ad lumen prope accedit.* Clarum est diuinæ iussionis argumentum, quod vim perficiēdi inferat, quidquid per illam iubetur. Ne deficias homo ad sonū diuini præcepti, quod diuini verbi literas excipis, tot fulcra, tot auxilia habes, ne difficile sentias, quod præcipit.
Gen. 7. Iussum est Noëmo Gen. 7. *Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: Ex omnibus animantibus mundis tolles septena, & septena, masculum, & fœminā, de animantibus vero immundis duo, & duo,* &c. Quid difficilius? Cum immundis, & feraliſſimis animalibus iubetur homo intra arcæ augustias concludi; nigróque in carcere detineri, vt aduiuat feris. Et qualiter homo carneus arctissimum carcerem, bestiarum proprium habitaculum patiatur?
Chrysost Ait D. Chrysost. hom. 25. in Gen. *Egregius Noë magna facilitate ferarum ferebat conuictum, & neque loci angustia, neque temporis productio, neque quod sic inclusus erat, & aërem respirare non posset, morosum, & difficilem reddebant: sed ob fidem in Deum omnia ipsi facilia videbantur. Et sic versabatur in graui illo carcere, sicut nos in pratis, & lucis. Præceptum enim Domini difficilia facilia sibi videri faciebat.* Sic de præcepti dominici virtute veniebat, quod difficultatibus cunctis euanescentibus, omnia facilè perficerentur.

§. XVIII.

Cœlitum gloria, & ſplendor à cruce dominica.

VIrgam per Moyſem eleuari petit Deus, vt ſciſſo mari, & ſubmerſo Ægyptio, glorioſa appareat in Pharaone poteſtas diuina. Ecce primo inquit Dominus: *Tu autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare, & diuide illud*, &c. Et quid per virgæ eleuationem, & maris ſciſſionem? Ait iterum: *Ego autem indurabo cor Ægyptiorum, & perſequentur vos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius*, &c. At vt Deus glorificaretur in Pharaone, cur neceſſum fuit præmitti eleuationem Moyſaicæ virgæ? Poterant equidem omnia illa fieri, & Deus glorificari in Pharaone, quin prius Moyſes eleuaret virgam. Cur ergo ad hanc glorificationem non accedit Deus, quin prius oſtendatur eleuata virga? Erat in virga crucis figura, & cœlitum omnis externa gloria venire debebat poſt crucem Quò ſpectans Iſaias capit. 60. ait: *Illuminare, illuminare Hieruſalem, venit enim lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt.* Ecce primos ortus, & quaſi cunabula dominicæ gloriæ ſuper Hieruſalem conſtituit. Et cur gloria domini non magis eſt orta ſuper cœlos quam ſuper Hieruſalem, niſi quia in Hieruſale fuit crux, ex qua cœlitum gloria conſtruitur? Ait D. Germ. Conſtantinopol. orat. in adorat. crucis apud Grethſerũ tom. 2. *Gloria Domini ſuper nouam Hieruſalem orta eſt. Gloria verò Domini, omnium conceſſu, diuina crux eſt, quæ vt aurora iam rutilat.* Et quidem vane deſipere videtur, qui gloriam cœlitum, & ornatum quærit ante crucem. Vbi Deus aquas à terra ſeparauit Gen. 1. & ſeſe ad mundi ornatum accinxit, hæc prima illius vox fuit: *Germineat terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum*, &c. Circa quæ non contemnenda eſt quæſtio Theodoreti in cat. Græca; vbi quærit, cur Deus maluit antè, & herbis, & lignis ornare terram, quam ſtellis, & aſtris cœlum? Adhuc cœlum erat inornatum, nulla ibi ſtella lucebat, nullus planeta videbatur, & iam terræ dabantur medicæ herbæ, fructifera ligna. Cur lignis terra veſtitur, ante quam ſplendoribus ſtellæ? Rationem indagat Anaſtaſ. Sinaita in Hexam. 4. aiens: *Quando audies, quod iubetur colere lignum fructiferum, nihil aliud intelliges quàm paſſionem crucis. Et ideò dicit Eccleſiæ, quod germinet lignum crucis faciens fructum, & aſpectu pulchrum, & bonum ad veſcendum, nempe Chriſtum crucifixum.* Erat equidem in lignis adumbratio dominicæ crucis, quæ meritò antecedere debebat omnem gloriam, & ornatum cœlitum. Ante enim Deus meditabatur crucem, quam faceret, vt in cœlis vel minima ſtellula fulgeret. Crede mihi nullus cœleſti gloria radiauit, niſi id de crucis virtute veniat. Cum Ieſus in Thabor cœleſtis gloriæ imaginem præferebat, ait text. Luc. 9. *Erant autem Moyſes, & Elias viſi in maieſtate, & dicebant exceſſum eius*, &c. Origines legit. *Erant autem Moyſes, & Elias viſi in gloria*, &c. Et qui fieri potuit, vt in Thabor Moyſes, & Elias in maieſtatis gloria viderentur? Rei cauſam exponens textus addidit: *Et dicebat exceſſum eius*, nimirùm exceſſum in cruce complendum, ne niſi præmeditata cruce aliqui glorificati apparerent. Quò ſpectans Timotheus Anthiochenus orat. de cruce, & Transfigurat. apud Grethſerum tom. 2. ait: *Præmiſit Dominus in Thabor Moyſem, & Eliam clariores, quam in viuis fuiſſent, futura crucis ſigna commemorantes.* Inde Moyſes, & Elias clariores, & glorioſiores apparebant, quod crucis ſigna, & myſteria, & mente, & ore voluebant.

Iſaias 60

German.

Gen. 1.

Ana. Sin

Luc. 9.

Timot.

Exod. 14. Tollénſque ſe Angelus Dei, qui præcedebat caſtra Iſraël, abiit poſt eos, & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, poſt tergum ſtetit inter caſtra Ægyptiorum, & caſtra Iſraël. Et erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem, ita vt ad ſe inuicem toto noctis tempore accedere non valerent.

§. XIX.

Egregius ille Præſul, qui ſcit primas cedere aſſeclarum ſaluti.

QVis non cantet præclariſſimum Angeli ducatum præſtitum Iſraëlitis, qui vbi nouit aſſeclarum periculum, primas ceſſit, & poſt tergum ſtetit, vt poſſent Iſraëlitæ viuere? De illo dicit textus: *Tollénſque ſe Angelus Dei qui præcedebat caſtra Iſraël, abiit poſt eos, & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, poſt tergum ſtetit*, &c. Expende ab illis nimirùm: *Priora dimittent*, & nota ingenium optimi præſulis, optimi ducis, in eo eſſe, quod ſciat primas cedere ſubditorum ſaluti, propriámque habere in loco vltimo. Ex quo monebat D. Chryſoſt. hom. 8. in Epiſt. ad Epheſios inquiens: *Non enim propterea te Deus hominibus præfecit, vt maius acquiras obſequium, aut famulitium; ſed vt neglectis rebus tuis, quidquid illorum eſt, ritè diſpenſetur, & ædificetur. Talis erat Beatus Paulus, qui quidem omni faſtu liber, non aliter erat affectus, quam vulgaris quiſpiam, imò & minimus etiam iſtorum. Propterea, & ſeruum eorum ſe ipſum vocat.* Huc veniant vniuerſi præſules, cuncti hominum duces, & diſcant, ad quid principatum accipiant. Non equidem ideò creantur duces, vt in omnibus ferant primas, vt potiora, & ſelectiora ſibi aſſumant, vt poſt ſe ingens trahant ſequentium famulitium. Sed magis vt ſua poſtponant ſubditorum commodis, quorum ſaluti, & incolumitati in omnibus cedant primas. Erat Ieſus cum diſcipulis ſuis in Synagoga Iudæorum, & docens, & ſanãs multos infirmos. De illis ait Mar. c. 1. *Et protinus egredientes de Synagoga venerunt in domum Simonis, & Andreæ cum Iacobo, & Ioanne. Decumbebat autem ſocrus Simonis febricitans; & ſtatim dicũt ei de illa. Et accedens eleuauit eam*, &c. Expende, quando ſiue diſcipuli, ſiue Petrus dicit Ieſu de ſocrus ſuæ infirmitate; nimirùm cùm ipſe poſt finitum ſermonem in Synagoga, poſt curatos multos, ſponte ſua in Petri domum intraret. Sed Romanus ille Centurio ardentior erat in procuranda pueri ſalute, qui Matth. 8. è domo ſua egreditur, Ieſum foras agentem conuenit, ibique monet de pueri periculo, inquiens: *Puer meus iacet in domo paralyticus.* Cur ſimiliter Petrus comitans Ieſum in Synagoga docentem, & ſanantem plurimos, non illum præmonet de ſocrus ſuæ infirmitate? Cur, quod fecit Centurio pro puero, non facit Petrus pro ſocru ſua? Inſtituebatur Petrus, & orbis, & Eccleſiæ Princeps, ideò cedens ſalutis primas aliis, tunc ſolum egit de ſuis, cum poſt curatos alios, iam ſeſe Dominus in domum recepiſſet. Pulchrè D. Chryſoſt. hom. 28. in Matth. *Tu autem etiam ſummam Petri reuerentiam in Chriſtum conſideras: nam cum ſocrus ſua domi iaceret, caloréque febris arderet, non traxit eum, neque cogere cogitauit: ſed expectauit quo vſque prædicationem abſolueret, cæteróſque omnes, qui tunc ad eum confugerant, curaſſet, & tunc demum cum intraſſet, per ipſam iacentem rogauit: ſic enim ſtatim ab ipſis initiis aliorum commoda ſuis vt præponeret, inſtitutus erat.* Expende illud: *Aliorum commoda ſuis vt præponeret*; quippe vt magnus orbis Princeps inſtituebatur, nil prius docebatur, quam quod aliorum commodis poſtponeret ſua. Hoc enim eſt præſtantiſſimorum præſulum inſigne. Vnde poſt expugnatam terram promiſſionis à duce maximo Ioſue, ait textus cap. 19. *Cúmque complexſet ſorte diuidere terram ſingulis per tribus ſuas, dederunt filij Iſraël poſſeſſionem Ioſue.* Primas in accipiendo cedit omnibus bonus dux; & cum ſingulis tribubus vniuerſa diuiſiſſet, poſtremus accipit ipſe, quæ populus obtulit illi. Et cur poſtremus? In hoc equidem oſtendebat ſplendiſſimum primatum

Chryſoſt.

Mar. 1.

Matt 8.

Chryſoſt.

Ioſue 16.

primatum suum, qui aliorum commodis postponebat sua. Ait Orig. hom. 24. ibi: *Ipse est, qui dedit hæreditatem omnibus filiis Iuda, qui dedit Ephrem, & dimidiæ tribui Manasse: ipse dedit & magnifico illi Calephsilio Ieffone hæreditatem: ipse misit omnibus sortes, & se in nouissimis reseruauit. Quare putas, voluit esse omnium nouissimus? Sine dubio, vt esset omnium primus.* Orig. Nullo magis ostendisset se deberi præstantissimo primatui; quàm dum scit primas bonorum aliis dare, sibiq; vltimas accipere partes.

Exod. 14. Cúmque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in siccum. Diuisáque est aqua, & ingressi sunt filij Israël per medium sicci maris. Erat enim aqua quasi murus à dextera eorum, & læua.

§. XX.

Principum ingenium facile sequuntur subditi.

NOn semel aquas nouimus in beneficium hominis obduratas, modò in duas partes diuisæ lapidei muri referunt faciem. Quippe ait: *Erat enim aqua quasi murus à dextera eorum, & læua.* Sed muri forma, & durities terræ conuenit, non aquæ. Cur ergo quod terræ erat, sibi præsumpsit aqua? Cur vt iter præberet Israëlitis mare non potius immitatum est refluxus Iordanis, quam terræ soliditatem? Iam diu mare imperium terræ agnoscebat, cuius imas fimbrias sæpe exosculatur; vt autem regnum terræ agnoscebat, sic vbi occasio tulerit, se ad eius soliditatem maluit conformare. Quis enim multoties in sui principis indolem non abeat? *Matt. 8.* Matth. 8. dum Iesus in nauicula dormiret, vehemens tempestas excitata est, ita vt tumentes fluctus nauim in ruinam traherent. Scitatus autem Dominus: *Imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna,* nimirum adeo erant tranquilli, & quieti fluctus, vt viderentur induisse terræ soliditatem. Et vnde fluctus ad Iesu vocem venerunt in tantam tranquillitatem, qua viderentur terram æmulari? Ait D. Basil. Sel. orat. 22. *Basil. Sel.* *Modica Iesu voce ingens elementum refrænabatur. Recognoscebat enim veterem vocem, recordabatur antiqui præcepti, nimirum, congregentur aqua in vnum locum, & appareat arida.* Gen. 1. *Tunc concessit terra imperium, nunc terram imitatur consolidatione naturæ.* Quid pulchrius? Vt mare tunc, nimirum in primordio terræ imperium cessit, sic nunc in soliditate terram æmulatur; raro enim inuenitur, qui ad Imperatoris sui genium non componatur. Quem Regem suscipis, fallar, nisi ames eundem imitari. Cum Pilatus optionem daret Iudæis *Pilatus.* vt Iesum in vitam eligerent, vel Barrabbam hominem seditiosum Matth. 27. *Principes Sacerdotum, & seniores* *Matt. 27* *persuaserunt populis, vt peterent Barrabbam, Iesum verò perderent.* Sed qualiter persuaderi populus potuit, vt homicidam, & seditiosum hominem in vitam eligeret? Id erat Principum ingenium, iuxta quod necessum erat pene, quod populus componeretur. Ait Christianus Druthmarus ibi: *Tales sunt populi. Qui habet potentiam facile conuertit inferiores ad voluntatem suam. Non recogitant, quis iustior sit, sed quod Principem suum intelligunt velle, ad hoc conuertuntur.* Nil magis commune, quam quod subditi sese componant ad formam Principum; raro inuenitur, qui Principibus morem non gerat, eorúmque in se non effingat vultus. Nota est historia Magorum clamantium ortum expectatissimi Regis Iudæorum, quorum clamoribus excitatus Herodes conuocat Scribas, & sapientes Hierosolymitanos, diligentérque didicit ab eis, vbi Christus nasceretur? Nec mora, locum natiuitatis dominicæ notant illi adducta prophetia dicente: *Et tu Bethleem terra Iu-* *Matt 2.* *da.* &c. Quid tunc Rex Matt. 2. remittit homines Bethleem, vt inquirant de puero, ipse autem mansit Hierosolymis expectans reditum, nec adductus est, vt cum Magis aliquem ex suis mitteret seruum Magnum hoc? Accipe maius, nimirùm Hierosolymitani Scribæ, & sapientes, natiuitatis locum signantes ex Scripturis, & insigne Magorum per stellam adductorum miraculum videntes non adducuntur, vt vel ipsi eant, vel saltem mittant, qui pueri ortum viderent. Vnde sic tepidi Scribæ in quærendo optatissimo, & spectatissimo sibi puero? Nónne huius Regis natiuitatem ardentissimè præstolabãtur! Cur ergo non ad illum videndum mittunt? Non miserat Herodes, & valuit magis apud Hierosolimytanos sapientes ambitio se conformandi cum Herode Rege, quam desiderium videndi desideratum cunctis Gentibus. Ait D. Leo ser. 4. de Epiphan. *Prolato* *D. Leo.* *diuino oraculo per responsa Pontificum, & declarata spiritus voce, qua dicit. Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in Principibus Iuda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël: quam facile, & quam consequens fuit, vt Hebræorum proceres crederent, quod docebant? Sed apparet illos carnaliter cum Herode sapuisse, vt & temporalem spernerent ducem.* Rapuit sapientes Hierosolymitanos Regis præsentis æmulatio, suámque scientiam, suámque doctrinam ad Herodis imperantis genium conformarunt. Vetusta enim est hominum temporalium ambitio, qua vel in sapientia, vel in fide regios vultus malunt spectare.

§. XXI.

Quæ terrori hominibus sunt, si à Deo ducantur, in salutem conformantur.

FVgientibus Israëlitis Ægyptios non parum terrorem incutiebant oppositi fluctus maris; sed extensa Moysis manu, diuisis fluctibus: *Et aqua quasi murus à dextra eorum, & læua.* Ecce tibi, quæ mortem minabatur aqua, facta est quasi murus ad tutamen. Sed vnde horrendum mare versum est in speciem tutaminis? Ait textus: *Abstulit illud Dominus:* ex Hebræo autem ponit Caiet. *Et duxit Deus mare;* non equidem intelligi- *Caiet.* tur, quod Deus aquas maris consumpserit; sed quod eas duxerit: vbi autem aquæ horribiles à Deo ducebantur, non poterant non mutari in hominum salutem, & tutamen. Ait Orig. in cat. Lyppom. *Iubetur Moyses* *Orig.* *virga percutere mare, vt voluntati diuinæ elementorum famulentur obsequia: & aquæ, quæ timebatur, dexterâ, leuáque famulis Dei murus effecta, non solum perniciem nesciant, sed & munimen exhibeant.* Minauit Moyses baculo aquas, vt diuinissimi pastoris sequerentur ducatum, vt post Deum irent. Quid tunc? Vbi non natura, sed Deus cœpit ducere aquas maris, illæ ipsæ, quæ timebantur, murus effectæ salutem, & defensionem repræsentabant. Et quæ lucra hominibus non propinent creaturæ, quæ Dei sequuntur ducatum? Nota est maris tempestas, quæ dormiente Iesu in nauicula tantum incussit metum discipulis, vt ad Iesum clamarent Matth. 8. *Domine salua nos, perimus.* Excitatur Iesus, imperat ventis, & mari, fit magna tranquillitas fluctuum, cuius occasione in potestatis diuinæ admirationem vniuersi clamant: *Qualis est hic? Quia venti, & mare obediant ei.* Compone clamorem, & clamorem, antea clamant, *perimus*, nunc clamant, quia venti, & mare obediunt Iesu, eiúsque potestatem mirantur. Vnde tam diuersus clamor? Sanè aquæ, quæ prius timebantur, vbi Dei nutui obtemperarunt, conuersæ sunt illis in disciplinam, & cognitionem diuinitatis, quia saluabantur. Ait D. Basil. Sel. orat. 22. *O Domini sapientiam! O magi-* *Basil. Sel.* *stri edictum! Exciuit mare, fidei scholam fecit mare. Et quod discipulis ab ista trepidatione lucrum? Et mirabantur, inquit, discipuli, dicentes: Qualis est hic? Quia venti, & mare obediant ei. Quibus ex rebus conterriti fuerunt, docti euaserunt.* Quæ metũ antea incutiebãt, adeò vt clamarent, *perimus*, nunc ad Dei nutũ mãsuefactæ sapiẽtiã afferunt

afferunt, & salutis viam pandunt. Sic semper quæ ex natura sua nobis videntur horribilia, ex Dei nutu habent, quod nos ad veram sapientiam, verámque saluté deducant. Nequit enim creatura aliqua sub speciali Dei ductu esse, qui hominibus non appareat salutaris.
Iob 37. De nubibus dictum est Iob cap. 37. *Quæ lustrant per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum. Siue in vna tribu, siue in terra sua, siue in quocunque loco misericordiæ suæ eas iusserit inueniri.* Græcè legitur: *Siue ad disciplinam, siue ad terram, siue ad misericordiam.* Vltimo loco posuit misericordiam, vt ostendat, quò tendunt omnes Dei ducatus, vbi se ducem ostendit nubi m;tendunt nimirùm ad misericordiam præstandã. Quò spectans author catenæ, fatur: *Hæc fiunt siue ad nocentes corrigendos, siue ad terræ fertilitatem, fructuúmque vbertatem, siue alias ob causas. Illud certum est, vt misericordiam mortalibus tribuat, isthæc administrari.* Frementes licet videris creaturas nubium, dum tamen Deus illas ducit, hoc tecum reputa, indè hominibus misericordiam diuinam præparari.

§. XXII.

Nulla adeò ineuitabilis tentatio impedit hominem, per quam non possit patere aditus incolumitati.

ECce tibi vbi tumentes maris fluctus magis Israëlitas arctabant, illósque hostilibus gladiis expositos tenebant inclusos, subitò scinditur mare, & per medios fluctus via salutis apparet. Sic textus: *Cum extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus, & vertit in siccum. Diuisaque est aqua, & ingressi sunt filij Israël.* Quid mirabilius? In tentationis deuenerat arctum, vt hinc fluctibus cingentibus, illinc hostibus clamantibus nil citiùs quàm mortem liceret spectare. Quid tunc? Scisso mari subita salutis via apparuit, quæ nunquam non patuit iustorum incolumitati. Rem sic
Zeno exprimit D. Zeno lib. 2. serm. 12. de Exod. *Vt inter duo elementa peruenit populus, ibidem præsentariæ exitũ mortis expauit; hinc enim persequentium Ægyptiorum infestis mucronibus premebatur, illinc maris magno clausus obice premebatur. Cùm subitò diuina prouidentia scinditur mare; aquæ gelido stupore frenatæ vitreos diriguntur in muros, præstolantes transitum Dei populi.* Et quidem nunquam sic hominem Dei fluctus tentationum arctant, quin clarissima euasionis via, vel inter fluctus pateat.
Iob 38. Quò respiciens ipse Dominus ait Iob 38. *Quis concluserit ostijs mare.* Ex Græco legit August. affirmatiuè: *Concluserit portis mare.* Quibus illud maximè expendendum est, quòd dicat Deus mare à se portis conclusum, & nõ muris. Cur non potiùs Deus rabidissimos fluctus maris æneis vndequaque concluserit? Cur maluit illos portis concludere? Vbi porta cernitur, iam ibi speratur posse aperiri, vnde quis ab arcto periculorum queat exire. Concluserit ergo Deus mare portis, vt ostendat nullam futuram adeò cæcam tentationum tempestatem, me-
August. dia qua non possit patere via salutis. Ait D. August. ibi: *Concluserit portis mare. Quare portis? Vt non solum modum haberet exercendi iustos persecutionibus, sed etiam vt liceret iustis inde egredi.* Crede mihi, rabidissimi quique fluctus tentationum habent portas, quæ aperiri possunt,
Ionæ 2. vt inde euadas incolumis. Aiebat Ionas cap. 2. à cete voratus: *Circũdederunt me aquæ vsque ad animam, abyssus vallauit me, pelagus operuit caput meum. Ad extrema montium descendi, terræ vectes concluserunt me in æternũ; & subleuabis de corruptione vitam meam.* Fatetur se abyssо, & pelago vallatum, imò sub vectibus terræ conclusum, & tamen orat inde eripi, & subleuari. Si abyssus te vallat, si pelagus cingit, si vectes concludunt, qua eripieris, ô bone? Equidem in arctissimo illo tentationum vallo, non otiosè memorati sunt vectes, sed vt ostendatur non omnino intercluſus aditus esse, sed ita vt aperiri queat, & viam euasionis ostendere. Ex quo dicebat Rupert. *Circundatus aquis, vallatus abyssо, coo-* Rupert.
pertus pelago, conclusus vectibus terræ, certum habet penes se, quia Deum nihil latere potest, orat fideliter, vt oratione Deum tantis, támque profundis angustiis ad se venire, gestienti viam ipse faciat, venientem ipse suscipiat. Itaque dũ & abyssi vallum confitetur, & pelagi impedimenta, & vectes terræ experitur, tamen certus est de via Saluatori suo aperienda, qua inde ipse possit erui. Et multiplicatis orationibus inter illa omnia afflictionum repagula, & impedimẽta strenuè nititur viam parare saluti.

Exod. 14. Persequentésque Ægyptij ingressi sunt post eos & omnis equitatus Pharaonis, currus eius, & equites per medium maris. Iámque aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciẽs Dominus super castra Ægyptiorum per columnã ignis, & nubis, interfecit exercitum eorum, & subuertit rotas curruum, ferebatúrque in profundũ. Dixerunt ergo Ægyptij: Fugiamus Israëlẽ, Dominus enim pugnat pro eis cõtra nos.

§. XXIII.

Deus non diu patitur iniquos esse iuxta pios.

IN siccum maris alueum intrauerant Ægyptij, antequam inde egressi essent Israëlitæ. Vtrumque agmen simul tenebat siccus maris venter; vnus Angelus in columna nubis, & ignis medius erat, qui hos, & illos diuideret. Quid tunc? Ait textus: *Ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam nubis, & ignis interfecit exercitus eorum*, &c. Septuag. cum Chaldæo reddiderunt: *Conturbauit exercitus eorum*; vbi enim Ægyptij sic propinqui erant Israëlitis, vt communi liberatoris intuitu cerni possent, nõ passus est Dominus illos amplius consistere, sed illos conturbare, imò & cõcutere, & quassatis rotis plurimos excutere cœpit. Vt ex multis Hebræis dicat Lyppomanus: *Currus impliciti* Lyppom.
sunt, & qui super illos erant, excutiebantur, & membra eorum discerpebantur. Nondum aquæ reducendæ erant, ne nocerent Israëlitis adhuc vergentibus intra mare. Sed non sustinebat Deus impios piis appropinquare, talémque illis conturbationem dedit, vt concussis rotis curruum, sessores excuterentur, deçerperentur. Sic solet Deus impios excutere à piorum societate. Quò respiciens Iob 38. ait: *Et tenuisti concutiens extrema terræ,* Iob 38.
& excussisti impios ex ea. Ad solius Dei propriũ est, quod nõ diu ferret impios piis appropinquare, interdũ concutit terram, vt impij inde excutiantur, & perdantur. Ait pulchrè ibi Phillippus: *Præ magnitudine virtutis suæ Deus vtraque manu tenens margines terræ, quasi cribrum huc, atque illuc concutit, siue excutit, vt impios velut paleas, & lolium excutiat à frumento iustorum.* Quid elegantius? Non equidem patitur Deus pios, & iustos homines diu propinqare impiorum fœdari; sed certis, statisque temporibus magnitudine virtutis suæ terram, quasi cribrum concutit, qua concussione impij excutiuntur à terra, exsufflantur. Id, quod promittebat Dominus per Amos c. 9. *Ecce mandabo ego, & concutiam in* Amos 9.
omnibus gentibus domum Israël, sicut concutitur in cribro. Promittit, inquam, cribrationem sui populi, ne diu sint impij intermixti sanctis, sed vt in cõcussione cribri frumenta seruantur, & excutiuntur paleæ, sic immissa à Deo turbatione, & concussione in terrã seruatis in diuina horrea iustis, iniqui excutientur in flammas. Sic D. Hier. fatur: *Deus, qui mensus est aquas manu, & cœlũ pal-* D. Hier.
mo, & omnem terram concludit pugillo, ipse pro magnitudine sua, vtraque manu tenens margines terræ, quasi cribrum huc, illúcque concutiet, vt paleas, ac sordibus peccatorum in terram cadentibus, purum frumentum remaneat, quod in horrea cõdatur. Ea est cura Dei, vt cribretur terra, crebrísq; permutationibus concutiatur, quo excussis paleis

leis impiorum, necessum est, vt frumentum purius maneat. Dei enim est indignè ferentis impiorum cum iustis commixtionem, illa Hieremiæ vox c. 23. *Quid paleis ad triticum?* Vbi Chaldæus vertit: *Sicut paleam à tritico, sic separo iustos ab impiis, dicit Dominus.* Quasi esset id Dei munus, vt concussionibus factis intendat semper à tritico excutere paleas, hoc est, impios à iustorum propinquitate.

§. XXIV.

Quàm facilè homo sequitur mortis, exitiique ductum.

SCissum mare apparuit, & Israëlitæ gradientes per medium sicci maris. Nec mora, vbi hos viderunt gradientes per mediũ sicci maris Ægyptij: *Ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis,* &c. Et cur Ægyptij adeò intrepidè audent Israëlitas sequi per viã adeò nouam, & inusitatam? Cur non magis suspectam habẽt viam vsque tunc maris fluctibus clausam, & solis Israëlitis apertam? Cur non magis ad ingressum cunctantur? Ait Euseb. Emiss. in Glossa: *Sanguis, atque iniusta infantium cædes illos agitabat.* Qui interfecti erant ab illis infantes, & aquis sepulti iacebant, mouebant ad lethalem ingressum eorum animos. Imò vt ait Philo in præsenti: *Huc accessit impetus hostium inuehentium, & in suam perniciem ruentium.* Ad nihil enim facilior, & impigrior homo paratur, quàm ad hoc, vt ad mortem, & exitium abeat. Audita Iesu præsentia Maria, quæ domi iacebat lugens mortuum fratrem, surrexit, vt obuiam iret Saluatori. Quid tunc Iudæi videntes surrexisse Mariam, & domo exiisse? Ait Ioan. c. 11. *Iudæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cùm vidissent Mariam, quia cito surrexit, & exiit, secuti sunt eam, dicentes, quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi.* Ibat illa ad vitæ authorem, vt suscitationem fratris impetraret; at Iudæi nihil de authore vitæ cogitantes putabant illam ire in sepulcrum, vt ibi amplius ploraret. Et cur de sola sepulcri via permittuntur cogitare Iudæi? Cur non magis illis in mentem venit vitæ author? Sanè agebat Deus, vt Iudæi sequerentur Mariam, & sic testes fierent tanti miraculi, ideò non facit illos cogitare de vitæ authore, sed de via sepulcri, & lacrymarum; facilius enim, & efficacius mouerentur ad mortem, quàm ad vitam sectandam. Ait D. Cyr. Alex. lib. 7. in Ioan. c. 19. *Si audissent Iudæi Mariam vocatam fuisse à Iesu, non ipsam forte sequerentur, & ita non viderent miraculum. Sed quia putauerunt eam ad sepulcrum fratris ituram, penè secuti sunt.* Non equidem miseri viã ad vitæ authorem arriperent, sed magis cunctarentur, & pigritarent illo ire. Ideò permissi sunt cogitare de solius sepulcri via, vt qui ad mortis, & sepulcri, vel nomen facilius, & velocius aduolarent. Ea est enim humana cõditio, quæ secreto quodam impulsu ad mortis, exitiique sequelã rapiatur. De Iuda ait etiam D. Ioan. c. 13. *Cum ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuò. Erat autem nox.* Non moratur, non cunctatur, vbi à Iesu manu buccellam accipit, continuò exiit ad peragendos tractatus de magistri venditione. Quæ est, miser, ista tua festinatio? Nox est, expecta saltem, vt elucescat crastinum, requiesce paulisper, vt cum luce negotium agas. Cur nõ magis, vel nocturnis tenebris impediris? Ibat miser ad mortem, ibat ad exitium suum, ideò nullas moras patiebatur, nulla impedimẽta sentiebat, nec noctis tenebras aduertebat, vt properaret. Ait D. Cyril. Alex. lib. 9. in Ioa. c. 19. *Nec, quod noctu quidem pluit, considerat. Tenebrosa enim nox quædam impiæ cupiditatis in profundũ inferni eum pellebat, ideò quasi ceruus, vt in Prouerbiis dicitur, ad sagittam properabat, vel quasi canis ad vincula.* Agilior, & velocior ceruis est homo, vt viam mortis, exitiique sui aripiat, nec vllis impedimentis moratur. Quò spectans Prou. c. 7. de homine audiente lethalem voluptatem, ait: *Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam.* Ex Hebræo: *Vadit post eam subitò.* Vbi ad perniciem via aperitur, nulla permittitur mora consultandi, sed subitò ad illam omnes aduolant.

Euseb. Em. *Philo.* *Ioan. 11.* *Cyr. Alex.* *Ioan. 13.* *Cyr. Alex.* *Prou. 7.*

§. XXV.

Mundialis potentia, vt apud creaturas valet, sic in Dei conspectu corruit.

DIxerat paulò ante, quòd: *Tollens se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israël, abiit post eos, & cum eo pariter columna nubis.* Modò autem de eodem columnæ motore agens ait: *Ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnã ignis, & nubis, interfecit exercitum eorum*, &c. Modò Angelum, modò Dominum vocat eum, qui columnæ præsidebat, & quare non sẽper Angelum, vel non semper Dominum vocat? Quare, qui de Angelo dixit, quod abiit post Israëlitas in colũna nubis, modò de eodẽ Angelo non dixit, quod respexit super castra Ægyptiorũ, & interfecit eos? Quare hoc maluit Domino attribuere, quã Angelo? Rationẽ indigitant verba illa: *Respiciens Dominus super castra Ægyptiorum*, quippè res erat cum potentia, & valentia Ægypti, cuius despectio, & contritio non creaturarum, sed Dei opus est. Vt enim potẽtia mundialis apud creaturas valet, sic in conspectu Dei prorsus dissipatur. Quò spectans Amos c. 9. ait: *Ecce oculi Domini super regnum peccans, & conteram illud à facie terræ.* Expende, quid conteratur, & pereat sub oculis Domini, nimirũ *regnum peccans*, potestas, & valentia regalis, quæ creaturarũ oculos rapit, & apud omnes creaturas benè audit, sub diuinis oculis prorsus conteritur. Ambi potestatẽ, qui apud creaturas vis valere; fuge potestatem, qui vis promoueri in oculis Dei. Triginta & octo annis iacuerat iuxta Probaticam piscinam homo languidus, & nunquam obtinuerat sanitatem Ioan. 5. *Hunc cùm vidisset Iesus iacentem, & cognouisset, quia iam multum tẽpus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam, dum venio enim ego, alius ante me descẽdit. Dicit ei Iesus: Surge*, &c. Defectus viriũ, & auxiliatoris impedimento erat homini ne salutem consequeretur ex aquis, consecutus tamen est eã ex Iesu. Et cur viriũ defectus, qui impediebat salutis consecutionem ex aquis, nõ similiter impediuit, ne ex Iesu obtineretur salus? Mouebat Angelus aquas, & apud creaturas potẽtes viribus valẽt, erat Iesus Deus, in cuius oculis non potestas mũdialis, sed infirmitas obtinet principatũ. Ex quo D. Cyril. Alex. lib. 6. in Ioan. ponderabat Christiani baptismi virtutem supra virtutẽ probaticæ, aiens: *Tempore huius piscinæ infirmitas impedimentũ volenti curari fiebat: nam impediebat, ne quis prius aliis in aquam descenderet, & curaretur. Nunc autem ad lauacrum baptismi vnusquisque accedere potest; non enim Angelus est, qui turbat aquam, sed Angelorum Dominus, qui omnia operatur.* Quando Angelus, quando creatura turbabat aquas, tunc valentes viribus, pollentes auxiliatoribus obtinebant sanitatem; iacebant, & peribant viribus, & auxiliis destituti; infirmitas enim impedimento est quibúsque in confessu creaturarum. Vbi autem vox Domini in aquis turbatur, non lãguor, nõ infirmitas impedit sanitatem, sed quicunque infirmus accedit, is promouetur; & solæ conterũtur potestates mundiales. Quò eleganter respiciens Psal. 28. ait: *Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani.* Ecce tibi inter Dei magnificas voces, vbi inter aquas intonat, qui pereant, qui confringantur, nimirùm cedri Libani, hoc est, mundiales, & euanidæ potestates. Vt dicat D. Basil. in præsenti: *Sicut in magnifica anima fit vox Domini, sic etiam temerè inflatos superbia, tumidósque ob ea, quæ in hac vita*

Amos 9. *Ioan. 5.* *Cyr. Alex.* *Psal. 28.* *D. Basil.*

ſublimia, altáve exiſtimantur, vt ſunt gloria, imperium, elegans corporis forma, vires, ac robur, confringere Deus dicitur. Nihil in mundo ſublime, poténſque apparet, quod in conſpectu Dei, non pateat ruinæ.

§. XXVI.

Quod ſuorum amatiſſimus Deus illos malis permittat, facinus eſt diuinæ poteſtatis quaſi miraculoſum.

SErò licet fatentur Ægyptij commune diuinitatis opus, quod ſtat pro amicis; dicunt enim: *Fugiamus Iſraëlem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Quid enim magis commune amanti Deo, quàm ſtare pro amicis ſuis, pugnare pro illis, eorum repellere contrarios, ne malum inferant? Quod ſi quando Deus amicos ſuos malis permittit; id extra congenitam diuinitatis
Ioan. 11. operationem eſt, & opus quaſi miraculoſum. Ioan. 11. Lazarus in lethalem incidit languorem, de quo certior fit Ieſus à ſororibus. Quid tunc? Ait textus: *Audiens autem Ieſus, dixit eis: Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam. Diligebat autem Ieſus Martham, & ſororem eius Mariam, & Lazarum.* Dicit Lazari infirmitatem eſſe pro gloria Dei, & ſtatim addit illud: *Diligebat autem Ieſus Lazarum*, &c. Quid quòd Ieſus diligeret Lazarum cum eo, quod eius infirmitas erat pro gloria Dei? Imò quia diligebat hominem, eius infirmitas non pro gloria Dei, ſed pro humiliatione, & triſtitia videretur eſſe. Quando enim infirmitas alicuius non magis ſpectat ad triſtitiam, quàm ad gloriam amantium? Cur ergo ſummiſit Lazarum dilectum à Deo, vt eius infirmitatem oſtẽderet eſſe pro magna gloria Dei? Equidem vt Lazarus dilectus erat à Deo, infirmitas eius non poterat non ſpectare ad magnam Dei gloriam, quando quòd Deus permittat amicos ſuos in malis eſſe, inter multa diuini-
Cyr. Ale. tatis opera præſtantiſſimũ facinus eſt. Ait D. Cyr. Alex. lib. 7. in Ioan. c. 14. *Inter omnia miracula, quæ Dei Filius vt ſuam pãderet diuinitatem, operatus eſt, ſupereminet hoc, & quaſi quendam obtinet principatum, quod circa Lazarũ fecit. Equidem ſingula opera eius admiratione digniſſima ſunt. Quis enim non magnopere admiretur, quod Chriſti iuſſu, & virtute claudi rectis greſſibus inceſſerunt, quod mutis linguarum clauſtra ſoluta ſunt, quod cæcorum diu clauſa lumina tactu ſacræ manus eius reſerata ſunt. Sed hæc omnia parua ad ingentem Chriſti potentiam, & maieſtatem videbantur, niſi amicus eius Lazarus moreretur.* Quid pulchrius? In paruis numerat cæcorum lumina reſtitura, claudorum, mutorum curationes reſpectu diuinæ maieſtatis oſtenſæ in eo, quod Lazarus amicus Dei morti permitteretur. Et quando ad ingens diuinitatis opus non pertinebit, quod dilecti morbis, doloribus permittãtur? Paul. ad Hebræos c. 2. ait: *Dicebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare.* Quidquid in creaturis mirabile, & glorioſum eſt, & fuit, iam Deus effecerat; vltra quæ decebat illum aliquid aliud facere. Et quid hoc erat, quod ſupra omnia mirabilia creata adhuc amplius decebat Deum? Ait Paul. *Authorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare.* Quid ais Paule? Cur poſt omnia mirabilia facta adhuc requiris vt Filius Dei per paſſionẽ, & mortem crucis conſummaretur? Eſtne paſſio crucis ad conſummationem perfectionis, & poteſtatis diuinę efficacior, quam omnia mundi miracula? Hinc Diuus
Chryſoſt. Chryſ. hom. 3. in præſenti fatur: *Ergo paſſiones perfectio ſunt, & cauſa ſalutis. Si vero in hoc primum honorauit Filium Deus, vt per paſſiones eum induceret, re vera multo melius eſt carnem ſuſcipere, & pati, quæ paſſus eſt, quam hunc mundum facere, & ex nullis præexiſtentibus proferre.* Conſule Philoſophos, & dicent tibi, infinitæ virtutis eſſe, quod aliqua res ex nihilo fiat; Chryſoſtomus autem adhuc melioris virtutis putat fuiſſe dilectum Filiũ Dei mortalitati, & cruci tradi. Infinitudinem virtutis oſtendit Deus in educendis creaturis ex nihilo, in miris aliis operibus patrandis, ſed ibi conſummationem ſuæ virtutis effecit, ibi melius aliquid addidit, vbi dilectiſſimum Filium in cruce reliquit conſummari. Miraris hoc? Accipe aliud, in quo mirere magis. Vt permiſſus eſt Ieſus mori: Sic mori permiſſus fuit Lazarus, In quo ergo magis diuinitatis virtus claruit? Sanè non erit abſurdum, ſi putes vtrumque intra idem admirandæ virtutis genus claudi? Ait D. Cyr. Alex. lib. 7. in *Cyr. Ale.* Ioan. c. 21. *Itáque vtrúmque horum, & quod Lazarũ mori ſit paſſus, & ipſe in cruce permanſerit admirandæ eius prouidentiæ, & diuinæ diſpenſationi eſt attribuendum.* Coniungit vir ſanctus ſub eadem admiranda Dei prouidentia, & quod Chriſtus in cruce, & Lazarus in morte, permittatur; quaſi hæc iunctim Deo meliora ſint, quàm mundum facere, & ex nullis præexiſtentibus procreare. Mirum enim eſt, quod ſuos in anguſtiis eſſe diutius patiatur. Matt. 15. Chananææ fœminæ diui- *Mat. 15.* nitatem eius credenti, & prædicanti, vel non reſpondit Dominus, vel cum reſponſo maiorem dolorem cauſat, aiens: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Qualis hæc aſperitas in Ieſu reſpectu humiliter deprecantis? Orig. putat illam eſſe miraculum; quip- *Orig.* pè hom. 7. de diuerſis, ait: *Latronem liberaſti, meretricem virginibus prætuliſti, & ſolam miſeram hanc mulierem Chananæam deſpicis deprecantem. Quid eſt hoc verbum, inauditum miraculum?* Sanè mirum eſt in Deo verbum, quod fidelem animam permittat angi.

Exod. 14. Ait Dominus ad Moyſem. Extende manum tuam ſuper mare, vt reuertantur aquæ ad Ægyptios, ſuper currus, & equites eorum. Cúmque extendiſſet Moyſes manum contra mare, reuerſum eſt primo diluculo ad priorem locum. Fugientibúſque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus. Reuerſæque ſunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui ſequentes ingreſſi fuerant mare, nec vnus quidem ſuperfuit ex eis. Filij autem Iſraël perrexerunt per medium ſicci maris, &c.

§. XXVII.

Tentationes impiis (ipſorum culpa) aditum occludunt ad vitam, quem iuſtis relinquunt apertum.

QVæ à dextris, & ſiniſtris ſtabant aquæ apertam viam facientes Iſraëlitis, vt in litora pergerent, reuerſæ & viam occludebant, & Ægyptios operiebant, ne viuerent. Sic enim ait textus: *Reuerſæ aquæ operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis: nec vnus quidem ſuperfuit ex eis. Filij Iſraël autem perrexerunt per medium ſicci maris.* Erant aquæ Ægyptiis impedimento, quo inuoluebantur, nec progrederentur, ſed ſubmerſi perirent; Iſraëlitis autem erant clariſſimæ viæ ad pergendum indices. Sic tentationum tempeſtas impiis claudit, iuſtis autem aperit viam ad ſalutem. De frementi, & procelloſo mari, ait Dominus Iobi c. 38. *Circundedi illi terminis meis, & poſui vectem, & oſtia.* Ex Græco legitur: *Et poſui illi terminos, & imponens clauſtra, & portas.* Itáque frementibus maris fluctibus præterquã quod Deus poſuit terminos, hoc eſt, furendi mẽſuram, inſuper addidit clauſtra, & portas. Sed ad quid clauſtra ponũtur, vbi ſimul, & portæ ſunt? Portæ ſic claudũt, vt ſimul aperiant, & dent locũ euaſioni; clauſtra autẽ ſolũ claudẽdis, obſtruẽdíſque exitibus deſeruiunt. Ad quid ergo ponuntur fluctibus clauſtra, quæ ſemper claudant, ſi ſimul ponũtur portæ, quæ aperiri poſſunt? Id habẽt propriũ fluctus tentationum, & clauſtra habent, impiis, & iuſtis portas; clauſtris ſic im- *Iobi 38.*

plicant

plicant nefarios, vt vndis inuoluti maneant internecioni; portis locum præbent iustis, vt in salutem pergant. Ait D. Aug. ibi: *Terminos posuit, quibus sauitia cohibeatur, non vt nihil affligat, sed quousque exerceat: claustra, vt iniusti non progrediantur: portas, vt ab eis iusti egrediantur.* Habent equidem tentationes claustra, & portas; vt egrediantur iusti per portas; vt per claustra occludantur in pœnam proterui peccatores. Aiebat per Amos Dominus c. 9. *Ponam oculos meos super eos, in malum, non in bonum. Et Dominus Deus exercituum, qui tangit terram, & tabescit: & lugebunt omnes habitantes in ea; & ascendet sicut riuus omnis, & defluet, sicut fluuius Ægypti.* Ecce tibi vt Deus in malum pœnæ respicit habitatores terræ, dolores, & conturbationes multiplicans super terram, quibus vniuersi affligantur, & in planctus, lacrymásque eant. Sed quo tot malorum fluctus spectabunt? Ipse ait: *Ascendit sicut riuus omnis, & defluet sicut fluuius Ægypti.* Sanè omnis riuus, omnis aqua, quæ Israëlitas videbat, in altum ascendebat, vt progrederetur populus, sic maris fluctus, sic Iordanis vndæ: at vbi Ægyptios nacta fuit aqua maris tota defluit, & illos submersit. Sic omnis tentatio, omnis calamitas, & asperitas veniens super terram, respectu iustorum ascendet sicut riuus omnis, dans viã ad salutẽ illis, vt omnis riuus dedit Israëliticis populis; respectu autem impiorum, defluet sicut aqua super Ægyptios ttadens illos internecioni. Quam differẽtiam in omni tentatione, & asperitate agnouit D. Chrys. hom. 31. in Matt. fatus: *Sicut ergo omnis tentatio fideles quidem ædificat magis, infideles autem destruit amplius: sic & omnis increpatio disciplinæ religiosum hominem meliorem facit, irreligiosum hominem autem, & malum conturbat, & ad deterius ire compellit.* Sic tribulatio, & tentatio viam salutis iustis aperiẽs, illã quasi obstruit reprobis. Sed præstat adhuc eũdem locũ Amos premere iuxta Septuag. lectionem aientium: *Obsirmabo oculos meos super illos in mala, & non in bona. Et Dominus Deus omnipotens, qui tangit terram, & commouet eã, & lugebũt omnes habitatores eius, & ascendet sicut fluuius consummatio eorũ, & descendet sicut flumen Ægypti.* Loquitur de Deo immittente pœnas, & afflictiones, de quo ait: *Et ascendet sicut fluuius consummatio eorũ, & descẽdet sicut flumen Ægypti.* Dupliciter enim se habet Dominus vexans homines, vel ascendens sicut fluuius per tribulationũ fluctus cõsummans, & perficiẽs, & purificans iustos; vel descẽdit sicut flumẽ Ægyptios rebelles perimẽs. Ait D. Hier. ibi: *Cũ Deus omnipotens tetigerit terrã, intelligentes scelera sua vertentur in luctum, & ipse Dominus dupliciter ascendet, atque descendet. Ascendet super sanctos, quasi fluuius consummationis eius, id est terræ, vt opera eorum terrena consumat. Descendet super peccatores sicut flumen Ægypti, vt in tormentorum amaritudinem impetu Domini deirudantur.* Huc tendunt rapidissimi calamitatum fluctus currentes per terram, vt iustis viam parent mundam in cœlum; impiis autem, & clanstra impenetrabilia opponant, & præcipitia effingant æterna. Vt meritò dicat Tertull. lib. de Fug. in persecut. *Hoc nomen iudicium est persecutio, per quam quis, aut probatus, aut reprobatus iudicatur. Hæc pala illa, quæ & nunc dominicam aream purgat, confusum fidelium acerbum euentilans, & discernens frumentum martyrum, & paleas negatorum. Hæc etiã scalæ, quas somniat Iacob, aliis ascensum in superiora, aliis descensum ad inferiora demonstrantes.* Et quidem pulchris exemplis ventilabri, & scalæ Iacob rem tentationis, tribulationísque monstrauit, vt alios saluti, alios & ruinæ, & fornaci tradunt. Quò etiam spectat Naum, dum enim calamitates Niniuitis denuntiaturus accingitur, sic incipit c. 1. *Onus Niniue, liber visionis Naum.* Quid visio cum onere? Ait Rupert. ibi: *Profectò prophetia hæc aliis onus est damnationis, aliis liber est consolatoriæ visionis.* Nunquam enim calamitas non infert onus damnationis reprobis, & iustis libertatis visionem.

D. Aug. *Amos 9.* *Chrysost.* *Amos 1.* *Hieron.* *Tertull.* *Rupert.*

Exod. 14. Liberauítque Dominus in die illa Israël de manu Ægyptiorum, & viderunt Ægyptios mortuos super litus maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos. Timuítque populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi seruo eius.

Cap. 15. Tunc cecinit Moyses, & filij Israël carmen hoc Domino. Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum, & ascensorem deiecit in mare, &c.

§. XXVIII.

Beneficia diuina superant hominum petitiones, imò & cognitiones.

CLamauerat populus, & Moyses ad Deum, vt ab Ægyptiis insequentibus liberarentur, at Deus & liberauit, & mare diuisit, & viam in mari fecit, & Ægyptios submersit, & submersos, & mortuos, fecit in maris litore apparere: vt inde & plurima spolia aurei ornatus, & validissima arma acciperent Israëlitæ, quibus & se ornarent, & protegerent. Ait textus: *Liberauítque Dominus in die illa Israël de manu Ægyptiorum, & viderunt Ægyptios mortuos super litus maris.* Et quidem corpora suffocatorum non poterant tam citò apparere in litore, nisi Deus illa miraculosè traxerit, vt & ornatus eorum, & arma Israëlitas implerent. Quod notat Lyra, & Iosephus, & Sap. 10. dicitur: *Ideò iusti tulerunt spolia impiorum*, &c. Quid magnificentius? Pro vna liberatione clamabant Israëlitæ? Et Deus eriã dedit illis multa, quæ nec petebant, nec cogitabant, nimirùm quod cadauera hostiũ adnatarẽt litoribus ante tempus, ferentia aureos ornatus, & arma multa, quibus in aliis discriminibus protegerentur. Is equidem est Deus, qui plura tribuat, quàm vel excogitamus, vel petimus. Apud Isaiam c. 38. Ezechias Rex iam moribundus orabat, & flebat pro salute corporis obtinenda, & ait illi prophe. ta ex Dei nomine: *Ecce ego adiiciam super dies tuos quindecim annos, & de manu Regis Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam.* Quid ais, Domine? Ezechias solùm petit ab inferis reuocati in vitam, cur tu, & hæc præstas, & insuper addis illius victorias aduersùs Assyrios, & ciuitatis liberationem? Is est Deus, qui nesciat dare, nisi & det supra id, quod nos postulamus. Ait Hier. ibi: *Adiiciuntur quindecim anni ad vitam, quos non postulauit; & insuper viuente eo, regni securitas repromittitur.* Vincunt beneficia diuina hominum postulationes. Sic dum Zacharias oblitus sterilitatis suæ orabat pro Messiæ aduentu Luc. c. 1. responsum est illi ab Angelo: *Ecce exaudita est oratio tua: & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem: & erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt.* Quid diuinius? Vnum petebat ille populorũ salutare, & præter hoc datur ei filius, & talis filius, cũ quo & parentũ, & aliorũ multorũ gaudia nascantur. Pulchrè ibi D. Amb. *Plena sẽper, & redundãtia sunt diuina beneficia, non exiguo constricta numero, sed vberi bonorum coacerua-ta congestu, vt hîc primò precationis fructus, deinde sterilis partus vxoris, tum lætitia plurimorum, & magnitudo virtutis, altissimi quoque propheta promittitur.* Multis excedunt beneficia diuina vel petentium cogitationes. Quantumvis enim quis largus sit in petendo, profusior est semper Deus in tribuendis donis, qui nunquam non supra petitum multa largiatur. Apud Genes. capite secundo: *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Vbi autem dicitur Deus inspirasse in faciem hominis spiraculum vitæ, concors est & Patrum, & Theologorum sententia ibi debere intelligi creationem animæ rationalis multis supernaturalibus virtutibus, & donis adornatæ; iam enim tunc fulgebat aureo peplo iustitiæ originalis. Sed corpus humanũ ex se,

Sap. 10. *Isa.* 38. *Hier.* *Luc.* 1. *D. Amb.* *Gen.* 2.

& iuxta ſuam naturam nō hæc poſtulabat, ſolùm enim petebat formam,& animam in ſua ſubſtantia naturali. Cur ergo ſupra corporis petitū tot ſupernaturalia dona iuſtitiæ originalis dantur,præcipuè ei,qui omnia illa peſſundabit?Et quæſtionē,& ſolutionem proponit Philo lib. 1.de Alleg.fatus: *Philo.* *Quærat aliquis,cur Deus terrigenam & corpori additam mētem ſpiritu diuino dignatus ſit? Reſpondendum,quod benignus cùm ſit Deus, largitur bona omnibus etiam non perfectis,oſtentans immenſas ſuas diuitias,quòd ſufficiant etiam his , qui non magnam vtilitatem inde capiunt. Quoties enim pluit in mare,fontes producit in locis deſertiſſimis,tenuem, & aſperam ſterilémque terrā rigat inundans fluminibus,quid aliud exhibet,quam nimietatem diuitiarum,benignitatiſque ſuæ.* Neſcit Deus beneficia ſua circinare iuxta petitū,& exigētiam creaturarū, imò etiam plura largitur, & ſuper omne petitū multa ſpargit, ſiue in naturalibus, ſiue in ſupernaturalibus.

§. XXIX.

In aliorum ſupplicio peccatorum ſic homo iudicem cœleſtem in ſuis timeat peccatis tanquam in re iudicata.

VIdent Iſraëlitæ mortuos Ægyptios infeſtiſſimos hoſtes ſuos,& tunc Dominum timent. Ait textus: *Viderunt Ægyptios mortuos ſuper litus maris,& manum magnam , quam exercuerat Dominus contra eos. Timuitque populus Dominum.* Vides Deum animaduertentem in hoſtes tuos,& times ? Cur non magis amas tantum liberatorem? Cur in tuorum hoſtium ruina non magis timorem expellis?Quæ ibi res timoris apparet ? Equidem ſupplicium Ægyptiorum res erat maximi timoris Iſraëlitis toties aduersùs Deum rebellantibus;quando in ſupplicio Ægyptiorum,& ſimul apparebat cauſa eorum iudicata.Crede mihi,cùm videas peccatorem punitum , time & tibi tanquam à re iudicata, ſi fueris in ſimilibus peccatis. De Spiritu ſancto loquutus Ieſus *Ioan. 16.* Ioann. 16.ait : *Cùm venerit ille,arguet mundum de peccato,& de iuſtitia,& de iudicio. De peccato quidem,quia non credunt in me. De iuſtitia verò , quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me. De iudicio autem,quia Princeps huius mundi iam iudicatus eſt.* Expende hanc vltimam damnationem mundi à Deo faciendam , & rationem eius, nimirùm arguet Deus mundum de iudicio: *Quia Princeps huius mundi iam iudicatus eſt.* Et quid intereſt, quod Diabolus damnatus, & iudicatus ſit , ad hoc vt debeat etiam mundus damnari , & iudicari ? Planè quæuis ſententia lata aduersùs vnum peccatorem,non ſolùm illum , ſed & vniuerſos illi ſimiles comprehendit ; in qua omnium poſterorum cauſæ apparent iudicatæ , & damnatæ , vt meritò debeat eadem timeri ab *Rupert.* eis calamitas. Ait Rup.lib. 1.in Naum: *Quomodo ergo de iudicio mundum arguebat,niſi quia mundo videnti,& admirante ſingula draconis capita ita condemnabat , vt in quandam ſimilitudinem iudicandi Principis mundi Pharaonem obrueret mare,canes comederēt Iezabel: Nabuchodonoſor quaſi bos fieret, Aman in patibulo, quod alteri parauerat,ipſe penderet, Antiochus Epiphanes ſine manu intritus periret? Ita nimirùm de iudicio mundus iam tunc arguebatur , quia videns prodigioſas vindictas impiorum ab impietate non recedebat.* Itaque vbi Principem mundi, vbi Pharaonem,Iezabel,Nabuchodonoſorē, Amanum, Antiochum ſpectante mūdo puniebat;iam tunc in illis omnem mundum in impietate manētem damnabat , qui ſub illorum ſententia comprehendebatur. Quiſquis enim videre iudicium ſuum cupit , non expectet venturum iudicē,non finale tribunal, non ſententiam proferendam in vltimo examine.Vertat oculos ad iudicia exercita antiquitùs in mundo;videat Sodomam ſulphureis ardentem flammis , & ſuæ luxuriæ caſdē decretas audiat, videat voratos Abironis factionarios,& caueat ambitionem, tāquam rem iudicatam, & ſimiliter damnatam. Quidquid pœnæ in alios peccatores venerunt,eaſdem tuis flagitiis time,niſi caueas. Et quando quæ ſemel in aliquo damnata crimina ſunt, non ſimilem dānationem oſtendunt in ſequentibus?De Iuda dixit Petrus Act. 1. *Suſpenſus crepuit medius,& diffuſa ſunt omnia viſcera eius.* Sub qua pœna poſteà Arium notat D.Amb. vt eiuſdem criminis reum. Dicit enim *D. Amb.* lib. 1.de Fide cap. 9. *Crepuit Arrius , ſicut de Iuda Petrus Apſtolus dixit,quia in faciem proſtratus crepuit medius, & effuſa ſunt omnia viſcera eius. Non eſt fortuita mors, vbi in ſacrilegio pari pœnæ parile proceſſit exēplum, vt idē ſubirent ſupplicium, qui eundem Dominum negarunt , & qui eundem Dominum prodiderunt.* Expende illud: *Non eſt fortuita mors,* &c. quippe quòd Arrius creperet medius,non fuit mors fortuita,quando iam in ſimilis criminis reo Iuda illa fuerat oſtēſa & decreta. Quæ enim vni impio pœna decernitur , eadem manet ſimiles ſequētes. Huc refer dicta to. 4. in Euan. lib. 16. c. 22. §. 18.

Act. 1.

§. XXX.

Nullo magis claret Dei miniſter, quàm in puniendis proteruis.

VIſis Ægyptiis ſubmerſis,& timent ſibi,& credunt Deo,& Moyſi,quippè ait: *Viderunt Ægyptios mortuos* , &c. *Timuitque populus Dominum , & crediderunt Domino , & Moyſi ſeruo eius.* Expende illud : *Et Moyſi ſeruo eius,* ex tunc enim indubitāter putarunt Moyſem verum Dei ſeruum , & miniſtrum. Caiet. *Moyſem Dei famulum admirantur,& colunt,& Prophetam omnipotētis Dei eſſe perſuaſiſſimum habent.* Et quidem ſapienter ſibi , indubitantérque perſuadent Moyſem Dei famulum , & miniſtrum eſſe , cùm vident per illum tot rebelles, & proteruos peccatores extremæ ruinæ datos. In nullo enim magis claret miniſter Dei, quàm in proteruis peccatoribus exterminandis. De eo , qui vice Dei dominatum exercet locutus Dominus Gen. 1. ait: *Gen. 1.* *Faciamus hominem ad imaginem , & ſimilitudinem noſtram;& præſit piſcibus maris,& volatilibus cœli,& beſtiis terræ,omníque reptili* , &c. Ecce tibi,qui vices Dei agit in creaturis gubernandis , vt iubetur præeſſe piſcibus, animantibus,volucribus, reptilibus. At in piſcibus, in animantibus, in volucribus multa ſunt præſtantiſſima, & ad humanos vſus apta , & quæ clariſſimè referant virtutes humanas.In reptilibus autem nihil non venenoſum, & in viuentium malum inclinatum. Qualiter ergo Dei vices homo aget in regno ? An omnia ſimul, & etiam venenoſa reptilia ducendo ad paſcuam ? Abſit; imò nullo magis ſe Dei vices agere oſtendet,quàm venenoſa,& mala exterminando. Ait Anaſtaſ. Sinait. *An. Sin.* lib. 7.Exam. *Qui dominatur animalibus , & piſcibus , & volucribus iuſſu Dei, dicit Leoni,* veni, *& venit;& aquilæ,* ingredere, *& ingreditur;& Piſci,* appropinqua, *& obedit;& draconi,* pereas, *& ſtatim expirat.* Expende, quid dicat Draconi verus Dei miniſter , & vicarius , nimirum Draconi dicit, *pereas.* Qui cum aliis animantibus blandè egit,blanda,& ſuauia illis verba faciens,Draconi nullum ſuaue verbum, ſed lethale, ſed prorſus exterminans facit. Sic verus Dei miniſter inde claret, quod proteruis peccatoribus ruinam pariat.Quod ten- *Pſ. 2.* debat Pſal 2.de Filio Dei peccatores proteruos conterēte aiens: *Reges eos in virga ferrea,& tanquam vas figuli confringes eos. Et nunc Reges intelligite; erudimini,qui iudicatis terram.Seruite Domino in timore.* Prēmittit Deum conterentē peccatores,& vocat illuc Reges,& iudices terræ,vt inde capiant doctrinam,& intellectum, quibus Deo ſeruiant. Ait enim : *Seruite Domino in timore.* Sed cur Reges,& iudices præcipuè monet,vt Deo ſeruiant ? Nónne hoc cōmune debet eſſe omnibus hominibus? Sanè omnes homines Deo ſeruire debent in timore. Cur ergo maluit id nunc petere ex Regibus? Præmiſerat Dei Filiū pœnas ſumentē de peccatoribus.

in quo non homines alij, sed Reges, & iudices debent se Dei seruos ostendere. Ideo hos præcipuè tunc vo-
D. Aug. cat, vt Domino seruiant. Ex quo aiebat Diu. August. epist. 50. *Quomodo Reges Deo seruiunt in timore, nisi ea, quæ contra Domini iussa fiunt, religiosa seueritate prohibendo, atque plectendo? Aliter enim seruit, qui homo est, aliter, qui etiam Rex est. Quia homo est, ei seruiuit viuendo fideliter, quia vero etiam Rex est, seruit leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes conuenienti vigore sanciendo. Sic seruiuit Ezechias lucos, & templa Deorum destruendo. Sic seruiuit Darius, idolum frangendum in potestatem Danielis dando, & inimicos eius leonibus ingerendo.* In hoc se maximè Dei seruos ostendunt reges, & iudices, si impios, & nefarios homines viuere non cõsentiunt. Hinc Salomonis sanguinolenta regnandi initia eius virtutem commendant. Quippe vix solium
3. Reg. 2. paternum occuparat 3. Reg. 2. & ait: *Viuit Dominus, qui firmauit me, & collocauit me super solium Dauid patris mei, & qui fecit mihi domum, sicut locutus est, quia hodie occidetur Adonias*, &c. Cur non magis parcit fratri
Theod. rex, qui tunc in deliciis erat Deo? Ait Theod. quæst. 7. *Quidam reprehendunt Salomonem, quòd fratrem suum occiderit. Diuersa est hominum vita. Nam alij quidem summam exercent philosophiam; alij virtutem politicam, ac ciuilem; alij regiam, aut imperatoriam. Oportet ergo vnumquemque examinare ex vita, quam sequitur, ratione. Non est itaque à Salomone exigenda prophetica, neque Apostolica perfectio, sed ea, quæ Regi conuenit.* Vt enim Apostolicum est omnibus parcere, sic est regium impios internecioni dedere.

§. XXXI.

A passione, & cruce dominica morum concinnitas in homine apparet.

POst maris rubri transitum Moyses cum Israëlitis in cantica abiit, & carmina. Dicit enim textus: *Tunc cecinit Moyses, & filij Israël carmen hoc Domino.* Itaque Moyses post superatum mare carmen Deo condidit, at
Gen. 8. Noë Gen. 8. post diluuium superatum condidit altare. Sic enim habes ibi: *Ædificauit autem Noë altare Domino*, &c. Et cur similiter Moyses non magis de altari ædificando, quàm de carmine condendo tractauit? Cur non magis amauit altaria, & holocausta de more patrum Deo facere, quàm sine exemplo & carmina, &
D. Prosp. cantica litare? Forsan rationem indigitans D. Prosper. de Promission. par. 1. cap. 38. inquit: *Vindex aqua sacrata verbo, rubrata sanguine, ligno crucis in mysterio virgæ percussa salutem ad Saluatorem venienti ministrauit.* Et quidem de tot passionis, crucísque dominicæ figuris non miror, quod Moyses magis impellatur in carmina; vt ostendat, quàm consonos mores, quantámque in modo viuendi trahat homo ex crucis mysteriis con-
D. Meth. cinnitatem. Quò spectans D. Method. hom. in sanctam cruc. apud Gretserum tom. 2. fatur: *Homo expansis manibus crucem repræsentat. Vnde eà ipsa figura, qua ab origine eum condiderat, ornauerátque, conformatum Dominus Deitate copulauit, vt organum deinceps esset Deo sacrum, omnis dissonantiæ, & inconcinnitatis expers. Neque enim homo, postquam ad Dei cultum informatus est, & veritatis incorruptum veluti cantum concinnauit, ac per illum Deitatis factus est capax, ligno vitæ fidium, neruorúmque instar applicitus ad dissonantiam, & corruptionem potest redire.* Expende illa: *Ligno vitæ fidium, neruorúmque instar applicitus*, &c. quippe homo crucis ligno applicatus fit veluti fides, neruíque, quæ citharæ applicantur, ex quibus nil non numerosum, & concinnum audias. Vt ex ligno, & fidibus instrumentum fit, quod dissonantiam ableget, & consonam, & concinnam melodiam pariat, sic ex cruce, & homine non nisi numero-
Cant. 7. sa morum concinnitas halatur. Vnde Cant. 7. aiebat ille: *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum?* Sunamitidem vocat Synagogam, quæ post passionem, & crucem ad Christum conuersa. In hac ergo, in qua antea tot erant dissonantiæ, post Christi crucem, nil in illa apparet nisi chorus, nisi perfecta morum concinnitas. Id, quod pulchrè põderat Guillielmus Abbas apud Guilliel. Delrium ibi: *Ecce in dies ad te conuertitur Sunamitis. Multum antea à te auersa, cùm super te clamaret: Crucifige, crucifige. Ecce qui sanguinem tuum tam impiè fuderunt, ipsum nunc piè lambunt. Quid ergo videbis in Sunamitide conuersa, atque reuersa, nisi choros castrorum? In Sunamitide auersa tam grande piaculum, in Sunamitide vero conuersa chori, & chori castrorum, chori armati in voce exultationis & confessionis. Suauis quidem, & nilominùs terribilis virtutum concentus. In crucifixoribus tuis, qui iam in se pietate fidei euacuauerunt scandalum crucis, non inuenies in die vltionis reatum illum magnum, sed concentum quemdam virtutum.* Quid pulchrius? Illi ipsi, qui dissonas, & peruersas dabant voces dicentes, *Crucifige*; modò fide percepta, & cruci, passioníque Saluatoris fideliter applicati, nil sciunt resonare nisi suauem virtutum concentum, & concinnitatem. Neque in iis inuenies aliud, quam perfectam morum melodiam, etiamsi velis illos vltimi examinis lucernis scrutari.

§. XXXII.

Absurdum, & turpe est, quod multus sis in carminibus concinnandis, & nullus in concinnandis moribus.

PRo gratiis Deo exhibendis solebant antiqui Patres, altaria, & holocausta facere; vt patet in Abele
Gen. 3. Gen. 3. in Noë Gen. 8. In Abrahamo, Iacobo, & aliis. At qui non holocausta, sed carmina Deo faceret primus sanctorum omnium inuentus est Moyses in præsenti. Dicit enim textus: *Tunc cecinit Moyses*, &c. Cur & primi maluerunt holocausta, quàm carmina Deo facere, & hic maluit carmina, quàm holocausta? Sanè nunc in maris mysterio abolitio vitiorum omnium ostendebatur, virtutúmque triumphus, & ouatio. Nunquam autem tempus aptius fuit condendis carminibus, quàm vbi vitiorum dissonãtia abolita ad virtutum concentum currebatur. Turpissimum namque semper esset, quod studium impenderetur concinnandis carminibus cum in vitium esset distracta tota vita mortalium.
Euseb. Quò spectans Euseb. Cæsariensis in cat. Græca fatur: *Hoc primum cecinerunt canticum filij Israëlis cum sicco pede rubrum mare transiuissent, cúmque insequentes Ægyptios vndis obrutos, & demersos factos simul cum curribus, & equis spectassent.* Nihil Ægyptium, nihil sordidum non demersum, & abolitum videntes, tunc primum cecinere carmen. Absurdum enim fuisset, dum dissoni Ægyptiorum mores in se vigerent, in carminibus condendis, concinnandísque occupari. Ex quo sa-
Aug. pienter Diuus August. epist. 39. monebat Licentium nobilem iuuenem musis deditum: *Si versus tuus momentis inordinatis peruersus esset, si suis legibus non staret, si mensuris imparibus aures auditoris offenderet; puderet te certè, nec differres, nec desisteres, donec ordinares, corrigeres, statueres, æquares versum tuum, discendo, & agendo artem metricam acerrimo studio, & labore quolibet. Quod cùm inordinatus ipse peruerteris, cum legibus Dei tui ipse non stas, neque in agenda vita honestis tuorum votis, & huic ipsi eruditioni tuæ concinnis, abiiciendum post tergum putas, & negligendum, quasi præsono linguæ tuæ sis tibi & voce vilior; & incõpositis moribus quod offendis aures Dei, leuius sit, quàm si incompositis syllabis tuis grãmatica succenseret authoritas.* Quid pulchrius? Sanè turpissimum est, quod multo studio procures ne in carmine tuo, vel syllaba dissonet, & post tergum mittas, negligásque morum apertissimam dissonantiam in vita tua. An minus timendus est syllabarum trutinator rigidus, quàm seuerus operum iudex? An maior gloria in bene ordi-

natis ſyllabis, quàm in conceptu virtutum? Quæ eſt noſtra deſidia, & ſtultitia? Sanè ille veram gloriam attingit; cuius concinnitas in carmine index eſt concinnitatis in vita. Hinc maximè extollit amicum Drepanius epiſt. ad Vulfinum, inquiens:

Annus excurrit reuolutis menſibus orbis
Quod tua vox noſtris auribus inſonuit.
Tam nitidis chartis, tam claris culta figuris
Vt ſpecimen cordis pagina pulchra daret.
Sic liquidas puteus profundit largiter vndas
Et rapidus rapido feruor ab igne ſalit.
Sic rutilus rutilum vomit & carbunculus ignem,
Puráque fert purus vina venuſta calix.
Sed mihi mellifluum rapuit ſors inuida carnem, &c.

Sic pulchris ſimilitudinibus extollit hominem, cuius in carminis concinnitate, & elegantia oſtendebatur, & perſonæ concinnitas, & vitæ claritas. Vt purus calix, qui pura vina oſtentat; vt rutitus carbunculus, qui radios rutilantes iaculat. De pueris Hebræis negantibus adorationem aureæ imagini, & propterea in fornacem
Daniel. 3 eiectis, ait Daniel cap. 3. *Laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deo in fornace, dicentes: Benedictus es, Domine Deus*, &c. Cùm ſic ſe componunt, vt Deo vero ſoli ſeruiant etiam mediis tormentis; tunc metricam oratio-
Theod. nem fundunt ipſi Deo. Vt dicat Theodoret. ibi: *Optimam ſymphoniam ſuam, & admirabilem cantum ei conceptui, qui ſtatuæ adhibebatur, opponentes; ſimúlque oſtendentes, quanto non adoraſſe præſtantius eſſet.* Erant Babyloniis ſymphoniæ, & cantus, quibus adiungebant adorationem imagini aureæ præſtitam. Quid diſſonantius? Quid turpius? Huic turpitudini ſeſe opponunt tres pueri & metricæ cantioni ſuæ, quam fundunt Deo, adhibent ſymphoniam ſuam optimam, nimirùm vitam immaculatam, quæ imagini adorationem neget. Et id præſtantiſſimum eſt, vt vitæ concinnitas reſpondeat cantici verſibus.

§. XXXIII.

Concors multorum laudatio in Deum efficacior, & præſtantior cunctis veteris legis holocauſtis.

ADhuc mirandum eſt, quod Moyſes poſt maris rubri tranſitum non holocauſtis arietum, vt Noë, ſed cantu & voce Deum honorauit. Quippe ait: *Tunc cecinit Moyſes, & filij Iſraël carmen hoc domino.* Et cur non magis obtulit arietes in holocauſta, quàm cecinit carmẽ? Ait textus: *Cecinit Moyſes, & filij Iſraël*; vbi autem concors eſt multorum in Dem laudatio, longè præſtantior eſt, & efficacior cunctis arietum holocau-
Cant. 7. ſtis. Hinc lætabundus ſponſus ait Cant. 7. *Quid videbis in Sunamite niſi choros caſtrorum?* Et quidem Sunamitis hæc nimirùm Synagoga antiquitùs habebat holocauſtorum, hoſtiarúmque ingentem multitudinem, qua ſingulis diebus Deum honorabat. Quorum omnium quaſi immemor ſponſus, dum illam ad ſe conuerſam videt, vnum hoc proponit in ea omnibus mirandum, nimirùm quod choris caſtrorum ſcateat. Et cur in illa non videantur, & agnorum millia, & turturum, & columbarum, & arietum, & vitulorum, & ſuffituum pretioſiſſimorum? Cur iis prætermiſſis chori magis proponantur mirandi. In choro eſt multorum concors laudatio, qua Dei magnalia celebrantur, quæ longè ſuperat vniuerſa animalium holocauſta. Pulchrè in præ-
Rup. ſenti Rupert. ait: *Quid videtis aliud in Sunamite? Nunquid ſanguinem victimarum? Nunquid circunciſionis cauterium? Nihil omnino niſi laudes, niſi cantiones præliantium, prælia laudantium, quod ſuauiſſimum, quod verè eſt pulcherrimum. Igitur hoc ſolum in Euangelio videndum, ac prouidendum eſt ſecundùm fidem Patrum, vt ſint chori caſtrorum, chori in vna fide dicendo idipſum.* Vbi chorus eſt conuenientium in diuina laude, non ibi requiras amplius victimas animalium. Nunquam non efficaciſſima eſt apud Deum multorum concordia in eius laude. Dicebat namque Dominus Ionæ cap. 4. *Ego non parcam Niniue ciuitati meæ magnæ, in qua habitant plures, quam centum millia hominum?* Et templa, & ſacrificia multa erant quotidie in illa ciuitate, quæ minimè reſpexit Deus, ſed ſolum numerum hominum notauit, qui excederet centum myriades. Et quid quòd eſſent tot homines ibi, vt inde Deus illis deberet veniam præſtare? Ait D. Chryſoſt. hom. 3. de incomprehenſibili Dei natura: *Non ſine re amplum populi numerum proponit, ſed vt intelligas plurimum eam pollere orationem, quæ cum conſenſu agitur, & iugi concordia plurium hominum.* Vbi concors eſt plurium oratio, & adoratio, nil ferè eſt, quod non impetretur ex Domino. Sic Danie-
Daniel. 3 lis cap. 3. de pueris miſſis in fornacem ardentem ait: *Tunc hi tres quaſi ex vno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deo in fornace, dicentes: Benedictus*, &c. Circa quæ ait D. Cyprian. de orat. Dom. *Loquebantur*
Cyprian. *quaſi ex vno ore, & idcircò orantibus fuit impetrabilis, & efficax ſermo.* Sic efficacia comitatur plurimorum concordiam in Deo laudando, & in exhibenda oratione.

Ionæ 4.

Chryſoſt.

Daniel. 3

Cyprian.

CAPVT XII.

Amaræ aquæ, & Manna.

POſt Superatum mare Iſraëlitæ læti de triumpho reportato ex Ægyptiis, eorum muniti armis, & ſpoliis diuites, viam adhuc per deſertum Etham arripiunt. Ea erat, non quæ facilis ſe oſtendebat versùs Occaſum, ſed quam præmonſtrabat nubis columna. Inhoſpitalis planè regio propter aquarum penuriam; quæ vt gradientium augebat ſitim, acuebat & bilem, vt malè precarentur duci, à quo trahebantur in eas anguſtias. Cum tertia luce apparuit fons optatiſſimus, ſed qui, vt argentei fluctus ſplendore ad ſe pellicebat aſpicientes; amariſſimo guſtu offendebat potantes. Non defuit diuina munificentia anguſtiatis, cuius beneficio lignum oſtenſum eſt, quod naturali virtute poſſet malitiam curare aquarum, ſi credimus Caietano, & noſtro Cornelio; & addita Dei virtute temporis momento totum illud ſcaturiginis fel in nectara commutauit. Hæc criſis, hoc iudicium fuit Dei, per quæ monſtrauit, vt morbi depellerentur, & veniret hominibus ſalus. Non multum inde progreſſos vberior tenuit ſitus; Elim erat nomen loco, qui duodecim rigatus fontibus, & nemorum vmbras, & ſpontaneos fructus miniſtrat. Illic æſtiua hybernis mixta ſimul aſpicias, & gelidos latices currere, & dactylos in ſeptuaginta palmis niſi locis feruentioribus generari neſcios. Vtinam palmæ ibi plures extitiſſent, quarum fructibus peregrinantium commeatus creſceret, ne citius eſurirent. Iam enim trigeſima egreſſionis dies homines deduxerat in deſertum Sim, vbi annonæ aſportatæ penuria extremam pene deſperationem intulerat. Famis acerbitatem auget memoria ſaturitatis Ægyptiæ, & parum abfuit, quin prorſus deſperarent, poteſtate diuina poſſe in deſerto impleri menſas vacuatas Ægyptiorum cibis.

Largior Dei bonitas Iſraëlitarum fide, quas negabat dapes, ſoli ſterilitas fecit, vt cœlorũ vbertas miniſtret. Videres cadente ſole ingentem cadere intra caſtra coturnicum multitudinem, quæ famelicos exercitus impleat. Et quod mirere magis, oriente luce æthereæ maieſtatis dilabebatur imber, irrorans populo dapes, & copioſas & mellifluas eſcas effundens. Splendebant diuinis ferculis omnia vicina, quæ pigros deludebant, poſt Solis feruorem inuenientes nihil. Impigris autem, & maturè colligentibus ante Solem, voluntati hominum Dei obſecuta natura, in quos amabant vſus, opimi pabuli gratiam deflectebat. Hoc fuit manna illud cantatiſſimum, quod colligebatur in diem, ne aſſeruatum vermes parturiret. In quo tanta erat religio, vt

Sabbathis

Sabbathis diebus nullam sui copiam faceret,totus in cœlestibus occlusus ; adeò vt sexta die accipienda esset duplicata mensura, quæ duobus diebus sufficeret. In vnum enim Sabbathum asseruari sustinebat panis diuinus.

PARS VNICA.

Moralis circa textus literam.

AD huius textus literam accedentibus non metuendus labor,quando tot diuinæ magnificentiæ exundant scaturigines,quæ & sitibundos impleant, & famelicos cœlesti pane reficiant.

Exod. 15.Egressi sunt in desertum Sur : ambulauerúntque tribus diebus per solitudinem, & non inueniebant aquam. Et venerunt in Mara,nec poterant bibere aquas de Mara,eo quod essent amaræ,vnde & congruum loco nomen imposuit,vocans illum Mara,id est, amaritudinem.

§. I.

In mundi abnegatione præstantissima hominis fortitudo.

QVod in præsenti vocatur desertum Sur,in Num. cap. 33. vocatur desertum Etham, quippe ait: *Transierunt per medium mare in solitudinem, & ambulantes tribus diebus per desertum Etham castra metati sunt in Mara.* Est ergo desertum Sur idem , quod Etham,& meritò Etham, quod interpretatur fortitudo , egressos ab Ægypto excipit,magna enim hominis
Hieron. est fortitudo,quod se mundo eximat. Ait D.Hier.epist. ad Fabiolam de mansionibus Israëlitarum : *Etham nobis sonat fortitudo,atque perfectio,de qua,& Dauid canit. Tu dirupisti fluuios Etham,id est fortes:Grandis est fortitudo Ægyptum dimittere, & in extrema solitudine commorari.* Ecce tibi filiorum Dei fortitudo, in quo maximè apparet,nimirùm in eo, quod quis Ægyptum dimittat,mundiales tenebras fugiat, & in remotiori loco à curis sæculi libero mansionem faciat. Sunt equidem multi , qui renuant hanc mansionem solitudinis, magis amantes peregrinari in mundo , & longas vias arripere , vt sanctitatum osculentur limina. Sunt qui multa peragant virtutum opera,dum liceat mundanis bonis & penitùs hærere,& incumbere. Iis non multa est fortitudo , sed infirmitas , & cadendi periculum. Multi fuerunt Abel,& Cain in religione; vterque obtulit Deo munera. Sed Cain in muneribus concidit.
Gen. 4. Et ait illi Dominus Gen. 4. iuxta cantatissimam apud Patres lectionem Septuag. *Si rectè offeras , & non rectè diuidas, peccasti.* In quo non rectè diuisit ? Equidem in muneribus oblatis adhuc de mundo potiora retinebat sibi. Inde cecidit , inde periculum æterni casus incurrit. Hoc amabat princeps fœmina, quæ vocata à Deo, & metuens mundiales principatus exuere,eligebat militare Christo , dum eius passionis loca inuiseret. Sed repentè mutato consilio dimittens mundum,monasti-
Hildeb. cam disciplinam fuit secuta. Huic scribens Hildebertus Cœnoman. epist: 63. inquit : *Et quidem ego credidi alia via filiam Abrahæ de Ægypto egressuram : sed filia Abrahæ compendiosiorem viam elegit. Credidi enim te desiderio desiderare sepulcrum Saluatoris inuisere,& nostræ redemptionis officinas obsequio venerari christiano. Sciebã, quod in eo rectè offerres,sed ne rectè diuideres, dubitabam. Tu autem & rectè obtulisti:quia pro Christo omnia reliquisti:rectè etiam diuisisti , quia Christum sepultum , quàm Christi sepulcrum sequi maluisti. Porro salutis hæc,& plena consilij diuisio,vt enim efficiamur discipuli Christi,baiulare monemur ipsius crucem,non quærere sepulturam.* Nil dici potuit pulchrius, vt ostenderetur , quam omnem peregrinationem superet mansio in solitudine,in religiosa disciplina,in qua mundialia omnia perfectè abiiciuntur. Sanè magnum est,quod quis sepulcrũ Christi inuisat,sed longè maius,ac præstantius , quod relicto sæculo instar Iesu sepulti intra religionis septa se contineat. In multis virtutum operibus bona est oblatio,sed si adhuc mundialibus bonis inhias,fortè nõ est bona diuisio:saltem est ad cadendum infirmitas. Huc tendit perfectio,& fortitudo eius,qui amat fieri Christi discipulus,nimirùm vt magis abnegationem mundi instar crucis sustineat,quàm currat adorare loca sepulturæ. Cùm huc peruenio , me rapit memoria primorum patrum Societatis Iesu. Ij vno cum Ignatio animo decernunt Parisiis peregrinationem Ierosolymitanam,vt redemptionis officinas obsequio venerarentur Christiano. Iam omnes peruenerant Venetiam, sed integro anno ibi manentibus,& expeditionem expectantibus,nunquam licuit per tempora , per maria, per Turcas,per innumera alia impedimenta sese committere peregrinationi tantæ. Quid agis, ô Deus , cur cupientibus tuæ passionis loca venerari tot obices ponis , imò penitùs intercludis aditus? Cur non magis viam paras ad te festinãtibus?Maius quid ab illis cupiebat Deus , vt nimirùm desperati à Ierosolymitana peregrinatione,ad maiora conuersi,mundialia omnia reliquerent,& sub religionis votis Deo se traderent. Vt magis Christum sepultum,quàm eius sepulcrum sequi mallent. Vt crucem magis baiularent,mundum abnegantes,quàm sepulturam eius tractarent. Quod si discipulis Christi nec vacat quærere officinas redemptionis humanæ,quomodo vacabit adhuc quærere has resculas mundiales?Si vetaris ire ad sepulcrum,vt magis in solitudine vaces mundo abnegando ; quomodo permitteris ire,vt ambias honores mundi,& eius vanitates?Hoc equidem peruersissimum esset,& dæmoniacum in religioso Dei famulo. Matth.4. Diabolus duxit *Matt. 4.* Iesum in montem excelsum , & ostendit ei omnia regna mundi, quibus ostensis , & propositis ob oculos Saluatoris,ait: *Hæc omnia tibi dabo , si procidens adoraueris me.* Quid magis peruersum,& diabolicum? Ait pulchrè Sedulius lib.2.Paschali. *Sedul.*

Quantum peruersus,tantum peruersa locutus,
Scilicet,vt fragilis regni affectaret honores,
Qui populis æterna parat.

Equidem hoc vnum suppar est diabolicæ peruersitati, quod qui & sibi, & populis æterna parat , in eáque est mensione,vbi vni deseruitur æternitati , adhuc fragilis regni affectet honores , & micas procuret indagare. Conueniant huc religiosi viri , quorum est & sibi , & populis parare æternitatem,& noscant , quàm peruersum,quàm diabolicum sit,vt ij fragilis regni affectent honores , & lucris inhient temporalibus.

§. II.

Qui à creaturis venit fauor,quàm cito mutatur.

QVæ aquæ in mari rubro sic propitiæ,sic fauorabiles fuerunt Israëlitis , vt illis vitam seruarent , & offerrent incolumitatem , paruo temporis tractu non nisi amaritudines,& mortem eisdem propinabant.Dicit textus: *Ambulauerunt tribus diebus per solitudinem, & non inueniebant aquam. Et venerunt in Mara , nec poterant bibere aquas de Mara,eo quod essent amaræ.* Vix à mari rubro discedunt,& in angustias coniiciuntur,& propter penuriam,& propter amarorem aquarum. Et cur primum malum,quod experiuntur post transitum maris rubri fuit in natura aquarum ? Cur voluit Deus vt primas sentirent sibi malas aquas post mare superatum ? Vt ostenderetur, quàm citò mutatur fauor , qui in creaturarum naturis fundatur , quæ enim aquæ in mari propitiæ fuerunt,statim in doloris,& occasionem anxietatis apparuerunt muratæ. Heu miserum ! cuius fortuna consistat in affectibus,& fauoribus creaturarũ;

quam

quàm primum enim in exitium vadet. Cantatissimus ille Macron fuit, qui Caium euexit ad imperium Romanum tam sua ipsius in Caium indole, quam vxoris solicitudine, quæ secreto vehementer amabatur à Caio. Viderunt ergo & Macron, & vxor suum Caium in regno, eiúsque fauoribus maximè efferebantur, sed quantum durauit Imperatoris deuinctissimi fauor? Ait Philo in legat. ad Caium: *Certè Macro, qui sedulo ambitione magna, parique conatu dedit operam primum vt seruaret Caium, deinde vt imperium soli adstrueret, talem mercedem retulit. Fertur enim miser coactus seipsum interficere, vxor quoque habuisse eundem exitum, quamuis putaretur à Cæsare constuprata. Sed negant in amore firmum præsidiũ.* Expende hoc & certissimè, & sapiẽtissimè pronuntiatum, nimirùm: *Negant in amore firmum præsidiũ*; quippè stultus est, qui aliquid firmum sperat in amore, & fauore creaturarum. Balaam desperans se posse nocere Israëlitis dixit ad Regem Balaacum Num. 24. *Pergens ad populum meum dabo tibi consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.* Et licèt in præsenti non exprimat nefarius homo consilium suũ, tamen illud notissimum fuit ex Regis facto, nimirùm quod præmitteret pulchras puellas, quæ animos Israëlitarum expugnarent, eorúmque tenerent voluntates, & gratiam. Sed præstat totum hoc referre Iosephi verbis aientis lib. 4. antiquit. cap. 7. *Quapropter, ait Balaam, si breuem victoriam de illis consequi quæritis, hoc consilio voti, compotes efficiam. Filiarum formosissimas, quæ pulchritudine sua mẽtes eorum expugnare possint, cultas, ac ornatas mittite.* Itáque præmittendæ erant pulchræ puellæ, quæ voluntates Hebræorum caperent, & gratiam raperent, dúmque sic captos haberent, de illis victoriam reportarent. At expende, quam hoc astu illis victoriam repromittat, nimirùm ait: *Si vultis breuem victoriam consequi.* Non ausus est nequam homo diuturnam, longámque victoriam permittere, sed breuem, sed horariam. Et cur solam breuem, & horariam proponit? Consistebat hæc in eo, quod fauor, & gratia, & voluntas Israëlitarum à puellis caperetur, quod autem in creaturarum gratia, & fauore, & affectu fundatur, nec mendacissimus homo potuit asserere non esse breue, & horarium. Inde enim aliquid non creatum, sed diuinum certius creditur, quod sciatur in beneficentia, & fauore durare. Hinc Iesu post resurrectionem suam ostendens discipulis suam diuinitatem: *Insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritũ sanctum.* Et quid habet hæc insufflatio cum ostensione diuinitatis? Vbi enim in principio Deus hominem creans Gen. 2. *Inspirauit in eum spiraculum vitæ*; nullo clariùs ostenderetur Iesus Deus idem, quàm si post tot casus, post tot discrimina rerum adhuc homines ab illo, eodem modo in vitam afflabantur. Ait D. Cyr. Alex. lib. 12. in Ioann cap. 5. *Deus pater per proprium verbum de limo terræ hominem formauit, anima decorauit, & sui spiritus participatione muniuit. insufflauit enim in faciem eius spiraculum vitæ, vt ergo Iesum ipsum esse dicamus, qui ab initio naturam nostram creauit, & Spiritu sancto signauit, rursus in ipso initio renouationis naturæ sufflatione spiritũ discipulis largitur.* Et quomodo non credatur ille Deus hominis creator esse, in quo tandiu eadem fauoris, & gratiæ aspiratio in homines perseuerabat? Proh quam nunquam post primam aspiraret homines aura fauorabilis, si ea in creaturis, non in Deo fuisset fundata? Vidi Exod. 3. rubum spinosum, à quo fauor in miseros captiuos promittebatur. Ait enim: *Apparuitque Dominus in flamma ignis de medio rubi*, &c. Sed & post multa sæcula cum generis humani redemptio à diabolica captiuitate agebatur, iterum spinosa planta assumitur à seruatore generis humani. Sic Matth. 27. *Plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius.* Ecce tibi captiuorum redemptio semper à spinosa planta tractatur. Et vnde spina non semel, sed & iterum post tot sæcula adest Redemptori hominum. Non equidem id spina ex se habuit, vt tandiu in hominum bono duraret; sed ex Deo, cuius solius potentiæ erat, quod salus generis humani agebatur. Ait Clem. Alex. lib. 2. Pædag. cap. 8. *cum Dominus vniuersorum cœpit per verbum legem ferre, & Moysi suam omnipotentiam voluit manifestare, diuina illi visio ostenditur formatæ lucis in rubo ardenti: spinosa autem planta est rubus. Hinc illuc vbi descenderat abiens, veteris descensus principium instaurans, ac de integro veluti caput redigens, vt quod primum per rubum visum fuerat verbum, per spinam rursus assumptam ostenderet omnia esse vnius potentiæ, cùm sit vnius patris Filius.* Vbi antiquitiùs rubus interfuit Israëlitarum liberationi, & iterum spinosa planta in fine super Redemptoris nostri caput visebatur; clariùs ostendebatur vnius semper diuinæ potentiæ fuisse opus, quod redemptio hominis per spinas constaret. Vnde sapienter Psal. 36. dicit: *Salus autem iustorum à Domino.* Siue ex Græco: *Salus autem iustorum apud Donum.* Circa quæ ait Orig. hom. 1. in Psal. *Non dixit, in cœlo salus iustorum, & hoc etiam præterit; non apud aliquam creaturam, quia nihil immobile, vel immutabile: sed apud Dominum salus est iustorum, qui semper manat, semper idem est.* Sic ibi.

Philo. Num. 24 Ioseph 4. Exod. 3. Matt. 27 Cyr. Ale Clem. Ale. Psal 36. Orig.

§. III.

Id solet homini promptius esse, quod magis conuenit cum eius affectibus prauis.

POst mare rubrum superatum nil illis sitientibus prius ad manus venit, quàm amarissima aqua. Dicit námque textus: *Non inueniebant aquam. Et venerunt in Marath, nec poterant bibere aquas de Marath, eo quod essent amaræ.* Ab Angelo per columnam ducti illo trahebantur, vbi amarissimæ, & prorsùs reiiciendæ erant aquæ. Cùm primum enim ad os applicabant aquas, earum amarorem non ferentes, illas repellebant. Sed cur Angelicus ductor eos per illam viam ducebat, in qua nihil prius inuenirent, quàm amaras aquas, vel à sitientibus reiiciendas? Sanè hæc est conditio miserorum hominum, quod nihil illis prius occurrat, quàm id, quod eorum magis conuenit prauitati. Vt enim ij amaritudine pleni reiiciendi erant, sic illis in primis obueniunt amaræ, & reiiciendæ aquæ. Sic suprà Exod. 12. dum paschalis mensa illis paratur, dicit: *Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis aggrestibus.* Chaldæus ponit: *Cum amaris herbis.* Ex Hebræo alij: *Cum amaritudinibus.* Sed cur profecturis vbi ex in composito cœna festinata paratur, amarissimæ herbæ dantur? Ait D. Zeno lib. 3. serm. 44. *Viles agnos cum amaritudine homines amari manducant.* Obueniũt equidem hominibus promptiùs ea, quæ eorum correspondeant affectibus iniquis. Cùm hominum Saluator Iesus cruci esset suffixus, vehementissimámque sitim ostenderet, ait Matth. c. 27. *Et continuò currens vnus ex eis acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere.* Quid crudelius? Cur homo non magis misereris sitientis moribundi? Cur magis tibi fuit acetũ promptum, quàm aqua vt Dominum maiestatis reficeres? Respondebat acetum Iudaicæ malitiæ; Ideò promptius illis, quàm alius liquor tali in discrimine occurrit. Pulchrè aiebat Sedulius lib. 5. Pasch. cap. 18. *Vnus de plebe sæuissima spongiam calamo nexuit, & acetum eius ori porrexit. O quam Iudæorum menti nequissimæ liquor fuit ille conueniens! Sicut vina suauia cum fuerint in acetum triste conuersa cunctis à mensarum poculis repulsa iactantur. Ita gens ista feralis, & impia, quæ priscis temporibus Deo placuerat, nunc odibilis, ac nimis est execranda.* Congruebat acetum Iudæorum malitiæ, ideò sitienti Saluatori nil prius inuenit, quod offerret, quàm id, quod sibi Iudæa sciebat conueniens.

Exod. 12. Matt. 27 Sedul.

Exod. 15. Et murmurauit populus contra Moysem, dicens: Quid bibemus? At ille clamauit ad Dominum, qui ostendit ei lignum. Quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. Ibi constituit ei præcepta, atque iudicia, & ibi tentauit eumdicens. Si audieris vocem Domini,&c.

§. IV.

Vbi Christi passionis medicamentum apponitur, nec vestigium linquitur pristinæ infirmitatis.

LIgnum immissum aquis eas in dulcedinem conuertit; ait enim: *Quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt.* Expende in quod aquæ amaræ conuertantur nimirùm, *in dulcedinem*: communius dici possent aquæ amaræ conuersæ fuisse in dulces, cur ergo non in dulces, sed in dulcedinem cõuersæ notãtur? Maluit ostendere textus perfectam sic fuisse istam conuersionem aquarum, vt nec subiectum amaroris pristini, nec vestigium remaneret, sed apparerent ipsissima dulcedo factæ. Ait Philo in præsenti: *Ostendit lignum, quod sublatum iussit in fontes immitti. Quod vbi factum est, fontes dulcedinem acceperant, vt essent potabiles, ac si nunquã antea amari quicquam habuissent, adeò nullum relictum fuerat vestigium vitij pristini.* Quanta medicamenti efficacia? Meritò ibi sancti omnes agnoscunt salutem à Christi cruce mundo inuectam: ex quo enim Christi lignum in terris apparuit, sic natura humana sanata est, vt in multis quasi nunquam esset infirma, & sauciata appareat. Id, quod alio etiam exemplo celebrabat Psal. 106. *Eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis: vincula eorum disrupit. Confiteantur Domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filiis hominum. Quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Expende illa, nimirùm: *Disrupit vincula, contriuit portas, confregit vectes*, non enim opus erat tanta confractione vinculorum vt captiui educeremur. Posset sine confractione, & vincula, & vectes, & portas aperire, & sic nullus esset, qui constrictus remaneret, sed omnes libertatem accepissemus. Cur non aperire maluit, sed prorsus conterere, & vincula, & portas, & vectes? Erat aliquando Iosephus Iudæus, & vinctus, & catenatus apud Romanos, quem Vespesianus Imperator iussit vinculis omnibus absolui. Afferebantur claues, vt vinculorum vectes aperirentur. Tunc Titus iussit claues remoueri, adhiberi securim, qua vincula cõfrigerentur. Qua ratione curabat bonus Princeps nõ solum hominem vinculis liberare, sed ita liberare, vt nec vestigiũ pristinæ seruitutis manere posset. Ait Egesipp. lib. 4. de Excid. Ierosol. c. 28. *Illic Iosephus solui præceptus vinculis iussu Imperatoris, adiuit Titus, vt frangerentur potius, quàm soluerentur catenæ. Quod si fragerentur, ita esset, quasi non fuisset ligatus.* Fractione itaque catenarum non solum liberatio ostẽditur, sed & seruitutis pristinæ memoria abraditur, & sic manet liber, quasi nunquam fuerit aliter habitus. Bene ergo Saluator noster abrupit vincula, non soluit, contriuit vectes, portásque non aperuit, vt intelligatur sic nostra seruitus abrasa, quasi nulla fuerit antea. Et quidem nullum vestigium mansit in nobis seruitutis pristinæ, vbi accessimus ad Christum. Sic 3. Reg. 10. dicitur: *Sed & Regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini venit tentare eum*, &c. Intelligitur sub huius reginæ typo Ecclesia gentium. Sed quando gentium Ecclesia erat non regina, sed ancilla Satanæ, quomodo vocatur modò regina? Eo ipso quod accessit ad Christum, & Christus accessit ad illam, sic exuit pristinam seruitutem, vt nihil non regium in illa rutilet. Ait Rup. lib. 4. in lib. Reg. *Actum est, vt veniret ad Regem istum regina Saba, id est, dives, & insignis de gentibus Ecclesia, non quia prius regina erat, quippè quæ Dæmonum potius erat ancilla, sed quia veniendo ad Christum regina facta est, credendo in Christum regio diademate coronata est, ornata bonorum operum vestibus auratis, cunctarúmque virtutum lapidibus pretiosis, quemadmodum de illa in Psalmo Spiritus sanctus dicit: Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato*, &c. Sic vbi iuncta est Christo, à latereque eius lancea aperto sterit, omnem seruitutis memoriam abiecit, & sic apparuit, quasi nunquam ancilla fuisset, sed à ipso ortu regium splendorem seruauisset.

Philo. *Psal.* 106 *Egesipp.* 1. *Reg.* 10 *Rupert.*

§. V.

Passio Christi festinatissimum remedium salutis.

VT primum immissum est lignum in aquas, ipsæ in dulcedinem versæ sunt; sic enim dicit: *Quod cùm immisissent in aquas, in dulcedinem versæ sunt.* Tam properè dulces factæ sunt aquæ immisso ligno, vt meritò neget Abbulensis posse hanc conuersionem naturali virtuti attribui. Quippè ait q. 8. in fine: *Hoc repentè factum est, scilicet immediatè vt lignum fuit missum, sed naturali actioni conueniens non est repentè fieri.* Quãdo ergo ex vi naturæ non habuit lignum, vt tam properè aquis sanitatem tribueret? vnde id valuit efficere? Vnde lignum habuit, quod tam citò amaritudinem in dulcedinem commutaret? Ait Theodor. in cat. Græca: *Hoc factum nostram salutem prædicit. Nam, & saluberrimo ligno crucis amarum gentium pelagus dulcedinem cum tristitia commutauit.* Ex eo, quod sumebatur lignum illud ad ostendendam hominum salutem ligno crucis causandam, in eam virtutem diuinitùs afferebatur, qua festinatissimè amarorem aquæ in dulcedinem cõmutaret. Hoc enim crucis, passionísque dominicæ propriissimum est, quod festinatissimè fauet. Cùm primum Iesus passurus limen profani iudicis ingressus est, statim ante omnia quæstio cœpit agitari, vter liber euaderet Iesus, an latro insignis nomine Barrabbas. Ait namque Matth. c. 27. *Congregatis autem illis dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis, Barrabbam, an Iesum, qui dicitur Christus?* Hæc erat quæstio apud Iudicem in primo Iesu passuri ingressu, nec diu hæsit anceps, nam solicitata turba à Principibus petiit Barrabbæ salutem, & illis petentibus Barrabbas soluebatur. Et cur Deus cùm filius innocentissimus tuus morti tradendus adstat, sic factũ est, vt pernicios̃us latro in vitam petatur? Cur non magis, & cum Iesu manet in vinculis latro? Debebatur iam hoc passuro Domino ne perditorum hominum detineretur salus; sed cùm primum Iesus prætorium iudicis ierit, statim homo liberatus appareat. Quò spectans D. Athan. orat. in Parasceue apud Grethserum to. 2. fatur: *O res miras, præterque omnem opinionem! Subit mortis sententiam Christus; & statim Barrabas absoluitur. In ipso protinus initio condemnationis crux liberationem largitur: Non enim mihi in Iudæorum crudelitatem respice, nec quod benefactorem suum condemnarunt, maiorem homicidæ rationem habentes: sed id potius intuere, quod condemnationis ingressus liberationis condemnatorũ quidam ingressus fuit.* Non moras facit Christus patiens in saluandis hominibus, vbi passionis limina attigit, statim sine mora peccator accipit & solutionem vinculorum, & salutẽ. In ipso initio crux liberationẽ largitur. Vix crucem ascẽderat Dominus Luc. 23. & ait latroni: *Hodie mecum eris in paradiso.* Quid festinatius? In cruce apparet, & iam donat paradisum. Ait Chrys. hom. de diuite: *Et crux, & statim paradisus.* Non dilationem nouit Christi crux, sed statim largitur liberationem. Mirabar Magdalenam paulò ante peccatricem tam citò ad eam peruenisse puritatem, vt auderet Saluatoris caput vnguẽtis pretiosis rigare Matt. 26. *Habens alabastrum vnguẽti pretiosi, & effudit super caput ipsius.* Quæ præ mole peccatorum vix antea ad pedes iacebat, iam audet in Saluatoris caput. Vnde tã citò ad tãtam puritatem cõualuit? Ait ipse Dominus: *Mittẽs hæc vnguentũ in corpus meum ad sepeliẽdum me fecit.* Erat iã præ oculis Christi

Theod. *Luc.* 23. *Matt.* 26

passio, iam in corde Iudæ eius venditio tractabatur, ante hæc omnia non miror, quod vel instãtaneam acciperet
Chrysost. mulier sanctitatem. Ait Chrysost. hom. de Iudæ Prodit. *Ante proditionis tempus, ante traditionis horam, accessit meretrix vas alabastri manibus portans, & vnguentum domini supra caput effudit. Mirandam correctionem ostendit. Paulò ante meretrix subito pudica processit.* Accessit ante instantem passionem, quando iam coram erat totum proditionis negotium, & quo accepit, quod subito sancta', & pudica fieret. Sic festinati nouit Christi passio suos salutis thesauros ostendere. Huc trahe dict. 1. tom. in Euang. lib. 4. c. 4. §. 25.

§. VI.

Vnus Deus nouit ingratis hominibus bona tribuere.

ERat Moysi virga, qua multa signa patrarat, & aquas maris diuiserat; vbi autẽ aquarum amaritudo tollenda erat, non committitur id negotium virgæ Moysis, sed aliunde ostensum à Deo lignum præfertur. Accipe rem totam: *Murmurauit populus contra Moysem, dicens: Quid bibemus? Qui clamauit ad Dominum, qui ostendit ei lignum*, &c. Et cur non magis virgæ Moysis committitur munus istud? Quando Moyses virgam habebat ligneam, qua tanta patrabat, cur necessum fuit, vt aliud lignum ostenderetur à Deo, quod aquas verteret in dulcedinem? Rationem inuenies, dum ponderes illa verba, nimirùm: *Murmurauit populus*, &c. Quibus iuxta Caietanum peruersissimæ nationis ingratitudo ostenditur, toties diuinam beneficentiam expertæ, & toties diuinam beneficentiam obliuiscentis. Vbi autem tam ingratæ nationi parabatur refrigerium; non Moysi, nõ virgę eius committitur res, sed Deus per se prouidet, & ostendit lignum, quo aquæ curentur, solius enim Dei est ingratis hominibus beneficia impendere. De Isaaci
Gen. 33. conceptione agens Gen. 33. ait: *Visitauit dominus Saram, sicut promiserat, & impleuit, quæ locutus est, concepitque*, &c. Ecce tibi quàm attentus, & immediatus ostenditur Deus fuisse in hoc Isaaci conceptu. Sanè & Abrahamo natus fuerat alius filius, nempe Israël, cuius conceptus relictus fuerat ordini naturæ, & causis secundis, nec de aliqua peculiari Dei assistentia mentio fit. Cur in præsenti Isaaci cõceptum maluit sibi Deus totum attribuere? Figurabatur in Isaaco Dei Filius & datus, & natus hominibus ingratissimis, vbi autem beneficium dandũ ingratis exprimitur, non permittendum erat naturę, sed immediatè tractandum erat per potentiam diuinam.
Eucher. Ait Eucherius lib. 2. in Gen. cap. 21. *Ismael, & Isaac vterque quidem de semine Abrahæ, sed illum genuit consuetudo naturæ? hunc verò dedit promissio significans gratiam. Ibi humanus vsus ostenditur, hic diuinum beneficium commendatur. Sed vbi significandum fuerat Dei donum, quod ingratis hominibus gratis gratia largiretur, sic oportuit filium dari, quemadmodum naturæ non debebatur excursus.* Nullum sperent beneficium ingrati per consuetos calles naturæ; solus est Deus, qui pet se ipsum norit agere, & tractare ingratorum salutem. Vbi peculiaris, & extraordinaria Dei prouidentia, & virtus per se non assistit, vix fieri poterit, vt ingratus viuat. Et quis non Deus ingratos sustineat, illisque largiatur beneficia. Dei Filio Dei
1. Cor. 11 ait Paul. 1. ad Cor. 11. *Accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit*, &c. Itaque inter frangendum panem gratias agebat. Et cur inter frangendum gratias egit? Ait
Theoph. Theophyl. in cap. 26. Matth. *Gratias quoque agit fracturus panem, vt ostendat se cum gratitudine fractionem sui corporis, hoc est, occisionem suscipere.* Quid diuinius? Gratias refert ijs, qui ingratissimi illi mortem parabant. Non equidem hoc natura, sed Deus faceret:

§. VII.

In cultu dominicæ crucis minori diligentia, & dispendio salutem obtinemus.

DE solo immisso ligno in aquas amaras tota illarum amaritudo expuncta est, & versæ sunt in dulcedinem. Sic enim dicit: *Quod cùm immisisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt.* Charius Elisæus amaritudinem fugauit aquarum, qui vbi pessimas aquas, & steriles nouit apud Iericho, ait 4. Reg. 2. *Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud sal. Quod cùm attulissent, egressus ad fontem aquarum misit in illum sal, & ait: Hæc dicit Dominus: Sanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque sterilitas. Sanatæ sunt ergo aquæ*, &c. Compone modò vtrasque has sanationes aquarum inter se. Vtrobique sanantur aquæ, & sub Moyse, & sub Elisæo; at sub Moyse sine vllis verbis, sine vlla benedictione, sine vlla diligentia, hoc solum, quod lignum immittitur aquis, ibi integrũ manet, & aquæ sanantur, & populi refrigerium capiunt. At sub Elisæo plura fiunt, nec populus capit aquas sanas, antequam vas nouũ apponat, insuper & sal addat; rursus Elisæus loquitur, & mittit sal in aquas, in quas sal dispergitur, & sic aquæ sanantur. Et cur cùm sub Elisæo post tanta, & post dispendiũ salis curantur aquæ; sub Moyse nihil aliud fit, præterquam quod lignũ mittitur in aquas? Cur ibi nisi tot præmissis, & dispendio salis, non indulcantur aquæ, in præsenti autem, absque vllo dispendio, de solo ligni tactu habent populi aquas salutares? Equidem in ligni tactu ostendebatur dominicæ passionis, & crucis virtus, & efficacia, vt concors est sententia Patrum, in passionis autem, & crucis cultu facilius, & pene absque vllo dispendio pretij obtinentur salutes, & gratiæ. Habes clarissimum rei exemplum Luc. cap. 23. vbi crucifixus latro, vbi vidit Iesum etiam crucifixum vnum verbum facit, aiens: *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* Hoc solum dixit latro, & statim Dominus: *Hodie mecum eris in paradiso.* Ecce tibi vno verbulo latro comparat æternam fœlicitatem, quam alij longis orationibus, & ieiunijs, & virtutibus multis ægrè, & difficulter possunt cõparare. Et cur latro tam vili pretio comparat, quæ alij emunt charè?
Chrysost. Accipe D. Chrysost. pulcherrimè in rem præsentem fantem hom. de cruce, & latronem: *Introiuit latro de cruce mercans salutem. Iste latro de ligno mercatur salutem, furatur cœleste imperium.* Quid pulchrius. Expende illud: *De cruce mercatur.* Sunt equidem in mundiali foro artifices rerum venalium, à quibus alij mercatores emunt, & ab istis alij, quo fit, vt qui emit à secundis, aut tertiis mercatoribus chariori pretio sibi necessaria comparet, quàm si illa à primis artificibus compararet. Vndæ, qui velit non charo pretio, sed vili rem mercari, non ad alios mercatores, sed ad primos artifices vadit, à quibus sæpe adeò vili pretio rem obtinet, vt illam surripuisse videatur. Sic in re spirituali crux, & passio dominica sunt primi artifices omnium gratiarũ, quidquid & Angeli, & sancti, & omnia alia virtutum media habent, inde habent. Quare si ad alia media refugis pro obtinenda gratia, iam refugis ad secundos emptores, ne miteris, quòd charius rẽ habeas. Fœlix latro non ad alios, sed ad primos artifices, nimirùm ad crucem confugit, & de cruce adeò paruo pretio salutem mercatus est, vt illam surripuisse videatur. Vt dicat
Chrysost. Chrysost. *Iste latro de cruce mercatur salutem, furatur cœleste imperium.* Fœlix, qui de passione, de cruce Domini, hoc est, in horum cultu, & sequela salutem sibi comparat, fallar, nisi paruis illam habeat. Si de abstinentia, si de psalmodia, si de similibus alijs salutem comparare volueris, sanè multis ieiunijs, multis macerationum exercitijs eges; at de vnius passionis dominicæ cultu plura hauris. Dicitur namque in Roseto Spiritualum exercitiorum tit. 22. cap. 1. ex Alberto Magno, quod simplex passionis meditatio plura bona obtineat, quàm ieiunia, psalmodiæ, & corporales aliæ

aliæ macerationes per integrum annum peractæ. Quò crediderim respexisse Isaiam fantem cap. 12. *Haurietis* Isa. 12. *aquas cum gaudio de fontibus Saluatoris.* Proponit enim nobis Christi vulnera, & passiones quasi quosdam patentissimos fontes, vt ab illius vulneribus, sic salutem habeamus, vt aqua haberi solet à patenti fonte. Quid vilius aqua? Qui liquor stat minori? De vulnerum ergo Iesu cultu, & religiosa deuotione, non multis laboribus, sed vel simplici meditatione salutem acquirimus. Vnde dicebat Psal. 37. *Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem.* Alij legunt: *Miserius afflictus, & curuatus sum vsque in finem.* Sanè multas miserias, & afflictiones, & dolores, & sudores pro salute emenda sustinebat, vsq; dum veniret in finem. Et qui finis inuentus est, in quem perueniens non multis egeat afflictionibus, & doloribus, vt in salutem eat? Is finis Christus est mortuus, & passus pro nobis, de cuius mortis affectuosa, & iugi meditatione habent homines, quòd sicut aquam bibant salutem, etiam sine multo impendio corporalium afflictionum. Ait D. Amb. ibi: *Curuatus sum vsque in finem. Vsque in quem finem? Vsque ad Christum, qui finis legis est, qui sè passus est verberari, passus est corpus suum mortuum vulnerari. Deniq; non tabes mortis de vulnere eius, sed fons vitæ scaturiuit aternæ, vt Scriptura nos docet, dicens: Et saliet aqua cum delectatione de fontibus Saluatoris. Exiliuit ergo de vulnere aqua, vt nos biberemus.* O quanto compendio salutem obtinet, qui dominicæ passionis cultui operam impendit! Fallar, nisi de Christi vulneribus salutem, vt aquam metat.

Psal. 37

D. Amb.

§. VIII.

Post crucem dominicam vel mortis amaritudo fugatur.

IMmittitur lignum in fluctus amaros, & aquæ *in dulcedinem versæ sunt.* Quid miraris? Lignum crucis, vel amaritudinem mortis effugauit. Vide ante crucem Iesum pauentem, & clamantem Matth. 26. *Transeat à me calix iste.* Sed post crucem, & eius mysteria peracta ait Pal. 1. ad Corinth. 13. *Christus mortuus est*, &c. *& surrexit tertia die, & visus est Iacobo, deinde plusquam quinquies mille fratribus simul, ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt.* De morte illorum, qui statim post passionem Christi defuncti sunt, locutus, quasi de quodam dulci somno loquitur, ait enim: *Quidam dormierunt.* Sed vnde mors somnus est dulcis? Nónne Iesus timebat mortem? Nónne adeò illi amara erat, vt eam deprecaretur? Quæ terribilis Iesu, vt dulcis Apostolis erat? Rem attigit D. Basil. Sel. orat. 32. *Cur Christus tum animi angustia crucem admittit, & pauor passionem antecedit? Quia Christus in mortem viuentem adhuc expeditionem suscipit, congreditúrque nondum disiecta tyrannide. Adhuc enim iam indè ab Adamo in homines dominata magnificè se iactabat mors. Christus morte contrucidata post futuris eam velut enectam tradidit ad certamen. Ideò ipse velut in viuentem parans impressionem pro rei veritate se gerit. Apostoli autem morte deuicta, & veluti iugulata, multum animati eam inuadunt. Vt Paulus prædicat: Quidam autem dormierunt. Non iam mortui sunt? De pacta namque cruce somnus mors est: ante crucem formidabilis, & post crucē despicabilis.* Ecce tibi vt mortis poculū, quod amarescebat, & horrorem, pauorémque Iesu inferebat, post crucis mysterium sic attēperabatur, vt tanquam dulcissimus somnus posset capi. Quid plura? Similiter aiebat Paul. 1. ad Thessal. 4. *Quod Iesus passus, & mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt, per Iesum adducet.* In Iesu & mortem, & passionem agnoscit; in aliis non mortem, sed somnum putat. Quæ enim fuit mors Iesu, post huius crucem cæteris erat quasi somnus dulcis. D. Basil. Sel. orat. 32. inquit: *Christi finem mortem appellauit: bellum siquidem illi fuit contra mortem viuentem; aliorum, qui post Christū, somnum agnoscit, non mortem. Inde factum vt viros pro religione concertare videamus, puellos mortem risui habere, puellas eam adire ludibundas.* Sic Christi crux fecit mortem esse tractabilem, & suauem. Et quid de passione Christi non saporetur, & condiatur? Dicit Lucas cap. 13. *Simile est regnum cœlorum grano sinapis.* Vt enim de grani sinapis contusione fit, quo insipidæ alioquin carnes, & reiiciendæ saporentur, vt possint mandi. Sic de Christi contusione, & passione venit, quo pœnalia mala & saporem accipiant, & suauitatem. Sic ait D. Chrysost. ser. 98. *Christus est regnum cœlorum, qui velut granum sinapis in hortum virginei corporis missus, Orbe toto crucis in arborem creuit, ac tantum dedit fructus sui saporem, cùm teritur passione, vt quidquid est vitale suo saporaret, & condiret attactu.* Nihil est adeò insipidum, adeò amarum, & reiiciendum, quod de Christi attactu in passione contriti suauissimum saporem non capiat.

1 Cor. 13

Mat. 26.

Basil. Sel.

Basil. Sel.

Luc. 13.

Chrysost.

Exod. 15. Venerunt autem in Elim filij Israël, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ, & castra metati sunt iuxta aquas.

§. IX.

Id sit quisque, quod amat, quod adorat.

GRadientes Israëlitas duodecim excipiunt fontes septuaginta palmæ: ait enim: *Vbi erant duodecim fontes, & septuaginta palmæ.* Et tam fontibus, quàm palmis Euangelij prædicatores exprimebātur, vt Orig. Hieron. Prosp. Rup. malunt. Sed cur Euangelij prædicatores dicuntur palmæ? Cùm prædicatio Euangelij, crucis dominicæ maximè sit prædicatio, quæ toties in Scriptura palma nominatur, non miror, quod ex affectu ad crucis palmam eius prædicatores palmæ dicantur. Sic enim id quisque est, quod amat, & veneratur. Ex quo dicebat Petrus Dam. ser. de inuent. Crucis fatus: *Nec immeritò planè prædicatores crucis palmarum videntur nomine figurari, dum & ipsa crux iure dicenda sit palma, quia in ea scilicet facta est de prostrato mundi hoste victoria, sicut de ipsa cruce sponsus ad sponsam: Dixi, inquit, ascendam in palmam,* &c. Vbi & mente, & ore palmam crucis voluunt, meritò ipsi effecti apparent palmæ. Nequit enim fieri, vt quis non abeat in id, quod amat. Oseas cap 10. vocabat populum Israëlitam vitulam, ait enim: *Ephraim vitula edocta diligere trituram:* Et cur Ephraim vitula? Pulchrè in rem præsentem Rup. lib. 4. ibi. *Quia vitulos colebat Ephraim, siue Israël scissus à domo Dauid, imò & coluit ab initio vitulū, quādo egressus est de terra Ægypti, pulchrè nimis eadē gens vitula dicta est.* Ex vitulis, quos colebat, quos adorabat, in eandē formā transmutabatur, semper enim homo formam subit eorum, quæ habet in deliciis. Aiebat Iob de maligno spiritū cap. 39. *Circunspicit montes pascuæ suæ, & virentia quæque perquirit.* Equidem malignus quærēs quem deuoret, virentia hominum corda magis exquirit. Sed quæ sunt corda virentia? Ait D. Gregor. lib. 30. Moral. cap. 18. *Arentia deserit, & virentia quæque perquirit. Arentia namque corda sunt hominum, quæ in huius sæculi spe peritura plantata, æternitatis fiduciam non habent. Virent autem, quæ illi hæreditati inhærent, de qua Petrus dicit: In hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem. Tanto enim verius quique virentes sunt, quanto in hæreditatis immarcessibilis sorte cogitationis radicem figunt.* Ecce tibi vt tranformantur humana corda iuxta ea, quæ diligunt. Si caduca, & arentia mundi bona spectant, & arida redduntur ipsa, virentia autem sunt, dum affigūtur hæreditati semper virenti, & immarcessibili. Quò etiam refero illud Ecclesiastæ cap. 3. nimirùm: *Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi.* Quod si quæras quale sit tempus spargendi lapides, & quale colligendi illos? Est qui referat ad tempus idolorum, & ad tēpus aduētus Christi. Vbi enim multa erant idola lapidea sparsa per totum orbem,

P. Dam.

Ose. 10.

Iob 39.

Gregor.

Eccles.

orbem, tunc erat tẽpus, quo & homines & lapidei fierent, & spargerentur similiter ita à se diuisi, ac separati, quasi hostes essent adinuicẽ. Vbi autem venit Christus vnus angularis lapis, statim eius cultores cœperunt cõuenire in vnum, amare vnitatem, & sese adinuicem fouere quasi mẽbra corporis vnius. Aiebat Salonius ibi: *Tempus fuit spargendi lapides ante aduentũ Domini, quia gentiles non permanserunt in vnitate fidei, sed recedentes a Deo dispersi sunt, quia varios Deos adorabant, & diuersa idola colebant. Tempus autem colligendi lapides post aduẽtum Domini*, &c. Vt erant numina, quæ homines colebant, sic efficiebantur homines, quãdo lapidea, & multiplicia erant idola plurimũ inter se differentia; similiter disconueniebant homines, & dispersi erant. Tũc solùm vnanimes inuenti sunt homines; quando vnus angularis lapis Christus sese illis amandũ obiecit. Rẽ pulchrè describit Paul. Oros. lib. 5. c. 2. *Solutas, & barbaras gentes, quis tandem ad societatem adduceret, quas diuersis sacrorum ritibus institutas, etiam religio separabat? Si quis igitur tunc acerbitate malorum victus, patriam cum hoste deseruit, quem tandem ignotum locum ignotus adiit? Quam gentem generaliter hostem hostis orauit? Cui se congressu primo credidit, non societate nominis inuitatus, non communione iuris adductus, non religionis vnitate securus? An parum exempli dederunt Busiris in Ægypto peregrinorum infeliciter incurrentiũ impiissimus immolator, crudelissima circa aduenas Dianæ Tauricæ litatura, seu magis crudelia sacra, Thracia cum Polymnestore suo vsque ad propinquos hospites scelerata? Et ne antiquitatibus videar immorari, testis est Roma de Pompeio interfecto, testis Ægyptus de Interfectore Ptolomæo: Mihi antẽ fugienti, quia de confugiendi statione securo, vbique patria, vbique lex, & religio est mea; nunc me Africa tam libenter excipit*, &c. Sic bonus author hostilitatem nationum inter se componit cum Christianorum vnanimitate. Hanc tribuit vnitati fidei, & religionis vnum Iesum colentis, adorantis; illam putat ortam ex diuersitate idolorum, quæ colebantur, vt enim hæc diuersa erant, & contraria, sic vniuersas gentes faciebant & diuersas, & contrarias.

Salon.

Paul. Or.

Exod. 16. Venit omnis multitudo filiorum Israël in desertum Sin, quod est inter Helim, & Sinai, quartodecimo die mensis secundi postquàm egressi sunt de terra Ægypti. Et murmurauit omnis congregatio filiorum Israël contra Moysem, & Aaron in solitudine. Dixerúntque filij Israël ad eos: Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate. Cur induxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame?

§. X.

Detrimentosum est eo tempore peccare, quo maximè remedia peccatorum parantur.

NOn vanè notatur dies, quo populus aduersus Moysem murmurat; quippe ait: *Venit vniuersa multitudo Israël in desertũ Sin*, &c. *quintodecimo die mensis secũdi postquam egressi sunt de terra Ægypti. Et murmurauit*, &c. Et cur, vt dicatur murmuratio populi, & peccatum; notatur & mensis, & dies in quo peractum fuerit? Ex temporis notatione agnoscebãtur reproborum hominum mores, erat enim decimus quintus dies mensis secundi designatus ad Paschale sacrificiũ pro iis, qui vel negotiis occupati, vel peccatis constricti non potuerãt primi mensis pascha celebrere cum populo. Et quidem tunc nouis se sceleribus implicãt reprobi homines, cũ aliis paratur remedium peccatorũ. Accipite Orig. hom. 7. in Exod. fantem: *Quid etiam dies describitur, in qua murmurauerit populus? Secundo, inquit, mense, quintadecimo die mensis. Quod vtique non absque vlla ratione scriptum est. Recordare de legibus Paschæ, quæ scripta sunt, & inuenies ibi hoc esse tempus, quod statuitur ad secundum pascha faciendum his, qui immundi in anima fuerint, vel occupati in negotiis peregrinis. Qui ergo non fuerant immundi in anima, vel non longè peregrinabantur, quartadecima die primi mensis pascha fecerunt. Qui autem immundi erant secundum Pascha in hoc tempore faciunt.* Itáque quando murmurationis tempus notatur esse illud, quod mundatos, & puros ab omni animæ labe referebat eos, qui in primo paschate immundi fuerant, absque dubio reprobi populi ingenium monstrabatur. Quid enim magis reprobum, quam tunc te nouis sceleribus infici, cum aliis remedium pro eluendis peccatis datur? Pro mundi sceleribus tollendis Iesus tradebatur ex sententia Pilati. Quid tunc? Ait Matt. cap. 27. *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset: pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & senioribus, dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum: Et proiectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit.* Expende hominis reprobi gressus, vt vidit diuinissimum agnum pro mundi salute iam iam immolandum, laqueum assumit, vt sese strangulet. Sapienter hinc eius extremam reprobationem prædicat Græcus author Nicolaus Cabasila lib. 6. de vita in Christo, fatus: *Abiit Iudas vincula portans, quando omnibus libertas conciliabatur.* Quid funestius? Quid magis hominibus reprobis singulare? Sese nouis vinculis peccatorum implicant eo præcipuè tẽpore, quo libertas, & remissio omnibus conciliatur. Hos sanè respiciens Dominus per Sophoniam c. 3. ait: *Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, quia iudicium meum vt congregem gentes, & colligam regna. Et effundã super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei. In igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra. Quia tũc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes nomen Domini.* Expende hac causalem; dicit enim quòd collecturus est gentes, & regna, vt desuper omnem suum furorem effundat, & perdat eos omnes, ignéque zeli absumat. Tantique rigoris causam exprimens ait: *Quia tunc reddam populis labium electum*, &c. Quia tunc aderit tempus, quo Deus dabit populis eam gratiam, qua vniuersi inuocent Dominum, eiúsque nomen extollant, ideò ait, quòd tunc gentes, & regna terrena perdet, flãmis absumat. Et quæ erunt regna hæc sic perdenda, vbi Deus sic effunditur in linguas omnium populorum? Ait Glossa Interlin. *Principes peruersorum dogmatum.* Et meritò ineuitabili Dei exponitur furori ille, qui peruersa loquitur eo ipso tẽpore, quo Deus suam infundit gratiam linguis omnium populorum, vt laudent Dominum. Huc accedant, qui diebus solemnibus, in quibus populi frequentes sunt in templis, ibíque in voce laudis & confessionis diuinam gloriam extollunt, ipsi etiam templa adeunt, & turmatim per sacrosancti templi angulos praua loquuntur, peruersísque susurriis lasciuiam voluunt. Fallar, nisi iis conueniat Sophoniæ dictum, nimirùm: *Quia indicium meum vt congregem gentes, & colligam regna. Et effundam super eos indignationem meam. Quia tunc reddam populis labium electum.* Quippe à seueriſſimo iudicio Dei venit, quòd ij congregentur, & sub prætextu nobilitatis adeant linguas vibrare in Deum lasciuis susurris templa inficientes, quando Deus linguas populorum euehit, vt laudent Dominum. En quàm olent extremum exterminium reproborum! Huc reuoca dicta 1. tom. in Euang. lib. 2. cap. 10. §. 8.

Orig.

Matt. 27.

Nic. Cab.

Sophon.

Glossa.

Sophon.

§. XI.

Summa est malitia hominis, qui nec fame emollitur, vt Deum quærat.

COnsumpto commeatu, quem de Ægypto asportauerant Israëlitæ, penuriam passi panum cœperũt murmu

murmurare aduersus Moysem, imò aduersus ipsum Deum. Ait enim text. *Et murmurauit vniuersa congregatio filiorum Israël*, &c. Quantum hoc nefas est, quod vel famelici Deum non requirant, sed multiplicato murmure eum offendant? Sanè quasi de magno scelere Iudæorum, sic de hoc querebatur Dominus per Amos
Amos 4. cap. 4. *Et ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis vrbibus vestris, & indigentiam panum in omnibus locis vestris, & non estis reuersi ad me, dicit Dominus.* Hoc magnum, hoc inauditum, & non nisi deploratorũ hominũ piaculum est, quod vel fame stimulante non currant ad Deum notissimum omnium Patrem. Vt Israëlitas etiam traheret ad se Dominus, famis hunc efficacissimum stimulum applicuit
4. Reg. 6. 4. Reg. 6. *Factáque est fames magna in Samaria. Et tandiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis.* Quid interea? Clamauit Rex ad Deum in hac penuria? Requisiuit sanctos, qui pro cibo rogarent? Imò ait: *Et ait Rex: Hæc mihi faciat Deus: & hæc addat, si steterit caput Eliśei*, &c. Quem vnũ habebat Rex, qui posset orare Deum, hunc decernit iugulare, inter rabidam famem in nullo melior factus.
D. Aug. Quò respiciens D. Aug. ser. 211. de Tempore, ait: *Proh nefas! Horrẽda cadauera, & columbarum stercora populus mandit, nec Dei cultum quærit. Inquinatas carnes, & horrendas escas fames, & necessitas poscit, & adhuc figmentum duritia colit.* Sanè nefarissimi hominis argumentũ erat, quòd eò adductus ciborum penuria, vt stercora multo conquisita pretio ederet, ad Deum tamen minimè tẽderet, sed in eisdem sceleribus permaneret. Nullum enim adeò brutũ est animal, quod vel necessitate alimenti Dominum non agnoscat suum. Quòd si homo neque hac alimenti necessitate ad Deum ducitur, peior brutis est, & deplorata malitia infectus. Id quod notans
Isa. 1. Isaias cap. 1. *ait: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis.* Ecce tibi quod turpitudinũ agnomina congerit vates in populũ suum; vocans eum gentem peccatricem, populum iniquitate grauem, & nequam, & sceleratum, & cui væ reseruatur. Sed vnde tam atrociter sentit de populo? Præmiserat ante: *Cognouit asinus præsepe Domini sui, Israël autem me non cognouit.* Quando autem vel asinus necessitate alimoniæ Dominũ nosci suum; homo qui simili necessitate alimoniæ ad Deum nõ vadit, & nequã est, & sceleratus, & iniquitate grauatus, & æterno exitio reseruatus. Id, quod euidentius paret consideranti famẽ efficacissimam esse, vt homines ad Deum trahat. Sic Elias
3. Reg. 18 3. Reg. 18. inuexit famem, vt populares suos ad Deum impelleret. Dicit enim textus: *Erat autẽ fames vehemens in Samaria.* Inuexit Elias famem, & ipse abiit. Quò abis Elia? Cur non magis prædicationi instas? vt cõuertatur populus ad Deum? Cur totum id negotium commendas fami? Ea equidem est, quæ posset sola homines ad
Basil. Sel. Deum trahere. Ait D. Basil. Sel. orat. 11. *Vrantur fame religionis magistra.* Efficacissimum est magisterium famis, vt diuinas veritates persuadeat. Sic
Luc. 15. Luc. 15. prodigus filius postquam fame opprimebatur: *In se reuersus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo! Surgam, & ibo ad patrem meum.* Vbi eleganter Chrysol. ser. 2. Fatur: *Fames reuocat, quem saturitas exularat: fames illi patrem dedit sapere.* Quid efficacius hoc magisterio famis? Hæc vel perditissimo dedit sapere pientissimum patrem Deum, & ad eum clamare. Ex quo videns populum conuer-
Ioël. 2. sum ait Ioël cap. 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca, fortitudo mea magna, quam misi in vos.* Est equidem locusta, & bruchus fortitudo Dei magna, quando omnes hominum escas vastat, & famem ingentem causat. Dum enim Deus locustam præmittit, vt frumenta hominum rapiat, fortitudinem suam magnam confert, vt homines ad se trahat. Qui ergo nec in hanc escarum necessitatem redactus ad Deum confugit, meritò habetur possessus iniquitate, & sceleratus, & nequã, & prorsus deploratus.

§. XII.

Criminosè non speras vbertatem à Deo, à quo te vides in penuriam agi.

SE nouerant Israëlitæ adductos in solitudinem à Deo per columnam nubis, & tamen certò putant ibi se perimendos fame. Aiunt enim: *Cur induxisti nos in desertum istud, vt occideritis omnem multitudinem fame?* Et quidem non Moyses, nec Aaron, sed Deus per nubis columnam illos in desertum illud sterile ducebat. Vnde eorum murmuratio non tam ad Moysem, quàm ad Deum spectabat. Sicque Psal. 77. expressè faretur: *Psal. 77.* *Et tentauerunt Deum in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis. Et malè locuti sunt de Deo: Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Magnum equidẽ hoc fuit nefarissimorum hominũ piaculum, & attroci morte expiandum. Videtes enim se à Deo tractos in desertum, in solum sterile, in regionem omni alimento vacuam, nihilominùs desperant posse ibi à Deo venire alimẽtorum abundantiam, quæ illos sufficiat exsatiare. Similiter 4. Reg. 6. iusto Dei iudicio Samaria in summam famis angustiam fuit redacta, adeò vt vel stercora columbarum summo pretio ad escas emerentur, & matres proprios filios vorarent. Interea Elisæus ex Dei nomine præproperam alimentorum promittebat Regi abundantiam. At cap. 7. audita abundantia panis promissa à Propheta: *Respondens vnus de ducibus super cuius manus Rex incumbebat, homini Dei ait: Si Dominus fecerit etiam cataractas in cœlo, nunquid poterit esse, quod loqueris? Qui ait, videbis oculis tuis, & inde non comedes.* Diffidit dux fieri posse promissam à Deo abundãtiam; sed statim diffidentiæ pœnas reportauit, morti adiudicatur. Et cur statim reportauit pœnas? Sanè, qui sciebat populum in eam penuriam à Deo redactum, non debebat dubitare, quòd posset Deus eidem præstare abũdantiam. Sapienter D. Aug. ser. 211 de Tempore, ait: *D. Aug.* *Tunc homo, qui missus fuerat à Rege, ait: Nec si cataractæ cœli aperiantur, possunt fieri, quæ narrantur. O perfidi hominis! Non credit promissam vbertatem, qui horrẽdam senserat egestatem. Nec considerat Deum promisisse abundantiam, qui populo irrogauerat penuriam.* Non absque perfidia, non absque ingenti piaculo non speratur à Deo vbertas, & abũdantia, à quo videmus nos in penuriam tractos. Qui experiris te à Deo angustiari, perfidus es, nisi & speres te ab eodẽ posse leuari. Is enim est Deus, de quo Samuëlis mater canebat 1. Reg. 2. *Dominus* *1. Reg. 2.* *mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit. Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat, & subleuat. Suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat.* Nec vnquam in eam angustiam adducit, cui subleuandæ non habeat promptissimos thesauros. Vt sit patentissima illa sententia Tertulliani Marcionis perfidiam damnantis *Tertull.* lib. 4. *Si à Creatore aufertur, ab eo & dabitur.* Nefariè enim quis sentiens se à Deo spoliatum, nõ credit ab eo posse quàm primùm ditari. Eiusdem enim Dei est ad Marcionis cõfessionem dare, cuius fuit, & auferre. Sic Iesus Matt. 10. mittens discipulos ad prædicãdum, illos *Matt. 10* ad summam redigit paupertatem, rerúmque penuriam fatus: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via.* At cùm sic discipuli à Iesu spoliabantur, vt nec frustum panis in pera, nec numulum in zona permitterentur habere; ideò id putabant fieri, quia Iesus illis commeatum non poterat præstare? Absit hoc à discipulorum mentibus; id enim Marcionis erat nefarissimum cogitatum; boni autem discipuli cum se experiuntur ad eam penuriam à Iesu

trahi,tunc magis credunt illius eſſe poſſe,omniũ abũdantiam ſuppeditari.Ex quo nefariam mẽtem Marcionis confundit Tertul.lib.4. aiens: *Dimittit diſcipulos ad prædicandum Dei regnum.Et edidit,cuius prohibet eos victui,aut veſtitui,quid in viam ferre. Quis hoc mandaſſet, niſi qui & coruos alit,& flores agri veſtit?* Equidem nefarium eſſet credere extremam penuriam mandari,& inferri ab illo Deo,cuius non eſſet tãta rerum copia,quæ vel coruis deſolatis,vel deſerti herbulis ſupereſſet. Ex quo ſentio penuriam à Deo mihi impoſitam, & certò teneo eiuſdẽ eſſe & vbertatem, & copiã poſſe offerre. *Tertul.*

Exod.16. Dixit autem Dominus ad Moyſem.Ecce ego pluam panes vobis de cœlo. Egrediatur populus,& colligat,quæ ſufficiunt per ſingulos dies, vt tentem eum, vtrum ambulet in lege mea,an non,&c.

§. XIII.

Ingulæ re,& eſcarum manifeſtè apparet qualis quiſque ſit.

PRæmittit Deus pluuiam panis populo ſuo, vt tentet eum:ſic enim ait: *Egrediatur populus, & colligat, quæ ſufficiunt per ſingulos dies,vt tentem eum.* Et meritò in ciborum collectione tentatur homo à Deo,manifeſtiſſimè enim patet in re eſcarum, qualis homo ſit, vel compos diuinitatis,ſi ventrem coërceat, vel brutorum conſors,ſi rapitur ventris ingluuie. Poſt quadraginta dierum ieiunia accedit tentator ad Ieſum, fatus Matt. 4. *Si Filius Dei es,dic vt lapides iſti panes fiant.* Et vnde malus ſuſpicionem habuit diuinitatis in Ieſu exiſtẽtis, quando hominem vilem,& abiectum exultãtem videbat in ſolitudine? Templa,& aræ Deum deſignant, & Sacerdotum turbæ, deſertum ferarum conuictus,ſolitudinis exilium quid habẽt cum Deo commune? Vnde ergo nequam ſuſpicatur diuinitatem in Ieſu? Videbat hominem famis domitorem,videbat hominem immemorem eſcarum,& non potuit non putare Deum,quẽ ventris ſeruituris videbat immunem. Ait D.Chryſol. ſerm.13. *Audiſtis, quid de ieiunio ipſe ſenſerit inimicus? Si Filius Dei es. Videtis,quia iam non hominem, ſed Dei Filium credidit,quem liberum à ventris conſpexerat ſeruitute.* Non poterat equidem meus Ieſus per coërcitam gulam non apparere diuinus; vt enim gula oſtendit, qualiſquiſque ſit,ſic gula deuicta diuinum eſſe oſtẽdit triumphatorem ſuum. Econtrà verò ſi ipſa triumphet, ſtatim oſtendit nihil diuinum, imò nec humanum eſſe in alumnis ſuis, ſed totum brutum. Ioël cap. 2. *Quid ingemuit animal,mugierunt greges armenti? Quia non eſt paſcua eis.* Mirabar,quòd Dei Prophera cutaret de mugitibus boum,& armentorum.Quid tibi Ioël cum bobus? Cur eorum mugituum cauſas anxiùs perquiris? Nunquid de bobus cura ſpecialis prouidẽtiæ eſt Deo? Non de brutis cura Propheta,ſed de hominibus,quos vt videt pro cibis ingemiſcere, & nihil dolere niſi defectum cibi, pro hoc murmurare, pro hoc grunnire, meritò ſibi monſtrata aſſerit non homines, ſed bruta. Pulchrè ad hæc Rupert.ibi: *Brutis animalibus,& gregibus armenti ſimiles eos vult haberi,quamuis homines ſunt, qui ingemiſcere neſciunt niſi pro penuria cibi, nullum habentes dolorem de peccatis ſuis; & hoc ſolum eſſe miſerum, ſiue dolendum reputantes,ſi ventri quippiam deſit. Huiuſmodi animalia, ſiue greges non ſolum ingemiſcunt,quando non eſt paſcua eis,ſed & deſperierunt,id eſt,in tempore tentationis recedunt murmurantes, ſi non fuerint ſaturati, & blaſphemantes Deum.* Sic in re cibi, & gulæ oſtenditur patentiſſimè qualis homo ſit,vel diuinus,vel brutus.Si liber à ventris ſeruitute, proculdubio diuinus creditur. Si autem ventris mancipium eſt, pro cibis vbique murmurans, multáque gemens,ſi ventri aliquid deſit; hic & brutus eſt, & tempore tentationis properauit in exitium. *Matt.4.* *Chryſol.* *Ioël.2.* *Rupert.*

§. XIV.

Dei magnificentia nullis obicibus impeditur.

MVrmuratoribus Iſraëlitis panis pluuiam Dominus promittit,non fulgura mittit,quippe ait: *Ecce ego pluam panes vobis de cœlo.* Nõ terræ credidit parturitionem panum pro ſuſtentandis Iſraëlitis, ſed magis illud opus commendauit cœleſtibus nimbis. Quod miratus Sedulius lib.1.Paſch.cap.9.inquit: *Nectareus ætherea maieſtatis nimbus irrorat populo dapes ex pluuiis, & copioſus ex imbribus eſcas effudit.* Et cur id non terræ, ſed imbribus committit? Agebat cũ murmuratoribus, & rebellibus,& obiicientibus deſerti ſterilitatem munificentiæ diuinæ,quorũ diffidentiam vt ſuperet, pluuiam eſcarũ promittit,de ratione enim pluuiæ eſt,nullum obicem,nullum impedimentum ſentire,ſed & ad perditiſſimos quoſque ſuas diuitias effundere. Ex quo Tertul. confundebat Marcionem lib.4. fatus de Deo: *Vtique optimus eſt Deus,qui pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos, ſuſtinens,& alens,& iuuans etiã Marcionitas.* Proh munificentiam æthereæ pluuiæ! Equidem à Deo veniens pluuia nullum ſentit impedimentum, nullum obicem non ſuperat,peſſimos quoſque ditat inundantibus beneficiorum fluctibus.Huc ſpectans Cant.4.ait de Spõſa Eccleſia Chriſti: *Fons hortorum,puteus aquarũ viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Videre enim eſt in Chriſti Eccleſia viuentes aquas, quæ fluunt impetu de Libano,ſiue vt alius diceret, de fontibus Saluatoris,de æthereæ maieſtatis nimbis.Eſt equidem Ieſus Libanus, qui cum impetu ex imbribus donationes gratiarũ effundit.Et cur cũ impetu? Vt inſtar impetuoſus nimborum torrens omnia impedimenta ſuperet, nihílq; non roret reſiſtens. Ait pulchrè Gillibertus Abb. ſer.37. in Cant. *Ipſe Chriſtus noſter eſt Libanus delectationes viuas effundens cum impetu in ſinũ dilectæ. Bonus ergo Libanus, in quem nihil inquinatum incurrit,& magnus impetus,qui nullo compeſci obice poteſt. Tot credentibus populis obiecti ſunt obices ſcandalorum, tot oppoſitæ moles tormentorum, & tamen ſemper fluunt aquæ de Libano. Magni obices,ſed maior impetus. Si coneris compeſcere,plus increſcit, & perrumpit obſtantia. Repulſus exſurgit in cumulum,& impedimento lucra conquirens, ſe diffundet vberius. Puto etiam ipſi obices cooperantur in bonum, & incrementa capit vexata virtus in iniuriis.* Quid pulchrius? Piaculum dixi vel verbulum prætermittere. Ij veniunt à Filio Dei in Eccleſiam ſuam beneficiorum imbres,qui nullum obicem non ſuperent.Et tyrannorum rabies,& rebellium iniuriæ,& bonorum excarnificationes, ſi ſe opponant, omnia vorantur fluentis impetu, & obſtantia rumpuntur.Imò,quo maiora impedimenta obſiſtunt,eo videntur ſeſe vberiùs, & cumulatiùs diuinæ munificentiæ fluenta diffundi. Crederes ab obicibus torrenti beneficiorum cumulari vires, vt abundantius fluant. Quò refero illud Iſaiæ cap. 48. *Facta fuiſſet ſicut flumen pax tua.* Cur ſicut flumen? D.Cyril.in Iſaiam lib.4.orat.3. *Aiunt,torrentes,pluuia rapida in mõtes delapſa,ferri violenter,& intolerabiliter,ita vt impetuoſo eorum curſui nihil omnino poſſit reſiſtere.* Et meritò pax,& beneficia,quę à Deo in ſuos proficiſcuntur, comparantur fluminum exundationibus,quæ accidunt ex rapidis pluuiis cadẽtibus ſuper terrã,quando hæc ſic omnia obſtantia ſolent abſorbere,vt nihil maneat, quod poſſit reſiſtere. *Tertul.* *Cant.4.* *Gil.Abb.* *Iſa.48.* *D.Cyril.*

§. XV.

Noſtra ſcelera faciunt, quòd non continuis beneficiis ex Deo impleamur.

MVrmurantibus Iſraëlitis promittit Dominus alimentum inſtar pluuiæ, dicit námque: *Ego pluam vobis panes.* At Iſaiæ cap.66. longè magnificentiùs ait: *Ego declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis, & quaſi torrentẽ inundantem.* Et cur hîc non pluuiã,ſed fluuium *Iſa.66.*

fluuium bonorum promittit; illic autem solam pluuiam offert panis? In flumine exprimitur continua, & perennis irrigatio, quæ sola inuenitur, vbi nullum inuenitur peccatum. At in pluuiis non continua est rigatio, sed magis rara, & quæ sæpe non sine ingenti suspirio, & gemitu extorqueatur. Bene ergo murmurantibus populis non fluuius, sed pluuia datur, quæ sic defecit, vt eius defectus ingentes luctus generaret. Vtinam peccata tollerentur, & beneficiorum diuinorum exundationes instar fluuiorum perenniter currentium nos ditarent. Sic Dominus Isaiæ c. 48. *Vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua.* Isaie 48. Per pacem omnium bonorum exuberantiam intelligit Scriptura, vt habet sententia Patrum. Nec mirot, quod diuina mãdata attendentibus, & adimplentibus bonorum detur exuberantia; sed illud notandum, quod hæc exuberantia datur illis ad instar fluminis, quippè ait: *Facta fuisset sicut flumen pax tua.* Quid est sicut flumen? Vt flumen nunquam deficit, sed quæ percurrit arua, continuis, perennibúsque fluctibus irrigat; sic benefica Dei manus nunquam nõ impleret eos, qui eius præcepta seruarẽt. Cyr. Alex. Ait D. Cyril. Alex. lib. 4. in Isaiam orat. 3. *Si enim fuisses meis præceptis audiens: fuisset tanquam flumen pax tua, & iustitia tua tanquam fluctus maris. Vt pacis vbertatem, & perpetuitatem ostenderet, flumini comparat, & fluctibus: flumini quidem semper, & vbertim fluenti, & præterlabenti: fluctibus autem semper illidentibus, & velut perpetuò terram incursantibus.* Est equidem Deus præceptorum obseruatoribus fluuius indeficiens, nouis quotidie vndis beneficiorum illos rigans, imò continuis fluctibus gratiarum eorum expugnans voluntates. Crede mihi beneficiorum diuinorum affluentiæ nunquam cessarent, nisi per nos staret, à nostris culpis iram Dei merentibus prouenit, quòd diuinorum beneficiorum largitio interrumpatur; quod non perennis sit, vt fluuius; sed interrupta, vt pluuia aliquando terram inebrians, aliquãdo sinens illam torreri ariditate. Huc pulchrè spectans Eccles. 39. Ecclesiasticus cap. 39. ait: *Benedictio illius quasi fluuius inundauit. Et quomodo cataclysmus aridam inebriauit, sic ira illius gentes, quæ non exquisierunt eum, hæreditauit. Quomodo conuertit aquas in siccitatem, & siccata est terra,* &c. *Bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona, & mala.* Quid pulchrius? Equidem diuina benedictio, & bonorum affluentia est iustis fluuius, hoc est, iuxta Paulum de Palacios, perennis, & perpetua bonorum nouorum communicatio. At merentibus iram propter peccata sua; iam non fluuius, sed cataclysmus, nimirùm quadraginta dierum pluuia, quæ & terram inebriet fluens, & cessans eandem arere faciat. Sunt itáque bona iustis non interrupta, sed continuata, & perpetua ab initio; iniustis autem sunt bona, & mala, hoc est, bona, quæ interrumpantur malis. Vides, vt ex nostris culpis oritur, quòd perpetuis beneficiorum vndis ex Deo non impleamur?

§. XVI.

Panis Eucharisticus per se non ad abluenda peccata, sed ad ditandam animam, & innumeris bonis cumulandam datur.

NOn aliter, quàm instar pluuiæ, dat Dominus cœlestem panem, dum ait: *Ego pluam vobis panem de cœlo.* Ioan. 4. Sed Ioan. 4. dicit Iesus Samaritanæ fœminæ de homine credenti: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Expende modò, aqua promittitur instar fontis, at panis solùm instar pluuiæ datur. Cur cùm panis cœlestis instar pluuiæ venit, non similiter venit cœlestis aqua? Discriminis rationem indigitat Rupert. Rupert. lib. 4. in Ioan. fatus: *Quæ est enim hæc aqua viua, nisi ea, quæ in baptismo Christi percipitur Spiritus sancti gratia?* Vt in exhibitione cœlestis panis Eucharisticus cibus exprimebatur; sic in hac oblatione cœlestis, viuæque aquæ, baptismus adumbrabatur christianus. Meritò ergo baptismus fonti comparatur, vt qui institutus sit per se ad mundandos, lauandósque homines à peccatis; fontis enim munus est, & tergere, & lauare maculas. At cœlestis panis non per se intendit lauare peccata. Sacramentum enim viuorum est, & non debet sumi nisi à puris, & immaculatis; ideò pluuiæ comparatur, quæ non lauat terram, sed rigat, sed fœcundat, sed illam florere, & fructificare facit. Huc respiciens sponsus Cant. 4. quia diuinam mensam non pluuiã, sed fontem vocare placuit, vide qualem fontem vocauit, ait enim: *Fons hortorum, putens aquarum viuentium.* Cant. 4. Cur non contentus est vocare fontem, sed maluit addere fontem hortorum? Equidem, qui in hortos est deductus fons, non eò deducitur, vt lauet, sed vt riget, vt in flores, & fructus terram alat. Ex quo pulchrè Gillibert. Abbas, Gillibert. ser. 37. in Cant. *Vide quo in loco eius aquæ fluunt, vbi nisi in hortis? Fons enim est hortorum, qui non lauat, sed rigat. Cuius in hoc omnis vsus est, non vt auferat fœditatem, sed vt fœcunditatem afferat. Bonus fontis vsus mundare, sed melior fœcundare. Ille abluit inquinamenta, iste gratiarum importat augmenta. Ille germina lota reddit, hic læta. Ille patens est in ablutionem peccatoris, & menstruatæ, hic signatus deliciis sponsæ. Ideò non nisi fons hortorum dicitur fons deliciarum.* Quidquid ad delicias, & diuitias pertinet animarum, in hoc fluento inuenitur cœlestis panis: non speres ibi mundari, sed fœcundari, sed ornari, sed ditari, sed ingenti impleri cumulo gratiarum. Hinc aiebat Ioël cap. 2. ex Septuag. lectione: *Filij Sion gaudete, atque lætamini in Domino Deo vestro: quoniam dedit vobis escas iustitiæ, & pluit vobis imbrem temporaneum, & serotinum, sicut à principio, & replebuntur areæ tritico, & redundabunt torcularia vino, & oleo.* Ioël 2. Expende, quibus hæc diuinarum escarum annuntientur gaudia, nimirùm filiis Sion. Et qui sunt isti filij Sion? Nimirùm ij, qui non indigent lauari, sed per pœnitentiam lori sunt à peccatorum fœditatibus; iis ergo dantur diuinissimæ epulæ, & pluuiæ, non lauantes, sed rigantes, sed fœcundantes, sed nouis virtutum bonis facientes abundare. Ait D. Hier. ibi: *Vos quoque, quos iustè post pœnitentiam voco filios Sion, & Ecclesiæ, lætamini, quia dedit vobis Deus alimenta iustitiæ, & descendere fecit ad vos pluuias temporaneas, & serotinas. Et non solum hoc dedit, sed fecit vos nouis virtutum frugibus abundare, & saturari, atque inebriari frumento, vino, & oleo.* Hier. Sic vbi Deus escarum diuinarum pluuias statuit, quos lotos inuenit, fœcundat, ditat, & omni bono facit abundare. Id, quod aliter exprimebat Isaias cap. 66. fatus: Isaias. 66 *Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium,* &c. *Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra, quasi herba, germinabunt.* Septuag. *& ossa vestra florebunt.* Quod Deus in Eucharistia maximè se inclinet, & exinaniat, docent Dionysius Alex. Method. Cyril. Augustt. Hieronym. & multi alij relati, & expensi à nostro Turriano tract. 1. de Euchar. cap. 11. ast vbi sic se inclinat, vt fluuius pacis, & torrens inundans, nulla ibi mentio lotionis, sed ostenditur, vt crescant nostra gaudia, vt vel ossa arida floribus ornentur, multíque appareamus locupletati. Ait D. Cyril. Alexand. lib. 5. tom. 6. *Sic nutriti, sic omni misericordia, & charitate tractati videbitis tempore suprenam etiam ciuitatem cœlestem Ierusalem, & complebimini voluptate, & quasi herba vestra ossa reflorescent. Excitabuntur enim mortui, & resurgent, qui in monumentis sunt locupletati per Christum rore, id est, spiritu viuifico.* Cyr. Ale. Ecce ex Dei nutritione quot bona, quot exoriantur diuitiæ.

§. XVII.

Dei epulum nihil mundialium macularum secum admittit.

NEc prætereundum est, quando Dominus dicat: *Ecce ego pluam panes de cœlo*; nimirùm, quando Israëlitæ

Iſraëlitæ murmurauerant ſe omni Ægyptio alimento eſſe vacuatos. Et cur maluit expectare Ægyptij alimenti vacuitatem, vt plueret cæleſtes dapes? Ait D. Nyſſenus in cat. Græca datus: *Animaduertendum eſt, quod cùm nihil amplius eduly populo ſupereſſet ex Ægyto, tunc cœleſtis panis influxit, vt moneamur animum noſtrum refici cœleſti alimento, cùm quod eſt huius ſæculi vitioſum in itinere huius vitæ per veſtigia Chriſti conſumpſimus.* Tunc adeſt cœleſtis nutritio panis, cùm vitioſum Ægypti alimentum abeſt. Non admittit ſecum Ægyptias maculas panis ille, qui de cœlo cadit. Hinc Matth. 5. ſic docemur orare: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita noſtra.* Expende coniunctionem, vt panem de cœlo petimus nobis dari, ſimul noxarum ablutionem poſtulamus, vt nihil in nobis remaneat temporalis peccati. Id, quod notans Fortunatus aiebat: *Bene poſt eſcam quæſitam poſtulatur venia peccatorum, vt qui Dei cibo paſcitur, Deo viuat.* Crede mihi, nec ad punctum amat Deus ſtare cum vita vitioſa, cum vita ſæculari. Cùm primum Deus nobis adeſt, noſtróque in pectore cubat, neceſſum eſt, vt terrenæ omnes maculæ cadant. Nota eſt hiſtoria Balaami, quando cõductus à Rege Monabitarum ibat, vt malediceret Iſraëlitis; cupiebat Magus maledicam linguam vibrare, ſed pro maledictione benedictiones promebat. Cuius facti nouitatẽ miratus Rex hominem increpabat. Ille autẽ ſic ſe excuſat Num. 22. *Nunquid loqui potero aliud, niſi quod Deus poſuerit in ore meo?* Equidem vbi Deus in ore eius, nulla ibi malitia poterat durare. Sed accipite rẽ ex Ioſephi verbis lib. 4. de Ant. cap. 6. fontis: *Ea cauſa veni, vt voluntati tuæ morem gererem. Sed potentior eſt Deus, quàm mea voluntas, qui contra Dei voluntatem ad gratiam hominum loqui propoſueram. Quàm primum enim noſtrum pectus ſubintrat, nihil amplius noſtrum ibi remanet.* Quid ſapientiùs dictum? *Cum primùm Deus noſtrum pectus ſubintrat, nihil amplius noſtrum ibi remanet.* Cadunt vniuerſa malitiæ nutrimenta, vbi Deus noſtrum pectus ingreditur. Et quod opus magis proprium beneficentiſſimi Dei, quàm non permittere ſecum in nobis eſſe aliquid vitioſum, & terrenum? Sanè Gen. 38. de primogenito Iudæ dicitur: *Fuit quoque Her primogenitus Iudæ, nequam in conſpectu Domini & ab eo occiſus eſt.* Philo legit: *Et à Deo occiſus eſt.* Notanter enim dicitur Deus occidiſſe peſſimum; quando enim Dei nomen beneficentiſſimam, ſuauiſſimámque naturam exprimit, rectè oſtenditur, vt proprium ſit beneficentiſſimi Dei in nobis non permittere aliquid vitioſum, & terrenum. Ait Philo lib. 2. Allegor. *Vides, vt hunc interficit non Dominus, ſed Deus? Non enim quatenus imperat, & regnat, liberam exercens potentiam interficit corpus; ſed quatenus bonitate, humanitatéque vtitur.* Tunc cùm ſuauiſſimus, dulciſſimúſque à nobis guſtatur Deus; quando magis apparet melleus, corporalia omnia vitiorum nutrimenta in nobis non ſinit eſſe.

Exod. 16. Dixerunt Moyſes, & Aaron ad vniuerſos filios Iſraël: veſpere ſcietis, quod eduxerit Dominus vos de terra Ægypti, & mane videbitis gloriam Domini. Audiuit enim murmur veſtrum contra Dominum: Nos verò, quid ſumus, quia muſitaſtis contra nos; Et ait Moyſes: Dabit Dominus vobis veſpere carnes edere, & mane panes in ſaturitate, eo quod audierit murmurationes veſtras, quibus murmurati eſtis contra eum, &c.

§. XXVIII.

Nihil non glorioſum in beneficenti largitore.

QVam ſint omnia in Deo glorioſa, nihílque non in illo decorum, ex vna eius largitate maximè patet. Quippè ait: *Mane videbitis gloriam eius.* Et cur Dei gloria non ſtatim veſpere, ſed mane erat reuelanda? Subditur rei explicatio: *Dabit Dominus vobis veſpere carnes edere, & mane panes in ſaturitate.* Erat mane benefica Dei largitas demonſtranda, dum plueret è cœlo panes in ſaturitate. Vbi autem tot beneficiorum venæ aperiebantur, omnia ibi Dei glorioſa, & decora apertiſſimè viſebantur. Quid non glorioſum eſt, & decorum, vbi beneficentiſſima apparet beneficiorum largitas? Erat Dominus Ieſus cruci ſuffixus, iniquis deputatus, adeò deſpectus, vt dicat Iſaias cap. 53. *Non eſt ſpecies ei, neque decor; & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum. Deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus, vnde nec reputauimus eum.* Inter hæc autem latroni petenti ſui memoriam reſpondit Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Quid ais, Domine, ſub tot ignominiis crucis ſic abſconderis, vt nec à videntibus reputeris; & vili homuncioni totam paradiſi offers amœnitatem? Cur cùm tot ignominias tibi aſſumis, tam immenſam in alios effundis largitatem? Vt decorem, & gloriam addat, ſub quibus nihil in toto illo crucis deſpectu non decorum, & glorioſum appareat. Ait D. Chryſoſt. hom. de cruce, & latrone: *Volo, inquit Ieſus, vt in cruce poſſint omnes meam inuenire virtutem, vt in cruce mea largitas demonſtretur. Et quoniam crux dedecoris fuerat ſignum, & apud omnes ignominia putabatur, crucis infamiam mirandis beneficiis decorauit.* Ecce tibi vt in cruce ſe Dominus conuertit ad largitatem, qua omnes ignominias decoraret, nihílque inde ignominioſum, nihílque indecorum appareret, vbi tanta homini dabantur. Sed omnia ibi in gloriam viderentur transfigurata. Hinc Luc. 9. cum Ieſus transfiguratus eſſet: *Ecce duo viri loquebantur cum eo. Erant autem Moyſes, & Elias viſi in maieſtate: & dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem.* Vbi noſter poſuit *Exceſſum*, habet Græcus *Gloriam*, loquebantur equidem Moyſes, & Elias cum Ieſu de gloria, quam Ieroſolymis completurus erat traditus morti. Sed cur & mors, & paſſio dicitur gloria, & non potius ignominia; Erant in paſſione quot vulnera, tot ſigna beneficentiſſimi, amoris, quo ditabantur homines: ideò ibi nil ſpectari poterat non glorioſum. Vt dicat Eutym. c. 34. in Matt. *Gloria quoque appellatur crux ipſa. Aliis ſiquidem probrum erat, vtpote magnorum pœna criminum: ſoli vero Chriſto gloria facta eſt, magni videlicet erga nos amoris præmium.* Vbi beneficentiſſimi amoris munera in homines proficiſcebantur, quidquid crucis erat, ad gloriam, & decus ſpectabat. Nunquam enim largitas non ſcit ignominias in gloriam transformare. Hinc præſepis vilitatem occupante Dei Filio clamabant Angeli Luc. 2. *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus*, &c. Eſto, quòd iacente Deo in ſtabulo pax oriretur mortalibus, at quæ inde gloria Deo poterat eſſe, & non magis exinanitio, & humiliatio? Rem attigit German. Patriarch. Conſtantinop. orat in ador. crucis apud Grethſerũ tom. 2. *Gloria in excelſis, & in terra pax reſultabat. Benitas enim Dei diffuſa fuerat in nobis.* Non poſſunt ignominiæ prævalere, vbi accedit benefica largitas, quæ potens eſt quamcunque vilitatem in gloriam commutare. Non vilitas videtur, ſed gloria Dei, quando eius bonitas diffunditur, vt nos diuites faciat. Quò reſpiciens Ioël cap. 2. ait: *Comedetis veſcentes, & ſaturabimini, & laudabitis nomen Dei veſtri, qui fecit mirabilia vobiſcum.* Neceſſum enim eſt, vt ſimul ſint, & gloria, & laus Dei, & diuinæ largitatis manifeſtatio. De quo D. Cyril. Alex. ibi: *Tunc comedentes repleti ſumus, & vt Dominum glorificamus Chriſtum Saluatorem noſtrum, eundem vt mirabilium effectorem, & maiora quàm dici, aut ſperari poſſint, diligentibus ſe donantem prædicantes.* Tunc, inquam, Deum glorificamus, & ipſe glorioſus prorſus apparet, cùm verè de eo prædicamus, quod plura largitus eſt, & maiora, quàm nos poſſemus expectare. Nil, crede mihi,

cum

D. Nyſſe.

Matth. 5.

Num. 22.

Gen. 38.

Philo

Ioël 2.

Cyr. Alex.

cum largitate donatoris poteſt eſſe, quod non glorioſum, & ſplendidum appareat. Vnde D. Chryſ. orat. in Paraſceue, de ſexta feria locutus,ſic ait: *Laudetur dies lucis genitrix,per quam cæteræ dies ad lætitiã vocatæ ſunt. Audi quomodo. Hodie Adam formatus eſt,ſexta die,hodie formam geſtauit diuinam,hodie paruus mundus in mundo conditus eſt, hodie primus homo tanquam gubernator præclara totius naturæ humanæ obtinuit gubernacula,animantibus cunctis præpoſitus: hodie mandata accepit liberi arbitrij.* Et meritò dies hæc genitrix lucis vocatur,in qua tot,tantáque ſunt homini data; nihil enim non ſplendidum, & glorioſum à diuina largitate.

Chryſoſt.

§. XIX.

Chriſti epulum nos ducit in Dei viſionem.

DIuinæ gloriæ viſionem promittit Moyſes non in veſperum,ſed in manè,aiens: *Mane videbitis gloriam Dei.* Sed & veſperi carnes præbendæ erãt,vt mane dandæ erant panes. Cur ergo non dicit,quòd videbunt gloriam Dei in veſpertinis carnibus,ſed in matutinis panibus? Ratio indigitatur à Rupert. dicente: *Per carnes vetera ſacrificia,per manna nouum ſacrificium accipimus. Illa Dominus ſacrificia permiſit fieri, hoc autẽ nouũ corporis, & ſanguinis ſui ſacrificium per ſemetipſum tradidit.* Meritò igitur non illis veteribus, ſed in hoc nouo diuinæ gloriæ viſio communicatur; cœleſtis enim panis ſumptus in altari maximè facit ad diuinam gloriam ſpectãdam. De fructu arboris ſcientiæ aiebat ſerpens Gen. 3. *In quocunque die comederitis ex eo,aperiẽtur oculi veſtri.* Sic vafer in cibo apertionem oculorũ ponebat; ſed falſitas hæc in veritatem à Deo fuit mutata, vbi Filium ſuum vnigenitum permiſit pendere ab arbore. Cur Domine, non magis arborem execraris? Cur non magis arborem fugis, in qua mendaciorũ tela contexta ſunt,imò in qua fuit venenum generis humani? Placuit Deo ab arbore pendere, venítque ad crucis arborem,vt mortifero cibo cibum opponeret vitalem, quo ſic in veritate oculi hominum aperirentur,vt poſſint Deum contemplari. Ait Rup. lib. 6. in Ioan. ad c. eius 6. *Vt cibo, per quem homo periit, oppoſitum cibum daret,præcepto patris aduersùs lignum ſcientiæ ipſe fructus vitæ æternæ in ligno crucis pendere voluit, & per paſſionem mortis, mortuorum ſimul, & viuorum cibus fieri, vt ſuo quique modo comederent eum tam mortui,quàm viui. Decerptum quippe illum de arbore crucis comederunt animæ ſanctorum,eo videlicet modo,quo & Angeli eundem comedunt; comederunt, inquam, veram diuinitatem, & verè aperti ſunt oculi eorum, & exinde viderunt Deum, quem antehac nemo vidit vnquam.* Expende illud: *Et verè aperti ſunt oculi eorum*, &c. quippè in diuiniſſimi fructus decerptione,& eſu conſiſtit apertio vera oculorũ, qua homo Dei gaudeat viſione. Etenim vſque dum ſancti de crucis arbore viuificũ Ieſu fructum ſumpſerunt,in tenebris erant,nec Deum videre poterant,quẽ de beneficio diuini fructus cœperunt videre,& agnoſcere. Vt enim Ionathæ oculi de mellis cibo fuerunt illuminati. 1. Reg. 14. ſic ſumpto diuino cibo, & noſtri oculi illuminantur, vt diuina capiant. Quò ſpectãs Pſ. 33. clamat: *Guſtate,& videte.* Guſtũ enim in primis petit,vt applicemus diuinis dapibus,deinde vt videamus. Nequit enim fieri,vt qui diuinum epulum guſtauit,illuminatos oculos ad percipienda diuina non habeat. Ex quo aiebat D. Dionyſius Areopag. de Eccleſiaſt. Hierarch. c. 3. de communione,in fine: *Guſtate,inquit, & videte. Profecto qui ſacroſanctæ diuinarum rerum diſciplina initiantur,per magnificas ipſarum recognoſcẽt gratias,& excellentiſſimam illarum celſitudinem, ac magnitudinem participatione ſpeculantes,cœleſtia diuinitatis beneficia gratè laudabunt.* Et ſimul cum eſu,& guſtu cœleſtis pabuli ibi latentes diuinitatis gratiæ,& celſitudines oculis patent, vt illas facilè poſſimus ſpeculari. Hinc clamabat illa Cant. 5. *Comedite amici,& bibite,& inebriamini chariſſimi.* Non miror, quòd petat, vt diuiniſſimis epulis veſcamur. Sed illud mirandum, quod petat, vt inebriemur. An ebrij Deo placent? Equidem ebrij placent Deo,ſed illa ebrietate,quæ mentis exceſsũ afferat ad diuina rimanda. Facit hoc diuina menſa, facit hoc diuinus calix, vt homo tanquam ebrietate ſuperatus mundo obdormiat,ſed mente excedens lynceis oculis diuina omnia valeat penetrare. Ait Nyſſen. hom. 10. in verba data: *Quod hic adhortatur,hoc totum factum eſt per diuinum illum cibum, & potum, & ſemper fit,conueniente cũ cibo,& potu,mutatione, & exceſſu à deterioribus ad ea, quæ ſunt meliora. Quo inebriatus aliquando fuit diuinus Dauid, vt qui cùm à ſe exceſſiſſet, vidit pulchritudinem, quæ non cadit ſub aſpectum; inſignémque illam exclamauit vocem. Omnis homo mendax.* Et qui guſtant cœleſtem panem,& bibunt calicem, & Dauid in eadem fuerunt ebrietate,qua à deterioribus excedentes ad ſuperiora contendunt, ibíque vident pulchritudinem illam,quæ ſub aſpectu non cadit. Quapropter forſan Deus ad hoc epulum, & paruulos inuitabat, aiens Mar. c. 15. *Sinite paruulos venire ad me*; ex quo in primitiua Eccleſia, & paruulis Euchariſtia dabatur. Sed cur paruulis tam ſolidum epulum offerebant? Ait Dionyſ. Areop. de Eccleſiaſt. Hierar. c. 7. par. 3. prope finem: *Tradit autem puero ſancta myſteria Pontifex,vt nutriatur in ipſis, neque vitã aliam habeat, niſi hanc, quæ diuina inſpiciat ſemper.* Itaque vt à pueritia oculos ad diuina percipienda habuerint clariſſimos, ideò & alebantur pueri cœleſti cibo

Cant. 5. *Nyſſen.* *Mar. 15* *Dio. Ar.*

§. XX.

Quod maioris virtutis eſt, id primum ſit ei,qui glorioſiorem oſtendit virtutem.

ET carnes, & panes erant à Deo populo ſuo dandi; ſed carnes veſpere,panes autem mane. Sic ait: *Dabit vobis Dominus veſpere carnes edere, & mane panes in ſaturitate.* Et præmiſerat: *Mane videbitis gloriam Dei*, quaſi in eo, quod mane daret panes, fieret Dei gloria magis conſpicua. Et cur Dei gloria clarior in panũ datione matutina? Maioris virtutis opus erat mannæ cõmunicatio,quàm coturnicũ adductio; coturnices enim non denuo creabantur,ſed à Deo excitato vento aliũde trahebantur, in mannæ autem effectione totum opus nouum erat,& inauditum,& multa ibi fiebant,in quibus Dei virtus maximè extollebatur. Vt ergo maioris virtutis opus erat,ſic Deus, vt glorioſior appareret,ad illud prius accingebatur. Sic Paulus 1. ad Theſſalonic. cap. 4. de corporum reſurrectione locutus,ait: *Nos,qui viuimus, qui reſidui ſumus in aduentu Domini, non præueniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipſe Dominus in iuſſu,& in voce Archangeli,& in tuba Dei deſcẽdet de cœlo. Et mortui,qui in Chriſto ſunt,reſurgent primi. Deinde nos,qui viuimus,qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis,* &c. Itaque ſi credimus Chryſoſt. Hier. Theod. Theophylact. OEcumenio, Origen. Tertullian. Caiet. Fabro,quorum ſententiam probabilem affirmant Suarez, Valentia, Acoſta, & nouiſſimè Granad. tom. 5. controuerſ. 13. tract. 2. diſput. 3. num. 12. ſi his, inquam, fides habenda eſt, in puncto reſurrectionis faciendæ erunt adhuc multi ſancti viui, qui in ſtatum perfectiorem mutandi ſunt; erunt & cæteri omnes defuncti. Sed qui defuncti erunt, ij prius ad incorruptionis gloriam vocabuntur, quàm qui tunc viuent. Et cur illi prius? Quia maioris virtutis opus eſt, quod defuncti, & diſperſi per elementa colligantur ad vitam, & vitam incorruptam; quàm quod viui incorruptionem acquirant. Ait Imperfectus hom. 34. in Matth. *Magis ſecundùm rem erat, vt prius viuentes immutarentur, poſtea mortui reſurgerent incorrupti. Sed quia in conuertendis viuentibus vna eſt virtus, hoc ſolum quod*

1. The. 4. *Impoſſ.*

ad immortalitatem mutantur : quod autem mortui incorrupti ſurgant; duo ſunt opera, primò, quia reſurgunt; ſecundò quia incorrupti reſurgunt. Ergo vt oſtendat Deus inæſtimabilem potentiam ſuam, quod difficillimum eſt, mortuos ſuſcitat incorruptos, poſteà viuentes immutat. Ecce vt ad maioris virtutis opus Deus ſeſe prius accingat. Id sẽper præ oculis habet, vt imprimis maiora, & præſtantiora fiant. Quò clarior oſtenditur inæſtimabilis gloria ſua. Ex quo, vbi Matt. c. 20. operarios vineæ ſuæ remunerat, dicit diſpenſatori: *Voca operarios, & redde illis mercedem incipiens à nouiſſimis.* Qui nouiſſimi venerunt, prius remunerationem capiunt, quàm qui venerunt mane ſummo. Qualis hic ordo rei? Sanè ordo eſt poteſtatis indulgentiſſimæ, quæ maiora aggreditur prius, indignioribus largiendo ſua. Ait Imperfectus hom. 34. in Matth. *Secundum rem quidem erat, vt primi priores acciperent ſuam mercedem, ſed vt oſtendat Deus ineffabilem miſericordiam ſuam, primùm nouiſſimis, & indignioribus reddit mercedem, poſteà primis.* Sanè ineffabilis, & diuiniſſimæ virtutis eſt, quòd prius aggrediatur opus difficilius.

Imperf.

§. XXI.

Tunc Deus magis oſtenditur, cùm pro hominibus magis exinanitus eſt.

DEitatis educentis illos de Ægypto reuelatio notanter dicitur oſtendenda veſpere. Quippè ait: *Veſpere ſcietis, quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti.* In quo autem veſpere agnitus ſit Dominus redemptor, in dubium verti poteſt. Non equidẽ in exhibitione coturnicum tantus oſtẽdebatur Deus; qui ergo veſper ſic Deum exhibebat redemptorem? Sanè in Euangelio lego, cùm Ieſus hora tertia poſt meridiẽ clamans expiraſſet; tunc Deum agnitum à præſentibus. Et crede mihi, tunc Deus maximè oſtenditur, cũ pro hominibus magis exinanitus eſt. Rẽ attigit Orig. hom. 7. in Exod. aiens: *De hoc mihi, velim, reſponderent Iudæi, quomodo ad veſperam agnoſcitur Dominus. Vbi Dominus agnitus eſt ad veſperam? Sed ſi vis iſta intelligere, non potes niſi per Euangelium. Ibi audies terræmotum factum, monumenta diſrupta, centurionem, & milites, qui ad cuſtodiam poſiti erant, dicentes: Verè Filius Dei erat iſte. Agnitus ergo eſt per hæc in veſpera Dominus.* Et quidẽ nunquam Deus magis exinanitus eſt, quàm in illo veſpere, in quo ſuſpẽſus in cruce animam pro nobis efflabat. In illa tamen exinanitione, & Deus agnoſcebatur, & prædicabatur. Sed & in ipſo prætorio Pilati ſupra modum exinanitus erat, adeò vt non ſemel Pilatus irrideret putantibus in illo poſſe eſſe, vel regni ſuſpicionẽ, vel hominis. Primò nãque dicit text. Ioan. 19. *Exiuit ergo Ieſus portans coronã ſpineam, & purpureum veſtimentum. Et dicit eis Pilatus, Ecce homo.* Et rursùs cùm vellet acquieſcere furori Iudæorum: *Adduxit foras Ieſum, & ſedit pro tribunali,* &c. *& dixit Iudæis: Ecce Rex veſter.* Non equidem ſeriò vocabat hominẽ, aut Regem, quem videbat quaſi viliſſimum vermẽ conculcatum; ſed illis vocibus irridebat accuſationi Iudæorũ. At Iudæi non ſolũ accuſabant Ieſum, quia regnũ affectabat; ſed etiam, & maximè, quia ſibi aſſerebat diuinitatem vocans ſe Filium Dei. Quãdo ergo perfidus irridet vel hominis, vel Regis appellationi, in eo, qui adeò miſerabiliter tractabatur; cur nõ ſimul, imò & magis irridet appellationi Filij Dei? Non auſus eſt irridere eius diuinitati, quando in eo, ſic pro nobis exinanito, & deſpecto, non videretur irriſio; ſed vera, & certa diuinitatis oſtẽſio. Pulchrè notabat Rup. lib. 13. in Ioan. *Dixerat hic deriſor: Ecce homo, nunc adhuc irridens: Ecce, inquit, Rex veſter. Neſciuit dicere, quod tertium accuſationis nomen eſt: Ecce Filius Dei veſtri.* Planè ad id non potuit peruenire Pilati deriſio; potuit prudenter ridere, & irridere, quòd vocaretur homo, qui vt viliſſimus vermis tractabatur: & potuit etiam irridere, quod timeretur Rex, qui ſceleratiſſimorum iudicio ſuberat. At quod in tantam exinanitionem pro nobis ſine culpa propria veniens haberetur Filius Dei, id deridere non potuit, vtpote quod euidentiſſimum videretur. Hinc diſces differentiam conceptionis, & natiuitatis Chriſti, & eiuſdem baptiſmi. Equidem & conceptio ſecretiſſima fuit, & à ſummo Patre obumbrata, ait enim Angelus Mariæ Luc. 2. *Virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Et in natiuitate nulla ſonuit vox Patris, qui illum Filium annunciaret. At dum Ieſus baptizatur Matth. 3. *Confeſtim aſcendit de aqua: & ecce aperti ſunt ei cœli: & vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. Et ecce vox de cœlo dicens: Hic eſt Filius meus dilectus.* Et cur in baptiſmo tot lumina, tot clariſſima præconia diuinitatis? Sunt, qui dicant in baptiſmo ſummam profeſſum fuiſſe Ieſum abiectionem, & humilitatem maiorem quàm in natiuitate, quando baptizatus inter alios reos, & ipſe apparebat, quaſi eſſet ſub reatu, & indigens lauacro. Quo nihil abiectius poteſt excogitari. Rurſus alij, cũ Salmerone noſtro tom. 4. par. 1. tract. 7 affirmant, quod in baptiſmo candidatus fuerit Ieſus factus paſſioni, conculcationi, cruci, & ſepulturæ. Ex quibus non immeritò patentiùs eius diuinitas in baptiſmo claruit, quando in ſumma abiectione, & humiliatione, repræſentabatur. Vt dicat D. Aug. hom. 7. de Epiphan. quæ eſt. 36. de Tempore: *Denique Spiritus ſanctus, qui illi tunc in vtero affuit, modò eum in gurgite circunfulſit. Pater, qui tunc obumbrauit in virtute, nunc clamat in voce, & quaſi maturiori conſilio, qui tunc vmbram præſtitit natiuitati, modò teſtimonium perhibet veritati. Ait enim: Hic eſt filius meus dilectus. Præclarior planè eſt ſecunda, quàm prima natiuitas. Illa enim ſine teſte ſilentio Chriſtum genuit, iſta cum diuinitatis profeſſione Dominum baptizauit. Ab illa ſe Ioſeph, quo pater putabatur, excuſat in hac ſe pater, qui non credebatur, inſinuat. Ibi laborat ſuſpicionibus mater, quia profeſſioni deerat pater, hic honoratur genitrix, quia diuinitas filium proteſtatur. Honoratior, inquam, ſecunda, quàm prima natiuitas.* Sic vbi abiectio maior, diuinitas Ieſu enituit clariùs.

Ioan. 19.

Rup.

Luc 2.

Aug.

Exod. 16. Dixítque Moyſes ad Aaron. Dic vniuerſæ congregationi filiorum Iſraël: Accedite coram Domino, audiuit enim murmur veſtrũ Cúmque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Iſraël, reſpexerunt ad ſolitudinem, & ecce gloria Domini apparuit in nube. Locutúſque eſt Dominus ad Moyſem, dicens: Audiui murmurationem filiorum Iſraël. Veſpere comedetis carnes, & mane ſaturabimini panibus; ſcietíſque, quod ego ſim Dominus Deus veſter.

§. XXII.

Temporalia bona excæcant, ne Deus videatur.

EXpende illam mirificam propoſitionem, nimirùm: *Reſpexerunt ad ſolitudinem, & ecce gloria Domini apparuit in nube.* Non equidem apparuit Dei gloria, antequam ipſi ad ſolitudinem reſpexerint; quandiu enim ob oculos nobis eſt turba mũdialium bonorum, fallar, ſi innoteſcat Dei gloria. Barbariſſimi, & impiiſſimi Pharaonis erat illa vox Exod. 5. *Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Iſraël? Neſcio Dominum.* Quis tantam cæcitatem crederet in homine? Vnde homo in tot rebus à Deo dependens in eam cæcitatem poteſt venire, vt prorſus ableget à ſe omnem Dei cognitionem? Rationem attigit Philo Iudæus lib. de vita Moyſis, fatus: *Rex ab incunabulis innutritus maiorum ſuorum faſtui, nec credens vllum Deum præter iſta viſibilia, reſpondit: Non noui iſtum, quem prædicatis, nouum Dominum.* Expende illud fundamentum atheiſmi, nimirùm: *Ab incunabulis innutritus faſtui,* &c. quippe cui temporalis

Exod. 5.

Philo.

ſplendor

ſplendor præ oculis ſemper erat, ſic præoccubatur à temporalitate,vt non haberet,vnde ad Dei cognitionẽ accederet. Mirabar aliquando ſapientes Hieroſolymitanos,qui iuſſi ab Herode, vt Meſſiæ locum nauitatis Magis oſtenderẽt,locum quidẽ oſtenderunt, dicentes
Matt.2. Matt.2. *In Bethlehem Iudæ.Sic enim ſcriptum eſt per prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda;ex te enim exiet dux*, &c. Oſtenderunt,inquam, locum dominicæ natiuitatis, ſed Dominum natum etiam illuminante ſtella minimè viderunt,nec requiſierunt.Et cur locum videntes, non vident Dei ortum ab ſtella oſtenſum?Erãt illis præ oculis temporalia decora, ſub quibus credebant venturũ Regem,& inde obcæcati non videbant Deum,qui vel
D.Leo. cæcis patebat.Ait D.Leo ſer.4.de Epiphan. *Prolato diuino oraculo per reſponſa Pontificum, & declarata ſpiritus voce,quæ dicit; Et tu Bethlehem terra Iudæ nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſraël quam facile, & quam conſequens fuit,vt Hebræorum proceres crederent,quòd docebãt. Sed apparet illos carnaliter cum Herode ſapuiſſe & regnũ Chriſti commune, cum huius mundi poteſtatibus æſtimaſſe.* Ecce tibi vbi nihil in Chriſto non temporale autumãt, eúmque cenſent in turba temporalium Principum, etiam radiãte ſtella deſuper Dei ortum minimè vidẽt. Non equidem apparet Deus in bonorũ temporalium
Matt.20. turba. Vnde Paterfamilias ille Matt. 20. *Egreſſus circa horam tertiam,vidit alios ſtantes in foro otioſos.*Erãt equidem otioſi iſti in foro, ideò nihil cœleſte odorantur, nec dum videre poſſunt. Vt dicat Paſchaſius lib. 9. in Matt.*In foro quidem erant, & ideò extra vineam, id eſt, quia lucra mundi ſectabantur.Idcircò dum in foro ſunt tales,neque ad nuptias ſponſi, neque in vineam Chriſti, temporalia tantum ſectantes, venire, & operari in ea poſſunt.* Non equidem temporalia lucra ſuos ſectatores permittent percipere ea, quæ Dei ſunt? ſiue Deus fiat vt ſponſus,ſiue vt vinea,minimè ab illis percipietur.

§. XXIII.

Vbi Dei gloria apparet,temporalia omnia diſparent.

NVnquam non eſt mundialium ſolitudo, vbi gloria viſitur Domini;ait enim:*Reſpexerunt ad ſolitudinẽ,& ecce gloria Domini apparuit.*Solitudo ſemper eſt vniuerſus mundus,vbi cœperit apparere gloria Domini.Proponas licèt tibi ob oculos mundi decora,mundi ſplendores,omnia hæc euanent,diſparent,& vaſtam ſolitudinem repræſentant,dum tantum gloria Domini
Mat.24. ſeſe exhibeat oculis.Ait Matt.24. *Statim autẽ poſt tribulationem dierum illorum Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum,& ſtellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur, & tunc parebit ſignum filij hominis in cœlo.*Hæc ait Matth.de extremo tẽpore;ſed Iſaias c.30 de eodem locutus ait: *Erit lux Lunæ ſicut lux Solis,& lux Solis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum in die,quando alligauerit Dominus vulnus populi ſui.* Ecce tibi iuxta Iſaiæ vaticinium Sol in tempore vltimo ſeptempliciter radiabit, iuxta Matthæum obſcuratus erit tam Sol,quàm Luna. Et quomodo ſi ſeptempliciter creſcet horum ſplẽdor,ſimul erunt obſcuræ? Iſaias loquitur de ſplendore, quem aſtra ſecundùm ſe tunc habebunt,qui proculdubio erit ſeptempliciter maior, quàm eſt nunc.At Matth. loquitur reſpectu gloriæ, & ſplendoris tunc micantis,vel in ſigno crucis,vel in ipſo Ieſu hominis Filio, reſpectu cuius lucidiſſima quæque aſtra in maiori ſuo ſplendore apparebunt obſcuræ, &
Paſch. velut illunes noctes, aut dies deſerti Solis lumine. Ait ad hæc Paſchaſ.lib.11. in Matth.*In comparatione veræ lucis omnia cœlorum luminaria ſic futura prophetantur à Domino,ac ſi tenebroſa. Non in ſua natura,ſed ad fulgorem æternæ lucis comparata valde obſcura erunt.* Equidẽ vbi radiat dominicæ gloriæ lumẽ, ſub eius aſpectu omnia creata decora,& lumina prorſus diſparent.Crede mihi,creatũ nõ poteſt non euaneſcere,ſi cũ diuinis componi debet.Vnde Elias 3.Reg.17.prouidens eſcas 3.Reg.17
mulieri viduæ, inquit:*Hydria farinæ non deficiet,nec lecythus olei minuetur, vſque ad diem:in qua Dominus daturus eſt pluuiam in Iſraël.* Vbi Deus incœperit ipſe ſuã oſtendere magnificentiam in pluuia, non vult Elias vt ſua dona perſeuerent,& quidem meritò, in conſpectu enim diuinæ abundantiæ nihil aliud non debet euaneſcere.Chryſ.orat.in decollat.Ioan. Bap.habita apud Chryſ.
Metaphraſtem,ait:*Quare eò vſque? Oportebat enim cum noua gratia veniſſet tanquam pluuia, veterem legem finem accipere.* Nihil enim,quod certis lẽgibus metitur, non diſparet ad conſpectum & bonitatis, & largitatis immenſæ.Ex quo Pſal.36.*Vidi impium ſuperexaltatum,& Pſal. 36.
eleuatum ſicut cedros Libani, & tranſiui,& ecce non erat.* Quò tranſiuit Dauid, vt tam citò tot altitudines in nihilum redigi viderentur?Tranſiuit mente vt Dei glorias ſpecularetur, quas vt mente vel à longè percepit, nil mundiale magnum non euanuit, & in earum conſpectu receſſit. Ait Elias Creten. in orat. 3. Naz. *Quid* Naz.
illud eſt,quod tranſit iuſtus,vt iſta ceſſet elatio? Cum vidimus extolli impios,& in nimiam ſuperbiam creſcere,trãſeamus & nos mente,& intellectu ab iis, quæ videntur, & temporalia ſunt, & transferamus intellectum noſtrum ad æterna. Ecce tibi vt altitudines mundiales vniuerſæ ceſſant,& ſolo æquantur, quaſi nihil ſint, vbi mentem leuauerimus ad æterna.

§. XXIV.

Ea ſunt Dei dona,quæ murmurantium os occludant.

QVerulis, & murmuratoribus hominibus iubet Moyſes, vt accedant ad Dominum accepturi alimoniam ex Deo ſciente eorum murmurationes. Dicit enim:*Accedite coram Domino, audiuit enim murmur veſtrum.* Et quando notum ſit Deo murmur eorum, & querimonia pro habendo cibo, cur non magis ſatagit, vt caueant Dominum? Periclitantur ſemper,vel apud beneficos illi, qui nimis queruli ſunt, nimíſque propenſi ad ingratiſſimas murmurationes.Cuius vitij reos Iſraëlitas fateris illos notos Domino,cur ergo non magis illorum murmurationi notæ times, aut Dei nomini non magis proſpicis contra linguas murmuratotum? Meritò non timet Moyſes Iſraëlitis murmuratoribus à Deo,nec Deo timet à lingua murmuratorum, cùm ſciat ea eſſe Dei dona, quæ murmurantium ora prorſus obtrudere poſſint. Matth. 20. proponitur Deus Mat.20.
vt paterfamilias, qui tandem vndecima diei hora in forum exiit, ibíque quam plurimos otioſos, vagóſque inuenit,quibus ait: *Ite & vos in vineam meam.*Sic illos mittit in vineam ſuam nullo cum illis pacto laboris pretio.Et cur non antea paſciſcitur de mercede?Nouit equidem genus hominum querulum,qui ſoleant ſæpe magna de laboribus propriis ptæſumere,& nõ acquieſcere cuiuis illorum pretio. Cur ergo non magis vel ſuſpiciones querelarum tollit,& ante laborem paciſcitur de pretio?Non timet bonus ſibi à laborantiũ querelis;ſciens ſemper illa dare dona,quæ nullum aditum murmuribus deſinant.Pulchrè ait Imperfect.hom.34. Imperf.
in Matth. *Iſtis autem non facit pactum. Benignus enim paterfamilias ſciebat largitatem ſuam, quia tantum paratus eſt retribuere,quantum mercenarij recipere nõ ſperabãt.De dato enim eius nemo iuſtè murmurat,quia amplius dat,quã omnis homo deſiderat.*Murmurationem omnem abſumunt dona diuina,vt quæ immensè excedant hominum ſeruitia. De Iona fugiente Deum ait textus c. Iona 1.
1.*Inuenit nauem euntem in Tharſis:& dedit naulum eius, & deſcendit in eam*, &c. Necdum dicitur ingreſſus in nauim,& iam notatur,quòd naulum ſolueret. De Ieſu autem ait Matth.cap. 9. *Aſcendens in nauiculam trans-* Matt.9.
fretauit,

fretauit, & venit in ciuitatem ſuam. Nulla mentio de naulo vel dato, vel dando in præſenti fit. Et quando hæc,& illa idem dictabat ſpiritus, vt ibi notauit,quod Ionas naulũm dederit, cur ſimili modo in præſenti nõ animaduertit,qualiter ſe exhibuerit Ieſus circa exhibẽdum pretiũ nauiculæ? Nouerat Ieſu patẽtiſſimam largitatem,quæ nullis terminis circunſcribitur, nec ligni obſequium admittit,quin illud ſupra expectationẽ re-
Chryſoſt. muneret. Vt dicat D.Chryſoſt.orat. in Paraſceue apud Grethſerum tom.2.*Nauigauit Ieſus mare, Deus nauigio vſus eſt: breuem, ac temporariam vtilitatem præbuit lignũ:ego vero accepi lignum æternum,bonum, quo pro remo vſus ſpirituales nequitiæ fluctus diſpello.* Sic remuneratio in ligno crucis in immenſum exceſſit obſequium præſtitum à ligno nauigij. Planè quodcunque obſequium Deo exhibetur adeò fructiferum eſt, vt poſſit vel expectationem ſupergredi. Elias propheta Dei à pauper-
3.Reg.17. cula vidua petebat fruſtum ſubcineritij panis 3. Reg. 17. *Quæ abiit,& fecit iuxta verbum Eliæ,& comedit ipſe, & illa,& domus eius.* Ecce de pugillo farinæ quot comederunt, & cibus non defecit. Quò ſpectans Diuus
Chryſol. Chryſol.hom.de decollat. Baptiſt.apud Metaphraſtem ait: *Ipſa quidem feſtinanter fecit,quæ iuſſa fuerat.Ille autem cum illum diuitem accepiſſet panem ſubcineritium, & guſtauit,& eius domum impleuit bonis.* Expẽde verba nimirùm:*Illum diuitem panem:* ex pugillo farinæ ſubcineritius panis factus diues habetur. Vnde diues panis,& paruus,& vilis? Equidem paruus panis exhibitus Deo in propheta tam ingentem remunerationem prætendebat ex Deo,vt meritò & diues,imò & fons diuitiarum poſſet haberi.

§. XXV.

Regis congreſſus nulli inuidioſus in ſola Dei aula poteſt inueniri.

NOuam, & inauditam in aulicis miniſtris libertatẽ oſtendit Moyſes,dũ ſummi Regis adeundi facultatem liberã facit omnibus, dicens:*Accedite coram Domino.* Sic liberum permittis Moyſes Domini congreſſum? Quid magis familiare aulicis miniſtris,quàm ſui Regis congreſſum inuidere aliis,imò & ſibi timere ab illo.Cur tu non inuides?Cur non times,quod alij accedant,forſan placituri?Erat res cum Deo,non cum mũdiali Rege; in ſola autem Dei aula inuenitur & con-
Num 24 greſſus Domini,& fauor ſine inuidia. Num.24,vaticinatur Balam plurima de populo Iſraëlitico fatus tandẽ: *Accubans dormiuit vt leo, & quaſi leæna, quam ſuſcitare nullus audebit. Qui benedixerit ei,erit & ipſe benedictus.* Aliter idem:*Qui benedicunt te,benedicentur.* Quæ verba minimè poſſe quadrare regno tẽporali multis contendit Theophylactus. Et quid eſt in illis, quod à regno temporali abhorreat? Illa ſunt,nimirùm:*Qui benedicũt te,benedicentur:* qui enim apud Regem temporalẽ bona,& grata Regi promit, nequit fieri, quod ipſe benè audiat apud alios,ſed magis inuidiæ,& odiis erit expo-
Theoph. ſitus.Hinc ſapienter Theoph. in c.2.Matt. dicit: *Qui benedicunt te,benedicentur,ecce deitatẽ.Sola enim Dei natura hanc benedictionis virtutem habet.* Quod benedicẽs Regi,& tu benedicaris ab aliis, & non magis ſis inuidioſus,& infenſus,non id inuenies in Regum temporalium domibus.Id euidentiſſimè oſtendit Regis diuinitatem,cuius ſolius eſt, quod ſe colentes non inuidiã incurrãt,ſed & ipſi impleantur benedictionibus. Quò
Pſal. 47. crediderim ſpectare Pſ.47.dicentẽ:*Ciuitas Regis magni, Deus in domibus eius cognoſcetur,cũ ſuſcipiet eã.* Legit D.
Chryſ. Chryſ. *Deus in Regiis eius, ſiue in Palatiis eius cognoſcetur ad munimentum.* Alij ex Hebræo; *Ad eleuandum,& protegendum.* In magni ſupremíque Regis ciuitate, is cognoſcitur Deus in Regiis eius, & in Palatiis eius,& cur Deus cognoſcitur in Regiis, vel Regiæ oſtendunt Regem ſuum Deum eſſe?Iam explicat dicens: *Ad eleuandum, & protegendum*; quippe qui ibi eleuantur, & fauoris aura potiuntur,ſimul apparent protecti, nullo vel inuidiæ,vel odij expoſiti telo.Cõmune eſt in Regiis tam Dei,quàm mundialiũ principum,quod multi ad fauoré Regis eleuentur;at quod qui eleuantur, & ad fauorem accedũt nulli ſint expoſiti inuidiæ telo,ſed vndique inueniãtur protecti, id ſolius Regiæ,in qua Deus ſe manifeſtat, proprium eſt. Vnde monebat Ænæas *Æn.Sil.* Siluius (qui fuit Pius 2.Pont.Max.)amicum; *Fugienda nobis ſunt atria Regum, & aulici tumultus, in quibus nec requies, nec bonarum artium exercitatio, nec virtutis aliquis amor regnat; ſed auaritia tantum, libido, crudelitas, inuidia,& ambitio dominantur.* Quid plura?Et Sidonius *Sid.App.* Appoll.|lib. 2. epiſt. 3. dicit amico: *Si quid noſtratium precatibus acquieſces, ac tutum in patriam receptui canere feſtina, & aſſiduitatem tuam periculoſæ Regum familiaritati celer exime:quorum conſuetudinem ſpectatiſſimus quiſque flammarum naturæ benè comparat, quæ ſicut paululum à ſe remota illuminant, ita ſatis admota ſibi comburunt.* Sic periclitatur fauor apud mundiales Principes; quot enim miniſtri in aula ſunt, tot iacula petunt quemcunque Principi appropinquare vident. Sola in Dei Regia gratus accidis ſine inuidia.

§. XXVI.

Diuinum epulum benefacere docet inimicis.

QVos nouit Dominus murmuratores cœleſti pane paſcit, dum ait: *Audiui murmurationem filiorum Iſraël.Veſpere comedetis carnes,& mane ſaturabimini panibus.* Si murmurantes agnoſcis Domine; cur conuiuium illis paras? Cur non magis famem, peſtem,gladium paras murmuratoribus,quam dapes?Non miror, quod dum cœleſtem panem dare cogitat,murmuratores etiam benè accipiat;eſt enim proprium diuinarum epularum,quod vel aduerſariis beneficare faciãt.Mo-
net Prouerb.c.23.*Quando ſederis,vt comedas cum Prin-* *Prou.*
cipe,diligenter attende,quæ appoſita ſunt ante faciẽ tuã;& ſtatue cultrum in gutture tuo. Sept. legerũt:*Immitte manum tuam, ſciens, quia talia te oportet præparare.* Sto à ſententia D.Aug.tract.47.& 48.in Ioan.& Iſychij lib. *D.Aug.*
6.in Leuit.c.22.putantium hanc Principis menſam eſſe, in qua euchariſticus cibus porrigitur. Sed quando menſa Principis euchariſtia eſt, cur mandamur ſic manus ad dapes porrigere,vt talia ſciamus à nobis paranda?Quomodo nos talia parabimus ex noſtris?Equidem non talia parare tenemur in exhibitione ſubſtantiæ, ſed in imitatione virtutis. Quando enim ſiue agnus aſſabatur,ſiue panis ad hanc mensã in cruce terebatur, hæc vox ibi audiebatur:*Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt.* Nil prius ſapiebat diuiniſſimus panis quã benefacere inimicis,hoc ipſe faciebat,hoc imprimebat ſuum ſaporem guſtantibus. Accipite D. Aug. ſer. 1. de *D.Aug.*
ſanctis ponderantem,vt Actor.7.Stephanus pro inimicis orauerit. Ait enim:*Magna pietas, fratres, magna clementia! Prorſus qualia in menſa Domini ſui comedit,talia & ipſe in ſuo conuiuio præparauit.Scriptum eſt in lege: Ad magnam menſam ſediſti? Scito, quoniam talia te oportet præparare. Talia ergo in oratione exhibuit, qualia in ſui Domini menſa comedit. Dominus Chriſtus dixit: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt: Stapharus dixit, Domine,ne,ſtatuas illis hoc peccatum.* Ecce tibi,quàm ſimilia verba ſint in Stephano, & in Ieſu; nec mireris quod Stephanus tam ſimilia pararet, vt enim ex magna Dei menſa comedit,ſtatim adductus eſt,vt in be-
nefaciendo inimicis ſimilia pararet. Huc ſpectãs Iſaias *Iſaias 65*
cap. 65.ait:*Lupus,& agnus paſcentur ſimul, & leo,& bos comedent paleas.* Quibus illud notat D. Hieronym. ad cap. 11. Iſaiæ, & in præſenti D. Cyrill. quod bos, & agnus non abeant in eſcas leonum, luporúmque, ſed magis in ſuis menſis admittant agni lupos,bos leones; quando proprius cibus agnorum, & boum eſt herba, aut palea. Sed cur agni & boues adeò fera, & ſibi

inimica

inimica animalia secum admittunt?Cur non magis illa fugiunt, imò execrantur? Id sanè habent ex diuino pabulo gustato,cuius est vel ad inimicos,& contrarios
D.Cyr. extendere charitatem. Ait D. Cyril.ibi ex translatione Patris Turriani tract.2.de Euchar. cap. 30. *Comedunt enim immansueta,& fera simul cum mansuetis: est autem eorum cibus Christus panis viuus,qui de cœlo descendit,& dat vitam mundo. Alit autem carne propria.* Equidem vbi cibus Christus est,vbi aluntur homines pane viuifico,nempe carne Christi,non miror,quod agnelli Christiani sic afficiantur ad inimicos, & persecutores suos, vt vel efferos, & immansuetos lupos in epularum societatem admittant. Quid enim magis proprium eorum, qui cœlestibus dapibus saturantur? Ait sponsa
Cant. 2. Christi Cant.2.*Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* In cella vinaria agnoscunt Eucharisticum conuiuium Nyssenus, Plellus, & Pascal. lib.de Euch.cap.11.ad illam vt introducta sponsa fuit, nil prius in se experta est, quam ordinem charitatis, quæ extenderetur vsque ad hostes amandos. Quò re-
Guilliel. fero Guillielmum Abb.apud Delrium sic fantem: *Hoc vino potatam sponsus adhuc alio cumulauit beneficio, ne non,vt oportet,amaret,docuit eam,quomodo inprimis Deũ diligere debeat;proximum vt se ipsam: denique, & hostem eatenus,vt malum malo non rependatur, sed cum iniuria beneficium commutetur.* Hic ordo charitatis,quæ ad hostes extendatur,de cœlesti conuiuio nascitur, adeò vt mensa hæc minimè dissidentes admittat. Dicit enim
Matth.5. Matth.5.*Si offers munus tuum ad altare,& ibi recordatus fueris,quòd frater tuus habet aliquid aduersùs te; relinque ibi munus tuum ante altare,& vade prius reconciliari,&c.* Expende,vt relicto ante altare munere iubetur abire, vt dissidentem fratrem, & aduersarium acquirat. Cur non magis expectet,vt paragatur sacrificium; & postea abibit?Est altaris sacrificium in eo,quod ametur etiam
Chrysost. hostis,nec dessidentes secum admittit.Ait D.Chrysost. hom.16.in Matth. *Interrumpatur, inquit, ministerium meum,vt tua charitas integretur. Sacrificium mihi est fratrum reconciliatio,&c.Vade primùm,& tunc veni,& offer munus tuum: per omnia ista significans, quia per aliquas inimicitias desidentes nequaquam mensa illa suscipiat. Audiant ij,qui sacris mysteriis initiati cum inimicitiis ad communionem altaris accedunt.* Sic ibi.

§. XXVII.

Cœlestis cibus diuinitatis latentis ingenerat notitiam.

QVid sequatur post escarum exhibitionem Dominus explicat,dicens: *Mane saturabimini panibus, scietisque,quod ego sim Dominus Deus vester.* A cœlestis panis esu hoc asserit euenturum, quòd saturi Deum suum sciant. Et quidem facit hoc per diuinas manus porrectus cibus salutis,quòd in diuinitatis latentis ve-
Luc.8. niamus notitiam. Hinc Luc. 8. defunctam puellam in vitam trahens:*Iussit illi dari manducare.*Non id iussit in aliis, non in suscitatione Lazari, non in suscitatione adolescẽtis Naim;cur solummodo iubet cibum puellæ dare? Vt per cibum à Deo puellæ exhibitum magis
Chrysost. innotesceret eius diuina virtus. Quippe ait D. Chrysost.hom.33.in Matth. *Puellam cùm à morte excitasset per cibum,quem ei afferri iussit,à quo esset suscitata,instruxit.*Sanè exhibitus cibus à Iesu puellam instruebat de diuina suscitatoris virtute. Ne miremur,quod cœleste epulum nos in diuinitatis cognitionem deducat. Paul.
1.Cor.10 1.ad Cor.10.dicebat:*Nolo vos participes,dæmonum fieri; non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum:non potestis mensæ Domini participari, & mensæ dæmoniorum.* Quibus verbis Theophylus Alexand.epist. 2.Paschali,confundit errorem Origenis asserentis eundem Iesu agnum in cruce,æquè fuisse tostum pro dæmonibus,ac pro hominibus.Quòd erroneum esse probat ex datis verbis Apostoli assignantibus & duplicem mensam,& duplicem calicem,alteram Dei,alteram dæmoniorum. Et meritò asserit impossibile,quòd eadem mensa Dei possit esse communis,& hominibus, & dæmonibus. Sed cur eadem Dei mensa, & idem calix, qui communis fuit etiam reprobis hominibus,destinatis in ignem æternum,non potuit esse dæmonibus cõmunis?Rationem pulchram reddit Theophylus: *Im-* Theoph.
possibile est dæmones de calice Domini bibere; & de mensa eius participari.Cibus diaboli negatores Dei sunt. Expende totam rationem impossibilitatis,nimirùm:*Cibus diaboli negatores Dei sunt.* Quando enim diaboli cibus est abnegatio diuinitatis, nequit illi esse communis mensa Dei, quæ totam diuinitatem halat.Ecce repugnantiam mensæ diaboli cum mẽsa Dei,in illius ferculis nullus cibus est,qui ad diuinitatem negandam non faciat,quo nihil magis repugnans diuinæ mensæ inueniri potest, in qua & diuinitas patet adoranda. Adeò,vt ille perfectus sit in sacrificio altaris, qui mentem eleuat ad
percipiendam diuinitatem.Habes Gen.46.*Profectúsque* Gen.46.
Israël cum omnibus, quæ habebat, venit ad puteum iuramenti;& mactatis ibi victimis Deo, &c. Quæ verba sic ex græco reddunt alij: *Eleuans se Israël, & omnia sua, venit ad puteum iuramenti, immolauitque hostiam Deo.* Expende præmissum illud ante hostiam immolatam, nimirùm:*Eleuans se Israël,*non ante hostiam facere aggreditur, quam sese eleuet. Et quo tendebat hæc Israëlis eleuatio,nisi vt inter immolandum auspicaretur diuinitatem? Ait D.Ambr.lib.de Ioseph cap. 14. *Prius* D.Amb.
se eleuauit,postea immolauit. Ille enim bene immolat, qui cognitionem diuinitatis inuestigauerit. Sic cum perfecto sacrificio stat semper cognitio diuinitatis; nec est separabile, quod ritè, & perfectè accedas ad altare, & quod non experiaris ibi latentem diuinitatem.

§. XXVIII.

Solus est Deus,qui etiam erroneis affectibus suorum soleat satisfacere,vt eos saluet.

AVditis Israëlitarum murmurationibus pro cibo, sic illos Dominus pascit, vt suam manifestet deitatem. Ea enim sunt verba: *Audiui murmurationem filiorum Israël. Vespere comedetis carnes,& mane saturabimini panibus,scietisque, quod ego sim Dominus Deus vester.* Et cur in exhibitione ciborum in deserto scietur Dominus Deus esse, qui cibos parat?Id innotescit per illa verba: *Audiuit murmurationem filiorum Israël. Vespere comedetis*, &c. quippe murmurationem Israëlitarum audiens,illique nihilominùs satisfaciens Deus est, solus enim scitur Deus, qui etiam erroneis suorum affectibus satisfacit,vt eos saluet. Audita Christi resurrectione aiebat Thomas,Ioann.cap. 20.*Nisi videro in* Ioan.20.
manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meũ in loco clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Quid tunc? Despexítne Deus discipuli sui affectum adeò erroneum? Audierat viuum, & signa petit attrectare mortui,quid magis erroneum?Sed accipite euentum*Deinde dicit Thomæ:Infer digitum tuum huc,& vide manus meas,& affer manum tuam,& mitte in latus meum,& noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas,& dixit ei:Dominus meus,& Deus meus.*Expende Thomæ vocem ex vulnerum contrectatione ortam,nimirùm:*Dominus meus,& Deus meus*;Cur ex vulnerum contrectatione diuinitas Iesu innotuit Thomæ, cui antea resurrectio non innotuit sub tot, tantísque testimoniis? Equidem tunc non potuit non ostendi Dominus Deus,cùm vt discipulum saluaret, permisit illi malè optatam vulnerum visionem. Pulchrè ait D.
Augustf.serm.159.de Tempore:*Modo est Dominus, &* Aug.
Deus tuus,quia voluit,vt videres,ne incredulitate animã perderes. Tunc maximè innotescit, & ostenditur Dominus Deus noster, cùm vel nostris affectibus erroneis satisfacit,vt præstandæ salutis habeat occasionem.

Iſaiæ 43. Quò refero illud Iſaiæ cap. 43. *Verumtamen ſeruire me feciſti peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas*, &c. Expende, per quæ Deus teſtetur ſe, & ſuam patentiſſimè miſerationem, & magnificentiam oſtendat: nimirùm per illa præmiſſa: *Seruire me feciſti peccatis tuis.* Quando enim ſic fit, vt homines malè aliqua petant, quæ Deus illis præſtat, vt inde eos ad ſalutem venetur, tunc meritò dicitur Deus ſeruire prauis illorum affectibus, quibus ſatisfacit præſtans ea, quæ malè concupierunt. Sed tunc euidentiſſimè etiam oſtenditur Deus eſſe, nullus enim niſi Deus ſciret peccatorum erroneis affectibus ſatisfaciens illos ſaluti reddere.

Exod. 16. Factum eſt ergo veſpere, & aſcendens coturnix cooperuit caſtra: mane quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum. Cúmque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram. Quod cùm vidiſſent filij Iſraël, dixerunt adinuicem, Manhu? (quod ſignificat, quid eſt hoc?) ignorabant enim quid eſſet. Quibus ait Moyſes: Iſte eſt panis, quem Dominus dedit vobis ad veſcendum.

§. XXIX.

Quo altiora de Deo præſumis, eo minus diſtraheris, vt illum inuenias.

ECce tibi Deus Iſraëlitis accedit & in coturnicum munere, & in cœleſtis mannæ menſa. Sed coturnix ipſa caſtra intrabat, & præ manibus deſiderantium erat. Mannæ autem ros extra caſtra iacebat, vt exeuntes per deſerti campos illum colligere deberent. Sic ait textus: *Aſcendens coturnix cooperuit caſtra, mane quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum*, &c. Et cur cum intra ipſa caſtra inueniretur coturnix, cœleſtis panis erat foris colligendus, & quærendus? Sanè, qui pennata Dei, & magnalia decora per aues ſignificata attendit, is non longa inquiſitione per creaturas eget, ſed prompta, & ad manum, & in ſe ipſo bona ſentiet cœleſtia. Exeat ille, & vagetur, & diſtrahatur, qui minuta Dei in mannæ minuto expreſſa, & in rore iacente ſpectat. O quàm prompta Dei magnalia quærenti! Altilia ſunt, & pennata diuina decora; ad te euolabunt, intra te erunt, ſi illa fideliter ſpectes. Iacet extra, quod minutum apparet, & vix multis paſſibus ad illud peruenies. Quid magis minutum, quàm granum frumenti iam ad terram deciſum, & in ſepulcro detentum? Hoc multis lacrymis quærebat Magdalena, & non inueniebat.

Matt. 28 Ait enim Matth. 28. *Angelus enim Domini deſcendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum*, &c. *Reſpondens autem Angelus, dixit mulieribus: Scio enim, quod Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis. Non eſt hîc: ſurrexit*, &c. Hoc vnum aſſerit Angelus quærenti fœminæ, nimirùm, quòd Ieſus non erat ibi, quòd iam inde abierat; ſed non explicat, vbi ſit, non dicit, quò abierit. Cur Angele ſic deſinis piam fœminam dubiam de loco, vbi Ieſus ſit? Cur ſolùm dicis, quòd ibi non eſt, vt magis laboret de illo quærendo? Ipſe Angelus rationem explicat, dicens: *Scio, quòd Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis*: quippe minutum quærebat, & deiectum ſolum, ne miremur, quod multis paſſibus, multiſque laboribus ſit quærendum. Quæſiſſet & reſurgentem, & euolantem ad cœleſtia, & fallar, ſi egeret longa inquiſitione, ſed in ſe ipſa illum experiretur. Pulchrè ait D.

Chryſoſt. Chryſoſt. hom. de Ioann. Baptiſt. *Audi, quid dicit Angelus ad mulieres: Quid quæritis viuentem cum mortuis? Quid quæritis Dominum in ſepulcro? Certe ſi ſciretis illum eſſe viuentem, audiretis. Medius inter vos eſt, quem vos ignoratis. Regnum Dei intra vos eſt. Ieſum quæritis in ſepulcro. Credite eum reſurrexiſſe, & putate in vobis, quem quæritis.* Quid pulchrius? Sanè per hoc quod non minutum, & frigeſcens in morte tantum quærerent; ſed magis ad reſurgentem ſpectarent, & ad euolantem è mortis tenebris, non amplius laborarent, non amplius vagarentur, ſed in ſe ipſis illum experirentur, vt vel manibus ipſum contrectare valerent. Dauid Pſalm. 18. *Pſal.* 18. ad nos currentem Deum, & in nobis habitantem meditatus, ait: *In Sole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Exultauit vt gigas ad currendam viam ſuam, à ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius.* Quàm facilè inuenit tabernaculum Dei, imò Sole clarius percepit Dei præſentiam in hominibus, quæ nomine tabernaculi ſignificabatur, vt putat Incognitus iuxta illud *Incog.* Apocal. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Quam primum ergo Dauid Deum inter homines habitantem ſentit. Non ſic illa, quæ Cant. 1. clamabat: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorũ.* Iam vagabatur ipſa, & quærebat, & non inueniebat, & timebat ad illam vagationem peruenire, qua prorſus à ſemita iuſtitiæ exorbitaret. Sed cur iſta in tanta vagatione, & anxietate eſt pro inueniendo cœleſti ſponſo, cum Dauid ſine vllo labore Sole clarius eius inuenit tabernaculum, & in ſe, & in hominibus noſcit Deũ inhabitantem? Planè ſponſa quærebat cubantem, hoc eſt, quærebat deiectum, & proſtratum in paſſione, & in crucis, vel ſepulcri lecto inclinatum, vt mauult Philo Carpatius ibi, ideò non miror, quòd multis ſudoribus, & curſibus opus habeat. Verum Dauid non cubantem, ſed ſurgentem è thalamo ſpectabat, ait enim: *Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo*, nihil terrenum, nihil deiectum, ſed ſublime, ſed eleuatum cogitabat, hinc facilè inter homines, & apud ſe ipſum Dei tabernaculum experiebatur. Quo enim altiora de Deo præſumimus, eo propinquius eius præſentiam tangimus.

§. XXX.

Cœleſtis panis non ſolùm ſaturitatem offert, ſed & æternæ quietis confert diſcubitum.

HAbes in mannæ pluuia non ſolas eſcas, ſed & accubitum; dicit enim textus: *Mane quoque ros iacuit per circuitum*, &c. Et ex Hebræo, Caietan. legit: *Et in mane fuit lectiſternium roris in circuitu caſtrorum.* Sumitur lectiſternium de ritu ſacrorum conuiuiorum, quæ in templis à nationibus celebrabantur. Ibi enim non ſolùm erant menſæ dapibus forte, ſed & in circuitu lectiſternia multa; vt ſimul haberent conuiuæ cibos aduersùs famem, & molles accubitus aduersùs laſſitudinem. Igitur & ſacratiſſima menſa, quæ à Deo paratur ſuis, cum cibis lectiſternia offert, hoc eſt, cum ſaturitate æternæ quietis accubitus. Quò ſpectans clamat Sponſa Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea,* *Cant.* 1. *vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Expende quàm ſapienter, & paſtum quærit, & accubitum, primò petit ſibi paſtum monſtrari, deinde accubitum, quaſi certa ſit, quod hæc duo non poſſint diſiungi. Sed ſi ſemel à Deo paſtum habeat, inde ſe putat venturam ad æternę quietis diſcubitum. ait D. Nyſſenus homil. 2. in Cantic. *Nyſſen.* *Duce me, inquit, vbi paſcas, vt ſalutari ſuſcepta paſtione, æterno implear nutrimento, quod qui non comedit, non poteſt ingredi in vitam æternam. Si enim in iis me paſcas, me omnino facies cubare in meridie, quando in pace ſimul dormiens, requieſcam in luce, quæ caret vmbra.* Et quidem ab hoc paſtu menſæ diuinæ in ſplendidiſſimum accubitum æternæ quietis recipimur. Habes homo cœleſti menſæ vicinum lectiſternium, hoc eſt, accubitum plenum delitiis, quo æternum requieſcas medius inter lucidiſſima cœli lumina. Ex quo Iſaias capit. 56. iuxta *Iſai.* 56. Septuag.

Septuag.lectionem,ait:*Omnes feræ sylueſtres venite, comedite omnes feræ sylvæ. Omnes canes muti,non valentes latrare,ſomniantes in lecto,amantes dormitationem*, &c. Nouit propheta homines, qui ſic viuebant; ac ſi feræ ſylueſtres eſſent,ſolùm de paſtu cogitantes,de accubitu, de requie lectuli. Hos tamen vocat ad diuinam menſam,clamans:*Venite,comedite*,&c. quaſi diceret, ſi cibos more beſtiarum cogitatis, ecce vobis ſuauiſſimas dapes propono. Sed fateris illos beſtiarum more non ſolum de cibis, ſed & de accubitu, de requie lectuli cogitare:cur ergo ſolam illis menſam proponis? Cur & menſæ non addis accubitus, quibus requieſcãt? Equidem & menſam, & accubitum dicit, dum enim cœleſtes corporis Chriſti dapes proponit, ſimul cum illis venit & accubitus,& æternæ quietis locus. Ait D. Cyril. Alexand.lib.5.tom.3. in Iſaiam: *Venite,comedite, ait:quo omnem ſacrorum chariſmatum affluentiam ſignificat;& menſam eſſe appoſitam,quæ viuificat. Ederunt enim & ipſi panem vitæ, & panis Chriſti participes facti ſunt, adeo vt gaudentes dicant: Dominus paſcit me, nihil mihi deerit, in loco herbido me collocauit. Ad aquam requietis enutriuit me.* Expende,quid dicant diuino pane ſaturati,nimirùm:*In loco herbido me collocauit. Ad aquam requietis nutriuit me.* Quid locus herbidus edentibus panem vitæ?Saturaturus Dominus ingentem multitudinem panibus, ſimul illis herbidum accubitum præparauit Ioann. 6. *Facite homines diſcumbere. Erat autem multum fœnum in loco.* Nec otioſè meminit fœni ibi exiſtentis,ſed vt gratum,ſuauémque oſtenderit diſcubitum hominum. Vt enim ſapienter notat Caietanus: *Locum congruum ad ſedendum deſcribit*: quippe ſemper cum cœleſti pane venit quieti ſummendæ præparatus locus. Crede mihi;qui paſcit nos carne corporis ſui,& accubitum offert omni plenum quiete, æterna ornatum ſuauitate. Id teſtantur diuinis epulis farti,qui poſt cibum clamant:*Dominus paſcit me,& in loco herbido me collocauit. Ad aquam requietis nutriuit me.* Quò ſpectans illa Cant. 1.ait:*Ecce tu pulcher es,dilecte mi, & decorus:lectulus noſter floridus.* Vbi Septuag.legunt: *Ecce es bonus frater meus,& quidem ſpecioſus ad cubile noſtrum vmbroſus.*Non equidem ſolum in ſe oſtendit Deus dulcedinem ad guſtum,ſed & vmbroſum refert cubile ad requiem. Quippe ait D. Ambr. lib. de Iſaac & anima cap.5. *Lectus ſanctorum Chriſtus eſt,in quo vniuerſorum feſſa ſæcularibus prælijs corda requieſcunt. In hoc lecto requieſcit Iſaac,& benedixit filium iuniorem. In hoc lectulo recubans Iacob benedixit duodecim Patriarchas. In hoc lecto iacens filius viduæ defunctus mortis vincula Chriſti voce vocatus reſoluit.* Sic ibi.

D.Cyril. Ioan.6. Cant 1. D. Amb.

§. XXXI.

Qui Dei eſt vel de minimis agnoſcit ea,quæ Dei ſunt.

MInutum apparuit in ſolitudine, quod videns totus Iſraëlitarum exercitus ignorabat,quid eſſet, & quærebat de illo;ſolus Moyſes agnouit eſſe panem à Deo miſſum.Ita loquitur textus:*Apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram:Quod cum vidiſſent filij Iſrael,dixerunt adinuicem,Manhu?(quod ſignificat,quid eſt hoc?)ignorabant enim quid eſſet. Quibus ait Moyſes: Iſte eſt panis, quem Dominus dedit vobis*,&c. Omnes audierant,quod mane viſuri erant gloriam Dei,à qua præberetur panis in ſaturitate,venit mane,& minutum quid apparet,nec inuenitur in toto exercitu, qui agnoſcat illum, niſi vnus Moyſes. Cæteri ignorantes mutuis interrogationibus quærunt,quid ſit illud minutum, vnus Moyſes in illo agnoſcit manum diuinam,clamans:*Iſte eſt panis, quem Dominus dedit.* Et vnde è tot millibus hominum vnus Moyſes à tam minuta re venit in cognitionem latentis ibi magnificẽtiæ diuinæ? Plane inter tot illos vnus Moyſes erat è præcipuis familiaribus Dei, qui autem Dei erat,ſtatim diuina præſenſit vel ex minimo. Quò reſpiciens Oleaſter aiebat:*Hoc intereſt inter pios,& impios,quod impij ignorant dona Dei ſibi conceſſa: pij verò, optimè norunt,quæ à Deo donata ſunt.* Quæ præ manibus habent Dei dona impij,non norunt: at pii viri, vt ipſi Dei ſunt, ſic agnoſcunt Dei dona vel in minimis. Matt. 2.Viri Chaldæi Ieroſolymam ingredientes, clamabant:*Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus ſtellam eius in Oriente,& venimus adorare eum.* Non ſolùm ſtellam,ſed & ſtellas innumeras videbant cæteræ nationes,videbant Iudæi,imò & ipſas cœlorum voces audiebant narrantes Dei gloriam apertè, iuxta id quod docet Pſalm.18.*Cœli enarrant gloriam Dei*, &c. & nihilominùs ſtellarum authorem Deum non cognoſcebant. Hi autem viri ſolam vnam ſtellulam videntes,ſtatim natum Dominum, & Deum ſtellarum præſenſerunt. Cur ij in vna ſtella excitantur,vt Deum præſentiant,quando reliquus mundus in tot ſtellarum millibus Deum non ſentit?Erant ij fide ſua ad ſtelliferum gẽus Abrahæ pertinentes, iuxta illud Gen. 22. *Multiplicabo genus tuum ſicut ſtellas cœli.* Vt autem in fide Abrahæ ad ſtelliferum, cœleſtéque genus pertinebant,vel in minima ſtellula omnia percallebant cœleſtia. Ait pulcrè D.Leo ſer.3.de Epiphania, ait:*Hæredes in ſyderibus deſignati, ortu noui ſyderis excitantur.* Non multis indigebant Magi, vt ad cognitionem diuini Regis excitarẽtur,vt enim ſtelliferæ nationis hæredes erant,ſic vel viſa ſtellula cœleſtia conſilia rimãtur. Sic Cant.5.Sponſa ait:*Ego dormio,& cor meum vigilat.Vox dilecti mei pulſantis.*Ipſa dormiebat, & ſponſus pulſabat ad ianuam;non ſtrepebat,quin potius ſtrepentibus aliis,ipſe leniter pulſabat;& tamen eius pulſus agnoſcebatur.Et vnde fiebat,quod lenis pulſus dignoſceretur inter tot ſtrepitus? Sponſa erat, quæ agnoſcebat, & ad familiam Dei maximè pertinens;& nõ mirum eſt,quod vel è minimo pulſu poſſit dilecti ſui percipere præſentiam. Ad hæc Gillib. Abbas in Cant. *Vox,inquit,dilecti pulſantis. Hæc mihi vox nota eſt, hæc mihi grata,ad hanc expergefacta ſum,ſtatim cùm inſonuit in auribus meis,exultauit præ gaudio. Multæ voces obſtrepere ſolent,ſed non ſicut vox dilecti.Magna prudentia ſpõſæ.* Prudentia equidem eſt magna,quæ vel in leni pulſu inter magnos aliorum ſtrepitus diſtinguat, & agnoſcat Dei vocem. Sed hæc prudentia inuenitur in ſponſa,hoc eſt,in ea anima, quæ pertinet ad familiam Domini. Proprium eſt enim eius, qui Dei eſt, vt Deum vel in paruis agnoſcat.

Oleaſter. Matth.2. Pſal. 18. Gen.22. D.Leo. Cant. 5. Gill. Ab.

§. XXXII.

Cœleſtis panis nihil carnalium, mundialiúmque bonorum ſecum admittit animo fixum.

NOn otioſè poſuit textus,quod manna apparuit in ſolitudine,nempe,ait: *Apparuit in ſolitudine minutum*,&c.Dixerat,quod veſpere aſcenderat coturnix, & mane iacuerat ros, & ſolitudinis ibi non meminit, cùm iam ea ſcirentur accidiſſe in deſerto. Nilominùs ad manna accedens maluit ibi ſpeciatim meminiſſe ſolitudinis,aiens:*Apparuit in ſolitudine minutum.* Et cur in præſenti neceſſum fuit meminiſſe ſolitudinis,niſi vt oſtendatur, quàm fugiat panis cœleſtis conſortium omnium bonorum iſtius mundi? Matth. 26. Ibi Ieſus cœnans cum ſuis viuificum conuiuium inſtituit, dicitur:*Accipiens calicem gratias egit,& dedit illis,dicens:Bibite ex hoc omnes: Hic eſt enim ſanguis meus, noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Dico autem vobis non bibam amodo de hoc genimine vitis*,&c. Ecce tibi, vt tradens Euchariſticum potum, ſimul aſſerit ſe non vltra bibiturum de mundialis vitis ſucco,ait enim:*Non bibam amodo*, &c. Et cur Domine inter tradendum diuinum poculum, aſſeris abſtinentiam à mundiali vino? Ea eſt virtus diuiniſſimi poculi, quæ nil mundiale patitur ſociari ſibi, ſed mundialibus omnibus

Matt 26

Theoph. omnibus abrenuntiat. Ait Theophyl.ibi: *Sumpto poculo renuntiat corporali potioni.* Non bene conueniunt æterna,& tranſitoria mundialia, & diuina;neceſſum alia per alia expelli. Vbi enim præualet cœleſtis conuiuij virtus, ſtatim ibi abrenuntiantur mundialia , dum autem hæc principatũ tenent,hominíſque pectus præoc-
Gen.4. cupant,non valet ibi cœleſte conuiuium.Gen.4. *Egreſſus Cain à facie Domini , habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Edem.* Septuag.autem legunt: *Habitauit in terra Naid contra Edem.*Eſt Naid idem quod commotio,vt exprimantur ibi carnalia, & temporalia bona,quæ in perpetua motione ſunt , & paſſim aguntur ſub rota fortunæ. Sed vide horum regionem , vbi ſit,nimirùm *contra Edem*,contra regionem vitalis cibi, quo ſcies, quam nequeãt ſimul eſſe carnalia bona cum
D.Iſid. cœleſti,&vitaliſſimo cibo.Quippè ait D.Iſidor.Hilpal. in Gen.c. 8. *Habitant profugi in terram commotionis , id eſt,in perturbatione carnali contra iucunditatem Dei , hoc eſt,contra Edem,quod interpretatur epulatio,vbi eſt plantatus paradiſus.* Vbi commotio , & perturbatio bonorum temporalium implent hominem.puta hunc habitare contra Edem,& tenere regionem cœleſtibus epulis , vitalíque fructui prorſus aduerſariam. Abſit à temporalium , carnaliúmque bonorum commotione, qui velit non contra , ſed iuxta cœleſtem menſam in-
Iſaiæ 55. habitare. Quò ſpectat illud Iſaiæ cap. 55. dicentis: *Omnes ſitientes venite ad aquas : qui non habetis argentum,properate,emite,& comedite:venite , emite abſque argento,& abſque vlla commutatione vinum, & lac.* Si gratis vult concedere , cur ad emptionem vocat? Si ad emptionem vocat,cur prohibet afferri argentum , vel commutationem aliquam ? Crediderim non omnino gratis concedere velle, ideóque vocare ad emendum; ſed nouum pretium deſignare ad comercium tanti panis,nimirùm ſpoliationem, & renuntiationem omnium bonorum temporalium , cum quibus nunquam nouit eſſe cœleſtis hic , & viuus panis. Rem pulchrè
D. Amb. attigit D.Ambr.lib.3.de Spiritu ſancto capite 8.fatus: *Iſaias dixit:Quicunque non habetis argentum,venite,emite,& bibite:manducate ſine argento,vt eum acquireret,qui non habebat argentum.* Expende , cur ſine argento iubetur homo ad cœleſte venire conuiuium ; nimirùm, *vt eum acquireret.qui non habebat argentum*:quippè tanta eſt incompoſibilitas Dei , & argenti in corde dominantis, vt nequiret Deus acquiri niſi ab eo , qui iſtiuſmodi argenti appareret vacuus,& nudus. Hinc Pau.ad
Hebr.11. Hebræos cap. 11.ait: *Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus,ſed à longè eas aſpicientes,& ſalutantes , & confitentes quia peregrini ſunt , & hoſpites ſuper terram.* Loquitur de Abraham , Iſaac , & Iacob, quibus ingens Chananæorum terræ promiſſio facta fuerat , ſed minimè in eis adimpleta ; imò eo deducti fuerunt,vt nihil terræ viuentes haberent,ſed hoſpites, & peregrinos vbique ſe putarent. Et cur quibus tantum terræ promiſſum erat, nihil eis habendum datur? Cur non permittuntur iſti accipere , vel minimam partem terræ ſibi promiſſæ,ſed magis relinquuntur,vt hoſpites , & peregrini habeantur ? Rationem apponit Paul.fatus : *Ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum*: quippè ſic amat Deus bonis terrenis vacuos , ſic erubeſcit inter bona terrena annumerari , vt prius vacuandus omnibus iis bonis ſit ille,cuius dici Deus ma-
Chryſoſt. lit. Ait D. Chryſoſt. in Pſalm. 113. *Et hi omnes mortui ſunt non acceptis promiſſionibus , ſed his procul viſis , cum & ſalutaſſent,& confeſſi eſſent,quod peregrini ſunt , & hoſpites. Propter hanc cauſam non erubeſcit Deus vocari Deus eorum. Propterquam nam ? Quoniam confeſſi ſunt eſſe hoſpites,& peregrini , & nihil habere commune cum præſentibus. Sed ſeiuncti ab iis , quæ ad hanc vitam pertinent , ita degebant in aliena.* Conueniebat illis vacuos eſſe omni temporali bono,vt Deus illorum, Deus ſine rubore diceretur. Ægrè enim & difficulter diuinitas accedit ad illos,qui ſub mundialibus obſequiis tenentur. Ioann.ſuſcitaturus Lazarum Ieſus,iubet prius tolli ſepulcri operculum. Ait enim: *Tollite lapidem.* Et cur neceſſum erat lapidem tollere?Quando ipſe clauſo ſepulcro exiit,nónne & poſſet Lazarum educere clauſo monumento? Cur ergo mauult hic tolli lapidem ? Sepulcrorum opercula ponuntur à creaturis in defunctorum obſequium. Humana ergo obſequia non impediunt,imò conducunt , vt Deus inde exeat;at impedimento ſunt, vt Deus eò accedat. Quippè ait Chry- *Chryſol.*
ſol.ſerm.65.*Tollite miſeræ humanitatis obſequium, vt diuinitatis beatæ opera nunc clareſcant.* Ecce tibi , vt cùm creatis obſequiis diuinitas non conueniat. Tollenda ſunt humana obſequia,vt in nobis clareſcat diuinitas.

§. XXXIII.

Nihili,aut parui æſtimat Deus temporalia dona. Magnitudo enim in ſolo cœleſti pabulo eſt.

VIde in quid deſinat totum cantatiſſimum opus diuinæ beneficentiæ exhibitæ Iudæis , nimirùm: *Apparuit in ſolitudine minutum* , &c. Et minutiſſimis granis conſtans veniebat pluuia panis cœleſtis , & cur in minutis ? Cur non maluit Deus , quod tantum donum in magnis potius , quàm in minutis appareret. Sanè Luc.14.dicit: *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Ibi minutum dicitur,hîc magnum. Et cur non in vtroque magnum?In primo nihil ſpirituale , nihil ad æternitatem per ſe ſpectans dabatur, quod in paruitate rei demonſtrabatur , quando temporalia omnia dona, quaſi res nihili à Deo manant. In ſecundo iam epulum corporis Chriſti erat , in quo & vera magnitudo, & magnificentia Deo digna manifeſtiſſimè apparet. Ait D.Thom.in cat.ex Cyrillo. *Hîc ergo conditor om-* *D.Thom*
nium,atque gloriæ pater,parauit cœnam magnam in Chriſto peractam. In nouiſſimis enim temporibus illuxit nobis Dei Filius,& mortem pro nobis ſuſtinens dedit nobis proprium corpus comedere. Sed & Theophylactus ibi ait: *Theoph.*
Cœnam magnam vocauit diſpoſitionem hanc. Cœnam quidem,eò quod in nouiſſimis temporibus,etenim ad veſperam ſæculi venit Dominus. Magna autem cœna hæc, quoniam ex confeſſo magnum eſt ſalutis noſtræ myſterium. Vbi Chriſtus Dominus datur , & æternæ ſalutis myſterium diſpenſatur , ibi magnitudo eſt , & præſtantia ſupremæ digna Deitati: adeò vt vel ab ſpecie temporalitatis,vel æternitatis doni magnitudo , aut paruitas ſciatur. Hinc Ioann.6.gloriantibus Iudæis de manna,quaſi de cœleſti pane , ait Dominus : *Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo , ſed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei eſt , qui dat vitam mundo*,&c. Expende vnde probet manna non eſſe cœleſtem panem , illum autem eſſe cœleſtem , & magnum,qui à Patre datur,nimirùm ex eo quod hic conducit ad vitam æternam conſeruandam;ait enim : *Panis Dei eſt,qui dat vitam mundo.* In quo eſt æterna vita & perennis mundi ſalus,ille eſt panis excellens , & præſtans,& tantæ magnitudinis, qui verè poſſit haberi Dei panis. Et multum errarent , qui hanc præſtantiam cœleſtis panis,in minutiſſimis mannæ granis ſperarent. Ex quo premebat Iudæus D. Cyril. Alexand. *Cyr.Alex.*
lib.3.in Ioann.cap.36. fatus : *O ſola imperitia excellentes homines , cùm de cœlo daturum ſe vobis Deus panem dixerit , & tantam hanc rem pollicitus ſit , non erubeſcitis de ſenſibili manna ita hoc intelligere , vt vlterius progredi nolitis? Non ſentitis,quia breue illud,& paruum , tam vobis erat,quam Deo , qui largitus eſt ? Nolite igitur credere illum fuiſſe panem de cœlo.* Sanè imperitia erat egregia Iudæorum,cùm magni, præſtantiſque muneris pollicitationem habebant ex Deo , illam putare impletam in mannæ ſola exhibitione.Et cur imperitia erat magni doni pollicitationem in manna impletam eſſe?Iam ait: *Nónne ſentitis,quia breue illud*,&c.Equidem in temporali

porali cibo non poterant non ſentire,& percipere exiguitatem,& paruitatem, quæ longè abeſt à Dei donis, & à cœleſtibus epulis promiſſis ad æternam duraturam vitam; Manna illud & paruum erat, & minutum tam reſpectu accipientium, quam reſpectu Dei largitoris, vt qui parui æſtimet res temporarias, & ſolam agnoſcat magnitudinem in eis,quæ per ſe ſpectant ad animarum ſalutem. Vnde venit, quod cætera prætermittens illa ſola velit commendari, quæ in nobis ſalutem æternam per ſe cauſant.Sic 1.Corinth. 11. porrigens diſcipulis diuinum epulum, ait: *Quotieſcunque manducabitis panem hunc,& calicem bibetis,mortem Domini anuntiabitis.* Multa facerat Dominus pro nobis mira opera,oculos cæcis dederat,pedes claudis, vitam defunctis,& ſimilia alia patrarat,quorum nullam mentionem in myſteriis mandat;hæc ſolum autem,quæ ad paſſionem pertinent,inibi iubet annumerari.Et cur ſolæ res paſſionis annuntiabuntur,cæterorum autem miraculorum nulla mentio agitur?Res paſſionis erant per ſe cauſæ noſtræ ſalutis ſpiritualis, & æternæ; cætera miracula non hanc efficiebant ſine paſſione, ſed temporalem,cuius mentio apud Deum parui,aut nihili æſtimatur.Quò ſpectans Græcus author Nicol. Cabaſila in liturgiæ expoſit.cap.8.ait:*Cùm dixiſſet;Hoc eſt corpus meum:Hic eſt ſanguis meus, non adiecit eis miracula, dicens,quod mortuos ſuſcitauit, quod leproſos mundauit. Sed quid?Paſſionem ſolum, & mortem. Quod pro vobis tradetur.Quod pro vobis effundetur. Et quænam eſt ratio, quod non miraculorum,ſed paſſionum meminit?Quoniam hæ ſunt illis tantum magis neceſſariæ, quod hæ quidem ſunt noſtræ ſalutis efficientes, & ſine his minimè poſſit homo reſurgere.* Ecce tibi paſſiones ſuas pro nobis exanthlatas iubet Dominus annuntiari, recoli, & celebrari, vt quæ noſtram ſalutem ſpiritualem, gloriámque æternam cauſabant. Miraculorum autè conſiſtentium in ſanatione corporalium infirmitatum nulla mentio apud Deũ in myſteriis agitur.Sic parui æſtimat Deus tẽporalia dona, & magni æſtimat ſpiritualia, & æterna. Quod enim tẽporale eſt,& res parui momẽti, & nullius mentionis habetur;quod autem ſpirituale,& æternum,id omnem æſtimationem ſuperat,& laudem.Hinc Ioan. 6.diſtributurus Dominus panes turbis Iudæorum proponitur, & ſtatim additur: *Accepit ergo Ieſus panes,& cum gratias egiſſet*, &c. Perpendite vocem illam nunc primum auditam in Scriptura, nimirùm; *Gratias egiſſet*: quippè nunquam antea expreſsè dictæ ſunt gratiæ actæ:Nec Moyſes dicitur gratias egiſſe,nec Dauid,nec Elias,nec vllus antè pater, & ſi multa ex Deo beneficia reportaſſent. Et cur antea diuinus ſpiritus non mouebat linguas antiquorum, vt expreſsè gratias agerent pro beneficiis habitis?Erant omnia antiqua dona temporalia,quæ parui,aut nihili à Deo æſtimabantur, & pro minimo habebat, quod à ſe proficiſcerentur. Vbi autem fons gloriæ humanæ Ieſus, verum lignum vitæ, verus cœleſtis panis datus eſt nobis, iam ibi quaſi de re ſumma, & perfecta permiſſæ ſunt audiri voces expreſſæ de actione gratiarum.Accipite Rupert.lib. 8.de Trinit.cap.10. fantem: *Iſte ſeruus Domini Ieſus primus eſt, qui Deo gratias egit, ante quem non facile quempiam inuenies,ſiue in lege,ſiue in prophetis,de quo manifeſtè ſcriptum ſit,quod Deo gratias egerit. Nondum quippe impleta fuerant beneficia Dei, quorum omnium hoc ſummum eſt,quod iſtum ſeruum ſuum Chriſtum Ieſum fecit ſecundum formam ſerui, pro quo facto nimirum gratiarum actio debetur illi: Denique quicunque Deo gratias agit cauſam iſtam in ipſa gratiarum actione non habens præ oculis, quia Dominus iſtum ſuum ſeruum fecerit,nondum intellexit, quomodo, aut propter quæ gratia agenda ſunt.* Quid pulchrius?Tunc ſolum magnum quid nobis datur, cũ Ieſus datur, cùm per Ieſum ſalus æterna datur:in quibus autem donis,nec Ieſus reſpicitur,nec eſt, vix manet materies, de qua Deus æſtimet ſibi haberi gratias.

1.Cor 11

Nic. Cab

Ruper.

An profuſiſſimus largitor ratione materiæ æſtimat ſibi gratias haberi de rebus nihili,aut momenti parui.

§. XXXIV.

Quod diuinus cibus multum in nobis proficiat,in cauſa ſolet eſſe humilitas accipientis.

SOlet nunc manna quæri in arborum foliis,è quibus pueruli quandam elamberãt dulcedinem,at manna illud datum Iſraëlitis à Deo, non in foliis arborum, ſed in nuda terra apparebat, ait enim: *Apparuit in ſolitudine minutum,& quaſi pilo tuſum,in ſimilitudine pruinæ ſuper terram.* Cur ſuper terram? Cur non magis in herbis, & arboribus? Iam ibi Deus oſtendebat, vnde creſceret diuini pabuli profectus, nimirùm ex terræ conſpectu,vt terrenam originem ſuam præ oculis haberẽt accipientes. Crede mihi Chriſtiane,ſi curas profectum capere de diuinis epulis, iunge cœleſtem panẽ cum memoria originis tuæ terrenæ, huic námque inhærens, ô quàm multiplex de cœleſti cibo capies augmentum.Daturus Ieſus panes Ioan.6 ait: *Facite homines diſcumbere.Erat autem fœnum multum in loco.* Verũ Matt. 15.dum ſimilis diſcubitus mandatur ad prandiũ, nulla ibi fit mentio fœni, ſed nuda proponitur terra. Dicit enim: *Et præcipit turbæ,vt diſcumberet ſuper terrã.* Cur non in fœno,ſed ſuper terram?Ait D.Hilar.cano. 15. *Peccatorum, corporúmque ſuorum origini hærentes ad donum ſpiritus ſeptiformis vocantur.* In primis donum per quinque panes ſignificabatur,nunc per ſeptem;vbi autem ſeptempliciter creſcebat doni gratia, qui vocabantur ad tam auctam gratiam percipiendam, hoc debebant attendere, vt origini vilitatis ſuæ,& miſeriæ maximè adhæreſcerent. De cognitione enim terrenæ vilitatis, fallar,niſi in diuinis epulis gratiæ tuæ profectus ſeptempliciter creſcat. Hinc Matt. 15. Chananæa illa toties repulſa à Deo,quia canis eſſet,perſeueranter clamat: *Etiam Domine,nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.* Admittit opprobrium quo canis vocabatur, & canis vilitati adhæreſcens contendit admitti iuxta diuinam menſam. Nunquámque certius ſperat ſe inter conuiuas fœliciſſimos admittendam eſſe, quàm vbi canis vilitatem ſibi competere æſtimat,& ſub illa accedit. Ait Orig.hom. 7. ex diuerſis: *O prudentia fœminæ!Canis ſum Domine ſum etenim.Itáque nutri me velut canem, quia non poſſum relinquere menſam Domini mei. Sed quia canem me appellas, ſaltem porrige mihi micas,dixiſti cauſam meam,manifeſtaſti conditionem meam.* Expẽde illa verba: *Dixiſti cauſam meam,manifeſtaſti conditionem meam*; quaſi totus punctus humanæ cauſæ ad obtinendam diuinam menſam in eo conſiſtat, quod conditionis natiuæ vilitas ſit pro manifeſto. Vbi vilitas conditionis tuæ tibi ſit manifeſta,illámque intueris, ibi eſt tota cauſa tua,vt largè cum Deo epuleris. Quando enim humilitas non præparat hominem ad largiſſimas Dei epulas? Ad hæc addit D.Hier.in præſenti. *Scio me,inquit Chananæa filiorum panem non mereri,nec integros poſſe capere cibos, nec ſedere ad menſam cum patre, ſed contenta ſum reliquiis catulorum,vt per humilitatem micarum, ad panis integri veniam magnitudinem.* Quid ſapientius? In humilitate accedentium ponit Hieronymus,quod ad magnitudinem integri panis cœleſtis deueniamus.Nunquá enim non prærequiritur humilitas, vt magna capiantur. Ezech.cap.41. dicitur: *Fili hominis vide oculis tuis, & auribus tuis audi,& pone cor tuum in omnia,quæ ego oſtendam tibi,quia vt oſtendantur,tibi adductus es huc.* Adducebatur quidem vates, vt magna Dei ſacramenta videret,ad quæ vt accedat nomine filij hominis vocatur,dicit enim: *Fili hominis vide.* Non ſic vocabatur Daniel,ſed ſuo proprio nomine c.10. *Dixit ad me,Daniel vir deſideriorum intellige verba*, &c. Cur non ſimiliter vocatur Ezech. nomine ſuo proprio?Cur Angelus

Ioan.6.

Matt.15

Orig.

Hieron.

Ezech.41

Dan 10.

maluit

maluit hunc vocare filiũ hominis? Vocabatur Ezechiel ad percipienda magnarum rerum sacramẽta, ideò filius hominis tunc vocatur, vt præ oculis habeat propriæ originis vilitatem; illíque inhærens aptetur ad excipiẽda magna. Rupert. lib. 2. in Ezech. cap. 4. *Fili hominis, inquit. Opportuna commemoratio infirmitatis. Tanquam diceret. O videns, magnitudine reuelationum ne extollaris, vbi visiones Dei vides, quia filius hominis vermis es. Hoc non te prætereat, istud tene memoriter. Ita humiliato capite vide oculis tuis*, &c. Debet semper firmiter inhærere originis propriæ vilitati, qui amat percipere Dei magnalia. Fallar enim, nisi per humilitatem peruenias ad integrum diuinitatis ferculum percipiendum. Apocal. 21. *Ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem descendentem de cœlo à Deo, habentem claritatem Dei.* Miraberis, quod dicatur ciuitas habere claritatem Dei, cum alioquin de cœlo descendat? Qualis descensus est, qui claritatem Dei tenet. Ait Rup. lib. 12. in Apoc. *Descendentem, inquam, non cadentem, vt cecidit iste Angelus, & factus est diabolus, & Satanas. Cadere namque superbiæ, descendere humilitatis est. Talis descensus glorioſus est, & in magna claritate sublimis. Cùm ergo dixisset descendentem de cœlo, rectè subiunxit: Habentem claritatem Dei.* Ecce humilitas hominis vt valet in se retinere claritatẽ Dei.

Rupert. Apoc. 21. Rupert.

§. XXXV.

Cibus cœlestis secum affert firmamentum permanentis spei.

NOn possum non amplius ponderare, quod manna Israëlitis datum non in foliis arborũ, sed super terram apparuerit. Apparuit enim *in similitudinẽ pruinæ super terram.* Et cur non in foliis, sed super terram, nisi vt ostenderet firmum nostræ spei fundamen? Equidem, is est cœlestis cibus, qui fundamentum firmum exhibeat, in quo possimus securi sperare. Habes ex Ioan. 6. vt Iesus cibum præbiturus dicebat: *Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco*; prouidit enim famelicis, & cibum, & herbosum discubitum. Non sic Matth. 15. sed *Præcepit turbæ, vt discumberet super terram.* Cur in præsenti non prouidit turbis herbosum discubitum? Cur sinuntur sedere in nuda terra? In hoc secundo miraculo ostendebantur cœlestis prædij conuiuæ, vt spei permanentis inde solidum fundamentum haberent, & firmum. Sic Beda in Marcum cap. 8. *Ibi turba super fœnum, hìc super terram reficitur. Ibi enim celsitudo Christi propter carnales homines carnali spe, & desiderio tegitur: hic autem remota omni cupiditate carnali conuiuas noui testamenti spei permanentis firmamentum tanquam ipsius montis soliditas nullo fœno interposito continebat.* Ecce tibi vt conuiuæ admittuntur noui testamenti, illos excipit & permanentis spei firmamentum, & vera Christi soliditas. Non enim nisi in rupe, & in firmo, & solido nouerunt niti, qui ad epulas accedunt Christi. Quò spectans Isaias c. 32. ait de Christo veniente ad saturandos suos: *Sicut riui aquarum in siti, & vmbra petræ prominentis in terra deserta. Non caligabunt oculi videntiũ.* Hæc vltima verba reddũt Septuag. *Nequaquam erunt confidentes in hominibus*, &c. Et quidem est Christus Dominus sitientibus riuus aquarum dulcissimus, qui nos impleat; est item petra, rupésque firmissima, in loco, vbi nulla arbor, nullum arboris folium inuenitur. Quid tunc? *Nequaquam erunt confidentes in hominibus*: Ex quo poti sumus Christianis vndis, petrámque Christi ad refrigerium tenuimus, non volubili hominum auxilio, & fauore nitimur, sed permanentis spei firmamentum acquirimus. Vt meritò consulat Psal. 4. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.* Vbi sapienter Chrysost. notat consequentiam, qua peracto sacrificio iustitiæ iubemur sperare in Domino. Si quod autem sacrificium confirmat spes nostras, id est sacrificiũ corporis, & sanguinis Domini. Quò refero dicta 1. tom. in Veteris test. lib. 2. c. 5. §. 27. præcipuè in fine.

Matth. 15. Beda. Isaias 32. Psal. 4.

§. XXXVI.

Singularis gloriæ nomen non ex parentibus, aut amicis, sed ex tota hominum communitate acquirendum,

ECce primum vocabulum, quo designabatur cœlestis panis, à tota Israëlitarum communitate prolatum fuit. Nimirùm ait: *Quod cùm vidissent filij Israël, dixerunt ad inuicem, Manhu?* Quod mansit pro nomine pabuli à Deo missi. Ait Theodor. *Itaque factum est, vt interrogatio vicem nominis habuerit.* Er meritò nomen nouæ, & admirandæ naturæ significatiuum ab omni Israëlitarum natione conflari Deus maluit, quàm ab vno Moyse. Debent enim glorioſa nomina, & singularis laudis non peti ex familiaribus, sed ex omnibus vniuersaliter. Accipe rei exemplum omni excogitatione maius. Apud Lucam cap. 1. venit Angelus ad Mariã, illíque dixit: *Ecce concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius* IESVM. *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur.* Expende, vt quando recens natus puer vocandus Iesus erat, Mariæ permittitur, vt Iesum vocet suum infantem, imò & idem conceditur Ioseph Matth. 2. Vbi autem vocandus erat puer Filius Dei, nõ Mariæ, nec alicui alij familiari dicitur, quod eum taliter vocent, sed sic communiter ostenditur vocandus. De primo dicitur Mariæ: *Vocabis nomen eius* IESVM, de secundo dicitur: *Filius Altissimi vocabitur.* Vt enim filij Altissimi vocabulum singularis erat gloriæ, & præstãtiæ, sic canit Angelus, ne id vocaretur ab aliquo familiari, sed expectauit, vt communiter diceretur ab vniuersa hominum communitate. Ait Rup. lib. 1. de Operibus Spiritus sancti c. 10. fatus: *Paulo ante, Vocabis nomen eius* IESVM, *hìc autem vocabitur Filius Dei. Illic vocabis, hìc autem vocabitur, dixit. Et ad B. Ioseph, vocabis, ait, nomen eius* IESVM. *Etenim nomine* IESV, *quo plures æquiuocabatur, liberè ab ipsa, vel à Ioseph vocari potuit; Filius autem Dei, siue Filius Altissimi vt vocaretur, reseruatum erat Euangelicæ prædicationi. Vocabitur ergo, id est, inuocabitur ab omni sæculo hoc nomine, quod est Filius Dei.* Sic nomen IESV, quod commune erat cũ pluribus aliis à matre, & à nutritio accipit diuinus puer, nomen autem *Filij Dei*, vt nomen erat gloriæ singularis, sic nec à matre, nec à familiari aliquo priuato accipit, sed ab omnibus generaliter. Vniuersi enim siue audientes, siue videntes eius opera illum *Filium Dei mirabundi* clamant. Similiter Isaias c. 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet Filium, vocabitur nomen eius Emanuel.* Septuag. *Vocabunt nomen eius Emanuel*: non particulatiter exprimit aliquam personam, quæ illud vocet nomen *Emanuelis*; sed communiter de omnibus asserit, quod vocabunt. Verum vbi ad alia nomina eidem puero imponenda descendit; statim designat personam, quæ illa imponat. Ait enim Isaias cap. 8. *Et dixit Dominus ad me. Voca nomen eius, Accelera spolia.* &c. Ecce tibi in præsenti conceditur Isaiæ, quod vocet puerum recens natum *Accelera, spolia*, &c. Suprà autem nulli in particulari datur, quod vocet *Emanuelem*, sed de omnibus dicit, quòd vocabunt. Cur non magis designatur aliquis vates, aliquis Dei amicus, qui *Emanuelem* vocet, vt designatur Isaias, qui vocet *Accelera spolia, prædari?* An quia istud præstantius nomen est illo? Absit, imò *Emanuel*, quod sonat idem, ac *Nobiscum Deus*, nomen est præstantissimum, & glorioſissimum; ideònon debuit à familiari aliquo, sed ab omnibus communiter appellari. Ait D. Cyril. Alex. lib. 1. in Isaiam orat. 5. *Cùm superius dixisset: Ecce virgo grauida erit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius* Emanuel; *nunc iubet vocari nomen eius*: Velociter spoliato, Citò Prædator. *An verò illud primũ nome inane est, & irritum, nimirum* Emanuel? *Et hoc maximè decebit*: Velociter spoliato, Citò prædator? *Nequaquã istud dicimus, sed illud dicimus potius.* Et quidẽ vt *Emanuelis* nomẽ erat potius, & præstãtius, sic nõ debuit à familiari aliquo, sed ab omnib. cõmuniter nominari.

Rupert. Theodor. Lucæ 1. Matt. 1. Rupert. Isaias 7. Isaias 8. D. Cyril.

Exod.

*Exod.*16. Hic eſt ſermo,quem præcepit Dominus: Colligat vnuſquiſque ex eo, quantum ſufficit ad veſcendum, gomor per ſingula capita. Iuxta numerum animarum veſtrarum, quæ habitant in tabernaculo, ſic tolletis. Fecerúntque ita filij Iſraël,& collegerunt,alius plus,alius minus,& menſi ſunt ad menſurã gomor. Nec qui plus collegerat,habuit amplius,nec qui minus parauerat, reperit minus, ſed ſinguli iuxta id, quod edere poterant,congregauerunt.

§. XXXVII.

Copiarum temporalium vſus ſuauiſſimus ſi cum obſeruatione præceptorum diuinorum iungatur.

ET coturnices, & manna dederat Dominus Iſraëlitis,de coturnicibus autem nihil præcipit ; vbi autẽ mãna apparet,ſtatim Dei præcepta implent populi aures. Ait enim Moyſes : *Hic eſt ſermo,quem præcepit Dominus:Colligat vnuſquiſque ex eo,quantum ſufficit.* Et cur non in coturnicibus,ſed in manna præceptum dabitur? Equidem non in coturnicibus,ſed in manna parabatur earum rerum copia, quæ maximè ſuauiaret vitam humanam. Copiarum autem temporalium vſus nullus ſuauior & gratior eo,qui coniungitur cum præceptorum diuinorum nota obſeruantia. Huc ſpectans ille
Cant.5. Cant.5.ait:*Comedi fauum cum melle meo.* Septuag. *Manducaui panem meum cum melle meo.* Scio in pane intelligi abundantiam, & copiam bonorum temporalium;at quale eſt mel,quo hæc copia,& abundantia ſic temperatur, vt dulcis, & ſuauis appareat ? Non fallar , ſi pro melle accipiam præceptorum obſeruantiã,de adiuncta enim hac bonorum temporalium vſus dulcis fit,&
D. Greg. maximè ſuauis. Vt meritò dicat D.Greg.Nyſſ.hom.10.in Cant.*Panis lætitiæ eſt beneficentia,conditus melle præcepti.* Equidem quoties ad beneficum vſum temporalium adiungis præceptorum obſeruantiam , mel addis , quo mitificè ſuauiatur,indulcatur. Sic creato Adamo,& in exſuperanti bonorum Paradiſi conſtituto, præceptum
Gen 2. datur;iubet enim Dominus Gen.2. *De ligno ſcientiæ boni,& mali ne comedas.* Et cur Domine tantam bonorum ſegetem præcepti onere grauas ? Cur non magis omni præcepto liberum permittis hominem Paradiſi vbertati? Addidit præceptum, vt bonorum vbertas in Paradiſi ſuauitate,& gloria ſeruaretur. Ait enim ibi Hugo
Hu Vict. Victorinus : *Ecce dat præceptũ,per quod ſi ſeruaret homo, paradiſum cuſtodiret. Præceptum datum eſt,vt per meritum obedientiæ glorioſius obtineret bonum.* Expende , in quo cuſtodiretur tota ſuauitas paradiſi,nimirùm in obſeruantia præcepti ; ſi in illa vbertate rerum præceptũ obſeruaretur, tota paradiſi dulcedo integra homini maneret:imò & ſuauior, & glorioſior eſſet illa poſſeſſio. Crede mihi homo,in paradiſo es,tibi paradiſi ſuauitatem excitas,ſi in bonorum temporalium vſu adiũgis obſeruata præcepta.Et panis,& vniuerſa rerũ copia
Deut 6. tibi mellea erunt. Quò reſpiciebat Moyſes Deut.*6. Vt cuſtodias mandata, & præcepta eius, quæ ego præcipio tibi, & filiis , ac nepotibus tuis cunctis diebus vitæ tuæ, vt prolongentur dies tui. Audi Iſraël,& obſerua,vt facias,& benè ſit tibi, & multipliceris amplius , ſicut pollicitus eſt Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte,& melle manantem.* Expende illud:*Sicut pollicitus eſt tibi* , equidem promiſſio expreſſa de terra lactea, & mellea,nulli fuit facta niſi obſeruatori diuini mandati. Vocabatur terra illa fertilis,fœcunda, dum ab Ethnicis incolebatur;ſic
Iſa.36. enim ait Rabſaces Iſaiæ c.36. *Tollam vos ad terram,quæ eſt vt terra veſtra,terram frumenti, & vini,terram panũ, & vinearum.* Nec vllus inuenietur prophanus, qui vocet terram illam,terram manantẽ melle,& lacte.Solus Deus ſuis obſeruatoribus promittit illam terram , non ſolùm vberem,& abundantem, ſed & melleam fore.

Cur ergo ſolis mandatorum obſeruatoribus abundantia bonorũ promittitur ſub nomine lactis,& mellis,niſi vt oſtendatur abundantia temporalis,quæ aliàs eſt plena ſolicitudinum,& amaritudinum plena,vbi cum obſeruantia præceptorũ iungitur,redditur ſuauis,& mellea?Obſeruantia præceptorum eſt,quæ ſpinas, & vrticas diuitiarũ facit eſſe ſuaues, & melleas. Quò expreſſius reſpiciebat Deut.27. monens: *Eriges ingentes lapides,& calce leuigabis eos,vt poſſis in eis ſcribere omnia verba legis huius Iordane tranſmiſſo,vt introeas terram,quam Dominus Deus tuus dabit tibi,terram lacte , & melle manantem.* Ecce tibi vt mandata iubeantur inſcribi lapidi,hoc eſt,obſeruari tenaciter , vt ſic terræ diuitiæ inueniantur melleæ , & ſuaues. Quod minimè inuenit mandatorum confractor.De illo enim ait Iob c.20. *Nõ videat riuulos fluminis,torrentes mellis,ac butyri.* Multus quidem erat in congerendis diuitiis , multáſque congeſſerat,ſed nec guttam mellis in illis inuenit,quin potius felleæ , & amaroris plenæ illi extiterunt. Vt dicat Author cat. Græcæ. *Ea ,quorum cauſa ſtultè laborauit, quaſi ſtriphus illi erant. Eſt autem ſtriphus caro boum neruoſa;eſt item herba,quæ mandere conantis linguam reddit aſperiorem:quæ mandi nequit.* Vel ſi mauis audire noſtrum Pinedam in præſenti, ſtriphus eſt quilibet ſapor acerbus,& auſterus : vt videas vnde naſcatur vel acerbitas,vel dulcedo temporariis rebus,nimirũ ex diuinis præceptis.Si enim præceptorũ obſeruatio addatur copiæ rerum,tota ipſa dulceſcit,& ſuauiatur;ſi autem nõ obſeruentur præcepta,ipſa rerum temporalium voluptas acceſcit, & amaritudinibus impletur. Vt meritò reſpõderit tentatori Ieſus Matt. 4. *Non in ſolo pane viuit homo*:& ſi enim habeat tẽporaliũ abundantiam ſummam, non eſt in eo dulcedo vitæ,niſi cum abundantia panis addat mel obſeruãtiæ mandatorum.Ex quo Imperf.ibi: *Non in vſu rerũ ſolo viuit homo perfectè;& ſi viuit,ſecundùm corpus viuit, nõ ſecundùm animam.Pleniſſimè autem viuit in obſeruantia mandatorum Dei.* Sic ibi.

Iob 20.

Matt.4.

§. XXXVIII.

Ibi ſalus, vbi cum menſura bona temporalia percipiuntur.

NOn otiosè Deus mannæ certam menſuram prouidebat ſuis Iſraëlitis, quæ ipſorum neceſſitati correſpondebat.Dicit enim:*Colligat vnuſquiſque ex eo quantum ſufficit ad veſcendum gomor , per ſingula capita.* Eſt enim ſalus in bonis temporalibus , ſi cum menſura ſumantur , iuxta indigentiam vniuſcuiuſque. Vnde notabis, quòd in manna per quadraginta annos exhibita, nullum vnquam damnum lethale Iſraëlitæ ſuſtinuerint. At in coturnicibus,quæ bis tantum conceſſæ ſunt, & in præſenti,& Num.11.ſtatim lethalis plaga inuenta eſt. Ait enim Pſal.77. *Et pluit ſuper eos ſicut puluerẽ carnes,& ſicut arenam maris volatilia pennata,* &c. *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum , & ira Dei aſcendit ſuper eos.* In perenni exhibitione mannæ nunquã Dei ira illos percuſſit, in ſecanda autem exhibitione coturnicum, ſtatim ira, ſtatim percuſſio. Et cur cum coturnicibus percuſſio,& cum manna ſalus?Id oſtendit illud: *Colligat vnuſquiſque ex eo quantum ſufficit*, in manna erat menſura accõmodata neceſſitati, quæ non erat in carnibus,ideò cũ iis percuſſio,cum illo veniebat ſalus Id, quod volebat Naz. fatus orat.3. *Panis in deſerto pluuiæ inſtar fuſus,obſoniũ è cœlo miſſum,ille neceſſitati correſpondens, hoc etiam ſupra neceſſitatem imperitum.* Ne miremur, quod cœleſtis panis,vt neceſſitati correſpõdebat, ſic ſalutaris eſſet;& quod cum obſonio,cum coturnicibus,inquam,veniret Iſraëlitarum interitus,quando iſtę vltra neceſſitatem,ſine vlla menſura veniebant.Quando enim non nociuus ſumptus ſuperfluus?Actor.5.dicitur de Anania,quod agrum vendiderit,& quod pretium agri adducens ad pedes poſuerit Apoſtolorum, reſeruans tamẽ partem pretij ſibi,& vxori.Quod ani-

Num.11

Naz.

Act. 5.

D. Petr. maduertens D. Petrus vehementer canduit, seueriſſimiſque verbis accepit hominem: *Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit.* Ecce tibi propter reſeruatam pretij partem Ananias morte mulctatus est. Et quale hoc crimen erat, quod offerens multa, aliquid reſeruaret, vt ſibi prouideret neceſſaria? Non equidem
Actor. 4. reſeruabat ad neceſſaria, Apoſtoli namque Actor. 4. *Diuidebant ſingulis prout cuique opus erat*, ſed reſeruabat ad ea, quæ vltra neceſſitatem, imò ſuperflua erant, ideò non mirandum, quod per ſuperflua in mortem ca-
Eucum. deret. Ait ibi Oecumenius: *Hic autem ſacrilegium apparuit, ſiquidem quæ Deo ad egentium alimentum repoſita erant, ipſi ad ſuperfluos vſus inſumebant.* Crede mihi, nũquam ſuperfluitas aliud pariet quàm mortẽ, quàm la-
Apoc. 18. crymas, Apoc. 18. poſt ruinam Babyloniæ meretricis enarratam, pergit ſcriptor ſacer: *Et flebunt, & plangent ſe ſuper illam Reges terræ, &c. Et negotiatores terræ flebunt, & lugebũt ſuper illam, &c. Et omnis gubernator, & omnis, qui in locum nauigat, & nautæ, & qui in mari operantur*, &c. Sic in Babyloniæ ruina quaſi participes eius, luctus ponuntur Principes terræ, & mercatores, & negotiatores, & nautæ; ſolos inuenies ab hoc luctu, & ruina abeſſe agricolas, & paſtores. Et cur ſoli agricolæ, & paſtores non recenſentur in luctu huius ruinæ? Crediderim, quod ſoli paſtores, & agricolæ liberantur à luctu, quia ſoli ſtudent rebus ſeruandis, quæ correſpondent hominum neceſſitati, non ſuperfluitati.
Ruper. Ait Ruper. lib. 10. *Notandum interea, quia paſtores, aut ruricolæ fletum hunc luctum habituri non ſcribuntur: quia videlicet ſimplicis vitæ officia ſunt magiſque neceſſario vſui, quam ſuperfluæ cupiditati famulantur.* Illi liberantur à luctu, qui neceſſitati potius, quàm ſuperfluitati ſtudẽt. Intolerabilis ſemper eſt, & multis mortibus
Naum 2 mulctanda cupiditas ſuperfluitatis. Vnde Naũ c. 2. *Diripite argentum, diripite aurum, & nõ eſt finis diuitiarum ex omnibus vaſis deſiderabilibus. Diſſipata eſt, & ſciſſa, & dilacerata.* Et Græco legitur: *Diripiebant argentum, diripiebant aurum, neque finis erat mundi eius*, &c. Expende illa: *Neque finis erat mundi eius*, nullus finis, nullus, certus terminus ponebatur in habendo ornatu, ſed vltra omnes indigentiæ; & neceſſitatis terminos quærebatur:
Theoph. ne miremur excidiũ, quo tãta ciuitas periit. Ait Theophyl. ibi: *Neq; poteſt quiſquam eorum dicere, quod propter penuriam, vel egeſtatem eà diripuerint, tolerabilius enim hoc fuiſſet malum, ſed per iniuriam, & quia voluerint habere diuerſos, eóſque pretioſos ornatus. Non erat enim, inquit, finis ornatus eius. Adeo erat ornatus exuberans, & ſumptuoſus ſuper omnia vaſa pretioſa eorum; quæ & ipſa deſiderabilia erant, id eſt ſuperfluo luxu ad delicias parata.* Inde inexcuſabilis malitia apparet, quod non ſeruiebat indigentiæ, ſed ſuperfluitati, quod illi attulit tãta mala,

§. XXXIX.

Quæ à Deo ſunt, ea ſola præualent,

QVã vana ſunt omnia vel impedimẽta, vel auxilia creata, vbi Deus aliquid ſtatuit; id enim, quod à Deo eſt, ſolùm præualet, & ſolum manet. Quod patet in præſenti mannæ collectione, quippe ſtatutum erat à Deo, vt gomor per capita ſingula colligeretur, & alij vel propter teneritudinem ætatis, vel propter virium defectum non peruenirent ad menſuram, alij autem fortiores, & alacriores ſupra menſuram eſcas congregabant. Vbi autem ad rei exitum veniebatur, ait textus: *Nec qui plus collegerat, habuit amplius; nec qui minus parauerat, reperit minus.* Ecce tibi, nec imbecillitas, nec potentia creata valuit, ſed quod ex Deo erat, id ſolum præualuit, ídque tandem integrum apparuit. Vanus eſt, qui aliud ſpectat quam Deum, ex quo ſolo venit, quidquid apud homines præualet, quidquid manet. Matth.
Matt. 26 26. propoſuit Dominus diſcipulis ſuis ſcandalum, quod erant illa nocte paſſuri. Tunc Petrus ait: *Etſi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, &c. *Tunc venit Ieſus cum illis in villam, quæ dicitur Gethſemani, & dicit diſcipulis ſuis: Sedete hîc, donec vadam illuc, & orem. Et aſſumpto Petro*, &c. Nominatim de omnibus aſſumit Petrum orationis ſuæ teſtem, cùm à Patre petebat, vt faceret tranſire à ſe paſſionis calicem. Et cur nominatum adducit Petrum in teſtem orationis ſuæ? Ait ibi
Orig. Orig. *Ad hoc autem adduxit eos, maximè Petrum magna de ſe præſumentem, & confidentem, vt videant, & audiant, vbi eſt poſſe hominis.* Itáque tempore paſſionis fecit Petrum teſtem ſuæ orationis, & congreſſus cum voluntate paterna, ait, qui viribus ſuis præſumebat, & videret, & diſceret, *vbi eſt poſſe hominis*; non equidem in humanis viribus, nec in humana poteſtate, ſed in Dei volũtate, à qua venit, quidquid tandem manet, & præualet. Erat regnum Iſraëlis oblatum Iſai ſemini 1. Reg. 16. Quod noſcens pater, præmittit vngendos filios maiores natu, qui vel militari ſpiritu, vel corporis proceritate, vel magnitudine animi regnum ſibi præripere ſperarent. Erat his minimus frater nullis militaribus deditus curis, ſed paſtorali officio occupatus, annorum teneritudinem ouium paſcebat lacte. Is, cùm de regno ageretur, prorſus à parente ignorabatur adeò, vt vel interrogatus paruum deſpiciens, dicat: *Adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues.* Componite modò duo filiorum agmina; hinc maiores natu, & naturæ commendatione, & corporis vultu, & patris ſuffragio, & militari exercitio, iam iam ſibi regnum aſſerentes; illinc paruulum, ætate imbecillum, officio abiectum, & ab ipſo parente ignoratum, & inde vel à regni cogitatione remotũ. Quid tunc? Vtrũ agmẽ præualuit? Sanè nec potẽtia maiorũ plus accepit, nec infirmitas paruuli minus recepit, ſed quod à Deo fuit decretum, id ſolum præualuit. Rem ponderabat. D. Baſil. Sel. orat. 14. fatus:
Baſil. Sel. *Vocandi ordo naſcendi ſequebatur ordinem, & proprium gratia non repericbat. Quid opus verbis? Conſumpta erat veteri vbertas, nec gratiæ fructum metebatur. Adhuc, inquit pater, reliquus eſt paruulus, & paſcit oues. Quid eum, qui nec ad gregem paſcendum ſufficit, ad regnum flagitas? Sed Deo ſuffragante non præualuit generatoris ignoratio.* Sic nec potentia, nec infirmitas humana præualuit, ſed deſpectis hominum conatibus, & impedimentis excuſſis, id quod ex Deo veniebat, illud permanſit.

Exod. 16. Dixítque Moyſes ad eos: Nullus relinquat ex eo in mane. Qui non audierunt eum, ſed dimiſerunt quidam ex eis vſque mane, & ſcatere cœpit vermibus, atque computruit. Et iratus eſt contra eos Moyſes. Colligebant autem mane ſinguli, quantum ſufficere poterat ad veſcendum. Cúmque incaluiſſet Sol, liquefiebat. In die autẽ ſexta collegerũt cibos duplices, id eſt, duo gomor per ſingulos homines.

§. XL.

Quàm reuerenda debet eſſe diuina menſa, ne quis Deum offendat.

ECce tibi vt dapes diuinæ in vermes conuertuntur, & manſuetiſſimus Moyſes ſcandeſcit in Iſraëlitas, ait enim: *Qui non audierunt eum, ſed dimiſerunt quidam ex eis vſque mane, & ſcatere cœpit vermibus, atque computruit. Et iratus eſt contra eos Moyſes.* Nunquam antea talis ira Moyſis, nec tale ſupplicium Dei percuſſit Iſraëlitas, etiam magnis criminibus obſtrictos. Quippe deficiente viatico murmurauerant in Deum, & Moyſem, multáſque quærimoniæ voces protulerant, quibus auditis, ait Moyſes: *Mane videbitis gloriam Domini. Audiuit enim murmur veſtrum contra Dominum. Nos verò quid ſumus, quia muſſitaſtis contra nos?* Et murmur & iniuſtas querelas in ſe, & in Deum Moyſes audit iactatas, nec dicitur iratus fuiſſe, nec à Deo vllũ venit,

ſupplicium

ſupplicium in murmuratores, & querulos. Cur ergo, qui tunc diſſimulabant populi facinora, modo illa non diſſimulant, ſed magis puniunt? Cur qui adeò manſuetus erat in ſuos Moyſes,modò ſic iraſcitur in illos? Cur qui murmurantes conuiuio excepit Deus, modò ſeruantes manna vermibus mulctat? Equidem meritò nunc ira,nunc vermes ebulliunt in miſeros, qui nec inter ipſos cœleſtes cibos colligendos verentur offendere altores ſuos. Quamuis enim aliàs eſſent ſolutiſſimi aduerſus Deum, tamen nunc reuereri debebant
Gen.37. menſam diuinam,qua illos Deus alebat.Iacob Gen.37. mittens Ioſephum puerum aiebat: *Vade,& vide ſi cuncta proſpera ſint erga fratres tuos*; ibat ergo puer inuiſurus fratres,ſed nec vacuus ibat,verum teſte Chryſoſto-
Chryſoſt. mo,afferebat illis cibos. Quid tunc? *Qui cùm vidiſſent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere.* Vident cibos afferentem, & de eius cogitant iniuria. Proh crudele nefas! Proh auſus homine prorſus indignus! Proh facinus omni labandum ſupplicio!
Chryſoſt. Sanè ait D. Chryſoſt. hom. 5. de Lazaro habita in Biblioth.homiliarum:*Cùm vidiſſent illum procul venientem, ipſiſque cibum afferentem, inter ſe dicebant: Interficiamus eum. Vt fratrem non reuerearis, neque naturam agnoſcas, certè menſam ipſam conueniebat reuereri, ipſum qui miniſterij officium, quandoquidem aliturus te veniebat.* Quis altorem ſuum offendat? Quis vel menſæ conſpectu audeat aliquid in eum,qui parauit illam?Hinc Æſter Re-
Æſt.14. gina cap. 14. vt diuinam iram in perniciem Aman negotiabatur,ſic Deo dicebat: *Tribue ſermonem compoſitũ in ore meo in conſpectu leonis;& transfer cor illius in odium hoſtis noſtri,*&c.*Tu ſcis,quod nõ comederim in menſa Amã.* Amanis mortem petit, & dum hanc petit, ſimul hoc proteſtatur coram Deo,quòd non comederit in menſa Aman:*Tu ſcis,quòd non comederim in menſa Aman.* Græcè legitur: *Quod non comederim menſam Aman.* Et cur neceſſarium duxit bona Regina ſe hoc coram Deo proteſtari,quòd ieiuna ſit ab Aman menſa? Nitebatur Aman perdere, & ideò curat, quod omnibus innoteſcat,nunquam ad eius menſam ſederit,fœdiſſimum enim, & grauiſſimum coram Deo putabat, ſi cuius in menſa comederit,offenſionem appeteret. Non equidẽ eſt bonæ mentis menſam conuiuatoris ſui non vereri.
Matt.26 Matth. 26. poſt cœnam ritè peractam, poſt cœleſtem panem hominibus porrectum: *Hymno dicto,exierunt in montem Oliueti,*&c. *Tunc venit Ieſus cũ illis in villam,quæ dicitur Gethſemani,* &c. Cur non magis moratur in domo cœnæ?Cur vbi ſe dedit comedendum, imò & ipſe comedit,non expectat,vt miniſtri conueniant, & manus inferant? Cauit Deus nefarium facinus comprehenſionis ſuæ admitti in loco,vbi cibus dominicus ap-
Orig. paruerat;reueritus ſacram menſam. Ait Orig. ibi: *Ieſus cum diſcipulis venit ad prædium hoc, quod dicitur Gethſemani,accipiens eos ex loco illo, in quo paſcha cum eis manducauit. Nec enim conueniebat,cùm proderetur, ab illo capi loco,vbi cum diſcipulis manducauerat paſcha.* Non conueniebat nefario facinore pollui locum, in quo tantum conuiuium fuerat pro hominum ſalute paratum. Sed magis conueniens erat, vt ſua ſeruaretur immunitas loco,religióque ibi integra eſſe,ne quis auderet offendere Ieſum in loco, in quo ab illo ſibi ſciuerat paratas cœleſtes dapes.

§. XLI.

Qui cœleſte pabulum in abundantia offendit,tempore neceſſitatis illud inueniet ſibi durum.

DVm ad aſſeruatum mannæ cibum recurrũt Iſraëlitæ,non cibum,ſed bullientes vermes inueniunt. Ait enim: *Qui non audierunt eum, ſed dimiſerunt quidam ex eis vſque mane, & ſcatere cœpit vermibus.* Non cibos, ſed vermis iam erat cœleſtis panis illis, qui pridie illũ malè ſeruauerant, malè collegerant. Nec miror; quĩ enim in abundantia malè ſe habuerunt circa cibum cœleſtem,non mirum,quod tempore neceſſitatis illum requirentes,non cibum inueniant,ſed vermes,qui perdant.D.Amb.ſer.3.de Pſal.21. *Manna illis contra diuina* D. Amb.
præcepta tractantibus vermes effecti ſunt,id eſt,contumaciæ vltores,& iudices. Quæ ſimilitudo Chriſtum indicat, quem qui ſuauem cibum,& dulcem potum haurire neglexerit, iudicem patietur. Crede mihi,nullus contempſit Deum cibantem,qui non tremuerit poſtea ſub eo iudice? Nota eſt hiſtoria filiorum Iacob, quando deſcenderunt in Ægyptum, vt triticum ſibi emerent, adſtabant coram frumenti venditore Ioſeph,qui ait illis Gen.42. *Hoc eſt,* Gen.42.
quod locutus ſum, exploratores eſtis.Iam nunc experimentum veſtri capiam:per ſalutem Pharaonis non egrediemini hinc,donec veniat frater veſter minimus. Mittite ex vobis vnum,& adducat eum;vos autem eritis in vinculis, donec probentur,qua dixiſtis. Ecce tibi,vt quærunt panem egẽtes,& vincula inueniunt: & à quo omnis Ægyptus alimenta vitæ accipiebat; iſti fratres reſponſum mortis accipiunt,& in periculum veniunt.Et cur tam dira ſors pijſſimi hominis filijs euenit? Cur petentibus panem datur ſcorpio? Cur cibo egentibus offerunt vincula, carceres,& tormenta? Sanè & ipſi ſuprà cùm viderent Ioſephum ſibi cibos afferentem, & cibos contempſerunt,& altorem ſuum malè tractauerunt,vt illum Madianitis venderint.Meritò ergo qui malè habuerunt,& cibum,& cibatorem ſuum,cum egentes cibum requirunt,non cibum,ſed vincula inueniunt, & tormenta.
Pulchrè ad hæc D.Chryſoſt.hom. 5. de Lazaro habita Chryſoſt.
in Biblioth.homil.ait:*Volebant emere frumentum,hic autem ait ad eos:Exploratores eſtis. Illi verò quidnam hoc eſſat apud ſe reputabant,inquiunt: Frumentũ empturi venimus,& de vita periclitamur. Meritò:quandoquidem & ille vobis alimoniam adferebat,& de vita periclitatus eſt.* Hoc expectandum in altore diuino neceſſitatis tẽpore,quòd cum illo fecimus, dum abundamus in ſæculo. Si dum tibi Deus menſam inſtruit,cibos proponit,tu & cibos, & Deum contemnis,imò maximè offendis;ne mireris, ſi neceſſitatis tempore requirens cibum cœleſtem, mortem inuenias.Si afferens tibi alimoniam Ieſus periclitatur apud te de vita; non mirum erit, quod quærens ex eo cibos, de vita etiam pericliteris. Quò traho illud Iobi cap.28.dicentis: *Terra de qua oriebatur panis* Iob.28.
in loco ſuo,igni ſubuerſa eſt. Græcè legitur: *Terra ex ipſa egredietur panis,ſubtus autem eam verſa eſt ſicut ignis.* Ecce tibi in vna eadémque terra,& panis,& ignis. Et vbi panis, & ignis ſimul inueniuntur? In naturali ordine non facilè hæc inuenies? in myſticis autem quoties à te contemnitur panis diuinus, iam non panis, ſed ignis eſt, qui flammas in te fulguret. Vt dicat meritò Paſchaſ.lib.4.in Threnos: *Rectè plangitur,quod de terra de* Paſchaſ.
qua oriebatur panis, qui de cœlo deſcendit, aut hauriri debuerat, in loco ſuo igne ſubuerſa eſt. In loco autem ſuo igne ſubuertitur, quando mens infidelium ſacramenta conculcans,vitiorum facibus concrematur. Ecce tibi, quid naſcatur de viuifici ſacramenti conculcatione;fallar,ſi inde aliud tibi naſcatur quam multiplex & peccatorum, & ſuppliciorum flamma. Væ qui malè tractas panem, qui de cœlo deſcendit,qui cum illum accipere debeas, & negligis,imò & deſpicis,ex tunc vix odor panis,ſed flamma,ſed perditio, ſed ruina apparet! Non omnino ſecurè quærit hunc panem tempore neceſſitatis,qui illum malè tractauit, & vitiosè illo alebatur. Ait Ierem. Ierem.
Thre.2.*Matribus ſuis dixerunt,vbi eſt triticum, & vinũ? Cùm deficerent,quaſi vulnerati in plateis ciuitatis, cùm exhalarent animas ſuas in ſinu matrum ſuarum.* Fameſcentes,& penè mortui viuificum panem requirunt,cœleſte conuiuium petunt,& non eis datur,ſed mors,& perditio illos rapit.Et cur miſeri in tẽpore anguſtiæ quærentes non inueniunt diuini panis ſolatium?Oberat illis ſinus matrũ,hoc eſt, conſuetudo malè habendi cœleſtes dapes.Ait Paſchaſ.lib.2. in Threnos: *Non alio pane li-* Paſchaſ.

bertas noſtra vtitur, niſi qui de grano frumenti, quod in terram cecidit, & mortum fuit, conficitur; qui profectò panis de cœlo veniſſe creditur. Neque alio vino, niſi quod de vinea Sorech, & vite, quæ Chriſtus eſt, vindemiatur. Hoc quippè vinum paruulus, & lactens à matribus requirunt, ſed quia in plateis non inuenitur, neque vulnerati eum dignè accepiunt, exhalant animas ſuas in ſinu matrum ſuarum, quæ eos malè aluerant. Quæ miſeros fecerunt malè ali, malè ſuſcipere, & habere alimentum immortalitatis, faciunt vt tempore neceſſitatis, in extremis conſtituti, etiam quærentes cœleſtem panem nihil in eo percipiant vitale. Mirum enim erit, ſi aſſuetis malè, & irreuerenter tractare diuiniſſimum cibum, non eis in fine lethalis appareat.

§. XLII.

Quo diutius quis ſui curam vni Deo permittit, efficaciores nanciſcitur apud Deum aduocatos,

DVm in collectione mannæ præceptum de non ſeruando in craſtinum tranſgrediuntur Iſraëlitæ, non miror, quod eis cibus in vermes conuertatur. Sed illud maximè mirandum, quod pro illis Moyſes nullum verbum faciat, ſed potius valdè & ipſe in illis iraſcatur. Dicit námque: *Et iratus eſt contra eos Moyſes.* Exod. 32 Infrà autem Exod. 32. vbi atrociter peccauit populus, vitulúmque adorauit, quo Dei iram ſibi meruit, ſtatim Moyſes pro illis ſtat, ait enim textus: *Moyſes autem orabat Dominum Deum ſuum, dicēs: Cur, Domine, iraſcitur furor tuus,* &c. Cum atrociter peccant, non iraſcitur Moyſes, ſed pro illis ſtat, & ſuis precibus nititur Deum placare; modò verò cum leuius peccant, & iraſcitur Moyſes in illos, & nullum pro illis verbum facit. Cur non magis nunc pro illis orat? Aut quid fuit in hoc peccato, quod familiariſſimam orationem Moyſis magis ſic cauit, & itam excitauit? Peccatū illud idololatriæ præceſſerat longa populi expectatio: *Videns autem populus, quod moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus aduerſus Aaron dixit,* &c. Itáque ibi longam expectationem ſuſtinuit populus intētus Moyſis aduentui, in præſenti autem nec vno die ſuſtinuit expectare Dei prouidentiam, ſed iuſſus non colligere in craſtinum, ſed magis idem futurum expectare, nec vnius diei expectationem habuit. Quippè ait: *Nullus relinquat ex eo in mane. Qui non audierunt eum, ſed dimiſerunt quidam ex eis vſque mane.* Ne mireris, quod nec Moyſem aduocatum habeant, ſed percuſſorem iratum. Quò enim largior eſt noſtra expectatio, & fiducia, eo efficaciores facimus aduocatos. Matth. 14. Matth. 14 multæ hominum turbæ accedunt ad Ieſum: *Veſpere autem facto, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, dicentes: Deſertus eſt locus, & hora iam præterit, dimitte turbas, vt euntes in caſtella emant ſibi eſcas.* A mane vſque ad veſperam expectauerant turbæ nullam cibi curam habentes, ſed omnia Deo committentes, & finita die expectationis, Apoſtolorum chorus pro illis orat, vt ad eſcas quærendas dimittantur. Fœliciores extiterunt turbæ aliæ, quæ non Apoſtolos, ſed ipſum Ieſum patronum habēt. Etenim Marci cap. 8. Marc. 8. *Conuocatis diſcipulis, ait illis Ieſus: Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent, quod manducent.* Non Apoſtoli, ſed Ieſus modò turbarum patrocinium ſuſcipit, tacentibus námque diſcipulis, Ieſus ait: Miſereor ſuper turbam. Et cur qui in vnius diei expectatione, & ieiunio loquebantur pro turbis, modò toto tacent triduo, nec verbum ipſi faciūt, ſed tota res deuoluitur ad ſolum Chriſtum? Non hoc deſidia Apoſtolorum fuit, ſed myſterium, & virtus tridui. Triduana enim lōga nimis expectatio, & fiducia efficacius petebat patrocinium, quam quod ab Apoſtolis fieret, ipſum Ieſum patronum requirit. Chryſoſt. hom. 8. in Mar. ait: Chryſoſt. *Ibi Apoſtoli dicunt: Ecce die tota expectant te, hîc vero ipſe Saluator loquitur: Ecce iam triduo ſuſtinent me. Vide, quæ ſit differentia inter vnum diem, & tres. Ibi ab Apoſtolis Dominus rogatur, vt paſcat: hîc Apoſtolos commonet Dominus, vt paſcant. Digni erant ſolicitudine Domini, qui tribus diebus expectauerant Dominum.* Lōga nimis fiducia turbarum, qua ſe totas commiſerunt per triduū nullam ſui curam habentes, ſed vnum ſpectātes Chriſtum, hęc, inquam, lōga nimis fiducia maiori ſolicitudine, & patrocinio digna erat, quā quæ præſtaretur à diſcipulis. Diſcipuli fauent vnius diei expectationi, quæ triduana erat, exigebat ipſius Dei ſolitudinem. Hinc Matth. 15. dū mulier Chananæa Ieſum adit, ab illóque Matth. 15. non ſemel filiæ ſanitatem quærit: *Accedentes diſcipuli eius rogabant eum, dicentes: Dimitte illā, quia clamat poſt nos.* Qui etſi non obtinuerunt, tacuerūt tamen, nec amplius pro illa loquūtur, & ſi vident illam adhuc clamantem, & adorantem, imò & vident illam nullo deſpectu deuictam, ſed vt magis deſpiciebatur, magis inſtabat, & ex ipſis opprobrijs rationem faciebat, qua toties repulſa impetrare ſperabat. In ijs omnibus tacent Apoſtoli, & qui ob primos clamores patrocinium eius ſuſceperant, in tam inaudita perſeuerantia, & fiducia, & inſtātia orationis, prorſus tacent. Cur ô Apoſtoli, qui primo loquebamini pro illa, nunc tacetis cum adeò inſtat, & fidit, vt Deus ipſe miratus eius fiduciam laudet, dicens: *O mulier, magna eſt fides tua?* Cur vel tunc eius non ſuſcipitis cauſam? Ait Chryſoſt. ibi: Chryſoſt. *Nam quamuis maiori Apoſtoli ad Chriſtum potiebantur libertate; magnam tamen mulier patientiam oſtendit.* Non erat Apoſtolorum defectus, ſed fœmineæ virtutis magnitudo, quæ inter tot aduerſa confidens, non Apoſtolorum, ſed Dei ipſius merebatur ſuffragium.

§. XLIII.

In cuius corde creatura dominatur, vix poteſt Dei gratia durare.

HOc valde mirandum in manna, quod igne torrebatur, & non liquefiebat: ad Solis autem radios ſtatim euaneſcebat liquefacta. Ait enim textus: *Cúmque incaluiſſet Sol, liquefiebat.* Et cur ſuſtinēs fornacis calorem, non ſuſtinebat Solis radios? Rem miratus Caietanus aiebat: Caiet. *Mirum eſt autem, quod non ſuſtineret calorem Solis excellentem, & ſuſtineret tum calorem ignis, tunc molam.* Vnde hoc, quod qui euaneſcebat ad Solis radios, inter fornacis flammas perſeuerabat? An quia Sol ardentior, quam fornax? Abſit; ſed rationem inuenio in illis verbis Caietani, nimirùm: Caiet. *Non ſuſtineret calorem Solis excellentem*; non vis, ſed excellentia ſolaris caloris faciebat, quòd euaneſceret manna. Dominatur enim Sol dierum omnium iuxta illud Gen. 1. Gen. 1. *Luminare maius, vt præeſſet diei:* vbi autem creatura aliqua prædominatur, Dei gratia per manna ſignificata nequit diu cōſeruari. Fallar enim, ſi diu ſit Dei gratia in corde, in quo prędominans creatura ſibi ſedem facit. Defunctus Dominus ſepulcro traditur Matth. 28. Matth. 28 in quo tres dies egit, tertia autem reſurgens indè abijt. Quid tunc? *Angelus Domini deſcendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidē, & ſedebat ſuper eum,* &c. *Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: ſcio enim, quòd Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis. Non eſt hîc, ſurrexit enim.* Hæc pauca dicturus verba Angelus in ſepulcro ſedens oſtenditur: nec vnquam alibi ſedens Angelus apparet. Cur modò dicturus non eſſe ibi Deum ſedens oſtenditur? Si multa locuturus eſſet de morte, de reſurrectione, nō mirarer, quod in ſepulcro ſederet, quaſi in cathedra. At cū ſolum dicat: *Non eſt hîc, ſurrexit,* cur neceſſum fuit ſedere, vt hæc pauca verba daret? Sanè, quod ore docebat, voluit & habitu corporis confirmere; vt enim ore dicebat Deum nō iam eſſe in ſepulcro, id etiam euidentius in ſepulcro ſedens confirmabat, in quo námque creatura ſedem habebat, & dominabatur, certum erat, quod non poterat Deus diu durare. Ait Diu. Chryſoſt. hom.

hom.de Ioann.Bapt.fatus: *Errorem arguit Angelus ille, qui ſedebat ſuper lapidem, dicens: Et quid oſtendebat lapis iſte, cui ego inſideo, qui ſeruus ſum iſtius? Qui certus ſum, quod non poteſt includere Dominum meum, cum prematur à ſeruo ſuo.* Quid ſapientius? Rectè putatur Dominus non poſſe diu claudi in loco, qui premitur ſub prædominatione creaturæ. Inſidet cordi tuo creatura aliqua; inſidet temporalis affectus, téque premit dominatione ſua, & prorſus ſubiicit nutui ſuo? Falleris ergo, ſi credas ibi poſſe diu retineri gratiam diuinam. Adoleſcenti cuidam dicebat Dominus Matth. 19. quod ſeruaret mandata omnia Dei, & reſpondit ipſe: *Omnia hæc cuſtodiui à iuuentute mea.* Sic auſus eſt aſſerere à ſe ita omnia præcepta diuina cuſtodita, vt nunquam gratiam amitteret. Rem tamen examinans D. Irinæus lib. 4. cap. 26. ait: *Cùm dixiſſet, omnia feci, fortè non fecerat.* Adhuc apertiùs D. Ambr. in Pſalm. 1. ait: *Nec ad illa aſcenderat.* Sed omnium clariſſimè D. Baſil. hom. 7. aſſerit: *Mentitus eſt hic adoleſcens.* Mirabar, quod ſanctiſſimi, piiſſimíque Patres ſic indubitanter adoleſcentem hunc mendacem eſſe conuincant. Et cur ſancti mendacium putent eſſe in aſſerente à ſe fuiſſe mandata omnia cuſtodita, & nunquam gratiam amiſſam? Quo fundamento ſic damnant hominem iuſtum? Videbant in eius corde temporalia bona ſic prædominari, vt iuſſus illa relinquere, abierit à Ieſu triſtis. Ait enim textus: *Cùm audiſſet adoleſcens verbum, abiit triſtis; erat enim habens multas poſſeſſiones.* Sapientiſſimè ergo, & ſanctiſſimè Patres mendacium putabant, quod nũquam mandata fuiſſent fracta, nec gratia amiſſa in illo, in quo dominiũ, & principatum tenebant diuitiæ. Quippè fieri nequit, vt prædominante in animo noſtro creatura, diu ibi Dei gratia aſſiſtat, quin abeat indè. Quis neſciat Saulis à Deo electi tragœdiam? Vt Deus erat cum illo, vt eligeretur, vt illum comitata eſt Dei gratia primis annis duobus regni. Vt ab illo fugit Deus, illúmque reiecit. Sed cur à ſic amato fugit Deus? Ait 1. Reg. 15. *Apprehẽdit Agag Regem Amalech viuum; omne autem vulgus interfecit in ore gladij. Et pepercit Saul, & populus Agag*, &c. *Factum eſt verbum Domini ad Samuel, dicens. Pœnitet me, quod conſtituerim Saul Regem.* Quod Saul abſtinuerit à morte vnius Regis Amalecitæ, fuit totius ſuæ ruinæ cauſa. Sed quando omnes peremit Amalecitas, cur in vnius conſeruatione ſic peccauit? Rex erat, qui ſeruatus eſt, & non miror, quod Deus offendatur ſeruato Rege eorum, quorum vel minimos odio habet. Ait Ioſephus lib. 6. cap. 6. *Deus ita Amalecitas oderat, vt ne infantibus quidem parceret, Saulus autem Regem ipſum hoſtium, & malorum omnium Hebræis authorem ſeruauit.* Quando ergo vel minimi affectus praui Deo odioſi ſunt, quomodo permanebit Deus cum eo, qui Regem, & prædominantem temporalitatis affectum ſecum habet, illíque parcit?

D. Irin. D. Baſil. 1. Reg. 15. Ioſeph. 6.

§. XLIV.

Duplicat, imò & multiplicat mercedem, qui non ſolùm ſibi, ſed & aliis procurat ſalutem.

IN ſexta die duplex menſura retinetur cœleſtis edulij; ait enim: *In die autem ſexta collegerunt cibos duplices.* Accidit enim iis, qui non ſolùm ſibi, ſed & aliis prouident ſalutem, vt in vltima die duplicatam mercedem recipiant. Quò ſpectans dicebat ille Matth. 25. qui iam deuenerat in operationis finem: *Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuper lucratus ſum.* Sic duplicata omnia tempore rationis reddendæ in ſe inuenit. Sed vnde ſic mercedem duplicat? Ait Paſchaſ. lib. 11. in Matth. *Hoc eſt de quinque talentis alia quinque lucrari, cùm in eiſdem temporaliter operamur, vt per eoſdem noſmetipſos exercitantes, & alios inſtruentes ad maiorum virtutum culmina erigamus. Sicque duplicata omnia reportemus, tam in nobis, quàm in proximis, vt de temporalibus eterna, & de caducis ſemper manentia acquiramus.* Duplicantur equidem omnia in illis, qui ſe, & alios ducunt ad ſalutem. Vt enim acutè, & ſapienter notat noſter Pineda, tunc vel maximè decernuntur Iobo duplicia, cùm ipſe precibus ſuis mercatur amicorum ſuorum ſalutem. Sic ait cap. 42. *Dominus quoque conuerſus eſt ad pœnitentiam Iob, cùm oraret ille pro amicis ſuis. Et addidit Dominus omnia, quæ fuerant Iob, duplicia.* Ecce tibi non otiosè iunguntur hæc duo, quod oret Iob pro amicis, & quod addat Deus illi duplicia, ſed vt oſtendatur, quàm duplicentur omnia illis, qui ſuam, & aliorum negotiantur ſalutem, nec ſolùm duplicantur, ſed & multiplicantur. Vndè Gen. 43. dum Ioſeph fratres ſuos excipit conuiuio, iubet multò maiorem aliis apponi portionem Beniamino. Sic enim ait: *Maiórque pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet.* Et cur Beniamini pars ſic ſuper omnes creuit? Erat Beniamino Paulus, per quem multis innotuit Chriſtus, & æterna vita; vbi autem eſt, qui ſibi, & aliis acquirat ſalutem, nunquam non multiplicatur pars mercedis illius. Ait enim D. Amb. lib. de Ioſeph. cap. 10. *Lauit faciem ſuam Chriſtus, vbi baptizatus eſt Saulus, per quem a pluribus videretur. Ideo in conuiuio pars eius quindupliciter maior effecta eſt.* Et cur nõ creſcat quindupliciter merces, vbi Paulus inuenitur, qui adeò ſtudioſus fuit proximorum ſalutis?

Iob 42. Gen. 43. D. Amb.

§. XLV.

Eleemoſyna duplum metit pro præſenti ſæculo, & pro futuro.

IN ſexta die collegerunt duplices cibos pro præſenti, & pro ſequenti die. Dicit enim: *In die autem ſexta collegerunt cibos duplices:* factum enim fuit à Deo per miraculum, vt quod colligebatur ſexta die impleret duas menſuras, vt teſtatur Hugo Victor. & Caietan. & Lyppom. Quale miraculum fit per eleemoſynam quotidie, quiſquis enim eleemoſynam præbet. duos ſibi parat cibos, alterum pro præſenti, alterum pro futura vita. Vnde Eccleſiaſt. cap. 5. *Et omni homini cui dedit Deus diuitias; atque ſubſtantiam, poteſtatémque ei tribuit, vt comedat ex eis, & fruatur parte ſua.* At ſcire cupis, quæ ſit pars hominis, qua homo ex Deo fruitur? Olympiodorus ait partem hanc ſitam eſſe, non tam in eo, quod homo comedat, quàm in eo, quod diſtribuat, & largiatur eleemoſynas. Nunquam enim magis fruitur homo parte ſua, quàm vbi indigẽtibus ſua diſtribuit, eo enim ipſo, & in præſenti, & in futurum ſibi cibos congregat. Ad hæc Chaldæus fatur: *Etiam omnis homo, cui dederit Dominus diuitias, & facultates, & præpoſuerit Dominus eum, vt comedat ex eis in ſæculo hoc, & vt faciat ex eis eleemoſynam, & vt accipiat mercedem partis ſuæ perfectam in ſæculum futurum.* Ecce tibi eleemoſynarij hominis pars, vt habeat integram, & perfectam mercedem ſuam in duplicibus, nimirùm, vt comedat in præſenti, & accipiat in futurum. Nec aliò ſpectat Eccleſ. c. 11. monens hominem: *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, quia poſt tempora multa inuenies illum.* Vbi etiam Chaldæus in Regia habet: *Porrige alimẽtum tuum pauperibus, qui ambulant in nauibus ſuper facies aquarũ; quoniam poſt tempus dierum multorum inuenies mercedẽ eius in ſæculo hoc, & in ſæculo venturo.* Non vna, ſed duplex præſentis, & futuri ſæculi menſura capit mercedem debitam illi, qui panem ſuum pauperibus diſtribuit. Sed illud maximè notandum, quod in diſtributione panis meminerit aquarum, ſiue fluminum, ſiue marinarum; quippe Chaldæus Coſti rem ad aquas marinas deducit, inquiens: *Protende panem dimenſi tui pauperibus, qui mane inuecti oram maris legunt.* Et quid aquarum fluenta, quid mare ad diſtributionem panis? Fallar, ſi in alio eleemoſynæ augmentum clarius eluceat, quàm in aquis marinis. Accipite quæſtionem, & agitatam, & ſolutam

Eccl. 5. Eccl 11.

Naz. solutam à Cæsaria Nazianzeni fratre dialogo 1. Ait enim: *Quomodo cum tam multis annis exhauriantur per eleuationem pluuiarum, & omnium participationem non deficit aqua, vel fontana, vel marina?* Hæc est quæstio Philosophi dissertissimi, sed & hæc est eius solutio, nimirùm: *Aqua fontana non deficit ex mari reddita*, &c. *Marina, rursus non attenuatur propter retributionem, quæ fit è supernis, qua id quod euaporauit per Solem, auctum distillat cœlitus, & exundat per rorem exhalationum quotidie sursum tendentium excrescens.* Quid pulchrius? Certum est, quod aqua marina sese per terræ meatus effundit, vt satiet omnium viuentium sites, sed cùm sic se effundit ad terras simul crebras exhalationes, & vapores ad cœlestia mittit, quæ indè instillantes cum augmento faciunt excrescere aquas marinas. Non equidem tot flumina mittit mare, quot habet in supernis thesauros exhalationum, vndè se perpetuo reficiat. Maris ergo ductum sequatur panis tuus, qui dum pauperibus distribuitur, simul in cœlestia mittit tot meritorum thesauros, è quibus, & in præsenti crescas, & in æternum viuas. Et quis nesciat multiplices meritorum thesauros in pane distributo; Abraham sedens in ostio tabernaculi sui Gen. 18. *Cùm eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cùm vidisset, cucurrit in occursum*, &c. Tres peregrinos vidit, & statim cucurrit ad illos. Quid necessum fuit sic currere? Ait Chrysost. hom in dictum Pauli, oportet hæreses esse: *Accurrebat enim, ministrabat, dominos appellabat, thesaurũ innumerorũ bonorũ se inuenisse putabat, si quando hospitem videret prætereuntẽ.* Expende illud: *Thesaurum innumerorum bonorũ.* Quippè vt mare non tot flumina mittit ad sitientes, quot aquarum thesauros in supernis facit, vt nunc, & in perpetuum alatur. Si qui pauperes satiat, non tot perdit panes, quot acquirit in supernis gratias. Quare monebat Dominus Deuther. 24. *Quando messueris segetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reuerteris, vt tollas illum; sed aduenam, & pupillum, & viduam auferre patieris.* Ecce vt curat Deus pro se getum horreis parari ventres pauperum; vt qui non solùm è terra, sed è cœlo trahunt abundantiam. Ait Iosephus lib. 4. cap. 8. *Metentes, & de messa colligentes ne spicilegium faciant, quin & de manipulis nonnihil egenis relinquant. De vindemia quoque racemuli relinquantur pauperibus: similiter de oliuetorum fructu nonnihil, vt sit egenis, quod colligant, quandoquidem de suo non possunt. Non enim tantum ex negligentiori collectione decedit, quantum accedit è pauperum gratia. Deus etiam ad enutriendos fructus terram alacriorem faciet, si non quisque suis tantum commodis prouideat, sed inopum quoque rationem habeat.* Superant semper, quæ de pauperum gratia in supernis acquiris, quæcunque in terris pauperibus largiaris.

Gen. 18.

Chrys.

Deut 24

Ioseph. 4.

§. XLVI.

Mandatorum obseruatio alimenta parat pro æterna vita.

IN sexta die duplum collectum est, & pro illa, & pro sequenti septima die, quæ Sabbathum erat æternam quietem significans. Quippè ait textus: *In sexta die colligerunt cibos duplices.* Non ipsi duplices cibos colligere intenderunt, sed dum iuxta Dei præceptum colligunt consuetam mensuram, sexta die inuenitur duplex collecta mensura, quæ etiam pro sequentis diei annona sufficiat. Sic Hugo Vict. sic Caiet. sic Lyppom. Nec casu tantũ miraculum factum est, sed vt ostendatur, quid pariat præceptorum obseruatio; eo enim ipso quod præceptis seruandis incumbas, tibi paras annonam pro æterna vita. Habes Gen. 2. vt plantauit Dominus paradisum, vt in medio eius posuit lignum vitæ, cuius fructus mortalium posset æternare vitam. Quid tunc? Ait textus: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso, vt operaretur, & custodiret illum.* Et est celebris quæstio apud Patres, qualis esset ista operatio Adami, & custodia paradisi? Qualiter homo operaretur circa fructus illos æternantes vitam, vt custodirentur integri, & securi? An ligone? An falce? An aratro? Absit hæc operatio à statu illo; sanè per hoc solum, quod homo obseruaret præceptum diuinum, totus ille æternitatis fructus apparabatur, & seruabatur illi. Pulchrè Theodoretus in cat. Græca: *Operaretur, inquam, præceptum Dei, & crederet, & tueretur, vt scilicet illum sibi haberet, atque seruaret, ne quid ipse commissũ amitteret.* Hæc vna operatio in homine requitur, quod diuina obseruet præcepta, & eo solum totum sibi parat, & custodit æternitatis cibum. Da operam seruandis præceptis diuinis, & tibi nascuntur, & parantur cibi pro æterna vita. Quod docens Iesus Ioan. 6. ait: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis.* Duo cibi proponuntur nobis, pro quibus acquirendis debemus operari, & cibus corruptibilis corporis, & cibus animę potens illam in gloria æternare. Petimur autem, ne solum cibum corporis operemur, sed & magis operemur cibum pro anima æternanda. At corporalem cibum, & perituru operamur arantes, metentes, negotiantes sæcularia, cibum autem permanentis vitæ quomodo operabimur? Illis ipsis negotiis temporalibus si vna addatur præceptorum obseruatio, & cibus nostris animabus pro vita permanenti stabit. Ex quo D. Bern. ser. contra ingratitudinem, ait: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Nec cessamus ab operando hoc cibo, etiam cum terrenis fortè occupamur operibus: aut obedientia dictante, aut fraternæ charitatis intuitu.* Ecce tibi vt dum sub obedientia, hoc est, sub præceptorum obseruantia operam nauas temporalibus etiam rebus acquirendis, ea operaris, per quæ cibus animam in æternitate aliturus paratur. Cui excogitationi accipit D. Paul. ad Gal. cap. 6. aiens: *Qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Sed scire cupis, quæ sit ista seminatio in spiritu, de qua vita æterna paratur? Ait D. Cyrill. Alex. lib. 3. in Ioann. c. 28. *In spiritum autem seminant, qui à Spiritus sancti præceptis toto animo pendent.* Nullus ligo, nullum aratrum tibi opus est ad cibi æternum duraturi seminationem; hoc facias, vt Dei præcepta adimpleas, vt sub eorum obseruantia viuas, & pro æternitate animæ habes cibos repositos. Hinc illa Cant. 7. qui cœlestium nuptiarum appetebat conuiuium, vnam hanc diligentiam promit: *Noua, & vetera dilecte mi seruaui tibi*: siue vt Septuag. *Nouas ad veteres, fraterne mi seruaui tibi*: quibus noui, & veteris testamenti præcepta obseruata innuuntur. Sic D. Amb. ser. 22. in Ps. 118. Hiero. in proœmio lib. 1. Isai. Theod. & alij: ex quibus ait Philo Carpat. in præsenti: *Hæc sunt, quæ fidelis sponsa sponso vetera ad noua, & nona cum veteribus sanctissimè seruauit, & seruare debet quæque fidelis anima, vt per vtriusque testamenti diligentem obseruationem ac sanctã audire mereatur. Veni electa mea, ponam in te thronum meum, quoniam concupiuit Rex speciem tuam.* Sic per solam obseruationem præceptorum cœlestis Regis acquirit in se anima, & thronum, & mensam, vt viuat in æternum.

Theodor.

Ioan. 6.

D. Bern.

Ad Gal. 6.

Cyr. Ale

Cant. 7.

Ambr.

Exod. 16. Venerunt autem omnes Principes multitudinis, & narrauerunt Moysi, qui ait eis: Hoc est, quod locutus est Dominus: Requies Sabbathi sanctificata est Domino cras, quodcunque operandum est, facite, & quæ coquenda sunt, coquite. Quidquid autem reliquum fuerit, reponite vsque mane. Feceruntque ita, vt locutus est Moyses, & non computruit, neque vermis inuentus est in eo. Dixit Moyses, comedite illud hodie, quia Sabbathum est Domino, non inuenietur hodie in agro, &c.

§. XLVII.

Quæ pro Deo,& vita æterna fiunt,nullam agnoscunt ruinam.

ECce tibi idem manna asseruatum in alterum diem putrescebat,& in vermes conuertebatur, & nilominùs idem asseruatum in diem Sabbathi nullum sentiebat dãmnum. Ait enim textus: *Fecerunt ita, vt locutus est Moyses,& non computruit, neque vermis inuentus est in eo.* Et quid voluit Deus nobis ostendere in eo, quòd manna asseruatum in diem alterum putresceret; asseruatum autem in Sabbathum sine vllo damno, & incõmodo perseueraret? In Sabbatho typus erat æternæ quietis à Deo suis assectis præparatæ; quod autẽ fit pro æternitate,& Deo,id nullo subest damno,sed integrum tibi manet. Vt moneat Dominus Matt. 6. *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo,vbi neque ærugo,neque tinea demolitur,& vbi fures,neque effodiunt,nec furantur.* Salua sunt omnia,quæ pro Deo,& virtute facimus. Nec vix est damnum illi, qui pro cœlestibus nouit omnia sua thesaurizare. Ierem. 41. viri Sichimitæ ducebantur dolosè ad Godoliam: *Qui cùm venissent ad medium ciuitatis, interfecit eos Ismaël filius Nathaniæ circa medium laci,ipse & viri qui erant cum eo. Decem autem viri reperti simul inter eos, qui dixerũt ad Ismaël: Noli occidere nos; quia habemus thesauros in agro frumenti, & hordei, & olei,& mellis. Et cessauit, & non interfecit eos.* Vbi Ismaël audit de thesauris horum,non interfecit eos, quando & pro eripiendis thesauris magis possent interfici. Nõne quotidie,& bella,& mortes inferuntur pro thesauris habẽdis? Cur ergo in præsenti ad thesaurorũ nomen latronum manus cohibentur? Erãt homines ij pij valde, qui in domum Domini venerant,vt munera offerrent Deo,omnia sua sacra fecerant,vt illa reponerẽt in thesauris cœlestibus,quare nec fur,nec latro aliquid potuit aduersùs eos. Ait Simon de Cassia lib. 10. in Matt. cap. 36. *Decem viri isti occisi fuissent, nisi thesaurum reconditũ (scilicet in cœlo) se habere ostẽdissent.* Fœlix,qui pro Deo, & virtute operatur, non habet,cur timeat bonis suis à latronibus. Hinc de primis Christianis dicit Actor. 4. *Quotquot possessores agrorum,aut domorum erant,vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Sanè nullus thesaurus securior à latronibus inueniri potuit pro asseruandis bonis,quã si omnia impenderentur in gratiã Apostolorũ. De quo ait Chrys. hom. in dictum Pauli: Oportet hæreses esse: vbi sic: *Est extremæ stultitiæ relinquere aliquid rerum nostrarum in hoc loco,nobis paulo post etiam hinc emigraturis. Quidquid enim relinquitur,in damnum cedit. Quapropter illo præmittantur omnia,vbi & nos semper post hac sumus conuersaturi. Hæc quóque,quia & illi secũ reputarunt, omnẽ simul deposuerunt substantiam,fiebátque illis duplex pietatis opus,subleuabat enim indigorũ inopiam, & thesauris suis in cœlo repositis,plures, & securiores suas facultates faciebant.* Expende illud: *Et securiores*, quid enim pro Deo,& virtute impendis,securissimè seruatur tibi liberum à damno, liberũ ab hoste. Quò spectans illa Cant. 1. aiebat: *Indica mihi,quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Duo simul notat in dilecto suo cõiuncta,quæ,mirum erit,si in bono aliquo pastore simul inueniuntur, nimirum quod pascat, & simul cubet. Non equidem acubitus, sed stationes, sed vigiliæ sunt familiares bonis pastoribus pro pascendis ouibus suis. Asserebat de se bonus pastor Genes. 31. *Die, noctúque æstu vrgebar, & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis.* Sic sunt vigiliæ familiares bonis pastoribus, ne dum oues pascuntur, ipsæ luporum, aut latronum pascuæ fiant. Cur ergo sponsa non magis quærit à dilecto, vbi pascat,& vigilet? Cur præsumit illum solum esse, qui pascat,& cubet,& somno indulgeat? Nouerat illa æternitatis pascua ad quæ, quæ spectant oues, illo substantiam transmittentes suam,dum pro Deo,& virtute operantur; sic habent omnia in tuto, à latronibus libera,vt possit ipse pastor dormire. Pulchrè D. Bern. ser. 33. in Cant. inquit: *Nec illud prætereat te,quod is potissimum exploratur locus,in quo,qui pascit,cubat simul,quod est magnæ securitatis indicium. Arbitror enim ob hoc additum, cubat; quod eo loci minimè necesse sit stare, & vigilare super custodiam gregis,quãdo grex etiam cubante pastore,& pausante sub vmbris,liberè nihilominùs discurrat in pascuis.* O securitas eorum, quæ pro æternis pascuis reponuntur! O fœlicitas eius,qui illo transmittit bona sua, nullam non pro Deo,& virtute implendens curam! Hæc,quæ ad æternitatem spectant, à nullo sibi aduersario timent,etiam sub dormitante pastore inuenientur securissima.

§. XLVIII.

Verum hominis lucrum fiet,si quæ pro caducis rebus peragit, eadem faceret pro æternis.

BIs asseruari manna in alterum diem audio, primò cùm ij,qui Moysem audire noluerunt, asseruauerunt illud, quod computruit, & cœpit vermibus scatere. Sed & secundò asseruatũ fuit,cùm moniti à Moyse, asseruauerunt illud pro sequenti Sabbathi die, & tunc integrum mansit,nullus in eo vermis, nulla putredo fuit. Quippe ait: *Fecerunt ita vt locutus est Moyses,& non computruit, neque vermis inuentus in eo est.* Et quando seruatum putrescebat,quid secundò factum ab est Israëlitis,vt non putresceret? Crede mihi,nihil operis additum est,vt seruaretur in Sabbathum; sed eadem asseruandi cura, quæ exhibita pro cupiditate cuiusuis detrimentosa fuit in vermibus, & putredine; eadem pro religione Sabbathi exhibita nullum sensit damnũ, sed lucrum. Vtinam sic vniuersi mentes nostras conuerteremus ad honestatem virtutum, eadem prorsus quæ cupiditatibus præstita nos crebris implent ruinis, facta pro Deo,& virtute magnum nobis lucrum inuenirent. Matth. 2. Herodes perterritus Magorum prædicatione de ortu Domini Christi,conuocat Scribas,& sapientes populi: *Et diligenter didicit ab eis,vbi Christus nasceretur*? Quanta hæc Regis diligentia in perquisitigando loco natiuitatis Christi? Non equidem maius quid præstare debebat,vt in summum bonum veniret. Sed ex illa diligentia pro ambitione exhibita natũ est, quod se perderet tyrannus,& suos; ex qua, si pro Deo exhiberetur,summum bonum acquireret. Vnde ait D. Leo ser. 1. de Epiph. *Quam fœlix foret Herodes, si Magorum imitaretur fidem,& conuerteret ad religionem,quod dissimulabat ad fraudem.* Nullum nouum opus requirebatur vt Herodes numerari posset inter fœliciſſimos; illa eadem sapientium conuocatio, illa eadem inquisitio natiuitatis diuinæ, quæ fiebat pro perdendo puero, & incredibiles Herodi attulit ruinas,si pro religione, pro Deo colendo fieret, faceret hominem fœliciſſimum. Hinc Matth. 4. in sui sequelam trahens discipulos, ad duos fratres piscatores accessit,& ait illis: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Cur non ait, faciam vos Doctores,faciam vos Principes, faciam vos Ecclesiæ fundamenta? Sic Matth. 16. dicebat ad Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Cur simili modo non dicit,linque retia, linque fluctuantes maris vndas,sequere me, faciam te firmissimam in regno petram? Cur piscatori piscium non aliud,quàm hominum piscationem proposuit? Vt ostẽderet in Dei, & virtutis sequela non nouum requiri opus, sed nouum, & securum lucrum dari eisdem operibus. Habes in Christi sequela,non quo peregrinos labores sumas,sed quod notos labores non perdas, sed tibi lucro cedãt. Ait D. Chrysol. ser. 28. *Captores piscium fiunt hominum piscatores: de labore transeunt ad laborem, &c. & quia fructus prouenit ex labore, voluit illos labores*

D. Bern.

Matt. 2.

Matt. 4

Matt. 16.

Chrysol.

non perdere, ſed mutare. Heu quot, quantique labores perduntur in captura temporalitatum, in captura voluptatum, honorum, & diuitiarum! Quot indefeſsè laborant pro iis, vnde ſibi extremam perditionem trahunt. Quid tunc Deus? Vultne labores perdantur, ſed illi ipſi mutentur ad eorum rerum capturam, quæ vitã afferant. Quam fœlix fuiſſes, ſi quæ toleras pro temporalibus, eadem pro æternis tolerares, innumeris ſanè lucris abundares! Sæpe, mihi crede, maiora nõ ſunt, quæ pro virtute fiunt, quam quæ pro vitiis, ſed fœliciora, & ſecuriora illa, dum pro virtute fiunt. Hinc
Num.35 Num. 35. decretæ à Deo ſunt vrbes in populo ſuo pro homicidarum, & aliorum peccatorum refugio, & hæ vrbes erant de Leuitarum vrbibus. Ait enim: *De ipſis autem oppidis, quæ Leuitis dabitis, ſex erunt in fugitiuorũ auxilia ſeparata, vt fugiat ad ea, qui fuderit ſanguinem.* Erant Leuitæ viri ſanctiſſimi, vni Deo vacantes, ab omni temporalium ſeparati tumultu, cur ergo Domine inter hos vis vt homicidæ, & ſceleſti homines viuant? Vt appareat, quam ſint iidẽ peccatorum, ſanctorúmque labores; niſi quod labores ſanctorum ſunt pro virtute, & inde fœliciſſimi, & ſecuriſſimi, labores autẽ peccatorum ſunt pro vitiis, & inde perditiſſimi. Nec labor additur virtuoſis, ſed ſcopus mutatur laborum, &
D. Amb. finis, vt addatur lucrum. Ait D. Ambr. lib. 2. de Abel & Cain c. 4. *Nec abſurdum putes, quod facinoroſi cohabitant piis, maculoſi ſacratis. Quodam modo diuerſo genere eadem cauſa concurrit. Sicut enim Leuites mundanis voluptatibus abdicatus exul eſt culpæ; ita ſanguinis reus, fugitiuus eſt patriæ. Sed hoc intereſt, quod iſte neceſſitate ſuos deſerit propter metum legis, miniſter autem Dei humanarum conſortiis renuntiat paſſionum propter ſtudia virtutum.* Expende vnde ille facinoroſus ſit, hic autem pius; ille omni ex ſe careat auxilio, hic & ſibi, & aliis præſtet refugia. Non equidem ex laborum, operúmve diuerſitate, ſed ex fine. Exulat ſanctus à ſuis, conſortiis hominum renuntiat; & auarus, & ambitioſus, & homicida exulat, fugit hominum conſortia, patitur multa, niſi quod ille vel ſuſtinet, vel facit hæc propter virtutem, hic propter vitia. Vtinam conuerterent ad religionem, quæ diſponunt ad vitia; magnum inde, & ſecurum lucrum reciperent.

§. XLIX.

Stultiſſimum eſt nihil in præſenti pro vita æterna parare.

PRæmonebantur Iudæi in die ſexta & colligere, & parare quæcunque erant in die Sabbathi manducanda, nihil enim tunc inueniretur, niſi quod fuerat de anteacta die ſeruatum. Ait enim: *Requies Sabbathi ſanctificata eſt Domino cras, quodcunque operandum eſt, facite, & quæ coquenda ſunt, coquite. Quidquid autem reliquũ fuerit, reponite vſque mane. Fecerũntque ita, vt præceperat Moyſes, & non computruit, neque vermis inuentus eſt in eo. Dixit Moyſes: Comedite illud hodie, quia Sabbathum eſt Domino, non inuenietur hodie in agro.* Ecce quã aptè præmoneantur, vt in die veneris colligant, & præparent cibos pro Sabbatho, quia nimirum in Sabbatho nihil erat cibi inueniendum in agno. Sed quando manna ſingulis diebus dabatur, cur etiam non datum eſt die Sabbathi: ſed illo die ſolùm edebatur, quod fuerat collectum die anteacta? Ad quid hoc fiebat, niſi vt omnes inſtrueremur, qualiter in præſenti pro vita æterna ducenda debeamus operari. Viuire equidem in cœlo, nõ de iis, quæ illic agere, aut parare poſſis, ſed de anteactis virtutum operibus, modò dũ in hac vita es, debes parare, & colligere, quibus in cœlis vitam æter-
Nyſſen. nam agas. Sic ait Nyſſenus in vita Moyſis exprimens hanc dationem mannæ: *Præparationis dies hæc vita eſt, in qua præparamus, quæ ad futuram vitam nobis præſtò erunt. Nam in illa non agricultura, non mercatura, non militia, non quicquam horum, quæ hîc facimus, nobis conceditur. Sed in quiete omnium, quæ hîc agimus, ac ceſſatione verſabimur, fructus duntaxat operum, quæ hîc ſeminauimus, colligentes.* Nil inuenies in cœleſti regione vnde viuas, niſi de iis, quæ in hac vita colligeris, quæ nunc paras pro illa vita, tunc tibi proderunt. Vt hinc pateat, quàm ſtultè totus ad præſentanea affectus non colligas, quæ pro æternitate tranſponas. Ideò monebat Dominus Ioan. 6. *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui* *Ioan. 6.*
permanet in vitam æternam. Sunt equidẽ alimenta, quæ in præſenti conſumuntur, ſunt quæ aſſeruantur pro vita æterna. Iubemur autem operationem adhibere non perituris, ſed in æternum manſuris. Sed cũ vtraque pro diuerſis temporibus neceſſaria ſint, cur prohibemur curare de caducis, dum ait: *Operamini non cibum, qui perit?* Sanè non abſolutè vetamur hunc cibum operari, vt notat D. Chryſ. Theophyl. & alij, ſed damnatur ſtul- *Chryſoſt.*
titia noſtra, quæ cùm multa ſit in conquirendis temporalibus, fere nulla eſt in acquirendis æternitatis alimẽtis. Quod prorſus ſtultũ eſt. Ait enim D. Cyr. Alex. lib. *D. Cyril.*
3. in Ioan. c. 28. *Sultiſſimum igitur eſt carnem, & carni iocundã ſic amplecti, vt nullam, aut vix æqualem de anima, quæ multò corpori præſtat habere videamur. Cui tanto ſtudere quiſquam magis iubetur; quanto cæteris præſtantior eſt: ſic enim ſapienter & iudicabimus, & operabimur.* Hæc ſanè eſt vera hominis ſapiẽtia, qua nũc ſolicitus eſt de æterna vita, & toto mẽtis conatu ea colligit, ea præparat, nõ quæ in præſenti abſumãtur, ſed quæ ſibi ſuppetant ad vitam æternam. Non abſimile dicebat Dominus Matth. 6. aiens: *Nolite theſaurizare vobis theſauros* *Matth. 6*
in terra vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur. Non vetatur aliqualis in terra theſaurizatio pro filiis, pro familia, pro vita temporali ſuſtẽtanda, ſed exigitur ne in iis tota cura impendatur, verum vt magis attendamus iis, quæ & longioris, & fœlicioris vitæ ſunt pabula. Ex quo monebat Imperfectus hom. 15. in Matth. *Quid er-* *Imperf.*
go? Melius eſt ſuper terram reponere, vbi incertus eſt conſeruationis euentus, an in cœlo, vbi eſt certa cuſtodia? Hic ſi non cuſtodieris, perdes: ſi cuſtodieris timore, & ſolicitudine cruciaris. Illic autem & ſi dormis, à Deo ſeruantur; & cùm recordatus fueris, ſpe gratularis. Quæ eſt autem ſtultitia illic relinquere, vnde exiturus es, & illuc non præmittere, quo iturus es? Proh ſtultitia omnium ſtultiſſima: Cùm multus ſis in congerendis cibis pro vnius diei hoſpitio, nullus es in cibis parandis pro regione, in qua æternum durabis. Horres ſine commodis vitam agere temporalem, & non horres ſine illis vitam æternam agere. Equidem ſi ſapis modò bona para, quibus exiſtere diues, & ſatur poſſis in die æternitatis.

Exod. 16. Videte, quod Dominus dederit vobis Sabbathum, & propter hoc die ſexta tribuit vobis cibos duplices. Maneat vnuſquiſque apud ſemetipſum, & nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo. Et Sabbathizauit populus die ſeptimo. Appellauítque domus Iſraël nomen eius Man, quod erat quaſi ſemen coriandri album, guſtúſque eius quaſi ſimile cum melle, &c.

§. L.

In æterna patria non viuitur niſi de anteactis laboribus.

NOn permittitur Iſraëlitis domo exire Sabbathi die, vt colligat cibos, qui minimè dantur illo die, ſed de aſſeruatis tantum licet viuere. Dicit enim: *Videte, quod Dominus dederit vobis Sabbathum, & propter hoc die ſexta tribuit vobis cibos duplices. Maneat vnuſquiſque apud ſemetipſum, & nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo.* Et cur ſic cauet Deus, ne in Sabbatho quæratur cibus, ſed quòd ſolùm de aſſeruato viuant? Exprimebatur

mebatur ibi tota cœlestis vitæ œconomia, in qua solũ de anteactis operibus potest quis viuere. Ait D. Cyril. Alex. de Adorat. in Spirit. lib. 7. circa medium: *Non tibi posthac obscurum esse poterit, quin hoc ipsum nihil agere in Sabbatho, sed quod iam suppeditatum sit, tanquam in cellam condere, neque cœlitus manna ipsum dari, sed iam comportato ad voluptatem, & escam vti, quasi præparatio quædam, ac informatio sit illius vitæ, quæ in seculo venturo futura est.* Equidem habes in Sabbathi, & mannæ religione manifestam rationem cœlestis œconomiæ. Vt enim in Sabbatho nullum manna quærebatur, nullum colligebatur, imò nullum dabatur; sed viuebant solùm de asseruato ex præcedenti die. Sic in cœlestibus non viuent homines de aliquo, quod tunc denuò negotientur, & acquirant, solum enim in sempiterna requie de anteactis laboribus viuitur. Nec tunc viuere speret, qui tunc parare sibi necessaria confidit. Hinc Num. 15. dicit: *Factum est autem cùm essent filij Israël in solitudine, & inuenissent hominem colligentem ligna in die Sabbathi, obtulerunt eum Moysi, & Aaron, & vniuersæ multitudini. Qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eũ facere deberent. Dixitque Dominus ad Moysem: Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.* Et cur tam atrociter homini vita eripitur, & solum, quod in die Sabbathi colligeret ligna? An tantũ nefas erat, quod in Sabbatho ligna colligeret? Nónne passim maiora delicta condonabat Dominus, cur adeò seuerus fuit in perdenda huius hominis vita? Exprimebatur in Sabbatho cœlestis vitæ œconomia, in qua solùm viuitur de comportatis, & anteacti laboris fructibus, quare meritò priuatur vita, qui vel in vmbra cœlestem turbat œconomiam, tunc volens sibi necessaria conquirere. Pulchrè D. Cyril. Alex. lib. 4. in Ioan. c. 51. inquit: *Illam igitur vitam Sabbathismus significat, in qua omnibus bonis cum Christo viuentes fruemur, peccato adicitùs extirpato. Omnia enim bona in visione Dei mens sanctorum adipiscitur: ideò qui ligna in Sabbatho colligebat, lapidibus obruebatur quoniam veritatem in figura violauit.* Veritas est, quod in æterna requie non viuitur nisi de anteactis, & collectis virtutibus, vt in Sabbatho non viuebat, nisi de antè asseruatis, & collectis cibis. Qui in Sabbatho non ad asseruata recurrit, sed alia tunc quærit, quibus suæ indigentiæ succurrat, in figura cœlestis œconomiæ veritatem violat. Nec mirum, quod obruatur lapidibus, ne viuat, qui vel in vmbra, vel in somno fingit, quod in æterna requie possit quis sibi necessaria perquirere, & non de anteactis viuere. In qua culpa fuere illæ fatuæ virgines, quæ Matt. 25. euntes ad cœlestes nuptias: *Non sumpserunt oleum secum*, sed tempore resurrectionis illud perquirentes dicebant prudentibus virginibus: *Date nobis de oleo vestro.* Meritò illas extremæ stultutiæ damnat propter hoc Euthimius inquiens: *Et hoc stultitiæ fuit, sperasse sè ibi oleum ad ornatum accepturas.* Sanè in resurrectionis articulo, in ingressu æternæ vitæ, stultum imò exitiale est, quod quæras oleum, quod hinc tecum non sumpsisti. Non enim ibi viuitur nisi de comportatis ex hac mortali vita.

D. Cyr. Num. 15 Mat. 25. D. Cyril.

§. LI.

Eucharistiæ epulum nos reficit, & armat contra aduersarios.

NOn otiosè manna exprimitur esse tanquam *semen coriandri*, etenim pro coriandro Hebraicè ponitur *Gad*, quod vt notat Oleaster, deriuatur à *Gadad*, & est exercitum ponere, quia grana coriandri nascuntur in magna copia, & sic ordinata, vt homines in exercitu. Ergo & manna vt coriandrum, sic exercitum referebat muniens nos aduersùs hostes. Quò spectans Psal. 22. ait: *Parasti in conspectu meo mensam aduersùs eos, qui tribulant nos.* Non tam videas in mensa dominica dapes, quàm armorum speciem, quàm exercitus, qui contundant aduersarios nostros. Quò spectans Alepusius Archiepiscopus Valentinus in orat. de Euchar. habita in Actis Concil. Trident. sessione 13. quæ est 3. sub Iulio, inquit: *Eia Christi milites isto pane corpus vnum effecti arma spiritualia reparate. Descendit arca Dei in castra; collata sunt signa, nefas est ignauiter agere.* Meritò eucharistico pane saturos milites vocat, & petit, vt vnum exercitus corpus effecti fulgeant sub diuinis armis. Vt enim arca Dei in castra descendente alacres vniuersi fiebant milites; vexilla explicabantur, nihilque apparebat, quod non referret pugnam, & certamen. Sic sumpto viuifico pane, quidquid belli, & exercitus est, reparatur aduersùs Dei aduersarios. Vnde vt ait D. Paul. 1. ad Corint. 11. *Dominus quidem Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite, & manducate*, &c. Et cur instante morte sua anxius præbet discipulis suis cœlestem panem? Erat tunc potestas tenebrarum in arena, multáque aduersùs Christi scholam meditabatur, ait enim ipse Dominus Luc. 22. *Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum.* Quando ergo sic accinctus erat Satanæ exercitus, necessum fuit Apostolos armari, roborari in certamen, & ideò illis datur cœlestis panis. Ait D. Ber. ser. 3. de Ramis Palmarum: *Cæterùm ante passionem affectuosiùs Dominus refectionem suis curauit exhibere domesticis; & in hoc quoque apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris. Cùm enim dilexisset suos, in finem dilexit eos, & dicebat: Desiderio desideraui hac pasca manducare vobiscum, antequam patiar. Oportebat enim. Expetierat eos Satanas, vt cribraret sicut triticum: opus erat præuenire refectionem.* Vbi tanta Satanæ manus ascenderat, vt Apostolos ventilaret, necessum fuit illis cœlestis panis refectionem parari, quo refecti, imò armati bella Dei conficerent aduersùs Satanam. Nequit enim esse diuinissimus panis, quin statim & arma, & vexilla, & totus militaris tumultus aduersùs Dæmonem appareat. Vt dicat Isaias c. 19. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & erit in signum Domino exercituum.* Et simul erunt altare Eucharistiæ, & signum Domino exercituum, quando enim minimè alias, saltim in hoc altari non poterit Deus non Dominus exercituum æstimari. Ibi námque validissimus instruitur exercitus, qui concutiat regnum Satanæ. Quò respiciens idem Isaias c. 30. aiebat: *In tympanis, & citharis, & bellis præcipuis expugnabit eos.* Et quæ sunt bella præcipua ad aduersarios expugnandos? Aiunt alij ex Hebræo: *In bellis oblationis*; quippe oblatio hæc Eucharistiæ bella præcipua excitat, quibus aduersarij cadant.

D. Ber. 1. Cor. 11 Luc. 22. Isaiæ 19 Isaiæ 30.

§. LII.

Dei verbum omnia fit animæ fideli.

DVm ad mannæ gustum explicandum accedit textus, ait: *Gustus eius quasi similæ cum melle.* Hic erat communis omnibus gustus mannæ, fidelibus autem, & piis omnium suauitatum sapores referebat, prout ipsi volebant. Id quod dicit Sap. 16. *Angelorum esca nutristi populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Substantiam enim tuam, & dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas, & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, conuertebatur.* Sanè ad quod quisque iustorum volebat, conuertebatur mannæ sapor, non ad quod quisque impiorum amabat; vt est receptior, & communior sententia Patrum. Sic D. Aug. D. Greg. Mag. Carthusian. Abbul. Lyran. Barradas, Salmeron, Viegas, Conimbricens. Lippom. quos citat, & sequitur Salian. In quo expressiùs diuini Verbi ostenditur efficacia, quod fit fidelibus, & piis hominibus, quidquid fideles amant. Hic est, quod Dei verbum sub variis exprimatur figuris, de illo ait D. Petrus 1. epist. 2. *Quasi modò geniti*

Sap. 16. 1. Petr. 2.

geniti infantes lac concupiſcite. Sed & panis frequentiſſimè appellatur in Scriptura,& multis aliis nutrimẽtorum generibus exprimitur, vt cùm aqua dicitur Ioan. 4. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet,* &c. Et cur vnum cum ſit diuinum verbum trãſmutatur in tam diuerſas figuras, niſi vt morem gerat credentium fidelium affectibus? Ita ait Clemens Alex. 1. Pædagog. c. 6. *Ita verbum multis modis allegoricè dicitur, & cibus, & caro, & nutrimentũ, & panis, & ſanguis, & lac. Omnia eſt Dominus, vt nos eo fruamur, qui in ipſum credidimus.* Fœlix, qui viuaci hac fide nititur, quidquid volet, fiet ei Verbum diuinum. Eius voluntati ſeruiet potentiſſima Verbi diuini efficacia, vt nihil deſideratum non poſſideat. Cæcis cupientibus lumen ait Ieſus Matth. 9. *Secundùm fidem veſtram fiat vobis.* Non expreſſit, quid fieret, ſed potentiſſimam verbi ſui potentiam illorum appoſuit fidei, oſtendens, quod credẽtibus verbum Dei fiat id, quod ipſi cupiũt. Ex quo Origin. hom. 7. in Exod. ait. *Audi enim & Dominum dicentem iis, qui accedunt ad ſe: Fiat tibi ſecundùm fidem tuam. Et tu ergo, ſi verbũ Dei, quod in Eccleſia prædicatur tota fide, tota deuotione ſuſcipias, fiet tibi ipſum verbum, quodcunque deſideras. Verbi gratia, ſi tribularis, conſolatur te dicens: Cor contritum, & humiliatum Deus non ſpernit: ſi lætaris pro ſpe futura, cumulat tibi gaudia dicẽs: Lætamini in Domino, & exultate iuſti. Si iracundus es, mitigat te, dicens: Deſine ab ira, & derelinque indignationem. Si in doloribus ſanat te. Si paupertate conſummaris, conſolatur te, dicens: Dominus alleuat de terra inopem, & de ſtercore erigit pauperem. Sic ergo manna verbi Dei, reddit in ore tuo ſaporem, quẽcunque volueris.* Tranſmutatur equidem verbum Dei in omnia, quæ fideles deſiderant; nihílque tibi erit in optatis, quod verbum Dei mirificè non ſuppleat. Vnde ſuggerenti Satanæ lapides cõuertendos in panes præclarè Dominus oppoſuit verbum Dei, cuius proprium erat conuerti viro iuſto, vel in cibum concupitum. Ait enim Matth. 4. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed de omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Circa quæ ait D. Dmb. lib. 3. in Lucam. *Non quaſi Deus vtitur poteſtate, ſed quaſi homo commune ſibi accerſit auxilium, vt diuinæ lectionis pabulo intentus, alimentum verbi cœleſtis acquirat.* Expende, quod commune auxilium vocet, quod verbum Dei conuertatur in cibum, vel vices ſuppleat cibi, at quod lapides panes fierent, id nõ eſſet commune, ſed rarum opus, & ſolius omnipotentiæ diuinæ. Cur ergo conuerſionem lapidum in panes opus reputat rarum poteſtatis abſolutæ; & quod verbum Dei eſurienti, & cupienti pro cibo fiat, id auxilium vocat commune? Nónne maioris eſt virtutis, quod verbum cibus fiat, quàm quòd lapides panes fiãt? Cur ergo iſtud poteſtatis abſolutæ opus cenſetur, illud autem vocatur commune auxilium? Equidem ordinariè fit, & ſi maioris virtutis ſit opus, tamen habetur inter communia, & ſic quod verbum Dei fiat panis, & fiat quidquid homo fidelis cupit ad ſalutem, vt ordinarium eſt, ſic intra communia numeratur cœleſtis mannæ auxilia. Ex quo aiebat Eutymius: *Omne ſiquidem verbum ab ore Dei egrediens ad eum, qui fame premitur, loco cibi vitam eius ſuſtinet, & ſufficit ei. Nam & Hebræi manna comederunt, quod cùm non eſſet panis, omnem tamen eorum ſupplebat indigentiam mutatum in omnia, quæ obtabat quiſque edere.* Ecce tibi, vt & mannæ, & verbo Dei eſt commune voluntati indigentiæ fidelium ſeruire, & præbere cuique, quod cupit.

Ioan. 4.
Cle. Ale.
Orig.
Matth. 4
Eutym.

§. LIII.

Cœleſtis cibus iuxta ſuſcipientis palatum fit.

NOn in ſolo veteri manna erat, quod fidelium cupiditati ſeruiret iuxta id Sap. 16. *Deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, cõuertebatur.* Id etiam in viuifico Chriſtianorum pane Ieſu maximè inuenitur, qui quotidie iuxta ſuſcipientis palati exigentiam diſponit gratiam ſuam. Hinc Chriſti ſponſa ad nuptias Agni vocata, quibus immuneri filij regenerarentur in Chriſto, ſine vberibus eligitur. Cant. 8. *Soror noſtra parua, & vbera non habet, quid faciemus ſorori noſtræ in die, quando alloquenda eſt?* Erant plures infantes in Chriſto regenerandi, & mater eligitur, quæ non habeat vbera. Cur ſine vberibus proponitur mater, quando magnum filiorum examen requiritur? Nónne infantes peribunt, ſi eis deſit lac? Aut vnde eis lac dabitur, ſi mater non habet vbera? Non neceſſe eſt vt mater Eccleſia habeat vbera, quando habet Chriſtum; qui omnibus omnia fit, & lac infantibus, & panis adultis. Si præ infantili virtute adhuc lac concupiſcis, ecce Ieſus cupiditati tuæ obtemperabit, & lac fiet; & etiam fiet panis, aut caro, cum adultus iam cibos ſolidiores concupiſcas: Ait Clemens Alexan. 1. Pædag. c. 6. *Ideò autem lac non habuit, quod lac eſſet hic infantulus pulcher, & appoſitus, ſcilicet, corpus Chriſti nouum cœtum verbo nutriens. Opartum ſanctum! Verbum omnia eſt infanti, & pater, mater, & pædagogus, & altor. Comedite, inquit, meam carnem, & bibite meum ſanguinem. Hæc appoſita, & conuenientia nobis alimenta ſuppeditat Dominus, & carnem præbet, & effundit ſanguinem, & ad incrementum nihil deeſt infantulis. O admirabile myſterium.* Sanè admirabile myſterium eſt, quod vnum cùm ſit diuinum ferculum, ſic exigentiæ ſuſcipientis deſeruiat, vt vitis ſit & panis, & caro, & fiat lac infantibus lac appetentibus. Sic ſeſe attemperat diuiniſſimus cibus palatis ſuſcipientium. Iſaias cap. 33. deſcribens hominem ab omni ſcelere purum, & immaculatum, tandem ait: *Panis ei datus eſt, aquæ eius fideles ſunt.* Non ſolùm ſub nomine aquarum cibum euchariſticum intelligit, vt ex D. Cyrill. Alexan. notat Turrianus noſter tractat. 2. de Euchariſtia, cap. 32. Sed cur euchariſticus cibus ſub aquarum nomine oſtenditur, niſi ex hac proprietate, quod ſit conuertibilis facilè iuxta exigentiam ſuſcipientium? Sic enim aqua facillimè conuertitur in earum plantarum naturam à quibus bibitur. Accipite D. Auguſt. quæſt. 18. de Mirab. Scripturæ differentem: *Cuncti liquoris materia quotidie per ipſarum rerum miniſtrationes in diuerſa mutatur, dum in vniuſcuiuſque naturæ paſtum, & refectionem indeſinenter, & naturaliter contrahitur. Cùm enim per vitis arborem infunditur in vini ſaporem, & colorem mutatur, & cùm oliuæ ligni ad excelſas ſummitates aſcendit, eadem aqua olei pinguedinem facit; & cùm ab apibus in fauos congeritur, mellis dulcedinem operatur, & cum per palmarum robora, digeritur, dactylos gignit & ac ſi ceræ ſuauitatem expreſſa peruenit.* Quid elegantius? Planè ea natura aquæ eſt, vt facilè conuertatur in fructus earum à quibus bibitur plantis. In ore apis mel fit, in palmæ radice fit palma, vinum in vite, & in oliua ad olei pinguedinem trahitur. Bene ergo vel hinc euchariſticus cibus ab Iſaia vocatur aqua, dum ait: *Aquæ eius fideles*; vt qui facilè iuxta ſuſcipientium affectus conuertatur, & in eorum, quæ à fidelibus appetuntur, ſimilitudinem tranſeat.

Sap. 16.
Cant. 8.
Cle. Ale.
Iſaias 33
Cyr. Ale.
Auguſt.

§. LIV.

Cœleſtis cibus longè manna præſtantior, vt qui ad meliorem frugem trahat ſuſcipientes.

HInc ad ſummum extollebatur mannę beneficium, quod ſeruiebat voluntati ſuſcipientium. Sic ait de eo Sap. 16. *Deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur.* Longè præſtantius eſt, quod fit in cœleſti menſæ tam à Dei verbo, quàm ab euchariſtico epulo, nimirùm, quod ad ſe diuinæ epulæ trahunt ſuſcipientes, & in præſtantiorem naturam Illos faciant conuerti. Hoc non inuentum eſt in manna, nec in toto voluptatis paradiſo fuit inuentum; ſolùm inuenitur in diuina ſiue doctrinæ, ſiue Euchariſtiæ menſa. Accipite D. Chryſoſtomum hom. 13. de

Sap. 16.

de Regreſſu, vel hinc præferentem Chriſti Eccleſiam paradiſo voluptatis, cum totis ſuis vitæ epulis: *Paradiſum recepi illo paradiſo meliorem: & ibi quidem ſerpens erat inſidians, hîc autẽ Chriſtus myſteria celebrans: in illo paradiſo vnumquodque genus ſementis in ſuo perſeuerat ſtatu, in iſto verò paradiſo, ſi inuenero labruſcam, vitem vberem efficiam; ſi inuenero oleaſtrum, veram oliuam efficiam, talis enim eſt terræ iſtius natura.* Quid pulchrius? Inter myſteria, quæ à Chriſto Domino celebrantur, illud auguſtiſſimum eſt, quod etiam corruptæ naturæ ad excellentius trahantur, & viuendi, & fructificandi genus. Non arctatur diuina eſca limitibus imperfectorum ſuſcipientium, ſed eos ad præſtantiora erigit.

Iſaiæ 65. Huc ſpectans Iſaias cap. 65. *Lupus, & agnus paſcentur ſimul, & leo, & bos comedent paleas.* Sanè bouis eſt paleas paſcere, & agnus etiam herbas paſcit; leo autem, & lupus, non herbas, nec paleas, ſed carnes ſolent paſcere, Dum autem ad Chriſti paſcuam venitur, & rapaciſſimæ feræ ſuæ obliuiſcuntur naturæ; & ad præſtantiſſimorum animalium naturam tranſeunt. Ibi ait

Cyr. Ale. D. Cyril. Alexand. lib. 5. tom. 6. *Neque enim dixit: comedent carnes ſed lupi, & leones manſuetis vtentur cibis, non indomitis, qui palearum nomine ſignificantur. Neque ſequentur immundos mundi, neque illorum inſtitutum, ac vitam æmulabuntur, ſed profani potius mitium, & purorum probitatem imitabuntur.* Ecce tibi in Chriſti paſcuis vt ferales naturæ ad meliorem frugem, & probitatem tranſeant. Poſt Chriſti Domini reſurrectionem primo ſermone Petri audito non pauci Iudæi rabidiſſimi Ie-

Actor. 2. ſu perſecutores conuertuntur. Ait enim Actor. 2. *Appoſitæ ſunt illa die animæ circiter tria millia. Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorũ, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Fiebat autem omni animæ timor*, &c. Ecce tibi, qui paulò antè fremebant, & clamabant; crucifige, crucifige: nunc timentes, & trementes ſub ſcapulis ſe recipiunt crucifixi. Vnde tanta mutatio facta eſt! Ait textus: *Erant in communicatione fractionis panis*: vbi viuificum cibum cœperunt guſtare, & ſuæ feritati renunciant, & in ſummitatem tranſeunt

Aug. virtutis Chriſtianæ. Ad hæc Diuus Auguſt. ſerm. 4. de Sancto Stephano, ait: *Attendite fratres: Magna pietas crucifixi: Pendebat, & tamen petebat. Et non deſcendebat, quia de ſanguine ſuo medicamentum phreneticis faciebat. Denique poſt reſurrectionem ſanauit, quos pendens inſaniſſimos toleranit, & ſanguinem, quem fuderunt ſæuientes, biberunt credentes, & facti ſunt ſequentes, qui erant perſequentes.* Sic vnius Domini ſanguinis poculo à perſequentium feritate tranſeunt ad aſſeclarum perfectionem. Vt tetigit labia eorum diuinum poculum, non permiſit eos amplius eferari, ſed ad ſortem ſanctorum

Oſſeæ 11 tranſire fecit. Ad hæc Oſſeas cap. 11. *Ero eis, quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum, & declinaui ad eum, vt veſceretur.* D. Hieronym. legit: *Et dedi eis eſum corporis mei.* Compone modò cibum corporis Chriſti cum maxillarum iugo: Maxillarum iugum frænum eſt, quod ferreis lupatis conſtringens equorum ora, eos ad imperium trahit regentis. Hoc itaque facit Chriſti cibus in ore fidelium, ſic eos conſtringit ad ſua, vt non liceat

Cyr. Ale. citra Dei imperium mouere pedem. Ait D. Cyril. Alex. lib. 3. in Ioann. cap. 34. *Ipſe igitur eſt manna verum, ipſe eſt panis de cœlo, qui omni rationali creaturæ à Deo Patre præbetur. Ita gratia, & miſericordia Dei, vel à cupiditate caducarum rerum, variis, multiſque modis humanam ſolet reuocare naturam. Nam cùm vt magni ponderis lapis ad hæc inſtabilia carnis premat appetitus, & tyrannicè ad imperium ſuum redigat, quaſi fræno ad deſiderium rerum meliorum Chriſtus nos circunducit, & ſanitate mentis donatos in habitu virtutis confirmat.* Non aliter fræno iniecto ad ſuum nutum trahit eques belluam feriſſimam; vt Dominus præcipitem in voluptates naturam hominis eſu corporis diuini trahit ad cœleſtium appetitum. Planè Euchariſticus cibus frænum eſt, quod beluinos mores conſtringit, & facit ſtare diuino nutui. Væ qui magis gaudent cœleſtem cibum ad ſuum nutum trahere. Ioann. 6. *Non ſicut patres veſtri manducauerunt manna, & mortui ſunt; qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Hoc caueas, ne manduces hunc panem vitalem, vt antiqui manducauerunt manna, & mortui ſunt. Et qualiter manducabant illi manna ex quo in mortem irent? Planè ait Sapiens cap. 16. *Manna deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur.* Seruiebat eorum affectibus manna, & ideò moriebantur, ille enim ad vitam tranſit, qui non trahit ad ſuum nutum cœleſtem panem, ſed potius illius nutui ſe ipſe curat attemperare. Ait Diu. Dion. Areop. ca. de communione: *Oportet enim, ſi communionem, participationémque eius cupimus, in vitã eius, quam in carnem vixit, intueri, & imitatione, atque ſimilitudine ſanctitatis ad habitum diuinæ, & incorruptæ virtutis recurrere.* Ecce tibi, vt qui velit vitæ incorruptionem obtinere ex iſto diuino pabulo, debet non illum ad ſuum nutum trahere, ſed eius virtutes intueri, illíſque penitus ſeſe attemperare.

Ioann. 6.

Sap 16.

Dion. Areop.

Exod. 16. Dixit autem Moyſes: Iſte eſt ſermo, quẽ præcepit Dominus: Imple gomor ex eo, & cuſtodiatur in futuras retro generationes, vt nouerint panem, quo alui vos in ſolitudine, quando educti eſtis de terra Ægypti. Dixítque Moyſes ad Aaron; Sume vas vnum, & mitte ibi Man, quantum poteſt capere gomor, & repone coram Domino ad ſeruandum in generationes veſtras, ſicut præceperat Dominus. Poſuítque illud Aaron in tabernaculo, &c.

§. LV.

Cœleſtis cibus feſtinatam gratitudinem petit.

CVm primùm iuxta præcepta Domini data per Moyſem manna colligi cœpit, ſtatim iuſſio data eſt de implendo gomor, & reponendo in conſpectu Domini ad memoriam beneficij, & gratitudinem extorquendam. Sic ait Dominus: *Imple gomor ex eo, & cuſtodiatur in futuras retro generationes*, &c. Et ſi multi dubitent in quo loco repoſitum fuit tunc iſtud manna, cum nec arca, nec tabernaculum conſtructum fuerit, in quo poſtea repoſitum fuit. Tamen non dubitandum eſt, quod tunc ſtatim, vt primò colligi cœpit, fuerit collectum, & repoſitum coram Domino ſiue in paruo aliquo tabernaculo, quo etiam vtebatur Moyſes ad excipienda Dei oracula, vt ait Comeſtor, & patet ex cap. 33. Exodi, ſiue in alio quouis loco deputato ad idẽ miniſterium. Illud verum ex hoc maximè notandum venit, quod nimirùm tam citò ad beneficij teſtationem manna fuerit reponendum. Reſtabant equidem quadraginta anni, quorum ſingulis diebus manna dandum erat. Cur ergo neceſſum fuit tam citò colligere ad reponendum? Cur non magis id factum fuit vltimis diebus pluuiæ cœleſtis? Quippè cum per tot annos manna ipſum quotidie ob oculos, & prę manibus erat, non erat neceſſarium, quòd aliquod in beneficij memoriam reponeretur; cùm vniuerſorum menſæ ipſo manna eſſent plenæ. Cur ergo tam citò iubetur reponi? Reponebatur in memoriam beneficij, ad gratitudinem ab Iſraëlitis extorquendam; res autem gratitudinis minimè differenda, ſed quam citiſſimè referenda. Sic cauet lex Leuitici cap. 7. *Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes abſque fermento conſperſos oleo*, &c. *Panes quoque fermentatos cum hoſtia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis: ex quibus vnus pro primitiis offertur Domino, & erit Sacerdotis, qui fundet hoſtiæ ſanguinem; cuius carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quicquam vſque mane.* Ecce vt ex hoſtia gratiarũ actionis

Leuit. 7.

actionis non permittatur quid in mane reseruari. Et cur nil reseruaretur in mane, nisi quod res gratitudinis non debet dilatari, sed cùm primùm executioni mandari. Ait Philo lib. de sacrificiis apud Turrianum tract. 2. de Euchar. cap. 14. *Hanc laudis victimam ipsa prima die lex iubet absumi; vt qui experti sunt propensum, paratúmque fauorem cœlestis numinis, incunctanter de hoc sacrificio impertiantur aliis.* Sanè, qui fauorem diuinitatis experitur, non debet cunctari in exhibitione gratiarum, sed statim in ipsa prima die perfici debet, quidquid expectat ad gratitudinem ostentandam. Id, quod specialiter sibi postulat fauor cœlestis panis, qui vt primùm suscipientis ora tangit, incunctanter ea mouet, vt peragant, quidquid est actionis gratiarum. Hinc Psalm. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi.* Notat, quod Dauidis corda solum verbum nouerant tunc eructare. Quuid plura? Psalm. 118. *Eructabunt labia mea hymnum.* Non iam simplicia verba eructat Dauid, sed hymnos, sed cantica. Et vnde qui simpliciter loquebatur, sic impulsus fuit in hymnos decantandos? Ait D. Ambr. serm. 22. in Psalm. 118. *Eructat hymnum, qui eructauerat verbum. Denique & Dauid antè eructauit verbum bonum, hîc eructat hymnum. Bonum enim panem gustauit, qui de cœlo descendit. Bonum panem, quem si quis manducauerit, non morietur in æternum.* Equidem vt gustauit cœlestem panem, non cunctatus est, sed incunctanter in hymnos, & cantica prorupit, quibus tantum altorem celebraret. Non permittit cibus diuinus rem laudis, & gratitudinis dilatari. Sic Paul. 1. ad Corinth. 11. ait: *Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite*, &c. Nondum perfecta erant mysteria, sed cùm primùm accipit panem in manus, statim nihil cunctatus prorumpit in actionem gratiarum. Ex quo monet Diu. Chrysost. ibi hom. 27. *Si igitur, & tu cum gratiarum actione accesseris, nihil iis indignum facias. Accedat gratias agens pro iis, quibus frueris.* Moris erat in acceptione beneficiorum, quod prius accepturus accedat, & post acceptum gratias ageret. Sed non faciendæ sunt hæ moræ cum Deo, simul accede gratias agens, ne prius tendas manum ad accipiendum, quàm os aperias in actionem gratiarum. Non aliter Iesus Ioan. 11. suscitaturus Lazarum cum primum iubet aperiri sepulcrum, statim ait: *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.* Nihil adhuc extrinsecùs postularat, nihil dixerat ad defunctum, sed tantum iusserat tolli sepulcri lapidem, & iam de exaudito agit gratias. Et meritò, in re enim gratitudinis ostendendæ nullas moras vult pati. Theophyl. ibi: *Quis autem orauit sic vnquam? Prius enim quam dixisset aliquid, inquit: Audisti me. Hæc faciens omnibus modis ostendebat suam erga patrem gratitudinem.* Et nullo magis gratitudo ostenditur, quàm vbi non differtur.

Philo. Psal. 44. Psal. 118 D. Amb. 1. Cor. 11 Chrysost. Ioan. 11. Theoph.

CAPVT XIII.

Aqua de petra Horeb.

Textus Historia.

RAphidim Arua violentis arentia feruoribus siciens occupabat exercitus, & diu negatis fontibus, vt siti languebat, sic malitia obfirmabatur in Moysem, & Deum. Nesciunt carnalia corda nihil patturire non fellcum; quando vel saxa, vel rupes effundent mella, quæ vel murmurantium linguas faciant exundare dulcedine. Videres rem miram. Per medios queruloruu cuneos ducitur Moyses vsque ad prominentem rupem Horeb, quam coram proceribus non paucis virga percutiens, subitò fluctuanti cautę largissimi redundarunt latices, siccæque ieiuni marmoris venæ potum cũctis vomuere multiplicem. Currebant aquarum flumina, quæ gradientes in deserto populos comitarentur, & crystallinis vndis originis sui petram, & Christum referrent, à quo nunquam non exundant gratiarum fluenta.

Pars Moralis in textus literam.

IAm venit nobis petra fugenda, quæ deserta cordis dũ riget, non parui inde orientur fructus virtutũ.

Exod. 17. Igitur profecta omnis multitudo filiorum Israël de deserto Sin per mansiones suas iuxta sermonem Domini, castra metati sunt in Raphidim, vbi non erat aqua ad bibendum populo. Qui iurgatus contra Moysem ait: Da nobis aquam ad bibendum. Quibus respondit Moyses: Quid iurgatis contra me, & tentatis Dominum?

§. I.

In vitæ huius deserto etiam exactissimis Dei cultoribus non deest ærumna.

MInimè declinantes à Dei viis veniũt Israëlitæ in Raphidim, vbi extrema illos aquarum penuria excipit. Ait enim: *Profecta omnis multitudo filiorum Israël de deserto Sin per mansiones suas iuxta sermonẽ Domini, castra metati sunt in Raphidim, vbi non erat aqua*, &c. Expende illud: *Iuxta sermonem Domini* quippè nec pedem mouerant, nisi iuxta Dei præcepta, eius obsecuti directionibus: & tamen sic deueniunt ad locum, in quo nullus erat potus, quo viuere possunt. Crede mihi, dum in hoc vitæ deserto sumus, non est, qui se ab omni ærumna eximat, nec ille qui exactissimè Dei sese subdit directionibus. Fœlicitatem seruorum Dei extollens Paul. 1. ad Corinth. 3. ait: *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.* Fallar, si quid præstantius dici possit de homine in hoc sæculo constituto, quàm quod sit agricultura Dei, & ædificatio Dei, quibus ostenditur, quàm sit purus ab omni vitiorum radice, & quàm sit plenus virtutum. Sic enim putat D. Bruno ibi: *Vos estis agricultura Dei, à quibus iam erradicatæ sunt spinæ peccatorum. Estis, inquam, agricultura per ablationem malorum: estis ædificatio per positionem virtutũ.* Quid fœlicius hac agricultura, vbi & Deus non permittit vitia, & virtutes ponit? Potest in illa esse aliquid timoris? Equidem vel in ipso nomine, & re agriculturæ dicitur quàm adhuc maneant expositi temporalium euẽtuum rigoribus. Accipite Platonem in Axioco, qui perstringens omnes vitæ humanæ miserias in omni statu, in omni munere, tandem perueniens ad agriculturam, ait: *Verum dulcis est agricultura, est sanè. Nónne tota tamen est (quod aiunt) vlcus, semper paratam doloris habens causam, nunc quidem siccitatem, nunc pluuias, nunc vredinem, nunc rubiginem, nunc vel æstum intempestiuũ, vel frigus conquerens?* Equidem tota dulcedo agriculturæ non eo peruenit vt careat omni contrario euentu, siue in pluuiarum supereffluentia, siue in siccitatis extremo, vel in alio incommodo temporali. Similiter, & quando quis eo peruenit dulcedinis, vt excussis vitiorum radicibus, virtutibus acceptis, sic appareat, vt Dei ipsius omnipotentis digna agricultura videretur, adhuc credat se temporalibus incommodis obnoxium esse. Quò spectans Iob cap. 10. ait: *Etsi impius fuero, væ mihi est: et si iustus, non leuabo caput saturatus afflictione, & miseria.* Meritò non inuenit vir sanctus viam, qua se in hac vita liberet à laboribus. Duæ enim sunt viæ tantum, per quas graditur omnis homo. Altera est impietatis via, altera est iustitiæ: si te impietati dedas, quid laboriosius, & ærumniosius? Sanè post multas tribulationes, væ vltimum te manet damnationis æternæ. Dimissa ergo impietate iustitiæ te dedis, non ideò damna omnia temporalia effugies, etsi

1. Cor. 3. D. Bruno Iob 10.

enim

enim iustus fuero,ait Iob,non leuabo caput, saturatus afflictione, & miseria. Semper Dei agricultura in suspirio est,ob temporales molestias. Matth.27.ventum ad locum dominicæ crucifixionis est,ibique Dominus Iesus crucifigitur. Quid tunc? *Tunc crucifixerunt cum eo duos latrones,vnum à dextris,& vnum à sinistris.* Cruces erant,& labores à dextris, & sinistris Dei,vt ait D. Hil.canon.;3.*Omnem humani generis vniuersitatem vocari ad sacramentum passionis Domini ostendentes.* Et quod ad passionem, & laborem vocentur ij, qui à sinistris sunt,non mirarer,at qui nihil habent sinistrum, sed omnia dextra habent,cur crucem etiam, cur passionem, & ærumnam inueniant? Ea est mundi huius miseria,& natura,vt nullus vacet ab ærumnis. Accipite Orig.hom.35.in Matth.dicentem: *Est videre discipulos Christi testimonium dantes culturæ Dei, cum iniquis reputari,& cum eis crucifigi,& passiones reliquas sustinere, sicut & illi. Mundus enim summos semper persequitur viros,& punit;malitiæ quidem summos propter vtilitatem multorum;summos autem virtutis, quia non est mundus dignos eis.* Ecce tibi vt & mundus ærumnis suis æquè tractet semper & iustos, & impios. Sed & illa expendenda,nimirùm: *Testimonium dantes culturæ Dei, cum inquis reputari:* prorsus in eo ostendunt, vt sunt cultura,& agricultura Dei,quod eisdem,quibus iniqui,temporalibus ærumnis tenentur. Hinc patet stultitia Iudæorum,qui videntes Iesum crucifixum Matt. 27.dicebant: *Confidit in Deo,liberet eum, si vult; dixit enim: Quia filius Dei sum.* Vel dicebant iuxta Chrysostomi lectionem: *Si Filius Dei est,& si vult Deus eum, saluet nunc eum.* Pro signo diuinæ filiationis ponebant, quod à cruce liberaretur. Et quidem stultissimum est non credere Filium Dei,qui à cruce non liberatur,quando commune est & iustis hominibus, & filiis Dei, sub eisdem ærumnis premi. Hinc D.Chrysost.hom. 88. in Matth.fatur: *O insani, scelestique homines,an prophetæ nõ erant prophetæ,& iusti,quos occidistis,non erant iusti,quoniam vos Deus à periculis non eripuit? Imò verò erant.* Planè insania est non putare iustum, qui à malis non liberatur,quando & iusti expositi sunt omnibus iniuriis temporalibus.

Matt.27. D.Hilar Orig. Chrysost. Chrysost.

§. II.

Vix ærumna temporalis sentitur, vbi apparet iudicium Dei.

MIrabar,quod ductor populi Angelus è columna Israëlitas manere fecerit in Raphidim,vbi nulla erat aqua ad bibendum.Ait enim: *Castra metati sunt in Raphidim, vbi non erat aqua.* Et cur in Raphidim maluit sistere eos, vt intolerabili siti crucientur? Est Raphidim D.Ambrosio laus iudicij,D.autem Hieron. sanitas iudicij; nullo ergo satius quàm in Raphidim feruntur,vt siti excrucientur, quãdo ad iudicij sonum, quæuis ærumna mollescit. Multæ clades nunciabantur Iobo,valentes constantissimum virum frangere;& inter alias dicitur ei cap.1. *Ignis Dei cecidit de cœlo, & tactas oues,pueróſque consumpsit.* Et ad tantum substantiæ suæ incendium Iob tacet, nullúmque doloris sensum mõstrauit. Audis boues,camelos,& asinos raptos, imò & oues cœlesti igne absumptas audis, & non doles?Cur tot ignes non tibi eripuerunt aliquas lacrymas? Cur non turbaris in incendio tanto? Ait Diu.Chrysost. hom.de Iob,& Abr.*Vndè ignis missus? E cœlis. Indè scilicet venit, vnde & iudicium.* Et quando temporalia incendia à iudicij loco veniebant, non miror, quod Iob memor iudicij, ad illorum aspectum non moueretur. Crede mihi nullum temporale damnum æstimatur, vbi oculi tremendum Dei iudicium spectant. De illo iudicij tempore locutus Ecclesiastes cap.12.ait:*Consurgent ad vocem volucris.* Volucris vocem appellat illam, quam Archangelus in tuba faciet conuocans omnes ad tribunal Christi,vt ait Paulus:*Canet enim tuba.* Sed illa vox erit horrenda, maximéque omnibus timenda, de qua dicit 4.Æsdras 6.*Et tuba canet cum sono, quam cùm omnes audierint,subitò expauescent.* Quid passer cũ tuba? Quid volucris cum tremendo sono, qui pauorem incutiet omnibus? Equidem tota illa Archangeli vox,& totus ille terror profectus ab hac voce,si comparetur cum iudicij articulo, in quo tonabit iudex viuorum,& mortuorum,sic attenuatur,vt videatur paruæ cuiusdam esse volucris. Ait D.Hieron. ibi:*Nec mirandum,si Angeli tubam passeri comparemus, cùm omnis vox ad Christum comparata sit tenuis.* Adeò equidem diuini iudicis vox tremenda est, adeò horrendus sonus sententiæ ferendæ in illo iudicio extremo, vt ad illam comparatæ voces terribilium omnium, voces hostilium tubarum videantur non excessisse passerculi alicuius vocem. Nihil enim durum est, quod non dispareat in comparatione diuini iudicij timoris. Hinc Luc.21.de illo tempore dicitur:*Erunt signa in Sole, & Luna,& stellis,& in terris pressura gentium,præ confusione sonitus maris, & fluctuum arescentibus hominibus præ timore,& expectatione, quæ superuenient vniuerso Orbi.* Expende vt stellarum casus,& terræ pressura, & sonitus maris nihil dicantur facere in hominibus,sed solus timor venturi iudicij in hominibus causat arefactionẽ, ait enim:*Arescentibus hominibus præ timore, quæ superuenient.* Cur non magis arescunt præ dolore præsentium? Cur non magis arescunt in casu stellarum, in pressura gentium,in insueto sonitu maris? Nónne hæc sufficiebant ad maximam afflictionem inuehendam? Cur prætermissis istis arescunt præ timore imminentium? Ait ibi Beda:*Credo ipsum iudicis aduentum hac sententia designari,* vbi autem iudicis proponebatur aduẽtus,non miror,quod præ timore illius cætera non sentiant. Imò nec pressura terrarum, nec stellarum casus, nec maris sonitus horrendus censetur esse.Apocalypsis cap.20.ait:*Et vidi thronum magnum, candidum, & sedentem super eum,à cuius conspectu fugit terra, & cœlum, & locus non est inuentus ei.* Imò & cap.21.ait: *Prima terra abiit,& mare iam non est.* Haud dubium,quod loquatur de comitantibus iudicium Dei, cuius thronus vbi apparebat,nec cœlum,nec terra, nec mare dicuntur ibi esse,nec inueniri vestigia,aut loca eorum. Sed Lucas dicebat tũc esse signa in stellis,& in terris pressuras, & horrendissimos maris, fluctuúmque sonitos. Quomodo ergo si mare horrendum quid sonat,si terra pressuras ostendit, si cœlum tristitia signa exhibet, verum est,quod nec cœlum,nec terra, nec mare, sed nec eorum locus erat?Erant equidem è terra pressuræ, è mari horrendi gemitus, è cœlis tristissimæ tenebræ; sed hæc si cum exhibitione districtissimi tribunalis comparentur, nihil erunt, minimè inter calamitates poterunt percenseri. Quò forsan spectabat Aymon in 1. Dom.Aduent.fatus:*Circa finem sæculi mare, flumina, riuuli,voces,& mugitus emittent,interitum suum quibusdam luctuosis vocibus deplorantes, & per hoc non paruum timorem hominibus audientibus incutient. Hinc per Ioannem in Apocalypsi dicitur: Et mare non erit.* Expende illationem,inde enim putat dictum,quod mare non erit, quia horribili sonitu in fine sæculi timorem incutiet hominibus. Et quomodo non erit, si tunc edet sonitus horribiles timorem incutientes? Timor incussus erit de imminenti iudicio,respectu cuius totius malitia maris erit nulla.

Ecclesiast.11. Hieron. Beda. Apoc. Aymon.

§. III.

Homini gratitudinem habenti nulla sterilitas, aut penuria officit.

NOta erat loci siccitas,& aquarum defectus omnibus erat æqualis tam Moysi,& Aaroni, quàm populariubus;non tamen Moyses, nec Aaron sentiebant

sicciatis

ſiccitatis damna, pro quibus nec verba faciunt, nec Deum precantur. Sed populares primi loci ſiccitatem non ſuſtinentes maximè in Moyſem alterantur. Quippè ait: *Iurgatus populus contra Moyſem, ait: Da nobis aquam*, &c. Et cur ſterilitas terræ, & ariditas non prius mouit Moyſem ad Deum ſolicitandũ pro aqua, quàm populares ad iurgandum? Cur Moyſes non prius ſenſit inconueniens ſiccitatis, vt oraret pro remedio, quàm populus, vt iniuriosè clamaret? Rationem indigitat Lyppom. Lyppom. in præſenti, aiens: *Quanto plura beneficia capiunt inertes, tanto magis murmurant ingrati. Exemplar perpetuum ingratitudinis præbent Iudæorum patres.* Non mireris, quod prius ſentiant ariditatis ſpicula ad murmurandum, & iurgandum populares Iudæi, erãt enim ingrati, nunquam non ingratitudinis ſuæ ſigna dabant. Soli autem ſterilitas non officit, ſicut nec proficit abũdantia, ſed gratitudo, vel ingratitudo habitantium. In fœcundiſſimo ſolo penuria conſumitur ingratus, & in arenti, & ſicco, bonorum fluentibus innatat homo gra- Gen. 13. tus. Nota eſt hiſtoria ex Gen. 13. vbi Lotho data eſt facultas terram ſibi eligendi. Erat autem circa Iordanem regio amæniſſima, Iordanis aquis irrigata, quæ tanquam Dei paradiſus habebatur. Erat etiam altera Chanaam regio ieiuna aquis, niſi enim multo labore foſſis puteis, vix aqua inueniebatur. Tunc textus: *Elegit ſibi Loth regionem circa Iordanem, & receſſit ab Oriẽte Abraham, habitauit in terra Chanaam.* Et quid profuit irrigua terra Lotho, & quid obfuit ſicca terra, & arens Abrahamo? Ille, quia cum ingratis Deo hominibus habitabat, nullas non miſerias paſſus eſt; hic quia gratitudinis in Deum exemplar erat, in arenti ſolo fluenta experiebatur gratiarum. Ex quo ſapienter Diu. Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 33. in Gen. fatur: *Quæ vtilitas, dic oro, ſi terra ſit fructuoſa, & ferax, homines autem adeò mali? Quid damni è ſolitudine, & infrugifera terra, ſi homines ſint humaniores? Caput enim, & ſumma bonorum eſt inhabitantium gratitudo.* Sit hominibus gratitudo erga Deum, & licet ponantur in terra inuia, & inaquoſa, & prorſus ſterili, nullam ibi ſentient penuriam, ſed omnibus abundabunt. Vna hæc gratitudinis virtus ſufficiẽs eſt, vt nullæ penuriæ ſentiantur, vt in ſumma bonorum ſpoliatione homo diues appareat. Hinc Dominus tam liberaliter permittit amicum ſuum Iobũ omnibus bonis ſpoliari. Ait enim cap. 1. *Dixit Dominus ad Satan: Ecce vniuerſa, quæ habet in manu, tua ſunt.* Nil excipit, nil reſeruat amico, ſed omnia illius tradit hoſti. Et cur Domine ſic nudas amicum? Cur pateris iuſtum virum manere ſpoliatum, & depauperatum omnibus bonis ſuis? Erat Iobo in animo ſumma gratitudo erga Deum, adeò vt etiam in hac ſpoliatione illi gratias refundat, qui autem gratitudine abundat, etiam in ſumma penuria diues eſt, & nullius indigens: Ex quo Chryſoſt. Chryſoſt. Diuus Chryſoſtomus ait hom. de Iobo, & Abrahamo: *Ecce omnia quæcunque habet, do in manum tuam: tollantur ab eo, quæ exiſtimantur gratiarum actionis cauſæ, diues gratiarum actione appareat.* Omnia ab eo tolluntur, vt nihilominùs diues appareat, diues gratitudine, diues gratiarum actione. Cuius enim in ore eſt frequens gratiarum actio, & diues erit, & in ſumma etiam rerum penuria abundabit. Vt dicat idẽ Chryſoſt. Chryſoſt. Chryſoſt. hom. 1. ad Popul. Anthioch. *Magnus theſaurus gratiarum actio, magnæ diuitiæ, inconſumptum bonum, armatura fortis.* Nulla penuria poteſt vel attigi homo gratus.

Exod. 17. Sitiuit ergo ibi populus pro aquæ penuria, & murmurauit contra Moyſem, dicens: Cur feciſti nos exire de Ægypto, vt occideres nos, & liberos noſtros, & iumenta noſtra ſiti? Clamauit autem Moyſes ad Dominum, dicens: Quid faciam populo huic? Adhuc paululum & lapidabit me.

§. IV.

Brutis ventris affectibus ſeruientes nulla non excitant aduersus Deum, & proximos diſſidia.

EXpende notiſſimam illam connexionem, nimirùm: *Sitiuit ergo ibi populus, & murmurauit contra Moyſem.* Sitis adduxit homines, vt in Moyſem inſurgerent, nulla non diſſidia excitant, qui ventris cupediis nimis ſunt addicti. Ait Paul: ad Rom. 16. *Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula, præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt: & declinate ab illis. Huiuſcemodi enim Chriſto Domino noſtro non ſeruiũt, ſed ſuo ventri.* Coniunctum ſemper eſt, vt qui ventri ſeruiunt, deſidia faciant, & aduersùs veritatem rebelliones. Vt meritò dicat hom. 32, in præſenti Chryſoſt. Chryſoſt. *Vndè diſſidia? Ab eo, quod ventri, aliiſque affectibus ſeruitur.* Quaſi ventrem agnoſcat vnicam eſſe cauſam diſſidiorum, quæ excitantur aduersùm veritatem, & Deũ. Hinc Gen. 3. vbi prima aduersùs Deum agitatur defe- Gen. 3. ctio: *Dixit ſerpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij.* Multa fuerant animalia condita à Deo, & ſolus ſerpens inuẽtus eſt cuius lingua hoſtis vteretur aduersùs Deum; ſanè quia ſolus ſerpens ſuper ventrem graditur, reptátque ad ea, quæ ſunt ventris, linguam dedit Satanæ, qua exurgeret aduersùs veritatem, & Deum. Ad hæc ait Baſil. Sel. D. Baſil. Sel. orat. 2. *Serpens hominis erat ſubiectus arbitrio; ſic enim factum eſt, vt linguam Diabolo commodarit ad inuehendam confuſionem.* Vbi inter hominis ſubditos fuit ſerpens, qui ſolus ſupra ventrem graditur, qui veſcitur terra, qui bruteſcentium, terrenorúmque hominum præferebat exemplar, & fuit, qui linguam Diabolo commendarit, ad rebellionem aduersùs Deum moliendam. Crede mihi, non ſic aduersùs Deum præſto eſt leonina feritas, vt bruteſcens cura ventris; hæc vbi adeſt, & deſidia, & contentiones aduersùs Deum expectes. Proh miſeri homines, qui ventri ſeruitis, qui bruteſcentibus cupiditatibus indulgetis, qui toti inhiatis terrenis! fallar, niſi cito inſurgatis aduersùs Deum. Ex Exod. 32. ait Paul. 1. ad Corinth. 10. *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Siue vt Caietan. legit in Exod. *Surrexerunt ad illudendum.* Clemens autem Alex. legit: *Saturati ſurrexerunt ludere*, & notat quod pro verbo, *ſaturati*, eſt verbum Græcum, quod idem ſonat, ac *fæno repleti.* Nec miremur, quod aduersùs Deum exſurgant, qui ſic beſtialiter vẽtri indulgebant, vt nihil ſupra beſtias in cibo meditarentur. Ait ille lib. 1. Pædag. cap. 11. *Saturati ergo ſurrexerunt ludere. Saturati autem Græcè eſt, quaſi dicas,* fæno repleti, *nempe qui à ratione alienam alimenti plenitudinem, hoc eſt, fœni repletionem, non autem cibum dixerit. Quoniam autem abſque ratione ſaturati, abſque ratione ludebant.* Nihil rationale, nihil menti humanæ conſonum in appetendis cibis, ſumendíſque cogitabant, ſed quod beſtiarum eſt, id ſolum ſumebant, de irrationali, & bruto appetitu, quid aliud facerent, quàm aduersùs Deum, & rationem bella.

§. V.

Inter homines prorſus carnales non poteſt eſſe vnitas, & concordia.

ADuersùs Moyſem benefactorem ſuum exſurgit populus, qui ſitiebat aquam. Sic enim habes: *Sitiuit ergo ibi populus pro aquæ penuria, & murmurauit contra Moyſem*, &c. Auguſt. apud Lyppom. legit: *Sitiuit ibi* Lyppom. *populus aquam*, & addit: *Populus ſitiit aquam, qui Deum ſitire debuit, qui debuit ſitire iuſtitiam.* Hominis ſanè eſſet rationalis, & ſpiritum habentis, quod ſitiret aliquid ſpiritui conſentaneum, nempe Deum, & iuſtitiam. Sed homo carnalis nihil nouit ſitire niſi aquam; quæ ad carnis

nis sustentationem facit,ne miremur,quando rixas aduersùs Moysem meditatur. Carnales enim etiam tot beneficiis obligati, quot erant hi in Moysem,nesciunt seruare vnanimitatem. De carnalibus tollat affectibus necessum est, qui velit ad vnitatem cum suis aptari. post perfectum Adamum, vt fœminam illi in vxorem
Gen.2. vnanimem efficeret Dominus Gen. 2.de Adamo dormiente costam extraxit: *Et ædificauit Dominus costam, quam tulerat de Adam? in mulierem.* Cur necessum fuit Adamo costam extrahi,vt mulier ædificaretur?Vt mulierē faceres Domine non suppetebat materia alia?Non erat idem limus,ex quo ipse Adam formatus est?Quid necessum fuit Adami perfectum corpus minuere,& illam costam eripere?Curabat Deus facere Adamo spōsam cū qua vnanimiter viueret, & ideò necessum fuit Adami minuere carnem,nisi enim de diminutis,& circinatis carnalibus vnanimitas non cōseruatur.Pulchrè
Basil. Sel ait D.Basil. Sel. orat.2. *Neque verò ex terra,sed ex latere membrum mutuatur:patitur corpus, vt mentem coaptet, & natura vna dissipatur arte formantis,vt vna mens construatur.* Qui corpus Adami perfecerat antè,vbi illud ad vnanimitatem seruandam aptat, quasi dissipat factum, & tollit partem,dissipans,& minorans carnem in Adamo, vt vna mens inter illum,& vxorem construatur.Quādo enim in sua valentia est caro, affectúsque carnalis, nescit vnanimitatem etiam cum suis seruare. Vnde D.
Ad Ro 1 Paul.ad Rom.cap.2.locutus de perditis hominibus illos dicit esse. *Parentibus non obedientes sine affectione, absque fœdere, sine misericordia.* Sed vnde oriri potest, quod homines nec cum parentibus affectionem ha-
D. Amb. beant,nec fœdus seruent? Ait D.Amb.ibi: *Quanta autem insolentia arrepti sunt,vt nec parentes suos,quos authores in natiuitate habent, agnoscerent;& qui se natos gaudebant,illos tamen per quos esse cœperant,contemnebant: Hoc est esse sine intellectu,sine charitate, nempe Dei. Nam erat inter illos charitas carnis.* Expende vnde tot illa mala orirentur, quod aduersùs parentes rebellarent, quod nullum fœdus seruarent,nullam amicitiam vererentur: *Erat*,nimirùm,*inter illos charitas carnis.* Vbi in illis tota erat carnis valentia,non miror,quod nec nosce rent fœ-
1. Reg.9. dus cum parentibus.Ait 1.Reg.9.*Erat vir de Beniamin nomine Cis*,&c.*fortis robore*, &c. Cis idem est,ac durus, nec vacat mysterio,quod qui durus dicitur,fortis etiam robore assimilatur,sed vt intelligamus,quam sit iuncta fortitudo carnis cum duritie cordis,ne vllam affectio-
D Greg. nem conseruet. In quod notabat D. Greg. PP. in præsenti lib.4. cap.3. aiens: *Cis pater Saul ideò fortis robore dicitur, vt vires corporis magnas habuisse sentiatur. Fortis ergo robore durus est:quia,qui magna carnaliter exhibet,cor molle per compassionem in fraterna charitate non habet.Valenter agit, quæ non imitari homines foris possint: sed intus coniungi fraternis mentibus nescit per affectum dilectionis.* Ecce tibi vt in valētia carnis vnanimitas esse vix possit.
Cant 1. Vnde Can.1. *Si ignoras te ô Pulcherrima mulierum, egre-*
D. Amb. *dere,& abi post vestigia gregum*, &c. Et D.Amb.petit,vt egrediatur,& abeat pedibus nudis. Et cur nudis pedi-
Isaac.4. bus ibit? Ait ipse lib. de Isacc. cap. 4. *Exi quasi exuta vinculis pedem, & nudo exerta vestigio, vt carnalia integimenta non sentias,vestigium mētis tuæ corporalia vincula non implicent. Tales enim sunt,qui ad regnum cœlorum annuntiandum eliguntur à Deo,de quibus dicat: Quam speciosi pedes Euangelizantium pacem.* Quasi nequeat pax nuntiari ab iis,qui carnalia non fugiant.

§. VI.

Contumeliæ illatæ viro ingenuo acerbissimæ sunt super mortē.

NOn possum non mirari Moysis clamorem in præsenti, ait enim textus: *Clamauit autem Moyses ad Dominum*, &c. Quærebatur Moyses ad mortem
Exod 2. Exod. 2. & fugit, nullúmque edidit fugiens clamorem, nec querelam vllam protulit apud Deum. Nunc autem querulos clamores misit ad Dominum. Et quando mors decretaindubita láque viro non illum incitauit ad clamorem, quæ res adeò atrox illi modò euenit,quæ faciat clamare tantum hominem?Ait Lyp- *Lyppom.*
pom.*Conuitiis lasessitus iugiis impetitus, asphemiis deturpatus,quid in tanta afflictione facit. Ad Dominum suū, supplex festinat. Vnde sequitur: Clamauit ad Dominum.* Quippè audiuit se vocari fraudulētum,& dolosum,qui fraude tantum populum eduxerat ad mortem,quibus conuitiis impetitus clamauit,præ dolore,qui tacens sustinuit quæri ad interfectionem.Et quid non faciant in ingenio viro contumeliarum voces; sustinuerat Iesus verbera, spinas, innumerósque dolores,è quibus omnibus duo solum quasi æquè acerba pōderantur,nimirùm mors in cruce, & contumeliæ illatæ ab exercitu Herodis. Isaias. 53. *Sicut ouis ad occisionem ducetur, & Isaias 53.*
quasi agnus coram tondēte se obtumescet. Ecce tibi vt hæc duo,quasi paria coniungit,nimirùm & agni tonsionem, & iugulationem.Sed quis æquet tonsionem agni eiusdem iugulationi? In iugulatione cum ingenti dolore perditur vita,in tonsione lamentabile vulnus fit nullum in corpore,sed solum lanæ externum operimentū tollitur. Quæ ergo tonsio potest æquiparari tormento iugulationis?Nō loquitur vates de qualicunq; diuinissimi agni tonsione,sed de illa, quā passus est apud Herodem cōuitiis,& opprobriis appetitus ab exercitu regio toto, quod quidē ingenuo viro par fuit durissimæ internecioni.Ait Tertul.lib.de carnis Resur. *Tanquam* *Tertul.*
ouis ad iugulationem adductus est,& tanquam agnus ante tondentem,scilicet Herodem sine voce,sic nō aperuit os suū. Magnū sanè,quod sic se permitteret carnificibus trucidādum,vt ibi seruaret mansuetudinē ouis. Sed accipite aliud æquè mirandum, quod traditus Herodi detractori,& exercitui opprobrantium hominū,sic inter tot opprobria,& cōrumelias se habuit, vt se habet agnus coram tonsore.Vel morti par, vel sanè supra mortē est viro ingenuo conuitiis,& opprobriis peti. Sāson ille inuictissimus tandem comprehensus, & obcæcatus adducitur in mediū Philisthinorū, vbi amplexatus co-
lūnas quibus Domus tota nitebatur,ait Iud. 16.*Moria-* *Iud 16*
tur anima mea cū Philisthim,cōcussisque fortiter colūnis cecidit domus super omnes,&c. Sic cum Philisthinis voluit ipse perire vir fortis. Et cur elegit ipse tam attrociter mori?Cur non magis mortis genus exhorruit? Causam
indigitans ait D. Amb. epist. 70. *Producitur de carcere* *D.Amb.*
Sāson,ac statuitur in populi cōspectu.Erāt tria milia ferme hominū virilis,ac muliebris sexus, & grauibus in eū exultabāt cōuitiis,circunagebāt ludibriis:quod durius, & vltra ipsam captiuitatis speciem viro ingenitæ virtutis conscio tolerabatur. Nā viuere, & mori naturæ functio;ludibrio esse probro ducitur.Cupiens igitur tantam contumeliā morte in reliquum præuertere,poposcit à puero, vt admoueret eū ad columnas,&c.Sic imperterriti animi vir ad sustinendam mortem inualidus fuit ad sufferenda conuitia, quæ vt fugeret, mortem ambiuit. Huc trahenda sunt dict.1. tom.in Euang.lib.4.c.2.§.10.& tom. 2.lib. 10. cap.9. § 7.& tom.3.lib.16.cap.15.§.7.& alibi.

Exod. 17. Et ait Dominus ad Moysem: Antecede populum,& sume tecum de senioribus Israël, & virgam qua percussisti fluuiū tolle in manu tua,& vade.En ego stabo corā te ibi super petrā Horeb,percutiésque petrā,& exibit ex ea aqua, vt bibat populus. Fecítque Moyses ita coram senioribus Israël. Et vocauit nomen loci illius tentatio, propter iurgium filiorum Israël. & quia tentauerunt Dominum dicentes:Est ne Dominus in nobis,an non.

§. VII.

Oratio pro inimicis fouendis & efficax, & maximi lucri est.

VIx Moyses verba orationis finierat,& statim Dominus in manu eius ponit virgam potentem vel

aquas educere de ſicca petra. Sic enim ait : *Antecede populum,& ſume tecum virgam*,&c.Et vnde tam citò datur Moyſi imperium cum virga ad extrahendam aquã de petra?Orabat Moyſes pro hominibus ſibi iniuriis,& rebellibus,& ideò tam citò obtinuit imperium in ipſas creaturas. Efficaciſſima equidem eſt oratio pro inimi-
Ierem.8. cis,vt multa acquiras ex Deo. Ierem.c.8. dicebat Dominus:*Non aſſumas laudem,& orationem pro eis. Si Moyſes, & Samuel ſteterint coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Volebat Dominus ſe prorſus inexorabilem oſtendere populo nequam,& ideò adducit in medium duos, quorum orationes efficaciſſimæ omnium ſolebant eſſe,nimirùm,& Moyſem, & Samuelem. Et cur inter efficaciſſimas omnium orationes,ſolas meminit orationes Moyſis,& Samuelis?Elucebant in iis præcipuè orationes factæ pro hoſtibus,quæ in emolumen-
D.Greg. tis & efficacia ſunt ſuper omnes. Ait D.Greg.PP. hom. 27.in Euang.*Quid ergo eſt,quod Moyſes, & Samuel cæteris patribus non in poſtulatione præferuntur,niſi quod hi duo tantummodo in cuncta teſtamenti veteris ſerie etiam pro inimicis ſuis leguntur exoraſſe?Vnus à populo lapidibus impetitur,& tamen pro lapidatoribus ſuis deprecatur. Alter ex principatu eiicitur,& tamen petitus vt exoraret,fatetur,dicens : Abſit à me hoc peccatum, quo minus ceſſem orare pro vobis.* Vt in orãdo pro inimicis erant celeberrimi Moyſes,& Samuel,ſic adducuntur,vbi fit mentio de orationibus efficaciſſimis;quando oratio,quę pro inimicis fit, nunquam ſine magna efficacia, & emolumento inue-
Iob.42. nitur. Hinc Iob 42.*Dominus quoque conuerſus eſt ad pœnitentiam Iob,cùm oraret ille pro amicis ſuis.Et addidit Dominus omnia, quæ fuerant Iob,duplicia.* Orauit equidem Iob pro amicis ſibi infenſiſſimis,qui plura in illum cõgeſſerant conuitia. Et quid hac oratione efficacius, & fœcundius ? Amicis protinus veniam obtinuit, & ſibi
D. Greg. omnia bona duplicia. Ex quo ſapienter D. Gregor.lib. Moral.35.cap.7. *Plus pro ſe preces ſuas valere efficit, qui has & aliis impendit. Libentius quippe ſacrificium orationis accipitur, quod in conſpectu miſericordis iudicis proximi dilectione conditur. Quod tunc veraciter quiſque cumulat,ſi hoc etiam pro aduerſariis impendat.* Expende illud : *Veraciter cumulat*, nunquam enim ingens bonorum cumulus non correſpondit precibus pro aduerſariis orantibus. Et cur oratio pro inimicis non cumulos bonorum faciat;quando & fœcunda eſt ipſa patiens auditio contumeliarum ? Nota eſt audacia,& temeritas Philiſthæi,
1.Reg.17 qui Iſraëlitas exprobrabat ; aduersus quem exiens Dauid,ait 1.Reg.17. *Vadam, & percutiam eum, & auferam opprobrium de populo. Quoniam quis eſt hic incircumciſus, qui auſus eſt maledicere exercitui Dei viuentis* ? Sic inermis adoleſcens agebat de hominis armati nece, quaſi de re indubitata. Et vnde adeò ſibi facilem promittebat victoriam de tam potenti aduerſario ; Ipſe ait illis verbis:*Auſus eſt maledicere*,&c. Ille maledicta congerebat,& conuitia in populum Dei,quæ patientiſſimè ſuſtinebantur,nec vnus inuentus eſt, qui referret paria: id,quod notans Dauid ſibi aſſerit victoriam indubita-
Baſil.Sel tam. Ait Diu.Baſil.Sel.ora.15. *Maledictam illam inimici linguam victoriæ pignus teneo.* Nunquam non eſt pignus bonorum in populo, qui neſcit maledicenti referre paria. Vbi enim videris conuitia iactari, nihilque ſimile retorqueri,puta ibi ingentes bonorum cumulos aggregari.

§. VIII.

Dei ſpiritus eſt,quod in acceptis bonis par pari referas.

NOn otiosè dictum Moyſi, quod ad extrahendam aqua de petra tolleret virgam, qua mare percuſſit. Ait enim:*Sume tecum virgam qua percuſſiſti fluuium,* dubitat Auguſtinus ſi nomine fluminis intelligatur mare à Moyſis virga percuſſum,& requirit exemplum ſi-
Iona.2. milis locutionis. Do ego exemplum in Iona cap.2. vbi ait : *Proieciſti me in profundum in cor maris;flumen circundedit me.* Nec ibi licet intelligere per flumen aliud quàm mare, quando totum Ionæ naufragium in mari peractum eſt. Et vt erat & vicinius, & celebrius Moyſis facinus,quod virga percuſſerit mare,& fecerit viam ſiccam peregrinantibus, ſic non dubito ad hoc reſpexiſſe Dominum,quando dixit.Sume virgam, qua percuſiſti fluuium, id eſt, fluentes aquas maris. Sed cur præcipuè meminit Dominus percuſſionis qua mareſciſſum fuit, & oſtendit aridam viantibus, quando volebat, vt ſimili percuſſione petra ſtillaret aquas ? Vt oſtendat quam à Deo veniat, quod mutuis officiis par pari referant vniuerſa creata. Sanè ad virgæ percuſſionem aquæ maris diuiſæ reddiderunt aridam, qua Iſraëlitæ ſiccis pedibus ambularent. Modò autem ad eãdem virgæ percuſſionem aridi lapides euomunt aquas, quæ poſſint Iſraëlitas ſatiare.Sic arida dedit aquas,quia aquæ dederant aridam,ſic Dei eſt,quod mutuis officiis nobis referamus paria. Sic ipſe Ieſus Ioan.13.ſurgens à Ioan.13. menſa, & linteo ſe præcingens:*Cœpit lauare pedes diſcipulorum.* Et cur voluit ſuorum diſcipulorum pedes lauare ? Erant diſcipuli filij Abrahæ,cuius hoſpitium ingreſſus Dominus Gen.18.ſimile quid accepit ab Abra- Gen 18.
hamo, cui modo in filiis parem exhibet gratiam. Ait enim Tertul.lib.de Trinit.*Quod enim erat futurus meditabatur in ſacramento Abrahæ factus hoſpes apud Abrahæ filios futurus : cuius filiorum pedes ad probationem, quod ipſe eſſet,abluit:reddens in filiis ius hoſpitalitatis, quod aliquando illi fœnerauerat pater.* Ablutus aliquando pedibus ab Abrahamo,ſimile modò præſtat filiis Abrahæ. Et ad quid ſimile refert ; Ait. *Ad probationem,quod ipſe eſſet* ; nullo euidentius monſtraret ſe Deum eſſe, quam ſi parem referret gratiam. De Iuda tribu ait Num.24. Num 24.
Qui benedixerit tibi,erit & ipſe benedictus. Et ex hoc mutuo officio benedictionem colligit Theophylact. inibi adhærentem diuinitatem,de cuius ſolius aſſiſtentia venit, quod beneficiis par referatur. Ait enim in cap.2. Matth. *Qui benedicunt te,benedicentur : ecce deitatem.Sola enim Dei natura hanc benedictionis virtutẽ habet.* Quippe in ſolo Deo inuenies, quod benedictionibus acceptis paria referantur.Nec aliter fieri poteſt,vbi Dei ſpiritus habitat. Vnde Gen.22. dicebat Dominus Abra- Gen. 22.
hæ:*Tolle filium tuum vnigenitum,quem diligis,Iſaac,& vade in terram viſionis, ibique offeres eum in holocauſtum.* Quam nouum hoc,& inuſitatum holocauſtum Deo?Ex quo tibi Domine victima humana placuit?Vnde potuit venire,vt ibi vnici filij holocauſtum placeat;Cur ergo requirebas oblationem adeò inuſitatam?Sanè volebat firmare Deus decretum ſuum de dando filio ſuo, ideò petit ſibi filium hominis dari,ne poſſet tanto obſequio non reddere parem gratiam. Ait D. Macharius orat.de Mach.
de Exalt.Crucis:*Abraham filium vnigenitum ex promiſſione ſuſceptum ad cædem ducebat, & immolare feſtinabat, iuſſus à Deo volente,opinor, vt & ſacrificium illud pro totius mundi ſalute peragendum firmaretur.* Vt firmum eſt, quod Deus obſequentibus ſibi parem gratiam referat, ſic firmabatur ; quod filium ſuum in holocauſtum daret,eo ipſo,quod filium Abrahæ in holocauſtum acceperat.Dei enim eſt quaſi non poſſe parem gratiam non referre.

§. IX.

Deus velocior eſt omni creatura in iis quæ ſunt profutura homini.

DIcitur Moyſi, quod vadat ad petram, in qua iam Deus eſt. Sic enim ait : *Virgam, qua percuſſiſti fluuium, tolle in manu tua, & vade. En ego ſtabo coram te ibi ſupra petram*:Ex Hebræo ait:*En ego ſto ibi*,&c.Moyſi adhuc dicitur,quod vadat,ipſe Deus iam ibi ſtat.Quantumuis enim creatura curat,& volet, citiùs quàm illa accedat,ſtat Deus in loco,vbi eſt hominum negotian-

da

salus. Quò spectat illud Luc. 1. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen Virginis Maria: Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum.* Expende illud: *Dominus tecum*; & si enim Angelus festinauit, vt ad Virginem perueniret, Dominus, qui miserat Angelũ, ante eius accessum iam inuenitur in Maria. Sanè vt Dominus hominũ curam suscipiat, præteruolat creaturas omnes, præteruolat Angelicos spiritus. Id pulchrè expendens D. Ber. ser. 54. in Cant. ait: *Denique transiliit Gabrielem, & peruenit ad Virginem, eodem Archangelo testante, cùm ait: Aue gratia plena, Dominus tecum. Quid? Quem modo reliquisti in cœlo, nunc in vtero reperis. Quonam modo? Volauit, & præuolauit supra pennas ventorum, Victus, es ô Archangele, transiliit te, qui præmisit te.* Non sic creatura aliqua, non sic Angeli currunt in hominum auxilium, quin Dominus præcurrat, adeò vt cum velociſſimi sint in via, iam ipse Dominus in termino possit sentiri. Eadem recidens ait Chrysol. serm. 143. *Missus est Angelus à Deo, & quid dicit? Dominus tecum. Ergo erat cum Virgine, qui ad Virginem miserat. Præcessit nuncium suum Deus.* Tarda est omnis creatura in negotio humanæ salutis, vnus Deus transilit omnes, & antequam alij accedant, iam ipse in negotio inuenitur. Cupiebat aliquando sponsa vrgere dilectum, vt ad homines saluãdos veniret, & ait Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Et loca prandij, & accubitus requirebat vt inueniens quiescentem ad iter vrgeat. Et quid interea? Ipsa ait: *Ecce iste venit saliens in montibus.* Accubantem, aut prandentem quærebat, & non potuit videre nisi iam veniẽtem, prosilientem in montium cacuminibus. Sic eius festinatio superat, & excedit vel cogitationem, & desideria sponsæ suæ. Ad hæc pulchrè Ber. ser. 1. de Aduentu: *Venientem vides, ô pulchra, sed cubantem videre ante non poteras. Dixisti enim: Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes. Veruntamen ecce egressus est de loco suo, & qui cubans pascit Angelos, ipse cœpit, & sanabit nos; & videbitur veniens, & pastus, qui cubans, & pascens antè videri non poterat.* Expende illud: *Videbitur veniens, & pastus*: adeò enim festinat, ex quo negotiatur humanam salutem, vt quantumuis properes, vt illum cubantem inuenias, vel saltem prandentem ad iter, nunquam inueniatur à te, nisi iam pransus, & veniens, & superans montium cacumina. Qui properantem viatorem conuenire desiderant, accubitus, & prandi loca operiuntur, vt ibi conueniant illum. Sic sponsa aduentum Saluatoris sui expectans, cogitabat de accubitus, prandiíve locis, vt ibi eum conueniret. At festinatio Saluatoris in iuuandis suis omnes creatos cogitatus superat, nec aliter potest inueniri, quàm iam pransus, & vel montium prærupta tenens velocitate sua. Sed expende adhuc illud: *Et videtur veniens, & pastus, qui cubans, & pascens antea videri non poterat.* Et quidem Gen. 18. tres viri, quorum vnus erat Dominus, dum peregrini veniunt, intrant Abrahæ domum, ibi cubant, ibi prandent, & ibi Abraham, & omnis eius familia eos videt cubantes, & prandentes. Cur ergo hic cubans, & prandẽs cernitur Dominus, & ibi nec cubans, nec prandens, sed veniens, & pransus ostenditur? Ait text. ibi: *Cùm surrexissent inde viri, fixerunt oculos suos contra Sodomã.* Vbi Chrys. *In tabernaculo Abrahæ, & Angeli, & eorum Dominus visi sunt. Abituri autem illinc erant ad subuertenda Sodoma.* Et hæc est tota rei explicatio, vbi enim Dominus pergit ad perdendos homines, adeò cunctanter pergit, vt in accubitu, & prandij loco videri possit: at vbi ad saluandũ venit, sic properat, vt minimè accumbens, aut prandens; sed veniens, & pransus videri semper possit. Fœlix, qui in salute sua procurãda huius Dei sequitur ductum, fallar, nisi velociſſimos superet. Magi illi primi Iesu adoratores à remotiſſimis regionibus Orientis venerunt, & decimo tertio die natiuitatis adorarunt Dominum. Aiunt ipsi Matth. 2. *Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Et qualiter tam citò venire potuerũt? An Dromedarij percitate? An Angelorum opera? Non creaturis, sed ipsi paruulo credit tantam velocitatem D. Thomas in catena, vbi sic ex Remigij sententia loquitur: *Sed quærendum est si Caldæi, vel Persæ de vltimis finibus terræ fuerũt, quomodo in tam breui spatio Hierosolymam venire potuerunt? Sed sciendum est, quod aliqui solent dicere, quod puer, qui tunc natus in tam breui spatio temporis de vltimis finibus terræ ad se perducere potuit.* Non Dromedariorum, imò nec Angelorum, nec vllius creaturæ fuit opus, quod à finibus terræ tam breui spatio venirent in locum, vbi parabatur salus hominum. Id vnus Deus potest efficere, qui vt ipse superat omnem creatam velocitatem, vt medeatur homini, sic assectas suos fecit venire ante omnes ad medelæ locum.

§. X.

In Christi passione fidelium leuamen, & vita.

EPende remedium ex Deo datum, vt bibant, & viuant homines, nimirùm ait: *Percutiet petram, & exhibit ex ea aquam, vt bibat populus.* Et quãdo petra erat Christus iuxta Pauli assertũ, quid de Christo percusso non exeat in leuamen hominum? Crede mihi ex quo Christus vt percussus in sua passione, nullum ibi non apparuit refrigerium, quo & quiescant, & viuant homines. Nullus vnquam homo maiori siti, & fame, & lassitudine confectus fuit, quàm erat ilia fugitiua, & perdita ouis, quæ à Dei caulis exiliens in viis errabat difficilibus, & laboriosis. Illam tandem inuenit pastor, inuentam nec pascit, nec adaquat, sed in humeris ponit. Ait D. Luc. c. 15. *Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens*, &c. Cur non magis famescentem cibat, & sitientem adaquat? Cur pro omnibus solos humeros exponit, quibus medeatur oui? Erant in humeris signa passionis, in illis crucis virga percussit Saluatorem, & inde non poterant non prodire hominibus omnia salutis cõmoda. Ex quo ait D. Amb. ser. 22. in Ps. 118. *Denique inuentam pastor ouem humeris imposuit suis. Agnoscis vtique mysterium, quomodo ouis lassa reficiatur: quia non potest aliter humana conditio lassa recreari nisi sacramento dominicæ passionis, & sanguinis Iesu Christi, cuius principium super humeros eius.* Nisi de percusso Christo non poterat recreari tam deplorata ouis, at vbi percussus est, nil inde boni requiritur, vt emendentur humanæ perditiones: Post Domini resurrectionem ait Angelus mulieribus Matth. 28. *Scio, quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis. Surrexit, non est hic. Venite, & videte locum.* Resurgentem, & glorioſum annuntiat, & nihilominùs mulieres conuocat, vt videant dominicæ sepulturæ locum. Et quando Dominus à sepulcro exiit, cur mauis, quod fœminæ adhuc intrent sepulcri locum? Cur non magis horaris, vt mortem obliuiscantur, attentæ, & intentæ gloriæ resurrectionis? Quid vitæ assectas adhuc retines in mortis cõsideratione? Sapienter Angelus salutis spẽ genitutus in fœminis, eas trahit ad spectandũ theatrũ dominicæ passionis, de quo solo haberent, vt vitam recipere possent. Ait D. Chrys. ser. 77. *Mulieres vocat Angelus ad videndũ, vt sacri corporis locus mundaret oculos, quos diabolo claudente, vetitæ arboris maculârat aspectus. Ingrediuntur sepulcrum, vt consepulta Domino totam fidei resurgerent in salutẽ.* Quod bonũ, aut quæ vita posset sperari à mulieribus, nisi de passione Christi? Sanè, quæ reformari debebant, & in vitam erigi immortalẽ, nullo aptiùs trahuntur, quàm ad Christi passionem meditandam. Huc spectent omnes, qui diuinis fluentis amant ditari. Hinc Matth. 3. *Baptizatus Iesus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli: & vidit spiritum Dei descendentem*

Luc. 1.
D. Bern.
Chrysol.
Cant. 1.
Bern.
Gen. 18.
Chrysost.
Matth. 2.
D. Amb.
Luc. 15.
Matt. 28
Chrysol.
Matt. 3.

dentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. Et cur ſpiritus diuinus venit ſuper Ieſum in ſpecie columbæ? Cùm venit ſuper Apoſtolos Act. 1. venit in ſpecie linguarum ignearum. Cur ſimiliter non venit ſuper Iesũ, ſed maluit venire in ſpecie columbæ? Venit equidem ad Ieſum in ſpecie columbæ, vt doceret, quid vniuerſi debemus in Ieſu ſpectare; vt enim columba in petra quærit foramina, vt ſibi faciat habitaculum; ſic etiam nos ad paſſionis dominicæ ſemper ſpectemus foramina, vt inde nobis æterna paremus habitacula. Ait Paſchaſ. lib. 2. in Matth. *In columba meritò apparuit, vt per eam nos doceret, ipſi in eo quales eſſe debeamus. Solet itaque nidificare in foraminibus petræ, ſeu in cauerna maceriæ: petra autem eſt Chriſtus, in cuius lateris foramine omnis Eccleſia nidificat.* Ecce tibi venit Spiritus ſanctus ad Chriſtum ea ſpecie, qua & nos ad illum ſimiliter veniamus, nimirùm vt columbæ foramina plagarum meditantes, ibique nidificantes, vt de earum refugio æternum viuamus.

Paſchaſ.

§. XI.

Quæ à paſſione Chriſti veniunt bona firmiora ſunt, & durabiliora.

NOn vacat myſterio, quod in hac petræ percuſſione, iuxta omnes Patres paſſio Chriſti exprimatur. Ait enim: *Percuties petram, & exibit aqua.* Et cur petra Chriſti percuſſiones repræſentabit, niſi vt oſtendantur quàm firmiora, & ſecuriora ſunt, quæ per Chriſti paſſionem dantur, vt quæ in petra fundantur? Ait D. Bern. ſer. 61. in Cant. *Quid non boni in petra hac? In petra exaltatus, in petra ſecurus, in petra firmiter ſto. Et re vera, vbi tuta, firmáque ſecuritas infirmis, & requies, niſi in vulneribus Saluatoris?* Diſcurre homo per omnium creaturarum habitacula, nullibi inuenies firmum fundamentum bonorum, niſi hoc veniat de Chriſti plagis. Chriſti paſſio eſt, quæ nobis peperit vitam nullis caſibus amittendam. Quò ſpectãs aiebat Dominus apud Chryſoſt. hom. in Paraſceue apud Grethſerum tom. 2. *Surrexit mortuus in Galilea, at rurſus mortuus eſt: Ego vero poſtquam per crucem reſurrexi, non poſſum amplius mortem incurrere.* Expẽde vnde fundet quod amplius non morietur, nimirùm: *Poſtquam per crucem reſurrexi:* Quæ enim per crucem, paſſionémque Saluatoris data ſunt, ea ex ſe firmitudinem habent, qua nulli incommodo cedant. Quid in paſſione Domini fundatur, quod non firmiter perſeueret? Ioan. c. 19. notabat titulum cruci appoſitum Saluatoris, quod *erat ſcriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè.* Ex quo illud ſigulare accidit, quod etiam deletis, & exterminatis è terra populis Hebræis, Græcis, & Latinis, hæ linguæ adhuc perſeuerant, & reſonant Chriſtum in Eccleſia. Quod vt incredibile in aliis videretur, ſic in iis linguis, quæ cruci Saluatoris affixæ fuêre, minorem admirationem generat. Vt dicat Hier. in Nepotiani Epitaph. *Nũc paſſionem Chriſti, & reſurrectionem eius, cunctarum gentium & voces, & literæ ſonant. Taceo de Hebræis, & Latinis, quas nationes ſuæ crucis titulo Dominus dedicauit.* Ecce vt quando miratur Hieronymus de omnium gentium vocibus reſonantibus, Chriſtum in re tantæ admirationis tacet, & præterit Hebræas, Græcas, & Latinas voces. Et cur hæc voces prætermittendæ ſunt, & tacendæ? Ipſe rationem reddit, aiens: *Quas nationes ſuæ cruci titulo dedicauit.* Quæ enim litteræ affixæ fuêre titulo crucis, non adeò mirandum eſt, quod reſonantes Chriſtum æternum perſeuerunt. Commune namque eſt dominicæ paſſionis ſuis firmitatem, & ſecuritatem præbere. Vnde ait verus noſtrarum animarum amator Cant. 2. *Veni columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Septuag. legunt: *Veni columba mea in tegimento petræ, iuxta promulare*; alij ponunt, *inxta munitionem.* Et vniuerſi firmitatem, & ſecuritatem inſinuant, quæ venit de vulneribns Saluatoris. Vt dicat D. Amb. lib. de Iſaac c. 4. *Surge ſecura in tegimẽto petræ, id eſt, tuta paſſionis meæ & fidei munimento. Suxerunt enim mel de petra, & oleum de firmiſſima petra. Hoc in tegimento animæ piorum induta, iam nudæ non ſunt, & hæc illis eſt præmunitio.* Sanè ex quo Chriſtus petra percuſſa, & excauata apparuit, iam habent animæ vnde fortitudinem, & firmitatem induant aduersùs hoſtiles incurſus, ne facilè corruant, ſed perſeuerent æternum in bono duraturæ. Hinc Dominus Matt. 27. calicem diſcipulis porrigens aiebat, *Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur.* Additur in canone Miſſæ: *Noui, & veterni teſtamenti.* Quando enim vetus teſtamentum condiderat ſanguine animalium rubricatum, quod & penitus deletum, & immutatum eſt, nunc ad aliud teſtamentum accedens, ne de eius duratione, & firmitate dubitaretur, præmiſſit ſanguinis ſui pretioſi effuſſionem. Nec iam dubitandum erat de ſecuta, & æterna hæreditate cuius teſtamentum firmatum erat dominica paſſione. Quò reſpiciens Orig. ibi aiebat: *Si ſanguis teſtamenti infuſus eſt in corda noſtra in remiſſionem peccatorum noſtrorum, effuſo eo potabili ſanguine in corda noſtra, remittuntur, & delentur omnia, quæ geſſimus antè peccata. Ipſe autem, qui accepto calice dicit: Bibite ex hoc omnes, nobis bibentibus, non diſcedit à nobis.* Expende illa verba: *Nobis bibentibus, non diſcedit à nobis*; quibus notatur diſcrimen ſanguinis veteris teſtamenti, & ſanguinis noui: In veteri enim teſtamento ſanguis ponebatur in poſtibus oſtiorum, quem videns Dominus præteribat. Sic ait Exod. 12. *Tranſiuit Dominus percutiens Ægyptios, cùmque viderit ſanguinem in ſuperliminari, & in vtroque poſte, tranſcendet oſtium,* &c. Ecce tibi vt viſo ſanguine tranſibat alio Dominus; quo longè aliter fit in nouo teſtamento, in quo ſanguis, & mors ipſius teſtatoris intercedit, & non ponitur ſanguis in poſtibus, ſed intra viſcera conditur, dúmque bibitur ſanguis, non alio tranſit Dominus, ſed ibi manet. Quando autem Dominus cum ſanguine pro nobis effuſo intrat in corda noſtra, non eſt dubium, quod non penitus abſcedat à nobis, vt abſceſſit à priori populo. Sed in nobis fundabit tabernaculum, quod iuxta Iſaiæ vaticinium auferri non poterit. Quando enim ab Eccleſia ſua funditùs abiicietur Dominus.

D. Amb.

Mattæ.

Orig.

Exod. 12.

Cant. 2.

Ioan. 19.

Hieron.

D. Bern.

Chryſoſt.

§. XII.

In percutiendis peccatoribus vnus Deus ſpectandus eſt ab eo, qui fructuosè vult percutere.

MVlta fieri ſigna per virgam Dominus iuſſerat, ſiue enim Nilus in ſanguinem conuertendus erat, ſiue mare diuidendum, id virga fiebat, vt ſuprà vidimus. Sic enim dicebat Exod. 7. *Tolle virgam tuam, & extende manum tuam ſuper aquas Ægypti,* &c. *vt vertantur in ſanguinem:* Sed & Exod. 14. dicit: *Eleua virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare; & diuide illud.* Ecce vt iubetur virga eleuari ſuper mare, vel ſuper fluuium, vt ſigna ibi fiant; ſed non additur, quod Deus erit, vel ſuper flumen, vel ſuper mare in illa virgæ eleuatione, aut patratione miraculi. In præſenti autem, nil prius dicit Dominus, quam: *En ego ſtabo coram te ibi ſuper petram Horeb, percutiéſque petram,* &c. Non ſinitur virga tangi lapis, antequam ſuper illud Deus coram Moyſe adſtaret. Et cur cum & fluuius, & mare virga tangantur abſque eo, quod dicatur Deus ſuper ea coram Moyſe ſtare, petra tunc ſolum permittitur tangi virga, cùm Deus ſuper illam coram Moyſe ſtaret? Erat percuſſione petra emolienda in largiſſimos, & dulciſſimos fontes aquarum, & tunc vel lapideus peccator emollitur, & fructuosè à corripiente tangitur, quando percutiens vnum Deum coram ſe habet. Nil aliud præter Deum ſpecter, qui peccatores percutit, & fallar, niſi vel è lapidibus dulciſſimos fructus valeat extrahere. Huc traho Moyſem Exod. 32. ſe in peccatores armantem, dum ait: *Si quis eſt Domini, iungatur mihi:*

Exod. 7.

Exod. 32.

mihi: Congregatique sunt ad eum omnes filij Leui. Expende, qui elegantur pro vindicta peccatorum, nimirùm filij Leui, quorum portio solus Deus erat, nihílque aliud sibi in terra spectabant. O quam fructuosè! O quàm sine iniuria isti percuterent fratres. Ait D. Amb. epist. 56. *Neque verò aliquid durum factum videtur pro vindicta iniuriæ cœlestis. Denique sanctiora cæteris ad hoc munus eliguntur ministeria Leuitarum, quorum portio Deus.* Quorum erat nihil aliud habere, nihil aliud spectare quàm Deum, ij meritò eliguntur, vt sine iniuria, & fructuosè possent, & peccatores percutere, & castigare. Crede mihi, vbi Deus pręualet, non potest nõ fructuosa esse percussio, & castigatio. Pro quo Michæas c. 5. aduersùs Israëlitas, fatur: *Nũc vastaberis filia latronis, in virga percutient maxillam iudicis Israël. Et in Bethleem Ephrata, paruulus es in millibus Iudæ; ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël.* Et Israëlitarum ponit pœnam, & redemptionem; dicit enim, vt propter peccata regio vastanda est, & principes virga percutiendi. Et addit, vt intereà cœlestis Dominator, Christus Dominus appariturus est. Et qui locus dominicæ apparitionis Ait: *Bethlehem Ephrata.* Dum Israël vastatur, dum virga percutitur, Bethlehem Ephrata Dominum exhibet, & in se natum ostendit. Bethlehem autem est domus panis, Ephrata domus videntis furorem. Et quid furor ad panem? Multum per omnem modum; vbi enim Deus apparet, furor percutientis peccata cœlestes fructificat dapes. Ait D. Amb. lib. 5. epist. 18. *Itáque qui virga maxillam percutit Israëliticæ animæ, erudit eam ad disciplinam patientiæ dominica correctione. Ecce tibi vbi domus furorem videntis erat, ibi domus panis est: vbi crudelitas, ibi pietas: vbi pœna innocentium, ibi vniuersorum redemptio, sicut scriptum est: Et tu Bethlehem domus Ephrata non es minima inter Principes Iudæ. Ex te enim exiuit Princeps in Israël. Bethlehem domus panis est, Ephrata domus furorem videntis. In domo igitur furoris generatus est Christus, & ideò iam non domus furoris, sed domus panis.* Et quidem vbi inter ictus virgæ, inter furores corripientis vnus Christus apparet, totus ille furor desinit in panes, tota crudelitas in pietatem, tota pœna in salutem. Nunquam enim non fructifera est castigatio, in qua præ oculis est vnus Christus Saluator. Vbi Deus est solus, qui mouet ad percutiendum, ad ipsum pertinet, quod percussionem vertat in sanitatem. Ait Iob cap. 5. *Increpationem ergo Domini ne reprobes. Quia ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt.* Ex quo Diu. Augustus. super Psal. 50. ait: *Illa est vox Domini: Ego percutiam, & ego sanabo. Percutit putredinem facinoris, sanat dolorem vulneris. Faciunt hoc medici, secant, percutiunt, & sanant: armant se, vt feriant, ferrum gestant, & curare veniunt.* Nec aliud quàm salutis fructum parit percussio, in qua solus Deus spectatur.

D. Amb. Mich. 5. Amb. Iob 5.

§. XIII.

His Deus gratissimè adest, à quibus doctrinæ exiliunt fluenta.

NEc sum satis miratus, quod Deus super petram adstet, quando ait: *En ego stabo coram te ibi super petram; & exibit ex ea aqua,* &c. Qui non stetit supra mare, vbi scissum viam Israëlitis parabat, nec super Nilum, vbi vndas mutabat in sanguinem, cur maluit super petram stare, quæ conuertenda erat in fontes aquarum? Semper equidem Deo placet inhabitare in iis, à quibus scaturiunt fluenta doctrinarum. Ait eius sponsa Cant. 2. *Ecce iste venit saliens in montibus.* Prima venientis Dei vestigia in montibus apparent. Et cur in montibus? An quia inde præcipites aquarum fluuij in plane contendunt, vt ea valeant fœcundare? Planè nullus mons detinet æquè Deum, ac ille, qui salientibus in vitam æternam exundat doctrinæ aquis. Ait Orig. hom. 3. ex quatuor: *In iis scilicet, in quibus verbum Dei crebris sensibus, & copiosis velut perennibus ebullit fluentibus, in iis vitæ, ac scientiæ, & doctrinæ meritò montibus, dignissimè salire verbum Dei dicitur, & exilire, factus in eis per affluentiam doctrinæ fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam.* Ecce tibi verbum Dei in quibus salit, nimirùm, in iis, qui doctrinæ, vitæq; montes effecti, vndique scaturiunt plenissimis sapientiæ amnibus, crebris, & copiosis sensibus, & studiis Ecclesiæ arua rigantes. In iis verbum Dei moratur, in iis perpetuò salit. Id, quod alio exemplo explicat ipsa Dei amatrix, aiens Cant. 2. *Similis est dilectus meus caprę, hinnulóque ceruorum.* Et in quo similis ceruorum hinnulo, nisi quia sicut ceruus cõtendit ad fluenta aquarũ, sic ipse contendit semper ad eos, qui plenis doctrinæ amnibus fœcundãt orbem terrarũ? Ait D. Amb. lib. de Isaac c. 4. *Quasi hinnulus ceruorum, qui desiderat ad fontes aquarum, descendit ad Paulum, circunfulsit eum, & exiliuit super Ecclesiam suam.* Itáque vt ceruus contendit ad aquarum fontes, sic Deus amat homines, à quibus doctrinæ fluenta nascantur.

Cant. 2. Orig. Cant. 2. D. Amb.

§. XIV.

Vtiliora sunt, quæ nobis infirmitatem potius, quàm virtutem recolant.

MVlta in hoc loco apparuerunt grandia, à quibus posset locus denominari. Et fuit Moysis oratio pro rebellibus, & Dei apparitio, & rupes Dei potestate conuersa in fontem aquarum. Quibus prætermissis maluit Moyses à Iudæorum offensa locum denominare *tentationem.* Sic ait: *Vocauit nomen loci illius tentatio, propter iurgium filiorum Israël.* Cur non potius à diuinæ virtutis fauore in fonte exhibito locum denominauit? Cur maluit in loci nomine memoriale facere Israëlitici criminis, quàm cœlestis fauoris ei dati? Sanè nouerat, quàm vtiliora erant hominibus ea, quę eorum prætendunt infirmitatem iis, quæ virtutem declarant. Aliquando condiderat Dominus hominẽ pulchrũ, perfectum, omnibus numeris absolutum, ad imaginem Dei factum, vt verè posset vocari absolutissima Dei imago, & quasi Deus in corporalibus. Hunc tamen conuenit Diabolus, & ait: *Eritis, sicut Dij.* Gen. 3. Nec rem proposuit multo alienam à perfectione humana in illo statu, in quo homo erat perfecta imago. Accessit tandẽ Deus, & ait homini: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Ecce tibi ob oculos hominis proposita est, & eius præstantia, & eius infirmitas; pręstantia fuit à serpente proposita, infirmitas à Deo. Et uter egit cum homine vtilius? Sanè ille longè vtilius egit, qui illi proposuit ob oculos infirmitatẽ. Pulchrè rem attigit D. Chrys. hom. de ferendis reprehens. & conuers. Pauli, fatus: *Hic quidem dixit: Eritis sicut Dij: Ille autem: Terra es, & in terrã ibis. Vter igitur magis profuit, hic ne, qui dixit: Eritis sicut Dij. An ille, qui dixit: Terra es, & in terram abibis? Ille mortem interminatus est, hic immortalitatem promisit. Atqui hic, qui immortalitatem pollicitus est, è paradiso eiecit: ille vero, qui mortem comminatus est, in cœlum inuexit.* Ecce tibi vt ostensio infirmitatis vtilior est homini, quàm præstantiæ prædicatio. Nec vlli dubium esse potest, quod longè maioris vtilitatis sit, qui nostras infirmitates nobis ob oculos proponit, quã qui nostras aliquas gratias propalat. Hinc est, quod Matth. 16. Petro mysteriũ crucis reprobãri dicit Dominus: *Vade post me Satana, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* Fidelissimo discipulo nõ dubitabat Dominus obiicere diuinorũ ignorantiã, & aduersarium vocare. Verũ Iudæ proditori cũ carnificum phalãge accedenti dicit idem Dominus Matth. 26 *Amice, ad quid venisti?* Sanè hæc erat maxima Iudæ gratia, quod inter discipulos, conuiuas, & familiares Christi posset numerari. Quam gratiam illi accidenti ad proditionem ob oculos ponit Saluator. Sed cur Petro proponit ea, quæ in illo erant

Gen. 3. Chrys. Matt. 16 Matt. 26

infirmitatis; Iudæ autem ea, quæ erant summi splendoris,& gratiæ?Cur Iudam amicum vocat, & Petrum Satanam?Esto,quod Petrus errauit, tamen non sic errauit vt Iudas,quando ergo Iudam amicum vocat, cur Satanam vocare Petrum maluit? Sanè ostensio gratiarum eius res est homini inutilis ad salutem animæ, & quæ vel dæmonum mancipio Iudæ statim perituro datur.At ostensio infirmitatis, vt vtilior, sic Petro exhi-
Basil. Sel. betur,cui salutaria omnia procurantur.Accipite D.Basil.Sel.fantem orat.31. *Quæ hæc est asperitas verborum, Domine? Quæ formidanda in Petrum increpatio? Vidisti cum militibus, & armis inuadentem Iudam, nec dixisti: Vade post me Satana,non verbis inuertisti,sed ait: Amice, ad quid venisti?Et contra Iudam talis, & Petrus amoris præmium fert contumeliam?Feritur,qui parcit,& ex ignoratione offendens verbis vapulat? Nè,inquit,perhumanus Saluator,vbi enim vlcus est immedicabile, ibi pharmacum inutile,vbi autem curationis spes, sectionem induco curationi.*Expende illud,*ibi pharmacū inutile*;quippè vt medici in deploratis infirmis, vbi remedia omnia nihil prorsus,non omnino abstinent à remedijs, sed inutiles quasdam,& leuidentes vnctiones iubent frequentari, vt curatorum anxietates fallēt; sic Dominus deploratis hominib. inutilia pharmaca permittit, nimirùm laudabilia eorum ob oculos ponit.At vbi salus hominis speratur,tunc quæ vtiliora sunt applicat, tunc infirmitatū, & miseriarum,& peccatorum putredinem,vel asperrimè propalat.Hoc enim semper vtilius est, vt salus habeatur.

§. XV.

Eleemosynæ virtus maximè inter alias elucet morales.

NOn quiesco,dum video Deum supra hanc Horeb petram stantem;quando ait: *En ego stabo coram te ibi super petram Horeb, percutiésque petram, & exibit ex ea aqua,vt bibat populus.* Et qui nec super fluuium, nec super mare dixit se stare, quando ibi fiebant signa ad virgę tactum,vt vidimus,modò super petram amat stare. Vnde petra hæc plus placuit,vt Dei fieret sedes, vt Deus super illam staret?An quia hęc sitientes pauperes reficiebat aquis?Sanè hæc virtus,quæ famelicos,sitientésque satiat pauperes, inter omnes alias morales sibi
Cant.1. Deum rapit,& sibi Deum habet. Cant. 1. de vberibus sponsæ locutus Dominus, ait: *Meliora sunt vbera tua vino,fragrantia vnguentis optimis.*Indè vbera sponsa meliora,& gratiora apparent Deo,quia fragrantia sunt vnguentis optimis. Sed scire cupis, quæ sint hæc optima vnguenta, quæ sic rapiant dominum? Rem explicans
D. Bern. D.Bern.ser.12.in Cant.ait: *Duo me vnguenta vobis tradidisse recordor.Vnum contritionis,alterum deuotionis. Sed est vnguentum,quod ambobus longè antecedit,& hoc appellauerim pietatis, eo quod fiat de necessitatibus pauperum,de omnibus quorumlibet miserorum ærumnis, etiamsi fuerint inimici.Despicabiles videntur species istæ,sed est super omnia aromata vnguentum, quod ex eis conficitur.* Absque dubio charitas, quæ extenditur vsque ad subleuationē miserorum, maximè alliciat Deum, illúmque super
Matth.9. omnia aliarum virtutum aromata recreet.Vnde Matth. 9.ait Dominus: *Euntes discite, quid est: Misericordiam volo,& non sacrificium.* Quibus ostenditur,quam pluris faciat Deus misericordiā,quàm sacrificia reliqua. Quò spectans D.Bern,ser.12.in Cant. ait:*Bonum contritionis vnguentum, quod de recordatione peccatorum conficitur. Cæterùm longè melius esse arbitror id,quod dicitur deuotionis factum de recordatione beneficiorum Dei.Porro vtrumque vincit vnctio pietatis, quæ de respectu miserorum fit. Optimum reuera vnguentum,in cuius comparatione, cætera nec respicere se ostendit,qui ait: Misericordiam volo,& non sacrificium.* Ecce tibi cætera omnia virtutum aromata non æstimari videntur à Deo in comparatione charitatis illius, quæ egenis, & miseris necessaria prouidere scit. Hæc tenet maximè Deum, dum hanc cōlis,aliquid te puta facere, sine hac etiam in multis aliis virtutibus sic appares, quasi vacuus sis. Mirabar Diabolum sic insanire, vt Iobo diuitias etiperet, quæ solent esse hominibus præcipua perditionis incentiua. Ecce tibi procurante Diabolo Iobus ad eam paupertatem redactus est,vt dicant cap.1.*Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.* Cur ô Diabole, non magis hominem in diuitiis constituis, vt eum expugnes? Sunt equidē diuitiæ spinæ, quæ suffocant Dei sementem, linque ergo eum magis diuitem, vt citiùs vincas?Cur non magis tibi times à pauperculi hominis, & afflicti virtutibus?Nónne & sufferentia dolorum, & patiēntia in tormentis, & spes in ipsa morte te magis mordebunt,quàm omnes virtutes,quæ in diuite erant? Cur non magis metuis pauperis virtutes,quàm diuitis? Equidem cum Iob diues erat dispersis inter pauperes bonis ingentes in cœlestibus thesauros recondebat, quam erga pauperes largitatem cùm spoliatus nō posset ostēdere,siue hac virtute,etiam cum aliis omnibus, vacuus,& imbecillus videbatur dæmoni. Ait D.Chry-
Chrysost. sost.hom.2.in Iob: *Diabolus eum diteſcentem vidit diuitiis temporalibus,atque eisdem æternas sibi diuitias thesaurizare putauit. Quoniam quemadmodum eo diteſcente diteſcebat iustitia, sic ad paupertatem ductus, eadem quoque virtus paupercula apparebat.Tentat autem igitur eum pecuniis nudare, quo datis eum facinoribus nudet.* Expende illud:*Virtus paupercula apparebat*;quasi tota Iobi virtus tot tormenta patiens pro Deo, paupercula,& imbecilla videretur in comparatione virtutis, & charitatis illius, qua bonis suis sustentabat,defendebátque miseros, & egenos.

§. XVI.

Quæ egenis dantur,perire,aut exhauriri nequeunt.

ADhuc miror Deum sic affectum ad petram illam Horeb,vt dicat: *En stabo coram te ibi super petram Horeb,percutiésque petram,& exibit ex ea aqua, vt bibat populus.*Et quidem dum diuidendum esset mare virga, non dicit Deus, quod illic ipse staret supra mare;nunc autem cum extrahenda esset à petra aqua silientibus, dicit Deus,quod ibi ipse stabit supra petram. Et cur nō in diuisione aquarum maris, sed in eductione aquarum de petra maluit Deus petræ adesse? Petra erat virga percutienda,vt aquas daret,ait enim.*Percuties petram,& exibit aqua*;in percussione autem eorum, qui famelicos, & sitientes replent, præsentissimus adest Dominus,ne quid mali capiant,ne quid dependant,sed potius augeantur.Quò spectans D.Ber.ser.12.in Cant. D. Bern.
fatur:*O quæcunque es anima sic affecta,sic imbuta rore misericordiæ,sic affluens pietatis visceribus,sic te omnib.omnia faciens,sic facta ipsa tibi tanquam vas perditum,vt cæteris præsto,vbicunque semper occurras,atque succurras, tu planè tertium,optimúmque vnguentum fœlix possides,& manus tuæ distillauerunt totius suauitatis liquorem.Non exsiccabitur in tempore malo, nec feruor persecutionis ebibet illud,sed semper Deus memor erit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiet.*Quid pulchrius?Nunquam perditur, quod pauperibus exhibetur, nec temporum malitia,nec persecutio valent aduersùs ea, quæ transmitti solent ad egenos,sed semper Deus adest,qui protegat, imò qui multiplicet ea. Hinc cap.1.dictum est Iob. 1.
Iob: *Ignis Dei cecidit de cœlo, & tactas oues, pueróſque consumpsit.* Hæc audit Iob,& tacet, nullúmque doloris ostendit sensum. Et cur,ô bone,non magis doles in ouium amissione?Cur tantum & carnium, & lanarum emolumentum adustum subitò non tibi eripit vel doloris verbum?Erant oues illæ,quarum lanis vestiebantur egeni,iuxta id,quod ait cap.29. *Si non benedixerunt mihi latera pauperis, & de velleribus ouium mearum calefactus est*, ideò non sibi persuadebat vir diuinus,quod possint deperdi,sed quod potius duplicandæ

essent,

Chryſoſt. eſſent,vt poſtea euenit? Ait D.Chryſoſt.hom.3.in Iob: *Si ego ſolus indutus eſſem,iuſtè dolerem: ſi autem pauperes induebantur, nunquid poterit Deus pauperes deſpicere? Noui,quod in ſacrificium ſucipit, reddet ſeptuplum.* Sic ſecurus erat, quod ſubſtantia exhibita pauperibus non poterat deſpici à Deo,ſed quod ab illo eſſet ſeruanda, Matt.26 & augenda, quod & fecit. Matth. 26. vbi pretioſum vnguentum effunditur à fœmina ſuper caput Ieſu; ſtatim illa diſcipulorum affuit querela, nimirùm: *Vt quid perditio hæc? Potuit enim iſtud venundari multo, & dari pauperibus.* Expende,vt perditionem metuunt vnguẽto effuſo ſuper Ieſu caput; & remedium parant, quo nullam perditionem metuerent illi vnguento. Et quale hoc remedium liberans à perditionis metu? Iam explicant dicentes: *Dari pauperibus*; cui perditionem metuunt exhibito Ieſu capiti, non metuunt perditionem exhibito pauperibus. Eſt enim hæc ſingularis gratia charitatis in egenos, quod nullam ruinam me- D. Bern. tuat. Pulchrè Diu.Bernard.ſerm.12.in Cant.ait: *Vidéſne,quam ſit præferendum cæteris iſtud pietatis vnguentum de quo ſolo permiſſum non eſt perditionem fieri? In tantum perditio de ipſo non ſit,vt nec aquæ frigidæ munus irremuneratum ſinatur.* Nec minimæ reſculæ perditio fiet,ex iis,quæ ſolent diuidi cum egenis.

§. XVII.

Chriſtus Dominus, vt amat ſibi quaſi per vim bona eripi.

NOn niſi ex percuſſa petra aquam mandat Dominus expectari; dum ait: *Percutiéſque petram, & exibit ex ea aqua.* Non ſic aiebat Exod. 14. ſed: *Eleua virgam,& extende manum tuam ſuper mare*: ſolam virgæ oſtenſionem ibi mandat, vt totum mare ſcindatur. In præſenti non ſolam oſtenſionem virgæ, ſed & petræ percuſſionem mandat. Poſſet equidem petra vel ad ſolam oſtenſionem virgæ aquas dare, vt ad ſolam huiuſmodi oſtenſionem diuiſum eſt mare. Cur ergo percuti petram maluit? Petra autem erat Chriſtus iuxta Apoſtoli aſſertum, qui amat ſibi à fidelibus religioſam vim fieri, vt eius bona capiant. Adeò, vt non im- Cant.4. properans,ſed gratificans dicat ſponſæ Cant. 4. *Vulneraſti cor meum ſoror mea,ſponſa,vulneraſti cor meum.* Inde æſtimat ſororem,& ſponſam,quod non niſi de vulnere eius ſibi aſſeruerit fontes gratiarum. Quò ſpe- Matt 11. ctans Matth. 11. fatur: *A diebus Ioannis Baptiſtæ vſque nunc, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Itaque cœleſtia bona à Chriſto hominibus acquiſita, ad illos magis dicuntur pertinere, qui vim ipſi Chriſto Domino afferunt. Tunc,ô Chriſtiane,magis Ieſu places,cùm illi adhæres,& abeuntem precibus quaſi cogis tibi auſcultare,& repugnanti multis virtutum actibus vim infers,& ſic eius gratiam rapis. Pul- D. Amb. chrè ad hæc aiebat D.Ambr.ſerm.15. *Vim facimus Domino,non compellendo,ſed flendo, non prouocando iniuriis, ſed lacrymis exorando. O beata violentia,quæ non indignatione percutitur,ſed miſericordia condonatur! Beata,inquã, violentia, quæ vim patientis bonitatem elicit, & vtilitatem tribuit inferenti. Mala admittitur, & de iniuria nemo cauſatur, vis admittitur, & religio propagatur. Quiſquis enim valentior Chriſto fuerit, religioſior habebitur a Chriſto.* Sic amat Chriſtus per cuti, & ſuperari, vt eius gratiæ copioſiùs fluant. Sic amat vim pati, vt niſi de eo deuicto benedictiones ſibi fide- Gen. 32. les acquirant. Quò referendum puto illud Geneſ. 32. *Ecce vir luctabatur cum Iacob vſque mane. Qui cum videret,quod cum ſuperare non poſſet, tetigit neruum fœmoris eius,& ſtatim emarcuit. Dixítque ad eum: Dimitte me,iam enim aſcendit aurora. Reſpondit: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.* Strenus Iacob luctator vim inferebat Angelo,& dimiſſionem quærenti, ait: *Non dimittam te,niſi benedixeris mihi,* ſic tenens reluctantem, vt non liceat abire; & ſic benedictionem extorquens. Sed quis Angelus eſt, qui ſibi ab homine vim inferri patitur? Quis eſt, qui benedictionem detinet, donec vt extorqueatur? Sapienter D. Auguſt. quæſt. 104. in Auguſt. Gen.ait: *Quod ab Angelo deſiderat Iacob benedici, cui luctando prævaluit,magna eſt de Chriſto prophetia.* Et quidem non Angelus, non creatura aliqua, ſed vnus Chriſtus eſt,qui amat per religioſam vim ſibi eripi benedictionum magnalia. Vbi quis expectat, imò vult vinci,vt ſuo victori tribuat gratia; is Chriſtus eſt, non creatura aliqua.

CAPVT XIV.

Amalech expugnatur.

Textus Hiſtoria.

POſt famem, ſitímque extinctam aduerſa Iudæis voluntas Dei tumultus imminentis belli cœpit excitare,quod facilè vniuerſos Iſraëlitarum poſſet ruina inuoluere. Vicina enim proficiſcentibus erat iam Idumæorum regio cuius Princeps Amalech,de Eſeau nepotis nomine ſic vocatus,metuens ſibi à tanto fugitiuorum exercitu milites armat, qui ab inſidiis egreſſi inuadunt poſteriora Iſraëlitici agminis, multóſque ibi confusè ruentes obtruncarunt. Expectata (vt reor) murmuratorum enormitas vt creſceret, ruinæ incremento ſupremorum adæquabat menſuram flagitiorum. Circunfuſi namque latrones, à tergo poſtremos cedunt, incedentem iaculis exercitum infeſtant, in confertos miſſa telorum vis haud facilè fruſtratur. Et iam inclinauerat dies vnde tenebrarum calligine vallatos Iſraëlitas ferro exſuffocatis Ægyptiis collecto Moyſes armat,iubétque Ioſue cum electa iuuentute procedat in campum,& Amalecitas nitatur debellare. Sequenti die duo apparent Iſraëlitarum agmina: Alterum in monte Horeb,vbi Moyſes cum duobus cognaris Aaron,& Hur, leuatis in cœlum manibus, cœleſtia pro ſuis auxilia ſolicitabat: Alterum in deſerti planis, vbi Ioſue duce Iſraëlitica inuentus ſpe victoriæ accenſa, cedentibus Amalecitis imminebat, inſultabat deſperantibus, & prope omnes hoſtiles deleſſet copias, niſi vel parum Moyſes manus inclinaret. Inauditum enim quid accidit, totius belli fortuna poſita à Deo erat in Moyſis manibus, quæ dum extenſæ ad cœlum ſpectarent, iam iam perituri Amalacitæ excidio ſe ſubtrahebant fuga; verum ſi feſſæ Moyſis manus,vel paululum ad terram declinarent; erecti hoſtes reſumebant fiduciam, atque à fuga ad inſequendum regreſſi victoriæ expectationem ſibi faciunt non paruam. Patuit res Aaroni,& Hur, qui ſedentis in petra Moyſis manus hinc inde erectas tenentes, tantum ardoris infuderunt pugnantibus, vt finem bello imponerent glorioſum internecione Amalecitarum. Nullo deſiderato Iſraëlita hoſtium ingens multitudo iacuit, quod & lætiorem fecit victoriam, & vnius Dei virtute oſtendit fuiſſe reportatam.

PARS MORALIS IN

Textus literam.

POſt belli puluerem non ingratus veniet ſuccus moralis,qui auidè ſumptus faciat humanas mentes de inuiſibilibus hoſtibus triumphare.

Exod. 17. Venit autem Amalech; & pugnabat contra Iſraël in Raphidim. Dixítque Moſes ad Ioſue: Elige tibi viros, & egreſſus pugna contra Amalech cras. Ego ſtabo in vertice collis habens virgam Dei in manu mea.

§.I.

§. I.

Quæ ſemel Deus fecit homini propitia loca, ſemper propitia ſolent durare.

IN Raphidim petuntur ab hoſtibus Iſraëlitæ: *Venit enim Amalech, & pugnabat contra Iſraël in Raphidim.* Quid inſanius? Aduerſus Iſraëlitas pugnant eo in loco, vbi vel rupes ſcaturiunt agente Deo fontes aquarum, vt Iſraëlitis faueant. Non equidem in Raphidim vincentur ab hoſtibus, qui ſic eo in loco propitium Deum habent, vt de ſyrtum ſuccis ſitim ardentiſſimam expugnarint. Accipite Ioſephum ſimili argumento Romanorum victorias aduersùs Ieroſolymitanos proteſtantem. Sic enim ait apud Egeſipp. lib. 5. cap. 16. *Deum Iudæis aduerſari certum eſt. Siloa, quæ ante bellum ſicca fuerunt, & omnes extra vrbem fontium venæ, quæ diu fluêre, ceſſarunt, vt aqua noſtro deeſſet vſui, niſi pretio quæſita: nunc in vſus redeunt ſuos, & Tito ſe aduenienti refudunt. Scaturiunt vberes venæ, atque ita aquarum redundantium omnia replentur, vt non ſolùm exercitui large ad potum exuberent, ſed etiam equis, bellatoribus, ac iumentis, pecoribúſque vniuerſis, hortorum quoque irriguis non deſit aquarum abundantia, vt tanquam adnitentibus elementis victoriæ Romanæ, largiores credas fundi meatus.* Egeſipp.

Sanè hoc Dei facinus fuit mirabile, quod in arida regione, vbi notiſſimi fontes iamdiu fuerant exſiccati, ad Romanorum acceſſum cœperint copioſiſſimis aquis abundare. Meritò inde educitur, quod in locis ſic à Deo paratis in Romanorum gratiam, non poſſint vinci Romani, ſed magis debeant ipſi aduerſarios ſuperare. Præclarum enim eſt illud: *Adnitentibus elementis victoriæ Romanæ, largiores credas fundi meatus.* Situs enim largitas à Deo alicui parata, nunquam non adnititur eius fœlicitatem æternare. Hinc Gen. 7. notanter ponitur tempus diluuij; dicit enim: *Anno ſexcenteſimo vitæ Noë, menſe ſecundo, ſeptimodecimo die menſis, rupti ſunt omnes fontes abyſſi.* Gen. 7. Qui menſis, & dies examinati ſunt ab interpretibus ſacræ Scripturæ, & de nobiliori eorum ſententia aſſertum eſt diluuium contigiſſe verno tempore, quando omnia terrena abeunt in flores, & in fructus, quibus homines impleat. Et cur maluit Deus delere hominem eo tempore, quo de ipſius Dei beneficijs omnia terrena hominem ditant? Vt oſtenderet quàm violenter ad illam calamitatem inferendam veniret; tempora enim adeò homini propitia non deſinerent adniti, vt proſperitas homini adueniret, niſi eius delictorum enormitas violentiſſimam calamitatem traxiſſet. Quò ſpectans D. Amb. ait lib. de Noe cap. 14. *Obſeruare debemus, quod poſt diluuium verno tempore, colendorum cura reparatur agrorum, & placidi, atque vberis ſoli incipiat fœtura procedere. Quo ſignificatur, nunquam Deum eo tempore interitum hominis fuiſſe ſtructurum, quo fecit exordium, niſi immanibus delictis eſſet offenſus.* Ambr. Sola delicta immania potuerunt facere quod ſemel à Deo parata tempora homini adeò propitia, non ſemper illi propitia fuiſſent. De ordinario autem curſu rerum hoc eſt, vt quæ ſemel promouit Deus in hominum gratiam, ea ſemper quaſi adnitantur illi proficere, & vel nouas fœlicitates præſagire.

§. II.

Infauſtiſſimum eſt inferenti bellum, & diſſidium in fratres.

INfauſtum bellum iam eo nomine notatur, quod ab Amalecho Iſraëlitis inferebatur, ait eum: *Venit Amalech, & pugnabat contra Iſraël.* Erat Amalech Eſau fratris Iacob nepos, qui aui in fratrem diſſidia conſeruabat. vt putat noſter Cornelius, ne miremur, quod ominoſum ſit genti, quod inſurgant in fratres. Nota eſt rebellio Abſalonis in totum ſuum genus: Ait 2. Reg. 15. *Facta eſt coniuratio valida, populúſque concurrens augebatur cum Abſalon. Venit igitur Nuntius ad Dauid dicens: Toto corde vniuerſus Iſraël ſequitur Abſalon. Et ait Dauid ſeruis ſuis, qui erant cum eo Ieruſalem: Surgite, fugiamus.* 2 Reg 15

Abſalon infert bellum, Dauid fugit, & eſt qui in Dauidis fuga plus ſpei collocet, quam in Abſalonis validiſſima manu. Et cur magis ſperandum eſt de Dauidis fuga, quam de Abſalonis aggreſſu. Nónne maior vis in Abſalonis exercitu? Equidem maior erat, & longè maior vis in exercitu Abſalonis, ſed infirmior cauſa, quando ipſe bellum inferebat fratribus, quod Dauid fugiens declinabat. Quod reſpiciens Egeſipp. lib. 5. cap. 16. fatur: *Vicit etiam Dauid prælio ciuili, quod refugiebat illatum, non inferebat. Nihil enim bello ciuili fœdius, niſi ſolus qui potuit inferre.* Egeſipp. Ecce vnde victoria ad Dauid declinabat, nimirum, quod non ipſe inferebat bellum fratribus, conciuibus, domeſticis, ſed potius illatum refugiebat. Prænuntia ergo erat victoriæ Dauidi fuga, qua bellum, & deſidia, inter domeſticos, & fratres fugiebat, & ominoſa Abſaloni erat armata manus, qua fratribus, & domeſticis inferebat malum. Crede mihi, nunquam domeſticæ, fraternæque diſcordiæ non fuerunt inferentibus lethales, vt concordia inter domeſticos eſt caput fœlicitatis. Iſraëlitæ à Nabuchodonoſore captiuati, & Babylonem aſportati, ibi vixerunt incolumes multis annis, & conuerſatione ſua ſancta multos Babylonios traxerunt ad religionis ſuæ veritatem. Habes enim Daniel. 3. vt Nabuchodonoſor Iſraëlitarum Deum proponat populis adorandum, aiens: *Signa, & mirabilia fecit apud me Deus excelſus. Placuit ergo mihi prædicare ſigna eius*, &c. Dan. 3. Sic captiui Iſraëlitæ religionem ſuam propagabant. At reducti in patriam, ad florentiſſimúmque accedentes ſtatum, & ſacra omnia, & ipſam religionem funditùs euerterunt. Et cur quam augent religionem captiui; liberi, & potentes illam penitùs diſſiparunt? Erant in captiuitate vnanimes, & vel ipſius calamitatibus prementibus magis adunabantur; in florenti autem ſtatu ſuo érant diſſidentes inter ſe, imò ſe inuicem impugnabant, atrociter mordebant, & mactabant. Ideò adunati ſua promouebant, diſſidentes omnia diſſiparunt. Rem maximè illis põderat Ioſephus apud Egeſippum lib. 5. cap. 16. fatus: *Conferte, ſi videtur, quid interſit inter captiuitatẽ noſtram, & ſeditionem noſtrã. Captiuitas noſtra gentibus infudit noſtræ religionis conſortiũ Seditio noſtra etiam Iudæis ademit religionis gratiam.* Egeſipp. Ecce quid lucrentur adunati fratres, etiam medijs calamitatibus ſeſe multiplicant in nationes, & populos, faciúntque ſibi ſimiles vniuerſos in fide, & religione. At qui ſeditioſi ſunt, qui fratres ſuos mordent, extremam in omnibus ſibi acquirunt perditionem. Caue tibi homo ab hoc vitio, nec fratres, nec domeſticos mordeas, illa te arma virtute, qua omnes tibi ſtrictiſſimo adiungas vinculo dilectionis, & nullũ timebis hoſtem, nec etiãſi aduerſus te inſurgat infernalis hoſtis. Cum à Mariæ viſceribus natus fuit Chriſtus Dominus, ventum eſt ad eius circunciſionem, & nominis impoſitionem. Aitque Luc. cap. 1. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur.* Luc. 1. Igitur, vt fert communis Expoſitorum ſententia, Maria, & Ioſeph nomen Ieſu infantulo Deo imponunt. Sed quando iam nomen Ieſu fuerat ab Angelo impoſitũ, quid neceſſum fuit, quod Euangeliſta animaduerteret, quod ſacri parentes in Maria, & Ioſeph impoſuerit nomen Saluatori? Nónne iam Angelo puer diuinus Ieſus fuerat; quid inde quod etiam Mariæ, & Ioſepho fuerit Ieſus idem puer? Multum ſanè id erat ad gloriã pueruli, vt qui non externis ſolis, qualis erat Angelus, ſed & domeſticos, quales erãt Maria, & Ioſeph, ſibi adiũgeret, illiſque gratus foret. Eò enim nititur maxima fœlicitas hominis; quod & exteris, & domeſticis ſua ſe dulcedine copulet. Ex quo ait D. Bern. ſer. 1. de Circunciſ. *Et ab iis, qui foris ſunt, & ab eo, qui intus eſt, habere* D. Bern.

oportet

oportet testimonium bonum. Cuius enim omnibus grata, nemini onerosa conuersatio, huius sine dubio propria de salute vniuersa fratrum congregatio attestatur. Frustrà planè super iis, quæ in manifesto sunt, nequissimus ille fratrũ accusator trahit in causam, quem excusat vniuersitas fratrum. Quid pulchrius? Qui erga domesticos suos, erga fratres suos sic affectus est, vt omnes sibi habeat copulatos beneficiis in domino, is nec sibi aduersariũ timeat dæmonium. Quantumcunque Satanas accuset, frustrà accusat eum, quem vniuersitas fratrum excusat. Sic valet vnanimitas cum fratribus omnibus.

§. III.

Non parui momenti est ad victorias reportandas de hostibus iustitia, & sanctitas pugnantium.

CVm primùm parat exercitum Moyses aduersùs Amalecitas, illi præficit Iosue. *Dixit namque Moyses ad Iosue: Elige tibi viros, & egressus pugna contra Amalech.* Et quare Iosue pugna mandatur, nisi quia ipse in pietate, & sanctitate cæteros superabat? Ait enim Iosephus lib. 3. cap. 2. *Selectis è reliqua multitudine ad pugnam idoneis Iesum præficit Naueci filium è tribu Ephræmitide, virum manu, & consilio iuxta promptum, & pietate insignem, & à Moyse præceptore hac parte non degenerantem.* Et meritò ad pugnam præ aliis eligitur vir, & pietate insignis, & omnibus virtutibus innutritus sub præceptore sanctissimo. Facit enim plurimum ad rem belli vita immaculata militum. Quod pugnacissimus homo Dauid in se expertus ait Psal. 17. *Deus, qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatã vitam meam. Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorũ, & super excelsa statuens me. Qui docet manus meas ad prælium,* &c. Expende quibus ad præliũ disponebatur; nimirùm: *Posuit immaculatam vitam meam.* Quem militem, & præstantissimum ducem creabat Deus, vt barbaros debellaret, victoriásque ingentes reportaret: hunc prius fecit esse vitæ immaculatæ, vt quæ ad bella glorioſè conficienda est momenti non parui. Vnde apud Egesipp. lib. 3. c. 3. monebat præstantissimus dux: *Vt miles cibum, sibi & arma portaret, vallo, & fossa sese muniret, castrisque ponendis præueniret hostem, obtemperaret præceptis, furto, ac rapinis abstinere assueſceret. Plurimum valere in bello bonam conscientiam, eóque amplius de diuino auxilio præsumeret, qui se nulli affinem crimini recognosceret.* Et si in aliis rebus bona conscientia, & vita immaculata plurimum valet, haud dubium, quin in bello, maximè valeat, in quo de morte cõtemnenda agitur, & de diuino auxilio solicitãdo. Vt meritò dicat D. Paul. ad Hebræos cap. 11. *Deficiet me tempus narrantem de Gedeon, Barac, Samson, Iehte, Dauid, Samuel, & prophetis: qui per fidem vicerũt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones. Obturauerunt ora leonum; extinxerunt impetum ignis: effugauerunt aciem gladij; conualuerunt de infirmitate; fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum,* &c. Et quidem velociſſimo oratori antea tempus defuisset, quàm victoriæ per viros pietate, & fide insignes partæ, quàm hostiles exercitus à pugnantiũ iustitia superati. Et mihi credite, nunquã virtutum, religioníque sacra non magni momenti fuerunt, vt prælia glorioſè agãtur. Accipite rem à D. Synesio narratã. Is epist. 122. ait: *Plurima Auxiditarum bona eueniant, qui cùm milites in montium se latebras abdidissent, suúmque ipsi sanguinem custodire vellent, rusticam plebem conuocantes, statim ab sacris ipsis rectam ad hostes duxerunt, fusisque ad Deum precibus trophæum erexerunt in Mirsinitide. Barbari autem quod nulla sibi hostilia arma occurrerent, etiam aspera, ac confragosa audacter erant ingressi: Sed offensuri vtique erant animosum, ac strenuum Faustinum, qui in sacris diaconi munere fungitur. Hic ille est, qui princeps armatum militem inermis sustinuit, quem cominus lapide tempori illisa percussit, non iaciens, sed pugnis infestis insiliens. Quo cùm cecidisset, armis spoliato plurimos super illos prostrauit.* Hæccine sunt facinora hominum, qui sacris instituuntur; sic pugnant, qui religionis, pietatísque præ se ferunt insignia. Quando armati timent; ipsi inermes non metuunt hostes aggredi, & sperare triũphum. Sic ab aris in victorias itur. Vt sapientes duces non metuant, si muri concidant, sed si Deum adeundi aditus intercluditur. Quare ad perdendos Iudæos vnũ excogitabat Alexandra regina; si intercluderetur eorum ad Deum recursus. De illa enim ait Iosephus lib. c. 11. *Alexandra habitans tunc Ierosolymis conata est vrbis arces in suam potestatem redigere, alteram templo contiguam, alteram in ipsa vrbe sitam; nam qui has obtinent, totam gentem habent obnoxiam; quia nec sine iis sacrificia quotidiana possunt peragi, neque Iudæi sine sacrificiis degere, quibus vita citius contemnatur, quàm religio.* Vbi enim sacrificia non possent quotide peragi, eo ipso Iudæi perditum irent, licèt armis multis, bellatoribúsque essent muniti.

§. IV.

Iesu nomen auspicatissimum.

VBi exercitus Israëlitici Imperator constituendus erat, statim præ omnibus aliis eligendus Iosue, siue Iesus filius Naue visitur. Ait textus: *Dixitque Moyses ad Iosue. Elige viros, & egressus pugna contra Amalech.* Est autem Iosue, idem quod Iesus, sic Iosephus ait lib. 3. cap. 2. *Iesum præficũt Naueci filium*; sic Orig. in præsenti, & Patres communiter. Nec dissimulabo, quod ait Philo in lib. 1. de Moysis vita: *Imperatorẽ his Iesum præficiens vnum ex minoribus ducibus, ipse properauit,* &c. Ex minoribus ducibus Iesum selegit Moyses, quem exercitus Imperatorem constituit, nec dubitò quin alij essent dignitate sublimiores in populo illo, vel propter ætatis, aut nobilitatis, aut experientiæ prærogatiuam. Quibus omnibus prætermissis, è minoribus ducibus Iesus eligitur in Imperatorem ad periculosissimam pugna; Et cur Iesus præ aliis sublimioribus in re tanti discriminis eligitur, & Imperator fit? Inuenio in illo augustissimum Iesum nomen, nec miror, quod & si alia deficerent, propter solam spem nominis Imperator fieret ab eo, qui venturum sub illo nomine diuinissimum Imperatorẽ cœperat præsagire. Habeo rem non multũ absimilem apud Paulum Orosium lib. 7. c. 40. Is post Gratiani cuiusdã tyranni Britanniarũ occisionem, statim subdit: *Huius loco Constantinus ex infimâ militia propter solam spem nominis sine merito virtutis eligitur.* Respexerunt electores ad faustissimum Constantini Magni nomen; & vbi vel in infirmo milite idem nomen coruscare vident, nil non sibi faustum purant, si Constantinus Imperator fiat. Sic traxit hominem ad imperium vna spes nominis auspicatissimi. Quid plura? Si Iosue omnibus careret imperatoriis virtutibus, dum Iesus dicitur, propter solam spem nominis debebat fieri Imperator in difficili pugna, ab eo, qui iam odorabatur auspicatissimã tanti nominis in vẽturo Christo nomenclaturam. Et quo in discrimine Iesu nomen non fuit fœlicissimum salutis auspicium? Ierechuntini ciues erant omnes internicioni destinati; funditùs erat euertenda vrbs; sed vilis quædam meretrix dicta Raab sola inuenit salutem. Et vnde meretrix fœmina in certo perditionis periculo aditum inuenit saluti suæ? Ait textus Iosue capit. 2. *Misit igitur Iosue filius Num de Sethim duos viros exploratores in abscondito: & dixit eis: Ite, & considerate terram, vrbémque Iericho. Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis, nomine Raab.* Ecce tibi exploratores missi à Iesu Naue filio intrant domum meretricis, cuius in limine, vbi cœpit radiare nomen Iesu Imperatoris maximi, non potuit non eo etiam salus peruenire. Ait D. Chrys. ser. in Peccatricem, qui habetur inter D. Ephræmi opera, tom. 3.

Iosephus. Psal. 17. Egesipp. D. Paul. Syneſ. Iosephus. Orig. Iosue 2. Chrysost. Orosius.

Nihil mihi deſperandum eſt. Noui Raab meretricem in porta ciuitatis miſericordiam ſui peccati obtinuiſſe. Qui enim ſeruauit illam Ieſus filius Naue figuram veri Ieſu referebat, bona meretrici pro opere bono donans, & retribuēs. Sic igitur tunc nomen Ieſu ſalutem, & remiſſionem præbuit. Et quis iam deſperet in periculis videns nomen Ieſu, quando & meretrix euaſit liber in communi vrbis ſuæ excidio propter ſolum diuiniſſimi nominis auſpicium? Sanè vbi hoc nomen effulget, & ſi alia deſint, nemo nō ſibi ſperet omnia auſpicatiſſima. Aduersùs Imperatorem ſub hoc nomine inſignem nil poſsūt inimicorum inſidiæ; omnia penetrat, qui diuiniſſimum
Cant. 1. Ambr. nomen Ieſu ore fundit. Quò ſpectans illa Cant. 1. *Oleū effuſum nomen tuum.* Cur oleum effuſum? Ait D. Amb. lib. 1. Exam. c. 9. *Siquis inter aquas merſus oleum ore emiſerit: clariora facit ea, quæ profundi tegebantur occultis.* O diuini nominis auſpicatiſſima Imperatoribus virtus! Voluat Imperator hoc nomen in ore, ſub illius inſignibus viuat, & rideat inimicorum tegnas, rideat inſidias, occultiſſima quæque hoſtium conſilia penetrabit, & ponet in luce, vt ſui ſecuriſſimè viuant.

§. V.

Non multitudo vilis, ſed vel pauci præſtantes viri faciunt Imperium illuſtre.

NOn quiuis è vulgo aſſignantur Imperatori Ioſue, ſed illi, qui ſunt validiſſimi. Sic ait: *Elige viros.* Septuag. poſuere: *Elige viros potentes.* Non enim Imperatorem extollit multitudo, ſed præſtantia militum. Ex
D. Syneſ. quo ſapienter dicebat D. Syneſ. & Epiſcopus, & dux præſtantiſſimus epiſt. 131. *Paucos autem viros deſidero, qui viros non mentiantur. Ac ſi aliquos eiuſmodi nactus ero, quod cum Deo à me dictum ſit, bono animo ſum.* Non equidem bonus vir multitudinem ſpectabat, ſed præſtantiam, ſciens quod vel pauci viri præſtantes fortunatiſſimum, & inexpugnabile imperium faciunt. Tres ſolos vidit Nabuchodonoſor Dei ſeruos, qui ne Dei mādata ſoluerent, ſeſe tradiderunt flammis, & quod forſan maius eſt, nihili potētiſſimi tyranni æſtimarūt gratiam. Et ſolis iis viſis ſic de Dei imperio loquitur ſtu-
Dan. 3. pefactus Dan. 3. *Regnum eius, regnum ſempiternum, & poteſtas eius in generatione, & generationem.* Multorum exercituum Imperator ſolos tres Dei ſeruos videt, & Dei regnum admiratur, putátque illud ſempiternū eſſe, à nullo vnquam hoſte turbādum. Et cur Rex ſic admiraris Dei regnum, viſis ſolis tribus eius militibus, quando tu ingentes militum copias habes? Quid tres ſoli pueri, & captiui comparati cum prope infinitis ducibus tui exercitus? Sanè, quando ij tres inuenti ſunt, qui vel flammis imperent, qui non metuant ſibi à tyrannis, ſufficiens fundamentum eſt, quod vel illis ſolis putetur Dei imperium fore ſupra omnes mundiales.
Chryſoſt. Ait D. Chryſ. hom. de tribus pueris. *Mundi Dominum ex tribus pueris vocat, non ipſius imperium fine vllo cōcludens, ſed quoniam mundo opponendi tres pueri eſſent, propterea tot tyrannos, Reges, Principes prætermittens, qui ſibi paruerant tres captiuos, & ſeruos, admiratus eſt.* Equidem tres viri tales mundo vniuerſo opponendi, & præponēdi erant, vt ſui Regis oſtenderent imperium ſempiternum, & immortale. Crede mihi, non ſi Rex habeat ingentes militum copias, miniſtrorum turbas innumerabiles, ſed ſi habet vel duos, aut tres viros, qui viros nō mentiantur, qui ſciant vel regiis erroribus repugnare, & pro veritate intrepidi ſtare, regnum inexpugnabile, & immortale habet. Non equidem regni fœlicitas in multitudine conſiſtit, ſed in præſtantia. Hinc Ioan. c. 9. homuncio quidem cæcus natus vbi lumina per Ieſum recepit, non veretur Principum Ieroſolymitanorum tribunalia, mediis iis intrepidus pro veritate ſtat, medicíque ſui non dubitat virtutes prædicare, propter quod à communione populi ciectus eſt. Quid tunc? Ait Ioan. *Audiuit Ieſus, quia eiecerunt eum foras, & cùm inueniſſet eum, dicit ei: Tu credis in Filium Dei?* Ecce tibi quanta Ieſu cura fuit pro colligendo hoc eiecto homine, cùm primum illum nouit eiectum, ad illum venit, ſuámque illi prodit diuinitatem. Cur, Domine, tanti æſtimas vnū vilem, & eiectum hominem? Cur non magis ſatagis, vt tot Hieroſolymitanos Principes tibi adiungas? Ait D. D. Cyr. Cyrillus Alex. lib. 6. in Ioan. c. 20. *Oſtendit, quoniam plurimi fecit eius fidem, quaſi dicat: Iudæorum multitudo conuitiata eſt mihi in eo ſigno, quod operatus in te ſum: ſed nulla eſt mihi cura illorum. Vnius rei cura eſt, vt tu credas: melior enim eſt vnus faciens voluntatem Dei, quàm decies mille iniqui.* Nec enim in regno Dei, nec in regno hominum æſtimatur multitudo, ſed præſtantia virtutis, vt vnus ſit pro mille ad extollendum Regē, cui militat.

Exod. 17. Fecit Ioſue vt locutus fuerat Moyſes, & pugnauit contra Amalech. Moyſes autem, & Aaron, & Hur aſcenderunt ſuper verticem collis. Cúmque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſraël; ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech. Manus autem Moyſi erant graues. Sumentes igitur lapidem poſuerunt ſubter eum, in quo ſedit. Aaron autem, & Hur ſuſtentabant manus eius ex vtraque parte. Et factum eſt vt manus ipſius non laſſarentur vſque ad occaſum Solis.

§. VI.

Etiam ſub patentiſſimo Dei auxilio, non pertermittendæ humanæ diligentiæ.

VT iuſſus eſt Ioſue circa electionem virorum, & pugnæ inſtructionem, ſic omnia ad amuſſim perfecit, vt dicat textus: *Fecit Ioſue, vt locutus fuerat Moyſes*, &c. Et quidem hoc ſingulare fuit in hoc viro, quod cùm potentiſſimi nominis inſigniretur vocabulo, nulli diligentiæ pepercit humanæ, ſed vniuerſas executioni mandauit. Quod miratus Theodor. in cat. Lyppom. *Theod.* ait: *In illo quidem bello, dux ille eiuſdem nominis cum Saluatore noſtro trophæum hoc ſtatuit, huiuſcemodi nuncupationem adeptus, delectorum ad id virorum auxilio vſus, quemadmodum & Chriſtus Dominus ſanctis Apoſtolis cooperatoribus vti non recuſauit.* Expende illa: *Huiuſcemodi nuncupationem adeptus, delectorum ad id virorum auxilio vſus:* Quippe non illum à cura, & diligentia ſelligendi validiſſimos ſocios reuocauit, quod ſub diuiniſſimi Ieſu nomine pugnaret. Quin tantæ nuncupationis virtutem adeptus adhuc curat de valore iuuenum ſibi aſſociando in hoc ipſum Ieſus æmulatus, qui cùm eſſet potentia, & fortitudo patris, vt mundum debellet, non detrectauit ſocios colligere, agmen agere, & omnia extrinſeca procurare, quæ ad exoptatū finem videbantur ſpectare. Hæc eſt propria ſapientia maximorum virorum, quæ in Dei ſcholis traditur, vt ſub diuini adiutorij ſecuritate, non ipſi à diligentiis faciendis vacent. Quò ſpectans Pſal. 17. *Qui doces manus meas ad* *Pſal. 17.* *prælium, & poſuiſti vt arcum æreum brachia mea. Et dediſti mihi protectionem ſalutis*, hoc eſt *protectionem Chriſti*; ſic Hieron. *Vox Eccleſiæ ad Chriſtum ſalutis, quia ipſe eſt ſalus noſtra.* Et D. Ethan. in cat. Græca: *Salutari tuo me protexiſti. Salutare autem, & ſalus Chriſtus eſt.* Ecce tibi & tota Ieſu protectio, & defenſio exhibetur, & ſimul manus ad bella docentur, ne propter diuinum auxilium ſecurum prætermittatur aliquid neceſſarium militari prudentiæ. Sic Exod. 13. ait: *Cùm emiſiſſet Pharao populum, non eos duxit Dominus per viam terræ Philiſthiim, quæ vicina eſt; reputans, ne fortè pœniteret eum; ſi vidiſſet aduerſum ſe bella conſurgere, & reuerteretur in Ægyptū.* *Exod. 13.* Sed quando is, qui ducebat omnipotēs erat, exauliúmque ſuum efficaciſſimum habebat paratum ad omnes difficultates ſuperandas, cur neceſſum fuit cauere Philiſthino

viam meditari, vt ſecuri graderentur ij, qui ab omnipotenti ducebantur? Voluit Deus nos docere, vt prætextu diuini auxilij ſibi aſſerti non debeat homo prætermittere vllam diligentiam humanam, quæ conducere poſſet ad finem optatum. Ait D. Aug. lib. 2. in Exod. q. 49. *Hîc oſtenditur omnia fieri debere, quæ conſilio rectè fieri poſſunt, ad euitanda, quæ aduerſa ſunt, etiam cũ Deus apertiſſimè adiutor eſt.* Habeas manifeſtiſſimum adiutorem Deum; ſub eiúſque auxilio præſentiſſimo viuas; non ideò abſtinebis ab iis præſtandis, quæ ad rem tibi neceſſariam obtinendam conducunt. Huc trahe dicta tom. 2. in Euang. lib. 6. c. 7. §. 14.

D. Aug.

§. VII.

Quò oratio remotior ab oculis hominum, eò efficacior.

IN montis receſſu orabat Moyſes cum duobus ſolis cognatis, & in arena hoſtes Amalecitæ necabantur. Sic ait textus: *Moyſes autem, & Aaron, & Hur aſcenderunt ſuper verticem collis. Cúmque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſraël.* Manuum leuatio in receſſu montis fiebat, Iſraëlitarum autem victoria medio in campo conſpiciebatur. Sic ſemper oratio, quò ab oculis mortalium remotior eſt, manifeſtiora trophæa parit. Rem pulchrè ponderat Chryſ. apud Lyppom. aiens: *Pugnabat cum hoſte Moyſes abſens, cum exteris ſine bello decertabat, vt quem loci diuerſitas ab inimicis ſeiunxerat, orationis affectus bellatorem præſentem hoſtibus exhiberet: Fit Moyſe orante pugna occulta, ſed manifeſta victoria. Latẽter dimicat, vt euidenter deuincat.* Expende pulcherrima hæc verba, nimirùm: *Latenter dimicat, vt euidenter deuincat.* Quo enim magis latet orationis certamen, eò euidentiores de hoſtibus triumphos valet reportare. Quis neſciat clariſſimum fructum orationis in Anna illa Samuelis matre? Aduersùs ſteriliratem ſuam orabat illa, & filium habuit, qui vniuerſum populum illuminaret. Et qualis erat oratio tam illuſtri fructu ditata? Ait text. 1. Reg. 1. *Illa loquebatur in corde ſuo, tantúmque labia illius mouebantur, & vox penitùs non audiebatur.* Ecce ſigna efficaciſſimæ orationis, in intimo receſſu, & ſecreto cordis fiebat, ab omni audientium ſenſu remouebatur, quid mirum, vt ſic abſcondita oratio tam præclaros fructus crearet? Ex quo Paſcaſ. lib. 4. in Matth. ait: *Quid putas, Anna vt videretur, orabat? Non vtique, ſed clauſo oſtio, ſcilicet tacita conſcientia, vt exaudiretur in cubiculo, Deum, cui præſto ſunt omnia, rogabat. Et ideò exaudita eſt, quia cum eo, qui vbique præſens eſt, largiter flens in ſeſe interius verſabatur.* Itáque in cordis ſecreto fit oratio, quæ nullam repulſam patiatur. Vnde Actor. 9. Petrus ingreſſus domum defunctæ Thabitæ, vt orare voluit, omnes prius abiecit ſpectatores, dicit enim: *Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua orauit,* &c. Non antea ad orationem acceſſit, quam prius eiiceret omnes foras? Sed cur noluit orare coram illis? Meritò ait Lyranus: *Vt Deum ſecretius, & efficacius oraret.* Expende illud: *Secretius, & efficacius*; quaſi enim hæc duo coniuncta ſint, vt quò ſecretior oratio, eò efficacior appareat. Hinc de Suſanna dicitur Dan. 13. *Exclamauit autem voce magna Suſanna, & dixit: Deus æterne,* &c. Et mirabar, quod diceretur Suſanna exclamaſſe voce magna, cùm nulla ſit mentio, quod audiretur vox eius à pene innumera plebe, quæ illam circunſtabat. Et quãdo à nemine audiebatur, quomodo exclamabat voce magna? Equidem in eo maximè oſtenditur vox exclamantis fuiſſe apud Deum magna, quod à nemine mortalium fuerit percepta. Ait D. Hier. alibi datus: *Magna erat exclamatio eius Deo, quæ ab hominibus non audiebatur.* Non equidem poteſt non eſſe magnæ apud Deum efficaciæ oratio illa, quæ abſcondita eſt oculis mortalium. Huc trahe dicta tom. 3. in Euag. lib. 15. c. 3. §. 5. & tom. 1. in Vetus teſtamentum, lib. 4. cap. 3. §. 9.

Chryſoſt.

Paſcaſ.

1. Reg. 1.

Dan. 13.

D. Hier.

§. VIII.

Oratio hominis peccatoris iungatur externæ mortificationi.

QVando Moyſis mens erat intenta Deo, quid intererat, quod brachia laſſarentur, & inclinarẽtur, vt inde eſſet anceps victoria Iſraëlitarum? Sic enim ait: *Cùm leuaret Moyſes manus, vincebat Iſraël, ſin autẽ paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech.* Cur in re victoriæ manuum infirmitas ſpectatur, & non ſola rectitudo animi? Cùm animus erectus eſſet, quid, quòd manus demiſſæ agerent? Cur Deus habens Moyſis animum intentum, adhùc requirit eleuationem manuum? Res ibi agebatur hominum peccatorum, hominum murmuratorum, quorum oratio non ſic ex ſe ſola, quàm ex adiuncta etiam externa mortificatione per manuũ eleuationem oſtenſa Deo placet. De Paſtoribus veniẽtibus ad Ieſum natum dicit Luc. cap. 1. *Venerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio. Videntes autem cognouerunt de verbo,* &c. Vident paruulum, agnoſcunt ibi latens vitæ Verbum, laudant Deum; ſed hac laude exhibita contenti nihil aliud laborioſi obſequij præ ſe ferunt. Aliter Magi, de quibus Matth. 2. *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum,* &c. Seſe ad terram vſque deiiciunt notiſſimi Reges, & humi ſtrati diuinum adorant puerum. Compone modò paſtores cum Regibus: illi laudant Deum, ſed nec procidiſſe leguntur, nec externam corporis humiliationem exhibuiſſe: ij autem internis animorum obſequiis addunt & deiecti corporis reuerentiam. Et quando paſtores Deo adſunt laudantes ſolis vocibus, cur Reges laudibus ſuis adiiciunt humiliationem corporis externam? Ait D. Ang. hom. 9. de Epiphan. *Fortaſſe ergo illi paſtores minus rei, de ſalute alacrius exultabant; iſti autem Magi multis onerati peccatis, ſummiſſius indulgentiam requirebant.* Et quidem vbi de peccatis tollendis res agitur, multum fallitur, qui ſimplici oratione manet contentus, nec curat adiicere pœnalitates externas. Parum aut nihil proficit peccatori oratio, quæ non habet ſecũ aliquid in corpore laborioſi obſequij. Dicit námque Dominus Cant. 4. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*; vt oſtendat, quàm ſibi placeat thus orationis de adiũcta myrrha corporalis afflictionis. Ait enim ibi D. Greg. Papa. *Ad montem ergo myrrhæ, & ad collem thuris ſponſus vadit, quia eos familiariter viſitat, quos per mortificationẽ vitiorũ ad alta proficere, & per mundas, & humiles orationes ſuauiter redolere perſpicit.* In quo & oratio eſt, & ſimul afflictio corporis, in illo præſentiſſimus eſt Deus ad quem peccatorũ oratio rarò fructuoſa peruenit, niſi de adiuncto ſibi mortificationis obſequio. Vt hinc pateat orationis inefficacia in iis, qui in nullo ſtudẽt inſigne mortificationis, & humiliationis monſtrare. Exod. 33. Hinc peccatoribus Iſraëlitis dicebat Dominus Exod. 33. *Iam nunc depone ornatũ tuum, vt ſciam, quid faciã tibi.* Orabãt iſti peccatores ſub nullo humilitatis, afflictionisque habitu, ſub ſplendenti ornatu fulgentes; habebant quidẽ thura, quæ Deo litabant, mirrhæ autẽ inſigne non habebant. Quare Deus ſic ſe oſtẽdit illis, quaſi neſciat, qua via ad illos accedat, qua via ad illos miſericordiæ ſuæ dirigat fluenta; & monet orantes, vt adiũgant mortificationis inſigne, tollant ornatũ corporis, & in ſacco, & cinere orent, vt aditus inde pateat diuinis fluentis. Ait Ruper. lib. 4. in Oſeã: *Quandiu peccator ornatus incedit, quandiu pulchram ceruicem erigit complacẽdo ſibi, lætabundus quòd malefecerit, & exultans in rebus peſſimis; quodammodo neſcit Deus, quid faciat illi; neſcit miſericordia quali aditu ad illum veniat; idcircò conſilium offerens, iam nunc ait, depone ornatum tuum, vt ſciam, quid faciam tibi, id eſt, humiliare pœnitendo, vt miſereat tui.* Dum enim peccator humiliationis, & afflictionis indicia non prætendit; quaſi neſcit Deus vnde ad illum immittat beneficiorum ſuorum fluenta.

Cant. 4.

D. Greg.

Exod. 33.

Rupert.

§. IX.

Virtutum opera efficacissimam orationem habent apud Deum.

NIl dicitur Moyses clamasse, imò nihil petiisse à Deo, solùm manus eleuatas, & extensas ostendebat; & eo solùm victoriam nanciscebatur. Sic enim dicit: *Cùm leuaret Moyses manus, vincebat Israël.* Et cur manibus leuatis non addebat orationem, seu petitionẽ aliquam? Cur contentus sola eleuatione manuũ tacuit, nulla oratione vsus est? Solis eleuatis manibus contentus tacet Moyses, vt ostendat, quàm sint opera virtutũ vocalia, quam efficaciam habeant apud Deum. Mortua Dorcade Act. 9. mittunt discipuli ad Petrum, vt eum accerserent, si velit ad vitam reuocare sanctissimam, & vtilissimam pauperibus fœminam. Venit igitur Petrus, intrat defuncti cubiculum: *Et circunsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas. Eiectis autem omnibus foras*, &c. Ecce tibi viduæ, & pauperes nacti Petrum potentem facere, vt eorum benefactrix ad vitam reuocaretur, nihil ab illo petunt, nec verbum faciunt, sed solùm flentes ostendebant vestes sibi à defuncta præstitas. Cur non magis flagitant eius vitam? Cur non contendunt ab Apostolo, vt quam aliis refuderat, simul & huic tantæ fœminæ vitam præbeat? Cur de hoc tacentes, solùm eius misericordias ostendunt? Sapienter quidem tacent opera sancta defunctæ præ manibus habentes, quæ quidem omnium efficacissimè pro se loquerentur. Pulchrè ad hæc ait Arator lib. 11. in Acta.

Act. 9.

Non murmure tristi
Affectum pietatis agunt, nec ab ore frequentant
Instrumenta precum: Quidquid benefacta merentur
Officiis voluere loqui: vocisque repulsam
Elegere suæ
Quæ lacrymis fecit viam facunda gementi
Materia est, dixisse nihil, nimiúmque sonora
Causa petit, quod lingua tacet.

Quid pulchrius? Repulsam feret orantis lingua, vbi adsunt insignia opera agentis. Hæc ob oculos posita non egent linguæ labore, sed ipsa sunt vocalissima, ingentémque clamoris energiam habent, qua Dei omnipotentiam pro se trahant. Hinc Paul. ad Hebræos c. 5. de Christo Domino locutus, ait: *In diebus carnis suæ preces, supplicationésque ad eum, qui posset illum saluum facere a morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia.* Quæ verba referunt communiter Patres ad orationem factam à Iesu pro resuscitatione sui corporis. Sic Amb. Theodor. Oecum. Photius, Anselm. Primasius, D. Thom. Hugo. Sed vt benè notant D. Chrysost. & Theophyl. nusquam inuenies, quod Iesus petierit à Patre resurrectionem sui corporis. Lege Euangelia, & nullam Iesu orationem inuenies pro sui suscitatione. Quomodo ergo sustineri possunt verba Pauli, asserentis Iesum clamasse, & orasse, si hoc de clamore pro corporis sui suscitatione intelligatur? Sanè non referenda sunt verba illa ad aliquem clamorem linguæ, qui forsan in Christo Domino pro sui corporis suscitatione nullus fuit. Sed referenda sunt ad clamorem operum; dum enim Iesus virtutes operabatur, mala sustinebat, fundebat sanguinem; hæc opera validissimum clamorem, & efficacissimum habebant, vt mouerent patrem ad quæuis bona donanda. Quò respiciens Primasius, fatur: *Omnia, quæ Christus agit in carne, preces, supplicationésque fuerunt pro peccatis generis humani effusæ, sacra vero sanguinis eius effusio clamor validus fuit, in quo exauditus est.* Ecce cui tribuat clamorem validum Iesu, nimirùm eius effusioni sanguinis. Quippè sanguis Christi, qui effundebatur, nimis sonorum clamorem, & efficacem habeat apud Patrem ad exterminandam mortem, & peccatum.

Ad He. 5.

Primas.

§. X.

Oratio eius efficacissima est, qui se conformat Deo, quem exorat.

ELeuans Moyses manus virtutem à Deo obtinebat, qua inimicos debellaret, quando dicit textus: *Cum leuaret Moyses manus, vincebat Israël.* Et cur tam efficax virtus in eleuatione manuum monstrabatur, nisi quia sic Saluatoris crucifixi referebat imaginem? Cùm enim Deus eleuatis in cruce manibus mundum expugnauit, non miror, quod te crucifixo cõformans Moyses, manifestam orationi suæ indat efficaciam. Sic ait D. Max. apud Lyppom. *Eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipso quoque membrorum gestu passionẽ Domini fateamur. Tunc enim citiùs nostra exauditur oratio, cùm Christum, quem mens loquitur, etiam corpus imitatur.* Cũ te ad Christi formam componis, non miror, quod apud eũ efficacissimas tuas orationes facias. Nunquam enim non valet apud Deum oratio eius, qui se illi nititur cõformare. Visis Ægyptiis persequentibus Exod. c. 14. *Israëlitæ timuerunt valdè, clamauerúntque ad Dominum, & dixerunt*, &c. *Et ait Moyses ad populum: Nolite timere, state, & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie*, &c. *Dixítque Dominus ad Moysẽ: Quid clamas ad me?* &c. Vniuersi clamarunt, & vnius Moysis clamorẽ Deus meminit, aiens: Quid clamas ad me? Et cur inter omniũ clamores solus Moysis clamor à Deo audiebatur? Quid faciebat Moyses tũc, vt eius clamor prę cæteris valeret apud Dominũ? Moyses stabilitatem, & firmitudinẽ populis clamabat, aiens: *State, & videte*; eo tempore, quo Deus columnæ insidẽs populum ducebat, & ideò vox clamantis stabilitatem, non potuit non audiri præ cæteris à Deo, quando & ipse in columna stabili versabatur. Ait Rupert. ibi: *Moyses clamat: Nolite timere state, & videte magnalia Dei. Rectè igitur solum hunc audit illa columna nubis, illa columna ignis.* Quando Deus sub columna ignis, aut nubis aspectu visebatur, nullius vox citius ab eo auditur, quàm ea, quæ stabilitatem, & firmitudinem clamat. Nunquam enim non est efficacissima apud Deum oratio eius, qui se ad Dei formam procurat comparare. Huc veniat, quisquis amat nullam in oratione repulsam pati, & curet sese effingere in petitione ad normam Dei exorandi. Quò spectat Isaias cap. 55. fatus: *Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum properate, emite, & comedite.* Eos præcipuè vocat ad conuiuium, qui argentum non habent. Et quare ij præ cæteris vocantur? Quando is Deus, qui in conuiuio acquirendus erat, eiúsque negotianda gratiæ, qui cum dives esset, pro nobis pauper factus est, argentum minimè habens; meritò præ cæteris ad eum accipiendum illi vocantur, qui se in abnegatione argẽti illi conformãtur. Necessum enim est, quod ij apud illũ maximè valeant. Ex quo D. Amb. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 18. alio datus, ait: *Manducare sine argento, vt eum acquireret, qui non habet argentum.* Hæc diligentia maxima est, vt apud Deum valeas, si in affectu, quo est, te illi nitaris conformare. Hinc Diu. Chrysost. ser. 2. in quintam feriam Pass. monet accedentes ad sacram mensam: *Agnum comesturus, agni innocentiam præferat, nec immaculatæ ouis membra lupina malignitate transfundat in viscera.* Sic monemur conformes fieri Deo exorando, & suscipiendo.

D. Max.

Exod. 14.

Rupert.

Isa. 55.

D. Amb.

Chrysost.

§. XI.

Grauissimum est, & laboriosissimum homini in otiosa vita virtutem conseruare.

NVnquam mirari desiui grauedinẽ Moysis manuũ, quas minimè ipse solus diutius poterat erectas conseruare, cum Aaron, & Hur suas firmiter sustentarent. Ait enim: *Sin paululum remisisset, superabat Amalech. Manus autem Moysi erant graues. Aaron autem, & Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte.* Aaron, & Hur

& Hur manibus ſuis ſuſtentabant erectas Moyſis manus; & non laſſabantur eorum manus, cum & leuatæ eſſent, & præter hoc alias ſuſtentabant. Moyſis autem manus, quæ nullas alias ſuſtentabant, & in terram grauitabant, & laſſabantur. Vndè ergo prouenit, quod Moyſis manus adeò grauitent, & laſſentur, cùm nihil aliud agant, quã erectas eſſe; cum Aaronis, & Hur manus, quæ & erectæ ſunt, & præterea ſuſtẽtãt ipſas Moyſis manus, nec laſſentur, nec grauitẽt? Crediderim ideò horum manus non grauari, quia id faciebant, quo ſuſtentarentur erectæ Moyſis manus, has autẽ ideò grauari, & proprio laſſari pondere, quia nihil agunt. Grauiſſimum enim eſt, & laborioſiſſimum, quod velis ex vna parte ad cœlum erectas, & ex alia otioſas ſeruare manus. Inter dominicæ vineæ operarios fuerunt, aliqui à primo mane cõducti, qui aduersùs alios murmu-
Mat.20. rabant, dicentes Matt. 20. *Hi nouiſſimi vna hora fecerũt, & pares nobis illos feciſti, qui portauimus pondus diei, & æſtus.* Et quomodo, qui vna ſola hora laborarũt potuerunt fieri pares eis, qui pondus diei portarũt? Vndè illis potuit tantum pondus accidere, quod eſſet par põderi eorum, qui per integrum diẽ laborarunt? Sanè ij, dum alij laborabant, erant otioſi, quibus dictum fuit illud: *Quid ſtatis tota die otioſi?* Quod otium nõ poterat non eſſe operariis ſuper omnem laborem graue, & intolerabile, quando in illo ſic curabant eſſe, ne diſcederent à loco, in quo prompti eſſent Deo ad vineam ſuã
Orig. vocanti. Ex quo ait Orig. hom. 10. in Matt. *Nos autem, qui vndecima ſumus vocati, ſicut illi quidem non portauimus pondus diei, & æſtus, portauimus autem pondus, eo quod ſtetimus otioſi, antequam paterfamilias veniret ad nos, qui dixit nobis. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis. Onus enim erat otioſitas ipſa.* Duo genera hominum vocabat Dominus, alterum laborantiũ; alterum oneratorum. Onerati, & qui ſub onere gemebãt, erant otioſi illi homines, quibus & otioſos eſſe, & nihil agere, & onus, & pondus erat incomportabile. Huc
Iob 7. ſpectans Iob c. 7. ait: *Sicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui. Sic & ego habui menſes vacuos.* Cat. Græca legit: *Sic & ego ſuſtinui menſes vacuos.* Suſtinui, ait, vt oſtẽdat rem eſſe maximi ponderis menſes vacuos, qui nulla operatione occupantur. Operariorum, mercenariorúmque labores ſuum pondus habent, ſed qui maximè leuẽtur præmij præſtolatione; & ſic non dicitur mercenarius ſuſtinere labores, ſed præſtolari mercedẽ. At in actuoſa vita, quæ omni operatione vacua eſt, pondus habet abſque leuamine, quod ægrè, & difficulter poteſt ſuſtentari. Vt qui tot ærumnas ſuſtinebat, ad commendationem ſuſtinentiæ ſuæ, & ad eius difficultatem oſtendendam, hoc etiam addat, quod ſuſtinuerit menſes vacuos. Trahenda huc ſunt dicta 1. tom. in Euangelia lib. 2. cap. 1. §. 2. & tom. 1. in Vetus teſtam. lib. 1. cap. 1. par. 2. §. 11.

§. XII.

In Chriſto paſſo actionum noſtrarum infirmitas roboratur.

LAſſatæ Moyſis manus, oratióque eius remiſſa in eo explicata, vt roboraretur, lapis ſupponitur, dum textus ait: *Manus autem Moyſi erant graues. Sumentes igitur lapidem poſuerunt ſubter eum, in quo ſedit*, &c. Ad remiſſam orationem in manibus laſſatis, & grauatis oſtenſam roborandam lapis affertur, & ſupponitur? Et qui lapis poterit excipere, & ſuſtentare orationem remiſſam, niſi lapis ille angularis ab ædificantibus reprobatus, nimirùm Chriſtus Dominus? Equidem is eſt lapis hic reprobatus, & percuſſus, qui ſuppoſitus noſtris actionibus etiam languidis, illas valeat excitare, & roborare. Hinc quem lapidem vocat Moyſes in præſenti,
Cant.2. lectulum vocat in Canticis Dei amatrix. Dicit enim Cant. 2. *En lectulum Salomonis ſeptuaginta ambiunt.* Quid ais ſponſa, Moyſes vocat ad lapidem, tu vocas ad lectulum? Equidem vtrúmque eſt Ieſus pro nobis paſſus, & lapis, qui ſuſcipiat ſacrificia noſtra vt altare, & lectulus, qui etiam languidas, & remiſſas preces faciat in ſpem vitæ roborari. Ait German. Patriarcha Con- German. ſtantinop. orat. de Cruce in media Quadrageſima, apud Grethſerum tom. 2. fatus. *Sed ô crux, alloquor enim te, & rurſus labia à tuo in te amore abſtrahere renuo. Nunc quidem tanquam altare redde mihi placationem, & propitiationem; vt vero lectulus regius, reclina mihi orationem iam fatigatam, & dormiturientem.* Nihil non inuenit bonus doctor in lapide illo reprobato Chriſto Ieſu, eiúſque paſſione; inuenit enim in illo, & altare, & lectulum; altare, quod propitiationem referat, lectulum, qui ęgras, dormiturientes, & fatigatas orationes poſſit in vitam roborare. Quæ enim actionum infirmitas Chriſti paſſionibus iuncta non roboratur, & maximam firmitudinem capit? Huc ſpectans Dauid Pſal. 17. ait: *Qui perfe-* Pſal.17. *cit pedes meos tanquam ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuẽs me*, &c. *Et dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ, & dextera tua ſuſcepit me*, &c. *Dilataſti greſſus meos ſubtus me, & non ſunt infirmata veſtigia mea.* Ecce tibi quando vt ceruus currebat ſuper excelſa, ſuper prærupta montium, ſuper altiſſimam petram, nullam laſſitudinem, nullam infirmitatem ſentiebat. Sed quæ petræ erant illæ, quæ nullam laſſitudinem, aut infirmitatẽ currenti permittebant? Erat petra Chriſtus, quem qui ſpectat, etſi infirmus ſit, non paruum ſtatim robur ſentit. Ex quo ait Euſeb. in cat. Græca: *Qui Ieſum ſequitur, dum viam à Ieſu tritam tranſit, veſtigia interioris hominis, hoc eſt, animæ crura ſolidantur.* Mihi crede, non attinges Chriſtum, quin ab illo & robur, & firmitatem animi capias. Quid enim virtutis eſt, in Chriſti vulneribus nititur? Dicit Ioſue cap. 2. *Mortuus eſt Ioſue filius Nun,* Ioſue 2. *ſeruus Domini, centum, & decem annorum, ſepelierúntque eum in finibus poſſeſſionis ſuæ*: & D. Cyril. Alex. addit: *Et in ſepulcro eius poſuerunt cultros lapideos, quibus circuncidit filios Iſraël.* Et cur cum Ioſue mortuo cultri circuncisionis ponuntur? In Ioſue erat typus veri Ieſu, cuius morti innititur quæuis hominis virtus. Sic D. Cyril. Al. Cyr. Alex. lib. 4. in Ioan. c. 51. *Non enim abſque cauſa cultri eodem cum illo loco poſiti ſunt; verùm vt nos diſcamus circuncisionis ſpiritualis gratiam Saluatoris morti eſſe affixã.* Sic ibi.

Exod. 17. Fugauítque Ioſue Amalech, & populũ eius in ore gladij. Dixit autem Dominus ad Moyſem; Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Ioſue. Delebo enim memoriam Amalech ſub cœlo. Ædificauítque Moyſes altare & vocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea, dicens: Quia manus ſolij Domini, & bellum Dei erat contra Amalech, à generatione in generationem.

§. XIII.

Familiariſſimè debent proponi Regibus Principibúſque mandata Dei.

SEruilem timorem exuat, & familiaritatẽ eam aſſumat, qua poſſit Regib. appropinquari, qui illis notificat mãdata Dei. Sic enim monet Dñs Moyſem in præſenti: *Scribe hoc ob monimẽtũ in libro, & trade auribus Ioſue. Delebo enim memoriam Amalech.* Hoc ęp decreuit Amalech delendo, mandatur ſcribi in libro, & inſuper tradi aurib. Ioſue. Et notãter monet illud: *Trade auribus Ioſue*, non enim cõrentus eſt mãdare, quod id Moyſes diceret, aut narraret Ioſue: ſed maluit exprimere: *Tradi auribus*, vt oſtendat quam familiariter illi adhærere debeat, vt notificet hoc Dei mandatum. Sic Lyppom. Lyppom. in cat. ait: *Trade in auribus Ioſue. hoc eſt, inculca ipſi Ioſue, & familiariter indica, quod proculdubio dolebo memoriam Amalech.* Poſſet enim fieri, vt Moyſes Imperatori maximo victis hoſtibus reuertenti cum triumpho, eam exhiberet reuerentiam, qua procul ſtans, & à lon-

gè illum ſalutaret; quod præcauens Dominus, Moyſem præmonet, ne ſic afficiatur erga Principem in diuinis mandatis annunciandis, quin potius prope accedat, familiaritérque cum eo agat de Dei mandatis. Id, quod ſanctiſſimè ab antiquis ſeruabatur. Vnde de Aod dicitur Iudic 3. *Reuerſus de Galgalis, vbi erant idola: dixit ad Regem, verbum ſecretum habeo ad te, ô Rex. Et ille imperauit ſilentium: Egreſſíſque omnibus, qui circa eum erāt, ingreſſus eſt Aod ad eum, ſedebat autem in æſtiuo cœnaculo ſolus, dixítque: Verbum Dei habeo ad te.* Expende, vt primùm dixerit: *Verbum ſecretum habeo.* Secundò autem, non dixit verbum ſecretum, ſed *verbum Dei habeo ad te.* Et cur mutauit loquendi formam? Cur ſecundò nō perſtitit in eodem verbo, dicens rurſum, *verbum ſecretū habeo?* Cur nihil de ſecreto verbo dicens, ſolum meminit ſe habere verbum Dei ad Regem? Sanè, quando eiiciendi erant miniſtri, verbum ſecretum dixit ſe habere, ſic eiectis omnibus obtinuit, quod ſolus ad præſentiam Regis admitteretur. Sed quia id non ſufficiebat, vt facinus excogitatū perficeret, niſi propius, quaſi familiaris accederet, tunc non ſecretum, ſed verbum Dei dixit ſe habere ad Regem, ne fugeret Rex familiariter accedentem. Erat enim tunc ſanctū, quod verbum Dei familiariter Principibus diceretur. Planè 2. Reg. 14 Reg. 14. Ioab mulierem Thecuitem direxit ad Dauidem, quę compoſito ſermone traheret animum Regis, de qua ibi dicitur: *Itáque cum ingreſſa fuiſſet mulier Thecuitis ad Regem, cecidit coram eo ſuper terram, & adorauit, & dixit: Serua me Rex*, &c. Ecce tibi quanto cum tremore, & reuerentia, & adoratione, & genuflectione introducitur mulier nobilis, & ſapiens locutura Regē. 1. Reg. 12 Non Sic 1. Reg. 12. de Nathano dicitur, quin potius, ait text. *Miſit ergo Dominus Nathan ad Dauid. qui cùm veniſſet ad eum, dixit ei: Duo viri erant in ciuitate*, &c. Non procumbit Nathan, non pronus adorat, ſed quaſi æqualis, & familiaris adeſt Regi, ſuámque proponit narrationem. Et ſi credimus D. Baſil. Sel. orat. 17. hic Nathan erat in ſpecie homo vilis, & pauper. Sed quando mulier nobilis, & ſapiens non audet adire Regem, niſi prius ſe ad terram vſque demittat, ſummámque reuerentiam, & venerationem oſtendat; vndè pauper iſte homuncio ſic familiaris accedit, vt nec vlla præhabita adoratione incipiat alloqui Regem? Cauſam rei Baſil. Sel clarè ex textu deſignat D. Baſil. Sel. orat. 17. aiens: *Nathanum prophetam mittit Deus Prophetæ medicum futurum. Mittit hominem vilem in ſpecie ad eum, qui thronum inſidet, paupertati innutritum ad eum, quem ſceptra decorant.* Equidem mulier miſſa venerat à Ioab, Nathanus à Deo; illa Regi verba referebat, quæ Ioab poſuerat in ore eius; Nathanus verba promit Dei, quæ ſanent Regem. Indè illa cum tanta reuerentia, & timore, hic tam familiariter alloquitur Regem. Et expende pulchrum exemplum illis verbis contentum, nimirùm: *Nathanū mittit Deus Prophetæ medicum futurum*: quippè magnū diſcrimen eſt priuatorum hominum accedentium ad Regem, & medici accedentis. Priuatus, qui Regem cōuenit, licet nobilis ſit, & diues, multa adoratione, multo tremore accedit, à longéque humi procumbens petiones ſuas proponit Regi. At medicus, licèt natalibus vilis ſit homuncio, tamē fiducialiter ingreditur, & familiariter accedit, omniáque iubet, quæ Regi ſalutaria videntur. Sic qui verbum Dei Principibus proponit miſſus à Deo pro illorum ſpirituali ſalute, vt medicus accedat ea familiaritate, & fiducia proponat, quæ Principibus ſciat conuenire ad ſalutem æternā; qua medici corporales proponunt, quæ vitæ temporali conueniūt.

§. XIV.

Gratiarum actionis titulus omni alia victima ſublimior.

NVnc primo audio ædificatū à Moyſe altare, erectum Deo lapidem, ait enim: *Ædificauítque Moyſes altare, & vocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea.* Nec cùm audio altare, ideò puto pro victimis faciēdis ædificatum, vt putant aliqui, ſed magis puto cum Cornelio noſtro altare illud pro trophæo, & titulo grati erga Deum animi fuiſſe erectū. Adducit me in hanc ſententiam primum, quod nullā in præſenti inuenio mentionem victimarum: ſecundū, ipſum nomen, ſeu titulus affixus altari, qui proprior eſt lapidi pro trophæis, quam altari pro victimis erecto. Nec deſiderantur victimæ animalium, vbi in gratiarum actionem exaltatori Domino marmor erigitur; eſt enim hoc monimentū gratitudinis omnium victimarum præſtantiſſimū. Sic Luc. Luc. 17. 17. decem viri leproſi dum de Ieſu præcepto irent in templum, vt offerrent ſtatutas lege victimas, in itinere mundati lepra ſunt. Quid tunc? *Vnus autem ex illis, vt vidit, quia mundatus eſt, regreſſus eſt cum magna voce magnificas Deum, & cecidit in faciem ante pedes Ieſu, gratias agens*, &c. Et cur non magis hic feſtinauit ad offerendas victimas? Cur templi, & victimarum oblitus regreditur ad Ieſum, illi gratias acturus? Sed & illud notandū, quod videns Ieſus gratias agentem de ſalute, non mādat, quod offerat præſcriptas victimas; eſt enim gratiarum actio victima præſtantiſſima. Huc reſpiciens Tert. Tertul. lib. 4. in Mar. ait: *Vnum illum ſolutum ex decem memorem diuinæ gratiæ Samaritam miratus Ieſus, non mandat offerre munus ex lege, quia ſatis iam obtulerat, gloriam Deo reddens.* Qui gratus Deo omnia ſua referebat accepta, ſatis victimarum in hoc ſolo obtulerat, meritò ex hoc nō petitur alia victima. Sanctiſſimus ille Iob audita repētina filiorum ſuorum morte c. 1. *Corruens in terram adorauit, & dixit*, &c. *Sit nomen Domini benedictum.* Nihil aliud fecit, aut dixit pro filiis ſubitò interemptis in cōuiuio. Et qui dum filij viuerent, ſolicitus ne forte in cōuiuiis peccarēt, pro illis victimas offerebat. Ait enim textus: *Cúmque in orbem tranſiſſent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & ſanctificabat illos, cōſurgénſque diluculo offerebat hólocauſta per ſingulos. Dicebat enim: Ne forte peccauerint filij mei.* Ecce tibi dum conuiuia finiebant filij Iob, pater ſolicitus, ne forte in conuiuiis peccauiſſent, ſtatim ab holocauſta ſurgebat, & pro ſingulis ſingulas offerebat victimas. Nunc autem audit eos morte correptos in conuiuiis, & nullas pro eis dat victimas, nulla offert holocauſta, hoc vno contentus dicit: *Sit nomen Domini benedictum.* Cur non magis ſolicitaris, ne forte in peccatis mortui fuerint filij? Cur hac correptus ſolicitudine, non paras ſacrificia pro ſingulis mortuis, vt parabas pro ſingulis viuis? An caſus acerbitate oblitus es ſacrificiorum, & victimarum? Abſit hoc à viro piiſſimo, non equidem obliuiſcitur ſacrificiorum, ſed ad Sacrificium currit præſtantiſſimum, quod in actione gratiarum conſiſtit. Ad hæc ait D. Chryſ. hom. 1. in Iob in Chryſoſt. fine: *O beatam, profectóque generoſam, fœlicémque animā, celebrem Angelorum famam ſuperantem! Quare? Quia in omnibus, quæ ſuperuenient ei, non peccat Iob in conſpectu Domini. ſed pro his omnibus perfectam gratiarum actionem loco ſacrificij obtulit, dicens: Sit nomen Domini benedictum.* Pro victimis, pro ſacrificiis vnam gratiarum actionem offert Iob, & hac Angelorum ſuperat virtutes. Et quid non faciat hæc ſola gratiarum actionum victima? Leproſo illi ab itinere reuertenti, & templum, victimáſq; obliuiſcenti, vt ad gratiarum actionem rediret, dicit Dominus Luc. 17. *Surge, vade, quia fides tua te ſaluum fecit.* Luc. 17. Et quæ fides tantam ſalutem præſtitit homini? An qua credidit poſſe à Ieſu ſanari? an qua credidit præ gratiarum actione, & victimas alias debere reliqui? Accipite Tertul. lib. 4. in Mar. ſic definientem: *Ideò fides* Tertul. *tua te ſaluum fecit, audiuit, quia intellexerat veram ſe Deo omnipotenti gratiarum ſcilicet actionem apud verum templum, & verum Pontificem eius facere debere*: Indè fidei meritum ſalutem obtinuit, quia non ſic in templo lapideo, brutorúmque victimis confidit, vt in gratiarum actione vero Deo, & liberatori ſuo Ieſu exhibita.

§. XV.

§. XV.

Mundialia tribunalia raro potentissimorum tyrannidem confringunt.

ECce tibi diuini solij,tribunalísque cœlestis clarissimum insigne,nimirùm,ait: *Manus solij Domini, & bellum Dei erat contra Amalech à generatione in generationem.* Et quidem contra potentissimos Amalecitas, contra validissimos hominis nullius solij creati, sed solius solij diuini manus exercet iustitiam. Sententia mortis à Deo lata erat aduersùs omnes Amalecitas; electus eius sententiæ executor Saul Rex, impugnat ipse Amalech, vt omnia illorum perdat. Quid tunc? Ait 1.Reg. 15. *Percussítque Saul Amalech ab Heuila,* 1.Reg.11 *donec veniat ad Sur. Apprehendit Agag Regem Amalech viuum:omne autem vulgus interfecit in ore gladij. Et pepercit Saul,& pópulus Agag, & optimis gregibus eorum,* &c. Compone modò manum solij Saulis, cum manu solij Domini. Quippe manus solij Domini, & bellum Dei erat contra Amalech; manus autem Saulis potentissimo Amalecitarium pepercit spectans prædam de pretiosis eius. Pulchrè de Saule ait Ru- Rupert. pert. lib.3. in Exod. cap.21. *Iustitiæ vindictam imperante Deo,ipse ad prædam se conuertit.* Hoc est discrimen notissimum mundialis tribunalis, & diuini solij. Diuina tribunalia iustitiæ vindictam imperant in omnes,etiam potentes;nec aliud attendunt, quàm vt iustitiæ satisfiat,verum tribunalia mundialia præcipuè se conuertunt ad prædam parcendo potentibus. Fuerat iam decretum à Iudæis,quod Christi asseclæ extra Synagogam fierent. Tamen vbi Lazarus defunctus est Ioan. 11. Ioann. 11. *Multi ex Iudæis venerant ad Martham, &* Basil.Sel. *Mariam,vt consolarentur eas.* Rem miratus D.Basil.Sel. orat.40.inquit:*Vndè consolabuntur Iudæi dilectas à Christo,cum inter eos conuenisset, si quis eum confiteatur esse Christum, extra Synagogam fieret? An eas vt nobiliores honorati?* Equidem tribunalia humana ad potentes, præcellentésque personas facilè conniuent. Mulctant Indæi cæcum natum, si loquatur Christum, in nobilioribus, & potentibus magis dissimulant. Nunquam, mihi crede periclitatur nisi imbecillus, vbi mundiales exercentur leges. Qui potens est pecuniis, vel supellectili,raro,aut nunquam periclitatur in mundiali tribunali. Quando Saul non parcit potenti Agag etiam à Deo damnato? Quando dissimulata iustitiæ vindicta non spectantur optima spolia? Dum hæc considero, D.Valer. non multum resisto sententiæ D. Valeriani dicentis hom.de bono disciplinæ: *Nemo illum homicidij crimen euasisse æstimet,quem excusatum sæcularis iudicij corrupti sententia absoluerit. Ad confusionem magis præsentis vitæ, non ad absolutionem criminis pertinet authoritas sententiæ sæcularis.* Expende, quæso, ad quid dicat vir sanctus pertinere authoritatem sententiarum mundialium. An vt sic magis confirmaretur reorum liberatio?Non ad hoc,sed ad confusionem vitæ humanæ, quæ talis est, vt nullum pene in ea iustum iudicium exerceatur.

CAPVT XV.

Deus Moysi apparet in Sina.

Textus Historia.

AMalecitarum Percussione lætos, spoliis ditatos ad iter vocat Israëlitas suos ductor ex columna Angelus.Eadémque die illis, & profectio obtigit, & statio;illa à Raphidim,hæc ad radices montis Sina, in quo Israëlitæ liberationis prima fuerant cunabula. Nõ sustinet Moyses lentos multitudinis gressus, festinans ipse ad notissimum, & faustissimum sibi montem, ad quem diuinis nutibus vocabatur. Vix eius superat iuga,& Deus adest, à se in populum beneficia profecta perstringens,& expectans, si renuntiante Moyse, velint sibi adhærere populares. Nullus in tanta multitudine inuentus est, qui in beneficentissimi Dei seruorum censu non gaudeat numeri. Qui omnium affectus relatus per Moysem Deo, iubet omnes in diem tertiũ parari,vt nitidiori solito veste, animóque sanctiori effulgentes se intra certos terminos recipiant,lethale sibi putantes,si vel montis gramina calcent.

Impotens lætitiæ populus,tribus diebus inter maximæ spei, omniúmque bonorum inquietas imagines ductis, nitidissima in veste significat se ad Deum ire, cuius totus pendebat promissis. Interea densissima nubes montem opplet,è nube tonitrua horrendum quid strident,crebra fulgura micant, mons abit in fumum, vndique concutitur. Insuper fuerunt turbines,procellæ ventorum,ingentes funduntur pluuiæ,quæ portenta tristiora facit productus sonus tubæ, qua Angelus terrorem vniuersis infundit. Hæc inter Moyses securus verba cum Deo miscet,quæ possint à populo audiri; vocatúsque à Deo ad remotius montis cacumen obligatur denuo descendere ad suos, illísque grauius obtestari,vt montis accessum caueant tot plenum periculis.Cum descendente Moyse augetur montis horror,& tubæ sonitus vehementius producitur,qui articulata voce præcepta decalogi personare cœpit, præconio adeò horribili,vt populus timore concussus sese à permissa statione,proprius ad tabernacula reciperet. Hîc Moysem conueniunt omnes, enixéque petunt, vt tacente voce dominica, loquatur ipse quidquid sciuerit conducturum diuinis nutibus. Non displicuit populi exoratio Deo,qui iterum ad montẽ recepto Moyse explicat fore, vt aliquando è familia Abrahamidum vates surgat, qui humaniori, placidioríque voce Dei mandata populorum mentibus infigat. Interim nihil eripit terrori;sed inter remugentia tonitrua, clangorémque tubarum perseuerantibus,igne,fumo,caligine lex populo indicitur.

PARS MORALIS

in textus literam.

QVando de petra aquam dulcissimam habuimus, non erit abs re, quod de tonitruis, de fulminibus, eos etiam spectemus imbres, qui mentis faciant adolescere fructus.

*Exod.*19.Mense tertio egressionis Israël de terra Ægypti, in die hac venerunt in solitudinem Sinai.Nam profecti de Raphidim, & peruenientes in desertum Sinai castra metati sunt in eodem loco,ibíque Israël fixit tẽtoria è regione montis.Moyses autem ascendit ad Deum.

§. I.

Promptissimi obedientis signum est, quod nullum obicem creaturarum experiatur in accedendo ad Deum.

CAstris Israëlitarum fixis è regione montis Sina, Moyses ascendit in montem,in quo de redẽptione Israëlis mandatum acceperat,vt Deo peractam mãdati executionem referat. Sed illud notandum cum Caietano,quod non dicatur Moyses ascendisse in mõtem,sed ascendisse ad Deum; ait enim: *Moyses autem ascendit ad Deum.* Et quando mons erat cliuis, & dificilis,in quo ad Deum peruenit, cur non dicitur superauisse montem?Cur montis difficilia non proponũtur,vel superata à Moyse,vt Deo adesset?Faciebat hoc ad Moysis obedientiæ commendationem, quod nullæ aut terrarum,aut montiũ difficultates memorarentur in eius accessu ad Deum;sed sic dicatur accessisse,quasi nulli montis obices essent. Est equidem hoc perfectissimi obedientis testimonium euidens,si nulla creaturarum

turarum impedimenta ſentiat,vt Deũ conueniat.Hinc aſtutiſſimus ille Antipater paricidij accuſatus ad patrẽ
Eg. ſip. euolans, probabat ſuam in patrem obedientiam apud Egeſipp.lib.1.c.44.Etenim ait. *Ecce me pater ad te veni poſt Cæſarem,ad te feſtinaui à Cæſare.Tu me pater neſciens periculis obieciſti iubens pergere. Præſto ſum pater,nec perfunctoriè de leuioribus teſtibus requirẽdam pro ſalute mea veritatẽ æſtimo.Omnis homo mẽdax,dixit Scriptura.Ego defero incorruptibilia elementorum teſtimonia.Venio ad te per maria,& per terras,nuſquam aliquid paſſus. Abſoluat me pater apud te cœlum,quod non fulminauit,mare, quod non demerſit,terra,quæ non abſorbuit, per hæc ad te tutus venio pater,quæ non ſolent euadere,etiam qui non ſunt patrum genialium paricidæ.* Et meritò vocat incorruptibilia elementorum teſtimonia,à quibus nihil paſſus poſt peractum apud Cæſarem patris mandatum,ad patrem peruenit.Quod enim nec cœlum,nec terra, nec mare aliquid difficile tibi opponant ad patrem Deum reuertenti,hoc promptiſſimam mandatorum diuinorũ exẽcutionem, & omnimodam erga patrem obedientiam teſtatam exhibet. Abſalomus dum patris obedientiam contemnit,in illúmque rebellans bello fractus,pernici
2.Reg.18 mulo ſeſe periculis eximit.2.Reg.18. *Cúmque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter cõdenſam quercum,& magnam, adhæſit caput eius quercui,& illo ſuſpenſo inter cœlum, & terrã mulus,cui inſidebat,pertranſiuit.* Et cur tot mortes fugientem quercus tam miſerè detinet? Et quando à tot militum iaculis euaſerat in bello,cur permiſſus eſt venire in quercetus impedimenta? Forſan miſer iuuenis patríque inobediens non ſolùm à prælio fugiebat, ſed & in corde ſuo ad patrem confugiebat, & inde montes,& quercus fuerunt rebelli impedimento ne ad pa-
Egeſipp. trem accederet.Ait Egeſippus lib.1.c.44. *Abſalon fugientem arboris ſuæ ramis terra ſuſpendit, ne ad patrem peruenirет.* Obſunt creaturæ paternorum præceptorum tranſgreſſoribus, ne potiantur paternis acceſſibus. Quando enim tranſgreſſor non fuit creaturarum duritiei expertus in accedendo ad Deum? Acceperat mãdatum Dei Ionas,quod minimè ſuſtinens c.1.*Surrexit, vt fugeret in Tharſis a facie Domini.* Sed tempeſtate prępeditus mittitur in mare, à ceto abſorbetur, cuius in ventre ad Dominum confugit. Quippe ait c.2.*Et orauit Ionas ad Dominum Deum ſuum de ventre piſcis.* Ecce tibi vt contemptor diuinorum præceptorum,tandem reuertit ad Dominum. & facilem Dei aditum obtinet. Sed notãdum eſt,qualis redeat;redit enim vt captiuus duris creaturarum vinculis oppreſſus,& multis præpe-
Baſil.Sel. ditus compedibus.Pulchrè enim ait D.Baſil. Sel. orat. 20.*Tribulibus intempeſtiuè parcens Ionas fugit mittẽtem. Verum ignorabat a ceto deprehenſum ſe captiuum iterum Domino coram ſiſtendum.* Fugiebat rebellis Ionas, ne Dei obediens præceptis præiudicium ſuæ gentis videret,at ignorabat quanta habeant inobedientes in creaturis impedimenta; nam vel omnino impediunt, nec ad Deum accedant; vel faciunt,vt tanquam captiui,cõpedibus præpediti,catenis ligati accedant.Solius enim obedientiſſimi teſtimonium eſt, quod nulla creaturarum impedimenta ſentiat,vt ad Deum accedat.Vt di-
Eccl. cat Eccl.c.8.*Qui cuſtodit præceptum,non experietur quicquam mali.* Imò vt de fulminibus ait Iob facilem habebit ad Deum acceſſum. Sic enim dicit c.38. *Nunquid mittes fulgura,& ibunt,& reuertentia dicent tibi: Adſumus?* Facit equidem prompta obedientia in Dei militibus,vt poſt perfectum mandatum,nihil vereantur,nullam difficultatem habeant Deo ſe ſiſtendi imperanti. Quo inſigni extollebat ſuos Dominus per Zachariam
Zach.9. c.9.fatus: *Et circundabo domũ meam ex iis, qui militant mihi,euntes,& reuertentes.* Ecce perfectiſſimorum Dei ſeruorum inſigne,nimirùm,*euntes,& reuertentes*, quo eant ad opus exequendum, & nullum ſentientes impedimentum prompti, & alacres inueniantur in redeundo ad Deum.

*Exod.*19. Vocauítque eum Dominus de monte, & ait:Hæc dices domui Iacob, & annuntiabis filiis Iſraël: Vos ipſi vidiſtis,quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarũ,& aſſumpſerim mihi.Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactũ meũ, eritis mihi in peculium de cũctis populis.Mea eſt enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale,& gens ſancta,&c.

§. II.

Ille princeps facilius omnium dominatur,qui nulla rapitur auaritia.

VIde rationem à Deo propoſitam, vt ſibi Iſraëlitarum ſubiiciat animos,nimirùm: *Quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi.* Non enim otiosè meminit aquilas in portandis ſuis filiis. Et quando vniuerſæ volucres ſuos filios portant, illíſque maximè indulgent, cur Dominus relictis aliis, ſe aquilis comparauit?Cur in ſua gubernatione voluit potius referri aquilarum erga filios portandos charitatem? Ait Lyppom. *Commemorat ſe portaſſe populum ex* Lyppom. *Ægypto more aquilarum geſtantium dorſo, & alis pullos ſuos,præter morem aliarum auium, quæ illos pedibus,quo volunt,portant.* Compone aquilam cum cæteris auibus in portando filios,& auis omnis, & aquila filios portat ad tutiora receptacula, ſed aliæ aues pedibus ſuis pullos capiunt;qui dum portantur,neceſſum eſt,vt ſimul matrum portantium vngues experiantur. Sola aquila ſic portat dorſo filios ſuos, vt ipſi prorſus neſciant, an habeat vngues mater. Quare bonus Rex in regno ſuo fundando, vt ſibi magis obſtringat ſubditorum animos,aquilam ſe exhibet, ſic ſuis proſpiciens, vt nullas ſubditi in eo vngues experiantur. Proteguntur equidem homines à Principibus,& ad tutiſſima loca tranſportantur,ſed ſic tranſportantur,vt tranſportatoris,defenſoríſque vngues ſentiant in exactionibus,& tributis quotidie multiplicatis. Hinc murmura,hinc querelæ ſubditorum malè ferentium vngulas defenſoris. Quod in regno ſuo cauens Dominus, ad morem recurrit aquilarum,ſic ſe in ſuis tutãdis exhibens, vt nihil ab illis capiat, quo ſibi magis eorum obſtringat animos. Crede mihi, ille Princeps ſibi omnium rapit animos,in quo nihil rapacitatis,nihil auaritiæ, nihil prætextæ apparet neceſſitatis. Verus noſter Dominus, & Rex Ieſus,vbi mundum vniuerſum expugnare ſatagit, ſibique adſcribere,crucem aſcendit.Et ait D.Luc.cap. Luc.23. 23.*Crucifixerunt eum,& latrones,vnum à dextris,& alterum à ſiniſtris*, &c. *Diuidentes autem veſtimenta eius, miſerunt ſortes.* Aſcenderat equidem crucem ſine veſtibus,prorſus apparens nudus. Et cur bonus Rex, & Dominus eam elegit mortem, in qua ſine veſtibus nudus occumberet? Moriebatur, vt mundum expugnaret,vt ad ſe omnium traheret animos,& ideò nihil eorum voluit ſumere.Ait D.Thom.in cat.ex D. Ambro- D Thom. ſio:*Refert conſiderare,qualis crucem aſcendat, nudũ enim video,talis ergo aſcendat,qui ſæculum vincere parat, vt ſæculi adiumenta non quærat. Victus eſt Adã, qui veſtimẽta quæſiuit,victit ille,qui tegumenta depoſuit.* Cõpone Chriſtum,& Adamum,vtrunque creaturarum corporalium Principem.Chriſtus non habuit manus,quibus vel veſtem caperet, qua abiret è mundo;Adamus manus extendit ad fructus, quibus veſceretur, ad folia, quibus indueretur. Quid inde?Verus Rex noſter, vbi nil tulit de mundo,expugnauit mundum,omnia trahit ad ſe ipſum:Adamus autem,qui & fructus,& folia capiebat prætextu cibi, veſtitúſque, omnium ſubiectorum obedientiam amiſit.Huc ſpectans Eccleſiaſt.cap. 4.ait: Eccl. *Melior eſt puer pauper, & ſapiens, Rege ſene,& ſtulto:* quibus vt ſapiẽter notat noſter Pineda,nõ fit reſpectus ad corporales ætates pueritiæ, ſeu ſenectutis, ſed ad

virtutes

virtutes animi,vt puer sit instar Saul,de quo dicitur 1. Reg.13. *Filius vnius anni erat Saul,cum regnare cœpisset*, hoc est,sic malitiæ expers, vt puerulus anniculus. Senex autem Rex & stultus dicitur instar illius diuitis auaritissimi,cui Luc.cap.12. inquiunt: *Stulte hac nocte repetent animam tuam.* Compone modò Regem puerum malitia,& pauperem cupiditate, vt nihili æstimet diuitias cum Rege sene,& stulto: qui totus sit in trahendis sibi diuitijs; vter melior,vter conducibilior,vt imperium fœlicissimum asseras sibi? Proculdubio pauper ille diuitiarum contemptor,& regno sibi asserendo,& subditis erit vtilior. De Osiride Ægyptio Rege ad Regum exemplar efformato aiebat D. Synesius lib. 1. de Prouid. *Cæterum diuitias ipse quidem neglectui habebat; alijs verò,vt quam amplissimæ essent omni cura, ac diligentia prouidebat; vir vt in accipiendis muneribus restrictissimus,ita in dandis munificentissimus,liberalissimus. Tributa siquidem ciuitatis remisit, & in egenos largitione vsus est,cunctáque,quæ diruta, ac prostrata erant, refecit; aut iam labentia, atque inclinantia resarciuit; ciuitates quam ampliores,quã vetustiores reddidit,nouas aut extruxit penitus, aut desertas ciuibus frequentauit.* Sic in desertis etiam vrbibus frequentiam faciebat ciuium,contemptor diuitiarum,ab omnique rapacitate,& auaritia alienus Princeps.

1. Reg.13
Luc.12.
D.Synes.

§. III.

Quo beneficentior Princeps,eo potentior ad sibi regna asserenda. Vbi de potentissima Christi gratia.

AIt Dominus in præsenti: *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculiũ de cunctis populis. Et eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta.* Prius petit,vt mandata Dei seruent, & pacta omnia custodiant,vt deinde fiant populus Dei,regnum sacerdotale,gens sancta. Et quid mirum,quod de legis diuinæ obseruatoribus fiat gens sancta, regnum sacerdotale, Dei populus? Longè maius ait Petrus 1. epist.2. de Christianis temporibus: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium,gens sancta, & populus acquisitionis; vt virtutes annuntietis eius,qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum,* &c. Non quidem de legis obseruatione, sed de tenebris impietatis nos Iesus transtulit in eam claritatem,qua diceremur regale sacerdotium,gens sancta, populus acquisitionis. Et cur Deus,qui in Moyse expectauit, & petiuit prius legum obseruationem,& non nisi de obseruatoribus legis fecit regnum sacerdotale, gentem sanctam: in Christo, non de obseruatoribus,sed de contemptoribus, & tenebrosis hominibus fecit esse & gentem sanctam, & sacerdotium regale? Sanè in Moyse, & beneficia Dei in educendis Israëlitis, & simul Ægyptiorum supplicia proponebãtur, dicit enim in præsenti: *Vidistis,quæ fecerim Ægyptis, quomodo portauerim vos*, &c. In Christo autem sola beneficentia, eáque largissima absque supplicijs ostendebatur, quæ & potentior est, vt vel de tenebris lucem faciat. Ad hæc D.Basil.Sel.orat.25. ait: *Moyses Hebræorum doctor Dei cognitionis disciplinam Iudæorum filijs traditur, discipulorum animos Ægytiorum supplicijs ante percellit. Verum Dominus noster Iesus Christus restitutionem Apostolorum choro promulgans, non quibus alios puniuerit,eo ipsos docet, sed miraculorum, & humanitatis suæ fontes patefaciens,& commune valetudinarium aperiens miraculorum vi, quasi manu ducit animos ad Dei cognitionem.* Vt Dominus Iesus pura, & larga vtitur beneficentia ad trahendos animos, non suppliciorum rigores statim, sed beneficiorum aperiens thesauros,sic de contemptoribus fecit sanctos, de cæcis,tenebrosísque hominibus & videntes, & splendentes fecit stare. Vt meritò dicat Psal. 17. *Disciplina tua correxit me.* Alij legunt apud Genebrardum: *Mansuetudo tua multiplicauit me.* Non est medium aliud: sit in principe mansuetudo,qua omnibus benefaciat, & vel de rupibus faciet subditos sibi adstrictissimos. De Osiridis beneficentia locutus D.Synesius lib.1.de Prouid. ait: *Vt vno verbo dicam,nulla cuiquam res pro merito defuit; nisi si cui malum aliquod deberetur, cum eo verò pro meriti ratione non agebat,id enim magno studio efficere nitebatur, vt morum humanitate, & beneficijs etiam impudentissimos homines euinceret,ac sibi demereretur.* Sic humanissimus Princeps dissimulato supplicio, & agens beneficijs etiam de impudentissimis,improbissimisque sibi faciebat amicos. Est enim beneficẽtia omnium potentissima, vt vel rupes in homines transmutet. Quæ enim iniquitas resistere poterit potestati benefici Principis? Dixerat Paul.ad Galatas cap.4. *Vbi venit plenitudo tẽporis misit Deus Filium suum.* In qua temporis plenitudine meritò intelligit D.Ber. plenam bonorum temporalium potestatem,quando temporalia omnia magis vigebant,imò magis aduersùs Deum vigebant. Et mirabar, quod tunc Christus voluerit venire, quando temporum malitia plenior, & potentior erat. Et cur tanta malitia expectabatur, vt se nobis communicaret Filius Dei,nisi vt eius beneficæ virtutis efficacia ostenderetur,potens vel de pessimis hominibus sibi sanctissimum,regalissimúmque imperium asserere? Aiebat D. Prosper.lib.2. de vocat Gentium cap. 15. *Non priora, quasi incapacia declinata sunt tempora sed ista electa, quæ tales populos ediderunt, quorum ferox, & voluntaria iniquitas, non consulendi affectu, sed intentione sauiendi persisteret facere, quæ manus Dei, & consilium decreuerunt fieri,vt mirabilior esset gratia,& potentia Dei, quæ de tam duris animis, tam tenebrosis mentibus, tam inimicis cordibus fecit sibi populum fidelem, subditum sanctum.* Expende miraculum gratiæ Filij Dei,quæ nacta homines prorsus exleges,feros,crudeles,Dei hostes, ex illis sibi fecit electum populum, regale sacerdotium, sanctam gentem. Sic potest beneficentia facere de medijs tenebris lucem splendescere. Accinit Paul.ad Titum cap. 3. *Eramus aliquando & nos insipientes,incredduli,errantes, seruientes desideriis,& voluptatibus varijs, in malitia, & inuidia agentes,odibiles,odientes inuicem. Cum autem benignitas,& humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ,quæ fecimus nos,sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.* Quid malitia, & inuidia,& crudelitas, & perfidia cum salute? Vnde tot repugnantiæ vitiorum confringi potuerunt, vt homines ad perfectionis culmen adducerentur? An quia prius in obseruantia legali floruerunt? Absit,sed apparuit benignitas,& humanitas Saluatoris,potẽs feras in Angelos conuertere! Ait D.Prosper.vbi suprà: *Fremebant gentes, irascebantur populi, sæuiebant Reges,& potestates contradicebant,superstitiones,& totius mundi reluctabantur errores. Sed de resistentibus, furentibus, persequentibus populum suum Christus augebat,& per vincula, ac supplicia sanctorum fides roborabatur, vincebat veritas, pérque omnem mundum dominici agri segetis multiplicabatur vbertas.* Ecce tibi,quod potuit benignitas,& humanitas Saluatoris manifesta,de exlegibus hominibus fecit viros, qui per cruces, per mortes euolarent, vt suo Saluatori iungerentur. Ex quo Sidon. Appollin. lib.7. epist.4. ait de Præsule præstantissimo: *Testis est Vindicius noster, qui segnius domi pro munificentiæ vestræ fasce remeauit, quoquo loci est constanter affirmans, non esse vos amplius dignitate,quam dignatione laudandum. Prædicat sanctas, melleas, & floridas, quæ procedunt de temperata communione, blanditias; nec tamen ex hoc quicquam pontificali deperire personæ, quod sacerdotij fastigium non frangitis comitate,sed flectitis. Accipite consilientem; suspicio quidem nimis seueros, & imbecillitatis meæ conscius æquanimiter fero asperos mihi; sed, quod fatendum est, hisce moribus facilius humilitate submittimur, quam familiaritate sociemur. In summa viderit, qua conscientiæ dote turgescat, qui se ambientibus rigidum reddit; ego tamen morum illius*

1. Reg.13
Luc.12.
D.Synes.
Galat.4.
D.Prosp.
Basil.Sel.
Psal.17.
Apoll.
Ad Tit.3
D.Prosp.

amulator esse præelegerim, qui etiam longè positorum incitare in se affectat affectum. Meritò maximi iudicij vir in Præsule pluris æstimat benignam comitatem, & beneficentiam, quàm rigidum seueritatis affectum.

Exod. 19. Venit Moyses & conuocatis maioribus natis populi, exposuit omnes sermones, quos mandauerat Dominus. Respondítque omnis populus simul, cuncta, quæ locutus est Dominus faciemus. Cúmque retulisset Moyses verba populi ad Dominum, ait ei Dominus: Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum.

§. IV.

Periculosum est, quod à te in futurum faciendis nimis fidas,

NOn dubitat populus in futurum magna promittere: ait enim: *Cuncta, quæ locutus est Dominus faciemus.* In nullo dubitant, & sic fidunt faciendis à se in futurum, vt nullum vereantur periculum, nullam infirmitatem timeant, nullum auxilium precibus solicitent. Et quid posset protendere tanta confidentia in futuris, nisi imminentem iam istius populi ruinam? Simile
Matt. 26 quid inuenio in Petro Matth. cap. 26. vbi ait ad Iesum: *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Sic non metuebat tentationes, sic non æstimabat pericula, vt de faciendis in futurum indubitanter asseueret. Cur Petrus non magis caues futuras occasiones? Cur non meministi infirmitates hominum, qui hodie validissimi cum sint, in futurorum euentibus quasi infirmissimi labuntur? Cur cùm audis pericula imminentia, non magis curas solicitare auxilia, & præsentanea prece rogare pro firmitate futura? Sanè iam ibi parabatur Petri ruina; cùm sic indubitanter futuris
Chrysost. fidit. Ait D. Chrysost. hom. 83. in Matth. *Cùm dicendum esset, opem nobis feras, ne scandalizemur, è contrario nimium sibi arrogans, inquit: Non scandalizabor. Ita hæc sensim eum ad tetrum, & insolens crimen deuehebat.* Non debebat sic fidere futuræ dispositioni suæ inter adhuc innotas occasiones, vt non tangeretur aliqua præsenti cura, qua precibus auxilium solicitaret. Et dum in præsentiarum nullas fundit preces, non solicitat diuinum auxilium, sed de futuris certissimè statuit, hæc res illum sensim trahebat, vt inuolueretur fluento peccati. Proh communissimum hominum malum! Innumeri sunt, qui cum deberent semper soliciti esse de salute, diuináque auxilia quotidianis precibus, quotidianis virtutum operibus ad futurum vitæ tempus solicitare; omnia præsentia negligunt, certissimè statuentes, & absque omni dubio, quod in futuro facient. Fallar, nisi res hæc innumeros homines ad extremam ruinam rapiat. Quis enim non pereat ex ijs, qui sic indubitanter fidunt rei ex futuris adhuc euentibus con-
Luc. 22. stanti? Petro dicebat Dominus Luc. 22. *Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Non rogauit Dominus ne Petrus negaret, sed ne penitus euanesceret eius fides, quod sanè fieret, nisi Dominus pro illo rogaret. Sed cur cum omnes discipuli eodem modo expetiti essent à Satana, & tentationi traditi, Iesus pro vnius fide Petri rogauit? Cur non pro omnibus, sed pro Petro solo? Solius Petri in re perditionis peior erat causa; vt qui de faciendis à se in futurum confidit magis, nullâ rationis
Chrysost. humanæ infirmitatis, & periculorum habens. D. Chrysost. vbi suprà fatur: *Cur nam, si omnes expetiit, pro omnibus non deprecatus est? Patet hinc, quod dicebam, quia vehementius eum tangens, & ostendens multo peiorem eius, quam aliorum lapsus esse, ad eum conuertit orationem.* Equidem maior semper ruina venit de nimia confidentia in futuris, quàm de alijs. Quodlibet malum aliud vt præsens est, potest etiam præsenti medicina curari; at nimia confidentia pro futuris faciendis, vt semper præsentia remedia tollit, sic relinquit malum ineuitabile. Fœlix ille, qui non sic in futuris confidit, sed magis curat præsentibus operibus cum Deo negotiari. Sic Psal. 60. fatur: *Sic psallam nomini tuo Deus in sæculum sæculi, vt reddam vota mea de die in diem.* Expende, quod sibi præscribat tempus faciendi, nimirùm *de die in diem*; non in futurum, sed singulis diebus se Deo vacare testatur, quo nullum timet euentum venturum. Pulchrè ait D. Valerianus hom. 4. in hæc verba: *Nunquid dixit de anno in annum, sed dixit de die in diem? Omni ergo die operandum nobis est, dilectissimi, debitum autem Deo, & promissum munus non est tempore prolongandum. Nihil futuro iudicio debet, qui quotidie vota persoluerit, nec est vnde rationem in posterum præstet, qui de die in diem Domino bonorum operum fructus iusto labore ditatus obtulerit.* Sic firmat suas spes, qui non in futuris, sed in præsentibus nititur; & dum nihil reseruat in posterum, futura omnia potius formidat. Quò trahenda sunt plura ex tomis in Euangelia; præcipuè quæ tom. 2. lib. 6. cap. 3. §. 37. dicuntur, & tom. 1, lib. 4. cap. 4. §. 13. & alibi.

Psal. 60

D. Valer.

§. V.

Amat Deus laborum nubila, quæ in serenum decidunt.

QVi lucem habitat inaccessibilem Deus non detrectat Moysi apparere in caligine nubis, sic enim modò fatur: *Veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus*, &c. Et cur Deus lucis amator, & conditor non magis horret caliginem? Qui reprobos spiritus, suósque hostes æternæ tradit caligini, cur modò ipse in caligine venit? Sanè, vt populus Israël à caliginosa Ægypti terra caliginosa, & tenebrosa eductus apparuit seruitute; vel ipse Deus non detrectat caliginem, quæ non impedit, quo minus eatur in lucem. Nota est Eliæ historia, quando in montem fugit, ibi, erat, vt Deum al-
3. *Reg.* 19 loqueretur. 3. Reg. 19. *Et ecce Dominus transit. & spiritus grandis, & fortis subuertens montes, & conterens petras ante Dominum; non in spiritu Dominus; & post spiritum commotio; non in commotione Dominus, & post commotionem ignis, non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis.* Et in sibilo suaui veniebat Dominus. Sic ibi cõtigit: verum Iob. cap. 38. dicit: *Respondens autem Dominus Iob de turbine, dixit*, &c. Ecce tibi coram Elia refugit Dominus esse in commotione, refugit esse in igne frementi, refugit esse in turbine, solùm amat suaue, & dulce sibilum auræ tenuis; verum coram Iob non detrectat Dominus in turbine venire; quin potius approximans in turbine Iobo cum eo loquitur. Et cur in Elia fugit turbinem, quam amat in Iobo? In Elia persecutionum turbo multa mala fecerat, pene vniuersum Israëlem separauerat à diuino cultu, vt destructis aris, tẽplísque solus Elias relictus videretur. Sic turbo persecutionis vastauerat vniuersa, & omnes in pœnam æternam inuoluebat. Non sic in Iobo quem malorũ turbo Deo coniũctiorem fecit. Vbi autem Deus turbines, procellásque nocentes videbat, ab illis abstinuit; vbi autem vidit in Iobo procellas, quæ non in malum, sed in bonum essent, iam amabit ipse vel in procellis videri. Ait Diu. Methodius in cat. Græca: *Quoniam turbo tempestatis est author, nec Iobi fides in tempestate malorum vllum naufragium fecit, sed multo magis eluxit, idcircò Deus ad superioris ærumnæ procellam significãdam, procellã item, dum loquitur, sumit.* Fuit equidem Iobo procella, & miseriarum caligo salutaris, adeò vt nihil in ea virtutis periret, sed omnia in melius irent: idcircò corá Iobo Dominus procellam intrat, nec detrectat turbinis caliginem, quam nouit non obesse, sed prodesse. Vt hinc nos discamus, quæ debeamus mala fugere; ea nimirũ mala, quæ à Deo separant, quæ æternã perditionẽ inferunt, & prorsus sustinentur inutiliter; ea prorsus

Iob 38.

D Met.

fugien

rugienda nobis sunt, quæ autem vtilia sunt ad salutem, ea non fugienda, sed amplectenda sunt, vt in quibus possit apparere Deus ipse. Crede mihi, nihil æquè fugiendum est, quàm mala inutilia; quod enim malum non trahit in peccatum, sed ab illo liberat; hoc malum vel à Deo ipso potest assumi. Id, quod multis probans D. Theodotus hom. de Nat. Christi habita in appendice 5. Concil. Ephes. cap. 2. tandem finit: *Noli detrahere abiectioni, qua tyrannis diabolica est destructa. Noli exprobrare, quia casus est Deus palmis, per quas, à peccatis homines liberauit. Non vincula Deo dicamus indigna, quibus vincula ferarum nequitiæ soluit. Noli vituperare crucem, quæ destruxit aras. Noli despicere clauos, quibus Christus orbem terrarum ad vnum sensum pietatis infixit.* Nullum puræ pœnalitatis malum censetur Deo indignum, si in triumphum, & non in damnum mutandum sit. Hinc Matt. 20. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget.* Scit Iesus sibi Hierosolymis manere verbera, approbria, mortes, & intrepidus contendit ad illa. Non sic apud Bethleem, imò cum Herodes fureret, mortémque puero parat, statim Angelus ad Ioseph Matt. 2. ait: *Accipe puerum, & Mariam matrem eius, & fuge.* Ad mortis odorem fugæ se dedit Iesus, à cœlestibus omnibus vocatur ad fugam. Cur modò fugitur mors simplex ab eo Domino, qui supra ad flagella, ad approbria, ad mortem intrepidus ibat? Sanè ibi finiendæ erant mortis iniuriæ cum clarissimo resurrectionis triumpho, ait enim: *Resurget tertia die*, at in præsenti nullus erat decretus triũphus infanti occiso, ne miremur, quod amplectatur Deus iniurias, quibus triumphat; & fugiat illas, quibus nullus triumphus datur. Ait D. Chrysol. ser. 150. *Christus fugit, vt cedat tempori, non Herodi: nec enim mortem fugit, qui venerat de hoste reportare victoriam. Christus, si mactatus, in illo grege lactentium tunc fuisset, mors ei casus fuerat, non voluntas, non virtus fuerat, sed infirmitas maiestatis gloria non fuisset.* Vbi reportãda victoria erat nulla mors, nulla iniuria à Deo fugitur; vbi autem nullus triũphus apparet, sed infirmitas, fugiendæ ibi sunt vel malorum vmbræ. Huc traho Tertullianum lib. 2. in Marcionem, vbi ait: *Deus non potuit humanos congressus inire, nisi humanos & sensus, & affectus suscepisset, per quos vim maiestatis suæ intolerabilem vtique humana mediocritate, humilitate temperaret, sibi quidem indigna, homini autem necessaria, & ita iam Deo digna; quia nihil tam Deo dignum, quàm salus hominis.* Sic dum abiectio secundùm se consideratur, indigna Deo est; vbi autem consideratur, vt necessaria saluti humanæ, iam Deo dignissima iudicatur.

Exod. 19. Vade ad populum, & sanctifica illos hodie, & cras, lauéntque vestimenta sua, & sint parati in diem tertium. In die enim tertio descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai. Constituésque terminos populo per circuitum, & dices ad eos: Cauete, ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius. Omnis, qui tetigerit montem, morte morietur. Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis, siue iumentum sit, siue homo, &c.

§. VI.

Tunc te diuinis excipiendis maximè aptas, cum dominicæ passionis in te aliquid exhibes.

TRiduana præparatio requiritur in his, ad quos Deus accedat; ait enim. *Sanctifica illos hodie, & cras, & sint parati in diem tertium.* Cur in diem tertium? Ne Deum expectent sine aliquo passionis dominicæ opere, quæ fuit in triduo perfecta. Tunc enim satius quis disponitur ad diuina recipienda, cùm se in operibus conformat passionis dominicæ sacramẽto. Hinc Mar. 8. dicitur: *Cùm turba multa esset cum Iesu, nec haberent, quod manducarent, conuocatis discipulis ait illis: Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me.* Non antea Iesus de misericordia facienda turbis loquitur, quàm illas vidit tribus diebus ieiunas. Et cur expectauit ieiunium trium dierum, nisi quia in triduana illa patientia sese conformabant dominicæ passionis triduo, per quod ad nos descendit misericordia diuina? Ex quo D. Hilar. canone 15. in Matth. ait: *Ordo igitur idem in sermone Domini est, qui in consequenda gratia manet. Ad verborum sponsionem, quædam rerum ipsarum veritas consequatur, toto in ieiuniis passionis dominicæ tempore demorantes, quadam Domino compassionis societate iunguntur. Et huius spei, atque comitatus Dominus misertus ait: triduum secum esse.* Hic est ordo legitimus pro recipienda Dei gratia, ne totus homo hæreat verborum promissionibus, sed opera verbis addat. Et quæ opera? Ea nimirùm, quibus conformis Iesu passo sit; vt totum passionis illius tempus, nimirùm triduum, & nos in pœnalibus exercitiis agamus, cuius comitatus memoria Deũ stimulabit, vt in nos effundat fluenta gratiarum. Quò spectabat illud Ionæ cap. 2. de quo dicit: *Et erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus. Et orauit Ionas ad Dominum Deum.* Antequam labia moueat in Dei laudes, dicitur Ionas fuisse in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus. Triduum sustinet arctissimi carceris, & sic audet animum in oratione ad Deum leuare. Et meritò nec ad os trahit Deum, antequam tridui patientia eius in se repræsentet mortem, & sepulturam. Ait enim D. Basil. Sel. orat. 13. *Ionas malorum tolerentia Christum est potius imitatus, quam verbis prædicarit: nec verbis Domini sepulcrum prædixit, sed in ceto sepultus, & post triduum sine noxa redditus omnes docuit mortales de sepulcro vitam erumpere.* Ecce tibi, vt in triduana malorum tolerantia Iesu mortem imitabatur, & eius resurrectionis triumphum prægustauit. Vbi enim non verbis solum, sed veris operibus tolerantiæ Christum referebat, maximè instruebatur, & vitam in se capere, & aliis annunciare. Validissima est tridui dominicæ mortis repræsentatio ad hoc, vt vel totus mundus instruatur, vt ingentia Dei beneficia capiat. Sic Ionas ipse ingressus Niniuem dum clamat iuxta Septuag. cap. 3. *Adhuc tres dies sunt, & Niniue subuertetur*, ad hanc vocem commota ciuitas per totos tres dies pœnitentiam egit, & quid non obtinuit triduũ pœnitẽtiæ? Sanè vt in triduo exprimebatur dominica sepultura, sic per triduanam pœnam tota ciuitas se aptauit, vt misericordiam reciperet ex Deo. Ait D. Ephræ serm. de Pœnit. *Tribus diebus Ionas prædicauit. Tres dies Saluator in sepulcro egit, & tres noctes, vt ostenderet etiam peccatores, qui tenebris obducti sunt, resurrecturos. O pœnitentiæ gratiam, quoniam mundum tribus diebus instruxit.* Ecce tibi quid potest tridui pœnitentia triduanæ Christi respondens sepulturæ, potest mundum ipsum instruere, vt Dei misericordiã recipiat.

§. VII.

Triduana in virtutibus exercitatio fausta est volenti ex Deo salutem trahere.

VSque in tertium diem iubentur Israelitæ parari per sanctificationem, & vestium ablutionem, vt Dei excipiant magnalia. Sic enim dicit: *Sanctifica illos hodie, & cras, lauéntque vestimenta sua, & sint parati in diem tertium.* Et quando trium dierum exercitatio in virtutibus non sit fausta, & auspicata hominibus? Arentem nuptialem mensam apud Cana Galilææ rigauit Dominus Ioan. 2. educto ex aquis vino, conuiuis gratissimo;

tiſſimo; ſimul & famelicos homines ſupra quinque millia ſatiauit paucis panibus inter illos diſtributis Ioann. 6. Neque hoc ſemel, ſed iterum Marc. 8. dicit: *Cùm turba multa eſſet cum Ieſu, nec haberent, quod manducarent, conuocatis diſcipulis, ait illis: Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me*, &c. Ecce tibi vt iam miſericordia diuina accingitur ad repetendum miraculum panum, vt tribuat hominibus. Sed nunquam repetiuit miraculum vini: cur ergo noluit ſecundo facere miraculum vini, cum miraculum panum faciat ſecundo? Aut quò merito adductus eſt, vt ſecundò panes multiplicet? Ipſe ait: *Quia ecce iam triduo ſuſtinent me.* Vbi triduana inuenta fuit exercitatio virtutum, non ſe amplius continuit miſericordia diuina, quin in ſalutem hominum proſiliret. Ait Victor Antioch. ibi: *Vt iam antea eſcas multiplicauerat, ita nũc denuo idem ſignum inſtaurat, vtrobique commoda ratione. Ea erat præſenti loco, inuicta plebis, quæ eum ſequebatur, perſeuerantia. Nam triduo, vt hic ſcribitur, illum iam ſuſtinuerat.* Vbi tridui ſuſtinentia in virtute apparuit; ſimul & ratio apparuit efficax pro diuina miſericordia ſolicitanda. An negabit ſe Deus clamoribus triduanis? Seueriſſimus ille vates Ionas cap. 3. ſic iuxta lectionem Septuag. ad Niniuitas clamabat: *Adhuc tres dies ſunt, & Ninive ſubuertetur.* Et cur ſubuertendæ tantæ ciuitatis ſolus terminus trium dierum datur? Sanè triduum ſubuerſioni præfigitur, quia ſi reſipiſcerent, in ipſo termino tridui ſpem ſalutis conciperent. Quò ſpectans D. Ephræm ſer. de Pœnit. inquit: *Soluite, inquit Dominus, templũ iſtud, & in tribus diebus ſuſcitabo illud. Et pœnitentia dicit Niniuitis: Adhuc tres dies, & Ninive ſubuertetur. Oppone ſermonem ſermoni, ac verbum verbo; & in Chriſto cõperies explicata pœnitentiæ verba. Ille ſuſcitare promittebat; & hæc euerſionem comminabatur. Non minis terruiſſet pœnitentia, niſi futurum eſſet, vt ſanaretur. Non excitaſſet Chriſtus ciuitatem peccantium, niſi reſipiſcentiæ eorum ſpes fuiſſet.* Eo enim ipſo, quod peccatrix ciuitas per triduum excitaretur ad pœnitentiam, illámq; ageret in cinere, & cilicio, iam non ad euerſionẽ pertinebat, ſed ad ſuſcitationem per Chriſtũ. Viſcebatur in triduo deſignato à propheta ad mortem, & triduum deſignatũ à Chriſto ad vitã. Nequibat ergo fieri quod triduo pœnitentes nõ conciperent ſpẽ ſalutis, quà pertinerent ad Chriſtum. Vnde de iis tribus diebus locutus Diuus Baſil. Sel. orat. 12. inquit: *Angustis dierum terminis comminatio concluditur, lata autem via ad pœnitentiam aperitur.* Latiſſima enim eſt via trium dierum, & fauſtiſſima pro negotianda ſalute.

Mar. 8.

Ionas 3.

D. Ephr.

Baſ Sel.

§. VIII.

Diuinitatis vbi notitia infundebatur, & Trinitatis dabatur ſignum.

VEnturus Deus in montẽ Horeb, ibíq; ſeſe Iſraëlitis manifeſtaturus triduanam in illis præparationem prærequirit, dicens: *Et ſint parati in diem tertium. In die enim tertio deſcendet Dominus coram omni plebe*, &c. Et cur in die tertio, niſi vt aliquod etiam ſignum Trinitatis exhiberet? Solebat equidem Deus, vbi ſeſe manifeſtabat, aliqua etiam ſigna præſentiſſimæ Trinitatis exhibere. Sic Gen. 18. exiſtens Abraham in oſtio tabernaculi ſui; *Cùm eleuaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum, quos cum vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui, & adorauit in terram.* Proculdubio, quem ſic adorat vir ſanctus, Deum eſſe præſentit. Sed quando Deus erat, qui apparebat, cur in tribus viris ſe oſtendebat? Ait D. Ambr. lib. 1. de Abraham cap. 5. *Vide primo fidei myſterium. Deus illi apparuit, & tres aſpexit. Cui Deus refulget, Trinitatem videt, nec ſine Filio Patrem ſuſcipit, nec ſine Spiritu ſancto Filium confitetur.* Expende illa: *Cui Deus refulget, Trinitatem videt*; quippe non loquitur de expreſſa, & clara Trinitatis notitia, ſed de aliquibus eius ſignis, cum quibus ſemper apparebat Deus, vt ſimul cum diuinitatis notitia haberentur etiam ſigna Trinitatis præſentiſſimæ. Hinc Ioan. cap. 2. ait Dominus: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Cur in tribus diebus, niſi vt innueret in ſui reuelatione Trinitatis notitiam? Ait Diuus Ephræm ſerm. de Pœnit. *Per tres dies mors ſoluta eſt, per tres remiſſio datur: quoniam & per tres dies reſurrectio facta eſt. Poterant in momento, in ictu oculi, omnia fieri; ſed ob myſterium Trinitatis intra triduum hoſtem gratia ligauit, non quod impotens eſſet citra eos, (nimirùm tres dies) agere, quæ oportebat; ſed vt myſterium oſtenderetur diuinitatis.* Ecce tibi vbicunque diuinitatis myſteria oſtendebantur, etiam præſentiſſimæ Trinitatis ſigna dabantur, vt ſic in vero Deo accepto diſponerentur etiam rationes ad diſtinctionem recipiendam perſonarum. Sic & Iſaiæ cap. 6. dum Deus ſuper ſolium excelſum, & eleuatum oſtenditur, ſimul & Seraphini clamabant ter, Sanctus, Sanctus, Sanctus, ne diuinitas innoteſceret, ſine repræſentatione aliquali Trinitatis.

Gen. 18.

D. Amb.

Ioann. 2.

D. Ephr.

§. IX.

Ea eſt caſtitas Deo grata, & propinqua, quæ vel in veſtibus apparet.

DVo requiruntur ex Iſraëlitis, vt Deo approximẽt, nimirùm vt ſanctificentur, & lauent veſtimenta ſua; dicit námque: *Sanctifica illos hodie, & cras, lauéntque veſtimenta ſua*; & per ſanctificationem intelligunt communiter caſtitatis munditiem tantam, vt à licitis etiam vxorum amplexibus abſtineant. Id, quod ipſe Moyſes inſinuans, dum ſanctificationis tradit doctrinam, inquit: *Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus veſtris.* In eo ergo populus ſanctificabatur, quod docebatur caſtitatis omnimodam munditiem tantam, quæ & abſtineret à licitis. Et quãdo tanta animi, corporíſque mundities mandabatur, quid neceſſum fuit addere illud: *Lauéntque veſtimenta ſua*? Quid veſtium lotio intererat, vbi tanta mentis, & corporis præcedebat mundities? Et quando internæ ſic erat nauanda opera munditiei, cur etiam requiritur de lauandis etiam veſtimentis cura? Meritò & veſtium lotio petitur, vbi caſtitatis mundities tanta in anima prærequiritur, quia caſtitas interna ea eſt apud Deum æſtimationis plurimæ, quæ etiam in externis veſtibus, ornatibúſq; exprimitur. Hinc de Ioanne Baptiſta, qui in nuptiarum tempore virginitatis coluit munditiem dicit Mar. cap. 1. *Et erat Ioannis veſtitus de pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos eius.* Cur Ioannes tam ſimplicem & auſterum, veſtitum de pilis camelorum, animalibúſque è mortuis confectum ſibi habuit? Pulchrè ait Aymon hom. 1. de communi confeſſoris: *Non erat de immundis; ſed caſtitatem, quam in mente habebat, in ipſo habitu corporis demonſtrabat.* Ecce tibi & Chriſti, & Chriſtianæ virginitatis præcurſor, vt internam munditiem caſtitatis etiam præ ſe fert in habitu; & facit, vt quidquid voluptati auerſum mente voluit, infingit animo, exprimatur etiam externo veſtitu. Sic Paul. 1. ad Corinth. 6. dum pudicitiam perſuadet, tandem finit: *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* Ex eo enim, quod longè à laſciuia abſcedamus; Sic Deo propinqui ſimus, vt illum gloriosè in corpore noſtro portemus. Sed quæ illa erit laſciuiæ fuga adeò excellens, qua mediante in corpore noſtro, quaſi in glorioſo curru Deus glorioſus appareat & ſublimis? De hoc reſpondet Tertullian. Chriſtianis virginibus lib. de habitu fœminarum, inquiens: *Quomodo ait Apoſtolus, magnificetur Deus in corpore veſtro? Magnificatur autem, ſi per pudicitiam, vtique & per habitum pudicitiæ competentem.* Tunc Deo appropin

Mar. 1.

Aym. 1.

1. Cor. 6.

Tertul.

propinquamus, tunc Deum, quantum in nobis est, extollimus, cum ea splendemus pudicitia, quæ vel ab ipso colluceat vestitu. Huc etiam respiciens D.Paul. 1.ad Timoth.2.monebat fœminas: *Similiter & mulieres in habitu ornato; cum verecundia, & sobrietate ornantes se, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem.* D. Cyprianus legit: *Sed quod decet mulieres promittentes castitatem.* Et cur non deceat mulieres castas pretiosa & aurea vestis? Nihil in iis vestibus apparet, vnde castitas, aut mentis, aut corporis internoscatur. Quippe ait D.Chrisost.hom.8.in præsenti: *Hic habitus adulter est, atque adeò fœdus, vt meretrices, aut virgines fere discernere nequeamus. Simplicem esse, neque accuratè compositam virginem decet, negligentiæque potius, quàm eius modi curæ notari. Quippè eiusmodi exterior ornatus ornamenta intima demolitur.* Mihi crede, non integra est pudicitia interna, quæ non internoscitur in vestitu; eo ipso, quod vestitus non habet castitatem, non secernat virgines à meretricibus, vix credas in animo esse castitatis virtutem. Et meritò dicit Tertul. lib. de cultu fœminarum: *Quanto blasphemabile est, si quæ sacerdotes pudicitiæ dicimi in impudicarũ ritu procedatis cultæ? Aut quid minus habent infœliciſſimæ illæ publicarum libidinum victimæ? Quas si quæ leges à matronis, & matronalibus decoramentis coërcebant, iam sæculi improbitas quotidie insurgens honestissimis quibusque fœminis vsque ad errorem dignoscendi coæquauit.* Et credas pudicas, quas vestitus non distinguit à meretricibus.

D. Paul.

D. Cypr.

Chrysost.

Tertul.

§. X.

Non statim euolandum ad summa.

ETiam post sanctificationem, & lotionem vestitus non admittuntur Israëlitæ ad montis cacumen, vbi Deus erat, sed iubentur contineri iuxta montis radices. Sic inquit: *In die tertio descendet Dominus coram omni plebe supra montem Sinai. Constituésque terminos populo per circuitum, & dices ad eos: Cauete, ne ascendatis in montem,* &c. Siccine debet esse sanctorum via, quod non statim euolent ad culmina, sed in planis, & facilioribus amplius consistant. Ille sanè tutius agit, qui in minoribus sese exercens expectat vocari ad culmina. Cum Abraham Gen.18.eleuasset oculos. *Apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terram.* Adorauit, inquam, vnum, vt ait Apostolus, quem Deum, Deique Filium nouerat, & domi excipit, & conuiuio honorat. Magna Abrahami pietas; sed maior Dei dignatio, qui voluit in hominis tuguriolo hospitari. Et cur Deus hospes venit ad Abrahamum? Ait pulchrè Tertull.lib.de Trinit. *Quod erat futurus meditabatur in sacramento, Abrahæ factus hospes apud Abrahæ filios futurus.* Equidem, qui decreuerat Deus inter Abrahæ filios nnmerari; prius hospes accessit ad domum Abrahæ, prius inter eius hospites voluit & numerari, & commorari. Non subitò Filium sese Dominus ostendit Abrahæ, sed prius inter hospites egit, & sicut hospes eius limina pulsauit, hospitio vsus est, & tandem eius Filius apparuit de virgine nascens. Sic bonus Dei æmulator, non ad suprema filiorum Dei subito aduolet, sed prius in minoribus maneat, ibique se contineat, vt postea perueniat ad magna. Sic vbi Iesus discipulos suos, & sæculari, & diuino conuiuio excepit, vbi omnes in circuitu mensæ suæ habuit, adimplens illud Psal.127. *Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ*, surgit à cœna Matth.26. *Et hymno dicto exierunt in montem Oliueti.* Cur, Domine, in montem Oliueti cum tot oliuis pergis? Cur non magis in domum Dei, in templum sanctum abis, vt ibi oliuæ discipulorum tuorum transplantatæ, & regna mundi prorsus abdicent, & diuini amoris enutriant flammas? Nónne illos spectat Psal.51. aiens. *Ego quasi oliua fructifera in domo Dei,* &c. Quod si in domo Dei aliquando, cur non modò? Adhuc nouellæ erant oliuarum, & prius in circuitu mensæ erant nutriendæ, & in monte excolendæ; vt inde ad domum Dei cum ingenti fructu possint transplãtari, non enim statim in summo sunt collocandi. Ait Origen. hom. 35. in Matth. *Nondum sunt facti quasi oliua fructifera in domo Dei, sed sunt adhuc quasi nouellæ oliuarum in circuitu mensæ patris sui, & possunt esse in monte olueti.* Ecce tibi, vt discipuli Iesu non statim ad sublimia domus Domini munera rapiuntur; non statim in domo Domini oliuæ fructiferæ apparent, prius tenentur, vt nouellæ in circuitu paternæ mensæ, & quasi in monte plantantur, vt inde in sublimia domus Dei abeant. Quis nesciat, quàm magna, quã diuina, & supra hominis naturam fecit Deus in Abraham? Tamen Gen. 12. solùm ait illi: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi. Faciámque te in gentem magnam,* &c. Sed non eo solùm, quòd de cognatione sua exiret, reportaturus erat Abraham promissa, prius peregrinaturus erat in terra non sua, longámque vitam ducturus sterilis, & sine liberis, & tãdem nactus filium amantissimum, illum erat quoad se Deo mactaturus, quod vt erat supra parris naturam, sic fuit Abrahæ facinus perfectissimum, & absolutissimum. Cur ergo, Domine, illi statim non omnia hæc facinora denuntias? Cur non dicis, vt exeat à patria, vt longam sterilitatem lugeat, vt nactus filium mactet: & sic speret promissa? Absit hoc à vero virtutum magistro, qui non debet statim summa persuadere discipulis, sed facere, vt in minoribus sistant, vnde paulatim perueniant ad summa. Ex hoc dicit D.Chrysost.hom. 3. in 2.ad Corinth. *Primùm quidem Abraham egressus est à terra, tunc verò ab ipsa cessit natura.* Minoribus contentus in principio, peruenit ad summa. Huc trahe dicta 1.tom. in Euang. lib.1.cap.10.§.4.& lib.5.c.1.§ 3.& 19.tom.2. lib. 6.c. 1.§.7.& lib.7.cap.1.§.11.& tom.3.lib.15.cap.10.§. 9. & tom.4.lib.16.c.3.§.4.

Gen. 18.

Tertul.

Psal.127 Matt.26

Psal. 51

Orig.

Gen. 12.

Chrysost.

§. XI.

Diuina, & cœlestia nunquam non reuerentiam ingenerant.

ECce tibi, vbi Deus in montem descendit, quot leges reuerentiæ præscribit: *Cauete, ne ascendatis in montem, ne tangatis fines illius,* &c. Vbi sapienter Caietanus: *Pro reuerentia diuinæ præsentiæ constituuntur termini, ne quisquam accedat ad locum, in quo præsens est Deus.* Hoc habent semper cœlestia, & diuina, quod reuerentiam flagitent, illámque ingenerent omnibus creaturis, ideò sustentaturus Dominus populum suum in deserto, non fecit panes de lapidibus, vt fecit aquas de lapidibus scaturire, sed maluit de cœlo panibus pluere. Ait enim Sapiens cap. 16. *Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis.* Cur panem de cœlo maluit adducere? Vt cœlum dans panem simul reuerentiam infunderet, quæ non potest non venire à cœlestibus, & diuinis. Ait D.Basil.Sel. orat. 19. *Reuerentia mollire machinatus duritiam tuam, superne cœlum alimentis tibi parandis vacabat.* Itaque factum est, vt cœlum curet de mittendis alimentis, vt sic reuerentia Israëlitarum frangat duritiam, quando cœlestia, & diuina non possunt non reuerentiam infundere. Piscantibus discipulis apparuit Iesus rediuiuus Ioann. 21. de cuius præsentia certior factus Petrus non dubitat se maris fluctibus committere. Ait enim textus: *Simon Petrus cùm audisset, quia Dominus est: tunica succinxit se (erat enim nudus.) & misit se in mare.* Mirabar, quod sic properans veniret ad Christum, vt non sustineret nauigium, nec

Sap. 16.

Basil.Sel

caueret fluctuum pericula, meminiſſet ſe tunica induere. Vnde illi venit in mentem tunicæ indumentum, quod potius exuendum erat, vt aquis ſe committeret? Equidem ad Dei præſentiam potuit quodcunque aliud non recordari, at reuerentiæ non potuit
D. Amb. obliuiſci. Ait D. Amb. lib. 10. in epiſt. ad Rom. cap. 18. *Impatiens deſiderij, negligens captionis, immemor periculi, non tamen immemor reuerentiæ vbi Dominum vidit in litore, veſte ſe texit, ſerum æſtimans ſi cum cæteris naufragio perueniret.* Non potuit conſpectus diuinus, diuina præſentia obliuionem reuerentiæ in adeò amico homine permittere. Sed quod mirere magis, vel in ipſo proditore Iuda inuenta eſt reuerentia, vbi peruenit ad præ-
Matt. 26 ſentiam Chriſti. Hinc miſer Matth. 26. accedens ad Ieſum ait: *Aue Rabbi, & oſculatus eſt eum.* Et cur miſer oſcularis, & magiſtrum vocas, & ſalutas hominem,
Orig. quem perdis ob pretium viliſſimum? Ait Origen. hom. 35. in Matth. *Si cauſam quærat aliquis, cur oſculo Iudas tradidit Ieſum, hanc dabimus rationem. Quoniam ſecundum quoſdam voluit reuerentiam quandam ad magiſtrum ſeruare, non audens manifeſtè in eum irruere.* Quaſi non potuiſſet diuina præſentia, vel in perditiſſimo proditore aliqualem reuerentiam ſui non generare. Coueniant huc Chriſtiani, & diſcant vel à Iuda diuinum conſpectum vereri, & in ſacris reuerenter ſtare.

§. XII.

Temporalis rigor eo tolerabilior apud cordatos viros, quo pluribus creaturis communior.

NOn ſolùm homines, ſed & iumenta premit legis ſeueritas, vt mortem inferat, ſiue homini, ſiue iumento montem attingenti, ait enim: *Manus non tanget eum, ſed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis. Siue iumentum fuerit, ſiue homo non viuet.* Et cur non ſolùm hominibus tranſgreſſoribus, ſed & iumentis horrendam mortis ſententiam lex præſcribit? Crediderim id poſitum eſſe ad leniendam legis ſeueritatem apud cordatos viros, quibus eo tolerabilior rigor reputatur, quo pluribus creaturis eſt communior. Quis enim cordatus vir non tolerabile putet, quod homo tranſgreſſor pereat eo ſcelere, quo vel iumentum trahitur in ruinam? Sanè de ſimilitudine rigoris in aliis nunquam non venit aliquale leuamen in hac vita Matt. 13.
Matt. 13. aiebat Dominus: *Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti. Quam, cùm impleta eſſet, educentes, & ſecus litus ſedentes elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt.* Sub cuius parabolæ ſignificatione pro comperto omnes expoſitores habent explicari extremi iudicij calamitates; vt nimirùm ſub eadem mundialis ruinæ ſagena omnes homines ad finem trahentur; vt boni erunt inuoluti malis, imò vt mali tunc periculoſiores tumultus agent, & magis bonos oppriment, affligẽt, & vorabũt. Vt magni piſces in ſagena concluſi magis fluctus agitant, durioríque verbere vicinos piſciculos mactant. Sed cur Dominus oppreſſionem parui piſciculi cum magno concluſi in ſagena componit cum oppreſſione, quam boni patientur ex malis cadente mundiali machina? Crediderim voluiſſe Deum de ſimilitudine oppreſſionis leuamen trahere iis, qui opprimentur à tyrannis, qui ſimilia videntes inpiſcibus maris tolerabile putant, quod ipſi ab impiis opprimantur. Pulchrè ad hæc ait
Pet. Chry D. Petrus Chryſol. ſerm. 47. *Quia ſæculi vicinus eſt finis, & ad iudicij litus capturæ noſtræ retia iam propinquant, piſces, hoc eſt, homines finis propinquante turbati, tota ſe rerum diſpenſatione collidunt: videntes impias gentes triumphis ſuccedentibus ampliari, anguſtiari captiuos toto orbe populos Chriſtianos, pios malorum continuata ſucceſſione calcari, omnémque naturæ ſtatum, & vitæ ordinem deperiiſſe. Sed hæc cum ita ſint, fortes non turbant, fortes turbare non poſſunt, qui ſumunt vires de ſimilitudine, fortitudinem de figura.* Expende illud: *Sumunt vires de ſimilitudine*, &c. Quippè ſimilitudino calamitatis vel in piſcibus viſa vires miniſtrat prudentibus, ne cadant animo in ſua, ſed tolerabilem putent, quæ eſt tot, támque variis creaturis communis. Hinc magnus Baſil. Baſil.
orat. 24. de morte putat legem mortalitatis debere ſuauiari hominibus, quod hæc ſimul premat omnes creaturas. Ait enim: *Circunſpice omnẽ hanc mundi machinam, nónne omnia, quæ in ea ſunt mortalia, & corruptioni ſubiecta ſunt? Reſpice cœlum, & hoc aliquando, aliquo pacto reſoluetur: intuere Solem, & ſtellas vniuerſas, ſed nec hæc quantumuis venuſtæ ſunt. perpetuo conſiſtent, perluſtra denique vniuerſa animantia, tam terreſtria, quam aquatilia, flores, plantas, ipſum etiam terrarum Orbem, ſingula, & vniuerſa hæc fluxa, & caduca ſunt, & quæ vno temporis momento euaneſcent. Harum, & ſimilium rerũ cõſideratio, hoc, quidquid aduerſi nobis occurrit, meritò lenire, ac leuare deberet.* Et quis prudẽs de ſimilitudine calamitatis premẽtis vel minutiſſima animalia, vel minimas plantulas, non capit conſolationem, & leuamen? Sapiens fœmina, vt dolorem ex morte filij receptam leniret in Dauide 3. Reg. 14. ait: *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur:* 3. Reg 14
quaſi hoc malum cum elementis nobis commune, inde debeat in ſenſu minorari. Pro quo ipſe Diu. Baſil. vbi D. Baſil.
ſupra ait: *In huiuſmodi verò etiam triſtioribus fatalis infirmitatis noſtri caſibus, quamnam conſolationem adhibebimus? Perpetua, & ineuitabilis conſtitutio Dei noſtri, vt omnis, qui in hanc lucem prodierit, tandem conuenienti tempore etiam decedat. Quod ſi ab Adamo ad noſtra hæc ſæcula vſque talis rerum humanarum ſtatus ſemper fuit, & eſtne, quæſo, grauius feramus communes naturæ ærumnas.* Facit equidem non paruum leuamen in noſtris calamitatibus ſimilitudo earum, quæ inuenitur in omnibus aliis. Et vix ſtimulant hominem, quæ communia viſuntur. Vnde pungens Dominus Samaritanam fœminam cap. 4. Ioan. ait: *Voca virum tuum, & veni huc. Et* Ioan. 4.
reſpondit mulier, & dixit: Non habeo virum: Dicit ei Ieſus: Benedixiſti, quia non habeo virum, quinque enim viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus vir. Ecce vt Dominus tractat Samaritanam, in quo videtur Chryſoſtomo duriùs, & aſperiùs tractata, quàm Phariſæi, & Scribæ. At hos vocabat ſæpe Dominus hypocrytas, generationem peſſimam, & adulteram, vnde ergo non tractat eos duriùs? An durius eſt, quod muliercula dicat habere virum non ſuum, quam quod Principibus attribuat hypocryſim, adulteria, & alia crimina? Equidem, quæ notabãtur in fœmina, erãt eius in particulari crimina, quæ carpebãtur in Principibus, erãt mala omnium communia, quæ inde valde dolorem minuunt. Ait D. Chryſoſt. hom. 31. in Ioannem: *Grauius hanc,* Chryſoſt.
quam illos reprehendit, hoc enim vnius peccatum erat; illud commune pluribus, neque ita communibus, at propriis obiectis criminibus offendimur. Semper enim de aliorum calamitatibus ſimilitudine leuamen ſumimus.

§. XIII.

Famæ præconium debetur ſolis virtutum culminibus.

CVm cœleſtis tubæ ſonitu vocabantur populi, vt relictis propriis tabernaculis conuenirent, nõ vt aſcenderent montem Sinai, ſed vt aſcenderent partem aliquam prominentiorem iuxta montis radices, quæ incidebat intra fines præſcriptos populo. Sic Rupert. Hugo Vict. Abul. Cornel explicant illa verba Hug. VI
Cùm cœperit clangere buccina, tunc aſcendent in montem. Sed cùm lethaliter lex cauiſſet aſcenſum in montem, cur maluit ſub nomine aſcenſus in montem explicare appropinquationem illam, qua ſub buccinæ ſonitu appropinquabat populus montis radicibus? Cur non explicatius dixit, quod ſonante buccina appropinquent monti, ſed maluit dicere, aſcendant in montem, quod videbatur legi latæ repugnans! Meritò progreſſus faciendos

faciendos sub sonitu, & clangore buccinæ ascensus vocat, solis enim virtutum ascensibus famæ præconia adiunguntur. Ecce tibi mulier in ciuitate peccatrix
Luc.7. Luc.c.7. *Vt cognouit, quod Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti; & stans retro secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Tale erat huius fœminæ obsequium erga Christũ, qui illam defendit à Pharisæi murmure, & laudauit fi-
Matt. 26 dem illius. Sed & Matth. 26. *Accessit ad Iesum mulier, habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis.* Quid tunc Iesus? Et illam à murmure discipulorum liberat, & insuper addit: *Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mũdo, dicetur, & quod hæc fecit in memoriam eius.* Sic cantatissimi huius facti famam promittit Dominus insonaturam vniuerso mundo. Et cur hic tantus famæ sonitus non etiam promittitur primo illi facinori? In illo primo fuerunt incunabula virtutis, cùm se mulier ad Iesu pedes lacrymans deiiceret: in secundo autem, iam visebãtur virtutũ culmina, quando à pedibus ascendẽs ad Saluatoris caput, ibi pretiosa vnguenta diffudit. Et meritò nõ primo, sed secũdo facinori famæ præconia promittuntur, nequit enim famæ tuba resonare, nisi pro ascẽ-
Orig. sibus virtutum. Accipite Orig. fantẽ hom. 35. in Matth. *Considera, quod de muliere secundum Lucam, non est dictum: Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit Euãgelium in toto mundo, dicetur, & quod fecit hæc in memoriam eius. De muliere autem secundum Matth. hoc scriptum est. Iustum enim erat, non de illa, quæ vnxerat pedes, sed de hac, quæ vnguentum effudit super caput eius, dici: Vbicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mũdo, dicetur, & quod hæc fecit in memoriam eius. Si ergo volumus, vt & de nobis dicatur, quod facimus in Iesu effundentes pretiosum vnguẽtum super caput ipsius, proficiamus ab vnctione pedum eius, ad effundendũ pretiosum vnguentum super caput eius.* Non enim nisi cum virtutum progressibus, & ascensibus stat, quod præconia famæ impleant mundum vniuersum. Hinc Herode futente in
Matt. 2. puerulum Iesum dicitur Iosepho Matth. 2. *Accipe puerum, & Mariam matrem eius, & fuge in Ægyptũ.* Et cur cupienti mori pro hominibus mandatur fuga? Mandatur fuga puero, ne gloriæ præconia deficerent, quæ decreta erant ascendenti in crucem. Pulchrè enim ait
Chrysol. Chrysol. ser. 150. *Si mactatus in illo lactantium grege tũc fuisset, innocentiæ fuisset præmium, maiestatis gloria non fuisset.* Equidem non cum virtutum cunabulis, sed cum ascensibus, & culminibus maiestatis gloria intonat. Vbi enim ascensus fit in virtutibus, nõ potest non notificari
Matt. 5. Chryso. mundo. Matth. 5. aiebat: *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Quæ circa D. Chrysost. hom. 72. in Matth. inquit: *Non enim grande aliquid, atque præcipuum occultari diutius Deus patitur, sed si tu celabis, ille manifestabit.* Quasi nequeant magnalia virtutum non innotescere mundo.

Exod. 19. Iámque aduenerat dies tertius, & mane inclaruerat, & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem. Clangórque buccinæ vehementius perstrepebat, & timuit populus qui erat in castris. Cúmque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis. Totus autem mõs Sinai fumabat, eo quòd descendisset Dominus super eum in igne, & ascẽderet fumus ex eo quasi de fornace.

§. XIV.

Timor efficacissimus est, vt nos ducat ad Deum.

VIde ordinem rerum, sonitu buccinæ, & tonitrui, & aliis perterrefactus populus educitur in occursum Dei. Sic enim textus: *Clangórque buccinæ vehementius perstrepebat, & timuit populus, qui erat in castris. Cúmq; eduxisset eos Moyses in occursum Dei,* &c. Itaque tot horribilibus perterritos educit eos Moyses in occursum Dei, & cur sic metuentes, sic perterritos facit exire obuiam Deo, nisi quia sciebat timorẽ efficacissimum esse, vt Deo debitũ redderent obsequiũ? Et quis timore ductus non obsequatur Deo? Mar. 1. dæmoniacus ille, vt Iesum sensit, clamabat ad eũ: *Venisti ante tẽpus perdere nos. Scio, quis sis sanctus Dei.* Ecce tibi hostis Dei Deum latentem in carne agnoscit, & confitetur; & vnde potuit nequã spiritus ad tantã Dei confessionem, & cognitionem ascendere? Ait Vict. Antioch. ibi: *Metu perculsus omnium Dominum sese agnoscere non dissimulat.* Non potuit spiritus refuga timoris vinculis ad Dei cognitionem, & confessionem non ferri. Est equidem validissimus Dei timor, vt doceat Dei præsentiam. Hinc Matt. 8. cùm Dominus in nauicula dormiret, ecce tibi fera exurgit tempestas, & nubes conglomerantur, & furunt venti, & fluctus maris horrendum quid stridẽt, quorum flagris misera nauicula iam iam videbatur obruenda. Quid tunc discipuli? Ait textus: *Et accesserunt ad Iesum, & suscitauerunt eum, dicentes: Domine, salua nos, perimus.* Et Dominum, & Saluatorem agnoscunt, & cõpellant, & quid in illis non faceret tempestatis metus? Pulchrè D. Basil. Sel. orat. fatur. 22. *O timorem naturæ magistrum! O periculum, quo docentur, vbi salutis sit anchora! O mare metu discipulos exanimatos præceptori reconcilians.* Præclarè sanctissimus vir timoris expendit potentiam, quæ vel cæcos facit videre salutis semitã; & intellectu tardos docet, vt ad Deum perueniant. Quod si hic timor etiam de amore veniat, fallar, si quid est, quod arctiùs nos coniungat Deo. Vnde Deut. 10. ait: *Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius,* &c. Ecce quid præmittat tibi, vt in Dei viis ambules, nimirùm, quod timeas Deum, vnum hunc timoris spiritum si habeas, omnia tenes, quæ te adiungant Deo. Ait D.
D. Zeno. Zeno lib. 1. ser. 10. *Videtísne hunc timorem nobis necessarium, qui in Dei amore consistit, qui voluntate sua separit, diuinæ legis construit decorem; ad omnia genera virtutum intrepidus corrigit: præceptis omnibus fideliter obtemperat: inchoatus innocenter viuit, iustitiam percolit, sine fine studet timere, ne quid præter Deum, quem diligit, timeat.* Quid pulchrius de sancto Dei timore potuit dici? Is nos ad omnia virtutum genera corrigit, & facit obtemperare omnibus præceptis diuinis. Vnde Isaias c. 26. *Sicut, quæ*
Isa.26. *concipit, cùm appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis; sic facti sumus à facie tua Domine. Concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritũ.* Græci legunt: *Penè quem timorem tuum, Domine, in vtero cõcepimus, & parturiuimus spiritum salutis, quem fecimus super terram.* Itáque vt mulier in vtero habens tota versatur in timore, & horrore dolorum instantis partus, & clamat parturiens; sic nos à facie Dei minantis sumus quasi in vtero habentes, nimirùm timore pleni, ex quo salutis fœlicissimi partus nos expectant. Et quam salutem non gignat timor ex Dei minis conceptus? Ait
Theod. Theodorus Veraclensis in cat. Græca: *Ostendit vtilitatem, quæ ex minis Dei percipitur. Accipientes enim timorẽ tuum, veluti bonum semen, & in vtero gestantes, opportuno tempore salutem reportabimus.* Parum dixit, quod ex timore Dei nos salutem reportabimus, plus enim dicit vates, quippè ait: *Peperimus spiritum salutis, quem fecimus super terram:* dum enim cœlesti metu impleamur, non solùm nos, sed & terrenos alios quósque in salutẽ ducemus. Ait Theodoretus ibi:
Theod. *Finis conceptionis tui dilecti, tuique timoris salus fuit nostri spiritus; quem quidem cùm peperissemus, notum fecimus omnibus mortalibus, qui super terram sunt, ipsos quoque vtilitatem percepturos, si nos imitati fuerint, & conceperint ex timore Dei, & peperint spiritum salutis. Qui enim hunc timorem non habuerint,*

rint, neque pepererint spiritum, sed steriles permanserint, excident à tua spe. Sic ibi.

§. XV.

Præceptorum obseruatio humanas mentes illustrat.

INter nebulam, nigrámque caliginem, horrendáque tonitrua, quæ montem occupant, simul & lucidissima emicant fulgura. Ait enim: *Cœperũt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes densissima operire montem.* Vbi affectabatur obscuritas, & caligo, & tenebrarum horror, ad quid permittitur emicatio fulgurum? Quicquid nubila operiunt, & obscurant, fulgurum coruscatio manifestat, panditque; cur ergo in tanta caliginum repræsentatione permittitur ibi & esse claritas fulguris? Seruiebant omnia hæc diuinis mandatis ibi dandis, notificandísque; quorum neglectus vt homines obscurat, & in tenebras ducit, sic eorum obseruantia mentes humanas illustrat. Quò spectans aiebat Abias ad acies
2.Par.13 Ieroboam 2.Paral.13. *Est apud nos candelabrum aureũ, & lucernæ eius, vt accendatur semper ad vesperam: nos quippè custodiuimus præcepta Domini Dei nostri.* Ecce quibus confirmat apud se esse candelabrum, & lucernas, nimirùm illis: *Nos quippè custodiuimus præcepta Domini*; vbi enim quis præcepta Domini seruat, nequit
Isa.26. inde non mille illustrari lucernis. Ait Isaias cap.26. *Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te, cùm feceris iudicia tua in terra.* Græci autem legunt: *De nocte vigilauit ad te spiritus meus Deus, propterea lumen mandata tua sunt super terram.* Expende, vt non vereatur iustus noctis tenebras, quia nimirùm sunt ei lumen mandata Dei.
Theodor. Quod notans Theodoret. in præsenti fatur: *A Dei mandatis piorum mentes illustrari patet: sicut enim in omni Dei verbo alitur anima, sic in omni mandato illustratur, & illuminatur.* Quo attentiùs mandata obseruantur, eo certiùs lumina inde coruscant, quæ illustrent, & illu-
Psal.118 minent animam. Sic Psal.118. dicebat: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, & lux semitis meis.* Quod præceptorum verba ad me veniunt, si obseruantur, in opúsque virturum trahuntur, tot lumina exurgunt,
D. Amb. quibus homo illustratur. Ex quo D. Ambr. ibi serm.14. ait: *Lucernarum modò luceat nostrarum lux clara virtutum. Istæ sunt lucernæ ardentes, quæ die, ac nocte in templo Dei lucent. Si templum Dei in corpore tuo seruas, si membra tua membra sunt Christi, lucent virtutes tuæ, quas nullus extinguit, nisi eas tuum crimen extinxerit.* Solus tu poteris in animo tuo lumina extinguere, si aliquid cõtra præceptum effinxeris; si autem omnia integra sint, si opera plena virtutum steterint, luminibus illustraris candidissimis.

§. XVI.

In obseruatione præceptorum nunquam non indicitur homini aduersùs carnem, & sanguinem bellum.

NOn solum tonitrua, fulgura, & nubila comitantur publicationem diuinæ legis, vt rebelles deterreãt, sed insuper additur buccinæ tonitus, quasi tunc bellũ indiceretur, ait enim: *Clangórque buccinæ vehementius perstrepebat.* Sed buccinarum clangor ad bellũ spectat, cur ergo sonat in præsenti? Quid præceptorum diuinorum promulgatio cum belli strepitu, cum militari tuba? Imò nunquam bellum manifestiùs sentitur, quàm in publicatione præcepti; trahit enim semper præcepti obseruatio aduersùs carnem, & sanguinem bellum.
D.Thom Sic D.Thom. in epist. ad Hebræos cap.12. lectione 4. ait: *Sonitus tubæ significat grauitatem præceptorum, ad quorum adimpletionem indicebat homini quasi bellum contra se ipsum.* Idem est moueri hominem ad obseruationem præcepti, & excitari ad bellum contra se; simul enim vt venit præceptum, quæ militant in membris nostris concupiscentiæ sese accingunt in prælium, aut victuræ, aut vincendæ. Hinc Gen.22. præcipit Dominus Gen.22. Abrahæ: *Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, & offeres eum in holocaustum.* Iubet Dominus sibi offerri Isaacum, sed cur in hoc præcepto tot teneritudines meminit, quæ retardent parentem? Cur meminit primogenitum, dilectum filiũ? Cur non potius hæc præterit, & tantum pueri victimã petit? Maluit equidem vnà cum præcepto eas circunstantias proponere, quæ bellum naturæ inferrent, & totam naturæ militiam prouocarent in arenam. Ait Orig. in præsenti: *Charis, & dulcibus appellationibus iterum, ac sæpe repetitis, paterni suscitantur affectus, vt amoris enigilante memoria, ad immolandum filium paternæ dexteræ retardetur, & vt aduersùs fidem animi tota carnis militia repugnaret. Propterea etiam via iniungitur, etiam montis ascensio, vt in iis omnibus spatium certaminis accipiat affectus, & fides, & amor Dei, & amor carnis.* Ecce vt cum præcepto indicebatur homini bellum, & carnis militia prouocabatur, vt quæ necessariò erat vincenda, si erat adimplendum præceptum. Quò spectans ait Dominus Isaiæ cap. 55. *Ecce testem populi dedi eum, ducem, & præceptorem gentibus.* Septuag. expressiùs hæc vltima posuere dicentes: *Et præcipientem gentibus.* Et satis in rem præsentem coniungit duo, nimirùm ducem, & præcipientem, vt in dandis præceptis ducem agat, ostendens præceptorum obseruationem esse rem periculosissimi belli. Id, quod ostendens Dominus aiebat Matth.10. *Nolite arbitrari, quia veni mittere pacem* Matt 10
in terram, non veni mittere pacem, sed gladium. Vbi D. Chrysost.hom.36.notat: *Nõ dixit bellum, sed quod atrocius est, gladium*: quando poterat esse bellum absque eo, quod ventum esset ad gladios euaginandos, vt effunderetur sanguis; prævenit Dominus suos milites, quod vbi vocantur ad Dei exequenda mandata, ad ea bella vocentur, quæ consistunt in occisione gladij, in resecatione voluptatum, in mactatione desideriorum carnalium.

§. XVII.

Venturi iudicis conspectus vel lapidea corda trahit in preces.

ADueniente Deo media in tempestate totus Sinai mons fumare cœpit, dicit enim textus: *Cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem. Clamórque buccinæ vehementius perstrepebat, & timuit populus, qui erat in castris. Totus autem mõs Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne.* In Dei seueriissimo accessu per tonitrua, per caliginem, per fulgura, per ignem, dicitur mons fumare, cur non magis dicitur ardere? Inter tot fulminum percussiones, inter tot ignes, cur ipse mons non ardet, sed fumat? In ardore, & conflagratione ostenderetur vltimũ exterminium, in fumo autem ostenditur precum vis,
iuxta illud Cant.3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertũ,* Cant.3.
quasi virgula fumi. Et Apoc.cap.8. *Data sunt illi incensa* Apoc.8.
multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus, &c. Meritò ergo in seueriissimo Dei aduentu per ignem mons Sinai non ardet, sed fumat, quia ad venturi iudicis odorem, vel lapidea corda ad preces, & supplicationes conuertuntur. Rem pulchrè tractat Rupert.lib.3.in Exod.30. vbi inquit: Illic tonitrua, fulgu- Rupert.
ráque micantia, fumus quoq; & ignis, & clangor buccinæ, vt fiat, quod scriptum est Psalm.103. *Qui respicit* Psal 103
terram, & facit eam tremere, tangit montes, & fumigabũt. Terra quippe contremiscit, fundamenta montium conturbantur, & fumigant, exardescente igne à facie Domini, cum audito aduentu tremendi iudicis; hi, qui prius terram tantummodo nouerant, semetipsos pœnitendo discutiunt, & montuosa

montuosa superbia descendente fumus, id est, lacrymosa oratio ascendit a timore iræ Domini. Sic vel rupes, vel saxea corda mortalium franguntur ad seueri iudicis odorem,
Isaiæ 25 & ad preces confugiunt, & orationes lacrymosas. Isaias c.25. quasi præsens esset loco futuri iudicij, sic omnia illius diei describit: *Præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam, quam orditus est super omnes nationes*; & sic pergit singula tremendi illius temporis ediserens vsque ad finem capitis, post quod in cap. sequenti 26. sese ostendit ad orationem confugere, fatus: *Anima mea desiderauit ad te in nocte.*
Theod. Quibus verbis Theodoret. præfixit titulum, nimirùm: *Oratio Isaiæ.* Et mirũ est, quod cum tot Isaias, tantáque prophetet, nullibi dicatur orasse nisi in præsenti. Prophetat Ierosolimytanorum ruinam, Saluatoris Iesu natiuitatem, mortem, sepulturam, & non ponitur eius oratio nisi in præsenti immediatè post repræsentationem iudicij. Et quidem quando in cæteris omnibus posset manere mutus, in repræsentatione iudicij non potuit
Euseb. non ad preces, & orationes ire. Ait Euseb. in cat. Græca ad vers. 16. huius capitis: *Quoniam propheta præuidet locum, vbi generale iudicium futurum est, perinde, ac iudicio, & tribunali diuino adesset præsens, his rebus, quas videt, meritò modo quidem confitetur, modo precatur.* Sic ex iudicij seueri conspectu bonus confugit ad confessio-
Ionæ 3. nẽ, & preces. Illud mirabile accidit Ionæ c.3. *Clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium*, &c. Ad ignoti hominis vocem viri idolatræ, & pessimi sic mutantur, vt supplices statim ad Deũ confugiant. Et quæ vox sic valuit homines pessimos mutare? Erat vox maximæ, & extremæ calamitatis iam iam
Theod. imminentis, ad quam vel durissimi fient supplices, & in preces ibunt. Ait Theodor. ibi. *Cum ignotum, & alienum hominem Niniuitæ rerum horribilium declarationem profitentem viderunt, non modo non interfecerunt, sed neque illi infensi fuerunt, sed & prædictioni eius obtemperauerunt, & sacco induti Deo supplicauerunt.* Expende illud: *Rerum horribilium declarationem*, equidem ad horribilis calamitatis conspectum vel saxea corda ad supplicationes, & preces flectentur.

Exod. 19. Erátque omnis mons terribilis, & sonitus buccinæ paulatim crescebat in maius, & prolixius tendebatur. Moyses loquebatur, & Dominus respondebat ei. Descendítque Dominus super montem Sinai, in ipso mõtis vertice, & vocauit Moysem in cacumẽ eius. Quò cùm ascendisset, dixit ad eum: Descende, & cõtestare populum, ne forte velint transcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo. Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.

§. XVIII.

Faustum, & salutare homini est, quod prius ipse incipiat loqui ad Deum. Vbi pulchra de confessione.

INter tot procellas, tot fulmina, tot terrores illud salutare, & faustum dicitur de Moyse, nimirùm: *Moyses loquebatur, & Dominus respondebat ei.* Multum esset, quod inter tot terrores loquenti Deo valeret vel verbulum respondere homo; at maius quid apparuit in Moyse, qui prius loquens trahebat Deum ad responsũ. Nec fuit necesse explicare, quæ fuerint ibi dicta à Moyse, & quæ à Deo responsa. Certum enim est, nihil ibi fuisse non salutare, & faustum Moysi, eo ipso, quod ipse inciperet prius loqui ad Dominum. Huc traho il-
Iob 13. lud Iob c.13. qui sic dicit Deo: *Voca me, & ego respondebo tibi, aut certè loquar, & tu responde mihi. Quantas habeo iniquitates, & peccata?* Duo poterat facere Iob, vel vocatus respondere; vel vocans, & loquens ipse Deum ad responsum trahere. Et ex duobus iis, elegit secundum præstare, nimirùm elegit prius ipse loqui, & Deũ habere respondentem, non interrogantem. Et cur sanctus maluit Deum habere respondentem in re iniquitatis enunciandæ? Equidem vel ex eo, quod ipse incipiat loqui ad Deum, & Deum non interrogantem, sed respondentem habeat, omnia sibi præsumit fausta, & auspicata, præsertim in re absolutionis à peccatis. Ait Rupert. lib.1. de Sapientia c.16. *Hoc ergo quæramus, quo fructu melius sit, vt loquatur homo, & Deus respondeat illi, quam vt vocet hominem Deus, & homo respondeat illi, quantæ iniquitates sint. Si ritè perpendimus meritum rei, reprehensibile est, eousque differre confessionem peccati, donec dicat iudex Deus, quid feci sti? Etiamsi vocatus respondeat homo, & dicat,* Peccaui, *Patientiam habe in me, quod fecit Dauid, iam tamen reprehensibile est, quod vsque ad talem vocationem Dei differat homo confessionem peccati sui. Cæterum præoccupare faciem Domini Dei, & antequam vocetur vltro, nec confessione loqui. sapiens consilium est, quo nullum melius homo peccator reperire potest.* Ecce tibi omnibus aliis melius consilium homini peccatori, nimirùm, quod prius ipse suas iniquitates dicat, quod prius ipse in re sua loquatur, & Deum habeat non interrogatorem, sed responsorem. Hinc volo componas peccatricem, & peccatorem, Magdalenam, & Adamum. De Magdalena ait Lucas c. 7. *Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes eius lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. Respondens Iesus dixit ad illum.* &c. & post pauca dixit ad mulierem: *Fides tua te saluam fecit. Vade in pace.* Sanè benignissimè se habuit Deus cum hac muliere, nihil pœnæ illi iniungens propter notissima scelera, sed omnimodam illi pacem præbens. Longè aliter factum est cum Adamo, qui vbi pomum inobedienter comedit Gen. 3. cum vxore sua sese abscondit tacens à facie Dei. *Vocauítque Dominus Adam, & dixit ei. Vbi es? Qui ait. Vocem tuam audiui in paradiso, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me.* Quid tunc Deus? *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea*, &c. Ecce tibi quot mala, quot pœnas conglomerat Deus in Adamum iam pœnitentem, & dolentem de scelere. Et cur Dominus adeò seuerus in Adamum, & adeò benignus in Magdalenam? Cur huic pacem, illi maledicta congeminat? Recole Magdalenæ historiam, ibi dicitur de Deo: *Respondens Iesus dixit*; in casu autem Adami dicitur: *Vocauit Dominus Adam*, &c. Ibi non dicitur Deus vocasse, aut interrogasse prius, sed respondisse, hîc non respondit Deus, sed vocat, sed inquirit. Magdalena præoccupans Deum, illum nacta est respondentem, Adamus fugiens, passus est Deum inquisitorem; ideò illi fausta omnia, huic acerba. Ait Rupert. lib. 1. de Sapientia Rupert. cap. 15. *Nempe cùm diceret Deus: Vbi es? Vocabat hominem ad cor suum, vt saltem vocanti responderet. Et hoc quidem bonum erat, vt saltem vocanti responderet, melius autem, vt prius ipse loqueretur, Deus autem responderet, quantas haberet iniquitates. Illud non fecit Adamus, non locutus est, sed Deum quasi dormire permisit; nec Deo fecit negotium respondendi, vnde & ingrato silentio, quasi post meridiem somno exsatiatus surrexit Deus, & indignans, quod non fuisset vocatus, prior ipse hominem vocauit*, &c. Expende indignationis diuinæ causam in Adamum etiam pœnitentem; dicit enim: *Indignans, quod non fuisset vocatus*; quippè indignè tulit Deus, quod expectaret Adamus prius interrogari à Deo, & quod non præoccuparet in confessione faciem eius. Quãdo enim præoccupatur Deus in confessione, & nõ habet necesse inquirire,

inquirire, aut interrogare, ſed ſolum reſpondere, tunc multa alia pœnitentiæ opera ſupplet ipſe in pœnitentibus. Vbi mortuus fuit Iacob Gen. 50. metuentes ſibi filij eius à Ioſepho fratre, mandauerunt ei, dicentes: *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus: Obſecro, vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te, nos quoque oramus, vt ſeruo Dei patri tuo dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis fleuit Ioſeph.* Sanè non erat cur fleret Ioſeph, ſatius fuiſſet, quod petentes veniam ipſi flerent, & cum lacrymis, & gemitibus expoſtularent. Verum vbi bonus Ioſeph ſe vidit præuentũ à fratribus in confeſſione ſceleris, non amplius expectauit, ſed ſuo fletu illorum fletum ſuppleuit. Proh fœlicitas illorũ, qui præoccupant Deũ in confeſſione, fallar, niſi Deus in illis, & fletus ſuppleat, & gemitus! Vt Gen. 42. meritò dicat Ruper. in Geneſ. c. 42. *Sanctiſſimum, & optimum donationis, ſiue remiſſionis genus hoc, vbi illis, qui peccarunt, non flentibus, ſed tantummodo confitentibus, ſolus ille flet, qui peccatis offenſus indulget, & adorantibus pro indulgentia pias quoque reddit lacrymas cũ venia.* Hoc optimum genus remiſſionis, quando & cum venia data perfecti doloris lachrymas ipſe Deus ſupplet contentus, quod præueniamus eum in confeſſione.

Exod. 19. Dixítque Moyſes ad Dominum? Nõ poterit vulgus aſcendere in montem Sinai: Tu enim teſtificatus es, & iuſſiſti, dicens. Pone terminos circa montem, & ſanctifica illum. Cui ait Dominus: Vade, deſcende, aſcendéſque tu & Aaron tecum. Sacerdotes autem & populus non tranſeant terminos, nec aſcendant ad Dominum, ne forte interficiat illos. Deſcendítque Moyſes ad populum, & omnia narrauit eis.

§. XIX.

Dei dona non ad vnum, ſed ad plures debent eſſe.

NOn diu Deus ſecum retinet Moyſem, ſed iubet deſcendere, & inſtruere populum, & ſecum Aaronem aſſumere, vt iterum iam nõ vnus, ſed duo aſcẽdant ad Dominum. Ait enim: *Vade, deſcende, aſcendéſque tu, & Aaron tecum*, ſic Dei dona neſciunt ſtagnari in vno, ſed feſtinant communicari proximis. Fortè nõ eſt euidentius ſignum diuinorum donorum, quàm ſi videantur ab vno proſilire ad alios proximos. Hinc Mat. Mat. 20. 20. memoràs vltimam Ieſu cœnam, ait: *Cœnantibus autem eis, accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit: dedítque diſcipulis ſuis*, &c. Expende illa verba: *Accepit Ieſus panem.* Vnde, vel à quo accepit? Quis tantus fuit, vt Ieſus meus de illo panes acciperet? Sanè Origines attendit, quid Ieſus fecerit de panibus acceptis, & quando videt illos non in arca recludi, ſed inter diſcipulos diſtribui, non dubitat illos ex Deo acceptos, cuius dona hoc habent, vt minimè in vno ſtagnentur, ſed ad plures alios Orig. pergant. Pulchrè Orig. hom. 35. in Matt. inquit: *Quod dicit: Accipiens Ieſus panem; qui paruulus quidem eſt in Chriſto, intelligat communiter; qui prudentior eſt, quærat, à quo accipiens Ieſus? Deo enim dante accipit, & dat eis, qui digni ſunt accipere panem.* Expende illa: *Accipit, & dat*, quæ ſunt donorum diuinorum ſigna præclara; in nullo melius Deum datorem oſtendimus, quàm in eo, quod vt accipimus, damus; quæ enim à Deo veniunt vnius anguſtias metuẽtia, nimis properant, vt communicentur aliis. Aiebat Eccleſiaſtes c. 5. *Hoc itáque viſum* Eccleſ. 5. *eſt mihi bonum, vt comedat quis, & bibat, & fruatur lætitia ex labore ſuo, quo laborauit ipſe ſub ſole, numero dierum vitæ ſuæ, quos dedit ei Deus.* Sept. legunt: *Hoc Dei donum eſt.* Sanè meritò reputatur fœlix ille, qui acceptis ex Deo donis fruitur in hac vita, vt comedat, & bibat, & lætetur in Domino. Sed vnde ſcire poterit homo bona ſua à Deo in ſe veniſſe, vt fruatur illis? Nõne, & multa temporalia bona ex malo veniunt? Vnde ergo neſcit dies ſua ex Deo veniſſe? Euidens eſt ſignum doni diuini, nimirũ ſi illud nõ ſtagnetur in vno, ſed & ad alios iuuandos feſtinet. Eleganter ibi ait D. Greg. Thaumaturgus: *Non negauerim etiam opes bonas eſſe, Dei enim donum eſt, ſi homo latè perfruatur laboribus ſuis, modò opes illæ à Deo ſint conceſſæ. Talis enim benefico in omnes eſt animo, & in munere diuino exultat, & omnem vitam ſuã bonis operibus, ac largitionibus adornat.* Expende illa: *Talis enim benefico in omnes eſt animo*; nimirùm, qui vt Dei dono conceſſas habet opes, talis ille non illas vni ſibi ſepelit, ſed beneficus eſt ad omnes, ſed frequẽtibus largitionibus curat & proximos egẽtes adornare. Quid diuinius? Hoc manifeſtiſſimum ſignum eſt doni à Deo dati; quod neſciat contineri in arca, quod neſciat vnius ſeruire voluntati, ſed amet pluribus communicari; frequentibúſque punctionibus ſtimulet habentis animũ, vt ad doni participationem adhibeat ſocios alios. D. Greg.

§. XX.

Intra ſuæ quiſquam humilitatis ſtatum conſiſtens Dei percipiet magnalia.

SOlis Moyſe, & Aarone ad cacumen montis admiſſis, vetãtur & Sacerdotes, & populares egredi fines ſuos, vt montem ſcandant. Sic cauet textus: *Sacerdotes autem, & populus non tranſeant terminos, nec aſcendãt ad Dominum*, &c. Ecce tibi vt cauet Deus ne ad Dominũ aſcendant populares. Dauid autẽ monebat omnes Pſal. 33. *Accedite ad Deum, & illuminamini.* Hîc omnes Pſal. 33. vocat, vt ad Deũ accedant etiã inter lumina; ibi remouet, & cauet ne accedant populares, quidni Dauid eſt Moyſi contrarius? Abſit; Dauid enim inuitat omnes ad acceſſum, Moyſes remouet ab aſcenſu populares; qui per hoc, quod non ſibi ſuperiora petant, ſed in ſuo humilitatis ſtatu permaneant, & acceſſum Dei habent, & diuinis illuminantur. Sic Luc. 2. *Et paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circunfulſit illos.* Quid diuinius? Pauperes homunciones erant, pecora paſcentes, & tamen dum in eo munere ſunt, nec ſupremũ aliud meditantur, ibi inueniunt cœleſte munus, diuiníſque illuminantur luminibus. Ait D. Hier. in Epitaphio Paulæ: *Paſtores nocte* D. Hier. *vigilantes, audire meruerunt: Gloria in excelſis Deo. Dúmque ſeruant oues, inuenerunt agnum Dei puro, & mundiſſimo vellere.* Non inuideat paruus, & humilis ſublimioribus cacumina; ſed hoc pro certo habeat, quod intra ſuæ humilitatis terminos poterit reperire omnia magnalia Dei. Agnum enim illum, quẽ Seraphicus vates Iſaias optabat videre in monte Sion, paſtores humiles inuenêre, dum ſuo muneri ſunt intenti. Quid dicam agnum? Quid ſublime in diuinitate eſt, quodque à magnis, & ſublimibus attingitur, attingitur etiã ab humili, qui ſe intra ſuæ paruitatis fines nouit cõtinere. Vide celciſſimos Euangelicæ aquilæ volatus, quo perueniat; quippè ait Ioan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum* Ioan. 1. *erat apud Deum, & Deus erat Verbũ.* Huc peruenit, qui ſupra Ieſu pectus recubuit, ſic ſe ſuper omnia creata euexit. Miraris hoc in Ioãne? Sed quod mireris magis, accipe nõ abſimile in popularibus paſtoribus, qui erãt Bethleem. Ait Luc. c. 2. *Paſtores loquebãtur adinuicem.* Luc. 2. *Tranſeamus vſque Bethleem, & videamus hoc Verbũ, quod factũ eſt, quod Dominus oſtendit nobis.* Ecce tibi Verbum, quod Euangelica aquila è ſinu Chriſti volans percepit in ſinu Patris, ſimiliter perceperũt paſtores, qui vigilias noctis obſeruabant. Ait D. Hier. in Epitaph. Paulæ: *Paſtores nocte venientes, vt viderent Verbũ, quod factum erat; iam tunc Euangeliſtæ Ioannis principium dedicabant: in principio erat Verbum, & Verbũ caro factũ eſt.* Et paſtores, & Ioannes Verbi diuini perceperunt cunabula; Ioannes à Deo vocatus ad faſtigium Apoſtolatus, & in ipſo Hier. Chriſti

Christi sinu recumbens. Pastores non egressi terminos muneris sui, sed dum dant operam pascendis ouibus, dum se continent intra abiecti muneris carceres. Quò discat vnusquisque manere in suæ paruitatis terminos, certus, quod indè poterit habere de Deo, quod alij de sublimioribus euolantes capiunt. Vndè monebat Paulus 1. ad Corinthios 7. *Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Seruus vocatus es? non sit tibi curæ; sed etsi potes fieri liber; magis vtere.* Explicant Theod. & Chrysost. *Magis vtere seruitute.* Adeò cupit Apostolus, vt quisque in humilitatis suæ statu permaneat, vt quantumuis quis seruus possit ascendere ad liberorum statum, moneat eum, vt magis in seruitutis statu permaneat, inquiens: *Magis vtere seruitute.* Et cur non potius seruitutem exuere conabitur, vt in libertatem transeat? Quia quoad Deum, non seruitus nocet, nec prodest libertas, sed quamuis quis sit in vilissimo seruitutis statu, ad omnia poterit peruenire Dei magnalia, in nullo inferior superioribus aliis. Ait Photius ibi: *Seruus vocatus es? Non sit tibi curæ, quin etiam, si potes aliquo studio fieri liber, sine hoc, & potius vtere seruitute, & neque ita in vllo eris minor Domino.* Equidem in nullo, quod ad Deum pertineat, erit minor præstantibus aliis, qui sciuerit se continere in humilitate sui status.

1. Cor. 7.

Photius.

Exod. 20. Locutúsque est Deus cunctos sermones hos: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Nō habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, neque eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, nec coles. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, &c.

§. XXI.

In hoc maxima Christianorum est fœlicitas, quod non semel à diaboli eripimur seruitute.

ECce quid pro summo beneficio Dominus Israëlitis obiiciat, nimirùm: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Expende illud: *Eduxi te,* quippè semel eduxerat Deus Israëlitas de Ægypto, quod semel & iterum illis inculcat. Fœliciores multo Christiani sumus, quos non semel eduxit Dominus de Diaboli seruitute, sed vt in illam sæpe recidimus, sic bonus Iesus sæpe, & singulis horis nos ab illa educit, & asserit in tuto. Quò extollit nostrā fortunam D. Zeno lib. 3. ser. 28. inquiens: *Iudæi maiores suos Pharaonis, exercitúsque eius graui seruitutis iugo depressos de Ægypto prædicant liberatos, à diaboli tyrānide, Idolorúmque turba violenta non tantū nostri maiores, sed omnis Christiana progenies de vero Ægypto, ideſt, de isto mundo semper momentis omnibus liberatur.* Periculosior nostra captiuitas est, fateor, qua nos Diaboli, mundique tyrannidi nostris culpis summittimus, sed Redemptorem habemus, qui nō contentus sit nos semel de tanta captiuitate eduxisse, quin potius, quoties nos ad eū clamamus, vel singulis horis, vel singulis momētis denuò eripimur. Hinc Mat. 18. sciscitanti Petro, an deberet septies peccatori parcere, respondit Iesus: *Non dico tibi vsque septies, sed vsq; septuagies septies.* Hoc est, nullum indulgentiæ finē impono, licet singulis horis, singulísque momentis necessum sit aditum ad salutem peccatori præstari. Non sic largus paulò antè Dominus videbatur, ait enim: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & illum solum. Si autē non audierit, adhibe tecum vnum, aut duos, vt in ore duorum, aut trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos; dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Ecce tibi post tria monita cassa incuratum relinquit peccatorem, quem antea non semel, aut ter solum, sed & septies, & septuagies, & millies foueri mandabat. Cur ergo, qui septuagies septies recipiēdus dicebatur, modò post duas admonitiones relinquitur? Estne Dominus in hoc sibi contrarius? Absit; sed modò loquitur de peccatore suis hærente peccatis, suprà dixerat de eo, qui veniā pœnitens flagitabat; vbi autem, quis pœniter, & septuagies, septies, & singulis horis, & momentis à peccatorum seruitute liberabitur. Ait D. Chrys. in Psal. 46. *Hic post duas admonitiones ostendit magnum esse delictum, nec eum cogit rursus expectari. Quid ergo? Sunt hæc contraria? Absit. Sed illud septuagies septies dicit, si eum pœnituerit.* Hoc expectat à nobis Saluator noster, vt nos pœniteat, vt sub iugo miseræ seruitutis ingemiscamus, si enim ingemuerimus, non solum semel, aut ter, sed singulis momētis nos à tyrannide peccatorum liberabit. Hinc Matth. 15. *Ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine fili Dauid.* Vbi Chrysost. hom. 79. ad populum inquit: *Miserere mei. Breue verbum, & clementiæ pelagus continet.* Inexhauribilis est Dei in nos clementia, vt inexhauribile est pelagus. Cùm petas ex Deo misericordiā, inuenies non vas, quod te semel, aut ter posset mundare, sed pelagus, quo singulis momentis lauari possumus, & de peccatorum seruitute ad filiorum Dei libertatem transire.

D. Zeno.

Mat. 18.

Chrysost.

Mat. 15.

§. XXII.

Memoria beneficiorum ligat hominem, ne exorbitet à placitis benefactoris sui.

LEgum suarum obseruantiam maximè firmat Dominus, præfigens præcipientis beneficentiam in suos, dū inquit: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Nō habebis Deos alienos coram me,* &c. Ecce vt leges condens, beneficiorum à se præstitorum memoriam refricat in primis. Solet enim beneficiorū memoria firmare animos in obediē tia benefactoris sui. Ait in præsenti Oleaster: *Vide legislatoris prudentiam. Solēt collata beneficia hominem retinere ne benefactorem offendat: ideò Dominus hæc præmittit ante legē, vt Iudæos inuitaret ad suarum legum obseruantiā.* Et nescio an fortius vinculū inueniri posset ad continendos homines in obseruantia præceptorum, quàm memoria beneficiorum ad illos manantium ex præcipiente. Hinc Ioseph sanctissimus adulteræ fœminæ sic respōdit Gen. 39. *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo suā, nec quicquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ vxor illius es; quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* Bonus seruus vt accepta à Domino beneficia adducit in medium, omnē sibi putat intercluſum aditum peccandi in Dominum suum. Ex quo reputat sibi beneficum Dominū, sic afficitur, quasi liberum sibi non sit offendere illum. Accipite D. Greg. lib. 30. Moraliū c. 9. fantem: *Quia bona, quæ assecutus fuerat, repentè memoriæ intulit, & malum, quod se pulsabat, euicit; & quia perceptæ gratiæ meminit, vim culpæ imminentis fregit. Cùm ergo voluptas lubrica tentat in prosperis: hæc ipsa sunt beneficiorum prosperā aculeo tentationis oppositā, vt eo erubescamus praua committere, quo nos à Deo meminimus gratuito bona percepisse, & illatam gratiam exteriorum munerum vertamus in arma virtutum, vt sint ante oculos, quæ percipimus, & quæ nos alliciūt, subigamus.* Quid pulchrius? Certè dum ante oculos sunt percepta beneficia, vix fieri poterit, quod à benefactore per aliqua blandimenta auertamur. Quò spectans Oseas c. 11. ait: *Et ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis.* Ex Græco legunt D. Cyr. Alex. & Theophyl. *Et ego colligaui Ephraim, & suscepi eum super brachium.* Et quidem qui nutritius erat, non miror, quod simul eos sibi colligaret, sunt enim beneficia, & fauores validissima ligamina, quibus tenētur homines,

Gen. 39.

D. Greg.

Oleaster.

Osee 11.

ne à benefactore ſuo diſcedere valeant. Ex quo ſapiẽ-
Egeſip. ter Antipater apud Egeſippũ lib. 1. c. 44. repellit à ſe ſuſpicionem paricidij, qua erat ſuſpectus patri: quippè ait: *Si mihi beſtiarum immanitas, ſi atrocium ferarum ineſſet furor, tamẽ tantis beneficiis tuis manſueſcere potui, vt nullam opem niſi in ſalutis tuæ ſubſidio conſtituerem, vt pro omnibus tibi vel ſolam charitatem referrem, te meo corpore protegerem, te intimis, ſi fieri poſſet, viſceribus includerem. Prætuleras nobilioribus filiis materna ſtirpe minus nobilẽ, matrem quoque regni exulem in regnum vocaueras, nec iã ſucceſſorem me imperij, ſed quaſi conſortem habebas.* Et quã belluam hæc beneficia ſinerent aliquid aduersùs benefactorem cogitare? Crede mihi, fortiſſima ſunt beneficiorum ligamina, ne facile à benefactore diſcedaAd Ro. 8. mus. Vndè Paul. ad Rom. 8. clamat: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? An Tribulatio? An Anguſtia?* Miraris tantam confidentiam in Paulo, quod nullam malorum poteſtatem adeò magnã agnoſcat, qua timeat à Chriſto poſſe ſeparari. Et ſcire cupis quibus catenis ſic ſe obſtrictum videat Domino, vt minimè ab illo ſeparari valeat? Sanè beneficiorum catenis id reddit acceptum, quibus ſe adeò cernit implicatum, vt ſic affectus æſti-
D. Amb. met quaſi non ſibi liberum ſeparari. Ad hæc D. Amb. ibi ait: *Quis nos auertere poterit à dilectione Chriſti, qui nobis tam magna, & innumera præſtitit beneficia? Tribulatio? Sed non facit, quia dilectionem firmi Chriſtiani nulla vincunt tormenta. Amantis enim plus incitatur charitas, ſi eum, cuius ſenſit beneficia, prohibeatur amare. Dum enim putant ſe immerita eius ſeminare, memorat beneficia.* Quid pulchrius? Non apparet vnde homo poſſit à benefactore ſuo ſeparari, quando aduersùs omnia impedimenta memoria beneficiorum armatur.

§. XXIII.

Vnus Zelotipiæ affectus in nobiliſſimo quoquam pectore inexorabilis eſt.

TRanſgreſſoribus præceptorum ſeueriſſimum ſe Dominus vindicem oſtẽdens, Dominus de humanæ indignationis exceſſu nomen ſibi affingit, dum dicit: *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis zelotes.* Cur *zelotes*? Cur non magis ſe vocat *punitorem*, quando vt notat Origines in zelotipia ſemper apparet exceſſus humani vitij? Cur relictis aliis nominibus, quæ rigorẽ, & ſeueritatem punitionis oſtenderent, maluit de zelotiporum exceſſibus nomen ſibi affingere? Abſit à Deo omnis exceſſuum vmbra; ſed in puniendis tranſgreſſoribus ad *zelotis* nomẽ recurrit, quia vnus hic affectus inexorabilis eſt etiam in pectore nobiliſſimo. Frangitur aliquando animi bonitate ſeueriſſimus rigor iuſtitiæ; zelotipiæ affectus nullo cicuratur, nullo infringitur, etiam in pectore nobili ſeruat ſuam duritiem. Ne1. Reg. 18. mo neſcit pertinax Saulis odium in Dauidem; ait enim 1. Reg. 18. *Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat Dauid à die illa, & deinceps*: imò crudeliſſimè illum perſequebatur, quin poſſit vllis obſequiis emollire. Et quid erat in Dauide, quod in tam implacabile odium trahebat Saulem? An virium robur, & fortitudo, qua pene inermis armatos vincebat? An fauor populorum? An comitas viri, qua valebat apud exercitus ſuos? Nihil horũ odioſum erat Sauli. Quid ergo erat, quod tam implacabile odium in regio animo parturiret? Ait textus ibi: *Cùm reuerteretur percuſſo Philiſthæo Dauid, & ferret caput eius in Ieruſalem, egreſſæ ſunt mulieres de vniuerſis vrbibus Iſrael cantantes, choroſque ducentes in occurſum Saul Regis, in tympanis lætitiæ, & ſiſtris. Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia. Iratus eſt autem Saul nimis.* Itaque mulierum fauor, & plauſus exhibitus Dauidi Saulem mactabat, nullus enim affectus, niſi qui de zelotipia venit, ſic implacabiliter ſauciaret regiũ animum. Quò reſpiciẽs D. Baſil. Sel. orat. 15. ait: *Mouit ad fauſtas acclamationes, vel mulieres victoria ipſa Dauidis. Hæ voces Saulem verberabant, & muliebres cantus Regem conſaucabant.* Qui de mulierum fauoribus Dauidi datis veniebat morſus, Saulem implacabiliter alterabat, ſolus enim zelotipiæ affectus poſſet ſic pertinaciter, & implacabiliter in animo regio perdurare. Quò ſpectat Prouerb. 6. vbi dici-
Prou. 6. tur: *Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ. Neque acquieſcet cuiuſque precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.* Ex Hebræo: *Non accipiet faciem ſatisfactionis.* Is eſt zelotipiæ ſpiritus, qui neſciat manſuefieri, qui nullam ſatisfactionem admittat. Id, quod in Rege Herode patuit, qui adamabat ardentiſſimè, & ambitioſiſſimè Mariamnem; ardentiſſimè, vt ferret multa in ſe ab illa congeſta paſſim conuitia; ambitioſiſſimè, vt pro illa ducenda, quæ filia Regum erat, repudiaret adoleſcentiæ ſuæ vxorem Doſidem. Vt autem vel leuem adulterij ſuſpicionem admiſit, implacabiliter furit. Rem dicit Egeſippus lib. 1. c. 37. *Amens illico Rex,*
Egeſipp. *vbi audiuit ſecretum ſuum proditum Mariamnæ à Ioſippo, cogitare cœpit nũquam proditurum fuiſſe Ioſippum, niſi captus amore mulieris mercedem proditionis ſtupro quæſiſſet. Itáque indignatione nimia furens, animique impios exiliuit de lectulo fugiens corruptelæ turpis contagia, nec furentem capiebat aula: iubet occidi vtrumque.* Sic vel in regio animo furit zelotipiæ ſpiritus, vt nec in amatiſſima coniuge faciem ſatisfactionis admittat, ſed prorſus deſæuiat implacabiliter.

Exod. 20. Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & ſonitum buccinæ, montémque fumantem, & perterriti, ac pauore concuſſi ſteterunt procul dicentes Moyſi; Loquere tu nobis, & audiemus. Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Et ait Moyſes ad populum: Nolite timere. Vt enim probaret vos, venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis. Stetítque populus de longè. Moyſes autem acceſſit ad caliginem in qua Deus, &c.

§. XXIV.

Vbi ſpiritus Dei adeſt, nequit non ſentiri in multis.

ADerat Deus in monte, & eius præſentiæ tot ſentiuntur indices, quot fulgura, quot tonitrua, quot voces. Sic dicit textus: *Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & ſonitum buccinæ, montémque fumãtem*, &c. Et quando ſpiritus Dei aliquo accedens non ſe facit ſentiri? De Chriſti Eccleſia Deo plena locutus Conſtant. Imperator in concione, quam habuit ad Pa-
Cõc. Nic. tres Concilij Nicæni lib. 2. c. 1. inquit: *Huius autem domicilij verticem vſque ad ſydereum ſpendorem videmus pertingere, fundamenta verò in ipſo adhuc operis initio, tã profunda fideliter egiſſe radices nouimus, vt vniuerſus terrarum orbis id ſenſu percipere potuerit.* Ecce tibi fundamina legis Euangelicæ, & legis Moyſacę, vt à Deo poſita ſunt, ſic tanto ſplendore coruſcant, tantóque ſonitu tonant, vt totus populus hanc, & totus orbis illam ſenſu percipiat. Habent hoc proprium Dei domicilia, ſiue perſonæ quibus Dei ſpiritus ineſt, qui non poteſt in multis non ſtatim præſentiri. Hãc diuini ſpiritus notionem præbebat Ioan. 3. inquiens: *Spiritus vbi vult, ſpi-*
Ioan. 3. *rat, vocem eius audis*, &c. Expende illud: *Vocem eius audis.* Quippè is eſt diuinus ſpiritus, qui ſe ſtatim faciat audiri, & ſentiri. Ait Rupert. lib. 2. de Gloria Trini-
Rupert. tatis c. 1. *Verus ſermo, quem dixit, & vocem eius audis. Non enim tacere poteſt, qui gratiam accepit eiuſdem. Verè ergo vocem eius audis, quia tacere non poteſt, ſilere non audet. Ibi enim eſt præceptor, qui tubam vocis largitus eſt, & dicit ei: Clama, ne ceſſes, & his ſimilia.* Equidem in quo eſt Dei ſpiritus nequit non ſentiri, omnia enim & nouis clamoribus, & nouis implet luminibus.

Quod

Quod silentium non rumpitur? Quæ quies non turbatur? Qui status non concutitur, vbi accedit ille Dei spiritus? Non solum si in monte descendat Dominus, sed si vel in vilissimo homine sit, in ipso accessus initio tot parturit effectus, vt vniuersus terrarum Orbis eum possit sensu percipere. Quis humilior? Quis abiectior? Quis ignotior, quàm Ionas Niniuitis? Sed factum est
Ioan. 3. verbum Domini ad Ionam, & quid inde? Ait cap. 3. *Et cœpit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius, & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum; prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorẽ. Et peruenit verbum ad Regem Niniue*, &c. Proh efficaciã verbi diuini! Verbum Dei ponitur in abiecto, & vili, & ignoto homine, & in ipso prædicationis initio se fecit, vel à dissitis Regibus audiri, sícque Niniuitis intonat, vt omnis commoueatur ciuitas. Et quos non commoueat præsentia Dei spiritus etiam in homine abiecto, &
D. Ephr. humili? Rem pulchrè ponderat D. Ephrẽm orat. in Ionam, inquiens: *Ciuitas gentilium confestim prædicatione Ionæ deterrita est, & velut mare vndique turbabatur eius voce, qui ex profundo reuerterat. Et cum descẽdisset in mare, conturbauit illud, & reuersus in aridam, illam confestim exagitat.* Nullibi adest propheta Dei verbo plenus, vbi se non faciat sentiri: habet enim hoc Dei spiritus, vt in quolibet sit, nesciat non manifestari in commotione multa. Cùm huc peruenio, non possum non meminisse prima Societatis Iesu initia; pauci, & despicabiles viri carnis oculis fuere Ignatij socij, sed ij pauci, & abiecti, vt apparent, toto intonant mundo. Ad ingressum pauperis Iesuitæ commouebantur vrbes, commouebantur prouinciæ; accedebat pauperculus Xauier, & cum descendisset in mare, maria turbat, naues implet sonitu, Euangelicæ vitæ, & nautas facit suspirare pro gloriæ, portu fœliciſſimo. Et reuersus in aridam, illam confestim exagitat, vt totus Oriẽs de hac cœlesti insonet tuba. Is est equidem Dei spiritus, qui etiam è vili corpo-
Matt. 17 re se faciat in multis sentiri. Matth. 17. in Iesu transfiguratione, dicit: *Ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè cõplacuit, ipsum audite. Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam: & timuerũt valde.* Miraris discipulorum commotionem tantá fuisse, quod in terram ceciderint. Et quid mirum? Descenderat in nube diuinitas, & non est mirum, quod inde ad commouendos homines potentissima vox intonet.
D. Ephr. Ait Diuus Ephræm orat. de Transfigurat. *Vna est natura Pater, Filius cum sancto Spiritu, vna potentia, & vna essentia, & vnum regnum, & in vnam clamauit vocem in vili corpore, & in gloria terribili.* Expende illa: *In vili corpore, & in gloria terribili*; quantumuis enim Dei spiritus in vili corpore sit, non poterit non sentiri in mundi commotione eius gloria terri-
Matt. 27. bilis. Hinc Matth. 27. vbi Iesus tradidit in cruce spiritum: *Ecce velum templi scissum est in duas partes*, &c. *& terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt.* Et cur hæc? Ait Paulus Emissenus hom. 2. de Nat. Christi habita in tom. 6. Conc. Ephesini c. 14. *Tanquam Deus compressit Solis radios, diffudit tenebras, discedit templi velum, disrupit petras, excitauit mortuos. Hæc omnia autem operatus est, vt intelligeres, quod aderat corpori patienti.* Sic dum diuinitas sancto in illo cadauere manebat, nõ poterat id nõ sẽtiri, vel in cõmotione vniuersi.

§. XXV.

Virtutis internæ ardor omnia dura externa deuincit.

MOntis procellam, fulgura, tonitrua, fumum, & sonitum buccinæ non sustinentes Iudæi, à monte, in quo Deus erat, seiunguntur; quippe dicit textus: *Populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montémque fumantem, & perterriti, ac pauore concussi steterunt procul.* Sed non erat tanta montis procella, quanta fuit postea fornax Babylonica incensa à Nabucho-

donosore aduersùs eos, qui aureæ statuæ adorationem negligerent. Et nihilominùs inuenti sunt tres viri Hebræi, qui non verentur mitti intra ardentissimam fornacem, cuius in medio ambulantes cernuntur. Ait enim Dan. 3. *Et confestim viri illi vincti cum braccis suis,* Dan. 3. *& tiaris, & calceamentis, & vestibus missi sunt in medium fornacis ignis ardentis.* Ecce tibi pueri isti Hebræi non verentur mitti in medium horrendissimæ fornacis ardentis; & totus ille Hebræorum exercitus, vel ad radices fumantis montis accedere refugiunt. Inermes pueri non timent esse in medio ignis ardentis, armatus exercitus vel ad lampadis visionem, & sonitum buccinæ se procul continet. Cur populè sic refugis à fumo; cùm tres pueri à flammante fornace non refugiant? Ait textus de populo: *Perterriti, ac pauore concussi steterunt procul*, tenebat eos timor, non amor; nullus erat in eis ardor virtutum, sed pauoris frigus. Quos autem intimus virtutis ardor depascebat, minimè impedit, nec perterrefacit totus inferni ignis. Pulchrè accinit Sedulius lib. 1. Pasch. inquiens de pueris illis:

Medios traduntur in ignes
Nil ardente rogo, tantóque ardore calentes
Cordis, imagineæ vincunt incendia pœnæ
Igne animi.

Sanè, qui animis ardebant intrinsecùs, prorsus rident extrinsecos ignes; intimus enim virtutum ardor externos confringit tormentorum aculeos. Hinc clamabat ille Psalm. 25. *Vre renes meos, & cor meum*: Nec expauit petere, quod eius renes vrantur, dum simul cor internis aduratur ignibus; quando enim cor ardet igne virtutum, externos omnes exsibilat ignes. Ait D. August. Aug.
serm. 30. de Sanctis: *Vre, inquit, renes meos, & cor meum: duplici se postulat igne comburi. Nam si de solo igne mundi loqueretur, sufficeret renes tantum exurendos obtulisse. Cor autem nisi flamma Christi non vrit, atque ideò ad comprobandam deuotionem suam, geminum sibi ignem postulat, vt luctamine habito ostendat in se plus posse amorem Christi, quam pœnam tyranni.* Et quidem qui intimis Christi ignibus aduritur, vix sentit externorum ignium aculeos. Rem firmat exemplum à sæcularibus militibus petitum; ij erant Romani expugnatores Ierosolymorũ, de quibus dicit Egesippus lib. 3. c. 12. *Cum muro Roma-* Egesipp.
nus miles succederet; sicut erant conferti, Iosephus oleo feruenti perfundi Romanos iubet, quod facile a vertice ad ima defluebat vestigia. Nec minor incendio flammæ candentis, olei feruor omnes artus depascebatur. Et quamuis huiusmodi olei natura sit, vt cito calescat, & sero conceptum deponat calorem, tamen victoriæ studio abscondebant iniuriã. Ardebant animis, vt nullum corporis sentirent incendium, nec tanti æstimabant pœnæ feruentis dolorem, quanti dipendium gloriæ, si bello desisterent. Quid pulchrius? Ecce milites non refugiunt accessum muri, ex quo ardentia olei flumina scaturiebant, feruentísque olei dolores contemnunt acerbissimos. Sed vndè contemnunt ignibus aduri? Ardebant animis, & gloriæ, & victoriæ studio. Sic animi ignes rident extrinsecùs flammantes ignes. Quis nesciat durissimas sartagines pœnarum, in quas fuit Iob immissus? De illo tamen ait c. 2. *In omnibus iis non peccauit Iob.* Sed vndè aduersùs tot mala habuit munimen? Ait D. Chrysost. hom. 3. in Iob: *Non me* Iob 3.
mouent exteriores sagittæ interioribus vallatum, confirmãt Chrysost.
me magis intro Dei sagittæ. De quibus Dauid: Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. Sagittæ pietatis, sagittæ iustitiæ. Virtutum sagittæ, quæ intima præcordia penetrabant, hæ auferebant externis diaboli sagittis efficaciam. Sit vtinam in nobis virtutum ardor; & fallar, si extrinsecos ignes æstimabimus.

Deutheron. 18. Et ait Dominus Moysi: Bene omnia sunt loquuti. Prophetã susciabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loquetúrque ad eos omnia quæ præcepero illi, &c.

§. XXVI.

Verba Dei ore Chriſti prolata maximè confirmant, & ſuauiant homines.

COrrepti timore Iſraëlitæ in auditione decalogi colloquium Dei detrectabant, quaſi in eo haberent mortem, & hominis cupiebant colloquium, quo viuere poſſent. Sic enim ſuprà dicebant ad Moyſem: *Loquere tu nobis, & audiemus. Ne loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Quæ verba vt Moyſes retulit Domino, non exaſperatus Dominus eſt, quinimò acceptauit ſermonem, & diuini hominis Chriſti fecit promiſſionem, cuius verba, & præcepta non deterrerent, ſed confirmarent homines. Quò ſpectat illa data Deut. 18. *Bene omnia ſunt locuti. Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilẽ tui, & ponam verba mea in ore eius.* Quid ais Domine? *Ponam verba mea in ore eius?* Iſti verba tua, & præcepta tua expauent, & minimè illa ſuſtinere poſſunt, cur adhuc dicis de tuis verbis ponẽdis in ore mediatoris? Nónne ſimiliter in eius ore illa expauẽt? Minimè, ſed quæ ab ore Dei præcepta, & voces intolerabiles videntur homini, ea à mediatore noſtro Ieſu prolata & ſuauiant, & confirmant homines. Pulchrè D. Ambr. rem oſtendit in D. Laurentio completam ſerm. 1. de eo, vbi dum Chriſti martyrẽ in craticulæ tormentis deſcribit, ſic inquit: *Ardebat itáque extrinſecùs Beatus martyr tyranni ſæuientis incendiis, ſed maior illum intrinſecùs Chriſti amoris flamma torquebat. Et quamuis Rex improbus ligna ſubiiceret, incendia maiora ſupponeret: tamen ſanctus Laurentius has flammas fidei calore non ſentit, & dum Chriſti præcepta cogitat, frigidum eſt illi omne, quod patitur.* Vide vnde non ſentiat bonus, nec metuat ignium ardentium horrores, nec dolores, nimirùm: *Dum Chriſti præcepta cogitat.* Et cõpone Laurentium cum toto Iſraëlitarum exercitu; Dum præcepta Dei Iſraëlita audit inter fulgura, & buccinæ voces, prorſus animo concidit, & fugit vel fumantem montem; Laurentius autem dum Chriſti præcepta cogitat, frigidos putat ardentes craticularum rogos. Sic diuina præcepta in Chriſti ore ſuauiantur, & confortant aduersùs flammas infirmos homines. Aiebat Actor. 6. *Verbum Dei creſcebat, & multiplicabatur numerus diſcipulorum in Ieruſalem valde: multa etiam turba Sacerdotũ obediebat fidei.* Sed & c. 13. dicit: *Audientes autem gentes, gauiſæ ſunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderũt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Diſſeminabatur autem verbum Domini per vniuerſam regionem.* Verbum Dei, quod in Sinai perterrefaciebat Iſraëlitas, & illos à vicinio arcebat; modo & Iudæos, & gentes ad ſe trahit, & aſſeclas multiplicat mirum in modum non alia quidem ratione, niſi quia ab ore Chriſti mundo innouit. Id, quod ponderãs Egeſipp. lib. 2. c. 12. ait: *Plerique Iudæorum, Gentilium plurimi crediderunt in Ieſũ, cum præceptis moralibus, operibúſque vltra humanam poteſtatem inuitarentur.* Expende, quibus inuitabãtur homines ad Chriſti ſequelam, nimirùm ait: *Præceptis moralibus*, quippè vt per Dei præcepta antiquitus arcebãtur homines, ſic modò inuitabantur per Chriſti præcepta. Quid mirum? Vel vox Chriſti valet confirmare, & erigere, & trahere homines cadentes Matth. 17. vbi Chriſti Domini transfiguratio recenſetur, dum ad Patris vocem venitur, ait: *Et ecce vox de nube dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite. Et audientes diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde. Et acceſſit Ieſus, & tetigit eos, dixítque eis: Surgite, & nolite timere*, &c. Ecce tibi Patris voce ſic concutiuntur diſcipuli, vt decidant in terram; voce Ieſu ſic conualeſcunt, vt ſurgant intrepidi. Rem ponderat D. Ephræm orat. in Transfig. aiens: *Pater aperit, & declarat filium. Ad hanc vocem Apoſtoli proni ceciderunt in terram. Erat enim tonitru terribile. Quamobrem voce eius terra tremuit, & ij ceciderunt. Oſtendit eis patrem appropinquaſſe. Voce ſua etiã eos Ieſus excitauit. Quomodo enim vox Patris eos deiecit, ſic etiam vox filij in virtute ſuæ diuinitatis eos fecit ſurgere.* Sic Chriſti vox facit conualeſcere infirmos homines, & eos ad ſe trahit, quando eos vox Patris opprimeret, & fugaret. Meritò hanc Chriſti vocem ſuſpirabat illa Cant. 8. iuxta Septuag. lectionẽ, dicens: *Qui ſedes in hortis, amici auſcultant, fac me audire vocem tuam.* Tam longè abeſt, vt dicat: Non loquatur nobis Dominus, quod nihil magis cupiat, quam Domini vocem audire, ſed hoc, ex quo Dominus habitat nobiſcum in Chriſto. Ex tunc enim vox diuina non conterit, ſed confirmat ſuos. Cant. 2. *En ipſe ſtat poſt parietẽ noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea.* Ex Græco legitur: *Surge, veni propinqua mea, pulchra columba mea.* Quæ erat procul, nec audebat appropinquare territa perſtrepente Dei buccina; iam fit propinqua, & pulchra, & columba. Vnde ſic fit propinqua? A voce ſtantis poſt parietem noſtrum, & dicẽtis, *Surge*, quæ enim vox Chriſti dicebat, eadem in nobis effingit, & confirmat. Ad quod ait D. Greg. Niſſ. hom. 5. in Cant. *Cum ſic dixiſſet Verbum; Surge, veni propinqua mea. Audit iuſſum, verbo confirmatur, roboratur, excitatur, accedit, appropinquat, pulchra redditur, columba nominatur.* Sic nobis ſuauiantur verba Dei prolata ab ore Chriſti.

Deut. 18 — D. Amb. — Actor. 6. — Egeſipp. — Matt. 17 — D. Ephr. — Cant. 8. — Cant. 2. — D. Greg.

Exod. 20 Dixit præterea Deus ad Moyſem: Hæc dices filiis Iſraël: Vos vidiſtis, quod de cœlo locutus ſim vobis; Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis. Altare de terra facietis mihi, & offeretis ſuper eo holocauſta, & pacifica veſtra, oues veſtras, & boues in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei, &c.

§. XXVII.

Non res, ſed offerentis animus in ſacris ſpectatur.

MIrabar ab omnipotenti Deo peti ex hominibus ouium, boúmque hoſtias, ſic enim cauet: *Offeretis oues veſtras, & boues.* An quia gratæ ſunt Deo taurorum, arietúmve carnes? Abſit; nõ equidẽ Deus æſtimat carnes animalium, ſed offerentis animum, qui propter Deum reſculis ſuis neſcit parcere. Hinc Gen. 8. *Ædificauit Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mũdis obtulit holocauſta ſuper altare. Odoratúſque eſt Dominus odorem ſuauitatis*, &c. Et qualis odor de carnibus aduſtis potuit eſſe, qui dicatur Deo gratus? Crede mihi gratus Deo odor non de carnibus aſcendebat animalium, ſed de offerentis animo, qui ſic hoſtias illas offerebat, vt ſimul, ſi occaſio poſtulaſſet, ſeſe pro Deo impenderet, viſceráque ſua litaret. Quod notans Tert. lib. 3. in Mar. aiebat. *Etſi ad oblationes Abel aduertit Dominus, & holocauſta Noe odoratus eſt libenter, quæ iocunditas ſiue viſcerum veruecinorum, ſiue nidoris ardentium victimarum? Sed animus ſimplex, & Deum metuens offerentium ea, quæ à Deo habebant, & pabuli, & ſuauis olentiæ gratiæ apud Deum deputabatur, non quæ fiebant exigentis, ſed illud propter quod fiebat, ob honorem ſcilicet Dei.* Vnus, mihi crede, in omnibus oblationibus attenditur Deo aliquid offerẽtis animus, qui pro ſuaui odore eſt apud Deum. Non equidem Deus eſt Deus muſcarum, quę nidoribus delectantur; ſed verus, & omnipotens eſt, & nullius egens, attendens tamen offerentium animos. Vt dicat D. Baſil. Sel orat. 4. *Nullius egens eſt Deus, ſed vt offerentium mentes inſtruat, iis ſeſe honorari fingit, quibus Deo honorem habere ſe exiſtimant.* Quod tu putas honori eſſe Deo, & facis id, quodcunque illud ſit, Deo eſt maximè gratum; quando eo tendit tuus animus, vt Deum gratum habeas.

Gen. 8. — Tert. — Baſil. Sel

CAP.

CAPVT XVI.
Vituli adoratio.
Textus Hiſtoriæ.

NOn Semel interruptæ ſunt diuinæ voces, vt Moyſes deſcenderet ad ſuos populares, illóſque Dei inſtrueret mandatis. Tandem ad longiorem ſeceſſum cum ſolo miniſtro Ioſue euocatur, in quo non ſola voce, ſed ſcriptis tabulis diuina præcepta capiat. Scandendum cacumen montis eſt, relinquendi ſubditi per longum temporis ſpatium, quare, vt abſentiæ damnis medeatur, præficit genti Aaronem, & Hur, penes quos incidentium cauſarum determinatio. Poſt hæc montem conſcendunt Moyſes, & Ioſue pariter, cuius vt peruenerunt ad verticem, tota montis ſummitas, & igne, & nebulis apparuit occupata. Interea maior Iudæi nominis tractatur ruina; fauilla tetrior, quæ ſepeliat, & abſcondat ſplendidiſſimę nitorem proſapiæ, atq; omne decus ſubruat, quam erubuit Ioſeph, & reticuit, & vix alius Iudæus auſus eſt explicare. Viginti dies præterierant, & nulla erat de aduẽtu Moyſis fama, nullus nuntius, nullum ſignum venturi hominis viſebatur, cuius moleſta mora ſugęſſit Iſraëlitis cogitationem prorſus inſanam. Conueniunt Aaronem, & in conſpectu montis in quem deſcendentem Deum timuerant; à quo inter fulmina, & tonitrua, buccinæ vocem expauerant, ſculptilia fieri vetantem. Cum adhuc & nebula, & ignis præſentiſſimum Deum in vertice montis oſtẽtarent; ſibi conflari idolũ contendunt, cuius ductũ totis viſceribus ſequantur. Aaronem abſtulit criminis immanitas; nec facile perſuader furẽtibus aliquot dies adhuc expectare, vt vrgentiori cauſa, & notiſſimũ, & beneficẽtiſſimũ ductorẽ Moyſem repuliſſe videãtur.

Cùm igitur trigeſimum iam diem in monte Moyſes ageret, & quaſi extremum hominis exceſſum prætenderet ipſa receſſus ſpecies, auſúſque eorum, qui nec finitimis montis miraculis reſipiſcebant, multò recrudeſcerent amplius, extorquentes ab Aarone idolum conflatile, ac prope tumultum res eſſent, conſultius exiſtimatum eſt illis aſſentiri, ne in maiorem peſtem erumperent. Vocatíſque præcipuis è multitudine petit Aaron ſibi confeſtim afferri inaures aureas fœminarum. Et quis infidelis homo non potius Deos, quam fœminas ſuas vellet auro ſpoliare? Vicit tamen perfidia prudentis excogitatum. Præſtò ſunt inaures, fornax parata erat, & typus ex argilloſa terra paratus, in quem artifices liquefactum aurum infundunt, & poſtridie refrigerato metallo, vitulus apparuit. Heu bouinam gentis ſtupiditatem! Viſo vitulo aureo, quaſi boues ducti ad victimam, ſic ad nouam religionem trãſeunt. Se pridem ex Ægypto erectos prædicant, per illum ipſum vitulum, quem ipſi tunc ex conflatorio extrahebant adorandum. *Hi ſunt*, inquiunt, *Dij tui, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Et meritò, ſi mores Iudæorum attendantur, non niſi poſt vitulum egreſſæ viderentur tot laſciuientes vaccæ. Ite miſeri poſt vitulum, qui vos ducet ſub nationum iugo, vt conteramini.

Ad recentia vituli altaria euolat Sole nouo populi multitudo, præſcriptáque ſolemnia tanto Deo inſtaurant per dies fœminarum choreæ, virorum tripudia, omnium ſimul compotationes, & conuiuia. Non potuit latere Moyſem atrocitas facinoris, qui edoctus à Deo in montis ſeceſſu omnia populi crimina; multis conabatur Dei continere iram, nec deſtitit, donec in immerentem populum placatius effecit diuinum numen.

PARS MORALIS IN
textus litteram.

VOcat Chriſtianos animos Iudaicus vitulus, qui vt adoratus triſtia, & lethalia Iudæis parturiuit; ſic à nobis exagitatus, & ſolemnia, & feſta faciet Chriſtianis lætiſſima.

Exod. 24. Dixit autem Dominus ad Moyſem. Aſcende ad me in montem, & eſto ibi: Dabóq; tibi tabulas lapideas, & legem, ac mandata, quæ ſcripſi, vt doceas eos. Surrexerunt Moyſes, & Ioſue miniſter eius, aſcendénſque Moyſes in montem Dei, ſenioribus ait: Expectate hic donec reuertamur ad vos; habetis Aaron, & Hur vobiſcum; ſi quid natum fuerit quæſtionis referetis ad eos.

§. I.

Principum diutinam conuerſationem fugiant, qui Dei familiaritate amant vti.

IAm Moyſes ſe à populari conuerſatione ſeparauerat, & in montem aſcenderat cum populi Principibus Aaron, Nadab, & Abiu, & ſeptuaginta aliis de ſenioribus, cum quibus erat in monte, vt paulò antè refertur. Sed vix cum iis pauliſper viſus eſt, & ſtatim ad eum dicit vox diuina: *Aſcende ad me in montem.* Nónne ad te iam Moyſes aſcenderat in montem, ô Domine? Sanè dictũ eſt immediatè ante: *Aſcenderúntque Moyſes, & Aaron, Nadab, & Abiu, & ſeptuaginta ex ſenioribus,* &c. Quãdo iam aſcenderat cum Principibus, & in mõte erat cum illis, cur Domine adhuc vrges hominem, vt aſcendat? Cur adhuc illum ad aſcenſum ſtimulas, & ad te vocas? Equidem dum cum Principibus aſcendit, non putatur aſcendiſſe, eò vbi poſſit familiaritate vti diuina, quam qui amat habere, neceſſum eſt, vt relinquat diutinam conuerſationem Principum. Ait in præſenti Lyppoman: *Iubetur itáque ſequeſtrare ſe totum ab aliis omnibus, tam plebeis, quàm Principibus, & ſeſe familiarius applicare Deo ad contemplationem rerum diuinarum.* Lyppom. Crede mihi ægrè ſtabit intima familiaritas cum Deo, & diutina conuerſatio cum mundialibus Principibus. Et qui ad magnalia Dei percipienda vocantur, rarò non periclitãtur in diutina mora cum Principibus mundi. Cùm cõprehenſus Ieſus in domo Principis teneretur, dicit Matth. cap. 26. *Petrus verò ſedebat foris in atrio, & acceſſit ad eum vna ancilla, dicens: Et tu cum Ieſu Galilæo eras. Et ille negauit coram omnibus,* &c. Matt. 26 Miraris ſic facile cõcuti fidei columnã Petrum? Vt potuit firmiſſima Eccleſiæ Chriſtianæ petra ſic fœmineo ſibilo conteri? Expende illud: *Sedebat foris in atrio,* diutina cõmoratio in atrio Principis virũ eneruabat, vt de facili Deũ abnegaret. Ait Orig. hom. 35. in Matth. *Conſidera enim quod Petrus foris ſedẽs ab Ieſu ſegregatus, & in atrio Principis conſtitutus coram omnibus Ieſum denegauit; & iterũ vice ſecunda ſimiliter, non extra ianuã foris factus, ſed volens exire, nondũ autem egreſſus ianuam denegauit; ſed & tertia vice, quando cœpit ſe deuotare, & iurare, quia neſcio hominem, adhuc non erat foris.* Orig. Ecce tibi quam lethifera erat Petro vocato ad intimam Ieſu familiaritatem cõmoratio in Principis atrio. Nec dicas. Ego cum Principibus ago reluctans, & ſtatuens me ab illis quam primum expedire. Si enim tradaberis te expedire, licet id ſtatuas, tamen periclitaberis. Pro quo expende illud: *Volens exire, non dum autem egreſſus ianuam denegauit.* Semper mora cũ Principibus periculoſa erit etiam fugere meditanti, dum fugere cunctatur. Ille ſolus noxia Principum euadet, qui nullas cum illis moras agit. Aiebat ille Pſal. 36. *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani. Et tranſiui, & ecce non erat.* Pſal. 36. Quem inſtar proceræ arboris eleuatum, & exaltatum videbat, dum tranſit nihil in eo videt eſſe ſubſtantiæ, nihil, quod poſſet amare, & nihil à quo poſſit damnum pati. Sed apud Danielem ſimiliter Babylonius Princeps, vt magna arbor videbatur eleuatus. Ait enim cap. 4. *Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cœlum; aſpectus illius erat vſque ad terminos vniuerſæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & eſca vniuerſorũ in ea; ſubter eam habitabant animalia, & beſtiæ, & in ramis eius:* Dan. 4.

eius conuerſabantur volucres cœli. Quid plura? Accedit Dei ſententia, & arborem, & beſtias, & volucres damnat. Succiditur arbor, beſtiæ, & volucres miſerè fugãtur. Compone modò arborem cum arbore: vtraque exaltata erat, & eleuata ſuper omnes, in arbore Danielis etiam volucres cœli periclitantur, & coguntur exulare; in Dauidis arbore nihil periculi inuentũ eſt, nihil damni capit etiam ſpectator. Et quando volucres cœli exilij, fugæque patiuntur damna in Danielis arbore, cur in Dauidis arbore nihil damni inuẽtum eſt? Equidem de Danielis arbore dicit: *In ramis eius volucres cœli conuerſabantur*; de Dauidis autem arbore dicit: *Trãſiui, & ecce non erat.* Vbi autem cœli volucres diutinam conuerſationem cum Principibus agunt, non mireris, ſi eorum participent mala. Quæ prorſus euadet, qui non niſi in tranſitu cum illis agit. Sapienter Nazi. 1. Apol. in Iulianum, ait: *Qui dat, vt impius nunc ſupra cedros elatus conſpiciatur, nũc deiectus atque in nihilum redactus, ſiquidem eius impietatẽ cauto pede, ac celeri præterire poſſimus.*

Nazianz. Expende in quo ponat Nazianz. vt Principum proſperitates, aut deiectiones nobis innoxiæ appareant, nimirum: *Si eius impietatem cauto, ac celeri pede præterire poſſimus*: Vocat impietatem temporalem Principum gloriam, vt Moyſes temporale peccatum vocabat apud Paulum. Si ergo nos, qui ad Deum feſtinamus, non cunctemur inter fauores, & temporales glorias Principum, ſed cauto, celeríque pede eas pertranſiuerimus, innoxiè eorum altitudines, & depreſſiones ſpeculabimur. Qui enim diutius cum Principibus agunt mirum

Iſaia 49. erit, ſi à Deo non cõtemnantur. Aiebat Iſaia c. 49. *Hæc dicit Dominus redemptor Iſraël, ſanctus eius, ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad ſeruum Dominorum.* Vbi noſter poſuit: *Seruum Dominorum*, legit D. Cyril. Alex. lib. 4. in Iſaiam orat. 4. *Qui ſeruus eſt Principum*, vt videas inter quas gentes ponantur apud Deum diutini Principum aſſeclæ: nimirùm inter contemptibiles animas, & gentes abominatas.

§. II.

Virtus parui temporis vix cenſetur apud Deum.

IN montem aſcendere iubetur Moyſes, & ibi ſtare, nec exprimitur quantum temporis ibi ſtare debeat: ſolùm enim dicit: *Aſcende ad me in montem, & eſto ibi.* Cur non exprimit, quot dies ibi ſtet? An paucos, vel multos dies ibi conſumat: Sanè eo ipſo, quod apud Deũ iubeatur eſſe, non id intelligendum eſt per paruum temporis, ſed per plurimum; vix enim apud Deum cenſetur virtus, quæ & paruo tempore, & ſemel fit. Quò

Rup. ſpectans Rup. aiebat: *Additũ eſt, & eſto ibi, ſubauditur nõ vna hora, vel vno die, ſed eſto ibi, id eſt, mane ibi quadraginta dieb. & quadraginta noctibus.* Ecce tibi vt ex eo, quod dicat, *eſto ibi*, putet ſub intelligi debere non vna hora, nec vno die, ſed multis diebus manendũ ibi. Nec aliter apud Deũ putaretur fuiſſe, qui in eo aut vnã tantũ horam, aut vnum tantum diem ſemel conſumeret? Hinc

Amos 5. Amos cap. 5. *Nunquid hoſtias, & ſacrificium obtuliſtis mihi, in deſerto quadraginta annis domus Iſraël?* Sic Deus obiicit Iſraëlitis, quod per totos quadraginta annos deſerti non obtulerint hoſtias, nec ſacrificia Deo. Ve-

Exod. 24. rum Exod. 24. dicit: *Miſitque Moyſes iuuenes de filiis Iſraël, & obtulerunt holocauſta, immolauerúntque victimas pacificas Domino, vitulos duodecim*, &c. Compone modò Exodum cum Amos. Exodus dicit oblatas victimas, & ſacrificia ab Iſraëlitis in deſerto, & particulariter numerat vitulos occiſos duodecim; Amos negat vllas hoſtias tunc temporis oblatas fuiſſe. Quid ergo dicemus? Nónne oppoſita ſunt hæc. *Fuiſſe, & non fuiſſe victimas?* An Moyſes, & Amos contrariantur ſibi: & quod ait vnus, alter negat? Abſit; ſed verum eſt, quod aliquãdo, & raro victimæ oblatæ fuerunt in deſerto, vt oſtendit Moyſes; at quia hæ frequenter, & per multum temporis non offerebantur, ideò Amos ſic loquitur, quaſi nullæ oblatæ eſſent. Parum enim pro nihilo reputatur. Ad hæc Caiet. ait in c. 24. Exod. *Si quæritur, quomodo verificatur hoc cum verbis Amos? Solutio eſt, quod in deſerto fuerunt rara ſacrificia, quæ non aduerſantur ſententiæ Dei apud Amos loquentis de iugi ſacrificio, & ſolitis in terra promiſſionis hoſtiis; neutrum enim horum ſeruatum eſt in deſerto quadraginta annis.* Erat equidem in templo Dei iuge, continuatúmque ſacrificium, quotidianę hoſtiæ, quæ & mane, & veſpere offerebantur Deo; quod minimè inueniebatur in deſerto; vbi raro aliquod ſacrificium oblatum eſt, nec vllum continuatum fuit per aliquod tempus. Quod autem rarum, & horarium fuit, non contrariatur dicenti, quia nullum fuit, non enim apud Deum cenſetur rarum virtutis opus, & parui temporis. Conueniant huc, qui ſemel tantum in anno ad pœnitentiæ, & Euchariſtiæ accedunt ſacramenta; & poſt peractum hoc anni penſum in vno die, vix ad noctem peruenium, quin ad conſuetas peccatorum tenebras redeant, quibus per integrum annum permanent. Metuo, ne hi apud Deum reputentur, quaſi qui nunquam ſua peccata fuerint confeſſi. Non enim parua, & rara virtutum opera veniunt in ſalutis cẽſum.

Caiet.

Matth. 25. fatuæ virgines expergefactæ dicebant prudentibus: *Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguntur.* Sanè non prorſus habebant extinctas lampades; ſed adhuc de paruo oleo lucebant; & iam periclitabantur, & iam extremam ruinam præſentiebant. Quid mirum? Parum olei propinquius cenſebatur æternis tenebris, quam lumini æterno. Ex quo D. Hie-

Matt. 25

Hieron. ron. ibi ait: *Quæ lampades ſuas queruntur extingui, oſtendunt eas ex parte lucere, & tamen non habent lumen indeficiens; nec opera perpetua, ſiquis igitur habet animam virginalem, & amator eſt pudicitiæ, non debet mediocribus eſſe contentus, quæ cito exoleſcunt.* Quę mediocria, quę parua, ſunt, quam primum è memoria euaneſcunt. Eadẽ promit Paſchaſ. lib. 11. in Matth. *Quæ lampades queruntur extingui, oſtendunt eas accenſas habuiſſe, & illuminatas, & ex parte eas luxiſſe. Sed quia non habuerunt opera perpetua, id eſt, opera charitatis æternæ, nec indeficiens lumen, propterea extinguntur.* Is habet lumen indeficiens, qui continuis, crebríſque virtutum operibus nititur lumen gratiæ in ſe retinere; & non patitur illud eſſe extinctũ, quin confeſtim reaccendat, & illi conſeruando multa adhibet virtutum fomenta. Qui autem non perpetua ſic virtutum opera habet, ſed rara, & parua is metuat æternis mandari tenebris.

Paſchaſ.

§. III.

Legis medulla, & ſpiritus ſine Ieſu nequit percipi.

AD altiorem locum vocatus Moyſes, relictis Aarone, & aliis, ſecum defert Ieſum Naue, ait enim textus: *Surrexerunt Moyſes, & Ioſue miniſter eius, aſcendénſque Moyſes in montẽ Dei, ſenioribus ait: Expectate hîc*, &c. Ecce, vt aliis relictis in illo loco noluit ſine Ieſu ad altiorem aſcendere. Et meritò vocabatur enim ad altiorem legis intelligentiam, ad ſpiritum, & medullam legis percipiendam, quæ ſine Ieſu nequeunt percipi. Ait Seuerus apud Lyppomanum in cat. *Poſtmodum verò aſſumptis Aarone, & ſenioribus Iſraël, eos vſque ad primum montis verticem ſubduxit, hoc eſt, ad altitudinẽ particularis diuinorum oraculorum aſcenſionis, per quam litera ipſa tantummodo reuelabatur. Cum autem interiorem Scripturam, ſpiritualem dico ſenſum, & profunda legis acceperus eſſet, Ieſum Naue ſecum aſſumpſit, qui figuram Ieſu Domini, & ſeruatoris noſtri gerebat, neque enim ſine Ieſu profunda legis, & Euangelij myſteria intelligi poterant.* Quando enim omnia legis Chriſtum adumbrabant, Chriſtum Ieſu præcinebant, in vanum quis ſine Ieſu vellet percipere myſteria, & ſpiritum legis. Hinc

Lyppom.

Matt. 17. Matt. 17. vbi Ieſus in monte trãſiguratus eſt, cũ inſtar

Solis

Solis facies eius splandesceret: *Ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes.* Expende quando apparent Moyses, & Elias loquentes cum Iesu, nimirùm cum antè Iesus in gloriæ suæ splendore cernitur. Nisi enim Iesus prius nostris mentibus illucescat, lex, & prophetæ minimè intelligentur. Rem tractat D. Chrysost. hom. 10. in Marcum fatus: *Nisi Iesum vidissent transformatum, nisi vestimenta illius candida, Moysem, & Eliam videre non poterant loquentes cum Iesu. Quandiu Iudaicè intelligimus, & literam sequimur occidentem; Moyses, & Elias cum Iesu non loquuntur, euangelium nesciunt. Sin autem Iesum secuti fuerint, & videre Dominum meruerint transformatum, & candida vestimenta eius, & omnia spiritualiter intelligere, quæ scripta sunt statim Moyses, & Elias veniunt, id est, lex, & prophetæ, & colloquuntur euangelio.* Sequaris, necessum est, Iesum, eiúsque gloriam videas, & statim medullam legis, prophetarúmque capies; & lex, & prophetæ Iesum vndique personabunt, euangelicísque mysteriis applaudent. Nihil enim à Iesu venit, quod non promat legis & spiritum, & substantiam. Sic enim ait Tertul. lib. 4. in Marcionem fatus: *Vtique Iesu eloquium diuinum vim, & gratiam præstabat, magis extruens, quam destruens substantiam legis, & prophetarum.* Nunquam non ex Iesu apparebat legis gratior substantia.

Exod. 24. Cúmque ascendisset Moyses operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini supra Sinai tegens illum nube sex diebus. Septimo autem die vocauit eum de medio calignis. Erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israël. Ingressúsque Moyses medio nebulæ ascendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

§. IV.

Dei gloria in omnimoda carnis maceratione, & abnegatione.

DVo Moysis ascensus in montem in præsenti capite recensentur, alter cum septuaginta senioribus, alter cum solo Iosue, in vtroque ascensu ostenditur Dominus, sed in primo simpliciter dicitur Deus visus esse, in secundo non simplici vocabulo dicitur visus Deus, sed gloria Dei apparuisse ostenditur. Habes enim: *Cùm ascendisset Moyses, habitauit gloria Domini supra Sinai.* Et rursus ait: *Erat autem species gloriæ Domini quasi ignis ardens super verticem Domini in conspectu filiorum Israël.* Ecce tibi, vt ascendente Moyse solo, sese ostentat gloria Dei. Verum vbi cum aliis ascendit, dicit textus: *Ascēderúntque Moyses, & Aaron, & Nadab, & Abiu, & septuaginta de senioribus Israël, & viderunt Deū Israël* &c. *Viderúntque Deum, & comederunt, & biberunt.* Non dicuntur vidisse gloriam, sed Deum, quasi illorum visio non multum pertinuisset ad gloriam Dei. Et cur in iis non nominatur Dei gloria, vt nominatur, quando solus Moyses accedit? Equidem de iis dicitur: *Viderúntq; Deum, & comederunt, & biberunt*; forsan conuiuiis, & comportationibus licet sobriis celebrantes, & honorificantes festum Dei apparentis. De Moyse autem ascendente solo dicitur, quod fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus absque vllo potu, aut esu. Quod autem festis, conuiuiis, & sæcularibus pompis celebres Dominum, imperfectorum est hic cultus, & religio; illud magis ad gloriam Dei spectat, quod in omnimoda carnis abnegatione, & maceratione adoretur diuinitas. Hinc post Iesu traditum patri spiritum ait Ioan. 19. *Rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathæa, vt tolleret corpus Iesu.* &c. *Venit autem, & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum ferens mixturam myrrhæ, & aloës, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, & liganerunt illud linteis cum aromatibus, sicut & mos est Iudæis sepelire.* Mirabar sæpe, cur in tota hac Christi sepeliendi pompa, nullus Apostolorum dicatur interfuisse, nec discipulus ille dilectus, qui cruci adstitit, dicitur adfuisse inferendis aromatibus sepeliendo Christo. Tota hæc pomposa sepulturæ curatio relicta fuit penes nobiles viros Nicodemum, & Iosephum, qui è discipulis imperfecti erant Christi. Et cur hi potius eliguntur ad præstandum hoc pomposum obsequium sepulturæ? Cur non magis Apostoli, cur non magis Ioannes, qui cruce adstitit, dicitur adfuisse huic pompæ? Sanè imperfectorum est obsequium, quod in pompa sæculari offertur, & non tanti momenti apud Deum; & ideò relinquitur imperfectis adhuc discipulis, qui erant è nobilium, Principúmque numero. Apostoli autem, & qui perfectiores sunt, non in pompa, sed in ignobilitate, in humiliatione, in fame, & frigore, & nuditate, & in omnimoda carnis abnegatione suum obsequium præstant, quod ad supremum Dei honorem, & gloriam maximè pertinere sciunt. Ait D. Chrysost. hom. 84. in Ioan. *Hæc* (nimirùm pomposæ sepulturæ obsequia) *a non intelligentibus resurrectionis rationem facta sunt. Nec enim ex duodecim hæc fecerant, sed qui non multo Iesum honore prosecuti sunt. Duodecim autem non sic, sed mortis cædibus, & periculis pro eo se exposuerunt, qui honor longè maior.* Sanè sæculares pompæ non multum extollunt Dei gloriam, non ad magnum pertinent Dei honorem: quod illi in fame, & siti, & periculis seruias, is, si qui alius, magnus Dei honor est, maximèque in eo ostenditur gloria Dei. Ingens erat opus, & præclarissimum in fornace Babylonis, in qua ignis sic frænabatur, vt minimè pueros Hebræos læderet. Ad quod stupens Nabuchodonosor ait Dan. 3. *Benedictus Deus eorum Sidrach, videlicet, Misach, & Abdenago, qui misit Angelum suum, & eruit seruos suos, qui crediderunt in eum; & verbum Regis immutauerunt, & tradiderunt corpora sua ne seruirent, & ne adorarent omnem Deum, excepto Deo suo.* Expende, quam multus est in explicanda puerorum virtute, & quam paucus in diuinæ potestatis miraculo ponderando. De miraculo solum dicit: *Misit Angelum suum, & eruit seruos suos*, nec ponderauit ignis valentiam frænatam, ardentes flammas in rorem commutatas, de puerorum virtute nihil non ponderat, & exaggerat. Ait enim: *Qui crediderunt in Deum, & verbum Regis immutauerunt, & tradiderunt corpora sua*, &c. Cur bone in conspectu diuini facinoris, & miraculi frænantis flammas, tantus es in explicanda puerorum virtute, vt contempserint regiam potentiam, regiam gratiam, vt corpora sua periculis, duræque morti tradiderint propter Deum? Cur non es largior in explicando opere diuinæ potestatis? Equidem non sic gloria Dei apparet in potentissimis miraculis, vt in illis apparet, qui in omnimoda rerum abnegatione, in carnis, mundíque contemptu coram illo versantur. Ait D. Chrysost. hom. 18. in. 1. ad Corinth. fatus: *Itáque non propter signum tunc Deus tantum glorificatus est, sed propter eorum, qui in fornacem iecti sunt, propositum.* Multum ad Dei gloriam faciebat signum, quo valentia ignis coërcebatur, & Deo parebat, sed longè magis Dei gloriam ostentabat puerorum propositum, quo omnibus mundi bonis renuntiantes, in extrema necessitate firmi in Dei seruitio perseuerabant.

§. V.

Carnis mortificatione diutius, perseuerantiúsque Deum habes.

DVm Moyses montem ascendit, statim ibi Dei gloriam experitur inhabitantem, dicit enim: *Et habitauit gloria Domini supra Sinai tegens illum nube sex dies*, &c. Expende illud *habitauit*: non enim in transitu fuit ibi gloria Domini, sed quietè, & placidè illic quasi in propriis sedibus inhabitabat. Paulò antè & Moyses, & Magnates viderant Deum, sed non inhabitatem

ibi:dicit enim:*Viderúntque Deum, & comederunt,& biberunt*. Sed non cum his dicitur Deus fuiſſe moratus nec habitaſſe. Et cur cum his non moratur Deus, nec inhabitat, & vbi Moyſes paulò magis aſcendit, ſtatim offendit gloriam Dei ibi inhabitantem? Illi & viderunt Deum, & comederunt, & biberunt, nec miror,quod qui conuiuiis indulgent, Deum ſecum non habeant inhabitantem:Moyſes autem non manducans, nec bibens, ſed in fame, & ſiti Deo aſtans meritò experitur gloriam Domini ibi habitantem, perſeuerantius enim, & diutius Deus moratur, vbi eſt appetitus, carníſque
2.Cor.12. mortificatio.Ideò ait Paul.2. ad Corinth.12. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti*.Præmiſerat c.11. multa de infirmitatibus ſuis,vt plus omnibus laborauerit in fame, ſiti, frigore, & nuditate; vt colaphizabatur ab Angelo Satanæ. Et quid lucri in tot infirmitatibus? Ait ſtatim:*Vt inhabitet in me virtus Chriſti*, vbi enim auſteritas vitæ,& carnis maceratio eſt, non vtcunque eſt diuina virtus,ſed per inhabitationem, & diuturniorem conſeſſum. Ait D.
Chryſoſt. Chryſoſt.ibi hom.26. *Vt inhabitet in me virtus Chriſti. Hic aliud quippiam innuit;nimirùm, quanto plus ingruat tentationum,tantum magis augeri gratiam.eſſéque diuturniorem*. Tunc enim diuturnior eſt Dei commoratio in nobis, quando magis per carnis macerationem coarctamur.Hinc Iobi poſt ſpoliationem à bonis, poſt ægritudinum ærumnas,poſt amicorum contumelias,dicit cap.38.*Reſpondens autem Dominus Iob de turbine,dixit*. Ex Græco legitur:*Dixit Dominus Iob per procellam, & nubes*. Non ſimpliciter Deus venit ad Iob tot maceratum ærumnis,ſed venit in nubibus.Et cur in nubibus maluit venire?Vt oſtenderet ad talem non tranſitoriè venire,ſed ita venire,vt eo transferat,& habitationem,
Chryſoſt. & ſedem ſuam.Ait Diu.Chryſoſt.in cat. Græca: *Cùm cœli ſymbolum,ac nota ſit nubes,quando cœlum ipſum vult Iobi vertici imminere,fermè ſolium prope Iobum admouet, quo mentem eius erigat*. Expende illud:*Solium prope Iobum admouet*; quippè cum domo, & ſolio, & ſede ſua adeſt Dominus Iobo, proculdubio apud illum habitaturus.Non equidem venit Dominus viator, ſed habitator,non hoſpes,ſed domeſticus illis, qui ſæcularibus cupediis renuntiant. De Iſraëlitis in heremo exiſtentibus,& in ſiti,& fame per ſolitudinem peregrinantibus
1.Cor.10. ait Paul.1.ad Corinth.10. *Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra: Petra autem erat Chriſtus*. Non dicitur Chriſtus fuiſſe riuus, qui dimanans à petra,ſitientes ſatiabat,ſed dicitur fuiſſe petra. Et cur non potius comparatur Dominus dulciſſimo fluento ſcaturienti à petra,quàm ipſi petræ? Meritò non comparatur tranſeunti fluento,ſed manenti petræ; iis enim, qui in ærumnis ſunt,in fame,& ſiti ſunt Deo fideles firmiter,
D.Amb. & perſeueranter adeſt Deus. Ait D.Ambr. in Pſal.39. *Petra autem erat Chriſtus. Petra, eo quod ſitientes ſequatur, confirmet labentes, ne ſitientibus aqua deſit,labentibus firmamentum*. Is enim eſt Deus, qui neſciat ſeparari ab iis,qui in fame, & ſiti,& in carnis mortificatione eum quærunt;hos enim pene inſeparabiliter comitatur, & ſequitur,apud illóſque eſt quaſi immobilis petra.

§. VI.

Verbum Dei hominem in quauis indigentia ſuſtentat.

SEx diebus fuerat Moyſes in vertice montis non manducans,neque bibens, & ſeptimo à Domino vocatur,nec eſt, qui inter tot dies meminerit epulas; ſolùm enim dicit:*Septimo autem die vocauit eum de medio caligis*. Ad quid Dominum vocas ſex dierum inedia confectum? Nónne vtilior illi fuiſſet manus tua panem porrigens, vt viueret, quàm vox tua vocans ad myſteria? Abſit,vox enim Dei,eiúſque verbum potens
Rupert. eſt reficere, & ſuſtentare hominem in quacunque neceſſitate exiſtentem.Ait Rupert lib.3.in Exod.cap.45. *Quaſi quæreres, quomodo tandiu durauit homo ſine cibo, & ſine potu,cùm vltra ſeptem dies natura humana ſine omni alimonia durare non poſſit? Septimo autem die, inquit, vocauit eum de medio caliginis. Vocauit ergo illum de medio caliginis,cuius vox ſuauis, & ſuper mel, & fauum eſt dulcis,& vocatione ſua ſic inopem naturam hominis ditauit,vt vſque ad quadrageſimum diem non ſolum cibi, & potus,ſed totius humanæ conditionis poſſet obliuiſci*. Quid pulchrius?Ea eſt vox diuina, quæ omnem indigentiam in homine ſupplet, & dum humanis auribus intonet, hominem egere minimè ſinat. Nulla indigentia,nulla præſſura ſentitur in eo,in quo ſonat efficacia verbi diuini.Dicebat de ſe Paulus 1.ad Corint.12. *Scio huiuſcemodi hominem, (ſiue in corpore,ſiue extra corpus neſcio: Deus ſcit) quoniam raptus eſt in paradiſum, & audiuit arcana verba*. Mirabar,quod Paulus neſciret, an raptus eſſet cum corpore; ſed illud nunc miror, quod poſt raptum peractum,id non inquiret Paulus ex aliquibus ipſius ſignis corporis. Cur Paule id non inquiris ex ipſis corporis indigentiis? Cur non examinas,an corpus interea, quæ ſunt corporis, habuerit? An eſurierit? An ſitierit? An aliqua grauedine oppreſſum fuerit? Poterátne eſſe corpus, vbi hæc non erant? Equidem ſine illis poterat corpus eſſe, & diutius eſſe, dum in illo ſonarent Dei verba, ideò Paulus cum aſſerat à ſe arcana verba audita, prorſus refugit examinare corporis indigentias. Ait D.Ambr.epiſt.11. ad Irenæum, fatus: *Audiens verba Dei,quomodo ad corporis infirmitates deſcenderet, erubeſcebat. Itáque ſciens quid audiſſet, clamat dicens: Quid adhuc velut viuentes de hoc mundo diſcernitis? Ne tetigeritis,ne attaminaueritis, ne guſtaueritis,quæ ſunt omnia ad corruptelam ipſo vſu. Volebat nos in figura eſſe huiuſmodi, non in poſſeſſione*. Sic affectus diuinis verbis, ſic ſatiatus procurat perſuadere nihil aliud eſſe requirendum;quando in verbo Dei tanta eſt vis,quæ poſſit nos implere, & facere vt penitus obliuiſcamur omnium,quibus corpus eget.

1.Cor 12. D. Amb.

§. VII.

Adumbrata fugientes mala in vera incidimus.

ECce quibus perterrefacti Iſraëlitæ fugiebant montem in quo erat Deus, nimirùm ait: *Erat autem ſpecies Domini quaſi ignis ardens ſuper verticem montis*, &c.Non ignis eſſe dicitur,ſed quaſi ignis, vt enim notat Caietanus, dicendo quaſi ignis: *Inſinuat, quod non erat verus ignis, ſed erat ſimilitudo ardentis ignis*. Proh miſera hominum conditio! Non vera, ſed adumbrata mala ſunt,quibus à Deo arcemur,& vt adumbrata hæc fugiamus,non dubitamus nos veris tradere malis. Inſtar puerorum,qui horrentes laruas flammis ſe tradunt, ſic nos horrentes apparentia tantum mala, in veriſſima tormenta currere non dubitamus. Aiebat Gen.37. Ioſeph fratribus ſuis:Audite ſomnium meum,quod vidi: *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum,& ſtare,veſtróſque manipulos circumſitantes adorare manipulum meum*.Ad hoc ſomnium exaſperati fratres vēdiderunt Ioſephum Iſmaëlitis, vt ſe ſomnio liberarent,qui deductus eſt in Ægyptum, ibíque quaſi Rex factus,eum in tēpore famis frumento abundaret,ad eum currunt, illúmque adorant pro panibus, & non paruam tribulationem apud illum capiunt. Vndè ad hæc deuenerunt mala?Ex eo ſolum, quod ſomnia Ioſephi expaueſcunt,quæ dum fugiunt,incidunt in vera mala.Pulchrè enim ait D.Baſil.Sel.orat.8. *Ioſephi fratres vſque ad ſanguinem contra ſomnia pugnantes, nundinatione ſomnia ad effectum perducunt,& in clementes cognati ſanguinis nundinatores conſtituti, poſt paulò victus emptores euadunt,& obiectos per ſomnium manipulos exoſi non multò poſt verorum manipulorum ſupplices rogatores extiterant*. Expēde ab illis:*Obiectos per ſomnii manipulos exoſi*,quippè fugientes ſomnia,fugiētes humiliationem in ſom

Caietan.

Gen.37.

Baſil Sel.

in ſomniis repræſentatam, ad veram humiliationem,& tribulationem,euolarunt. Id, quod ſæpiſſimè omnibus nobis accidit, qui fictas, & adumbratas tribulationes fugimus,vt veras amplectamur.Et quæ tribulatio temporaria non ficta eſt,non eſt apparens tantum?Sanè Babylone incenſa erat horribilis fornax, cuius flammæ horrorem incutiebãt ſpectatoribus maximum. Has tamen videntes pueri Hebræi non metuunt illis tradi, vt ſeſe ab adoratione liberarent aureæ imaginis.Mittuntur ergo medias in flammas, & quas à foris ardentiſſimas reputabant,intra illas rorem inueniebant non flãmas.Ait enim Dan.3. *Fecit medium fornacis,quaſi ventum roris flantem*.Flammæ apparebant,& ros inueniebatur à pueris,ſic temporariæ pœnæ,non tam pœnæ,quàm apparentiæ pœnarum, & imagines ſunt. Vt dicat Sedul. lib.1.Paſchali. Dan.3. Sedul.

Medios traduntur in ignes
Nil ardente rogo,tantóque ardore calentes
Cordis,imagineæ vincunt incendia pœnæ.

Nota illud:*Imagineæ pœnæ*; ſunt enim, quas horremus, pœnæ temporariæ,imagines pœnarum,illaſque imaginarias,& apparentes experiuntur ſtrenui fideles;imbecilles autem ad has apparentias ſtupentes, non dubitãt ſe veris tormentis tradere. Huc reuoco dicta ſuprà 1. tom.in Vetus Teſtam.lib.3.cap.1.par.2.§.24.in fine.

Exod. 32. Vidēs autem populus quod moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus aduersùs Aaron, ait: Surge, fac nobis Deos,qui nos præcedant. Moyſi enim huic viro,qui nos eduxit de terra Ægypti,ignoramus, quid acciderit ei.

§. VIII.

Ducis optimi fœlicitas,quod eius abſentiam ſolus Deus poſſit ſupplere.

IN ſumma Iſraëlitarum ſtultitia, & perfidia,non negauerim illud prudentiæ fuiſſe, quod poſt Moyſem non requiſierint alterius hominis, ſed ſolius Dei ducatum. Dicunt enim ſtultiſſimi, & ingratiſſimi homines:*Fac nobis Deos,qui nos præcedant. Moyſi enim huic viro,qui nos eduxit de terra Ægypti,ignoramus, quid acciderit ei.* Quando deſperant de reditu Moyſis beneficentiſſimi ducis, ſibi petunt Deos ductores conflari. Cur non potius de alio eligendo homine duce maluerunt cogitare? Cur in defectu Moyſis magis Deos, quam hominem alium flagitant? Sanè in tanto flagitio id videntur ſapere,quod putent boni ducis, bonique Principis abſentiam minimè ſuppleri poſſe niſi per præſentiſſimam diuinitatem. Ait Abbull. quæſt. 8. *Nullus talis, vt Moyſes videbatur inueniendus. Viſum ergo fuit eis, quod nullum ſufficientem directorem habere poterant, niſi Deus eſſet.* Et quis non Deus optimi ducis abſentiam ſuppleret? Eò ſpectans Iacob Gen. 49. in benedictione regiæ tribus Iuda dum Dauidis mente euoluit magnalia,fatur: *Ad prædam, fili mi, aſcendiſti,requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna: quis ſuſcitauit eum? Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat,qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Loquitur de Dauid,vt regnauit, vt nationes hoſtiles deprædatus eſt, vt omnibus ipſe metuendus in pace requieuit, & ſepultus eſt. Tunc de eius ſucceſſoribus cogitans, vt bene ſentit Hugo Card. de filiis agens,qui patri ſuccedant, & in quibus pater adhuc viuere,& ſupereſſe videatur,ait: *Quis ſuſcitabit eum?* Quis Dauidis ſucceſſor tantus erit, in quo patris non ſentiatur abſentia? A quo Dauidis defuncti ſceptrum ita tenebitur, quaſi ipſe ſupereſſet? Sanè ad hoc neceſſum eſt,vt veniat ad Dauidis ſedem ipſe Deus, qui mittendus eſt.Non alius inſtar Dauidis ſuſcitati erit,niſi Deus. Abbul. Gen.49. Ezec.34.

Accinit Ezechiel cap. 34. fatus: *Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorem vnum,qui paſcat eas,ſeruum meum Dauid.* Mortuus erat Dauid, cum hæc dicebantur, quis ergo ille eſt,in quo vno videretur Dauid ſuſcitatus? Is vnus eſt Filius Dei, nullus enim alius tanti Regis potuit ſatisfacere deſideriis. Ait D. Amb. epiſt. 47. *Dauid vtique Rex iam defunctus erat, & ideò verus Dauid, verus humilis,verus manſuetus, verus manu fortis Dei Filius hoc annuntiatur nomine.* Nec miror,in ſolo enim hoc ſucceſſore,& Dauid ſuſcitaretur, & eius defectus ſuppleretur. Id,quod oſtendebat Oſeas dum ait cap. 3. *Dies multos ſedebunt filij Iſraël ſine Rege, & ſine Principe, & ſine ſacerdotio,&c.& poſt hæc reuertentur filij Iſraël, & quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid Regem ſuum.* Atqui Dauid multis ſæculis antea mortuus fuerat,& vix eius ſemen remanſerat in captiuitate illa Babylonica, quomodo ergo dicuntur quæſiſſe Dauidem Regem ſuum? Sanè idem erat illis quærere Deum, & quærere Dauidem; is enim erat Dauid,qui per ſolum Deum poterat ſuppleri. Vnde Theodoretus prætermittens, quod de Dauidis inquiſitione dicitur,ſolum ait: *Et quærens Dominum Deum ſuum*;quaſi innuat, quod poſt mortem,in nullo alio poſſit quæri, & inueniri Dauid niſi in Deo, Facit enim hoc ad maximam Principis excellentiam, quod ſolus Deus ſuppleat eius abſentiam. Similiter poſt mortem maximi ducis Ioſue non ſtatim ſuſcitauit Dominus Principem,& ducem populi,ſed dum aliqua bella committuntur,erant Iſraëlitę ſine duce,& ſine iudice vniuerſali totius gentis.Interea ait cap. 2.Iudic. *Adſcendit que Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium,& ait:Eduxi vos de Ægypto,*&c.Nō hîc aliquis homo propheta intelligitur, ſed Angelus verus Deum repræſentans,& populum ab erroribus commiſſis auertens,& confortans ad certamina reliqua. Quod antea faciebant Moyſes,& Ioſue;& poſtea fecerunt, & iudices,& propheræ. Sed cur nunc ſolum id munus nulli homini commiſit Dominus? Quando id fuerat munus Moyſi demandatum, & poſt Moyſem ſtatim idem traditum Ioſue;cur & poſt Ioſue non alteri ſtatim homini mandatur; ſed ſuſpendit Deus iudicis electionem per aliquod tempus, mallens ipſe per Angelum ſuum populum regere,& corrigere,& ad meliora mouere? Sanè conferebat hoc ad magni ducis Ioſue excellentiam oſtendendam,cuius abſentiam non alius homo immediatè,ſed vel Angelus,vel ipſe Deus ſupplebat. Ambr. Oſeas 3. Theod. Iudic.2.

§. IX.

Summa ſtultitia, & miſeria eſt, quod videns creaturarum defectum,alteri fidas quàm Deo.

PRo Moyſe expuncto nō alium hominem poſtulãt ſibi præfici,ſed Deum dicentes:*Fac nobis Deos, qui nos præcedant. Moyſi enim huic viro,qui nos eduxit, ignoramus, quid acciderit ei.* Et cur malunt ſibi præfici Deum, quàm hominem? Ipſi rationem reddunt dicentes: *Moyſi enim huic viro ignoramus, quid acciderit.* Ex quo enim Moyſem præceſſum virum ſibi defuiſſe experiuntur, in hoc ſapienter agunt, quod nolint amplius homini fidere,ſed Deo.Ait Abbulenſ. quæſt. 8. *Dato,quod aliquis ita perfectus ſicut Moyſes reperiretur; tamen quilibet homo deficere poterat, aut mori, ſicut videbatur eis de Moyſe,de quo neſciebant, quid factum fuiſſet. Et ſic magis opinabantur eum mortuum, quam viuentem.Deus ergo ad tale regimen neceſſarius fuit, vt deficere non poſſet, neque mori.* Stulti ij in idololatria introducenda, at ſapientes multum in eo, quod dum credunt mortuum Moyſem, non amplius volunt morituro fidere,ſed vni immortali Deo. Vtinam hanc mentem vniuerſi imbiberemus, qua defectum temporalium omnium videntes, nulli amplius fideremus niſi Deo. Et quis fidat manifeſtè deficientibus, & non pereat? De manna Iſraëlitis dato in cibum dicitur Exod. 16. quod à multis contra Dei præceptum aſſeruaba Abbul. Exod.16

aſſeruabatur in diem craſtinum; verum quod ſic aſſeruabatur, *ſcatere cœpit vermibus, atque computruit.* Duo mala inueniebant miſeri in eo, quod ſibi aſſeruabant, & putredinem, & vermes. An non ſufficeret putredo ad eorum inanes curas caſtigandas, cur maluit Deus
D. Proſp. ſuperaddere malitiã vermium? Pulchrè ait D. Proſper. de Promiſſ.1.par.cap.39. *Hæc eſt putredo, hi vermes eorũ, qui pereunte mundo cupiunt ſuas augeri diuitias:* Expende ab illis: *Qui pereunte mundo*, &c. Quippè iuſtum eſt, vt æternis corrodantur vermibus illi, qui videntes totum mundum perire, non vni Deo fidunt, ſed adhuc nituntur diuitiarum incerto. Qui inter ruinas mundi adhuc bona temporalia ſpectant, non miror, ſi partem ſuam habeãt cum vermibus. Extremam Pharaonis ruinam in mari rubro nemo eſt, qui ignoret, ibat ille cum magno exercitu, vt fugientes Iſraëlitas ſibi retineret, affectus enim illorum ſeruitiis, illos ſecum nitebatur habere. Iungit currus, homines inſequitur, mare intrat,
Exod. 14 vbi funditus periit, dicente Scriptura Exod.14. *Nec vnus quidem remanſit ex eis.* Et vnde miſeri in tam horrẽ-
D. Mac. dum interitum deuenêre? Ait D. Machar. hom.47. *Animaduertẽs Pharao cum Ægyptijs fugam populi Iſraëlitici, séque ſeruitio eorum priuatum eſſe: etiam poſt primogenitorũ cædem perſequi auſus eſt.* Poſt viſos primogenitos ſuos morientes, adhuc ſeruitia hominum retinere totis viribus cupiebat, vndè in' irremediabile exitium deuenit. Hoc perdidit Ægyptios, & hoc innumeros perdidit, quod videntes ruentem mundum, adhuc creaturis ſe credant, & non potius creaturis valedicantes, vni
D. Cypr. Deo adhæreſcant. Pro quo monebat Diu. Cypr. epiſt. 56. *Nemo quicquam de ſæculo iam moriente deſideret, ſed ſequatur Chriſtum, qui & viuit in æternum, & viuificat ſuos*, &c.

§. X.

Virtutis aſſecla non nouit Deum niſi vnum.

QVod vnus Moyſes præſtiterat, etiam poſſet præſtare Deus vnus, Iudæi tamen, qui vno ductore Moyſe contenti erant, cum de Deo eligendo loco Moyſis agunt, non cogitant niſi Deos plures. Dicunt enim: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Cur non Deum, ſed Deos volunt? Oſtendebatur ibi malitiæ facinus, nõ affectus virtutis, qui enim à virtute venit affectus, nunquam nouit cogitare niſi Deum vnum. Id, quod vel nouit Satyricus ille ethnicus Iuuenalis, qui auream ætatem deſcribens omni vitio carentem, omni ſplendẽrem virtute, inter alia dicit de illa:

Nec turba Deorum
Talis, vt eſt hodie, contentáque ſydera paucis
Numinibus, miſerum vrgebant Athlanta minori
Pondere.

Ecce tibi vel ethnicus vbi floridum ſtatum virtutis in aurea ætate depingit, nil prius indè tollit quàm Deorum turbam. Sic annexum eſt virtutis affectui non Deum agnoſcere niſi vnum. Tolle vitioſas affectiones ab hominibus, linque in illis naturam omni vitio purificatam, nulla infectam ſorde, & fallar ſi alium, quàm v-
Arnob. num Deum ſonet. Hac ratione torquet gentes Arnobius lib.2. fatus: *Da verum iudicium; & hæc omnia circũſpiciens, quæ videmus, magis an ſint Dij cæteri dubitabit; quam in Deo cunctabitur, quẽ eſſe omnes naturaliter ſcimus, ſiue cum exclamamus, ô Deus, ſiue cum illum teſtem Deum conſtituimus improborum*, &c. Hæ ſunt voces animæ naturales, animæ, inquam, non ſeruientis affectibus vitioſis; hæc talis anima nunquam non exclamauit, ô Deus, nunquam non aduersùs improbos Deum teſtem citauit, quin in iis meminerit Deorum pluralitatem. Vt
Athan. ſapienter dicat Diu. Athanaſ. orat. aduerſus idola: *Eſt igitur malitia præuia, antecambuláque idololatriæ.* Nũquam, mihi crede, mens humana ad Deorum pluralitatem iret, niſi ab affectionibus prauis ducta. Vndè Arnobio elegantius Tertull. in Apoleg. cap. 17. ait: *Anima licet carcere corporis preſſa, licèt libidinibus, & concupiſcentiis euigorata, licèt falſis diis ancillata, cùm tamen reſipiſcit, vt ex crapula, vt ex ſomno; vt ex aliqua valetudine & ſanitatem ſuam patitur, & Deum nominat ſolum, quia proprie verus hic vnus Deus, bonus, & magnus, & quod Deus dederit, omnium vox eſt. Iudicem quoque conteſtatur illum, Deus videt, & Deo commendo. O teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ.* Expende illud: *Sanitatem patitur, & Deum nominat ſolum:* quippè vox à ſana mente prolata ſtatim exprimit Dei vnitatem. Imò pergit Tertull. *Et viros iuſtitia, & innocentia dignos Deum noſſe, & oſtendere, à primordio Deus in ſæculum emiſit ſpiritu diuino mundatos, quo prædicarent Deum vnicum eſſe*, &c. In multis enim à primordio reſplenduit iuſtitia, & ſanctitas, à quibus omnibus Dei vnitas eſt prædicata. *Arnob.* *Tertull.*

§. XI.

Nulla honoris excellentia non ſordet in turba.

DEitati maximè derogat, qui Deos plures ſibi effingit, vt iſti effingũt, dicẽtes: *Fac nobis Deos.* Nulla enim excellentia non multum ſordeſcit, & vileſcit in turba. Nil enim magnum eſt, quod ſis id, quod multi alij ſunt. Id, quod notabat D. Hieron. epiſt. ad Pamach. *Antequam Chriſto tota mente ſeruiret; notus erat in ſenatu, ſed multi alij habebant infulas proconſulares. Totus orbis huiuſcemodi honoribus plenus eſt. Primus erat, ſed inter primos. Quamuis clarus honor, vileſcit in turba. Latent in multitudine laureæ: At nunc omnes Chriſti Eccleſiæ Pamachium loquuntur.* Sic ſapientiſſimus vir præfert communi honorem ſingularem. Ex ſingularitate enim quælibet præſtantia eſt magna? tunc valde minoratur, cum pluribus communis fit. Hinc malus ſerpens primis hominibus dicebat Gen.3. *Eritis ſicut Dij*; cur ſicut Dij, & non ſicut Deus? Ipſe ſibi dicebat Iſaiæ cap.14. *Similis ero Altiſſimo*, non Altiſſimis; cur etiam modò non
Iſa.14. dicit: *Eritis ſicut Deus, & non ſicut Dij?* Ambitioſus ſibi magnum, & ſublime aptabat, quod erat in ſingularitate diuinitatis; ſubdolus autem hominibus Deorum prętẽdit pluralitatem, vt nihil magnum in diuinitate eſſe perſuadeat. Pulchrè ait Procopius in Gloſſa: *Nec into-*
Procop. *nat: eritis vt Deus: ſed vt Dij, volens vt inſueſcerent nihil magni ſentire de Deo, vt exiſtimarent eum nec ſolum eſſe Deum.* Sanè nihil magni ſentit de diuinitate, qui illam pluribus communem facit; nihil magni ſentit de Deo, qui non ſolum, & vnicũ, ſed multos illi pares teſtatur. Aiebat Dominus Matth.10. *Multis paſſeribus meliores eſtis vos.*
Matt.10 Quæ verba premens Tertull. lib. de Reſurr. ait: *Multis paſſeribus ante ſtare nos Dominus pronuntiauit. Si non & Phœnicibus nihil magnum.* Tota enim magnitudo conſiſtit in raritate, & ſingularitate. Quando autem Phœnix ſola, & rara inter aues inuenitur; qui illi aſſimilatur in gloriæ ſingularitate, ille magnus eſt, qui vero ab illa ſingularitate cadit, & vnus inter multos eſt, huic nihil adeſt magnum. Quò reſpiciens Nazianzen. orat.
Naz. 24. monet nos, aiens: *Si quis cor ad Dominum habet, nobiſcum iungatur, atque vnam in tribus perſonis deitatẽ adoremus, nullum humilitatis nomen inacceſſibili gloria tribuẽtes, ſed vnius Dei in tribus perſonis exaltationes ſemper in gutture ferentes.* Et quidem, quod ad vnitatem, & ſingularitatem diuinitatis facit, id exaltatio eſt, vt eſt humile, quidquid Deũ cum aliis communẽ facit. Quare cauenda ſunt in Deo illa nomina, quæ cum creaturis communitatem habent, vt dicat Minutius Felix in
Min.Fel. Octauio: *Nec nomẽ Deo quæras, Deus nomẽ eſt: illic vocabulis opus eſt, cum præ ſingulis propriis appellationum inſignibus multitudo dirimenda eſt: Deo, qui ſolus eſt, Dei vocabulum totum eſt, quem ſi patrem dixero, terrenum opineris; ſi Regem, carnalem ſuſpiceris, ſi Dominum, intelliges vtique mortalem.* Nullum vocabulum eſt proprium

proprium diuinitatis, nisi illud, per quod vnum cognoscitur nomen solum,& singulare.

§. XII.

Summa ingratitudo, quod inter beneficia ipsa, obliuiscaris largitorem.

DE petra fluens riuus sequabatur Israëlitas, è cœlo singulis diebus manna cadebat in cibum, in mõtis vertice, splendebat species gloriæ Dei, & in columna nubis ductor Angelus stabat coram populo, interea tamen Israëlitæ clamant ad Aaronem: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Cur hoc petunt? An quia cœlestis cibus defecerat? An quia Dei Angelus è nubis columna discesserat? An quia diuinæ gloriæ species euanuerat è monte? Absit; sed habentes omnia hæc præ manibus, coram oculis, sic petunt Deos sibi fieri, quasi non habeant Deum ductorem. Quid turpius? Sanè ingratitudo summa hæc est, quod inter ipsa beneficia, sic obliuiscantur largitorem. *Chrysost.* Rem ponderat D. Chrysostom. hom. in Iudam; fatus. *Iudæi circa Deum bonorum sibi omnium largitorem fuerunt effrenata diffidentia contumaces, & eius beneficia obliuione præteribant. Nam post Ægypti profectionem viderunt scindi maria, & denuo conuenire, & alia multa mirabilia, & dicunt: Fac nobis Deos, qui nos antecedant. Adhuc inspicis, quod miraris, & oblitus es largitoris?* Sic ingratissimi, & infœlicissimi homines adhuc ob oculos habebant Dei magnalia, adhuc manibus carpebant ex Deo alimoniam, & penitus obliuiscebantur largitorem. *Oseas 4.* Oseas cap. 4. monebat: *Nolite ingredi in Galgala, & ne ascendatis in Bethauen.* Mirabar, quod sic Dominus caueret accessum ad Galgala, in qua multa erant signa diuinorum beneficiorum. Ibi lapides ex Iordane educti erant testantes miraculum quo illac transiuit populus. Cur ergo non accedant ad tantam ciuitatem, in qua stabant tot diuinorum beneficiorum memoriæ? Cauebat Deus, ne magis cresceret ingratitudo populi intra tot beneficiorum diuinorum memorias adorantis Idola. *Theod.* Ait Theodor. ibi: *Galgala vrbs est multis dedicata, ac deuota Idolis, vbi Iesus filius Naue non circuncisos populi cultris lapides circuncidit: in hac eadem duodecem lapides repositi, quos ex medio Iordanis alueo accipiendos iusserat Dominus, vt beneficij accepti essent monumentum; atque per hos lapides posteri noscerent, vt siccato alueo, populus flumen transisset. Maximè ingrati animi signum est vrbem illam, in qua tanta diuinæ benignitatis accepissent monumenta, impietatis esse factam metropolim.* Quanta hæc ingratitudo, quam immanis furor? Inter ipsa beneficiorum monumenta sedem locarunt perfidiæ. *Oseas 13* Hos præclarè depingit Oseas cap. 13. *Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Ægypti: & Deum absque me nescies, & Saluator non est præter me. Ego cognoui te in deserto, in terra solitudinis. Iuxta pascua sua adimpleti sunt; eleuauerunt cor suum, & obliti sunt me.* *Cyr. Ale.* In ipsa cibi perceptione obliti sunt datorem; vt meritò dicat D. Cyril. Alex. ad cap. 6. Amos prope finem: *Est igitur infandum crimen ingrati animi. Quem enim magis adhuc benedicendo, & laudando oportebat emollire, & gratiarum actionibus exhilarare, hunc stultè ad iram cõcitare, quomodo non perniciem nobis pariet?* Sic ibi.

Exod. 32. Dixítque ad eos Aaron: Tollite in aures aureas de vxorum, filiorúmque, & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me. Fecit populus, quæ iusserat, deferens inaures ad Aaron. Quas cum ille accepisset, formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem. Dixerúntque. Hi sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.

§. XIII.

Qui malum facit, vt euitet mala, certius in illa cadet.

DVm se Aaron ostendit assentientem nefario populo, petit sibi afferri fœminarum inaures, vt vxorum spoliatione grauati ab Idoli fabricatione vacarent. Sed non id accidit, imò quam primum afferuntur inaures, & Aaron fit artifex idololatriæ. Sic enim habes: *Dixítque ad eos Aaron: Tollite inaures de vxorum auribus, & afferte ad me. Fecit populus, quæ iusserat, deferens inaures ad Aaron. Quas cùm ille accepisset formauit,* &c. Et cur Aaron permissus est venire in tam miseram conditionem, vt ipse fieret idoli artifex? Quando ipse alienissimus erat ab idololatria, quã vt fugeret, spoliationem vxorum, filiarúmque mandabat, vt indè impediretur virorum facinus, cur ad tantam miseriam peruenire permissus est, vt idolum faceret? Sanè meruit satis qui per malum medium volebat declinare idololatriam, debebat enim sese opponere flagitiosis, & vel cum periculo vitæ illos deterrere, sed maluit consentiendo illis impedire facinus, & sic fuit ad illud miserabiliter tractus, semper enim, qui malum facit, vt deuitet mala, in illa perditè cadet. Dum Iesus esset iuxta mare in terra Genazenorum, dæmoniaci illi occurrerunt, quorum dæmonia, vt ait Luc. c. 8. *Rogabant illum, imperaret illis, vt in abyssum irent. Erat autem ibi grex pecorum multorum pascentium in monte, & rogabant eum, vt permitteret ei in illos ingredi. Et permisit illis. Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos: & impetu abiit grex per præceps in stagnum.* *Luc. 8.* Ecce tibi ne mitterentur in abyssum, rogabat mitti in porcos, vt sic porcorum Dominos malè afficerent. Et quid factum? Et cur cùm obtinerent, quod in porcos irent, non obtinuerunt, quod non mitterentur in marè? Dum porcorum Dominis malè cupiunt, ne in abyssum abeant; tracti malo quod elegerunt, citius in abyssum, quem fugiebant, præcipitantur. Ait. Amb. lib. 1. Exam. c. 8. *Porci autem se in stagnum aquarum præcipitarunt, vt quod recusabant dæmonia, non euaderent, sed digno præcipitio demergerentur.* *D. Amb.* Sic miserè deueniunt in malum, quod fugiebant, quia vt illud fugerent, elegerunt porcis inferre damnum. Raro enim effugitur malum per aliud malum factum, quin potius id malum, quod facis, te deducet citius in id, quod fugiebas. Dicebat aliquando Ioseph fratribus suis Gen. 37. *Audite somnium meum, quod vidi. Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrósque manipulos circunstantes adorare manipulũ meum:* *Gen. 37* Cognouerunt fratres Iosephi somnium, quo significabantur ipsi illum adoraturi; & vt tantam sui abiectionem fugerent, multa meditantur mala. Insurgunt in puerum, & illum in seruum vendunt Ismaëlitis, quo longius à regno exularet. Quid plura? Per id ipsum, quod puerum vendunt, accidit, vt quod fugiebant, puerum adorarent. Ait D. Basil. Sel. orat. 8. *Iosephi fratres vsque ad sanguinem contra somnia pugnantes, nundinatione somnia ad effectum perducunt.* *Basil. Sel.* Illa ipsa fratris nefariissima nundinatio illos ad eius pedes adorabundos traxit, per quam illi totis viribus se à tali adoratione nitebantur liberare. Conueniant huc Politici vniuersi, qui ne perdant temporalia, non verentur spiritualibus nequitiis manus dare. Videant lucrum eorum, qui per nefas aliquod mala à se nitebantur ablegare; & fallar, nisi omnes videant in ea ipsa mala dilapsos, pro quibus tollendis malum perpetrabant. Id clarissimè testatur Concilium illud à Iudæorum Principibus coactum Ioann. 11. *Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisæi Concilium, & dicebant: Quid facimus? Quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum, sic omnes credent in eum. Et venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem.* *Iona. 11.* Ecce vobis timebant

Romanorum arma, timebant suorum excidium per arma Romana, quod vt declinarent, fatagunt Iesum morti tradere. Et quid accidit? Illa ipsa nefaria mors Iesu illata ad depellenda arma Romanorum, illa ipsa traxit Romanos, & Iudæos tradidit exterminio, quod timebatur. Ait pulchrè Euthimius; *Prætextum sumpserunt occidendi Iesum, ne a Romanis internecioni traderentur, quia vero occiderunt, internecioni traditi sunt; & quæ fecerunt, vt effugerent, ea quia fecerunt, non effugerunt.* Sic scelerata effugia faciunt miseros certius deuenire in ea, quæ fugiebant. Et D. August. tract. 49. in Ioannem, sic etiam torquet eos: *Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitauerunt, ac sic vtrumque amiserunt: iam & Romani post Domini passionem tulerunt eis, & locum, & gentem expugnando, & transferendo, & illud eos sequitur, quod alibi dictum est: Filij autem regni huius ibunt in tenebras exteriores.* Hoc euenit illis, qui non curant de iis, quæ ad vitam æternam spectant, sed per fas, aut nefas nituntur à se mala propellere, ij sanè in illa deuenient.

Euthim.

August.

§. XIV.

Lucri amor validissimus ad omnes alios affectus expugnandos.

NOn oscitanter Aaron petiit, vxorum, filiarúmque inaures aureas ad idolum conflandum; ait enim: *Tollite inaures aureas de vxorum, filiarúmque vestrarum auribus, & afferte ad me.* Cur petiit inaures aureas? an vt augustius idolum fabricaret? Absit; sed vt affectu auri conseruandi superaretur in Israëlitis affectus idololatriæ; validissimus enim est auri amor ad reliquos affectus superandos. Ad hæc ait pulchrè Theodoret. *Mulierum aureas inaures postulauit, vt animum ornatus, pecuniarúmque maximè amantem, superstitionis insaniæ tanquam militem militi in acie opponeret.* Itáque aciem instruxit Aaron, & armatum militem produxit in campum, nimirùm lucri amorem aduersùs superstitionis insaniam. Et quis magis bellicosus aduersùs omnes affectus alios, quam lucri amor? In hoc vno audio esse ingentis exercitus arma. Gen. 48. dicit Iacob filio suo Ioseph: *Dabo partem extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Et quidem Iacobum scio sub pera, & baculo Rachelis amoribus militasse; cum gladio, aut arcu nescio quando pugnauit. Et pastori, qui gladius? Quid arcus? Ait Glossa: *Rectè quidem arcum, & gladium dicit pecunias, quibus agrum emerat.* Ecce arcum, ecce gladium validissimi bellatoris, nimirùm pecunias, harum enim amor integri exercitus robur habet ad quoslibet affectus expugnandos. Aiebat Oseas cap. 12. *Diues effectus sum, inueni idolum mihi,* In Hebræo legitur: *Inueni vim mihi,* & quidem qui diuitias inuenit, vim inuenit, qua valeat omnes affectus superare. Accipe D. Chrysost. hom. 17. in Timoth. epist. philosophantem: *Non aspicis ferro accinctos prodire Titanas? Sunt illa figmenta vesaniæ. Si nudam auari animam inspicere liceat, sic instructam inuenies, non vno, aut duobus, sed mille præcinctam gladiis.* Is est lucri amor, qui instructam aciem, hastis, gladiisque horrentem valeat æmulari, vt sibi vniuersos subiici faciat. Ex quo non miror illud Amos c. 9. *Vidi Dominum stantem super altare, & dixit: Percute cardinem, & commoueantur superliminaria; auaritia enim in capite omnium.* Nescit enim auaritia non esse in capite, sibique ostendere subiecta omnia. Vt dicat D. Amb. lib. de Nabuth. cap. 5. *Quod naturæ auersatur, commendat auaritia.*

Gen. 48.

Glossa.

Oseas 12.

Chrysost.

Amos. 9.

D. Amb.

§. XV.

Mundiales largissimi sunt, vt seruiant suis cupiditatibus, non sic vt seruiant virtuti.

NVlli auro parcunt Israëlitæ, dum modò idola fiãt; dicit enim: *Fecit populus, quæ iusserat, deferens inaures ad Aaron.* Quid liberarius? Sanè circa idola sua, circa vanitates suas largissimi sunt omnes mundiales; auariissimi autem, & tenaciissimi circa ea, quæ ad veras virtutes noscuntur spectare. Ait Lyppom. in præsenti: *In constituendis falsis Deorum cultibus liberalissimi sunt, qui alibi in instaurando, & conseruando vero cultu Dei sunt auariissimi, & tenaciissimi. Et quotus quisque Christianorum est, qui non in voluptates carnis, in superflua, & vana, ac populi auram captantia, non censum omnem profundat; at in pauperes Christi ne vilem quidem obolum erogare curat?* Hæc est misera mortalium hominum cõditio; quod pro voluptatibus emendis, pro idolis faciendis, nulli parcant sumptui; liberalissimi sint; pro Deo acquirendo, pro vita æterna habenda tenaciissimi inueniuntur. Iacobi filij decreuerunt fratrem suum Iosephum vendere; & inuenti sunt Ismaëlitæ, qui pro illo viginti argenteos darent. Ait enim Gen. 37. *Vendiderunt eum Ismaëlitis viginti argenteis.* At cum impius Iudas voluit magistrum suum vendere Matth. 26. inuenti sunt Principes Sacerdotum, qui emerent illum triginta argenteis; ait enim: *At illi constituerunt ei triginta argenteos.* Et cum Ioseph venditio vmbra esset venditionis, qua Iesus vendebatur, cur illa viginti tantum, hæc autem triginta argenteis constabat? In Christi venditione magnum erat ementium sacrilegium, & peccatum, & ideò largiores emptores inueniebantur. Nunquam enim mundiales homines circa ea, quæ ad sua vitia spectant, non sunt largi. Ait D. Amb. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 18. *Viginti argenteis emunt Ismaëlitæ, triginta Iudæi. Nec hîc figura mediocris. Ad sacrilegium perfidi largiores, quam ad salutem fideles sunt.* Da hominem Christianum, qui velit salutem æternam comparare; is multo cum moderamine eleemosynarum sumptus facit, attendens semper, ne aliquid deroget familiæ, ne aliquid filiis deroget. At si aliena vxor appetenda sit, & trahenda ad adulterium, nulli parcitur sumptui, omnia dilapidantur, etiam si inde filij cogendi sint emendicare. Luc. c. 12. de homine diuite fatur: *Cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: Destruã horrea mea, & maiora ædificabo?* Ecce tibi quot sumptus illi veniunt in mentem; nimirùm & destructio horreorum, & maiorum reædificatio. Et cur ij sumptus non magis arctant animum auarum? Sanè qui stuperet ad oboli sumptum pro pauperibus, ingentes ædificationis sumptus pro suis cupiditatibus vorat. Pulchrè illi dicit D. Amb. lib. de Naburthe cap. 7. *Dum liberalitatis gratiam refugis, damna ædificationis resoluis. Infœlix homo!* Sic innumeris vel minimum sumptum pro virtute fugientes bonorum lapidationes, & dissipationes pro voluptatibus suis resoluunt. Et addit idem Ambr. ibidem cap. 5. *Sed fortassis redeas domum, cum vxore conferas: illa te hortetur, vt redimas venundatum? Imò magis hortabitur, vt mundum muliebrem conferas, vnde potest vel paruo tempore pauperem liberare. Illa tibi imponet sumptuum necessitatem, vt gemma bibat, in ostro dormiat, in argentea sponda recumbat,* &c. *Smaragdos, & hyacinthos summo quærunt furore; vel si dimidium patrimonium petatur, non parcunt dispendio, dum indulgent cupiditati.* Hæc est humana conditio pro cupiditatibus amare despendia, pro virtute nec obolum perdere.

Lyppom.

Gen. 37.

D. Amb.

Luc. 12.

D. Amb.

D. Amb.

§. XVI.

Nulli largitores in religionis impensis, quàm veri Dei cultores.

HAbes in præsenti, quod Israëlitæ inaures aureas, & annulos afferebant pro idolo efformando. Ait enim: *Fecit populus, quod iusserat, deferens inaures ad Aaron.* Quanta hæc largitas in idololatris populis, pro suorum idolorum aris? Accipe, quod mirere magis, Actor. 4. dicit: *Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum*

Act. 4.

domorum erant, vendentes, afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorũ. Nõ inaures solum, aut annulos, sed omne suorũ bonorum pretium afferebant Christiani pro pauperibus Christi sustentãdis. Quæ idololatratũ largitas potest cum hac comparari? Meritò hinc Tertul. in Apol. c. 42. pungit ethnicos, qui dicebant inutiles esse Reipublicæ Christianos, fatus: *Tura planè non emimus, si Arabiæ quæruntur, sciant Sabæi pulueris, & charioris suas merces Christianis sepeliendis profligari, quàm Diis fumigandis. Plus nostra misericordia insumit vicatim, quam vestra religio templatim.* Non equidem tot sumptus fuerunt effecti ab ethnicis pro templis, & aris, & cultibus idolorum, quot fiunt à Christianis pro pauperibus sustentandis. Vincunt equidem spiritus Christiani, non solùm idololatras, sed & Synagogam in sumptibus pro religione factis. Hinc Simplicij Episcopi gloriam extollens Sydon. Apollin. lib. 8. epist. 9. fatur: *Sub Moyse quondam sicut psalmographus ait, vt tabernaculi fœderis forma consurgeret, totus Israël in heremo ante Beseleelis pedes, oblatitij symbolum coaceruauit impendij. Salomon deinceps, vt templum ædificaret in Solymis, solidas populi vires in opere concussit: quauis Palestinorum captiuas opes, & circumiectorum Regum tributarias functiones australis Reginæ Sabaitis gaza cumulauerit. Hic vobis Ecclesiam iuuenis, miles, tenuis solus, adhuc filiusfamilias, & iam pater extruxit. Nec illum à proposita deuotione suspendit, vel tenacitas senum, vel intuitus paruulorum.* En tibi homo Christianus, qui sumptibus pro religione vincat, non solùm ethnicos, sed Moysem, sed Salomonem; quando ij non suis solis expensis, sed totius symbolo populi aras erexerunt Domino. Ille autem solus in religionis obsequio non dubitauit sua consumere omnia. Et verè pro nulla alia re insumendi sunt thesauri hominum, nisi pro ea, quæ proficit ad veram, & æternam gloriam. Sanè qui reliquerat patriã, & cognationẽ suã Abrahamus, vbi vidit Sarã vxorem suam mortuam Gen. 23. vt agrum ad sepulturam emeret: *Appendit pecuniam, quam Ephron postulauerat audientibus filiis Heth quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ.* Et cur, qui cauit vel minimum pecuniæ consumere in aliis agris habendis, modò tantum pecuniæ prodigit pro sepulturæ agro. In hoc iam erat verissimæ cultus religionis, quæ mortuis iustis æternam mandabat gloriam; vbi autem res est veræ religionis, & æternæ gloriæ, nulli sumptui parcunt, qui Dei spiritu pollent. Ex hoc D. Paulinus epist. ad Pamach. ait: *Abraham empto ad sepulcrum agro, mortuam suam pretiosa sede composuit, docens, quid sibi iusti deberent homines prouidere; cum is, qui ad Dei verbum de terra patriæ cognationis exierat, nihilque præterea de peruagatis diuersa natione spatiis comparauerat, omnis terræ aduena, solum tamen agrum sepulcro, id est, non temporalem, sed æternam possessionem, non terram auaritiæ, sed quietis emisset.* Hoc habent proprium homines, qui spiritu veri Dei aguntur, qui sola pro religione, & pro iis, quæ spectant ad æternam vitam, nullis parcunt sumptibus.

Tertull.

Sydon. Apollin.

Gen. 23.

D. Paul.

§. XVII.

Consuetudo mala animo infixa difficillima omnium est, vt frangatur.

VItulum vidẽt Israëlitæ, & vt Deum adorant quippè dicit: *Fecit ex eis vitulum conflatilem. Dixerúntque: Hi sunt Dij tui Israël,* &c. Viso vitulo, quis nõ magis adorationem negaret? Cur isti tam præcipitanter clamant Deum, quem vitulum noscant? Antiquitus erat illis infixus mos vitulos adorandi in Ægypto, qui vt erat animo infixus, sic & perseuerauit firmus, & infractus, & prosiluit qualibet occasione data. Ait D. Bas. Sel. orat. 6. *Vitulũ in deserto loco adorabant; & mare ipsorũ gratia præter naturam scindebatur, cum interim populus ab impietate non rescinderetur, sed morum progressu transfugiebat in Ægyptum.* Quid pulchrius? Nulla natura inanimata nõ patitur aliquam scissionem ad Dei vocem; maris fluctus vel verga visa, prorsus scinduntur, vt præbeant Israëlitis transitum. Mala autem consuetudo vitulum adorandi in Ægypto imbibita, nec post scissionem maris, nec post septuaginta visas palmas, nec post petræ latices, nec post manna, nec post fulmina, & tubam montis frangitur, sed morum progressu in illam totus populus transfugit. Proh miseram gentem! Nulla Ægyptiacæ iniquitatis consuetudo ab illis fuit eradicata. Audio Ioannem 2. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum,* & statim mentem subeunt Iudæorum frequentissima lauacra. Toties ex legis præscripto lauabantur, vt viuo flumine egerent singuli pro lauacris. Et cur Deus in illa natione tot instituit lauacra, præcipuè cùm in Christiano populo vnum lauacrum baptismi permisit, in quo semel lauamur? Nos semel, illi millies in dies tenebantur ex lege lauari. Cur tot illis lauacra? Iudæi in Ægypto Exod. 1. occupabantur *operibus luti, & lateris*, quibus hostium suorum munitas vrbes ædificabant. Adeò autem erat Ægyptius ille lateris labor eorum imbibitus labori, vt nulla eis flumina sufficerent, vt se lauarent, imò inter ipsas lotiones sic sordebant, quasi laterem lauasses. Rẽ pulchrè attigit D. Gaudent. tract. 9. fatus: *Non possum parcere transiens purificationi Iudæorum immundæ, lauant polluta corpora, semper lauant, semper immundi sunt, & vt dici solet, laterem lauant. Illum laterem quem parauerunt in Ægypto Pharaoni, Diabolo, exhibentes se ipsos arma iniquitatis peccato ad constructionem hostilium ciuitatis.* Frustrà Iudæe laboras, si lauacrorum frequentia putas abluendas Ægyptias sordes, quas animo infixas, & inueteratas habes. Quæ inter opera luti, & lateris contraxisti maculas, semper reuiuiscent inter ipsa lauacra. Vt meritò dicat Tertull. lib. de Baptismo: *Semel ergo nos lauacrum inimus, semel delicta diluuntur, quia ea iterare non oportet. Cæterum Israël quotidie lauat, quia quotidie inquinatur.* Sufficit enim nobis Christianis vnum lauacrum, quo de primi pomi maculis mundamur, Iudæis autem nec mille lauacra sufficiunt, vt lauetur iniquitas luti Ægyptij, & lateris, imò quotidie immundiores apparent, quasi laterem lauassent.

Ioan. 2.

Exod. 1.

D. Gaud.

Tertull.

§. XVIII.

Mulieris vel vmbra, vel halitus Deum verum ex virorum cordibus exsufflat.

QVid facerent inaures fœminarum in manu Aaronis, nisi vel Dei veri memoriam penitus perdere? Ait namque: *Quas cum ille accepisset, formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum. Dixerúntque: Hi sunt Dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Viso vitulo facto ex inauribus fœminarum penitùs obliuiscuntur veri Dei, liberatoris sui; quod ego non miror, quando non solum munus fœminarum, sed & vmbra, vel halitus earum solet memoriam veri Dei perdere. Nota est confidentia Petri, qua audita etiam negationis suæ prophetia; adhuc promittebat se futurum ab omni negatione alienum. Hunc tantum conuenit ancillula Matth. 26. & ait: *Et tu cum Iesu' Galileo eras. At ille negauit coram omnibus*, &c. O humanæ confidentiæ infirmitas! Nónne facile posset Petrus, si humiliter ex Iesu petisset, ab hac negatione abstinere? Audite Orig. responsum doctrina plenum. Ait enim ho. 35. in Matt. *Si Petrus postulasset, forsitan ab eo amoris ancillis non denegasset. Nec enim poterat fieri, vi facta interrogatione, potuisset dicere Dominum Iesum in Spiritu sancto.* Expende, qua via posset Petrus per orationem liberari, nimirùm, si orante illo, ancillæ occursus amoueretur, dum autẽ maneret ancilla, & interrogaret, quasi impossibilẽ rem putat Origenes, quod interrogationis

Matt. 26

Orig.

fœmineæ

fœmineæ halitu percussus Petrus posset Iesu veri Dei memoriam retinere. Quò tendunt illa: *Necenim poterat fieri, vt facta interrogatione potuisset dicere Dominum Iesum*, &c. Adeò efficax est fœminei halitus venenum; vt in mente viri difficillimè possit cum mulieris vel vmbra, Dei memoria permanere. Paruum est quoduis dãnum ex fœminæ halitu, nisi Deus perdatur. Hinc Mar. 6. dum puella saltatrix Regi Herodi placet, nefarissima Ioannis mors fabricatur. Ait enim: *Cum introisset statim cum festinatione ad Regem, petiuit dicens: Volo, vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.* Miraris, quod tantus vir caput amittat in mulieris saltu? Sed quãtum hoc ad fœminæ virus? Sanè hoc fuit in Ioanne mirandum, quod vel amisso capite in fœminæ saltu potuerit D. Fulg. sibi Deum conseruare. Vt dicat D. Fulgent. ibi: *Quid agimus Ioannes? Quem non terruit vasta heremi solitudo, terrebit muliebris ista saltatio? Caput tuum mulier petitura est. Sed melius est, inquit Dominus, vt vnum ex membris tuis abscendas: quam totum corpus tuum gehennæ ignibus tradas.* Quasi nec sanctissimus posset à mulieris veneno euadere liber; sic Ioanni gratulatur, quod in illo conflictu liber à gehennæ ignibus euadat, etiamsi necessum fuerit amittere caput. Vbi enim intercedit fœmina, præsentissimum est periculum perdendi Deum, & incidendi in inferni barathrum. Interceßit fœmina in causa Ioannis, & periit eius caput. Quid hoc? Sanè minimum est damnum, quot in fœmineo æstu nõ Deum, sed solum amittat Ioannes caput. Nihil enim aduersùs filios Dei efficacius, quàm vel mulieris halitus. Nouit hoc virus ipse Ioannes, audiens fœminam lasciuam esse in Herodis aula, relicto heremo Ierosolymam aduolat Matt. 14 Matth. 14. vbique clamat: *Non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui.* Sanè nefandissima alia vitia tunc temporis vigebant Ierosolymis, vbi & Sacerdotia vænalia erant, & nulla religio non periclitabatur turpis lucri causa. Cur relictis hypocritis, sacrilegis Ioannes aduersùs fœminam mouit arma? Instabat iam tempus diuinæ regenerationis, nouella Christi sponsa, nempe Ecclesia iam parabatur; sponsus iam aderat, vt filios Dei fieri virtutem daret. Quid ergo faceret spõsi amicus, nisi aduersùs fœminam lasciuam dimicare, vt quæ notius periculum erat diuinam regenerationem dam- Paschas. nandi. Ait Paschas. lib. 7. in Matth. *Ex heremo venit Ioannes ad Regis præsentiam, vt incæperet adulterium. Et quia amicus sponsi erat, incestuosos ferre non poterat.* Sanè amico sponsi, quasi intolerabilior erat illecebra fœminæ voluptatis, vt quæ ad filios Dei irretiendos plurimi valet.

Exod. 32. Quod cùm vidisset Aaron, ædificauit altare coram eo, & præconis voce clamauit, dicens: Cras solemnitas Domini est. Surgentésque mane, obtulerunt holocausta, & hostias pacificas, & sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.

§. XIX.

Ambitio turpissimorum auctrix facinorum.

ECce tibi vt Aaron frater Moysis à Deo electus in Principem, & Sacerdotem præceps rapitur in idololatriam. Ait enim: *Quod cùm vidisset Aaron, ædificauit Altare coram eo, & præconis voce clamauit, dicens; Cras solemnitas Domini est.* Et quis tantum virum adduxit in facinus adeò turpe? Sanè vnus ambitionis affectus, ne primatum amitteret in diuinis. Vbi enim vidit idolum effectum, timuit, ne alius nouæ religionis introduceretur minister, quo ipse inter priuatos maneret, omni primatu, & dignitate exutus; quod fugiens vt se in primatu conseruaret, non dubitauit sese idolorum obse- Caiet. quio addicere. Sic ait Caietanus: *Aaron primatum nolens perdere, ædificat altare coram vitulo, nõ expectans rogari, sed statim vt vidit vitulum, primus ædificauit illi altare ad sacrificandum. Insaniuit enim ipse longè magis, quã alij.* Heu primatus ambitio, in quæ facinora non trahis alumnos tuos. Caue homo ab hoc pessimo affectu; si enim semel cordi tuo insederit, nihil turpe, nihil fœdum, nihil nefarium non gluties. De Herode illo ambitiosissimo homine ait Matth. 2. *Tunc Herodes videns* Matt. 2. *quod illusus esset a Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius*, &c. Quid turpius? Quid magis nefarium, quàm quod Rex mittat exercitus suos aduersùs inermes infantes? Sed fecit hoc ambitio regnandi. De illo ait Orig. hom. 3. ex diuersis: *Ergo iratus Herodes factus* Orig. *est nimis, quo nefando furore exacerbatus animus eius Deum contemnit, iustitiam abigit, misericordiam spernit, pietatem relinquit. Misit impius statim, & occidit omnes pueros. Cõsummauit iniquitatis suæ furiosæ commenta, totumque quod malè cogitauerat, in sui pœnam adimpleuit. Multi multas iniquitates facere festinauerunt, iste autem nequissimus Herodes in pestifero ambitu cordis sui omnium facinorum crimina supergressus est.* Expende ab illis: *In pestifero ambitu*, &c. quippè quem ambitionis pestis inficiebat, necessum erat, vt nulli parceret facinori, sed omnium facinorum crimina supergrederetur. Quod facinus non vorat ambitio? De Athalia dicitur, 4. Reg. 11. *Athalia* 4. Reg. 11 *verò mater Ochoziæ videns mortuum filium suum, surrexit, & interfecit omne semen regium.* Semen regium erant filij Ochoziæ, nepotes ipsius Athaliæ, quos omnes ferissima auia internecioni dedit, vt sibi vni reseruaret integ am gloriam regni. Id, quod meditans Carthusia- Carthus. nus ait ibi: *Ecce quanta fuit crudelitas, atque ambitio impiissimæ Athaliæ, quæ regnandi libidine interfecit filios filij sui, cùm tamen aui soleant valde diligere filios, ac filias filiorum, ac filiarum suarum.* Sunt equidem auis amantissimi nepotes; at vbi ambitio insidet cordi mortalium, omnes perdit leges charitatis, humanitatis, pietatis; & ne à regni gloria cadat, nulla non facinora vorabit. Huc trahe dicta suprà 1. tom. in Veter. testam. lib. 2. cap. 5. §. 34. & 3. tom. in Euang. lib. 14. cap. 12. §. 8. & cap. 16. §. 6.

§. XX.

Quæ in Dei famulatum assuefacta sunt, periculosè aduersus Deum commouentur.

VNico verbo explicat textus ingens Israëlitarum in vitulo celebrando discrimen; dicit enim: *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Et quantum hoc, quòd populus ludat coram idolo? Putabam ex nefario conuiuio illos in aliquod facinus horrendum surrecturos, & solum dicuntur surrexisse ludere. Quid quod ludant? Equidem vbi ludus in canticis, & saltibus erat, inde ostendebatur piaculum ingẽs, quod membra assueta Dei veri prosequi nutum, modò moueantur in idolorum cultum. Ex quo sapienter Rupert. ibi ait: *Eisdem pedibus, quibus mare transierunt,* Rupert. *coram tali figura saltauerunt; & veritatem, quam cecinerunt dicentes: Cantemus Domino, gloriosè magnificatus est, in mendacium commutauerunt, cantando: Hi sunt Dij tui Israël, qui eduxerunt te de terra Ægypti. Igitur inexcusabilis est & Iudæus*, &c. Sanè, quæ membra vero Deo celebrando, aut sequendo assuefacta erant, inexcusabiliter conuertuntur in Dei offensam. Multo semper cum piaculo offendis Deum illis, quibus ei seruire cõsueueras. Vnde monebat Ecclesiastes cap. 4. *Custodi* Eccles. *pedem tuum ingrediens domum Dei.* Itaque vbi domum Dei ingrederis, iam tibi maior custodia mandatur circa tuos pedes. Et cur post ingressum in Dei domum sunt diligentius custodiendi pedes; nisi quia piaculum est maximum, quod ea, quæ semel adfuerunt Deo, ad nefaria, & profana erant. Ait Olympiodorus ibi: *Cu-* Olymp. *stodi, inquit, totum corpus tuum, a parte enim totum significauit,*

ficauit, *ne instrumentis eisdem, quibus templum Dei frequentas, theatrales adito ludos, & obscœna spectacula, & impia, & profana loca.* Hoc est maximè nobis cauendum, ne quæ Deo damus, in vitiorum, scelerúmque obsequium deflectamus. Quod vel impiissimus Ieroboanus nos edocuit, etiam in illa impietate nefanda, qua populum à Deo vero separauit, & seruire fecit idolis. Factis enim vitulis aras excitauit, Sacerdotes addixit. Sed quos Sacerdotes? An ex tribu Leuitica? Minimè,
3 Reg. 12 ait enim textus. 3. Reg. 12. *Fecit fana in excelsis, & sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Leui.* Cauit impius Rex ex Leuitico ordine, qui Deo vero consecratus erat, Sacerdotes idolis constituere; ne quæ Deo
Theodor. seruierant, malo seruirent. Ait Theodor. ibi quæst. 41. *Expulit autem & Sacerdotes, quos elegit Dominus, quod quidem solum fecit conuenienter rationi. Non oportebat enim Sacerdotes Dei, Deos, qui non sunt, colere.* Ecce in summa impietate aliquod factum rationale, nimirum, quod qui Deo vero sacrati fuerant, cauerent illos idolis mancipare. Vtinam vel ab impiis hanc mentem imbiberemus, ne illis instrumentis malimus seruire vitiis, quibus Dei obsequio operam damus. Ne audiamus in
Ezechiel. nos contortam querelam ab Ezechiele aduersùs Israëlitas prolatam, dum ait capite decimo sexto, *Tulisti filios tuos, & filias tuas, quas generasti mihi: & immolasti eis ad deuorandum. Nunquid parua est fornicatio tua?* Non equidem paruum scelus est, quod Deo genita idolis tradátur, sed summum, & inexcusabile. Quod vt caueret,
Exod 20. Dominus iubebat Israëlitis adhuc peregrinantib. Exod. 20. *Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta.* Et cur è terra petit fieri altare? Cur non magis ex sectis lapidibus? Cur non magis ex marmore? Cauebat Deus, ne post Israëlitarum transitum maneret altare sibi dicatum, & vicinæ gentes in eo idolis sacrificarent, & ideò ex terra fieri iubebat, vt cito posset dissi-
Theodor. pari. Ait Theod. ibi quæst. 44. *Cum Israëlitæ quadraginta annos permanserint in deserto continenter abeuntes, & loca mutantes, ideò vetat è lapidibus fabrefactis altare construi; ne cum hi terram promissam obtinuissent, in aris illis vicini dæmonum sacrificia celebrarent.* Nunquam enim non abominatur Deus, quod sibi dicata semel, deseruiant iniquitati.

§. XXI.

A creaturarum cultu ibis in belluam, à Dei autem cultu in hominem ibis.

DVm Israëlitæ solemnia vituli conuiuiis celebrant, ipsi penè toti abeunt in vitulos, ait enim text. *Obtulerunt holocausta, & hostias pacificas, & sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Quæ verba
Cle. Ale. memorans Clemens Alex. 1. Pæpag. 11. sic legit: *Saturati surrexerunt ludere*; & pergit ipse: *Saturati autem Græcè est,* ἐχορτασθέν, *quasi dicas, fœno repleti.* Et meritò vitulos colentium conuiuia repræsentantur, quasi boum conuiuia currentium ad fœnum. Non enim aliud educimus à creaturarum cultu, quam quod conuertamur in belluas. Proh miseri homines, qui res creatas colitis, qui mundi idola adoratis, honores sc. aurum, voluptates; credite mihi, quot creata bona sunt, tot sunt Circis procula, quæ in belluas homines transforment. Vnus est verus Deus, qui vt fecit, sic valet nos reformare in homines. Ex quo placet componere duo filij Dei facinora erga homines. Alterum, quod natus est, & in præsepio sese nobis exposuit. Alterú, quod moriturus eucharisticum epulum parauit omnibus. De primo ait Lu-
Lucas. 2. cas cap. 2. *Peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio.* De secundo autem dicitur ab eodem cap. 22. *Ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate.* Vt primò se exhibeat hominibus, præsepium vile quærit tibique inter fœnum, & paleas se manifestat. Vt autem secundò se nobis dedat, cœnaculum quærit ornatum, in eóque mensam pulchris stratam tapetibus, aureisque vasis plenam. Et cur ibi in præsepio; & hîc in strata, ornatáque mensa? In primo res erat cum iis, qui creaturas coluerant, qui idolis seruierant, qui vt inde erant belluæ, sic illorum belluinam conuersationem designat apparens in præsepio, & inter fœnum. Secundo autem res erat cum discipulis suis, cum affeclis suis, cum iis, qui Dei conuersatione in solius veri Dei cultum excreuerant, qui vt inde iam homines erant, ideò mensa hominibus præparata excipiendi erat. Ait Theodoret. ser. 10. de Prouid. *Natus Christus Dominus, in præsepi brutorum animalium mensa ponitur, simul hominum brutam, & ratione carentem naturam accusans, & suum erga homines amorem manifestans, quod cum ipse nutritor sit Deus, secundum humanitatem, hominum cibus sit, qui brutali ignoratione laborabant. Nunc verò cum brutorum ignorationem humana natura abiecerit, & rationis vsum receperit, mystica hunc excipit mensa. Cùm homo in honore esset, & non intellexit, comparatus est iumentis irrationabilibus, & similis factus est eis: præsepe diuinum illum, & spiritualem cibum suscepit: postquam verò in seipsam transiit natura, & imaginem diuinam circuniacere manifestè cognouit, tũc super rationalem mensam cibus ille transiuit.* Sic brutos homines Deum ignorantes, post creaturas abeuntes præsepium Christi excipit; vt qui ex creaturarum cultu prorsus effecti fuerant belluini, & ad nihil prius quam ad fœnum currerent. Ex Christo autem regeneratos mensa excipit Eucharistica, vt qui iam ratione, & veri Dei agnitione valeant. Huc spectans Ioël cap. 2. fatur: *Ioël 2.*
Nolite timere animalia regionis, quoniam germinauerunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, vinea, & ficus dederunt virtutem suam. Et filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum, & serotinum, sicut in principio. Et implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino, & oleo. Quæ verba sapienter refert D. Cyril. Alexand. ad tempora Christi existentis in mundo. Tunc enim & iumenta, & homines habent cibum salutis, ad quem currunt: iumentis paratum in herbis hominibus autem paratum in frumento, & vino, & oleo, in quibus Christi sacramenta conficiuntur. Vt enim vniuersi homines sequentes voluptates suas brutuerant, sic in primis Iesus sese campi herbis, fœno, & paleis miscet, in præsepio ponit: vt dum feruntur ad pabulum suum iumenta, capiantur à Christo. Ast vbi in illo doctorem iustitiæ homines nacti sunt, & sese rationabilibus assuefecerunt virtutibus, iam non fœnum, sed triticum exhibetur, & mensa rationalibus hominibus digna. Sic à vero Deo accipiuntur vt homines, qui in bestias desiuerant colentes creaturas.

Theodor.

§. XXII.

Conuiuiis, & compotationibus viget luxuria, suásque magis ostentat vires.

CVm audis à conuiuiis cucurrisse Israëlitas ad ludos, nihil non obscœnum, & lasciuum cogitato in ludis illis. Quippe ait: *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*, ad quæ statim Rupert. ait: *Rupert.*
Lusibus obscœnis continuò semetipsos conuomuêre. Et quid à largis conuiuiis citius prodiret, quam obscœnitas, quàm luxuria? Sanè ad flammas excitandas luxurię plurimi valent compotationes, & conuiuia. Hinc Gen. 19. *Gen. 19*
filiæ Loth nactæ patrem nimis deiectum, ac tristem se hortabantur, dicentes: *Veni inebriemus eum vino, dormiamúsque cum eo, vt seruare possimus ex patre nostro semen. Dederúntque patri suo bibere vinum nocte illa. Et ingressa est maior, dormiuitque cum patre*, &c. Quid turpius? Incestuosa ibi agebatur lasciuia; sed quomodo tam fœda luxuries trahi potuit in domum viri piissimi? Ait

Theodor. Theodoretus quæſt. 69. in Gen. *Auxilium vini acciuerunt: cúmque patri ſenſum maiore copia vini ademiſſent, illum ſeminis authorem declarauerunt.* Expende illa nimirùm: *Auxilium vini acciuerunt*; de auxilio enim vini non miror, quod altiſſimas aſcenderint luxuriæ pyras. Quò non perueniat luxuria de vini auxilio? Compone modò duas fœminas laſciuiſſimas Iezabelem, & Herodiam, vtraque accendebat Regis laſciuiam, qua in Dei prophetas fureret. Iezabel accendebat Achabum, vt percuteret Eliam, ſed nunquam tantum exarſit Achabi luxuries, quod vellet prophetam occidere. Herodias autem ſic affecit Herodem, tantam in illo excitauit flammam libidinis, vt propter illam adduceretur miſer in occiſionem Ioannis Baptiſtæ. Sed vnde
Marc. 6. iſta fortior fuit ad malum, quàm illa? Ait Marc. cap. 6. *Cùm dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſuæ cœnam fecit Principibus, & tribunis, & primis Galilææ, Cúmque introiſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet, & placuiſſet*, &c. Non ſola acceſſit fœmina, ſed auxilium expectauit conuiuij, & de conuiuij, potúſque auxilio laſciuiſſimum Regem in mortem traxit propugnato-
Chryſoſt. ris caſtitatis. Ait Diu. Chryſoſtom. orat. in decollat. Ioannis: *Dracones, & aſpides, & Ceroſtæ Ioannem formidarunt, Herodias autem ipſum in cœna interfecit.* Expende illud: *In cœna*; non enim adeò valeret luxuria niſi de auxilio cœnæ. Vbi cœnam, & compotationem auxiliatricem habuit, tantam in Rege accendit libidinis rabiem, vt cœleſtia omnia vellet conſpur-
Fulgent. care. Cui etiam accinit Diu. Fulgent. fatus: *Placuit & ſaltatrix: ſed quid mirum, ſi inter dapes largas, & poculorum frequentes procellas puella laſciuiens mulceat ſenſus, incliner affectus? Vinum, & ſaltatio duplex incendium voluptatis*: Non equidem è poculis, & conuiuiis profanis aliquid expectes moderatum; indè enim incendia creſcunt obſcœniſſimarum flammarum. Hinc Paulus
Ad Heb. 12. monebat ad Hebr. 12. *Nequis fornicator, aut profanus, vt Eſau.* At de Eſau comeſſationes audimus, fornicationem nullam ſcimus in eius vita. Vndè ergo Paulus
Iſid. Pel. eum habet fornicatorem? Ait D. Iſidor. Pel. lib. 1. epiſt. 320. *Cùm illud exploratiſſimum habeas gulam ad libidinem, & laſciuias trahere, nihil neceſſe fuit, quòd ex me ſcitareris, quid ſit. Nè quis fornicator, aut profanus, vt Eſau; cum Scriptura eum primogenitorum iuris proditorem propter ventris ingluuiem, ac voracitatem fuiſſe conuincat. Nam cùm eum gulæ deditum fuiſſe oſtendit, & quoque fornicatorem fuiſſe ſatis monſtrauit.* Sic ibi.

§. XXIII.

Veri Dei altare ſolum continet homines, ne ferantur in vitia, vel inter dapes, & pocula.

NOn poſſum non mirari notiſſimum diſcrimen inter altare veri Dei, & altare idolorum, ab hoc enim omnia vitiorum genera profiliunt. Dicit enim textus in præſenti: *Surgentéſque mane obtulerunt holocauſta, & hoſtias pacificas, & ſedit populus manducare, &*
Exod. 24. *bibere, & ſurrexerunt ludere.* Suprà etiam Exod. 24. vbi Moyſes altare fecit domino, & immolauit pacificas, & earum ſanguine aſperſit populum, dicit textus: *Aſcenderúntque Moyſes, & Aaron, & Nadab, & Abiu, & ſeptuaginta de ſenioribus Iſraël, & viderunt Deum Iſraël*, &c. *Viderúntque Deum, & comederunt, ac biberunt.* Ecce vtrobique Iſraëlitæ ab oblatione holocauſtorum accedunt ad conuiuia; vtrobique eſt ſacrificium, & altare; vtrobique conuiuium, & compotatio: verum ab illo ſurgunt in obſcœnos ludos; ab hoc autem ad nullos ludos ſurgunt. Et cur ex hoc conuiuio, ex hac compotatione minimè dicuntur ſurgere in ludos, cùm ex illa compotatione ſtatim ſurgant, vt ludant, ſiue illudant virtuti? Sanè in iis ſacrificia fiebant vero Deo, quæ valent ſola continere homines in virtute, etiam inter pocula ipſa. In illis autem fiebant ſacrificia idolis, ex quibus nullum non profilit vitium. Ait Rubert. ibi: *In gloriam ſimilitudinis vituli comedentis fœnum, comederunt, ac biberunt, & idcircò luſibus obſcœnis continuo ſemetipſos conuomuerunt, traditi in reprobum ſenſum, vt facerent ea, quæ non conueniunt.* Quid aliud facerent ſacrificia exhibita in honorem, & gloriam vituli? Vnum equidem eſt, quod Deo vero exhibetur ſacrificium, à quo poſſunt homines contineri in virtute, vel inter conuiuia ipſa. Ait Eccleſiaſtes cap. 10. *Beata terra, cuius Rex nobilis eſt, & cuius Principes veſcuntur in tempore ſuo, ad reficiendum, & non ad luxuriam.* Vbi in rem noſtram Regia tranſlatio legit in paraphraſte Chaldæa: *Bene erit tibi terra, quo tempore regnauerit ſuper te vir valens in lege, & Magnates tui poſtquam obtulerint iuge ſacrificium, comedent panem ex labore manuum ſuarum, in fortitudine legis, & præceptorum, & non in debilitate, & in cæcitate oculorum.* Expende, vt poſt oblatum ſacrificium iuge comedunt panem in fortitudine præceptorum; facit enim præmiſſum ſacrificium veri Dei, ne quis à præceptis exorbitet, nec in vllum vitium corruat. Nec ſolum præmiſſum ſacrificium veri Dei ſic homines, vel inter potationes componit, ſed etiam excogitatum ſacrificium, & adhuc futurum potentiſſimum eſt ad componendos humanos mores. Ait enim 1. Reg. 1. *Surrexit autem Anna poſtquam co-* 1. Reg. 1.
mederat, & biberat in Silo: &c. *& orauit ad Dominum flens largiter.* Expende quale tempus adſumit ad orationem, nimirùm: *Poſtquam comederat, & biberat*: Certè alieniſſimum eſt tempus prandij, & vini, vt oremus Dominum. Tempus namque prandij potius deſeruit relaxationi; aptius eſt, vt nos ſeparet à Domino. Cur non potius à prandio ſurrexit ad ludos, quam ad orationem? Sanè ipſa oratio facienda vero Deo, & iam in animo decreta ſic valuit fœminam, vel in medio conuiuio, vel in mediis continere compotationibus, vt inde promptiſſima ſurgeret ad Dominum. Ex quo elegan-
Chryſoſt. ter D. Chryſoſt. hom. 1. de Anna, inquiens: *Hoc igitur à fœmina lucri conſecuti ſumus, vt ſciamus, & poſt conuiuium orare. Quiſquis enim ad hoc præparatus fuerit, nunquam in ebrietatem, aut vinolentiam incidet; nunquam edacitate diſtendetur: ſed quoniam expectationem orationis habet pro fræno impoſitam animo, conueniente menſura attinget appoſita. Vbi enim precatio, & gratiarum actio, eò ſancti Spiritus aduenit gratia, abiguntur dæmones, & omnis aduerſaria poteſtas diffugit, ac diſcedit. Qui ſe conuerſurus eſt ad orandum, non audet quicquam abſurde loqui, nec in medio quidem conuiuij.* Quid pulchrius? Sanè ea eſt vis orationis, & ſacrificij exhibiti, aut exhibendi vero Domino, vt indè vel in mediis compotationibus componantur humani mores. Vnde pergens Chryſoſt. hoc
Chryſoſt. præbet monitum: *Quod ſi quando ſurrexeris crapula, totúque grauatus, nec ſic quidem abiicias conſuetudinem orationis; ſed quamuis habeamus grauatum caput, nihilo ſecius tamen orabimus. Etenim ſi præcedenti die ad hunc oraueris modum, poſtridie corriges dedecus pridie commiſſum.* Sic bonus confidit orationibus vero Deo factis, vt putet illas valere ad expellenda omnia abſurda conuiuiorum & compotationum.

Exod. 32. Locutus eſt Dominus ad Moyſem dicens: Vade, deſcende, peccauit populus tuus, quem eduxiſti de terra Ægypti, receſſerunt citò de via, quam oſtendiſti eis. Feceruntque ſibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hoſtias dixerunt: Iſti ſunt dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.

§. XXIV.

Non parum Deum offendit homo, qui ſub eius gratia durare neſcit.

NIl' prius in reprobo populo Deum offendit, quàm eius præpropera impietas: ait enim Domi-
nus:

nus: *Peccauit populus tuus, receſſerunt cito de via*, &c. Hoc in primis ponderat in tanto ſcelere, non quod vitulum adoraret, non quod conflatile feciſſet, ſed quod citiſſimè ad tantam impietatem raperetur. Hoc enim non paruæ eſt apud Deum offenſæ. Sic in peſſimo Achabo notabatur præpropera ad iniquitatem correptio. Dum enim illi maximas proponit minas Elias, dum denuntiat calamitates extremas, ait textus 3. Reg. 21. *Itáque cum audiſſet Achab ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitque, & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite.* Quid amplius in peccatore fuerat requirendum? Non tanta dicuntur de Dauide reprehenſo à propheta; & Dauid iuſtus eſt, Achab autem reprobus. Et vndè Achab reprobus, qui ſic ob peccata doluit, & gemuit? Parum in illo dolore permãſit, ſed quam primum ad impietatem rediit. Ait enim Theodor. quæſt. 63. *Quod autem plurimum peccarit Achab propter nimiam mentis leuitatem, & facilitatem, declarant, quæ ſequuntur. Abiit, enim inquit, Rex Iſraël triſtis, & illacrymans. Habens enim experientiam diuinarum prædictionum, intentatas timuit minas, ſed ſtatim rurſus ad ſuã rediit impietatem.* Sanè non paruæ offenſæ apud Deum ſunt leues, & faciles animi, qui neſciunt in bono durare, ſed cum vix Deo ſe ſiſterint, ſtatim rapiũtur ad peccata. De his ait Dominus per Oſeam cap. 5. *Facti ſunt principes Iuda, quaſi aſſumentes terminum, ſuper eos effundam quaſi aquam iram meam.* Ex Græco legitur: *Facti ſunt Principes Iuda, quaſi tranſponentes terminum*, &c. Ecce tibi tota offenſa Principum, quæ Dei iram trahebat, nimirùm: *Quaſi tranſponẽtes terminos*, hoc eſt, in nullo fixi erant, in nullo vere ſtabiles: ſed eſto, quod Deo acceſſerint, cum primum ſeſe offerebat occaſio ad iniquitatem, ſe tranſmittebant. Quod vt longè abeſt à Dei aſſeclis, ſic in reprobis, & ſubuerſoribus facilè inuenietis. Ait ibi D. Cyril. Al. *Moribus quippè vniformis eſt, qui diligit Deum, mutabilis autem, & fluctuans, & vtroque verſum ire gnarus ſubuerſor, & facile vadens, quo ſors tulerit. Itáque facti ſunt, inquit, Principes Iuda quaſi tranſponentes terminos.* Ecce tibi, & Dei aſſeclarum, & ſubuerſorum ingenium; in Dei aſſeclis conſtantia eſt, perſeuerantia eſt; in ſubuerſoribus autem præpropera mutabilitas, qui facile vadunt, quo ſors tulerit, & licèt videantur firmiſſimè Deo adhærere, cùm primum ſeſe obtulerit occaſio, nil dubitant, ſed ad impietatem redeunt. Quibus etiam eleganter ſuccẽſet Eccleſiaſticus cap. 6. inquiens: *Quam aſpera eſt nimis ſapientia in doctis hominibus, & non permanebit in illa excors. Quaſi lapidis virtus probatio in illis, & non demorabuntur proiicere illam.* Res eſt ſcita à D. Hieronymo notata in capit. 12. Zachariæ de probationis lapide, qui frequens erat, & Græcis, & Iſraëlitis. Quippè pro foribus ciuitatum viſebantur lapideæ ſpheræ magnitudinis non paruæ, ad quas athletæ conueniebant antequam deſcenderent in certamina, eáſque pro varietate virium ſubleuabant, ſuſtinebántve; alij vſque ad genua; alij vſque ad vmbilicum; alij ad humeros, & caput, imò ſupra verticem rectis, iunctiſque manibus immenſum pondus ſuſtentantes, magnitudinem virium demonſtrabant. Qui imbecilli, & non tam plauſibus, quam ſibilis erant geniti; hi nec tantillum ſuſtinebant lapidem, ſed cùm parum leuabant, citiſſimè ſe ab onere relaxabant proiicientes lapidem. Sic & reprobi homines, & qui æternis ſibilis deputati ſunt, in re virtutis, & veræ ſapientiæ faciunt. Accedunt quidem ad virtutem, accedunt ad ſapientiam aliquando, ſed vix virtutis pondus attollunt, & non demorantur, ſed citò illam proiiciunt. Ait enim: *Quaſi lapidis virtus probatio eſt in illis, & non demorabuntur proiicere illam.* Neſciũt paruam moram ſuſtinere in virtute, ſapientiáque ſeruanda, vt qui non ad victoriam, ſed ad ſupplicia ſint nati.

3. Reg. 21

Theod.

Oſeam 5.

Cyr. Al.

Eccl. 6.

Hieron.

§. XXV.

Reproborum eſt, quod nimis citi ſint in admittendis malis.

ECce tibi reprobi populi & à Deo reiecti ſignũ ſingulare, dicit enim: *Peccauit populus tuus, &c. receſſerunt citò de via*, &c. Iam non populus Dei dicitur, ſed hoc titulo priuatus, quaſi à Deo reiectus, populus Moyſis nominatur. Et cur in tantum deuenerunt malum? Ait ipſe: *Receſſerunt citò.* Nec miror, qui enim nimis citus eſt in recedendo à Deo, in admittendo malo, reiectionis, & reprobationis ſignum habet. Mortuo Lazaro aderat iam Chriſtus Ieſus, ſorores conſolabatur, ſpem reſurrectionis ſuggerebat, de ſepulcro interrogabat, ad illud iam proficiſcebetur. Quid tunc? Iudæi, qui intererant Ieſu potentiam incipiunt calumniari, dicentes Ioann. 11. *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere vt hic non moreretur?* Euntem vident Ieſum ad ſepulcrum, & eius impotentiam criminantur, quod non illum à morte liberarit. Cur non magis expectant, vt Ieſus accedat ſepulcro? Cur non magis expectant, vt videant, an valeat amicum ſuſcitare? Sanè ſi ſuſcitet Lazarum, non permiſit illum mori ex impotentia. Cur ergo antequam impotentiæ tribuant, quod deſiuit illum mori, non expectant, vtrum ſuſcitare illum valeat? Sanè tale eſt ingenium reproborum, quod neſciat expectare, ſed feſtinatiſſimum ſit in admittendis malis. Ex quo præclarè D. Baſil. Sel. orat. 41. fatur: *Fatentur aperuiſſe cæci oculos, & cum ob eam cauſam Chriſtum ſuſpicere debuiſſent, ex eadem miraculum iſtud ita traducunt, ac ſi non eueniſſet. Neque hac re duntaxat ſe perditos planum faciunt, ſed quod antequam ad monumentum adeat, aut virtutem expromat, non expectato rei exitu calumnias in eum iacere præfeſtinant.* Itáque non tam ipſa peccata, quàm præfeſtinatio in peccatis homines prorſus reiectos, & reprobatos eſſerit. Expectaſſent pauliſper, quod Ieſus monumento accederet, quod mortuum ad vitam vocaret, & minimè poteſtatem eius vellent calumniari. At reproborum ingenium præceps eſt, neſcit expectare, ſed vel ad occaſionis vmbram feſtinat admittere mala. Hinc reprobos Iſraëlitas deſignat Pſal. 106. aiens: *Citò fecerunt, obliti ſunt operum eius, & non ſuſtinuerunt conſilium eius.* Vbi Euthimius, ait: *Non expectauerunt exitum diuini conſilij, quo mira prouidentia, ob eorum ſalutem auxilium à Deo ſeruis demittebatur.* Sic reprobi neſciunt pauliſper expectare, ſed citiſſimi feruntur in profundum iniquitatum. Huc adeſt Iudas ille reproborum facile Princeps, de quo ait Matth. 27. *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus eſſet; pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & ſenioribus, dicens: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum*, &c. *Et proiectis argenteis in templo receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Vtinam in illa pœnitentia, & confeſſione duraſſet vſque ad Chriſti orationem pro inimicis peractam, ſed vt pœnituit, ſic feſtinatiſſimè cucurrit ad ſcelus maius, ſe ipſum ſtrangulans, quæ feſtinatio ſalutis illi prorſus occluſit aditum. Ex quo ait D. Leo ſer. 11. de Paſſ. *Ad Chriſti indulgentiam traditor Iudas peruenire non potuit, quoniam perditionis filius prius in deſperationem tranſiit, quam ſacramentum Chriſtus generalis redemptionis implerit. Nam pro omnibus mortuo impijs domino potuiſſet etiam hic conſequi remedium, ſi non feſtinaſſet ad laqueum.* Ecce tibi vt feſtinatio in ſcelere eripuit Iudæ remedium, quod etiam hoſtibus Chriſti in cruce parabatur.

Ioan. 11.

Baſ. Sel.

Pſal. 106 Euthim.

Matt. 27

D. Leo.

§. XXVI.

Sub vno ſolo Ieſu poſſumus in bono ſtare.

MEritò non ſuum populum Dominus vocat, ſed Moyſis populum, quem videt citò labentem

in peccato. Quippè ait: *Peccauit populus tuus.*&c.*receſſerunt cito de via,*&c. Et cur populus tuus dicitur à Deo, & non populus meus? Ibi apponit cauſam, dicens: *Receſſerunt citò à via.* Eſt hoc proprium inſigne populi, qui creaturarũ ſequitur ducatum, quòd nimirùm non poſſit diu in bono durare, ſed quam primum in perditionem abeat. Vnus eſt Deus. & Filius eius Ieſus, qui poſ-
Abac. 3. ſit populum in bono obfirmare. Abacuc cap. 3. deſcribens Chriſti triumphos, ait: *Splendor eius, vt lux erit, cornua in manibus eius. Ibi abſcondita eſt fortitudo eius. Ante faciem eius ibit mors. Stetit,& menſus eſt terram.* Ex Græco dicitur. *Stetit,& commota eſt terra.* Expende, quid Chriſti triumphus agat in terra, nimirùm in terrena ſubſtantia, facit enim eam ſtare,& ad meliora moueri. Et quantum eſt, quod Chriſtus faciat terram ſtare? Hoc ſciet, qui humani cordis inſtabilitatem ſub aliis creaturis perpenderit. In quo humanum, terrenúmque cor permanſit, & non ſingulis momentis modò ad hæc, modò ad illa raptum, imò raptatum eſt? Sed acceſſit Chriſtus,& ſtetit,& firmiter in bono perſeuerauit. Ait
Cyr. Ale enim D. Cyril Alexand. ibi: *Duo hæc paſſa eſt terra; ſtetit námque,& cõmota eſt. Stetit igitur: Nam quaſi ebria,& ad quiduis inconceſſum paruo momẽto cõmota;& quaſi ab omni vẽto circunlata ſtabilẽ de catero,& firmã ſtationẽ nacta eſt, Chriſto ipsã firmãte.* Ecce tibi humana mens terrenis immerſa affectibus, quã inſtabilis erat, quaſi ebria ſingulis momentis commouebatur ad quoduis inconceſſum; ſi forte aliquando aliquid ſalubre admitteret, paruo momento ad ſcelus, ad voluptatem vetitam rapiebatur. Sed hæc tam varia inſtabilis firmam ſtationem nacta eſt, Chriſto ipſam firmante, venit Chriſtus,& ſic in nobis obfirmata eius gratia permanſit; vt non citò illam à nobis expellamus, ſed diu in nobis perſeuerantem
Nazian. ſuſtineamus. Quò reſpiciens monebat Nazianz. orat. de Natiuitate, fatus: *Nunc autem partum Ieſu accipe, ac præſulta; ſi minus vt Ioannes ab vtero, at certe vt Dauid ob requiem arcæ.* Monemur itáque ſuſcipere Ieſu natiuitatem,& præſultare inſtar Dauidis ob requiem arcæ. Et quæ erat hæc requies arcæ, ob quam Dauid præſulta-
1. Reg. 5. bat? Habes 1. Reg. 5. vt Dei arca à Philiſthinis capta nequiuerit retineri diu in vno loco; ſed recepta in vno, ſtatim ad alium circunducebatur. Sic ibi: *Reſponderúntque Gethæi: Circunducatur arca Dei Iſraël. Et circunduxerunt arcam Dei,* &c. Hoc fuit Getheorum ingenium, ne arca Dei in vno loco diu perſeueraret, ſed ab vnoquoque quam primum migraret; donec 2. Reg. 15. reducta ad Iſraëlem in loco ponitur, vbi permanenter ſit, nec indè migratur amplius. In cuius collocationis immobilis feſto Dauid coram arca ſaltauit. Id, quod notat in hac
Nazian. Nazianzeni oratione, eius Scholiaſtes Nicetas, fatus: *Saltabat autem Dauid eo tempore, cùm arca ab alienigenis recuperata huc, illúcque deſiit circunferri, atque ad populum ſuum conquieuit.* Quid pulchrius ad mentem Theologi? Erat antiquitus Dei gratia inter homines, ſicut arca Dei inter Allophilos, pauci erant, qui diutius illam in ſe paterentur morari; ſed quàm primùm à quolibet excludebatur, venit Chriſtus, & ex tunc Dei gratia viſa eſt in hominibus conquieſcere,& in innumeris immobiliter perſeuerare. Quid tunc? Iam nobis ſaltandum eſt cum Dauide ob requiem arcæ; nimirùm perſeuerantiorem gratiam nacti. Ex quo enim Ieſu nobis apparuit natus, Dei gratia ad populum ſuum conquieuit, deſiitque aliquomodo inſtabilitas illa antiqua, qua huc, illúcque ferebamur, citiſſimè deflectentes à ſemitis diuinæ gratiæ.

Exod. 32. Rurſúſque ait Dominus ad Moyſem: Cerno, quod populus iſte duræ ceruicis ſit. Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciámque te in gentem magnam. Moyſes autem orabat Dominũ Deum ſuum, dicens: Cur Domine iraſcitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxiſti de terra Ægypti in fortitudine magna, & in manu robuſta? Ne quæſo dicant Ægyptij, callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, &c.

§. XXVII.

Maximè diuinum eſt, quod ſuſtineantur, & in vitæ habendæ facultatem alantur, etiam ob malitiam ſuam reprobandi.

SCiens Dominus nequiſſimi populi duritiem, ob quam tandem reprobandus erat, adhuc cunctatur iraſci, paratus vel vnius iuſti precibus illum ſuſtinere, & ſeruare in omnibus viis ſalutis comparandæ. Ait enim: *Cerno, quod populus iſte duræ ceruicis ſit. Dimitte me, vt iraſcatur furor meus,* &c. Quandoquidem noſcis reprobandi populi malitiam, duritiémque eius nunquam domandam; cur Domine vel à principio illum non proieciſti, vel ſaltem nunc non te citius à Moyſis precibus expedis, vt illum damnes? Et noſcis peſſimum,& reprobandum,& adhuc ais: *Dimitte me*, quaſi paratus ſuſtinere, ſi non dimittaris? Equidem hoc in Deo diuiniſſimum eſt,& maximè mirabile, quod ſciat ſuſtinere, & alere in vitam eum ipſum à quo noſcitur ipſa vita peſſundenda. Hinc Iulianum obiicientem Deo, quod malos præſcitos non ab initio exturbet, premit Diu. Cyrill. Alex. lib. 5. aiens: *Ea in Deo carpit, quæ ob nimiam ſuauitatem morum admirari decebat.* Non ſanè reprehendendum, ſed admirandum eſt in Deo, nimiæque, & præſtantiſſimæ ſuauitati tribuendum, quod & prænoſcat malos,& reprobandos, & nihilominùs non detrectet hos ſuſtinere, illíſque & media, & facultates comparandæ ſalutis miniſtrare. Id habes in Gen. cap. 2. vbi *Gen. 2.* effecto voluptatis paradiſo, poſitóque ibi ligno vitę, cuius fructu poſſit vita æternari, inter hæc & hominem conſtituit. Dicit námque: *Tulit ergo Dominus Deus hominem,& poſuit eum in paradiſum voluptatis,* &c. Itáque homo ponitur in paradiſo, vt de arboris vitæ fructibus poſſit æternum viuere. Sed ſciebat Deus hominem peccaturum,& eiiciendum indè feſtinatiſſimè,& morti adiiciendum; cur ergo ſuſtinuit talem eſſe in paradiſo, inter tot arbores vitæ, quæ omnes illi æternam vitam propinabant, quam minimè ille erat adepturus? Cur non magis illum extra hæc omnia reliquit? Pulchrè ait Tertull. lib. 2. in Marcionem: *Et Deus tanto magis bonus inuenitur, ſuſtinens hominem glorioſiorem in paradiſum ad licentiam decerpendæ arboris vitæ, iam de vita regreſſurum.* Præuiderat Deus hominem morti ſuccubiturum, imò & poſt peccatum iam viderat illum ſuccumbentem, & nihilominùs cunctatur, & ſuſtinet adhuc illum in paradiſo, vbi præ manibus, & ob oculos erant arbores vitæ, de quarum fructibus edere liceret ei, qui nihil iam habebat cum vita commune, qui erat mortis mancipium. Quantum hoc? Sanè in eo Deus multo magis bonus inuenitur. Singularis enim bonitas eſt, & vni Deo competens, quod præſciat impium periturum, & nilominùs illum patiatur eſſe inter ipſos ſalutis fontes, ad licentiam reſumendæ ſanitatis. Id, quod in proditore Iuda maximè patuit, quem in cœna vltima,& in myſteriorum celebratione aſſidentem videns Dominus, ait Ioan. 13. *Amen, amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me*: & cũ hoc dixiſſet, buccellã accipit, eámque intinctã Iudæ præbet. Quid agis Domine, proditorem noſcis iam iam ſtrangulandum,& funditùs periturũ intra horas paucas,& nihilominùs in ore eius non dubitas ponere vitæ pabulum? Pulchrè ait D. Chryſoſt. hom. de Prodit. Iudæ. *O Chriſti miſericordia! Iudæ dementia! Ille eum triginta denariis paciſcebatur, vt venderet;& Chriſtus ei ſanguinem, quem venderet, offerebat, vt haberet remiſſionem peccatorum, ſi tamen impius exiſtere noluiſſet.* Hęc eſt Dei miſericordia, quæ notũ perduellem,

Cyr. Ale. *Ioan. 13.* *Chryſoſt.* *Tertull.*

duellem, iam iam carnificibus tradendum, adhuc patitur esse inter salutis mysteria, ad licentiam salutis decerpendam. Quod tantum abest, vt sit à Deo alienum, quod potius maximè diuinam bonitatem commendet.

§. XXVIII.

Validissimæ sunt iustorum preces, vt Deum ab ira contineant.

IN re tantæ iræ, tantique digna furoris se Deus implicatum videt, vel vnius iusti conspectu, sic enim clamat ad Moysem: *Dimitte me, vt irascatur furor meus*, &c. Quasi vnius Moysis prece non dimittatur Deus irasci in perduelles populos, in idololatrarum gentem. Sic valet vnus iustus ab ira continere Deum. Vnde Ierem. Ierem.cap. 5. ait Dominus: *Circuite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem; & propitius ero ei.* Ex Græco legitur: *Et propitius ero eis*; non solum iusto vni propitius erit, sed & propter vnum iustum innumeris aliis peccatoribus. Vt dicat ibi D. Cyr. Ale. Cyril. Alex. ad cap. Oseæ 1. circa finem: *Intelligis ergo, quo pacto vel vnum iustum tuendum suscipiat Dominus, & pro tota ciuitate orantem non despiciat.* Quasi nesciat Deus se expedire iustorum orationibus, vt perdat peccatores. Eduxerat Deus Abrahamum ex patria sua, vt acciperet terram promissionis destructis illius incolis. Sed non impleta est hæc promissio nisi in quarta Abrahæ generatione. Ait enim Gen. 15. Gen. 15. *Generatione autem quarta reuertetur huc, nondum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum.* Differebatur diuina promissio de destruendis Amorrhæis, quia nondum impletæ erant iniquitates eorum. Et vnde non essent impletæ iniquitates pessimorum hominum, nisi quia adhuc apud illos erant aliqui rari iusti, qui Dei iram detinerent? Ait Theodor. Theodoret. quæst. 64. in Gen. *Didicit quoque rationem dilationis, ne quis suspicaretur ob numerosam incolarum multitudinem Dominum Deum non potuisse illis tradere Dominium illius terræ. Dixit autem sic: Nondum adimpleta sunt peccata Amorrhæorum vsque nunc. Nondum, inquit, exitio digna perpetrarunt. Quod autem illis temporibus essent viri pij constat ex Melchisedech*, &c. Ecce tibi tota ratio dilatæ vindictæ de Amorrhæis, nimirum erat inter illos Melchisedech, ad cuius preces quasi nõ poterat non ira Dei detineri. Hinc Israëlitis fidelibus, Exod.19 legísque obseruatoribus aiebat Dominus Exod. 19. *Eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea est enim omnis terra.* Sed quando tua est, Domine, omnis terra, cur despectis cunctis populis vnum tibi asseris populum Israëlitarum? Sicne propter hunc reiiciendi sunt cæteri populi? Absit, non reiicit cæteros, eo quod vnũ sibi seligat; imò per hunc & cæteris prospicit; quando enim Israëlitæ iusti sint, ij poterunt Deum propitium Theodor. facere omni alij nationi. Sic dicit Theodor. quæst. 35. in Exod. *Quemadmodum & Leuitas reliquis tribubus prætulit, & ad officium diuinum consecrauit, non quod reliquas tribus negligeret, sed per hos illorum curam gereret. Sic & semen Abrahæ elegit, quia per hosce posteris eorum patefacturus erat suam potentiam, & edocturus omnes homines.* Vide vt in bonum vniuersorum seligebantur Israëlitæ legis obseruatores. Quicunque sanè iustus à Deo seligitur ad peculiarem legum obseruationem, in magnum cedit totius mundi bonum, quando vnius precibus iram suam aduersùs peccatores Dominus continet. Hinc Gen. 8. Abrahamus vt iram Dei Gen. 8. auertat à nefarissimis Sodomitis decem ibi iustos Deo obiicit, & ait Dominus: *Non delebo propter decem.* Circa quę ait Procop. in Glossa: *Quamobrem cupit iniustos quoque seruari? In hunc sensum loquitur. Pauca salis micæ conseruant à putredine multã carnem; pauca, & parua vincula continent magna ædificia; sic iusti conseruant iniustos,* Hæc ibi.

§. XXIX.

Absurdè satis Præsules Ecclesiæ ad ditiores semper anhelant præsulatus.

COnueniant huc, qui paruis præpositi Ecclesiis nullum non mouent lapidem, vt ad ditiores, splendidiorésque promoueantur, & discant, si non in Christo extremam paupertatem, saltem in Moyse moderationem animi. Is audit ex Deo: *Dimitte me, deleam eos, & faciámque te in gentem magnam.* Maior, & splendidior illi offertur à Deo præsulatus, dum patiatur amittere paruum illum, & nefarium, & perduellem populũ. Bonus autem Dux affectus ad paruum, quia primò sibi fuerat delatus, vel audire erubescit sui promotionem, multísque illam deprecatur. Quid dignius præstanti viro? Et quid absurdius illis Præsulibus, qui primas Ecclesias contemnunt, vt acquirant splendidiores; opulentioréq; alias? Pulchrè D. Chrysost. hom. 12. in Ioan. Chrysost. fatur: *Cum Moyses a Iudæorum ingratitudine liberari posset, & alterius gentis longè maiorem accipere principatum, cum sanctus, & Dei seruus esset intimus; ne audire quidem id sustinuit, sed potius vna cum iis, qui sibi semel crediti erant, perire, quam sine illis saluus esse, & ad maiorẽ dignitatem assumi, prætulit. Huiusmodi esse oportet, cui animarum cura commissa est. Est námque absurdum, vt prauorum filiorum pater nolit, nisi eorum quos genuit pater appellari. Nos autem discipulos quotidie, nunc hos, nunc illos mutemus, erga neminem amicè, familiaritérque affecti. Sed absit, vt de nobis vnquam hæc suspicio suboriatur.* Sapienter ponderat sanctus Prælatus absurditatem eorum præsulum, qui nulla in Ecclesia, nulla in cathedra firmi, & stabiles manent, sed semper pro præstantiori alia ditioríque suspirant. Quam pestem cupiens Dominus rẽmouere à suis ministris monebat illos Exod. 20. *Non* Exod.20. *ascendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua.* Facilius aliter caueretur turpitudinis reuelatio, etiamsi per gradus ascenderent ad altare; cur ergo maluit Deus hoc iubere, ne per gradus ascenderet? Ait Lyppo. Lyppo.in cat. *Honestas namque decet maxima sacerdotes Domini virtutum, & disciplina morum perfecta. Sed & arrogantia, & ambitio Domino non placet.* Equidem inter alia taxabatur ambitio illorum, qui perpetuas meditantur in Dei Ecclesia ascensiones; vt ad celsiores, & sublimiores semper dignitates, & præsulatus ascendere possint. In quo maxima reuelatur absurditas, & turpitudo eorum. Huc adducenda sunt dicta tom. 4. in Euang. lib. 16. c. 1. §. 2.

§. XXX.

Facinora iustorum ob oculos Dei posita peccatorum hominum errores, maculásque abscondunt.

ADuersùs vituli fabricatores, & adoratores irato Domino opponit Moyses Abrahami, Isaaci, & Iacobi facinora, dicens: *Recordare Abraham, Isaac & Israël seruorum tuorum.* Et quid tunc? *Placatúsque est Dominus, ne faceret malum*, &c. Adhuc Idololatria feruebat, adhuc Israëlitæ erant in solemniis idoli, nec à perpetrato scelere desistebant, & iam placatus erat Dominus. Vnde Dominus inter ipsa scelera placari potuit? Subière illius memoriæ facinora Abrahami, Isaaci, & Iacobi, quæ diuinis oculis oppositа, obtenebrata manserunt ingentia scelera populi. Ait D. Cyr. Alex. lib. 4. D. Cyril. de Ador. in spiritu, fatus: *Nõ inutilis est cæteris hominibus ille sanctorũ virorum splendor, illorum námque rebus bene gestis nostræ infœliciter gestæ obruuntur; & cùm nobiliorum virorũ animi fortitudinẽ attendit noster ille virtutis amator Deus, infirmioribus crimina condonat.* Ecce tibi vt miserorum crimina & obruuntur, & absconduntur inter iustorũ facinora, quæ parent diuinis oculis. Dum enim diuina lumina recreãtur iustorũ facinoribus, nihil non suaue, & lene à Deo profertur in peccatores. Hinc illa

Dei vox Gen.18. *Si inuenero Sodomis quinquaginta iuſtos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos.* Et qualiter fieret, quod tanti, tanquam nefarij populi crimina dimitterẽtur, propter quinquaginta iuſtos ſolos?

D.Cyril. Ait D. Cyril. Alex. vbi ſuprà: *'Erit autem, vt vnà cum ſanctis viris claritatem, quæ illis ineſt, participemus, & eorum præclarè geſtorum ſocij ſimus; Deo ex benignitate, atque clementia noſtras res infœliciter geſtas cum illorum rectè factis veluti confundente, ac permiſcente; idque quod inchoatum eſt, & imperfectum, cum eo, quod eſt perfectius, vt gratum, acceptúmque fiat, conferente.* Expende illa nimirùm: *Noſtras res infœliciter geſtas cum illorum rectè factis veluti confundente:* quippè coram Deo ſic ſordes noſtræ cum iuſtorum hominum rectè factis permiſcentur, & confunduntur, vt penè diſpareant, & illorum rectè factorum ita ſimus participes, quaſi ab omnibus perfectum ſit, quidquid apparet perfectum, & illuſtre. Et quando non per ciuium præſtantiſſimorum gloriam

Num.31 etiam inertes, & pigri illuſtrantur? Num.31. vt Iſraëliticus populus vindicaretur de Madianitis, ſelecti ſunt milleni pręliatores ſtrenui de ſingulis tribubus: ait enim text. *Dederúntq; millenos de ſingulis tribubus, id eſt, duodecim millia expeditorum*, &c. Et quidẽ penè omnis populi multitudo infecta fuerat Madianitarũ labibus; cur tam pauci eliguntur pro expurgatione illarũ, niſi quia paucorũ ſtrenuorũ gloria vniuerſos peruadet? Sic ait

D.Cyril. D.Cyril.Al.lib.4.de Ador.fatus: *Lecti iuuenes ad bellum gerendum conueniebant, & à ſingulis tribubus quicunque excelluiſſent, ij gloriæ populo vniuerſo eſſent, & partis vnius nobilitas ad plenitudinẽ totà pertineret.* Tota populi multitudo, etſi iners, etſi ſordida, nobilitatur, vbi pars aliqua ſelecta inuenitur, quæ ſtrenuè ſe gerat. Ad horum facinora attendens Dominus cæterorum ſordes parui æſtimat.

CAPVT XVII.

Vindicta de culto Idolo.

Textus Hiſtoria.

REddidit quadrageſimus dies Moyſem cum ſuo Ioſue popularibus, reddidit, inquam, Moyſem nõ vacuum, ſed diuitem duabus lapideis tabulis, in quibus Decalogi præcepta Dominus manu propria exarauerat. In altera, quæ Deum ſpectabãt præcepta, tria legebantur; ſeptem in altera, quibus proximorum conſortium firmabatur. His deſcendentes è mõte præoccupat clamor è circuniacentium turbis exortus, in quo Ioſue hoſtilem aliquem aſſultum verebatur, verius Moyſes non pugnæ ſortia, ſed laſciuientium mollia notauit, & dedecora vinolentorum. Rem citò declararunt ludentium choreæ, accedentibus penè obuiæ factæ, & vitulus è propinquo iam radians altari. Quæ mens, qui dolor Moyſem ſubit nefario ſub aſpectu? Confregit tabulas, nulla enim lex adeò marmorea eſt, quæ non facilè inter ignauiſſimos homines, & ventri deditos confringatur. Vitulum rapit, in puluerem comminuit, ex quo confecta pocula miſeros adoratores ſuos neci deſtinabant. Bibit populus nequam, bibit & Aaron, qui ſolus è potione nullum ſignum lethiferum contraxit; ſatis caſtigatus coram Deo, & verecundia ſceleris, & obiurgatione minoris fratris, qui coactè fuerat ad opus nefariſſimum raptus.

Intereà Moyſes circunſpiciens multitudinem non paruam, & veſtibus propter choreas nudatam, & inauribus propter vitulum ſpoliatam, & percepa potione ſignatam; conuocat Dei veri zelatores, quibus ſeueriſſimum imperium mandat. Ne quis filiis, aut parentibus, aut cognatis, aut amicis parcat, ſed quos inuenerit reos, internecioni tradat. Proh dies luctuoſiſſimus Iſraëlitis! Accurrunt Leuitæ ferè omnes, accurrunt ex aliis tribubus non pauci, ſtrictíſque gladiis mortem inferre incipiunt reis, etiam à quibus ipſi vitam traxerint. Occiſa ſunt è præſtantioribus tria millia, ſi hoc volunt Hebraica exemplaria, de omnibus viginti tria millia à noſtris numerantur. Qua ſtrage peracta, Moyſes validiſſimos occiſores laudauit, reliquámque multitudinem metu perculſam docuit, vt pœnitere debeant de opere nefario, dum ipſe per alios quadraginta dies apud Deum eorum cauſam agit.

PARS MORALIS IN *textus literam.*

REorum amariſſima ſupplicia non poſſunt nõ melleos fontes propinare iis, qui malunt ex alieno ſibi prouidere damno. Quos vt teneamus fontes, præſentis textus literam euoluamus.

*Exod.*32. Reuerſus eſt Moyſes de monte, portans duas tabulas teſtimonij in manu ſua, ſcriptas ex vtraque parte, & factas opere Domini. Scriptura quoque Dei erat ſculpta in tabulis.

§. I.

Maxima Dei dignatio, quod per ſe ipſum hominum diſciplinæ attendat.

ECce mittuntur à Deo tabulæ propria eius manu conſcriptæ populo ſuo, ſic enim dicit textus: *Reuerſus eſt Moyſes de monte, portans duas tabulas teſtimonij in manu ſua, ſcriptas ex vtraque parte, & factas opere Domini.* Ipſe Dominus tabulas effecit, dolauit, propriáque ſcripſit manu, vt eas populo daret. Quanta hæc ſummi Dei dignatio! In ſimili dignatione ſic D.Amb. epiſt.16. alloquitur Auguſtum Gratianum: *Quid de literis recentibus loquar? Scripſiſti tua totam epiſtolam manu, vt ipſi apices fidem tuam, pietatémque loquerentur. Sic Abraham ſua manu quondam vitulum occidit, vt hoſpitibus epulantibus miniſtraret, nec in miniſterio religioſo aliorum adiumenta quæſiuit. Sed ille priuatus, aut Domino, & Angelis, aut Domino in Angelis deferebat; tu Imperator dignatione regali honoras infimum Sacerdotem.* Sic Ambroſius commendat dignationem regalẽ Imperatoris, qui manu propria ſcriptam epiſtolam ſibi dederat. Et quis non commendaret diuinam dignationem, quãdo ipſe Dominus omnium, & ſummus creaturarum Imperator non dedignatur manu propria tabulas dolare, & exarare, vt leges viuendi populo rudi traderet? Sanè vt ipſi apices Dei erga homines pietatem monſtrarent, in quibus ſcripto inſtruendis aliorum adiumenta non quæſiuit. Magnum hoc? Sed accipe maius per Hieremiam promiſſum, & nobis cõmunicatum. Quippè ait Hierem.31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſraël, & domui Iuda fœdus nouum: non ſecundùm pactum, quod pepigi cum patribus veſtris,* &c. *Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Iã nõ in tabulis lapideis, ſed immediatè in cordibus noſtris lex diuina dicitur inſcribenda. Et quę lex ſic immediatè in cordibus noſtris inſcribitur? Ait D.Aug.lib.de ſpiritu, & liter.c.21. *Quæ ſunt aliæ leges à Deo ſcriptæ in cordibus, niſi ipſa præſentia Spiritus ſancti?* Magna erat Dei dignatio, quod populo ſuo mitteret leges ſcriptas propria ſua manu, proprio ſuo digito, nec ſcribæ alicuius adiumenta in hoc miniſterio requireret. Sed hoc longè maius eſt, & maioris dignationis indicium, quod non ſolum vitaret adiumenta ſcribæ ad dandas leges fidelibus ſuis, ſed nec tabularum, nec alterius inſtrumenti expectauit adiutorium, ſed ipſe per ſe diuinus ſpiritus immediata præſẽtia ſua, quod iuberet, cordibus humanis imprimeret. Quis neget hoc maioris dignationis indicium? Accipite

D.Amb.

Hier.31.

D.Aug.

D.Chry

Chryſoſt. D. Chriſoſt. hom. 1. in Matth. fantem : *Oportuerat quidem nihil nos indigere auxilio literarum, ſed tam mundam in omnibus exhibere vitam vt librorum vice gratia Spiritus ſancti vteremur, & ſicut atramento illi, ita corda noſtra inſcriberentur à ſpiritu. Siquidem nec Apoſtolis ſcriptum aliquid Chriſtus, ſed pro luteris. Sancti ſpiritus ſe illis daturum gratiam repromiſſis. Atque vt diſcas quod hoc ſit illo multò melius, audi Dominum loquentem: Et diſponam, inquit, vrbis teſtamentum nouum. Dabo leges meas in monte eorum, & in corda eorum præſcibam eas, & erant omnes docibiles Dei.* Boni conſultum fuerat à Deo, vbi decreuerit leges ſuas, monita ſua digito proprio ſcribere in tabulis, quæ darentur hominibus. At illud multò melius apparuit factum nobiſcum, quod nec tabulas, nec adiumenta alia ſimilia requiſiuit, ſed ipſe per ſe Dominus adſtitit, ſeſéque cordibus noſtris infudit lex nobis immaculata, & viua.

§. II.

Non inſcriptorum pretio, ſed in exhibitione virtutum hominis præſtantia conſiſtit.

COnueniant huc, qui pulchris libris, pretioſiſque ſcriptis conquirendis ſummum ſtudium, & ſumptum impendunt, & videant omnium pretioſiſſima ſcripta ad populum Iudaicum venire. Ait enim: *Reuerſus eſt Moyſes de monte portans duas tabulas teſtimonij in manu ſua ſcriptas ex vtraque parte, & factas opere Domini, Scriptura quoque Dei erat ſculpta in tabulis.* Qui liber, quod ſcriptum, potuit cum hoc comparari ſiue in pulchritudine, ſiue in pretio? Qui Princeps, qui Imperator tales tabulas, tales membranas in ſuis ſcriniis habuit? Sed quod mireris magis, accedens Moyſes: *Vidit vitulum, & choros, iratúſque valde; proiecit de manu tabulas, & confregit eas.* Proh ingens perditio pretioſiſſimarum tabularum! Cur Moyſes priuas populum tanto theſauro? Meritò Moyſes deſpicit leges in tabulis ſcriptas, quæ minimè in cordibus ſcriptæ apparent. Habere enim pretioſa ſcripta in ſcriniis, & vilia opera in manibus non eſt hominis, qui prorſus auerſatur nequitiam Iudaicam. Pulchrè hinc pungit multos D. Chryſ. hom. 31. in Ioan. fatus : *Omne ſuum ſtudium in membranarum tenuitate, in literarum characteribus quam pulcherrimis conſumunt, non vt legant, non vt vſum aliquem inde conſequantur, ſed vt diuitias, vt ambitionem oſtentent, in his ſtudent. Quid quæſo hoc lucri? Non propterea nobis Scripturæ datæ ſunt, vt in libris duntaxat habeamus, ſed cordi inſculpamus. Itáque hæc librorum poſſeſſio, Iudaicæ ambitionis eſt, quibus in literis præcepta data ſunt, nobis non ita, ſed in tabulis cordis carneis.* Relinquatur, itáque Iudæis cura de habendis pretioſis libris, pretioſis ſcriptis : quibus eorum ſcrinia ſuperbiant ; noſtra autem non inde ſummatur præſtantia, ſed ex Scripturæ operibus exhibitis. Non aurea pagina, & à præclaro artifice polita, ſed aurea vita eſt, quæ homines exaltat. Meritò à Ieſu reprehendebantur Phariſæi, qui multi erant in pictis Decalogi membranis oſtentandis. Ait enim de illis Matth. 23. *Omnia opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria ſua,* &c. Monebat illos Deus, vt leges ſuas ob oculos haberent. Quid illi? In pictis pulcherrimiſque membranis legem ſcribebant, quæ membranæ ſcriptæ phylacteria vocabantur, & à capite ob oculos pendebant, quibus ſeſe religioſos oſtentabant. Quid ſtultius, quam religionem in ſcriptis pulcherrimis papyris collocare? Sic multi in præſenti in eo ſe pios, & deuotos putant, ſi pretioſa pſalmorum ſcripta, ſi aurea euangelia pulcherrimis incripta membranis, & ſimilia habeant alia. Cunctis irridet D. Hieron. in Matth. fatus : *Pictatiola illa Decalogi, phylacteria vocant: quod quicunque habuiſſet ea, quaſi ob cuſtodiam, & munimentum ſuum haberet, non intelligentibus Phariſæis, quod hæc in corde portanda ſunt, non in corpore: alioquin & armaria, & arcæ habent libros: & notitiam Dei non habent. Hoc apud nos ſuperſtitioſæ mulierculæ in paruulis euangeliis, & in crucis ligno, & iſtiuſmodi rebus; quæ habent quidem zelum Dei, ſed non iuxta ſcientiam, vſque hodie factitant.* Equidem & Phariſæorum eſt, & mulierculârum præſtantiâ virtutis conſtituere in ſcriptis cartulis, in pictis membranis, in paruis, & politis euangeliis, pſalmodiiſque, & ſimilibus. Abſit hoc à vero Chriſtiano, qui non vt ſcrinium, aut armarium oſtentat ſcripta pretioſa, ſed vt perfectus virtutum opera ab ſcriptis inſinuata facit. Hæc eſt vera præſtantia hominis Chriſtiani.

Chryſoſt.

Matt. 23.

Hieron.

§. III.

Ab omnium creaturarum naturis poteſt homo rationi ſuæ conuenientia diſcere.

IN tabulis lapideis legem ſcriptam Moyſes adducit, dicente Scriptura : *Reuerſus eſt Moyſes de monte portans duas tabulas teſtimonij ſcriptas,* &c. Sed per Ierem. c. 31. dicebat Dominus : *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam meam.* Ibi in lapideis tabulis legem ſcribit, hîc promittit illam poſtmodum in corde hominum ſcribendam. Et cur prius in lapide, quàm in corde ſcripſit? Equidem prius ſcripſit legem in lapide, vt de lapidum, cæterarúmque creaturarum naturis edocti facilè ad intimam hominis perfectionẽ cœlitus inſpiratam deuenerimus. In reſurrectionis caſu notabat hoc Tertul. lib. de Reſur. inquiens: *Totus igitur hic ordo reuolubilis rerum teſtatio eſt reſurrectionis mortuorum. Operibus Deus præſcripſit eam antequàm litteris: viribus prædicauit, antequàm vocibus. Præmiſit tibi naturam magiſtram, ſubmiſſurus & prophetiam: quo facilius credas prophetiæ diſcipulus naturæ.* Equidem quod plantæ, & herbæ, & lapides, & cæteræ omnes creaturæ loquuntur, facilius perſuadetur hominibus, cum à Deo dicitur. Quod videmus vel in lapidum naturis ſcriptum. quomodo totis non amplectemur viribus, cùm vel lapides non impellant in illud? Meritò ergo mittimur prius ad creaturarum naturas, vt inde poſtmodum ad veras deueniamus animæ diſciplinas. Quò ſpectat illud Cant. 1. at ſponſam dictum : *Si ignoras te ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hœdos tuos circa tabernacula paſtorum.* Ecce tibi vt iubetur ſponſa fieri aſſecla gregum, & paſtorum, vt in ſibi conuenientia deueniat. Sed qui greges, qui paſtores inſpiciendi ſunt à Chriſti ſponſa? Mirabile dictu greges, & paſtores vocat vniuerſas turbas creaturarum. Aiunt tres Patres apud Theod. *Greges dicuntur rerum naturæ, quoniam earum ſingulæ factæ ſunt dignæ, quas prouidẽtia ſua author omnium Deus, quaſi paſtor gubernet, moderetur, ac regat. Et paſce hœdos tuos in tabernaculi paſtorum, exemplis vtique rerum naturalium, deſidiam malorum omnium cauſam in diligentiã conuertẽs, quæ naturali vi formicæ, & api ineſſe cernitur. Imprudentiam ad prudentiam exẽplo ſerpentis ita redigens, vt ſicut ille pro capitis defenſione totum corpus offerre non dubitat, ſic tu pro fide te ipſam periculis omnibus obiicias. Iracundiam item columbæ exemplo reuocans ad ſimplicitatem, vt eos, qui te iniuriis afficiunt, minimè perſequaris, quando nec columba propter pullorum ſuorum direptionem à diripientibus non recedit*, &c. Pergunt Patres alias creaturas proponere, quarum naturis inſcripta ſunt, quæ nobis conueniunt ad obtinendam intimam cordis virtutem, eámque obtinebimus facti creaturarum diſcipuli. Hinc Leuit. 11. cauebat Dominus: *Omne quod habebat diuiſam vngulam, & ruminat in pecoribus comedetis, Quidquid autem ruminat quidem, & habet vngulam, ſed non diuidit eam, ſicut camelus, & cætera non comedetis illud, & inter immunda reputabitur:* Itaq; à menſa hominem remouentur animalia, quæ non ruminant, & admittuntur, quæ ruminant, & cur ſola ruminantia,

Tertul.

Cant. 1.

Theodor.

Leuit. 11.

nantia,& vngulam diuidentia hominibus proponuntur,cætera autem illis eripiuntur? Reſpondet Tertull. lib.de ieiunio: *In animalibus mores depinguntur humani, & actus,& voluptates. Mundi ſi ruminent, id eſt,in ore ſemper habeant quaſi cibum præcepta diuina; vngulam findunt, ſi firmo gradu innocentiæ,iuſtitiæ, omniſque virtutis, vitæ itinera conficiant.* Sunt equidem in animalibus,in omnibus creaturis adumbrati, & quaſi inſcripti hominum mores, quorum diſcipuli internam adipiſcentur munditiem. Quis homine illo mundior, qui ad ruminantium creaturam aſpiciens in ore verſat præcepta diuina? Quis item illo mundior,qui de more diuidentium vngulas, firmiter hæret in virtutis curriculo? Sic rerum naturis informantur homines,vt facilius accedant ad cordis munditiem. Sic Ioſue iubente cap. 6. *Stetit Sol in medio cœli,& non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei. Non fuit antea, & poſtea tam longa dies:* Nec otiosè ad vocem hominis creatura Solis ſtetit, ſed vt vel in inſenſibilibus inſcripta obedientia appareret,qua homines intimius docerentur obtemperare Deo D.Baſil.Sel.orat.19. *Dies diei ſpatia conceſſit,quo te Domino parere doceret.* Vtiliter equidem fiunt homines creaturarum diſcipuli, vt Deo facilius præbeant obſequium.

Tertul.

Ioſue 6.

Baſil.Sel.

Exod. 32. Audiens autem Ioſue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moyſem: Vlulatus pugnæ auditur in caſtris. Qui reſpondit. Non eſt clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam,ſed vocem cantantium ego audio.

§. IV.

Conuiuia, compotationéſque hoſtiles noſtrorum aduerſariorum phallanges ad ſe reducunt.

TVmultus populi in vituli ſolemniis viſus fuit Ioſue bellicus tumultus;aſt Moyſi viſa fuit,quæ erat, vox nimirùm cantantium. Dixit enim Ioſue ad Moyſem: *Vlulatus pugnæ auditur in caſtris. Qui reſpondit: Non eſt clamor adhortantium ad pugnam, ſed vocem cantantium ego audio.* Quæ verba ſic apud Philonem leguntur lib.de Temulentia,nimirùm:Clamor pugnantium auditur in caſtris. *Qui reſpondit; Clamor iſte non ad pugnam,aut fugam hortator eſt, ſed ad pocula.* Et meritò qui verè erat clamor canentium inter pocula, & menſas dapibus fartas,quibus ſolemnia vituli celebrabant viſus eſt Ioſue clamor pugnæ, & belli; memor enim ille Amalecitarum nuper à ſe fugatorum, verebatur eorum reuerſionem. Et qui hoſtes non reuertantur ſuper eos,qui ſe tradunt fartis menſis, & compotationibus? Non me tempero,quin huc afferam Cyri aſtam,de quo Paulus Oroſ.lib.2.ait: *Cyrus itáque Scythiam ingreſſus procul à tranſmiſſo flumine caſtra metatus, inſuper aſtu,eadem inſtructa vino,epulíſque deſeruit, quaſi territus refugiſſet. Hoc comperto Regina tertiam partem copiarum,& filium adoleſcentulum ad perſequendum Cyrum mittit. Barbari veluti ad epulas inuitati primum ebrietate vincuntur: mox reuertente Cyro, vniuerſos cum adoleſcente obtruncantur.* Quid pulchrius in rem præſentem: Ebriorum clamor mixtus fuit cum bellico tumultu, cum hoſtili regreſſu, quo miſeri epulones perimuntur.Caue tibi, Chriſtiane à menſis, caue tibi à poculis,à conniuiis; hoſtis antiquus aliquando mentitur fugam,procul ſe à nobis oſtendit, interea relinquens parata cõuiuia paratas compotationes.Quibus ſi aſſideas,in te proculdubio reuertentur vniuerſi aduerſariorum cunei, ſub quorum pereas inſultu. Ecce vobis 3. Reg. 20. Benadab Rex Syriæ innumero penè exercitu Iſraëlitas hoſtes in Samaria concluſerat, ſicque ciuitatem vndique cinxerat, vt nullus inde hoſtis poſſet exire.Quid tunc? Ait textus: *Benedab autem bibebat temulentus in vmbraculo ſuo, & Reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium eius venerant. Egreſſi ſunt autem pueri principum prouinciarum in prima fronte. Miſit itáque Benadab,qui nuntiauerunt ei dicentes: Viri egreſſi ſunt de Samaria,*&c. Sanè omnes hoſtes erant concluſi intra vrbem Samarię,& adeò in arcto poſiti,vt minimè in certamẽ poſſent exire,Exierũt tamen multi,& nuntiatũ eſt Benadabo,quod hoſtes exiſsẽt,& ad ſe venirẽt. Sed quãdo exeũt hoſtes,quãdo audẽt venire aduersùs exercitũ validiſſimum? Notanter poſuit textus circunſtantiam illam, nimirùm: *Benadab autem bibebat temulentus*,&c.qui enim ſobrius hoſtes fugauerat, & intra vrbem concluſerat, vbi compotationibus cœpit indulgere,& vacare conuitiis,hoſtiles fecit turmas ad ſe exire,ſub quibus miſerè periret.Et quos hoſtes non trahant prolata diu conuiuia? Aiebat Dauid Pſal. 22. *Paraſti in conſpectu meo menſam aduersùs eos,qui tribulant me.* Quibus verbis pulchrè expenditur diſcrimen inter menſam mundialem,& diuinam, in hac enim temperantia viget,in illa totum eſt armarium gulæ.Hæc hoſtes abigit, allicit illa. Vbi ſobria menſa ex Deo parata apparet, nullus hoſtis,nullus malus genius non fugit: vbi autem ebriorum mẽſa proponitur,hoſtiles omnes acies,&vniuerſi mali genij eo aduolare feſtinant. Vndè Chryſoſt. hom.57.ad popul. ait: *Hunc luxus ſancit, & immodeſtia,illam verò philoſophia,& modeſtia. Huc Chriſtus venit,illuc verò Diabolus,vbi ſiquidẽ ebrietas,ibi Diabolus;vbi ſaturitas, ibi dæmones choreas agunt.* Currunt planè Diabolici exercitus ad menſas,in quibus & pretioſæ epulæ, & vina apponantur ſuperflua. Nec vllis aliis rebus, quàm conuiuiis, & compotationibus, & plures, & nocentiores trahuntur dæmonum exercitus Iob cap. 1. *Ecce alius intrauit,& dixit:Filiis tuis, & filiabus veſcentibus, & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit a regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus*,&c. Mirum eſt, quod ventus veniens ab vna regione concutere potuerit quatuor angulos domus;qua difficultate, vt ſe expediat Oiig.in vento illo agnoſcit ingentem multitudinem dæmonum, quorum ſinguli properabant diuerſis partibus domum impellere. Ait enim lib. 1. in Iob: *Omnes nequiſſimi dæmones mox vt relaxati ſunt, omnes generaliter ab omnibus partibus ſuper domum ipſam irruerunt feſtinantes, atque aduerſum inuicem rapientes,quis primus hanc iniquitatem inciperet. Ob hoc ergo per quatuor partes irruerunt nequiſſimi dæmones, tanquam leones de inſidiis prorumpentes.* Et cur omnes dæmones ſic efferantur in vnam illam domum? Cur vnam tot dæmones inuadunt? Erat illa conuiuij locus, vbi epulabantur fratres, nec miror quod ad illam perdendam omnes certatim accurrant dæmones. Olymp. in cat. Greca ait: *Ventus autem è deſerta regione repentè obortus eſt,cæterus ædes non attigit;ſola ea, vbi epulabantur filij, euerſa eſt.* Sola illa traxit ad ſe tot dæmonum cateruas, in illam ſolam, in qua epulabantur frates, certatim aduolant omnes dæmones. Quò traho illud Iſaiæ cap.5. *Cythara,& lyra,& tympanum, & tibia,& vinum in conuiuiis veſtris*,&c. *Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino.* Vbi cum omni muſico inſtrumento Iſraëlitæ conuiuiis vacabant, infernus ſuum os dilatat ſine termino, non ſolum vt abſorbeat ebrios, ſed vt euomat, & emittat omnes dæmones, qui aduolant ad perdendum. Neceſſum eſt enim vt ampliſſimum fiat os inferni,quando tot ſunt dæmones,qui certatim volunt venire, vt domos conuiuiorum perdant.

Varo.Oro.

3.Reg 20

Iob 1.

Olymp.

Iſaiæ 5.

Exod. 32. Cúmque appropinquaſſet ad caſtra,vidit vitulum, & choros, iratúſque valde proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis. Arripiénſque vitulum, quem fecerãt,cõbuſſit,& cõtriuit vſq; ad puluerẽ, quẽ ſparſit in aquã,& dedit ex eo potũ filiis Iſraël.

§. V.

§. V.

Vilescunt apud Deum sanctissima quæque externa, vbi cor humanum deficit.

MIrabar, quod sanctissimas illas tabulas Dei manu conscriptas confringeret Moyses: ait enim: *Vidit vitulum, & choros, iratúsque valde proiecit de manu tabulas, & confregit eas.* Cur non magis Moyses Dei scripturam vereris? Esto, quod Israëlitæ peccauerint, quod à Deo defecerint, an ideò tu contemnes, quas Deus cõscripsit tabulas? Nónne satius esset, quod peccantibus Israëlitis, tibi saltẽ sanctissimæ legis tabulæ curæ esset? Cur non magis earũ sanctitatem vereris? Equidem vbi Israëlitæ post vitulum euntes apparuerũt, & à Deo defecerunt; prorsus legis tabulæ viluerũt. Nulla enim est similium sanctitas, & religio, quæ apud Deũ non vilescat, vbi humanum cor deficit, & negatur Deo. Sic 4. Reg. 25. dicitur de magnifico Dei tẽplo: *Venit Nabuzardan Princeps exercitus, seruus Regis Babylonis in Ierusalẽ. Et succendit domũ Domini, & domum Regis, & domos Ierusalẽ.* Esto, quod ob populi peccatum Deus tradiderit ciuitatẽ, & regiam succendendã, at sanctissimũ cur non magis seruauit templum? Nihil in terra sacratius, nihil sanctius illo templo, cui Deus peculiariter assistebat, in quo oracula edebat, vt victimas acceptabat, & monimenta suorum beneficiorũ erant. Cur ergo nõ magis tantæ sanctitati prospexit? Ait Rup. lib. 1. in Iere. c. 2. *Consilij diuini est, quod pulchrum, & nobile Dei templũ in toto orbe tunc tẽporis vnum, & solũ, auro ditissimũ, opere mirificum, religione inclytũ Babylonico igne conflagrari, spoliari, profanari, occisorũ sanguine cõpleri. Erudiendus namque erat mundus, ne putaret, quod habitator cœlorum Deus auro templi manufacti delectaretur, & non potius hominũ fide, & bonis operibus, quibus intus in anima templum illi præparatur, quo solo delectetur, vbi adoretur, in quo videri, & præsens agnosci dignetur, sine quo frustra foris lampadibus, vel auro templi manufacti requiratur.* Equidẽ omnia hæc externa augustissima, sacratissimáque frustranea sunt Deo, vbi lõgè ab illo fiũt intima humanæ mentis. Quid domus Dei, quid altare, quid vasorum sacrorum tota religio? Sanè hæc nihili æstimantur à Deo, vbi ab animis hominum excluditur. Sic Luc. 21. *Quibusdam dicentibus de templo, quod pulchris lapidibus, ac donis ornatum esset, dixit Iesus: Ex his, quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis supra lapidem.* Plurimi æstimabant alij templi structuram, altarium religionem; Iesus autem, qui sciebat Iudæorum perfidiam, nullum verbum æstimationis circa ea profert, sed destructionis præsagium. Ait Theophyl. ibi: *Quibusdam laudantibus structuram templi, & quæ in illud oblata erãt. Opinor autem illud de sculptis, & ornatis loqui, vt erant Cherubin, & similia. Hoc enim fortè dona dicit. Dominus verò nihil horũ miratur, sed & destructionem eorum prædicit.* Vbi adeò peruersi parebant Iudæorum animi, tota pretiositas, & religiositas templi sordere domino cœpit, & destructioni reseruari. Nihil enim horum augustum est Deo, quando illi hominũ corda negãtur. Hinc Psal. 77. *Et repulit tabernaculum Sylo; tabernaculũ suum, vbi habitauit in hominibus.* Er cur tantum, & tam augustum tabernaculum à Deo repulsum fuit, & ruinæ datum? Rationem indicant illa verba: *Vbi habitauit in hominibus*; inuenta enim erant omnia illa ad hoc, vt Deus in hominũ cordibus habitaret, quandiu ergo homines tales erant, vt Deum cordi haberent, tunc templa, altaria, sanctuaria augustissima Deo erãt, multóque honore afficiebãtur. Eo autẽ ipso, quod homines à Deo deficerent, seséque præberent indignos tãto habitatore; illa omnia statim repellebantur. Quod acutè notãs Incognitus finit: *Cũ ergo nõ essent digni, in quibus habitaret Deus: meritò repulit illud, quod non propter se, sed propter illos instituerat.* Ex quo Ierem. cap. 7. iubetur stare in porta templi, vbique clamare ad vniuersos: *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Egregium equidem mendacium est, quod dicas vel templa, vel sanctuaria fore honori Deo, & æstimationi, vbi hominum vita desciuerit à Deo. Vnde Theod. ibi monebat: *Suadet igitur Dominus ne fidat templo, sed vitæ legitimæ, quamobrem subiicit, quod & domus Dei eadem patietur.* Despiciuntur sanctissima quæque à Deo, cùm homines ab illo recesserint: id, quod manifestè patuit in excidio Ierosolymitano, de quo, vt mauult Hugo. Thren. 4. dicit: *Quomodò obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum?* Aureum illud templi decus fumo incendij contabuit; & ipsa sancta sanctorum dispersa, & combusta sunt; quando Iudæi cucurrerunt ad sacrilegium. Vt dicat Egesippus lib. 5. cap. 2. *Quoties seditio? Quoties obsidio? Quoties bellum? Et nunquam illa vrbs periit, nisi quando verum templum Dei domesticis manibus crucifixerunt. Quid verò aliud nisi sacrilegium fuit, cum impias manus extenderent in authorem salutis, cum lapidarent, cum verberarent, cum corriperent, cum occiderent? Tunc verè sancta eorum absumpsit ignis diuinus.* Ecce tibi cum Iudæi sacrilegi extiterunt, sanctissima eorum à Deo fuerunt despecta, & tradita incendiis.

Theod. Thren. 4. Egesipp.

§. VI.

Hoc efficacissimum est ad conuertendos homines; si videant, quæ coluerunt idola prima dare pœnas.

ANtequam idololatræ populo verbum faceret, aripuit Moyses idolum, & comminuit, in puluerémque redegit. Nimirùm ait: *Arripiénsque vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem.* Bonus præsul prius in idolum desæuit, vt videntes subditi idola à se dilecta prima ire in pœnas, & confunderentur, & conuerterentur. Quis enim adeò amens est, qui non erubescat, & confundatur fidisse idolis, quæ vindictę tempore prima in pœnas venire cernit? Hinc Exod. 7. volens Moyses Pharaonem ad mentem sanam conuertere, dum plagas immittit, à flumine incipit, non aquis, sed sanguine illud faciens fluere. Quippè ait textus: *Percussit aquam fluminis coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in sanguinem.* Et cur prima plaga desæuit in fluminis aqua? Ait Procop. ibi: *Pœnæ, quæ primò irrogantur, petuntur ob elementò aquæ. Si quidem Ægyptij magnis, & diuinis honoribus coluerunt aquam, statuentes ipsam esse principium vniuersi. Proinde aquæ primò affliguntur, vt discant, quam vanæ rei seruiant, & ad veram religionem hinc correcti proficiscantur.* Sanè vt corrigantur homines, hoc efficacissimum est, si à se culta idola primò videant in pœnis. Si splendentem pulchritudinem, quam sæpe adorauerunt, videant in tabũm, saniémque conuersam. Si ambitiosam dignitatis sedem, cui inseruierunt, in cineres videant, & in fauillas redigi. Quis his visis non resipiscat, & vanitatem suorum idolorum confusus contemnat? Sic Isaias c. 1. *Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificauerunt; & erubescent super hortis, quos elegerunt.* Vt erant Israëlitæ idololatræ, habebant extra ciuitatem in lucis, & in arboribus hortorum idola sua, quæ necessum erat, vt prima sentirent spiculà hostium ciuitatem obsidentiũ. Quid tunc? Animaduertentes miseri, quantum abessent idola à protectione præstãda ciuitati, quæ prima sub hostili incursu cadebant, & confundebantur, & eorum inanitatem agnoscebant. Vnde ait D. Cyril. Alex. ibi: *Posquam aduenissent hostes, destituit vsque à diis suis extitisset Israël, in idolis suis pudefacti sunt. Illos namque ante alios vna cum hortis, lucisque exustos conspexerunt, cum delubris ipsis, & altaribus. Exciderunt igitur spe, quando Deos suos pati conspicarentur, tunc denique intelligentes dictum illud à Deo. Vbi sunt dij tui, quos ipse tibi fecisti? Num surgent, & seruabunt te afflictissimis temporibus tuis?* Nunquã equidem citius cognoscent homines idolorum suorũ inanitatem,

Exod. 7. Procop. Isaias 1. D. Cyril.

tatem, quam vbi pressuræ tempore illa videant primo à calamitate comprehendi. Quæ tunc rei species auaris erit, cùm videant aurum in cinerem verti? Quanta confusio ambitiosorũ, cùm aspiciant mundanas glorias ire in fumi nigredinem? Fallar, siquis non accipiat veritatis saporem, cùm videat sub Dei ira humana omnia
1. Reg. 5. decora prima euanescere. Hinc 1. Reg. 5. cum Philisthini captiuassent arcam Domini, posuerunt eam in ara iuxta idolum suum Dagon. Quid tunc? Ait text. *Altera die ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini*. insuper dicit: *Inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram arca Domini, caput autẽ Dagon, & duæ palmæ eius abscisſæ erant super limen; porro Dagon solus truncus remanserat.* Sic Dei potentia ab arca Israëlitica effulgens primũ ostẽditur aduersùs Philisthinos in comminuendo illorũ idolo. Nõdum aggrauata erat manus Domini super Azotios; nondum percutiente Deo putrescebãt eorum intestina, & iam Dagon Deus eorum truncus iacebat in terra. Et cur priùs idolum feritur, nisi vt vel ante supplicium vidẽtes Allophili infirmitatem sui idoli, agnoscant discrimen ingens inter idola, & verum Deum, ad quem se conuertant? Ait
Theod. Theod. ser. 10. de Prouid. *Propterea Dagon quoque, quẽ illi seu Deum adorabant, ante arcam corruere facit, & eundem cultoribus illius spectandum exhibet, vt Allophili discrimen discerent.* Et quidẽ efficacissimũ erat, vt docerẽtur verũ Deum, eiúsque docti vererẽtur potentiã, vidẽtes idolũ suum primas in pœnis, & suppliciis ferẽtem.

§. VII.

Honor in non merentibus lethalis.

AB aris tollitur vitulus, & in puluerem redactus euanet; sic enim dicit: *Arripiénsque vitulum, combussit, & contriuit vsque ad puluerem, quẽ sparsit*, &c. Et miror, quod saltẽ aurum, ex quo cõflatus vitulus erat, nõ magis continuerit perdẽtis manus. Esto, quod vituli forma corrumpi debeat, at materia auri cur non magis asseruatur? Aurũ hoc præcipuũ habet, quod ab omnibus asseruetur, mille clausſtris custodiatur, quod à nemine perdi sinatur. Cur modò aurum ius suũ non seruat? Cur nõ magis se custodiri facit? Cur funditus perdi patitur? Erat aurum positum in diuino honore, cultũ accipiebat longè à se distantem, proprium vnius veræ diuinitatis, nec miror, quod tantus honor perditioni irreparabili esset ipsi auro; est enim semper honor non
Basil. merentibus maximè lethalis. Ex quo monebat D. Basil.
Sel. Sel. orat. 9. *Si tibi, ô dilecte, in admirationem veniunt creatura, adora Creatorẽ; si gaudes creatis, Creatori ne dedecus afferas, caue etiam, ne Conditoris gloriã res conditæ circumfluant. Námque dignam Creatore reuerentiam nõ admittit creatura: tantum honorẽ, vt pestem capitalem perhorrescit.* Pestis equidẽ est, & pestis capitalis, omni medicamine superior honor exuberans, qui nõ merentibus exhibetur. Fallar, si tantam perditionis vim imprimat hostilibus muris militare tormentum; quantam hominibus imprimit honor immeritus. Hinc Petro auertenti Ie-
Mat. 16. sum à voluptate patiendi dicit dominus Matth. 16. *Vade post me Satanna*, Iudæ autem summum proditionis facinus aggredienti & osculum præbet, & ait Matth. 26. *Amice ad quid venisti?* Petrum Satãnæ nomine percutit, proditorem amici vocabulo, & osculo extollit. Cur Domine discipulum sic verberas, & proditorem amici honore excipis? Sanè asperum verbũ discipulum errantem corrigebat; amici autẽ honor proditorẽ immerentẽ ingenti vi ad ruinam propellebat. Sic in orat.
B. Sel. 31. D. Basil. Sel. fatur Iesus: *Cum agnosco discipulum, esto contumeliã dico, instruo; cùm alieni sunt mores ægritudo est insanabilis, & vnius ignorantiæ medeor, & alterius superbiæ vim affero.* Expende illud: *Alterius superbiæ vim affero?* vbi osculum præbet, & amici honorem exhibet, dicit se illius superbiæ vim afferre; nulla enim res violentior, & pestilẽtior homini, quàm ei exhibitus fauor, & honor indebitus. Quod clarius exprimens D. Amb. D. Amb. in Psal. 39. aiebat: *Grauiori telo tantæ dignationis percussus est Iudas, quàm si cum fulmine perculisset.* Supra fulmina violentior est immerenti honor exhibitus. Vndè cauebat Dauid Ps. 130. *Neque ambulaui in magnis, neque in* Ps. 130. *mirabilibus super me.* Primum reddit Symachus: *Neque ambulaui in maiestatibus, neque in transcendentibus me.* Cur hoc cauebat Rex maximus? Ait D. Zeno ibi: *Ma-* D. Zeno. *gni enim periculi res est, si immodicis ambulamus.* Vbi ad meritorum mensuram, & modum non decernitur nobis honor, sed supra meritum est, in magno periculo versamur.

§. VIII.

Ad conspectum optimi Principis, subditi sibi sceleris conscij funditùs eneruantur.

VNus Moyses adest, qui vitulum ab ingenti Israëlitarum multitudine expetitum, & celebratũ arripit, & conterit, & de tãto Israëlitarum exercitu nullus musitare audet. Sanè totus quantus erat populus adierat Aaronem, & violenter vitulum extorserat, quẽ in contemptum Dei, & Moysi adorabat. Sed vbi apparet Moyses etiamsi vitulum conterat, & conculcet, nullus obsistet, sed omnes timidè tacent. Et cur, qui in Aaronem furebãt pro vitulo, aduersùs Moysem nihil faciunt? Quid timet in vno homine bellatorum exercitus tantus? Sanè, timet sibi ab optimo Principe conscientia crimine polluta nefario. Quando enim nocẽtes animi, vel ad conspectum optimi Principis nõ eneruantur? Multi secreto aduersus Sidonium Apollinarem rebellauerant, in Arelatiensium ciuitate, cupiebántque hominẽ aliqua percutere infamia. Quid tũc? Rei prorsus insçius bonus Præsul venit in ciuitatem, & quod sibi acciderit narrat lib. 1. epist. 11. *In forum de more descendo; quod vbi visum est, illicò expauit, vt ille ait, nil fortiter ausa seditio. Alij tamẽ mihi, plusquã deceret, ad genua prouoluere; alij fugere post statuas, oculi post colũnas, alij tristes, vultuosique iunctis mihi lateribus incedere.* Expẽde illa: *Illico expauit, nihil fortiter ausa seditio*: quippè cõspectum boni Principis animi seditionis conscij illicò expauent, & omnem cordis amittunt fortitudinem. Tale quid accidit Theodosio Imperatori, cui rebellarat ingens exercitus multitudo, & vt solum caperent, multi erãt positi in insidiis. Quarum insidiarũ prorsus insçius Theodosius post diuinum inuocatũ auxilium rebelles persequitur, & solus in insidiatores incidit. Quid tunc? Rem narrat, & expendit Paulus Orosius lib. 7. c. 35. in-
Pau. Oro. quiens: *Signo crucis se muniens Theodosius signum prælio dedit, ac se in bellum, etiamsi nemo sequeretur, victor futurus immisit.* Prima salutis via extitit arbitrio hostilium partium comes: qui cum ignarum Imperatorẽ circumpositis excepisset insidiis, conuersus ad reuerentiã præsentis Augusti, non solum periculo liberauit, verum etiã instruxit auxilio. At vbi ad contigua immiscendæ pugnæ spatia peruentum est, continuò magnus ille, & ineffabilis turbo ventorum in ora hostium ruit. *Prospexit sibi humanæ conscientiæ pauor: nã continuò sese parua suorum manu fusa, victori Theodosio hostilis prostrauit exercitus.* Quid pulchrius? Ad optimi Imperatoris vultum, sic pauor nefariæ conscientiæ rebelles exercitus occupauit, vt nihil fortiter possent agere. Iosephus præstãtissimus dux Iudæorum strictis gladiis, à suis militibus in mortem petebatur. Quid interea? Ipse ait lib. 3. c. 14. de bello Iudaico, fatus: *Ioseph autem cùm alium nominatim vocaret, alium vultu Ducis intueretur, alterius dexterã prenderet, alium precibus exoraret, varia mẽtis affectione distractus ferrum omnium à sua cæde prohibebat. Illorum autem qui ducem in extrema quoque calamitate reuertendum putabant, debilitabantur dextræ gladiique de manibus elabebantur, multi cum manus ei afferrent, sponte frameas dimittebant.* Sic ducis reuerentia etiam rebelles furentes afficiebat.

§. IX.

§. IX.

Impietatis nec vmbra, nec vestigium ferendum.

ESto, quod vitulum arripuerit Moyses, & contriuerit, cur in puluerem redegit, & exhibuit potãdum? Quippè ait: *Contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum*, &c. Cur, inquam, non contentus est contriuisse idolum, sed & in puluerem redegit, & sparsit in aquam, vt biberetur, decoqueretur? Laborabat bonus ne vel vmbra, vel vestigium maneret
D. Amb. impietatis. Ait D. Amb. epist. 56. ad Romulum: *Moyses comminuit vituli caput, atque in puluerem redegit, vt omnia impietatis aboleret vestigia.* Hoc igitur semper piè viuere volentibus curandũm, ne vllum vestigium, aut vmbra impietatis illorum ob oculos maneat. Id, quod
Dan. 1. scientes pueri illi Hebræi Dan. 1. repudiato cibo regio aiebat: *Dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum*, &c. Poterat esse abstinentiæ, & ieiunij rigor in cibis regalibus, in delicatis panibus, in pretiosis vinis; cur ergo hi iuuenes tantopere regias dapes detrectabant, vel ipsos panes, & sola petunt sibi legumina dari? Erant in cæteris idolorum nomina, vt verbi gratia, panis diceretur *Ceres*, vinum *Bacchus*, ideò boni ad sola legumina confugerunt, vel nomina, vel vmbras fugiẽ-
Theod. tes impietatis. Ait Theod. ser. 8. de prouid. fatus: *Obsecrant, vt leguminum cibum illis largiatur, regias epulas abominati, & omni varias illas conuiuiorum lautitias exosi. Has enim idolorum appellatione pellutas videbant.* Sic sancti viri sibi ab impietate timebant, vt nec vmbram, nec nomina impietatis sibi ob oculos paterentur esse; etiamsi ob id necessum fuerit ab omni esca abstinere. De quo plura à nobis dicta sunt singulis in tomis Euangelicæ Historiæ.

Exod. 32. Dixítque ad Aaron. Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum? Cui ille respondit: Ne indignetur populus meus. Tu enim nosti populum istum, quod pronus sit ad malum. Dixerunt mihi: Fac nobis Deos, qui præcedant nos, huic enim Moysi, qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus, quid acciderit. Quibus ego dixi: Quis vestrum habet aurum? Tulerunt, & dederunt illud mihi, & proieci illud in ignem, egressúsque est hic vitulus.

§. X.

Sacerdoti crimini dandum, quod amissæ religioni superuiuat.

NOndum audierat Moyses Aaronis facinus, vt licet coactus fabricauerat vitulum, & tamen Aaronem videns illum obiurgat, dicens: *Quid tibi fecit populus hic, vt induceres super eum peccatum maximum?* Solum videns Aaronem, & adhuc eius factum ignorans, tamen quasi inductorem nefarissimi sceleris obiurgat. Cur, bone, sic castigas, quem adhuc nescis deliquisse? Explora prius, vt se gessit Aarõ, & cùm videas eius crimen, tunc obiurga? Sed prudẽtissimus iudex vt puniat Sacerdotẽ, solum attendit, quod explosa vera religione, verique Dei sui cultu, ipse viuat. Nunquã enim non est crimen puniẽdum in Sacerdote, quod religioni ex-
Lyppom. plosæ superuiuat. Huc spectans Lyppom. in cat. inquit. *Sacerdoti impingitur populi prævaricatio in Deum, qui animam suam prodere magis debuisset, & elegisse mortem citius quàm tantum admisisse sacrilegium. Adduxisse perniciem accusatur, quod non summo conatu fuerat amolitus.* Meritò vbi Dei cultus extirpatus videbatur, & Sacerdos viuus; ei totum crimẽ attribuitur, vt qui vitæ profusione debuisset resistere facinori, & nullo modo extinctæ religioni superuiuere. Hinc Titus Imperator dum Ierosolymam expugnat, benignissimus in omnes Iudæos veniam petentes, & salutem, in solos Sacerdotes fuit seueriſſimus, quod superuiuere vellent templo extincto. Rem memorat Egesippus lib. 5. c. 45. fatus: *Cũ templum exureretur: Sacerdotes confecti fame, & siti vitã rogarunt. Quos Titus iussit occidi, degeneris animi esse respondens, vt templo, & muneri cuperent superuiuere.* Sic nobilis Imperator dũ honorat Iudæos fugiẽtes ab excidio, & ad se confugientes, Sacerdotibus vertit crimini, quod pereũte templo, & aris veri Dei pereuntibus, malint ipsi viuere, & non prorsus cũ religione perirẽt. Hinc 1. Reg. 4. mirabar, quod Heli permitteret filiis 1. Reg. 4. suis, quod ferrent Domini arcam in castra. Dicit enim textus: *Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituũ sedentis super Cherubim, erántque duo filij Heli cum arca fœderis Domini, Ophni, & Phinees.* Sed quomodo permisit Heli, quod arca in prælij discriminibus esset, & quod filij arcam comitarentur? Sanè vbi credendum fuit populo petẽti arcam ad certamina; consultissimè pater & filios suos eidem discrimini tradidit, ne Sacerdotes superuiuerẽt arcæ. Quippè ait Iosephus lib. 7. Ant. c. 11. *Venit igitur arca in exercitũ,* Ioseph. *& cum ea Pontificis filij accepto à patre mandato, si amissa arca viuere sustineant, ne vnquã in conspectum sibi veniãt.* Sic crimini dabatur Sacerdotibus, quod post amissam religionis arcẽ ipsi viuere amarent, quorum est pro religione vsque ad vitæ profusionem stare. Quod fecerũt isti Heli filij, de quibus dicitur ibi: *Arca Domini capta est, duo quoque filij Heli mortui sũt, Ophni, & Phinees.* Qui etsi pessimi fuerant adeò vt vocarentur filij Belial 1. Reg. 2. *Filij Heli, filij Belial nescientes Dominum, neque* 1. Reg. 2. *officium Sacerdotum*, & propterea decreta illis fuerit à Deo mors, tamen indè creduntur omnia scelera sua expurgasse, & salutẽ æternã obtinuisse, quod noluerint superuiuere amissæ arcæ. Id, quod docet Abul. ibiq. 17. quidquid enim antea fecerint, saltẽ in hoc se Deo adstrictos maximè præbuerunt, quod cum possent forsitan vitam fuga captare, vt fecerunt alij, noluerunt vitã sine Dei arca. Iis non absimiles illi, de quibus ait Ege- Egesipp. sipp. lib. 1. c. 17. *Itáque concluſi vndique alij se præcipitabant, alij patriæ incendiis exurebantur. Sacerdotes tamen vsque ad vltimum officium religionis perseuerabant, hortãtes se inuicem, ne in posterioribus ponerent officium religionis, quam salutis præsidium: rectè secum agi, si pietati impenderent, quod deberetur necessitati, pulcherrimúmque si in patriæ sinu sepeliri liceret. Quid autem iuuaret videre, & superstitem viuere religioni? Præclarum potius opus muneri commori pio.* Sic tibi.

§. XI.

Qui non obnititur sceleribus, quæ ab aliis fiunt, cum illis damnatur.

NOn videt Moyses Aaronem idolo procumbentem, nec in eius solemniis iubilantem, & tamen illum, vt reum nefarissimi sceleris arguit, aiens: *Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum?* Et meritò, quia non cernitur obstitisse, sed magis acquieuisse Deos postulantibus, quasi reus damnatur: eadem enim pœna manet eos, qui non obsistunt, ac eos, qui perpetrant mala. Dum Herodes conuiuio exciperet omnes proceres Ierosolymitanos; iussit Ioannem interfici in carcere Matth. 14. *Misit, &* Mat. 14. *decollauit Ioannem in carcere. Et allatum est caput eius in disco, & datum est puellæ.* Quid sceleſtius? Quid conuiuantibus omnibus exitialius? Sanè caput illud sanctissimum in disco allatum, omnes simul discumbentes damnabat, quorum nullus ausus est obsistere morti nefariæ. Vndè Paschas. lib. 7. in Matth. sic ex- Paschas. clamat. *O ferculũ crudele! O discus rosis respersus sanguinis, sed cõuiuantibus valde exitialis: quia in tanto conuiuio nemo fuit, qui prohiberet audaciam Regis, quin imo*

vt Scriptura ait: Propter eos, qui pariter ſedebant, iuſſit dari. Quo facto omnes ſceleris ſui facit eſſe conſortes. Vbi nullus obſiſtit, nullus repugnat operi nefario, ſed omnes tacent, ſimul cũ ingenti ſupplicio omnes peruadet reatus. Quæ enim crimina non curas vitare, quantũ in te eſt, ea etſi ab aliis fiãt, tibi imputãtur; & accerrimas pœnas pro illis dabis. Hinc Iudæi quando Ieſum repudiarunt, & Barabbam elegerunt, omnia Barabbæ homici-
Ioan 18. dia ſibi applicarunt, clamant enim Ioan. 18. *Non hunc, ſed Barabbam.* Circa quæ D. Chryſoſt. ſer. 3. de Paſſ. Iudæam affatur: *In vtroque rea teneris, & exitio innocentis, & abſolutione latronis. Et quanquam ſacrilegium impactæ crucis omne nefas excedat: tamen & illi aduersùm te iudicium, id eſt, diem vltionis expectant, quorum Barabbas latro ſanguinem fuderat, quia participaſſe eſt ſcelus homicidij, veniam meruiſſe latroni.* Vnus equidem Barabbas homicida fuerat, ſed quia Iudæi homicidæ hominis libertati non repugnarunt, ſed potius acquieuerunt, ideò homicidiorum pœnæ illos miſerè expectant. Et iuxta nefariſſimum illud ſcelus cõpactæ in Filium Dei crucis, adhuc non diſſimulatur hoc in Iudæis, quod non obſiſtant libertati hominis latronis, & homicidæ, ſed indè etiam petuntur ad ſupplicium. Vt horreamus nos pro viribus non obſiſtere malignis, quando in conniuentia maximum eſt ſalutis æternæ diſcrimen; in reſiſtentia autem nunquam non eſt gloria immarceſcibilis.
3 Reg 18. Habes 3. Reg. 18. de Abdia diſpenſatore regiæ domus Achab: *Abdias autẽ timebat Dominum valde. Nam cùm interficeret Iezabel prophetas Domini, tulit ille centum prophetas, & abſcondit eos*, &c. Ecce tibi tota Regia furebat in Dei prophetas; edicta publicabantur de illis interficiendis; Abdias autem nihil veritus contra edicta, contra reginæ rabiem prophetas abſcondebat, ſuſtentabat. An ideò periit? An ideò aliquid mali paſſus
Theod. eſt, quod reginæ obſiſteret crudelitati? Imò indè immenſa fuit bona lucratus. Ait Theod. ſer. 8. de Prouidentia: *In his quidem quibus Deus oppugnabatur, nequaquam debitum officium heris ſuis detulit, leges verò contra vniuerſalem omnium Creatorem ridendas putans, harum quidem authores odio habebat, & cum iſtud obſequiũ ſummã putaret perniciẽ, quos perdere iuſſus erat, ſalute dignabatur, mortẽ videlicet pietati iunctam vita impia honeſtiorem iudicans. Proindè nequaquam illi abominabilis herorum impietas nocuit.* O famuli regij præſtantiam. Ipſe obſequentiſſimus in omnibus, in iis, quæ Deo aduerſabantur, obſequium ſummam perniciem putabat, & amabat impiis herorum potentium obluctari conatibus. Vndè nihil illi nocuerunt potentium mala. Sed accipe aliud ex Ierem. c. 38. vbi inſtantibus proceribus regni, de mandato Regis Sedeciæ Ieremias mittitur in lacum profundiſſimum, vt ibi moriatur. Quid tunc? *Et egreſſus eſt Abdemelech de domo Regis, & locutus eſt ad Regem, dicens: Domine mi Rex, male fecerunt viri iſti omnia, quæcunque perpetrarunt contra Ieremiam prophetam, mittentes eum in lacum.* Ecce vnus eunuchus inuentus eſt in Regia, qui audeat Regi obſiſtere, & aduersùs omnes proceres pro propheta ſtare. Et quid inde ortum fuit? Quando Rex, & optimates perière, ipſe Ab-
Iere. 39. demelech ſolus euaſit. Sic Ierem. 39. *Vade, & dic Abdemelech Æthiopi dicens: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Ecce ego inducam ſermones meos ſupra ciuitatem hanc in malum, & non in bonum, & erunt in conſpectu tuo in die illa: Et liberabo te*, &c. Quid diuinius? Pereunt omnes, qui mala fecerunt Principes; & vnus eu-
Theod. nuchus, qui illis obſtitit, euaſit liber. Ex quo Theodor. ſer. 8. de Prouid. *Sed Abdemelech quidam famulus Æthiops eunuchus, nec aulæ regiæ faſtum, nec regnantem in hac impietate, nec contra prophetam conceptum furorem, nec ſeruitutis miſeram conditionem animo voluens, iniuſtam Regis ſententiam reprehendit, iniquiſſimum in prophetam patratum facinus accuſat, aulámque iuſta pœna perterret. Atque Regis conſiliarius fit famulus*, &c. Sic humilis, & abiectus famulus fit Regi à conſiliis; ſummúmque honorem adipiſcitur, dum audet regiis criminibus obſiſtere.

§. XII.

Ingenuis viris pudoris cõfuſio acerbior eſt, quàm mors ipſa.

QVi acerrimus popularium criminum vltor obuios quoſque reos gladio transfigit; quem authorem criminum notat, ſolis verbis caſtigat; dicit enim ad Aaronem: *Quid tibi fecit hic populus, vt induceres ſuper eum peccatum maximum?* Sic inductorem tanti criminis ſolis verbis caſtigat, qui cæteris reis ſtatim mortem infert. Cur non ſeuerior in Aaronem Moyſes? Cur non maiori illum percutit vulnere? Equidem integerrimus iudex pepercit hominis verecundiæ; erroris námque pudor, & confuſio acerbior erit ingenuis hominibus quam vel mortis punitio. Pulchrè Sidonius Apollin. Sid. Apo.
lib. 4. epiſt. 23. monebat quendam patrem, de filio pro peccato confuſo: *Ille confuſus erubuit; nil impudenti excuſatione deprecatus errorem: ſed ad cuncta conuictum cum redarguerem, verecundiæ iunxit comites lacrymas. Rogo ergo ſis clemens in ſe ſeuero, & Dominum ſequens nõ habeas te iudice reum, ſe profitente damnabilem, quem ſi inaudita genera pœnarum iubeas inexoratus excipere, non poteſt amplius per te dolore, quam per ſe pudor torqueri:* Non amplius torquent virum ingenuum inaudita genera pœnarum, quam erroris verecundia, & confuſio. Non ſic affligitur homo ingenuus verbere, aut vulnere lethali, vt affligitur commiſſi confuſione, & verecundia. Hinc Dominus Iſraëlitarum peccatis offenſus clamat Iſaiæ c. 1. *Audite cœli, & auribus percipe terra, quo-* Iſaia 1
niam Dominus locutus eſt: Filios enutriui, & exaltaui: ipſi autem ſpreuerunt me. Contemptores vocat, tantique criminis reos accuſat coram cœlo, & coram terra, & nullo illos vulnere percutit. Cur Domine, non magis eos percutis, quos contemptores tui vocas? A verbere abſtinet Dominus, dum eorum crimen palam coram omni creatura arguit, ratus ingenuis hominibus duriorẽ eſſe reatus confuſionẽ ipſa morte. Ait D. Zeno lib. D. Zeno.
3. ſer. 35. *Quia apud ſapiẽtes, & honeſtos grauius eſt aliqua nota confundi, quàm mori: Deus Iudaicum populum luxuriæ æſtu exuberante corruptum publica increpatione confutat, cœlum, terrámque teſtes citat.* Dum coram reos arguit Dominus, non miror, quod à verbere abſtineat, quando honeſtos viros plus afficit commiſſi cõfuſio, & verecundia, quam alia quæuis grauiſſima corporalis pœna. Et quis neſciat verecundiæ tormentum? Fallar, ſi quo alio magis homines deterrẽtur. Quò ſpectat illud Cant. 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te* Cant. 1.
amica mea Pulchræ ſunt genæ tuæ, &c. Siue vt ex Græco: *Equæ meæ in curribus Pharaonis aſſimilaui te propinquæ meæ. Quid pulchræ factæ ſunt genæ tuæ.* Quibus maximè ponderandus eſt tranſitus iſte de ſimilitudine equæ ad pulchritudinem genarum. Quid equæ genis? Si equæ aſſimilata eſt, cur profers genarum pulchritudinem? Meritò vbi ſimilem equæ ſponſam meminit, ad verecundiæ confugit ſedes, nempe ad genas, quaſi ad validiſſimum frænum, nullis enim ferreis lupatis adeò comprimitur ferocitas equi, vt comprimitur mens humana verecundæ confuſionis metu. Sic tres Patres apud Theodoretum: *Cum equo te ſimilem dixerim velo-* Theod.
ciſſimo, in maxilla tua non indiges fræno; genæ enim tuæ ſunt ornatiſſimæ, & fræni loco naturali pudore ſunt præditæ. Valet equidem frænum ad comprimendam ferocitatem equi, quamuis tàmen anima fidelis ſimilis ſit velociſſimo equo, non eſt illi neceſſarium frænum; verecundia illi ſufficit pro fræno; cuius aculeis plus comprimitur, quam omni alio afflictionis fræno.

Exod. 32. Videns ergo populum Moyſes, quod eſſet nudatus, ſpoliauerat enim eum Aaron propter

propter ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudum conſtituerat, & ſtans in porta caſtrorum, ait: Si quis eſt Domini, iungatur mihi. Congregatíque ſunt ad eum omnes filij Leui.

§. XIII.

Pauperes, & nudi male habent in iudiciis humanis.

NOn prius armatur Moyſes in necem reorum, quã illos videt nudos, omníque auro ab Aarone fuiſſe ſpoliatos. Sic enim ait textus: *Videns ergo Moyſes populum, quod eſſet nudatus, ſpoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudum conſtituerat, & ſtans in porta caſtrorum, ait: Si quis*, &c. Prius nudos videt, & ſpoliatos, & tunc in vindictam armatur. Proh Deus immortalis, quàm miſerè agunt nudi, & pauperes in iudiciis humanis! Sanè ex quò Aaron homines auro ſpoliauit, nudóſque reliquit, ſic eos reliquit etiam in iudicium fratrum, quaſi inter carnifices, & hoſtes collocaret. Quando enim nudus non malè habuit apud iudicium humanum? Etſi in Moyſe æquiſſimum. Notiſſima eſt hiſtoria Dauidis, quando abiectis aureis armis Saulis cum paupere pera, & baculo perrexit aduersùs Philiſthæum, quem & occidit. Tunc ait
1.Reg.17 textus 1.Reg. 17. *Eo autem tempore, quo viderat Saul Dauid egredientem contra Philiſthæũ, ait ad Abner Principem militiæ, de qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens?* Et quidem Saul optimè nouerat paucis antea menſibus Dauidem, quem apud ſe retinuerat, & intimè dilexerat, & à patre ipſius datis literis petiuerat, & armigerum ſuum fecerat. Cur tam citò obliuiſcitur puerum ſibi dilectum, vt de illius genere interroget? Non erat obliuio, ſed contemptus, ſed deſpectus pueri; nam qui antea fuerat in delitiis, tunc erat in habitu ſplendenti, vt cæteri aulici iuuenes, & totus aureus erat; vnde non miror, quod acceptus eſſet Regi; modò apparebat nudatus auro, vilibus paſtoris veſtibus indutus, inde malè habet apud Regem, & patitur contemptum. Ait D. Cy-
Cyr. Ale. ril. Alexand. 6. cap. 19. *Cùm enim Dauid adoleſcens Goliam viris fortibus formidabilem ſtrauiſſet, ait Saul ad Abner. Cuius eſt iſte puer Abner? Certè armiger eius fuerat, citharam coram eo crebro percuſſerat, & nunc quis eſſet interrogabat. Quaſi enim non cognoſcebat, in quo habitum paſtoralem contemnebat.* Non potuit nuditas, & pauper veſtis apud iudices humanos non pati deſpectum, & contumeliam. Caue homo humana iudicia; ſi pauper ſis, ſi nudus ſis, & tui errores eo te ducant, vt ſiſtaris tribunalibus ſæculi, pro nihilo contemneris vſque ad necem. Captiui, & ſpoliati erant Iſraëlitæ apud Perſas,
Æſter. 3. quando Aman illos coram Rege accuſauit Æſter cap. 3. Quid tunc? Ait text. *Tulit ergo Rex annulum, quo vtebatur de manu ſua, & dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag, hoſti Iudæorum, dixitque ad eum: Argentum, quod tu polliceris, tuum ſit, de populo age, quod tibi placet.* Hæc dixit Rex, & ſtatim omnium Iudæorum mors decreta eſt: *Statímque in Suſan pependit edictum Rege, & Aman celebrante conuiuium, & cunctis Iudæis,*
Caiet. *qui in vrbe erant, flentibus.* Apud Caietanum legitur: *Et ciuitas Suſan fuit turbata.* Eſto quod Iudæi flerent
Carth. ſortem ſuam, ciuitas cur turbabatur? Ait Carthuſ. *Ciuitas turbabatur; vt pote Iudæis captiuitatis compatiens.* Quibus illud maximè expendendum eſt, quod vbi Iudæi morti adiudicabantur, dicatur ciuitas eſſe: *Iudæis captiuitatis compatiens.* Cur non potius dicatur compatiens Iudæis mortis, Iudæis occiſionis? Cur in re adeò lethali maluit meminiſſe captiuitatis Iudæorum, quam mortis iam determinatæ? Sapienter captiuitatis meminiſſe maluerunt, vt cui attribuenda erat dutiſſima mortis ſententia; quippè quod Iudæi captiui, & ſpoliati eſſent, ideò tam durè in iudicio habebant, vt Regis ſententia ad mortem ducerentur. Trahit equidem paupertas, & nuditas ſuper ſe vniuerſas ſeueritatis, & lethiferi rigoris ſententias. Quò ſpectat illud Prouerb.
Prou.6. *6. Veniet tibi quaſi viator egeſtas, & paupertas quaſi vir armatus.* Chaldæus legit: *Et paupertas quaſi vir rectus*, hoc eſt, quaſi iudex rectitudini, & ferreæ obſeruantiæ legum ſeruiens, qui nihil rigori nouit auferre. Nunquam enim cum paupertate, & nuditate non veniunt in hominem omnes ſeueritates, & rigores legum; nec eſt iudex, qui rectus, & iuſtus in pauperes nolit eſſe.
D. Baſil. Quò traho D. Baſilium in cap. 3. Iſaiæ fantem: *In pauperes inſuper à nobis iniuria committitur meritò in iuſ vocanda, vt cum in propriis eorum peccatis ipſos acriter attingimus, & palam traducimus, à nullo probri genere nobis temperantes, zelum quidem Dei in pauperes acrius oſtendentes, & proinde vultus inopum confundentes.* Sic iudicij humani ſeueritas tota eſt in pauperes.

§. XIV.

Nudus, & pauper homo vel ipſos fratres habet hoſtes, carnifícéſque.

NVdauit quidem Aaron plures Iſraëlitas, quando ſpolians eos auro pro vitulo fabricando depauperauit, nudóſque reliquit. Sed illud notandum, quod non ſolum dicantur ij nudi relicti, ſed nudi relicti inter hoſtes. Ait enim textus: *Et inter hoſtes nudum conſtituerat.* Et quos inter hoſtes? Hoſtis nullus extrinſecùs apparebat, intrinſecus omnes erant fratres ab vno Iacobo patre venientes; quoquo ſe quiſque verteret, & cognatos, & fratres videbat. Qui ergo erant hoſtes? Sapienter putat noſter Salianus, quod hoſtes dicti ſunt ipſiſſimi fratres; vbi enim Aaron nudum auro conſtituit populum, etiamſi eum conſtituit inter fratres, & cognatos, conſtituiſſe illum meritò putatur inter hoſtes, inter carnifices. Quando enim homo pauper, & nudus non habet hoſtes, & carnifices ipſos fratres? Ait
Prou.19. Prouerb. 19. *Multi colunt perſonam potentis, & amici ſunt dona tribuentis. Fratres hominis pauperis oderunt eum.* Non eſt nobis immorandum in quærendo, qui ſint hoſtes hominis nudati, & depauperati, vbi enim ſeſe occaſio offerat, ipſi eius fratres hoſtiles in eum oſtendent animos. Tam longè abeſt pauper. vt eius errores inter cognatos, & notos abſcondantur, quin potius, & fratres hoſtes, & carnifices experiantur. Accipi-
Eccl. 13. te Eccleſiaſticum cap. 13. fantem: *Diues commotus confirmatur ab amicis ſuis, humilis (hoc eſt pauper) autem cum ceciderit expelletur & à notis. Diuiti decepto multi recuperatores: Locutus eſt ſuperba, & iuſtificauerunt illum. Humilis deceptus eſt, inſuper & arguitur: Locutus eſt ſenſatè, & non eſt datus ei locus. Diues locutus eſt, & omnes tacuerunt, & verbum illius vſque ad nubes perducent: pauper locutus eſt, & dicunt: Quis eſt hic? & ſi offenderit, ſubuertent illum.* Expende hominis pauperis conditiones, vt in lapſibus expellitur etiam à notis, in deceptione arguitur; in offenſione autem penitus ſubuertitur, quippè: *Si offenderit, ſubuertent illum.* Ait Carthuſ. *ſub-*
Carth. *uertent, id eſt, reprobabunt, & acriter punient.* Nulla venia datur pauperi. vel fratres erunt punitores acerrimi, vel carnifices illius.

Exod. 32. Si quis eſt Domini, iungatur mihi. Cõgregatíque ſunt ad eum omnes filij Leui. Quibus ait; Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Ponat vir gladium ſuper femur ſuum. Ite, & redite de porta ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum.

§. XV.

In hoc clariſſimè ſpiritus Dei oſtenditur, ſi affectum cognatorum Deo ſubiicias.

QVi Domini ſunt, vocantur, vt fratres, & amicos, & proximos idololatriæ reos trucident. Sic enim

dicit: *Si quis eſt Domini, iungatur mihi: & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum*, &c. Duriſſimum eſt homini fratres, parentes, & cognatos, & amicos perdere; ad quod munus Deo exhibendum meritò vocantur, qui Domini ſunt, hoc eſt, qui diuino aguntur ſpiritu. Clariſſimè enim oſtendis in te diuinum ſpiritum, ſi affectum erga parentes, & cognatos, & amicos Deo ſubiicias. Hinc Philiſthini cupientes experiri, an quæ agebantur percuſſiones ad præſentiam arcæ, venirent ex Dei ſpiritu, & virtute ibi commorante, ſic aiunt: *Arripite, & facite plauſtrum nouum vnum: & duas vaccas fœtas, quibus non eſt impoſitum iugũ, iungite in plauſtrũ*, &c. *& recludite vitulos earum domi. Tolletiſque arcam Domini, & ponetis in plauſtro: & dimitte eam, vt vadat. Et aſpicietis, & ſiquidem per viam finium ſuorum aſcenderit contra Bethſames, ipſe fecit nobis hoc malum grande.* Quantũ hoc, quod vaccæ irent recta ad Bethſames, vt inde colligerent Dei ſpiritum, & virtutem eſſe in arca, à quo tot percuſſiones idololatratum proficiſcebantur? Equidem quòd vaccæ vitulos non meminiſſeat; nec curarent, ſed ſpretis illis recta contenderent referre ſuis arcam; id indicium erat Dei ibi aſſiſtentis, & clariſſimum,
Theod. & ſingulariſſimum. Sic enim ait Theodor. quæſt. 13. *In triuio autem abſque auriga dimiſſis vaccis, expectabant, vt viderent an ad vitulorum mugitum reuertantur, ad aliam viam declinent, relicta via, quæ fert ad Hebræos, vt ſi ex his quidem duobus fieret alterum, tanquam imbecillem condemnarent arcam. Sin autem vaccæ aliis viis relictis, & ſpretis ſuis vitulis, abeant ad terram Iſraëliticam, vere cognoſcerent illas plagas fuiſſe à Deo immiſſas.* Ecce tibi vt vel cæci idolatræ ad cognoſcendam diuinam virtutem aſſiſtentem arcæ, à qua tot mala proficiſcebantur, id explorant, an vaccæ ferentes arcam ſciant prorſus ſpernere ſuos vitulos, vt muneri ſuo ſatisfaciant. Quando autem vel filiorum affectus naturalis ſubiicitur muneri diuino, manifeſtè oſtenditur inibi adeſſe Dei manus. Quis enim non credat Deum intereſſe plagis illis inter quas inferendas videntur contemni, & deſpici proles à matribus? Hoc equidem propriſſimum eſt Dei, quod deſpiciantur cognati, vbi diuino muneri impedi-
Mati 12. mento fuerint. Hinc cum Ieſus Matt. 12. moneretur de præſentia matris, cognatorúmq, ait: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* & mirabat, quod Ieſus non agnoſcat matrem, cum inde ſuam pietatem commendet,
Ioan. 10. quod & oues ſuas cognoſcat. Ioann. 10. *Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas.* Oues cognoſcit bonus paſtor, & de matre interrogat? An quia ea mater nõ erat? Abſit; imò inde mater oſtendebatur eſſe, quòd auocãs Ieſum à diuino munere veluti ignorabatur. Clariſſimum enim eſt indicium aſſiſtẽtis diuinitatis, quod vbi officiunt diuino muneri cognati, ſpernantur. Vnde in
Tertul. Filio Dei Ieſu acutè aſſerit Tertul. lib. 4. contra Marcion: *Cæterum ex hoc magis matrem, & fratres confitebatur Ieſus, quod illos nolebat agnoſcere.* Adeò eſt proprium diuini ſpiritus, quod cognati impedientes ſpernantur, contemnantur, vt ſi Filius Dei vellet manifeſtare ſuos cognatos, nullo euidentiori ſigno illos videretur manifeſtare, quàm repellendo, & quaſi ſpernendo eos, vbi illi ſaluti obſtarent negotiandæ. Hoc enim eorum, qui
Gen. 22. ſpiritu Dei gaudẽt, ſignum eſt ſingulare. Hinc Gen. 22. *Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac; & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum*, &c. Eſto, quod Deus vellet tentare Abrahamum, cur illum in re adeò noua, & naturæ ipſi repugnanti, nempe in occaſione dilectiſſimi filij maluit tentare, niſi quia ſimul volebat oſtendere, quantam coniunctionem, & amicitiam Abrahamus
Baſil. Sel. haberet cum diuinitate? Ait D. Baſil. Sel. orat. 7. *Naturæ fluctus Deus in iuſtum ſuſtollit, vt amicitiæ diuinæ nundinatorem admireris.* Vt ſtrictiſſimum amicitiæ vinculum inter Abrahamum, & Deum oſtenderetur, illi percuſſio filij mandatur, tunc enim clariſſimè quantum Dei habeas, viſetur, cum facis, vt omnes affectus naturales erga cognatos, Deo ſubiaceant.

Exod. 32. Fecerũntque filij Leui iuxta ſermonem Moyſi. Ceciderũntque in die illo quaſi tria millia hominum. Et ait Moyſes: Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, vnuſquiſque in filio, & in fratre ſuo, vt detur vobis benedictio.

§. XVI.

Quæ fortuna dicitur profanis, iuſtis hominibus eſt diuina gratia.

NOn dubitant Leuitæ ſtrictis gladiis aduersùs innumeram multitudinem reorum inſurgere; erant enim in populo illo quadringenta millia virorum, qui poſſent pugnare; feréque omnibus his ſeſe obiiciunt pauci Leuitæ armati. Et quod mirere magis hoſtiliter tot reos inſequentibus Leuiti paucis, nullus obſiſtit, ſed cæſis paſſim tribus millibus incolumes, & integri cæſores manent. Ait enim: *Fecerũntque filij Leui iuxta ſermonem Moyſis. Ceciderũntque in die illo quaſi tria millia*, &c. Quale fuit hoc Leuitarum decus, quod pauci ſine obſiſtentia de tot millibus triumpharent? An euentui militari, fortunæve attribuendum, an diuinæ gratiæ? Id profanus aliquis fortunæ, & euentui militari attribuerit, quando plenæ ſunt militares hiſtoriæ ſimilibus euentibus; at ego, qui Leuitarum ſanctitatem in illo facinore veneror, id diuinæ gratiæ deputo. Eſt enim iuſtis viris Dei gratia pro fortuna, & euentu. Nobiliſſimus quidam Macedonum dux nomine Alexander, dum pro Romanis aduersùs Ieroſolymitanos pugnat, ſeſe medius inter confertiſſimos hoſtes coniecit, & multis trucidatis, ipſe ſine vulnere euaſit. Similiter & Dauid 2. Reg. 21. dum pugnat aduersùs Philiſthæos, & *2. Reg. 21* in maximum deueniſſet diſcrimen, tamen occiſo Philiſthæo, euaſit liber Rex. Ait enim textus: *Deficiente autem Dauid, Iesbibenob, qui fuit de genere Arapha, cuius ferrum haſtæ trecentas vncias appendebat, & accinctus erat enſe nouo niſus eſt percutere Dauid. Præſidióque ei fuit Abiſai filius Saruiæ & percuſſum Philiſthæum interfecit.* Componite modò Dauidem cum Alexãdro illo, vterque aduerſus hoſtem ſuperiorem viribus pugnat, vterque liber euadit hoſte interfecto. Sed quo auxilio? Sanè euaſionem ſuam Alexander fortunæ attribuit, & militaribus euentibus; ſuam autem Dauid diuinæ gratiæ. Accipite Egeſippum lib. 5. cap. 19. de vtroque di- *Egeſipp.* centem. Alexander appoſitis impiger ſcalis murum aſcendit, fugatíſque præſentibus, qui de muro repugnabant, ſolus ſe in vrbem deiecit. Immodicus animus, ac victoriæ auidus in hoſtes proſiliuit, ceſsêre agmina, ſed quantos poterat ſolus proſternere? Per diuerſas vrbis plateas circumfundebantur hoſtes, ſi in vnam partem Alexander incumberent, aliis poſt ſe circumuallandi copiam daret. Retorquebat itáque victor ingreſſum ſuum, ne à populo circumdaretur. At illi conferti inter ſe vrgere cœperunt inhorreſcere ſuper eum telorum vis maxima, reſultabat galea tinnitu, clypeus fragore ſaxorum. Fuit igitur alacritatis quod murum inſiliuit, hoſtem deiecit, in vrbem ſolus triumphali ſaltu ſeſe prorripuit, impetu ſuo fugauit populos: fuit tamen etiam euentus, qui maximè duci neceſſarius eſt, quod tantis ingruentibus populis, tot ſagittarum iaculis, tot ruentibus ſpiculis, nullus fuit lethali vulneri locus. Ingreſſi ſunt Macedones prærupta porta, ſic temeritas victoriam inuenit, & euentus periculum in gloriam vertit. Noſter quoque Dauid cum pugnaret aduersùs gigantes, inuectus in hoſtem, à tergo percuſſorem habebat, ſed librantem ictus ſuos comes Regis Abiſai præuenit. *Verum Alexandrum euentus ſeruauit, prophetam gratia.* Quid pulchrius? Equidem iuſtis hominibus Dei gratia pro fortuna eſt. Quidquid profa-

nis

nis dat casus, & fortuitus euentus, id suis assectis dat diuina gratia. De Ecdicio quodam Gallorum duce ait
Sid. Apol Sidon. Apoll. lib. 2. epist. 3. *Vix duo de viginti equitum sodalitate comitatus aliquot millia Gothorum non minus die, quam campo medio transisti. Ad nominis tui rumorem, personaque conspectum, exercitum exercitatissimum stupor obruit, ita vt præ admiratione nescirent duces partis inimicæ, quam se multi, quam te pauci comitarentur. Subducta est tota protinus acies in supercilium collis abrupti, quæ cum prius applicata esset oppugnationi, te viso non est explicata congressui. Interea tu cæsis quibuscunque optimis, quos nouissimos agmini non ignauia, sed audacia fecerat, nullis tuorum certamini ex tanto desideratis, solus planitie quam patentissima potiebare, cùm tibi non daret tot pugna socios, quot solet mensa conuiuas.* Sic explicat fortunatissimi ducis victoriam, qua vnus exercitatissimum exercitum perterrefecit, & cæsis hostium multis inuulnerabilis ipse euasit, & liber. Attamen in tam nouo, ac inusitato euentu nihil meminit diuinum. E contra textus sacer dum non multum absimilem victoriam nar-
1. Reg. 14 rat à Ionatha reportata, ait. 1. Reg. 14. *Ascendit autem Ionathas manibus, & pedibus reptans, & armiger eius post eum. Itáque cum vidissent faciem Ionathæ, alij cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat sequens eum. Et facta est plaga prima, qua percussit Ionathas, & armiger eius quasi viginti virorum in media parte iugeris, quam par boum arare consueuit. Et factum est miraculum in castris, & per agros, sed & omnis populus stationis eorum, qui ierat ad prædandum, obstupuit, & conturbata sunt castra, & accidit quasi miraculum à Deo.* Compone modò Ecdicium illum, & Ionatham, vterque paucis comitatus erat, vel potius vterque solus aggreditur hostes plurimos, ingentes exercitus. Ad vtriusque præsentiam exercitus exanimantur, obstupescunt, cadunt, & vterque occisis plurimis liber euadit. At in Ecdicio nihil diuinum notatur; in Ionatha bis dicitur illud facinus miraculum à Deo. Et cur sic curauit scriptor Ionathæ facinus attribuere miraculo Dei, cum videatur par fuisse illis, quæ ab aliis ducibus fiût? Gessit se Ionathas in hoc facinore vt fidelissimus Dei seruus, quod sapienter probat Theod. q. 31. in præsenti, ideò eius facinus auxiliatrici Dei gratię debuit attribui, quod enim in aliis facile videtur euentus, aut fortuna, in fidelibus suis manifestè operatur Dei gratia.

§. XVII.

Impij in ipso fœlicitatis culmine solent perire:

NOranter posuit textus: *Ceciderúntque in die illo quasi tria millia*, &c. nimirùm in die solemniis, festisque dicata, in die chorearum, & conuiuiorum; quando populus nihil, nisi gaudia cogitabat; tunc & luctus, & mors adfuit. Proh impiorum misera conditio! Solent equidem impij à fœlicitatis culmine ad mortem rapi.
Iob. 18. Meritò de impio dicitur Iob c. 18. *Decipula illius super semitam.* Non enim in angulis, & absconditis paratur laqueus capiendis impiis, sed media in via, cum planiori, fœliciorique cursu fœlicitatis gaudent. Sic Nicetas in cat. Græca: *Irruptiones in solitudinibus, locisque desertis fieri solent: verum impius non in deserta regione, sed in media via comprehenditur, hoc est, in summo fortunæ splendore subitam conuersionem cogitur sustinere:* Dum maioribus fortunæ deliciis fruitur; dum splendidius radiat, & firmiori gaudio exultat; patitur impius subitam conuersionem, & æternis sub tenebris absconditur. Quò
Iob 36. etiam alludit ipse Iob c. 36. *Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effœminatos.* Quæ in rem præsentem transfert Vatablus: *Morientur, dum adhuc cum scortatoribus, & effœminatis viuunt.* Sanè dum minus cogitant de morte, dum maiori conamine nituntur voluptatibus, deliciisque exsatiari, imò dum sunt in ipsa voluptatum segete, metuntur ipsi subita falce mortis. Nec longè abest Oseas c. 13. vbi ait Dominus: Oseæ 13. *Iuxta pascua sua adimpleti sunt, & saturati sunt: eleuauerunt cor suum, & obliti sunt mei. Et ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum.* Expende quando minetur Deus se apparitură quasi leænam, & quasi pardum, nimirùm, quando iuxta pascua sua adimpleti sunt, & saturati sunt. Cùm enim impius plenior deliciis est, plenior voluptatibus, proximioréque sibi habet omnes voluptatum, bonorúmque fontes; tunc diuina ira super illum, vt in perditionem ineuitabilem abiiciat.

§. XVIII.

Vnum præstans facinus potens est homines in sanctitatis ordine firmare.

ECce Leuitarum sanctitas hodie apud Deum confirmata, eo quod in Dei causa, nec filio pepercerint, nec fratri, si quis reus idololatriæ apparuit. Ait enim Moyses: *Consecrastis manus vestras hodie Domino vnusquisque in filio, & fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Sic ex vno facinore consecrati, & deputati excipiendis diuinis benedictionibus manent. Nec miror, quando vnum præstans facinus potens est hominem vel in sanctitatis ordine firmare. Quò spectans Dominus Psalm. ait: *Memor ero Raab, & Babylonis scientium me.* Meretrix erat Raab, & idololatra fœmina, quid fecit, vt in memoria Dei æterna permaneret? Ait Paul. ad Hebr. 11. *Fide Raab meretrix non periit cum incredulis excipiens exploratores cum pace.* Sanè hoc vnum facinus audio à Raab confectum, quod alacri animo pericula imminentia despiciens exploratores Israëlitas suscepit hospitio, dimisit per fenestram liberos. Quo solo facinore sic Deo mansit addicta, vt inde censeatur in sanctorum numerum. Ex quo Nazianz. orat. 40. Nazian. de Baptis. hortatur homines vel ad vnum facinus virtutis, inquiens: *Argumento est Raab meretrix, cui alioquin parum laudatæ hospitalitas sola iustitiæ laudem attulit, & Publicanus, quem vna tantum humilitas extulit, nullo alio nomine commendatum.* Semel Raab exploratores accepit, semel Publicanus ille humi iacens Luc. 18. percutiebat pectora sua, dicens: *Propitius esto mihi peccatori*; & ex his singularibus facinoribus sic virtuti, iustitiæque addicti reputantur, vt illos semper videas inter laudatissimos iustitiæ assectas numerari. Est equidem vel vnum præcellens virtutis facinus potens nos in virtute firmare. Dauid. 2. Reg. 24. videns sui peccati 2 Reg. 24 causa populum ab Angelo necari dixit: *Ego sum, qui peccaui, & ego inique egi, isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei. Venit autem Gad ad Dauid in die illa, & dixit ei: Ascende, & constitue altare Domino*, &c. Ecce tibi vnum fecit Dauid pœnitentiæ facinus, sese exponens diuino gladio, & statim addicitur faciendo altari, vt dicat Victor. qui D. Ambrosij nomine circunfertur, lib. de D. Amb. Pœn. c. 9. *Ecce satisfactionis officio pœna percellitur, & in armis confessionis indignatio propugnatur, vt nec in eum vlterius vindicta procederet, & erga populum quassatio cœlitus effusa quiesceret: vno actu pœnitẽtiæ, & sibi mercatus est pietatem, & a populo suspendit vltionem.* Ecce quanta fecerit vnus pœnitentiæ actus, addicens Dauidem erga Deum pietati. Huc libet etiam vocare Zachæum publicanorum Principem, auaritiæ, & lucris maximè deditum; hic Iesum excipiens domo sua statim ait Luc. Luc. 19. 19. *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & siquid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est*; eò quod & ipse filius sit *Abrahæ.* Ecce vnum à Zachæo proponitur factum, & statim homo antè profanus adscribitur generi sancto, & saluti deputatur. Sic valuit insignis eleemosynæ affectus hominem in sanctitate firmare. Rem pulchrè tractat D. Laur. Nauar. hom. 1. D. Laur. de Pœnit. fatus: *Zachæus dum terrenam dispergit substantiam,*

tiam, non ſolum congeſtam molem fontibus eleemoſynæ diluit, ſed iam hæres regni cœleſtis, & filius Abrahæ eſſe promeruit. Eleemoſyna ſubito conuerſum hominem de peccatis, non ſolum purificauit, ſed etiam coronauit, & fecit de publicano paradiſi ciuem. Semel dixit Zachæus, quod dimidium bonorum ſuorum pauperibus daret, & de cæteris reſtitueret quadruplum pro ablatis, quo facinore ſic ſe ſanctis addixit, vt ſubitò haberetur filius Abrahæ: Paradiſi ciuis & appareret iam quaſi coronatus. Sic vnum præcellens facinus valet hominem in virtute firmare.

Exod. 32. Facto autem altero die locutus eſt Moyſes ad populum: Peccaſtis peccatum maximum. Aſcendam ad Dominum, ſi quomodo quiuero eum deprecari pro ſcelere veſtro. Reuerſúſque ad Dominum, ait: Obſecro, peccauit populus iſte peccatum maximum: Feceruntq; ſibi deos aureos. Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.

§. XIX.

Multitudo popularis non ferro, ſed lenioribus corrigenda eſt.

QVos ſigillatim oſtendit nuditas reos, eos ferro interemit Moyſes, perimens tria millia reorum; vbi autem ad totam multitudinem errantis populi vētū eſt, ferro abſtinuit, & ſolis increpatoriis verbis vſus eſt. Sic: *Facto altero die locutus eſt Moyſes ad populum; Peccaſtis peccatum maximum*, &c. Non permiſit ream multitudinem impunitam eſſe, ſed illam puniuit, vt multitudo puniri debet, non ferro, ſed verbis. Idem in peccante exercitu à Tito Imperatore factum ponderans Egeſipp. lib. 5. c. 7. ait: *Egeſipp.* *Satis in vniuerſos vindicatum eſt inuectionis authoritate, eo quod animaduerſio in ſingulos vſque ad factum procedere debeat, in multitudinē verbo tenus, illam vſque ad pœnam, iſtam vſque ad correptionē. Sæpe enim bonis exercitibus præliares lapſus futuræ virtutis cauſas dederunt.* Huc aſpiciat optimus dux, & ne omnes errores amet reſcindere ferro; forſan enim particularis hominis ſcelus melius gladio reſcinditur; at multitudinis error nullo vtilius tollitur, quam aſpero verbo, vt ſic confuſio nouæ virtutis proferat ſpecimen. Hinc aliquādo exercitus miſſi ab Imperatore aduersùs ciues Anthiochenos, eo quod regias ſtatuas deiecerint, meliori conſilio detenti ſunt, dum Imperator parcit ciuium vitiis, tantum ciuitati eripiens titulū honoris, ne Metropolis diceretur. Id, quod extollit in *Chryſoſt.* Principe D. Chryſ. hom. 17. ad populum, fatus: *Ciuitatis abſtulit dignitatem, nec amplius ipſam Metropolim appellare permiſit. Sed quid facere oportebat; Non cernis patres multa huiuſmodi in filios ſuos facere? Auertuntur, & menſa prohibent. Hoc quoque Rex fecit, tales imponēs vltiones, nullum quidem habentes damnum, multam verò correctionem afferentes.* Sic optimi duces in caſtiganda multitudine ſpectant ea, quæ ſunt correctioni, non quæ sūt internecioni. Quod ſerò licet agnouit crudeliſſimus ille Alexand. Iudæorum Rex, de quo ait Egeſipp. lib. 1. *Egeſipp.* c. 9. *Extincta fere quinquaginta Iudæorum millia ſunt, quos Alexander interemit ſuis, quam hoſtibus pernicioſior, & maiori victor detrimento, quoniam regni ſui vires vincendo attriuerat. Vndè nec ipſe iam ſuis victoriis delectabatur, auersóſque à prælio arte tractabat ſibi ſubditos, vt iam non armis premeret, ſed verbis vrgeret, ac ſolis ſermonibus offenſionum genera diſſolueret.* Cautior ſubditorū ruinanequiſſimus Princeps didicit, vt pernicioſum erat Regi, quod vellet ferro caſtigare ciuitates peccantes; ſic enim non ſolum peccantes, ſed & ſeipſum mulctabat, qui ſolus ſine viribus relinquebatur. Indè abſtinuit ferro, & ſolis ſermonibus cœpit offenſiones mulctare.

§. XX.

Peccatorum confeſſio efficaciſſima apud Deum. Vbi pulchra de Euchariſtia.

VT veniam Moyſes impetret ex Deo peccatoribus, nihil prius proponit, quàm manifeſtam peccati confeſſionem, quippè ait: *Obſecro, peccauit populus iſte peccatum maximum: Feceruntq; ſibi Deos aureos. Aut dimitte eis*, &c. Nec miror, vera enim peccati confeſſio apud Deum nunquam non palmam obtinet. Ad hæc locutus D. Chryſoſt. in cat. Lypp. ait: *Cur, quæſo, incipit* *Chryſ.* *Moyſes à confeſſione peccati? Quia in mundanis, ac forenſibus iudiciis, poſt accuſationem, & criminum confeſſionem, ſequitur mors; cæterum apud diuinum tribunal poſt accuſationem, & confeſſionem criminum datur corona.* Ferè nihil mediat, & confiteris errores, & accipis coronam; adeò enim efficax eſt apud Deum confeſſio noſtri erroris. Fœlix ille, qui ſuum nouit coram Deo confiteri peccatum; hoc vno poterit ad ſe diuinam miſericordiam trahere. Matth. 26. dicit: *Veſpere autem facto, diſcumbebat* *Matt. 26* *Ieſus cum duodecim diſcipulis ſuis. Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia vnus veſtrum me traditurus eſt.* Hæc dicebat Ieſus: quid tunc? *Reſpondens autem Iudas, qui & tradidit eum, dixit: Nunquid ego ſum Rabbi?* Vbi D. Chryſoſt. hom. 1. de Paſſ. ait: *Iuda, cui dicis, nunquid* *Chryſoſt.* *ego ſum? Iam dic: Ego ſum.* Ecce tibi quam promptum erat Iudæ remedium ad ſalutem, ſi, vt interrogando dicebat, *nunquid ego ſum?* diceret confitendo, *ego ſum.* Hæc confeſſio poſſit illum in tuto conſtituere, quando pro placādo Deo efficaciſſima eſt peccatorum cōfeſſio. Quod noſcens Saluator nullum non mouet lapidem, vt faciat homines confiteri. Pro quo expendenda veniunt verba illa data: *Edentibus illis dixit; Amen dico vobis, quia vnus veſtrum me traditurus eſt.* Non antea de proditore ſuo agit, quàm diſcipulos, quorum numerum traditor implebat, ſalutari ſua excipiat menſa. Sæpiſſimè antea locutus fuerat cum diſcipulis, multáque illis dixerat de morte ſua, de verberibus, de crucifixione, de reſurrectione, & nunquam verbum de traditore fecit, niſi modò cùm dominicam præbet cœnam. Cur non niſi in hac diuina menſa traditoris meminit? Meminit proditoris inter ſalutiferas dapes, quādo illæ validiſſimæ erant, vt hominem traherent ad cōfeſſionem, publicationémque ſceleris, quod eſſet illi efficaciſſimum ſalutis remedium, ſi bene illo vteretur. Quod notans D. Chryſ. hom. 2. de Paſſ. hæc pulcra facit *Chryſ.* verba: *Cùm diſcumberet cum duodecim diſcipulis ſuis, & manducantibus eis diceret: Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me; aſcendit Chriſtus propriæ deitatis tribunal, & illud conuiuium velut cataſtam ante ſe conſtituens, conſcientiæ tormento confiteri compulit reum: vt in auctionem conceptum poſſet reuocare peccatum.* Expende illa nimirùm: *Illud conuiuium velut cataſtam*, &c. Quippè rei cataſta torquebantur, vt perpetrata facinora confiterentur; ſic Ieſus diuiniſſimum cōuiuium protulit, quod velut cataſta torqueret reum vſque ad confeſſionem, & manifeſtationem ſceleris, quo remediabile videretur. Vt enim confeſſio peccati efficaciſſimum eſt remedium pro ſalute obtinenda; ſic diuinæ dapes efficaciſſimę ſunt ad confeſſionem extorquendam. Vtroque reſpexit Dauid Pſalm. 41. *Tranſibo in locum tabernaculi* *Pſal. 41.* *admirabilis vſque ad domum Dei, in voce exultationis, & confeſſionis, ſonus epulantis.* Se in domum Dei iturum confidit in voce confeſſionis, ſed illud notandum, quod confeſſionis vox dicatur ſonus epulantis. Quid epulum ad confeſſionem habet? Ad confeſſionem cataſta valet, tortura valet, epulum quid valet? Eſt equidem diuinum epulum reis pro cataſta, quæ confiteri facit ad remedium peccati. Nequit enim peccatum nō manifeſtari, vbi diuinum epulum adſit. Rem cantatiſſimam teſtatur D. Cyprian. lib. de lapſis; lactenti puellulæ inſciis parentibus data fuit oſta vino de idolorum

aris

aris madefacta ; post aliquot dies parentes puellæ cum illa adfuerunt altari Christi, & cum diaconus de more primitiuæ Ecclesiæ accessisset, vt poculum diuinum etiam infantulæ præberet, illa os comprimebat, faciem
Cypr. auertebat, ne susciperet. Quid tunc ? Ait Cypr. Perstitit tamen diaconus, & reluctanti licet de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus, & vomitus. In corpore, atque ore violato Eucharistia permanere non potuit. *Sanctificatus in Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit : tanta est potestas domini, tanta maiestas secreta tenebrarum sub eius luce detecta sunt, Sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt.* Quid pulchrius? Vbi diuinus potus affuit, etiam in elingui puellula nefarij cibi secretum fuit manifestum, nec vllæ maculæ potuerunt latere.

§. XXI.

Oratio non respiciens temporalia commoda, sed virtutes animi, efficacissima est apud Deum.

QVis neget Moysi præstantissimam artem oratoriam ? Pro populo oraturus apud Deum, omnia abiurat temporalia commoda, & vnam animarum virtem spectat. Sic enim dicit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti :* hoc est de libro vitæ temporalis, & commodi. Non suum, non populi commodum temporale petit, sed vnam peccati veniam exposcit, sciens illam efficacissimam esse orationem, quæ vnam virtutem animi spectat. Fœlix, qui sic
Gen. 24. orat Deum, efficacissimas equidem fundet preces. Gen. 24. seruus Abrahæ has pro sponsa Isaaco inuenienda preces fundebat : *Domine Deus Domini mei Abraham occurre, obsecro, mihi hodie, & fac misericordiã cum Domino meo Abraham. Ecce ego sto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquã. Igitur puella, cui ego dixero: Inclina hydriam tuam, vt bibam, & illa respondeat ; Bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac, & per hoc intelligam, quòd feceris misericordiam cum Domino meo. Necdum intra se verba compleuerat, & ecce Rebbecca,* &c. Quòd precabatur, statim post precationem vidit adimpletum, & vndè ita efficaciter orat, nisi quia in petione sponsæ vnam tantum spectabat virtutem animi ? Spectabat in puella eligenda non pulchritudinem, non diuitias ; sed virtutem hospitalitatis, & charitatis, indè efficaciter
Theod. peruenit ad optata. Ait Theod. ser. 8. de Prouid. *Hæc enim fidelis ille famulus petierat : non formam, non corporis staturam, non genarum florem, nec oculorum venustatem, non elegantes superciliorum lineas, non generis splendorem, non diuitiarum abundantiam : sed mentem hospitalem, mores placidos, mansuetam, & modestam facundiam, æquum, & humanum animi habitum, & herili domo dignum. Hæc petiit, hæc accepit.* Quam pulchrè dictum illud est : *Hæc petiit, hæc accepit* ; vt enim in petitione sua, in oratione sua solas virtutes spectabat, sic quæ petiit à Deo, statim accepit. Vtinam & nos ad solas virtutes spectaremus in orationibus nostris, & quam citò exaudiremur. Hinc Ma-
Malac. 1 lach. 1. ait Dominus: *Quis est in vobis, qui claudat ostia & incendat altare meum gratuito? Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis vsque ad Occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur*
Tertull. *nomini meo oblatio munda.* Tertul. lib. 4. in Mar. pulchra explicatione hæc vltima verba elucidat, inquiens: *In omni loco sacrificium nomini meo offertur, & sacrificium mundum, scilicet oratio simplex de conscientia pura.* Reiicit sacrificia Iudæorum, quæ pro temporalibus bonis obtinendis fiebant iuxta illud : *Quis est, qui incendat altare meum gratuito?* Nullus enim inueniebatur, qui sacrificia offerret nisi pro temporali lucro, quibus meritò præponit Deus sacrificium mundum, scilicet, orationem simplicẽ. Sed quæ est oratio simplex adeò grata Deo, vt sit illi acceptior omnibus Iudæorum sacrificiis? Id explicat D. Bern. in Declam. ad illud. Ecce nos reliquimus om- *D. Bern*
nia, &c. inquiens: *Indignus cœlesti benedictione conuincitur, qui duplici intentione petit :* quo enim oratio magis inclinat ad temporalia, eo citius declinat à simplicitate. Duplici enim intentione petit, qui in petitione sua terrena æquè primò cœlestibus coniungit, simplici autem oratione vtitur, qui sola poscit æternum duratura. Ne miremur, quod sola hęc simplex oratio præ omnibus Deo gratior existat. Ex quo ait Salu. lib. 1. de Prouid. *Domi-* *Saluian.*
ne non prosperitatem vitæ istius petimus, nec pro bonis præsentibus supplicamus, scimus enim aures tuas his obsecrationibus clausas esse, & auditum te ad preces istiusmodi non habere, sed pro his tantum modo petimus, quæ sunt futura post mortem. Hæc precipuè spectanda sunt in precibus, & præ iis cætera omnia contemnenda.

§. XXII.

Proximi liberatio à periculis proprio periculo acceptissima Deo victima est.

MIror Moysem non ad sacrificia, sed ad preces pro populi peccato cõfugere. Ait enim: *Ascendam ad Dominum, si quo modo quiuero deprecari pro scelere vestro. Reuersúsque ad Dominum, ait: Obsecro, peccauit populus iste peccatum maximum,* &c. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo,* &c. Hæc orat, & nullas hostias, nullas victimas immolat. Planè Exod. 10. Pharao permittebat Moysi egressum ad sacrificandum, dũ oues, & boues remanerent in Ægypto. Cui respondit Moyses: *Hostias quoque dabis nobis, quas offeramus Domino Deo nostro. Cuncti greges pergent nobiscum.* Ecce ferebat secum ouiũ greges, & armentorum, vt holocausta faceret Domino. Cur ergo modò vbi Deus placandus erat vniuerso populo peccatori, nullas victimas, nullas offert hostias ? In præsenti abstinet ab hostiis aliis offerendis; quia se ipsum deuocet morti pro liberando populo, aiens: *Si non facis, dele me de libro,* &c. quæ gratissima omnium victima erat apud Dominum. Ait Minutius Felix in Octou. *Igitur, qui conscientiam colit, Domi-* *Min. Fel.*
no supplicat: qui iustitiam Deo libat: qui fraudibus abstinet, propitiat Deum: qui hominem periculo surripit, opimam victimam cædit. Hæc est apud Deum nostrum omniũ opimissima victima ; si nos deuouemus pro liberandis hominibus à periculo. Videre cupis pretiositatem huius victimæ? Accipe ex 2. Reg. 24. quando Israëlitæ rabida *2. Reg 24*
metebantur peste, dicitur Dauid clamasse : *Ego sum, qui peccaui, & ego iniquè egi, isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domũ patris mei. Venit autem Gad ad Dauid in die illa, & dixit ei: Ascende, & constitue altare Domino.* Dauid liberationem populi procurabat, pro qua obtinenda seipsum deuouebat; & tunc maximè iubetur illi, quod altare constituat, quod instruat aras. Cur hæc? Fallar si aliàs dictum fuerit Dauidi, quod altare faceret. Cur modò ad altare vocatur, nisi vt ostendatur in eo, qui se deuouet pro liberandis hominibus, sacrificium esse, & victimam Deo gratam? Ex quo aiebat D. Amb. in Apost. 1. cap. 7. *Quam* *D. Amb.*
verò illud etiam admirabile, quod Angelo ferienti plebem se obtulit, dicens: Grex iste quid fecit? Fiat manus tua in me, & in domum patris mei. Quo facto statim dignus sacrificio iudicatus est, qui absolutione æstimabatur indignus. Ecce vt in Dauide amatur sacrificium, per hoc solum, quod se pro liberando populo deuouit. Est enim populi liberatio à periculis victima, & gratissima, & pretiosissima Domino. Nec solum victima est grata Deo, sed & pretiosissimis coronis redimita. Dum enim D. Chrys. depingit, vt *Chrys.*
Monachi pauperes pro liberando populo Anthiocheno à sententia mortis se deuouêre, tandem ait hom. 17. ad Pop. *Cùm sententia diceretur, ingressi Monachi multa sapiẽtiæ verba dixêre, & per literas Regi supplicauêre, & se sua deposituros esse capita dixerunt, ne hoc fieret ; quod omni corona splendidius vestram ciuitatem exornabit. Quod tales*

Anthiochenorum vrbem habitant Monachi, vt Apoſtolicam exhibeant poteſtatem. Sic ſapienter Chryſoſtomus putat multis coronis præſtantiorem alacritatem, qua ſe quis pro liberandis proximis offert.

Exod. 32. Cui reſpondit Dominus, qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo. Tu autem vade, & duc populum iſtum, quo locutus ſum tibi. Angelus meus præcedet te. Ego autem in die vltionis viſitabo, & hoc peccatum eorum. Percuſſit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecit Aaron.

§. XXIII.

Præuiſio ſupplicij certi longanimem facit Deum in peccatoribus ſuſtinendis.

SCit Dominus peccatum hoc Iudæorum minimè expiandum eſſe pœnitentia, ſed diuinæ iræ ſubmittẽdũ, & tamen tolerat reos, illóſque comittit curæ Moyſis, & Angeli. Sic enim ait: *Tu autem vade, & duc populum iſtũ quo locutus ſum tibi. Angelus meus præcedet te. Ego autem in die vltionis viſitabo, & hoc peccatum eorum.* Ecce videt peccatum durare vſque in diem iudicij, túncque ſubiacere diuino furori; & mandat Moyſi, quod ducat iſtum populum in terram promiſſam, inſuper & addit Angelũ ductorẽ. Cur, Domine, non magis iubes relinqui illos peccatores? Cur non magis negas illis & Angelorũ ducatus, & Moyſis? Cur permittis, quod ſub talibus ductoribus læti viuant, & procedant illi ipſi, quos vides exterminandos in die vltionis? Sanè ideò longanimis illos permittit procedere, & proſperari, quia ſimul videt eos æternis ſubiacere tormentis in die vltionis.

Pſalm.36 Ait Pſalm. 36. *Dominus autem irridebit eum, quoniam proſpicit, quod venit dies eius.* Cùm impius lætatur, in facinoribus ſuis proſperatur, & de malis actis ſuis metit gaudens voluptates, & glorias, multóſque nanciſcitur patronos, tacet Dominus, & ſubridet: quia ſimul proſpicit, quod veniat ſuper eum dies vltionis, quã nullo modo euitare poteſt. Quis ignorat Amani fortunas, & glorias? Vt exaltatus eſt ab Abſuero, vt præualuit aduerſùs Iudæos, eos tradens omnes mortis ſententiæ. Cui

Æſter. 5. tandem dixit vxor eius Æſter cap. 5. *Iube parari excelſam trahem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos: & dic mane Regi, vt appendatur ſuper eam Mardochæus, & ſic ibis cum Rege lætus ad conuiuium. Placuit ei conſiliũ, & iuſſit excelſam parari crucem.* Mirabar hæc licuiſſe homini aduersùs populum Dei? Sic Deus permittis vermiculũ inſoleſcere aduersùs iuſtos? Cur non magis perimis audentem? Cur tantæ cladis Iſraëlitarum authorem pateris lætum ire in conuiuium Regis? Videbat ſimul Deus futurum illius ſupplicium; vt ſuſpendebatur ipſe, & ab alta cruce trudebatur in infernũ, & indè tacet, & ſubridet, imò irridet eũ ad menſam Regis ſedentem. Ait Io-

Ioſeph. ſephus lib. 11. cap. 6. *Deus ſpem malignam Aman deridebat, & accidentia præuidens, de futuris delectabatur.* Erant Amanis futura ſupplicia præſentiſſima diuinis oculis, quorum viſione delectatus Deus deridebat miſerum bonis temporalibus fruentẽ. Quem non rideat, & ferat Dominus peccatorẽ fœlicem, videns ſimul illius in ſup-

Zach.11. plicio ſanienã? Zach. 11. *Hæc dicit Dominus Deus meus: Paſce pecora occiſionis.* Quæ verba referuntur ad tempus poſt Chriſti crucifixionem, vbi Deus de Iudæorũ paſtu, & cõmoditatibus maximè curabat. Sed quando Iudæi illi peſſimi erant, cur paſcendi dicuntur, & non magis perdendi? Cur adhuc nequiſſimos permittebat eſſe in paſcuis, & non magis in carnificina; Non miror quod iubeat paſci, quæ pecora iam iam videbat occidẽda. Ait

Cyr. Ale enim D. Cyril. Alex. ibi: *Inquit ergo: Paſcite oues occiſionis, hoc eſt, mox Romanorum manu morituras.* Quas iam præuidebat ſcelerum ſuorum dare pœnas, non refugit permittere, vt in paſcua eant, boniſque terrenis aliquantiſper delectentur. Ex quo dicebat Zachar. 14. *Veniet Dominus Deus meus, omnéſque ſancti cum eo. Et erit in die illa, non erit lux, ſed frigus, & gelu. Et erit dies vna, quæ nota eſt Domino,* &c. Vltionis, & iudicij diẽ memorans, eiúſque duritiẽ proponit, ſimul de illa adiungit: *Quæ nota eſt Domino.* Et ſanè cõmuniſſimũ eſt omnibus rebus, quod ſint notæ Domino, quæ enim res, ſiue bona, ſiue mala nõ eſt Domino; nota? Quid ergo neceſſum fuit rem cõmuniſſimã põderare, in die vltionis, quod ipſa nota Domino ſit? Equidem vt loquebatur de vindictæ die, vt de re longè diſtante, quod innuebant verba illa de futuro, nimirùm, veniet Dominus, erit frigus, & gelu, voluit ſimul tantæ dilationis cauſam in medium proferre, videlicet, quod dies illa nota Domino eſſet. Ex quo enim dies vindictæ, & iræ nota eſt Deo, in qua iam nũc miſeri præuidentur æternum gemere, cum flammiſque luctari non extingendis, naſcitur, quod longanimiter toleret Deus eos ad tempus ridere, & congaudere. *Zach.14.*

§. XXIV.

In hac vita abſtinet Deus à correptionibus, quæ non poſſint eſſe profuturæ peccatoribus.

POſſet ſtatim Dominus caſtigare omnes idololatriæ reos; ſed maluit illos cõmendare Moyſi, auxiliiſque Angelicis, & illorum vindictã in diem extremam differre. Ait enim: *Tu autem vade, & duc populum iſtum, quo locutus ſum tibi. Angelus meus præcedet te. Ego autem die vltionis viſitabo, & hoc peccatum.* Cur in die vlrionis? Cur nõ magis modò? Cur ſatagis, vt adeò rebelles peccatores fruantur ducatu Moyſis, & Angelorum, & non potius quod ſtatim puniãtur pro erroribus? Meritò abſtinet in præſenti à punitione eorum, vt quæ non erat illis proceſſura in bonum. Similiter Matth. 26. accedenti *Matt.26* Iudæ dicit: *Amice ad quid veniſti?* Petro autem impedienti progreſſum ad mortem dicit Matth. 16. *Abi poſt me Sathana.* Petrum Sathanam; Iudam amicum vocat. Petrum percutit, Iudam proditorem honorat. Cur non magis hunc percutit? Ait D. Baſil. Sel. orat. 31. *Vi-* *Baſil.Sel.*
diſti Domine cum militibus, & armis, & fuſtibus inuadentem, nec dixiſti: Vade poſt me Sathana, nec verbis, nec re territaſti, quin potius ais: Amice ad quid veniſti? Et contra Iudam talis, & Petrus amoris pramium fert cõtumeliã? Næ, inquit, perhumaniter ſaluator; vbi enim vlcus eſt immedicabile, ibi pharmacum inutile, vbi autem curationis ſpes ſectionem induco curationi, Sapientiſſimus medicus Deus, & vſtioni, & ſectioni inſtat, quãdo vſtio, & ſectio profutura eſt curationi peccatoris; aſt vbi vlcus inſanabile eſt; nec vſtio, aut ſectio videtur vtilis futura; maximè abſtinet ab illis. Solet equidẽ Deus minimè correptionis ſtimulos adhibere, niſi vbi valẽt prodeſſe. Hinc Actor. 9. Fu- *Actor 9.*
rens Paulus in diſcipulos cũ appropinquaret Damaſco: *Subitò circumfulſit eum lux de cœlo. Et cadens in terrã audiuit vocẽ dicentẽ ſibi: Saule, Saule, quid me perſequeris,* &c. *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* Ecce tibi prius cadit in terrã, deinde vocem audit increpationis, ſtimulos ſentit correptionis. Et cur non ante caſum audit, ſed poſt caſum? Quia poſt caſum iam increpationis ſtimulus eum in virtutem impellere poſſet. Ex quo ait Fran- *Fran. Ab*
coni[illegible] Abbas tom. 12. de Gratia: *Nec prius diuinæ correptionis vocem audire meruit, quam ſupplãtato pede ſuperbiæ protinus in terram corruit.* Prius in caſu aliquod virtutis dedit ſpecimen, quàm illi admouerentur ſtimuli correptionis; ſolet enim Deus ab illis abſtinere, vbi illi non poſſunt. Hinc etiam Apoſtoli Actor. 8. videntes Simonem Magum velle Dei donum pecunia poſſidere, verbis ab inani ſpe hominem depellunt; at Paulus Actor. *Actor.13*
13. Elimam Magum, & aſperrimis verbis, & cæcitate percutit. Quippè ait: *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iuſtitiæ non deſinis ſubuertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus, non videns Solem vſque ad tempus.* Et quando Apoſtoli Simonem non percutiunt, cur Paulus Elimam

mam tam durè percutit? Crediderim Apoſtolos abſtinuiſſe à percuſſione Simonis, quia nihil illi profutura erat, Paulus autem percuſſit Elimam, quando percuſſione in bonam frugem trahendus erat. Quò aſpiciens D. Iſidor. Pel. lib. 1. epiſt. 354 ait: *Impium hominem prudenti conſilio Paulus coërcet, inuecta ipſi admonendi cauſa, cæcitate, quæ etiam ipſum eò tanquam porrecta manu duxit, vt Apoſtolo ſe in diſciplinam traderet. Didicit enim eo medicaminis genere incredulitatem ſuam curare, quo etiam ſanitatem adeptus eſt.* Sic correctionis pharmacum à ſapientibus exhibetur, vbi ſalutis adhuc ſpes intercedit. Vbi autem vlcus inſanabile apparet, ſapienter tollitur correptionis remedium. Vndè Ierem. c. 12. aiebat de deploratis impiis: *Congrega eos quaſi gregem ad victimam, & ſanctifica eos in die occiſionis.* Quid eſt, *ſanctifica eos?* Sic illos à malorum incurſibus ſepara, vt nullum eos malum tangat, ſed omnia ad illos ſint, quaſi ſacris parcant. Ita tractari ſolent, quorum ruina incurabilis videtur.

CAPVT XVIII.

Secundæ tabulæ.

Textus Hiſtoria.

MVLTIS nititur Moyſes Deum reddere populo ſuo placatum, iratóque numini ſeſe in monte offert, ſubiecto vultu, ſed mente regia. Labor fuit quadraginta dierum, quo ſibi obluctans numen eò traxit, ne communibus Angelorum auxiliis permitteret populum, ſed magis ipſe aſſiſteret, & inimicorum ora compeſceret. Qua Dei dignatione inuitatus, ſibi etiam proſpiciens clariſſimum diuinitatis conſpectum multa deplorabat prece, ſed nimia Dei ſublimitas, inacceſſúmque lumen huius temporis oculis non ſubmittitur. Vnus tamen erat petræ excauatæ locus in monte, quo dum ſe ſepeliat, tranſeuntis diuinitatis offertur indicium. Sed prius erant expolliendæ, perficiendæque tabulæ lapideæ, quibus ea poſſint ſcribi, quæ deleta, & confracta fuerant in primis.

Deſcendit itáque Moyſes ad populum tanto munere functurus, & dum tabulæ ſcinduntur, læuigantur, congregatæ multitudini ſuos cum Deo congreſſus renuntiat. Vt obluctatus fuerit irato, vt obluctantem deuicerit, & haberet pacatiſſimum, ſi tamen ipſi depoſito ornatu, ſordido in habitu idololatriæ ſordes diluerent. Videres rem miram, nullus fuit in tanta multitudine, qui veſtium cultum non deſpiceret, & ſordidè indutus diuinum contenderit placare numen. Interea Moyſes, quod ipſe nutu ſuo fecerat tabernaculum, ſiue ſacellum ſubſtulit, & extra populi caſtra, conſtituit, quo ſingulis diebus, vidente populo veniebat oraturus. Nullus comitabatur, ſed omnes oculis proſequebantur euntem, quem ſub oſtio tabernaculi excipiebat columna nubis, illúmque placidè alloquens, populares cunctos compellebat ad cultum. Ibi reſidens Moyſes lites fiebat adeuntium; & diſcedens indè, relinquebat Ioſue, qui tabernaculum cuſtodiret.

Iam præparatis tabulis conſcendit iterum montem, petræ foramine ſeſe abdidit; adeſt Deus lucidiſſima nube veſtitus, cui tranſeunti Moyſes aſſurgens, duriciem populi, cui Dominus maximè indignaretur, bis, & ter nititur offenſioni abducere. Votis reſpondit Dominus placidiſſimus multa promittens, multa mandans ſcribi, quæ populum in ſanctitate continerent. En tibi, ſplendidiſſimus legiſlator nouis acceptis tabulis redit ad ſuos; tantis fulgurans è facie radiis, vt niſi velo obductus nullum poſſet popularibus timentibus ius dicere. Dicebat tamen obductus, ſolo in colloquio diuino faciem oſtentans nudam.

PARS MORALIS IN *Textus litteram.*

REdintegratis tabulis lapideis, noſter etiam redintegratur ſtylus, vt quę guſtauit in primis, quo poſſit modò, exhauriat in tabulis ſecundis.

Exod. 33. Vade, aſcende de loco iſto, tu & populus tuus, quem eduxiſti de terra Ægypti, in terram quam iuraui Abraham, Iſaac, & Iacob, dicens ſemini tuo. dabo eam, & mittam præcurſorem tui Angelum, vt eiiciam Chananeam, &c. Non enim aſcendam tecum, quia populus duræ ceruicis es, ne forte diſperdam te in via.

§. I.

Ab Angelis nil non ſalutare hominibus ſolet venire.

CAuet Deus ſe iratum dare in ducem Iſraëlitarum, & Angeli ducatum illis permittit, dicens: *Et mittam præcurſorem tuum Angelum: Non enim aſcendam tecum, quia populus duræ ceruicis es, ne forte diſperdam te in via.* Timet ab ira ſua malum populo infirmo, & illum mauult Angelo committere. Et cur magis à ſe, quàm ab Angelo timet? Sanè in Deo vt eſt patris lenitudo, ſic eſt ſeueritas iudicis, & nunquam illam ſine hac induit, Angelus autem vbi hominum ducatum accipit, nihil ſcit meditari, quod non ſit ſalutare hominibus. Eſt Dei iuſtitia, quam peccator in Dei ducatu timeat, in Angeli ducatu, ſalutare eſt homini, quidquid vides. Accipe rem ex Tobiæ c. 9. vbi Angelus Raphaël ſub Azariæ nomine mittitur in ciuitatem Medorum ad Gabelum, vt ex eo Tobiæ pecunias recuperet. De quo ait text. *Tunc Raphaël aſſumens quatuor ex ſeruis Raguelis, & duos camelos in Rages ciuitatem Medorum porrexit.* Qui ſolus venerat, vt Tobiam in via comitaretur, vt iret ad Gabelú, quatuor Raguelis ſeruos accepit ſecum. Et quid quid accepit hos ſeruos? An quia ſibi neceſſarij erant: Nónne valeret ipſe ſolus omnia perficere? Cur ergo maluit ſecum illos habere in via ſocios? Equidem illos accepit, nõ quia eorum auxilio egeret, ſed magis vt illorũ curam haberet, ſemper enim Angelus hominibus ſalutaria præſtat. Ait Carthuſia ibi: *Tunc Raphaël aſſumens quatuor ex ſeruis Raguelis, vt eos ædificaret, & informaret in via.* Ad quid aliud Angelus homines ſecũ ducere in via vellet, niſi vt eorum ſaluti prouideret? Eò enim tendit ducatus Angelicus, vt homines in ſalutẽ perueniãt. Et rarò ab Angelis aliquid ſalutare in homines non venit. Accipite ex eodem c. 6. Tobię, vt Raphaël proficiſcitur in Rages ciuitatem Medorum, vt Gabelũ Tobiæ debitorẽ conuenit, vt pecunias debitas expoſcit, vt de aduentu, & nuptiis adoleſcentis, eum monet, vt ſecũ ducit hominem ad nuptias. Venit ergo cum Raphaële Gabelus ad Tobiam. Quid tunc? Ait textus: *Cúmq; ingreſſus eſſet domum Raguelis, inuenit Tobiam diſcumbentem, & exiliens oſculati ſunt ſe inuicem, & fleuit Gabelus, benedixítq; Deum, & dixit: Benedicat te Deus Iſraël, quia filius es optimi viri.* Expendè modò rem inuſitatam Gabelus ille, qui Tobiæ pecuniam tacitus retinuerat, vt vidit filiũ creditoris ſui, præ lætitia flet, & in mille benedictiones exurgit. Longè aliter debitores illi fecerunt, quibus locata eſt vinea Matt. 21. quin potius: *Cùm tempus fructuum appropinquaſſet, miſit Dominus ſeruos ſuos ad agricolas, vt acciperent fructus eius. Et agricolæ apprehenſis ſeruis eius, alium ceciderunt, aliũ occiderunt, aliũ verò lapidauerunt,* &c. *Nouiſſimè autẽ miſit ad eos filiũ ſuum, dicẽs: Verebuntur filium meum. Agricolæ autẽ videntes filium dixerunt intra ſe: Hic eſt hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius.* Et Gabelus, & agricolæ iſti vident filium creditoris ſui, qui debitum repetebat, ſed agricolæ ad cõſpe-

Carthuſ.

Tobiæ 6.

Mat. 21.

ctum filij creditoris ſic furunt, vt in eius mortem conueniant, Gabelus autem viſo filio creditoris in eius aduolat amplexus, eique benedictiones mille impertit. Fecerunt illi, quod facerent debitores qui poſſent, fecit hic, quod rarò, aut nunquam facit debitor. Et vnde Gabelus contra debitorum mores, tam gratus filio creditoris ſui pecunias repetentis extitit? Ait Carthuſ. ibi: *Quid mirum, ſi tam deuotè locutus eſt, cum quo Angelus ſanctus fuit, & ambulauit tandiu, non ſine inſtructione ſalubri?* Non miror, quod etiam homo pecuniæ tenax lætis oculis filium creditoris ſui adſpiciat, illique benedicat, quando vnà cum Dei Angelo longam triuerat viam; Angeli enim comes quid non ſalubre diſceret? Sunt Angeli equidem ſalutares hominibus. Matth. 22. poſita parabola de nuptiis filio Regis factis, ait: *Intrauit autem Rex, vt videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali. Et ait illi; Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex miniſtris: Ligatis manibus, & pedibus eius mittite eum in tenebris exteriores.* Quantus hic rigor? Non expectauit, vt veſtes mutaret, vt nuptiales quæreret; ſed ſtatim tradidit eum exterioribus tenebris. Quam aliter factum eſt Zachariæ capit. 3. *Et Ieſus*, nempè Ioſedech filius, *erat indutus veſtibus ſordidis, & ſtabat ante faciem Angeli. Qui reſpondit, & ait ad eos, qui ſtabant coram ſe dicens: Auferte veſtimenta ſordida ab eo. Et dixit ad eum; Ecce abſtuli a te iniquitates tuas, & indui te mutatoriis.* Compone modò vtramque hiſtoriam; & quæ à Matthæo, & quæ à Zacharia narratur. In vtraque apparet quis ſordidis veſtitus; illum Rex acerrimè pereurit; hunc Angelus ad meliorem frugem trahit, ſordida aufert, & candida reſumi facit. Et cur Rex non fecit, quod fecit Angelus parcens ſordidis, & curans hominem veſtiri candidis? Vel cur Angelus non fecit, quod Rex, cùm primum ſordidum vidit, internecioni tradens? Huius rationem inſinuat Theodor. in Zachariam fatus: *Angelus verò populi tutor aliis adſtantibus Angelis præcepit, vt ex illis veſtibus eum exuerent*, &c. Rex ius dicebat, quapropter in reum iratus, eum tortoribus tradit. Angelus autem vt tutor populi, quibus poterat modis eius ſalutem negotiabatur, non aſperuatus ſordidos, ſed eos toris viribus ad vitæ candorem trahens, vt æternam mortem euadant. Huc traho illud ex Numer. 22. quando Balaam ibat cum hoſtibus populi Dei, ibat quidem maleficus amore lucri tractus, ſed quid ei accidit? Ait textus: *Surrexit Balaam mane, & ſtrata aſina ſua profectus eſt cum eis. Et iratus eſt Deus, ſtetitque Angelus Domini in via contra Balaam.* Ex Hæbræo legunt alij apud D. Aug. lib. 4. quæſt. 49. *Et iratus eſt animatione Deus, quia ibat ipſe, & inſurrexit Angelus Dei differre eum in via.* Expende, quod & Deus iraſcitur, & inſurgit Angelus ſtringens coràm gladium. Quid hoc fuit? An Angelus vt Deum iraſcentem vidit, proſiluit illicò, vt gladio feriret excitatorem diuinarum irarum? Abſit, imò vt ait Auguſtini lectio: inſurrexit Angelus Dei differre eum in via, hoc eſt, illum à via cœpta diuertere faciens. Equidem iratus Deus permittebat miſerum ire, quo in æternam perditionem citius caderet; quam Dei iram agnoſcens Angelus, ſtatim gladio ſtricto ſeſe eunti oppoſuit, non vt perderet, ſed potius vt à perditionis certiſſima via deflectere faceret. Sic ſunt Angeli hominibus ſalutares.

Carthuſ. Matt. 22. Zach. 3. Theodor. D. Aug.

§. II.

Qui nolit peccatoribus parcere, abſtineat ab hominum præfectura.

A Ducatu populi Iſraëlitici abſtinet Dominus, quaſi timens illi ab ira ſua; dum ait: *Non aſcendam tecum, quia populus duræ ceruicis es, ne forte diſperdam te in via.* Proh Dei ſummam ſapientiam vnà cum hominum amore iunctam. Vbi iram ſuam fore inexorabilem noſcit, ſeſe eripit hominum infirmorum regimini. Adhæc ait Oleaſter: *Admonentur hoc in loco bilioſi homines non ſe immiſcere quæſtionibus. Similiter non debere velle præfecturam accipere, qui non poteſt, aut vix ferre poteſt peccata ſubditorum. Non vult Dominus populum ducere, quia tanta maieſtas, & ſanctitas non facile ferret eorum errores, & tu, qui vix iram continere potes, audes prælaturam ſubire?* Diſcant hinc viri ardentioris naturæ, quàm debeant fugere prælaturas hominum, quando neſciunt zelum erga peccatores lenire. Deus enim optimus, & maximus. Vbi iram non continere decreuit, maximè cauet præſidere hominibus. Et mihi crede, proprium eſt diuini ſpiritus, quod à prælatura tollatur ille, qui nequit frænare iram in percutiendis ſubditis etiam improbis. Hinc Eccleſiaſticus capite quadrageſimo octauo, ait: *Elias quidem in turbine tectus eſt.* Non enim morte diſpunctus abiit; ſed in turbine tectus adhuc viuus abducitur. Et quando non erat Elias morte diſpungendus, cur abſconditur è viuis? Cur non diutius permittitur eſſe in mundo? Ait D. Baſil. Sel. prat. 11. *Cum hominum peccata nihil minuerentur, Deus Eliam videns iuſto zelo in impios rurſus inflammatum, & ferro pſeudo prophetarum turbam metentem igneo curru ex impiorum conſpectu tranſtulit.* Hoc ſatagit ſpiritus diuinus, vt à conſpectu impiorum tollantur, qui neſciunt cohibere zelum in puniendis impiis. Nónne Moyſes mitiſſimus erat erga ſuos? Sed quia ſemel declinauit ad bilem, ſtatim à Deo eripitur gubernatoris muneri. Rem habes Numer. 20. vbi cum iuſſum illi eſſet à Deo, vt aquam è petra educeret, qua extingueret populi ſitim, ſic dicit: *Tulit igitur Moyſes virgam, quæ erat in conſpectu Domini, ſicut præceperat ei, congregata multitudine ante petram, dixitque eis: Audite rebelles, & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere? Cumque eleuaſſet Moyſes manum percutiens virga bis ſilicem egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita vt populus biberet, & iumenta. Dixitque Dominus Moyſi, & Aaron: Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Ecce tibi vt populi ducatus Moyſi eripitur, dum dicit Dei ſententia: *Non introducetis hos populos*, &c. Nec eſt facilè inuenire rationem offenſæ, qua priuetur Moyſes ducatu populi ſui. Cur enim qui tot, tantáque fecerat pro populo, qui ſumma lenitudine gubernarat, tam facilè modo à gubernaculo deiicitur? Nil clarius inuenies, quam verba illa bilis plena, nimirùm: *Audite rebelles*, &c. Dum animi lenitudinem ſeruat in ſubditos, & conſeruatur ipſe in munere; cùm primum autem declinat ad bilem, ſtatim à Deo reiicitur de munere. Ait D. Dionyſius Areopag. epiſt. 8. dicens: *Hebræorum tradit hiſtoria etiam ſanctum illum Moyſem eximia manſuetudinis merito diuina amicitia, & familiaritate dignatum. Ac ſi quando ipſum diuino munere excidiſſe commemorant, non id ei priuſquam a manſuetudine defecerit, contigiſſe deſcribunt.* Equidem audimus Dei ſententiam, qua Moyſes aſſerebatur indignus, quod perſeueret in populi ducatu; ſed hæc ſententia non prius lata fuit, quàm Moyſes manſuetudinis oblitus verba protulit bili plena, & ſeueritate. Nunquam enim bilis, & nimia ſeueritas non reddit hominem indignum principatu.

Oleaſter. Baſi. Sel. D. Dion.

Exod. 33. Audiénſque populus ſermonem hunc peſſimum luxit, & nullus ex more indutus eſt cultu ſuo. Dixítque Dominus ad Moyſem; Loquere filiis Iſraël: Populus duræ ceruicis es, ſemel aſcendam in medio tui, & delebo te. Iam nunc depone ornatum tuum, vt ſciam, quid faciam tibi. Depoſuerunt ergo filij Iſraël ornatum ſuum à monte Horeb.

§. III.

§. III.

Duriſſima homini pœna eſt, quod Deum non habeat.

ET Moyſis,& Angeli ducatum promittebat Dominus Iſraëlitis,quo inimicos expugnarent,& terram promiſſionis acquirerent, vnam ſui peculiarem aſſiſtétiam negabat affuturam. Quid ad hæc populus? Ait textus: *Audiénſque populus ſermonem hunc peſſimum luxit*,&c. Luxit itaque populus ad ſermonem hunc peſſimum de non affuturo ſibi Deo. Et meritò ſermo dicitur peſſimus,& durus, & omni dignus luctu ille,quo Deus negat aſſiſtentiam præſentiæ ſuæ, licèt alioquin omnia alia bona tribuat. Hoc enim quod eſt à Deo deſpici,& relinqui ſuperat longè omnium malorum,pœ-
Nazian. narúmque duritiem. Ex quo meritò D. Nazian. orat. 3.expendens impiorum pœnas, inquit: *Quidam extremas eorum plagas, pœnáſque in hoc ſæculo perſolutas deplorant, nimirum ij, qui huius tantum vitæ rationem habent, neque ad futura ſupplicia mente penetrant. Mihi verò grauius eos lugere ſubit obſequentis vitæ cruciatus, eáque, quæ impios, & ſceleratos manent ſupplicia: Nondum enim, quod maximum eſt, dico, nempe hoc ipſum à Deo eiici, quam dura, & acerba illis pœna ſit.* Expende ab illis: *Nondum quod maximum eſt, dico*, &c. quippè dixerat de huius vitæ plagis, de cruciatibus futuræ, & nihilominùs fatetur ſe minimè dixiſſe,quod maximum,& duriſſimum omnium pœnarum eſt, nimirùm, hoc quod eſt à Deo eiici, & deſpici. Sanè Dei peculiari aſſiſtentia carere, tormentorum omnium eſt homini acerbiſſimum. Hinc
Ioan. 1. Ioan.cap.1.de Filio Dei locutus ait: *In propria venit, & ſui eum non receperunt; quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Duo hominum genera proponit & recipientium eum, & non recipientium; cum de recipientibus loquitur, ſimul & eorum præmium deſignat,dicens: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Cùm autem de non recipientibus verba facit, nullum exprimit illorũ ſupplicium,ſolum dicit: *Sui eum non receperunt.* An quia accipientes munerat, non accipientes minimè caſtigat, nec contriſtat: Cur nulla eorum pœna exprimitur? Sanè magna illorum pœna eſt, quod non numerentur inter Dei filios, nec ad eius domeſticos pertineant. Accipite
Chryſoſt. D. Chryſoſtomum fantem hom. 9. in Ioan. *Quid non dicis nobis Ioannes eorum etiam ſupplicium, qui eum non receperunt, ſed tantum quod ſui erant, & in propria veniens, à ſuis minimè receptus eſt? Quod autem ex hoc eis ſupplicium maneat, ſilentio præteriſti. Quanam igitur gratia id ſubticuiſti? Et quodnam maius ſupplicium eſſe poſſet, quam ſi in eorum ponatur arbitrio filios Dei fieri, & nolint, ſed ſponte ſua, tanta ſe nobilitate, tanto ſe honore indignos efficiant?* Hoc ſanè maximum ſupplicium eſt, & pœna grauiſſima, quod qui poteras eſſe inter filios Dei, ſic relinquaris à Deo, ſic deſpiciaris, quaſi nullo modo ad eius curam pertineas. Hoc,inquam,ſupplicium eſt om-
Matt. 27 ni luctu dignum. Hinc Matth. c. 27. de crucifixione Ieſu locutus ait: *Ieſus autem iterum clamans voce magna, emiſit ſpiritum. Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes.* Equidem abiit Ieſu ſpiritus à Synagoga Iudæos derelinquens, & deſpiciens, quod etiam ſignificarunt
Egeſipp. voces poſt hæc in templo auditæ, de quibus Egeſippus lib.5.cap.44.ait: *Ingredientes Sacerdotes in templi interiora, vt ſacrificia aſſueta celebrarent, audierunt repentina voce clamatum: Tranſeamus hinc.* Itáque poſt Ieſu mortem receſſit Deus à templo, reliquit Iudæos, & interea velum templi ſciſſum eſt. Et cur in Dei diſceſſu, hoc eſt, in derelictione Iudæorum velum templi ſcinditur? Erat apud Iudæos ingentis calamitatis, & doloris ſignum,quod veſtes ſcinderentur;ideò templum oſtendens malum derelictionis Iudaicæ ſcidit ſuum velum, lugens miſeros in eo,quod à Deo relinquerentur. Ait
D. Cyril. D. Cyril.Alex.lib.12.in Ioan. c.37. *Cùm Chriſtus expiraſſet, velum quaſi veſtem ſuam illico templum ſcidit. Quod diuinitus ideo dixerint eſſe factum, vt ſanctum Dei templum populi cauſam lugere intelligeretur.* Et quos luctus non mereatur populus derelictus à Deo? Meritò templum luget vacuitatem ſuam, luget Iudæorum derelictionem, vt quæ ſit grauiſſima eorum pœna, & cauſa grauiſſimarum calamitatum iam iam imminentium.

§. IV.

Dei præſentia apud impios ex eorum ſupplicio oſtenditur.

OBduratis,& rebellibus Iſraëlitis ait Dominus: *Populus duræ ceruicis es, ſemel aſcendam in medio tui, & delebo te.* Promittit ſe futurum in medio eorum eos delendo: non enim aliter præſentia Dei apud impios oſtenditur melius, quàm eos conterendo. Quò ſpectans Amos cap. 5. ait Dominus: *In omnibus plateis* *Amos 5.*
planctus, & in cunctis, quæ foris ſunt, dicetur, væ, væ. Et vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos, qui ſciũt plangere. Ex Græco autem ſic leguntur hæc in rem præſentem. *In omnibus plateis planctus, in omnibus viis dicetur, væ væ. Vocabitur agricola in luctum, & in planctum, & ad ſcientes lamentum. Et in omnibus viis planctus, quia veniam per medium tui, dicit Dominus.* Expende malorum omnium, luctuúmque notiſſimam cauſam, nimirùm: *Quia veniam per medium tui, dicit Dominus*: & quidem Dei aduentus ſalutaris ſolet eſſe hominibus, quomodò in præſenti ponitur Dei aduentus cauſa gemituum, lacrymarum, & omnis generis lamenti? Res erat cum ſceleratis hominibus apud quos tunc oſtenditur Deus maximè præſens, cum eos ſuppliciis meritis flagellat. Sic ait D. Cyril.Alex.ibi: *Tranſ-* *D. Cyril*
ibo per medium tui, inquit, intuens peccata tua, & non procul abſens ab iis, qui impietates minimè ferendas deſignarunt. Quandiu ergo verbis tantum caſtigat Deus, videtur quodammodo non adeſſe. Cùm autem vratus ſceleratos vlciſcitur, tantum non præſens adeſt, & pœnas infligit. Ecce tibi, quando oſtenditur Deus ſceleratis præſentiſſimus, nimirùm, quando eis pœnas infligit. Dum ſuſtinet, dum diſſimulat, dum verborum componit minas, quam longiſſimè abeſt Deus ab impiis; vbi autem flagellat, verbere aliquo percutit duro, iam ibi præſens intelligitur. Sub trium Angelorum figura Dominus apparuit Abraham Gen 19. cui dixit: *Clamor Sodomo-* *Gen. 19.*
rum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. Deſcendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non eſt ita, vt ſciam. Conuerterúntque ſe inde; & abierunt Sodomam, &c. Sic Dominus à domo Abrahami conuertebat ſe,& abibat appropinquans Sodomæ. At Dominus vbicunque eſt, cur modo voluit ſe oſtendere abſentem, & Sodomam euntem? dum impune peccabant Sodomitæ, quaſi abſens Dominus erat,in Angelis ſuis cœpit autem ſuam oſtentare præſentiam impiis, cùm cœpit illis flammantes radios immittere. Ita penè D.
Cyril. Alex.vbi ſuprà: *Sodomam venerunt Angeli, ignibus* *D.Cyril.*
incenſuri ſceleſtos, velut abſentes, dum non punirent. Tunc ſolum ſe præſentiſſimum oſtendebat diuinum numen impiis, cum illos affligebat ſuppliciis. Ex quo nata eſt illa ſceleratorum de Deo opinio,qua dicebãt Iob c.22. *Iob 22.*
Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulant. Cum ſe videbant mediis ſceleribus impunitos, putabãt Deum longiſſimè abeſſe. Quos ſic D. Greg.lib.16.Moral. cap.3. pungit: *Quis de Deo* *D. Greg.*
iſta, vel inſipiens ſuſpicetur? Qui nimirum, cùm ſit ſemper omnipotens, ſic intendit omnibus, vt adſit ſingulis, &c. *ſic videri non valet, vt tamen eius præſentiam ipſa ſua iudicia teſtentur.* Non negat,quod Deus optimus maximus remotus ſit ab omni ſenſu; iudicia tamen ſeueritatis circa impios exercita ipſum oſtendunt illis præſentiſſimum eſſe.

§. V.

In superbo ornatu corporis vix patet aditus saluti.

CVraturus Israëlitas Dominus, nil prius docet, quàm ornatus superbi depositionem, inquiens: *Iam nunc depone ornatum tuum, vt sciam, quid faciam tibi.* Expende illa: *Vt sciam, quid faciam tibi,* quasi nesciat Dominus viam salutis inferendæ homini illi, qui superbo ornatu apparuit indutus. Id, quod expendens
Rupert. Rupert.lib.4.in Oseam dicit: *Quamdiu peccator ornatus incedit, id est, in peccatis suis superbit, quandiu pulchram ceruicem erigit complacendo sibi, lætabundus cùm male fecerit, & exultans in rebus pessimis: quodam modo nescit Deus, quid faciat illi; nescit misericordia quali aditu ad illum veniat remota seueritate iudicij.* Quid grauius? Tota Dei omniporentia quasi arctatur, & quasi nescit, quid faciat homini, qui aureo ornatu nitet, & exultat inter scelera ipsa. Miser, qui multus in sceleribus perpetrandis cùm sit, interea pompaticè incedit, superbóque corporis ornatu nitet, ad hunc quasi nescit Dei misericordia quali aditu veniat, remota seueritate iudicij.
Abor. 12 Actorum cap. 12. dicit: *Statuto autem die Herodes vestitus veste regia sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini.* Quæ à nostro dicitur vestis regia, singillatim describitur à Iosepho lib. 19. Ant. cap. 7. quod erat tota ex argento, mirabili opere contexta, quæ radios orientis solis perperculsa, & diuinum quendam fulgorem emittens venerationem cum honore incutiebat spectãtibus. Sic ambitiosè vestitus Herodes dum extollitur, ab Ange-
Zach. 3. lo percutitur, & interiit. Longè aliter Zachar. 3. vbi de filio Iosedech dicitur: *Et Iesus erat indutus vestibus sordidis, & stabat ante faciem Angeli: Qui respondit, & ait ad eos, qui stabant coram se, dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum; Ecce abstuli à te iniquitates tuas.* Componite Angelum cum Angelo; Angelum Iesu filij Iosedech cum Angelo Herode. Illius Angelus & peccatori; & sordenti homini misericordiam facit, scelerum suorum offert remissionem; huius autem Angelus non misericordiam offert, sed iudicij rigorem, lethaliter percutiens hominem. Cur Angele non magis parcis Herodi? Quando Iosedech filio peccatorum squallenti sordibus Angelus parcit, & illi scelerum pœnam condonat, cur tu adeò rigidus es cum Herode, vt nec minimam illi auferas misericordiam? Parceret sanè Angelus, sed in homine superbo, in ornatu fulgenti nullus inuenitur locus misericordiæ; nesciuit misericordia quali aditu remota à iudicio veniret in hominem, qui sub vestibus aureis superbiens splende-
Dro Car bat totus. Ex quo ait Drogo Cardinalis lib. de Sacramento Dominicæ Pass. *Quid veste nitida gloriaris? Subterte sternetur tinea, & operimentum vermis est. Hæc tua vestis est; illuserunt tibi, qui chlamyde coccinea induerunt. Sic Antiochus, & Herodes duo alieni vestibus depositis, in suis vestibus expirarunt.* Vestis superba fuit, quæ in Herode aditum intercluſit Angelicæ misericordiæ. Et
D. Cypr. meritò dicit D. Cypr. lib. de Habitu Virg. *Sericum, & purpuram induta Christum induere non possunt*: quippè Christus quasi nescit quali aditu ad illas veniet.

Exod. 33. Moyses quoque tollens tabernaculum, tetendit extra procul, vocauítque nomen eius tabernaculum fœderis. Et omnis populus, qui habebat aliquam quæstionem, egrediebatur ad tabernaculum fœderis extra castra. Cúmque egrederetur Moyses ad tabernaculum, surgebat vniuersa plebs, & stabat vnusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebántque tergum Moysis donec ingrederetur tentorium.

§. VI.

In virtute stantibus salutaria obueniunt.

MVlta dicuntur de Moyse, nimirùm, quod extra castra posuerit tabernaculum, quod ibi quæstiones popularium dirimeret, quod frequentissimus tabernaculo esset, ibíque oraret Deum: De populo autem solum dicitur, quod stans in ostiis papilionum suorum prosequeretur oculis Moysem euntem in tentorium. Sic enim dicit: *Cúmque egrederetur Moyses ad tabernaculum, surgebat vniuersa plebs, & stabat vnusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebátque tergum Moysis, donec ingrederetur tentorium.* Ecce tibi procedebat Moyses, pergebat ad tentorium, populus autem surgebat, & stabat aspiciens; quanta hæc virtus populi, quod surgeret, quod staret? Sanè in populo, qui paulo ante tot exceperat clades, tot afflictiones per manum, & ora Moysis, quando sub gladio tria millia ceciderunt. quando maiores minas audierunt, quando se omni ornatu exuerunt, & compuncti sunt vsque ad fletum, non paruum est, quod post hæc non iaceat, sed surgat populus, & in virtute stet Iob cap. 1. post cladem gregum, armentorum, & filiorum dicitur: *Tunc surrexit Iob*: &c. circa quæ verba ait D. Chrysost. hom. 3. in Iob: *Bonum surrexit, non enim decidit plaga, sed surrexit pietatis virtute.* Equidem bonum, imò & magnum, quod qui tot lamentorum materiam viderunt, in morte filiorum, cognatorum, in ornatus spoliatione, in Dei ira, non concidant, non iaceant, sed surgant & in virtute stare alacres possint. Fallar, si iis salutis non pateant fores. Marc. cap. 9. aiebat Dominus Iesus: *Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem*, &c. Expende benignissimi Iesu ampliſſimam promissionem, qua promittit mortem ab aliquibus minimè esse gustandam, ita vt eius amaritudo percipi possit. Sed qui sunt fœlices ad tantam reseruari misericordiam? Ipse ait. *Sunt quidam de hic stantibus.* Non qui consternanti iacent, sed qui surgunt, & alacres in virtute stant, ij non experientur damna mortis. Ait D. Chrysostom. hom. 10. in Mar. *Pulchrè de his, qui stant, dicitur: Non gustabunt mortem. Qui enim stat, in eo, quod stat, non gustat mortem.* Nihil non salutare, & dulce inuenit, vel in mortis faucibus ille, qui in virtute stare nouit. Nulla te frangat res homo, nullis casibus concidas, sed eo specta, vt stare in virtute possis, & mille inuenies salutis ostia. Diuini enim fauores non in deiectos, & humi raptantes, sed in viriliter stantes perueniunt. Hinc Moyses Deuther. cap. 10 ad Israëlitas loquitur: *Ego autem steti in monte, sicut prius quadraginta diebus, ac noctibus: exaudiuítque me Dominus etiam hac vice, & te perdere noluit.* Expende, quot, quantáque beneficia in se à Deo profecta numeret Moyses; vt iterum fuerit exauditus, vt legem iterum acceperit in monte, vt salutem obtinuerit populi. Et quid ipse fecit, vt tanta acciperet à Domino? Ait ipse: *Ego autem steti in monte*, &c. Hoc prius proponit, quod steterit in monte; & quidem non nisi in virtute stanti tot beneficia obtingere possent. At hæc D. Chrysost. hom. 10. in Mar. ait *Solus stetit quadraginta diebus, & ideo meruit legem accipere. Stantibus datur, iacentibus non datur.* Quid à Deo speret, qui in virtute stare nequit? Hoc totis viribus cura vt in virtute stes, & de Deo largitore multa expecta.

Iob. 1. Chrysost. Mar. 9. Chrysost. Deut 10 Chrys. s.

§. VII.

Lectio spiritualis efficacissima est ad virtutis progressum.

MOysem euntem ad tabernaculum Iudæi videbant, nec prosequabantur, sed immobiles in ostiis papilionum suorum hærebant. Sic ait textus: *Cum egrederetur Moyses ad tabernaculum surgebat vniuersa plebs*

plebs,& ſtabat vnuſquiſque in oſtio papilionis ſui, aſpiciebántque tergum Moyſis, donec ingrederetur tentorium. Omnes ſtant, omnes hærent, nullus progreditur videns progredientem. Et cur nullus progreditur? Rationem indigitat Strabo in cat. fatus. *Moyſes tenet figuram legis. Moyſis ergo tergum Iudaicus populus aſpiciebat, quia nihil myſticum, nihil ſpirituale in lege voluit intelligere,ſed ſuperficiem tãtum literæ. Ideò eius facies abſcondita erat.* Vt in Moyſe,ſic in Scriptura diuina & facies eſt,& tergum: facies ſacræ Scripturæ eſt ſenſus ſpiritualis,& myſticus:tergum eſt cortex literæ. Iudæi ergo ſolum ad corticem reſpicientes, tergum videbant,nec inde mouebantur,vt progrederentur,ſed immobiles in ſuis hærebant. Vtinam non ad corticem, non ad tergum, ſed ad faciem,ad ſpiritualem ſenſum reſpicerent,ſpiritualis enim Scripturæ lectio,& meditatio ad clariſſimos illos adduceret virtutum progreſſus. Pſal. 18.dicit: *Beati immaculati in via,quia ambulant in lege Domini. Beati,qui ſcrutantur teſtimonia eius,in toto corde exquirunt eum:* Ecce tibi vt in vnum conueniunt, & qui ſcrutantur teſtimonia diuina, & qui ambulant in lege Domini. Eo enim quod quis diuinas Scripturas penitus ſcrutetur, earúmque ſpiritualem percipiat ſenſum,nequit fieri,quod hæreat,quod immobilis ſtet, ſed ad ambulandum,& progrediendum in lege Domini rapietur. Ibi ait D. Amb. ſer. 1. *Si quis ergo in via ambulat,ſcrutetur teſtimonia Domini: quoniam melius poteſt ambulare in via,qui ſcrutatur Domini teſtimonia.* Eo ſpectat ſcrutatio Scripturarum,vt non hæreamus,ſed magis ambulemus, imò & profiliamus in virtutum progreſſum. Iob cap. 39. de equo loquens ait: *Vbi audierit buccinam,dicit,Vah:* ex Græco legitur: *Signum dante tuba,dicit, Euge. Procul odoratur bellum ſaltu,& clamore.* Sic ſonus tubæ non ſinit quietum eſſe equum, ſed illum in ſaltus cogit, vt in certamina properet. Quod ſpectans D. Ephræum in ſer. de Patient. & compunct. ait. *Loco tubæ diuinas Scripturas adhibe. Quemadmodum enim tuba ſonans congregat milites: ſic & diuinæ Scripturæ ad nos clamantes cogitationes noſtras congregant ad Dei timorem. Et quemadmodum tuba belli tempore ſonans ſtrenuorum militum alacritatem in aduerſarios excitat: ita & diuinæ Scripturæ te promptiorem ad omne opus bonum reddunt, téque aduersùs improbas paſſiones, ac vitia magis animant,corroborántque.* Sanè cum Scripturarum ſacrarum ſpirituali lectione is ardor gignitur in nobis, qui non ſinat nos ſtare otioſos,ſed ad pulcherrima moueat opera. Non ſic militares copiæ feruntur ad facinora,ad victorias tubarum ſonitu,vt nos Scripturarum meditatione ferimur, vt glorioſas victorias reportemus de hoſtibus. Et cur non curras,cur triumphator non inſilias in hoſtes, quando & ſacræ Scripturæ ſcrutatio ſimul te reddit hoſtibus inacceſſibilem? In transfiguratione Ieſu Matth. 17. *Veſtimenta eius facta ſunt alba ſicut nix.* Cur ſicut nix? Ait D. Anſel. ibi: *Veſtimenta Verbi dicta ſunt Scripturarum, & in oculis alta petentium albeſcunt,vt nix, & refulgent ſermones diuinarum lectionum. Cùm autem nix ceciderit,aues cœli non habent,vbi inhabitent,& lætior ſolito tritici prouentus exuberat. Cui rei verba Scripturarum aptè comparantur, quæ de cœlo miſſa ſunt in terram, & ieiuna noſtrorum pectorum arua fœcundauerunt, ac ſpiritibus aëreis, tanquam auibus immundis locum non reliquerunt.* Ecce tibi,vt nix tritici prouentus accumulat,locúmque, & aditum cœli auibus intercludit,ne ſemina abſumant, ſic lectio ſacræ Scripturæ ad nouos virtutum prouentus nos ducit, & reddit prorſus aëreis ſpiritibus inacceſſibiles.

Exod. 33. Ingreſſo autem illo tabernaculum fœderis deſcendebat columna nubis, & ſtabat ad oſtium, loquebatúrque cum Moyſe, cernentibus vniuerſis, quod columna nubis ſtaret ad oſtium tabernaculi, Stabántque ipſi, & adorabant per fores tabernaculorum ſuorum. Loquebatur autem Dominus ad Moyſem facie ad faciem,ſicut ſolet homo loqui ad amicum ſuum. Cúmque ille reuerteretur in caſtra,miniſter eius Ioſue filius Num puer,non recedebat de tabernaculo.

§. VIII.

Miniſtrorum ſuorum honori maximè conſulat, qui gubernatoris optimi munus adimplet.

ACcedens Dominus in columna nubis ad oſtium tabernaculi, quaſi cum amico loquebatur cum Moyſe cernentibus id cunctis Iſraëlitis. Quippè ait: *Deſcẽdebat columna nubis, & ſtabat ad oſtium,loquebatúrque cum Moyſe cernentibus vniuerſis,* &c. *Loquebatur autem Dominus ad Moyſem facie ad faciem, ſicut homo ſolet loqui ad amicum.* Ex quo ſpectabat tanta hæc Domini dignatio,vt cum homine loqueretur tanquã cum amico in conſpectu omnium? Ait ſapienter Lyppom. in cat. *Teſtabatur enim Dominus coram populo, & aſpiciente tota Eccleſia,dignitatem Moyſis,viſibili ſpectro ſe illi inſinuans, quo eſſet auctoritate grauior.* Proh ſummi gubernatoris præſtantiam! Ipſe è millibus vnum elegit miniſtrum Moyſem;huius autem honori maximè conſulit,nihilq; non facit,vt illum reddat populo honorib. cõſpicuum, ſibíque deuinctum. Vtinam ſic facerent vniuerſi gubernatores miniſtris ſuis, & illos ſic traherent in facinora. Matth. c. 8. dicit: *Cùm veniſſet Ieſus in domum Petri, vidit ſocrum eius iacentem,* &c Non ſic mitor,quod ſanet infirmam; vt miror, quod domum Petri intret. Quid vnigenito Dei cum piſcatoris tuguriolo? Cur Domine ſic deiiceris, vt pauperculi hominis habitaculum inuiſas? Rationem reddit D. Chryſoſt. hom. 28. in Matt. *Cuius rei gratia domum Petri Dominus petiit? Mihi quidem videtur,vt cibum aſſumat. Non enim ignoramus diſcipulorum diuerſorium illud eſſe. Nam ad Matthæum diuertit, quando eum vocauit,quod faciebat, vt hoc ab eo affecti honore diligentiore ad omnia fierent.* Bonus gubernator nullum lapidem non mouebat, vt honoraret ſuos miniſtros,quo diligentiores ad omnia fierent. Illos paſſim conueniebat quaſi amicos, & familiares ſuos, vt hoc excitati honore nulli parcerent labori pro implendo munere. Quod in obſcuris Eccleſiaſtæ verbis inſinuabat Chaldæus. Dicit enim Eccleſiaſtes c. 5. *Excelſo excelſior eſt alius, & ſuper hos quóq; eminentiores ſunt alij.* Quæ verba ſic in rem præſentem elucidat Chaldæus, inquiens: *A facie Dei mittuntur viri magnifici,& robuſti, vt poteſtatem exerceant in improbos.* Equidem ſub Dei facie viri magnificantur,roborantur, vt indè miſſi nulli parcant difficultati, vt improbos valeant expugnare. Quomodo enim valebit improbos comprimere miniſter,qui non honoratur,& magnificatur à Principe?

§. IX.

Noſtra in omnibus amamus, non æquè aliena.

VT homo loquitur ad amicum, ſic Dominus loquebatur ad Moyſem; ait enim: *Loquebatur Dominus facie ad faciem,ſicut ſolet homo loqui ad amicum ſuum.* Et cur tanta Dei dignatio ad Moyſem? Quid in illo erat quo ſic Dei rapiebat affectum? Vt Deus nunquam comedit,nec bibit,ſic videbat Moyſem per integros illos dies quadraginta,nec comedentem, nec bibentem, in quo amabat peculiariter Deus id, quod in ſe habebat. Ait D. Amb. ſer. 27. *Quadraginta dierũ,noctiúmq; ieiunio Moyſes ſanctus meruit cũ Deo colloqui,ſtare,& conſiſtere,& de manu eius legis præcepta ſuſcipere. Quamuis enim illum ab obtutibus Dei conditio humana ſubtraheret, ieiuniorum tamen gratia proximum illum diuinitatis conſortio faciebat. Hæc enim Dei nobis virtutum portio Dei eſt, vt ieiunemus frequenter,quoniam ſemper Deus ipſe ieiunat. In*

quocunque

quocunque igitur plus operum suorum ineſſe perſpexerit, ipſi magis familiaris, intimus, & amicus eſt. Expende ab illis: *In quocunque igitur plus operum ſuorum ineſſe perſpexerit*; hoc inſitum eſt etiam diuiniſſimæ naturæ, vt in omnibus promptius & prius amet ſua. In quo plura ſua noſcit, magis ad eum afficitur. Et quis ſimiliter non amet in omnibus ſua? Matth. 20. proponuntur operarij, qui primo mane, & qui hora vndecima, & qui iam die aduesperascenti iuerunt in Dei vineam, quibus dum merces ſoluitur, ait paterfamilias procuratori, quod reddat mercedem *incipiens à nouiſſimis*. Cur à nouiſſimis? Cur non magis à primis? Quid habuerunt nouiſſimi, qui remuneratoris animum ſibi magis rapuerunt? Sanè è mundi fidelibus, qui primi extiterunt, minorem Chriſti gratiam habuerunt, vt operarentur virtutes, nouiſſimi autem, qui modò ſunt, multo maiori gratia Chriſti fruuntur, quare non miror, quod remunerator ad hos feratur prius, in quibus plura ſua videt. Huc ſpectat

Imperf. Imperfectus hom. 34. in Matth. inquiens: *Omnes, qui ante Ieſum fuerunt, quaſi ex operibus ſuis facti ſunt ſancti. Gentes autem ex gratia Chriſti ſemper libentius aliquid damus iis, quibus ſolum propter honorem noſtrum damus.* In quibus aliquid amplius noſtrum eſt, in quo nobis conſulamus, promptiſſimi ſumus ad hos honorandos, ditandos. Nullus eſt, qui ſic in alienis, vt in propriis velit ſuum impendere conatum. Hinc de Deo ædificaturo

Gen. 2. primam mulierem, ait Gen. 2. *Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam: cúmque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Poſſet equidem Deus aliunde Euam creare, cur illam maluit ædificare ex Adami coſta? Rationem oſtendit Theophy-

Theoph. lus Anthiochenus lib. 2. ad Autolium, dicens: *Ne exurgerent, qui dicerent: Hic Deus virum, alius format mulierem, Euam ex coſta compegit.* Itáque ne putaretur alius Deus formator mulieris ab eo, qui hominem formaret, ideò ex Adami coſta Eua formabatur. Sed etiam, ſi ex Adami coſta formetur mulier, poſſet aliquis dicere ab alio Deo formatam. Cur enim formatio ex coſta primi cogeret homines credere ab eodem Deo fuiſſe Adamum, & Euam creatos? Planè id ipſa natura perſuadet, nullus enim amat in alienis, ſed in ſuis ædificare, ad ſua quiſque afficitur magis; nec eſſet Deus, qui ad coſtam Adami confugeret, vt indè pulcherrimum mulieris opus faceret, niſi & Adamum, & coſtam eius ſuum eſſe opus cogitaret. Ex quo pulchrè Theophy-

Theoph. lus ait ædificatam Euam ex coſta Adami: *Ne exurgerent, qui dicerent: Hic Deus virum, alius formet mulierem.*

Exod. 33. Præcipis, vt educam populum iſtum, & non indicas mihi, quem miſſurus es mecum, præſertim cùm dixeris: Noui te ex nomine, & inueniſti gratiam coram me. Si ergo inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam, vt ſciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos: Reſpice populum tuum, gentem hanc.

§. X.

Maxima viro præſtantia eſt, qui non ſub aliorum titulis, ſed per ſeipſum valeat apud Deum.

HOc ſibi ſingulare Moyſes attribuit, quod notus ſit Deo ex nomine; ait enim: *Cùm dixeris: Noui te nomine, & inueniſti gratiam coram me.* Et quid magis commune omni homini, quàm quod cognoſcatur ex nomine à Deo? Nullus adeò vilis homo eſt, qui à Deo non cognoſcatur ex nomine; ſi ſcientiam Dei communem ſpectes: quod ſi ad ſcientiam approbationis confugias, qua Deus approbando cognoſcit, nullus etiam iuſtus eſt, vel in minima virtutis laude conſtitutus, qui non ſit ex nomine Deo notus. Ergo Moyſes dum ſe Deo ex nomine notum aſſerit, nihil ſibi ſingularius adſcribit, quàm id, quod commune eſt iuſtis omnibus? Imo adſcribit ſibi rem grandem, quæ in pauciſſimis reperiri ſolet, nimirùm in ſe eſſe talia merita, quæ per ſe ipſa & nota eſſent Deo, & valerent apud Dominum, etiamſi deficerent maiorum omnium tituli, & commendationes. Ait Caietan. in cat. *Noui te in nomine, hoc eſt, approbaui te nominatim, ſecundum propria tibi, & hoc ad differentiam populi, quem nouerat Deus, nõ in proprio populi nomine, ſed nominibus Abrahæ, Iſaac & Iacob, hoc eſt, non propriis, ſed alienis meritis. Significatur enim per hoc Moyſes tanta præditus virtute, vt propriis meritis approbetur, etiam ſi non eſſet filius Abrahæ, Iſaac, & Iacob.* Quid præſtantius de Moyſe dici poteſt? Ipſe ipſe meritis propriis fecerat ſibi nomen, quo noſceretur à Domino, abſque eo, quod indigeat maiorum ſuorum, aliorúmve titulis, & commendatione. Quod præſtantiſſimum eſt, & non omnium, ſed primorum hominum proprium. Matth. 1. Chriſti Domini proponens genealogiam, ait: *Ieſſe autem genuit Dauid Regem. Dauid autem Rex genuit Salomonem*, &c. Vnum Dauidem Regem vocat, Salomonem autem, nec cæteros indè progenitos minimè vocat Reges: & fuerat Salomon Rex longè florentior, quàm Dauid, & cæteri vſque ad Iechoniam fuerunt Reges. Et cur cæteros non vocat Reges, Dauidem autem ſolum Regẽ nominat? Quia Dauid ſolus notus erat Deo ex nomine Regis, vt qui illud nomen ſibi fecerat meritis propriis, Salomon autem, & cæteri magis regnabant ex meritis Dauid; ab illo hæreditarium regnum habentes, non ex meritis propriis, & ideò non noſcuntur à Deo ex regio nomine, quo ſolus Dauid in omnibus agnoſcitur. Ait Diu. Aug. lib. 1. de Mirab. ſacræ Scripturæ cap. 3. *Dauid autem Rex genuit Salomonẽ, cui non additur Regem, cum Salomon patris regno teneret maius imperium. Sed ex hoc intelligitur patris ſui Dauid regnum hæreditario iure poſſidere, & ad Dauid honorem regni plus pertinere.* Non fecerat Salomon ſuis meritis nomen regium nec alij poſt Salomonem fecerant, ſed regnum à Dauide acceperant, & propter Dauidem tenebant, ideò apud Deum minimè noti erant ex nomine regio. Id peculiare fuit Dauidis, qui vt ſolus propriis meritis ſine maiorum commendatione regnum acceperat, ſic ſolus notus erat apud Deum ex nomine Regis. Similiter Matth. 23 ait Dominus Phariſæis: *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus à ſanguine iuſti Abel. vſque ad ſanguinem Zachariæ*, &c. Expende, vt quando Abelum nominat, vocet Abelum iuſtũ, ait enim: *A ſanguine iuſti Abel*, verum cùm nominat Zachariam, non vocat iuſtum; & quidem Zacharias iuſtus erat, & à perfidis propter Deum occiſus, cur ergo Zacharias non dicitur à Deo iuſtus, quando & Abel iuſtus dicitur? Abel primus fuit, qui in ſe omnem perfectionem delineauit iuſtitiæ in virginitate, in ſacerdotio, in martyrio; ex quo cæteri omnes iuſti ſuam iuſtitiæ partem aſſumunt, illi cedentes primas, vt de cuius meritis non parum ipſi profecerint in iuſtitia. Ideò Abel præ omnibus notus eſt Deo ex nomine iuſti. Auguſt. rem multis explicat lib. 1. de Mirab. cap. 3. & dicit: *Huic Abel Dominus Ieſus Chriſtus primatum iuſticiæ hominum commiſſit, ita inquiens: A ſanguine iuſti Abel vſque ad ſanguinem Zachariæ, & non addit, iuſti; hæreditatem iuſtitiæ Abel tenere Zachariam oſtendens.* Hæc fuit Abelis præſtantia, quod ipſe propriis ſuis meritis, ſine maiorum titulis, aut cõmendatione iuſtitiæ accepit primarum, & ideò ex nomine iuſti apud Deum vocatur, cæteri autem non hoc habent, ſed ex titulis præuiſis in aliis, & exempli commendatione iuſtitiam hæreditarunt, quo factum eſt, ne illis nomen iuſti ſit ſingulare, ex quo cognoſcantur. Huc ergo ſpectent viri præſtantes, vt aliquod ſibi nomen ſingulare faciant, ne ſub titulis, & commendatione aliorum viuentes ipſi, prorſus ex ſe Deum lateant. De iis enim ait Eccleſiaſtes cap. 6. *Si genuerit quiſpiam centum*

Caietan.

Matt. 1.

D. Aug.

Matt. 23.

D. Aug.

Eccl. 6.

centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ, sepulturáque careat, de hoc ego pronuntio, quod melior illo sit abortiuus. Frustrà enim venit, & pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius. Ecce tibi quot incommoda narret hominis istius, nimirum, quod melior illo sit abortiuus, quod frustrà venerit in vitam, quod abeat ad tenebras, & sine nominis memoria sit. Et quid culpæ in illo præmittit, quæ sit causa tot incommodorum? Illud culpæ asserit, nimirùm: *Sepulturáque careat.* Et quantum hoc, quod careat sepultura homo, vt in tanta damna incidat? Sanè & multi præstantissimi viri sepultura caruerunt, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Morticina enim sanctorum sæpissimè iacuerunt obiecta bestiis, & alitibus. Cur ergo res tam parui momenti in sanctis viris facit in præsenti causam tot incommodorum? Non loquitur de materiali sepultura, sed de illa, quam quisque sibi facit in sæculorum memoria egregiis comparatis virtutibus. Ait D. Hieronym. ibi: Quod sepultura careat, hoc est, *quod nihil boni facti, & honoris egerit, ex quo sibi queat apud posteros memoriam comparare, & non vitam silentio transire velut pecudes, cùm habuerit materiam, per quam potuerit apparere, quod vixerit.* Et meritò peior est abortiuo, & frustrà venit in vitam, & in tenebras sine nomine iuit, qui cùm posset, nullum sui specimen in mundo reliquit; nihil virtutis fecit insigne, quo ostendat se aliquando fuisse. Huc conueniant Principes, & nobiles viri, qui ditissimas, splendidissimásque domos hæreditantes, nihil ipsi faciunt virtutis, quo testentur se ad illas domos venisse. Hoc spectent Prælati, qui splendidissimorum cathedras occupant, nullum dantes signum, quod ibi fuerint ipsi. Hi omnes peiores sunt abortiuis, frustrà vixerunt, & sicut pecudes in grege pertransierunt, ad tenebras se receperunt, ignoti Deo, & hominibus.

D. Hier.

§. XI.

Charitas perfecta ad clarissimam Dei visionem semper impellit.

DIcebatur paulò antè, quod Dominus loquebatur cum Moyse *facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum.* Nunc autem introducitur ipse Moyses dicens: *Ostende mihi faciem tuam, vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos. Respice populum tuum gentem hanc.* Si loquebaris iam facie ad faciem cum Deo, quid modò petis, vt tibi adhuc facies Dei ostendatur? Cur non magis quiescis in illo amicabili colloquio; sed adhuc impelleris, vt cupias videre clariùs Dei faciem? Ardebat in Moysis pectore charitas erga Deum, & proximum, vt verba illa testantur: *Inueniam gratiam ante oculos tuos. Respice populum tuum gentem hanc.* Qui autem tanta charitate madet in Deum, & proximos, non miror, quod in nulla Dei visione quiescat, semper clariorem appetens. Hæc duo in Moyse contemplatur Augustinus quæst. 151. nimirùm, & desiderium clarius Deum videndi, & in Deum, & proximos charitatem. Ait enim: *Ostendit Moyses, quod non ita videbat Deum in illa tanta familiaritate conspectum, vt desiderabat videre. Et quia in duobus præceptis, hoc est, dilectionis Dei, & proximi tota lex pendet, ideò Moyses in vtroque desiderium suum demonstrabat. In dilectione Dei, dum ait, vt sciam te, vt sim inueniens gratiam in conspectu tuo, in dilectione proximi, vbi ait, & vt sciam, quia populus tuus est gens hæc.* Ecce tibi Moyses in charitate Dei, & proximi se sublimem ostendebat, & simul visione Dei præsenti non contentus ad clariorem aliam tendebat. Sic qui in sublimi charitatis constituuntur, ad Dei visionem afficiuntur. Matth. 17. *Assumit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut Sol,* &c. Ostensurus Iesus gloriæ suæ faciem discipulis, illos prius fecit in montem excelsum ascendere. Et cur in montem excelsum? Vt ostenderetur charitatis virtus, quæ omnium virtutum celsissima est necessaria, vt quis aptetur videndo Deo, & sic eius videndi afficiatur desiderio, vt in nulla visione obscura conquiescat. Ait D. Damascenus orat. de transfigur. *Quid autem est, cur discipulos in montem excelsum subducat? Montes figurato sensu virtutes Scriptura nominat. Omnium porrò virtutum apex, ac velut arx quædam est charitas. Opere pretium est igitur, vt terrena terræ relinquentes, ac supra corpus humilitatis assurgentes, atque ad sublimissimam charitatis speculam euecti, ita demum ea, quæ aspectum omnem superant, intueamur. Nam qui ad summum charitatis verticem peruenit, quodammodo à se excedens, eum, qui cerni non potest, perspicit, atque in animæ serenitate constitutus in iustitiæ Solem liquidiùs oculos defigit, tametsi non prorsus huiusmodi spectaculo expleri queat.* Expende hæc immediata, nimirùm: *Huiusmodi spectaculo non prorsus expleri queat.* Quippè ab alto charitatis Deum vides, sed non expleris; nescit enim charitas in qualibet Dei cognitione quiescere, sed semper ad clariorem impellit; ex his, quæ in hac vita possunt haberi. Aiebat illa Cant. 3. *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea.* Quod si quæras, qui lectulus erat iste? adest Gillibert. Abb. ser. 2. in Cant. qui ait: *Ille sponsæ lectulus, ille dilectus. Lectulus dum infirmam suscipit; dilectus dum inflammat, & incendit.* Itáque ipsissimus Deus erat animæ lectulus, & dilectus. In illo iam quasi in lectulo recumbebat, eum manibus tenebat, & nihilominùs illum quærebat. Quid quæris sponsa, quem tenes? Ipse est lectulus, & locus requiei tuæ, & quando in illo es, tanquam in lectulo, cur non quiescis? Cur adhuc eum quæris? Est simul lectulus, & dilectus, & vbi amor est, vbi charitas nescit in præsenti quiescere, quantumuis Deum habeat, non reputat, quod habet, ad maiora semper clarioráque tendens. Vt pulchrè dicat Gillibert. Abbas suprà: *Sancta quadam semper eget amor auaritia. Semper enim ad secretiora exæstuat, & quæ tenet non reputans, volubili se raptat in anteriora rotatu.* Hoc est charitatis ingenium, quod non quiescat, quamlibet habet Dei notionem, Dei possessionem in præsenti ad clariorem, & præstantiorem semper sese extendit.

D. Dam.

Cant. 3.

Gill. Ab.

Gill. Ab.

§. XII.

A Christo venit, quod homines sese patienter subdant hominibus.

DVctor populi factus Moyses anxiè petebat Christi aduentum popularibus indicari, quo spectant illa verba: *Ostende mihi faciem tuam:* Iuxta Ruperti sententiam lib. 4. in Exod. c. 37. & 38. Petebat, inquam, indicari popularibus suis Christum in maximum eorum bonum, quod insinuat dicens: *Respice populum tuum, gentem hanc.* Sed cur modò instat, quod Deus suis popularibus consulat, ostendens illis Christi aduentum? Nunc primum Deus permittebat populum illum regimini creaturarum, regimini ipsius Moysis, quod vt patienter ferrent populares, sapienter petit Moyses vt illis Christus ostendatur, de cuius doctrina, & halitu venit, quod homines libenter hominum imperiis subiaceant. Hinc Luc. 2. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus Orbis: Ascendit autem, & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam, ciuitatem Dauid, qua vocatur Bethleem, eo quod essent de domo, & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. Factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies pariendi. Et peperit Filium suam primogenitum,* &c. Nascitur Christus Dominus, & apparet mundo, cùm primum vniuersus mundus describitur sub vnius imperio. Et cur expectat Deus ad nascendum, quod mundus sub vnius potestate scribatur? Cur non antea nascitur?

Exo 37. & 38.

Luc. 2.

Durum ſanè erat, quod omnes vnius ſubirent imperium,ideò Deus tunc naſcitur, vt de Chriſti naſcentis, factíque ſub lege halitu, homines eum ſpiritum biberent,quo placidè omnes vnius ſubiacerent imperio. Ait Paul.Oroſius lib.6.c.17. de hac orbis deſcriptione locutus: *Longè aliud omnes homines viuendi genus ſubeunt, vt omnes humiliter placere ſtudeant,non inſolenter offendere. Sed ad tam ſalubrem humilitatis doctrinam magiſtro opus eſt. Itáque oportunè compoſitis rebus, Auguſti Cæſaris temporibus natus eſt Dominus Ieſus Chriſtus: qui cum in forma Dei eſſet,formam ſerui humiliter aſſumpſit, vt tunc demũ aptior fieret humilitatis inſtitutio.* Quippè ante hoc tempus & pugnæ,& bella erant inter homines pro obtinendo rerum dominio,nullus ſeruire alteri volebat, ſed vniuerſi nitebantur imperium aſſumere. Temporibus Auguſti,omnis pugna,omnis contentio pro dominandi iure ſopitur,omnes præter vnum ſeruiunt,& malunt eſſe ſub iugo. Interea naſcitur Chriſtus tantæ ſubiectionis magiſter,niſi enim de eius halitu minimè poſſent omnes homines ad ſubiectionem reduci, qua placidè iugum ſubeant. Vndè viginti & quatuor Reges, Apoc.4. qui in circuitu occiſi agni erant Apocal.4. *Mittebant coronas ſuas ante thronũ dicentes: Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam*,&c. Sic agnò occiſo cedunt coronas Reges,ei referentes acceptum, quod ſibi homines And.Ca. ſubiugauerint. Quò ſpectans Andræas Cæſarienſis, ait: *Tu,inquiunt,Domine victricium coronarum auctor,& largitor extitiſti.* Sic ſapientes putãt,nullam coronam,nullum regnum in homines poſſe conſeruari, niſi de Ieſu halitu,qui vt obediens factus fuit vſque ad mortem, ſic homines currentes ſub Principum obedientia facit.

Exod. 33. Facies mea præcedet te,& requiem dabo tibi. Et ait Moyſes; Si non tu ipſe præcedas,ne educas nos de loco iſto. In quo enim ſcire poterimus ego,& populus tuus inueniſſe nos gratiam in conſpectu tuo, niſi ambulaueris nobiſcum,vt glorificemur ab omnibus populis, qui habitant ſuper terram? Dixit autem Dominus ad Moyſem: Et verbum iſtud, quod locutus es, faciam. Inueniſti enim gratiam coram me,& te ipſum noui ex nomine.

§. XIII.

Id ex Deo maiori diligentia procurare debemus,quod certò ſcimus ab illo nobis decretum.

PRomittit Deus Moyſi ſe iturum cum populo, inquiens: *Facies mea præcedet te,& requiem dabo tibi.* Cui Moyſes adhũc inſtat,quaſi nihil promiſiſſet, dum ait: *Si non tu ipſe præcedas*; ex Hebræo: *Si non facies tua iuerit, ne educas nos de loco iſto. In quo ergo ſcire poterimus ego, & populus tuus inueniſſe nos gratiam in conſpectu tuo, niſi ambulaueris nobiſcum?* Vide & poſt decretum Domini,quot communicatur Moyſes, vt trahat Deum ad promiſſa. Quid ais Moyſes? Iam non audiſti Deum decernentem ire tecum. Cur & poſt certiſſimum hoc decretum tibi notum adhuc precibus,& rationibus inſtas? Nónne fidem habes Dei promiſſis? Abſit,imò quia fidem habet promiſſis Dei, quia certò nouit decretum diuinum; ideò precibus,& rationibus inſtat, vt illud trahat ad optatum finem. Id enim maiori diligentia procurare debemus,quod ſcimus à Deo no- Mat. 16. bis promiſſum. Matth.16. Chriſtus Dominus dixit Petro: *Tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,& portæ inferi non præualebunt aduersùs ea.* Quid tunc? Dormiet iam Petrus ſecurus de Eccleſiæ prouentu quando audiuit à Deo eſſe promiſſum? Imò quia audit promiſſum,ideò maiori cura & diligentia debet ſo- D.Dam. licitare illud. Ex quo Diu.Damaſcenus orat. de Transfigurar. inquit: *Hanc Petre Eccleſiam precibus tuis ita conſerua,vt ab omni perturbatione, & fluctibus immunis ſit. Nam quod nunquam futurum ſit,vt euertatur,aut labefactetur,aut expugnetur planè confidimus, cùm Chriſtus id affirmauerit. At verò id ab eo pete,vt tempeſtas ſedetur, tumultus comprimatur, páxque tranquilla nobis concedatur. Hoc,inquam,à Chriſto ſupplex contende.* Sic quo ſecurior erat de fœlici ſtatu Eccleſiæ à Deo promiſſo,eò magis ſolicitus eſt in precibus faciendis, illáſque ab ipſo Petro poſtulat,cui facta fuerat promiſſio. Turpiter enim falluntur,qui promiſſionibus Dei ſecuri amant in vtramque aurem dormire; cum potius tunc deberent excitari ad maiores diligentias faciendas, cum certius ſciunt diuina pro ſe ſtare promiſſa. Audierat Rebbecca diuinum oracului de filiis ſuis,quod dixerat Gen.25. Gen.25. *Maior ſeruiet minori.* Quid tunc? Accipe illam Gen. 27. de promouendo minori filio ſolicitam: *Quod cùm audiſſet Rebbecca, & ille abiiſſet in agrum,vt iuſſionem patris impleret,dixit filio ſuo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Eſau fratre tuo, & dicentem ei: Affer mihi de venatione tua,& fac cibos,vt comedam,& benedicam tibi coram Domino,antequam moriar. Nunc ergo,fili mi, acquieſce cõſiliis meis,& pergens ad gregem,affer mihi duos hœdos optimos,vt faciam ex eis eſcas patri tuo*,&c. Hæc illa cogitauit,& multis perſuaſit filio, à quo accepit hœdos, quos marito parauit, & eorum pellibus, & filij manus, & colli nuda contexit,vt ſic patrem falleret,& maioris fratris benedictionem acciperet. Et vnde tam ſolicita mater pro extollendo minore filio? Si credit oraculo dicenti maiorem illum futurum, cur non magis indè quieſcit, & ſinit ordinario curſu res ire, certa quod Deus ſuum decretum deducet ad exoptatum finem? Imò quia credit oraculo, & certo noſcit decretam à Deo promotionem minoris filij,non quieſcit, ſed omnem mouet lapidem, vt ita fiat. Pulchrè ait Theodor. Theodor. quæſt.78.in Gen. *Prænouerat ex Deo, Rebbecca,omnium authore,quod maior ſeruiturus eſſet minori. Vndè confidens illi prophetiæ,omnem mouit lapidem, vt Iacob benedictionem paternam conſequeretur.* Sapiens mulier vbi filij minoris promotionem audiuit à Deo decretam,indè magis ſolicita fuit, & maiora,pluráque fecit pro illo promeuendo. Hoc enim proprium eſt diuinarum promiſſionum,non vt dormiamus,ſed vt excitemur ad negotianda ea omnibus modis,quibus poſſint obtineri.

§. XIV.

Diuini ſpiritus eſt,non in parte,aut dimidiate,ſed integrè ad bona procedere.

DIcebat Deus: *Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.* Et Moyſes ſtatim reſpondit: *Si non tu ipſe præcedas,ne educas nos*, &c. Quid ais, bone, faciei ſuæ præſentiam promittit Deus,& tu inſtas,vt magis præcedat ipſe? An quando dicitur proceſſura eius facies, non intelligitur & ipſe proceſſurus? Cur adhuc dubitas, quod ipſe præcedet, quando facies eius promittitur proceſſura? Sapienter dubitat, quod præcedet ipſe,quando audit faciem proceſſuram; in parte enim,& dimidiate procedere commune eſt creaturis; diuini autẽ ſpiritus proprium eſt,quod non in parte, & dimidiate, ſed totaliter procedat, & integrè. Ad hæc Rupert. Rup lib.4.in Exod.c.38.inquit: *Ait ergo Moyſes: Si non tu ipſe præcedas,ne educas nos de loco iſto. Quia per faciem poterat intelligi Angelus, qui ad deiiciendũ Chananæũ hominẽ ſufficeret.* Equidẽ dum ſolã faciem præceſſurã audit, nihil audit præceſſurum, quod non ſit commune creaturis, quarum eſt per partes,& dimidiatẽ ſeſe communicare amicis. Ideò adhuc pro Deo obtinẽdo inſtat, cuius eſt integrè,& totaliter ſe dedere ſuis. Rem oſtẽdo in Exod.cap.34.vbi dicitur: *Cum deſcenderet Moyſes* Exo.34. *de mõte Sinai,tenebat duas tabulas teſtimonij,& ignorabat, quod cornuta eſſet facies ſua.* Hebraicè dicitur: *Ignorabat, quòd*

quòd radians esset facies sua. Chaldæus legit; *Nesciebat, quod multiplicatus esset splendor vultus eius.* Sic Moysis
Mat. 17. facies tota radiabat splendore. At Matth. 17. vbi Iesus ascendit cum discipulis suis montem Thabor, ibique orationi vacat, sic coram eis transfiguratur, vt dicat textus: *Resplenduit facies eius sicut Sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* Ecce tibi in Moyse facies, in Iesu & ipsa vestimenta resplendent. Et cur in Iesu splendent vestimenta, nisi vt ostendatur Dei, & creaturarum differentia in illuminandis, & fouendis gentibus? Creatura enim solum in parte, & dimidiate, Deus autem integrè, & totaliter conuenit, vt lumen suis prę-
D. Ephr. stet. Ait D. Ephræm ser. de Transfig. *Hoc autem dixit: Facta sunt vestimenta eius alba, sicut nix. Etenim ostendit, quod ex toto eius corpore eius gloria scaturiit, & ex tota eius carne resplenduit eius facies, & ex totis eius membris resplenduerunt radij. Non enim sicut Moysi, eius facies resplenduit,* &c. Proh Deus! quàm alius est diuinus spiritus in illuminandis hominibus, fouêdísque lumine suo; ac est spiritus humanus. Homo solum in parte, creatura dimidiate procedit; Deus autem integrè, ex toto se, ex facie, ex manibus, ex pedibus sese impendit in lucè pro hominibus. Nulli non se integrè communicat Deus
Cant. 2. amico. Sic dicebat illa Cant. 2. *Dilectus meus mihi: & ego illi.* Non facies, non manus sola, sed totus dilectus vni sponsæ intendere dicitur, & tota sponsa vni intêdit dilecto, sic enim vbi mediat diuinus spiritus, nihil dimidiatum permittit. Vt verè dicat Gillibertus Abbas ser. 11. in Cant. *Quam durum est amanti animum dimidiare cum Christo, & mundo? Quam durum est in dilectionis iura peregrinas admittere curas, & cœleste secretum sæcularibus infestaretur bellis?* Equidem durissimum est animæ possessæ à diuino spiritu dimidiatè procedere in Dei obsequio, & non integrè. Diuinæ enim charitatis in cordibus nostris diffusæ proprium est nihil dimidiatum noscere in iis, quæ Dei sunt, sed ad eum ferri ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus. Sic semper diuinus spiritus ad integritatem festinat. Quippè ait
Hierem. Hierem. c. 24. *Ecce duo calathi pleni ficis, positi ante Domini: Calathus vnus ficus bonas habebat nimis.* Quæ ficus erant circa templum, non vtcunque erant bonæ, sed erant bonæ nimis, dum sui perfectionis integritatem implent, non enim aliter essent in conspectu diuino.
Hier. Quò respiciens ait D. Hier. epist. ad Eustochium de acceptis munusculis: *Optemus te de illis pomis fieri, quæ contra templum Dei sunt, de quibus Deus dicit: Quia bona, bona valde. Nihil quippè Saluator medium amat.* Non equidem Dei spiritus sibi multum complacet in his, quæ dimidiatè, & ex parte tantum bona fiunt.

§. XV.

Is est diuinus spiritus, qui sui gustum etiam persequentibus tribuat.

GLorioſum Israëlitarum transitum per aduersarias nationes optans Moyses enixè contendebat Dei præsentiam populo suo acquirere. Ait enim. *In quo scire poterimus ego, & populus tuus inuenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaueris nobiscum, vt glorificemur ab omnibus populis?* Ecce vt putat necessariam diuinam præsentiam Israëli, vt illum glorificent vniuersæ nationes etiam aduersariæ, etiam hostiles. Et quomodò fieri poterat etiam per Dei peculiarem præsentiam Israëli assistentem, quod populi adeò contrarij, & inimici adducerentur, vt glorificarent Israëlitas? Equidem spiritus diuinus assistens Israëlitis is est, vt si approximetur in suis, nequeat non præbere etiam contrariis, etiam hostibus sui gustum, vt conuersi dicant apud Iudæos esse verum Deum, verámque salutem. Ex quo aiebat
D. Prosp. D. Prosper. lib. 2. de vocat. gent. c. 15. *Ille ignis dilectionis, quem in cordibus fidelium Spiritus sanctus accenderat, nullo modo ab opprimentibus poterat extingui, cum & qui cruciabantur, vehementius inardescerent, & qui sæuiebant, eandem, quam persequebantur flammam, sæpe conciperent.* Quid pulchrius? Ipsi persecutores, ipsi hostes fidelium, qui in eis Dei spiritum persequuntur, solent ipsius diuinitatis gustum percipere, & conuersi glorificare, & extollere eos, in quibus experti sunt diuina. Proh diuinissima Dei facies, quæ fidelibus suis assistens inde persequentibus se immittit faces, quibus in salutem ardeant. Actor. c. 6. locutus textus de persecutori- Actor. 6.
bus Stephani, dicit: *Rapuerunt eum, & adduxerunt in Cœcilium, & statuerunt falsos testes,* &c. *Et intuentes eum omnes, qui sedebant in Concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli,* &c. Quid tunc? Ipse Dei martyr in Concilio constitutus malignantium, Angelicam exhibens faciem, iis radiis contrariorum conscientias verberabat, quibus illuminati conuerterentur, vt conuersus fuit Paulus. Pro quo aiebat Eusebius Gallicanus Euseb.
ser. de Sancto Stephano fatus: *Aspectu Angeli facies impiorum cæduntur, & lapidantium conscientiæ, lapidati lumine percussæ, agnitionis cereis lapidantur.* Sic de prælucente Angelica Stephani facie cereæ prosiliebãt faces, quæ vel hostes in agnitionem traherent veritatis. Hinc conuersurus Dominus mundum vniuersum pauperes piscatores elegit, quibus ait Matt. 10. *Ecce ego mitto vos* Mat. 10.
sicut oues in medio luporum. Oues mittit ad lupos, vt trahat ad se & lupos. Sed lupi sunt hostes ouium, illas persequentur, dilacerabunt, comedẽt. Cur ergo, Domine, vt trahas lupos, mittis eis oues? Equidem tanta est virtus mittentis, vt dum ipse adsit ouibus, vel ipsos lupos in sui gloriam conuertet. Ait D. Cxryſ. ser. de Pentecoſte: *Non habentes humana solatia, habentes autem Dominum suum; Ego enim, inquit, vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi; peragrarunt vniuersum Orbem terrarum oues simul cum lupis. Quis vidit? Quis audiuit? Dicit; Mittam vos, vt oues in medio luporum. Quis, inquam pastor, oues mittit in medio luporum? At verò Christus oues ad lupos direxit, & vulneratæ à bestiis non sunt, sed magis lupi ad ouium mansuetudinem sunt conuersi.* Vbi Christus erat cum ouibus suis, vel lupi ipsi ouium virtutes stupebant, ad illásque sese conuertebant. Chryſoſt.

Exod. 33. Qui ait: Ostende mihi gloriam tuam. Respondit: Ego ostendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te; & miserebo, cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit. Rursúsque ait: Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo, & viuet.

§. XVI.

Regius animus est; cuius fiducia orta de corde puro non hæret in arcto creaturæ, sed euolat ad Dei celsissima.

VIde regium spiritum Israëlitici ducis, quippè ait ad Deum: *Ostende mihi faciem tuam.* Solent alij petere victorias, de hostibus diuitias, longitudinem vitæ. Pro hac fleuit Ezechias. 4. Reg. 20. Salomon au- 4. Reg. 20
em nec vitam nec diuitias, nec victorias requirens, sapientiam ciuilem ad gubernandum postulauit. 3. Reg. 3. 3. Reg. 3.
3. lis regalior Moyses omnia calcans creata, diuina sibi credit posse dari, & diuina contendere audet, aiens: *Ostende mihi faciem tuam.* O regalissima optimi ducis anima, quæ nullius maculæ conscia super omnes creaturas sciuit volare, nihílque ab illis sibi timere, nec sperare, fidens se posse habere Deitatẽ! Pulchrè de hac fatur D. Ber. ser. 32. in Cant. fatus: *Iam verò magnis patris-* D. Bern.
familias, seu regiæ maiestatis schema apparere existimo, his, qui accedentes ad cor altum de maiori spiritus libertate, & puritate conscientiæ magnanimiores facti consueuerunt audere maiora, apprehendere sublimiora, non modò sensuum, sed & virtutum. Hi enim pro fidei magnitudine digni inueniuntur, qui inducantur in omnem plenitudinem.

Talis erat Moyſes, qui audebat dicere : Oſtende mihi te ipsũ. Talis Philippus, qui ſibi, & condiſcipulis patrẽ flagitabat oſtendi. Tales itaque magna audent, quia magni ſunt, & quæ audent, obtinent. Magna ſiquidẽ fides magna meretur. Expende illud primò poſitũ, nimirùm: *Regiæ maieſtatis ſchema.* Quippè denotat in nobis animũ regiũ, nõ diadema, ſed fides, quæ omnes creaturarũ abſorbeat metus, & ea fidẽter ſpectet, quæ intra diuinitatis claduntur metã. Propter huius defectũ caſtigãtur à Ieſu mũdi Principes. Apoſtoli electi ad ſubiugandam terrã. Ij, dũ in nauicula dormit Ieſus, experti ſunt ingentẽ vẽ-
Matt. 8. torum rebellionem Matth. 8. & iam inferiores tempeſtati facti currunt ad dormientem : *Domine, ſalua nos, perimus.* Quid tunc Ieſus ? Illorum fidei paruitatem arguit, dicens : *Modicæ fidei, quare dubitaſtis?* Sed in quo illorum fidei paruitas apparuit ? Nónne ipſi ad Deum currunt? Nónne ab illo ſalutem expoſcunt? Vnde aliorum fides apparuit, niſi quia in neceſſitatibus ſuis ad Ieſum confugiebant ? Et quando Apoſtoli ſimiliter ad Ieſum confugiunt, eiúſque exorant potentiam; in quo paruam fidem oſtendunt ? Sanè parua fides erat, & minimè orta ab animis regiis, quæ ſe ſubmiſerat creaturarum metui, & nihil ſupra creaturas audebat. Ad hæc
Baſil. Sel. pulchrè D. Baſil. Sel. orat. 22. ait: *Vult Dominus fidei vim rebus conditis eſſe valentiorem, & ad fidei præſentiam omnem ab anima deſperationem eliminari.* Ea in regiis animis requiritur à Deo fides, quæ ſe ſupra omnes creaturas euehat, nihil ſibi ab illis metuens, nihílque non ſperans ex Deo, quantumuis magnum ſit, & inſuetum. Sanè hanc fidem vniuerſa mala verentur. Decreta erat ſententia mortis aduersùs Niniuitas, tunc Rex eorum
Ionæ 3. Ionæ c. 3. *Clamauit, & dixit in Niniue ex ore Regis, & Principum eius: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non guſtent quidquam*, &c. *Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Deus ?* Sanè magnæ fidei clamor erat, qui poſt latam, denunciatámque ſententiã adhuc poſſe iudicem placari ſperat. Benè dicitur, quod hic clamor exiuerit *ex ore Regis, & Principum eius.* Solus enim regius animus tantam fidem poſſet concipere de Deo. Quid tũc? *Miſertus eſt Deus ſuper malitia, quam locutus fuerat.* Ve-
Baſil. Sel. nerunt dies decretæ mortis, & mors minimè venit. Et cur mors non venit? Ait D. Baſil. Sel. orat. 20. *Mortis ſententia reorum fidem reuerita inflexa eſt.* Vbi tam regia fides in Niniuitis apparuit, quæ vel contra Dei ſententiam & ſperare, & expoſcere auderet, vniuerſa mala illam reuerita fuerunt, & non acceſſerunt.

§. XVII.

Magna puritas à terrenis contagiis neceſſaria eſt, vt Deus percipiatur in vitam.

EXuat hominem, ab omni terrena grauedine alleuetur, qui Deum ad vitam percipere amat. Dicit enim Dominus : *Non videbit me homo, & viuet.* Quæ
D. Amb. verba ponderans D. Ambr. in cat. ait : *De homine dixit, Deſiſte hominis habere peccata, & videbis faciem meam. Eſto Angelus, diuini miniſter imperij, obſequere mandatis Domini. Cum fueris Angelus, videbis faciem Domini. Aduertis, quid à te exigatur, vt videas Deum ? Emunda igitur cor tuum, vt quaſi nouum creetur renouato ſpiritu. Omnes pollutas cogitationes de corde tuo abiice, nihil ſit, quo tuus inquinetur affectus. Simplex mens, pura ſinceritas ſit. Talibus ſe Dominus, cum inuolucrum corporis depoſuerint, demonſtrare dignatur.* Non paret Deus terrenis hominibus, ſed iis, qui corporalia, & terrena deſideria attenuauerint, ad Angelicámque puritatẽ proprius acceſſerint. Chryſtallo purior ſit, & ſubtilior graui elemento, qui velit in ſe diuinitatem apparentem in vitam ſuſti-
Gen. 1. nere. Gen. 1. ait. *In principio creauit Deus cœlum, & terram. Terra autem erat inanis, & vacua ; & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Non ſuper terrã, ſed ſuper aquas ſpiritus Domini viſebatur. Et cur non etiã ſuper terrã? Veniebat Dei ſpiritus vt viuentia multa generaret, ideò cauit apparere ſuper terrã, ſed ſuper aquas apparuit. Tota námque puritas, & ſubtilitas aquæ neceſſaria erat, vt ſuſtineret Deum vitalia operantem. Ait Theophylus Anthioch. *Theoph.* lib. 2. ad Autolium: *Spiritum, qui ferebatur ſuper aquas, largitus Deus creaturæ, vt eius opera poſſit producere viuentia, non ſecus ac homini animam attribuit, tenue tenui comminiſcens. Spiritus ſua natura tenuis eſt, itidem & aqua.* Tota aquæ ſubtilitas, & puritas neceſſaria fuit, vt illi ſe crederet & ſubtilis, & purus Dei ſpiritus, vt ſic viuentia poſſent produci. Quando enim ſpiritus Dei tenuis eſt, ab omníque terræ alienus craſſitie ; ſic purámque, & cryſtalinam aquæ amauit mundiciem ; nullóque proprius diſponitur quis ad percipiendum illũ, quam ſi à ſe terrena omnia ableget longiſſimè. Apud Luc. c. 9. vbi gloria transfigurationis dominicæ deſcri- *Luc. 9.* bitur, dicit textus: *Et facta eſt, dum oraret, ſpecies vultus eius, altera : & veſtitus eius albus, & refulgens. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyſes, & Elias, viſi in maieſtate, & dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem. Petrus verò, & qui cum illo erant grauati erant ſomno.* Ieſus in gloria fulgens diuinitatis ſuæ clariſſima profert teſtimonia ; & interea Apoſtoli dormiunt. Quid infœlicius ? Poſſent videre Ieſu gloriam, ſi non dormirent. Cur Domine illos permittis dormire, quando eis manifeſtas tuam gloriam? Cur non magis facis vigilare, vt videant tuæ diuinitatis ſplendorem ? Meritò tali occaſione permittuntur dormire, tunc enim maximè præparatur quis, vt percipiat Dei gloriam, quando ad terrena omnia claudit oculos. Ait Andreas Cretenſis ſer. de Transfigurat. *O* *And. Cr.* *miraculum! Propter veriſſimam naturæ extaſim graui ſomno, & metu correpti, obſtrictis ſenſibus, cum omnem intelligendi motionem, & apprehenſionem omnino amiſiſſent, ita in diuina illa caligine cum Deo verſabantur, eo quod omnino non viderent, videre ipſum acquirentes.* Tunc acquirebant videre Deum, quando clauſis oculis mortuorum ſimiles nihil terrenum videbant. Alienus debet eſſe à terrenis, qui proximus fit percipiendo Deo. Hinc euigilans Petrus Matth. 17. clamabat: *Domine bonum eſt nos* *Mat. 17.* *hìc eſſe.* In deſerto erat, ab omni hominum conſortio remotus, & putat bonum eſſe ibi manere. Cur non magis petit, vt ſic Dominus Hieroſolymam eat? Vt ſub tanta gloria ſeſe hominum conſpectibus manifeſtet? Sapienter hoc cauit, & mauult in deſerto manere, vt qui ſciat terrenorum conſortium videndo Deo, impedimento eſſe. Ait etiam Andræas Cretenſis vbi ſuprà : *Domine* *And. Cr.* *bonum eſt nos hìc eſſe. Quamobrem Petre? Vt à turbulenta, inquit, hominum vexatione liberati, & anima, & ſenſu per ſeparationem à turbis purgati inexplicabili tuæ diuinitatis apparitione hìc fruamur ſine intermiſſione.* Meritò petebat ſeceſſum à terrenorum conſortio, vt frui poſſet apparitione diuinitatis.

Exod. 33. Ecce, inquit, eſt locus apud me, & ſtabis ſupra petram, cúmque tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec tranſeam ; tollámque manum meam, & videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non potes.

§. XVIII.

De ſola Chriſti mortis coniunctione habent noſtra opera, quod diuinas acquirant gratias.

STo à ſententia Patris Vazquez diſp. 55. in 1. par. c. 4. nihil de apparitione diuinæ eſſentiæ ſecundum ſe in iis, & præcedentibus verbis ſuſpicantis. Planè omnia verba hæc nihil immenſum, & ſpirituale ſonant ; vbi enim tranſitus eſt, & diſtinctio inter faciem,

& poſte

& posteriora, & manus obtegens speluncæ ostium; certius indicant rem corporalem. Quale absque dubio erat corpus præstantissimum assumptum à Deo, vt gloriam suam Moysi demonstraret. Quod corpus adeò fulgebat à facie, vt fulgoris magnitudine, & vehemẽtia sensus humanos labefactaret; à tergo autem emittebat radios magis temperatos hominis captui. Huius corporis gloria nube operta admittebat Moysem ad Dei colloquium; quam gloriam Moyses videre appetit nube ablata; negat Dominus videri ex facie, ne Moysis excessu splendoris perdatur, à tergo tamen videndum se ostender, dum primum Moyses in cauerna petræ abscondatur, cuius os à Deo obstructum sit, vsque dum tantisper Deus pertranſit, vt inde non ex facie sed à tergo videatur. Sed cur necessum fuit ad hoc, vt Moyses in foramine petræ sepeliretur? Sanè vt aurea totum hoc glorioſum corpus tectum erat nube, & sic cum Moyse loquebatur, posset etiam à tergo solum detegi, & sic transire coram Moyse existente aperto in campo. Cur ergo quæritur foraminosa petra, in eiúsq; includitur foramine Moyses, ibique tegitur, vt videat Dei posteriora, non faciem? Sanè hoc ita fit, vt ostendatur, vnde habeant iusti, quòd cœlestes acquirant gratias, nimirùm ex foraminosa petra dominicæ sepulturæ, siue ex foraminosa petra Christi corporis passi, ex eo enim quod nostra opera diuinis vulnerum foraminibus iungantur, & Christo consepeliamur, habemus ad nos profectas cœlestes gratias. Iosue 24. tanti ducis mors dum exprimitur, dicit text. *Post hæc mortuus est Iosue filius Nun, seruus domini, centum, & decem annorum: sepelierúntque eum in finibus possessionis suæ.* Quæsic ponit D. Cyril. Alexand. lib. 4. in Ioann. cap. 51. *Et post hæc mortuus est Iosue filius Nun, seruus Domini centum, & decem annorum: sepelierúntque eum in finibus possessionis suæ, & in sepulcro eius posuerunt cultros lapideos, quibus circumcidit filios Israël.* Ecce in ipso Iesu sepulcro conduntur cultri, quibus peracta fuerat Israëlitarum circunciſio. Sed ad quid circunciſionis cultri inferuntur sepulcro? Cur tantæ religionis instrumenta non magis pro tabernaculi foribus appenduntur? Sanè sepulcro Iesu inferebantur cultri, vt ostenderetur, vnde proficeret omnis humana virtus, & religio, nimirùm ex veri Iesu sepulcro. Ait pulchrè D. Cyril. suprà: *Non enim absque causa cultri eodem cum illo in loco positi sunt, verum vt nos discamus circunciſionis spiritualis gratiam, quæ bonorum cœlestium nobis est pronuba, Saluatoris morti esse affixam.* Equidem quæ virtus nobis cœlestium bonorum pronuba est, Saluatoris morti est affixa; nihil enim valerent actus nostri, nisi de Iesu sepulcro reuiuiscerent. Nullus puret se de gloria cœlesti vel gustũ posse percipere; nec vllum ostendere profectum vitę, nisi de Iesu passione potestatem accipit. Hinc Lucæ ca. 22. dum in horto Iesus orat: *Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Cur Domine tui sanguinis profusionem anticipas? Profundendus est cito in caluariæ loco; ad quid necessum est etiam in horto profundi? Profundit in horto, vt clarius ostendat, ex quo habeant viuere plantantiones virtutum. Ait D. Ambr. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 18. *Consummaturus Iesus susceptæ carnis officia, cum perfectionem in discipulis iam videret, quos verborum suorum radice fundauerat, hortum ingreditur, vt olearum nouellas in domo Domini plantaret, & istum palmæ florentem modò, vitémque fœcundam riuo sui sanguinis irrigaret.* Nouit sapientissimus hortulanus nullas palmas iustorũ, nullos flores virtutũ nisi de diuini sanguinis rigatione posse exsurgere.

Iosue 24. — D. Cyril. — D. Cyril. — Luce 22. — D. Amb.

§. XIX.

Deus in hoc sæculo quàm citò se animæ conspectui subtrahit.

QVis neget iustos homines à Deo aliquando visitari? Sed illud vnum scio, quod non diu maneat Deus apud hominem in visitatione sua, dum in hac vita sumus. Venit equidem ad suos, sed adeò festinè se suscipit, vt vix liceat illum videre nisi à tergo, & iam abeuntem. Sic amicissimo Moysi dicit in præsenti: *Cùm transibit gloria mea, &c. videbis posteriora mea.* Sic festinanter accedit, sic festinanter se subtrahit; vt licet accurras, non videas nisi tergum, non videas nisi abeũtem. Quod forsan experta in se sponsa non satis mirata ingenium sponsi fugitiuum ait Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes?* Meritò quærit, vbi cubet; quando nulla est anima in hoc sæculo, quæ posset dicere in me cubat, hoc est, in me requiescit diu. Sed vix accedit exoratus, quando & se subtrahit. Accipite D. Bernard. pulchrè differentem serm. 32. in Cant. *Desiderium cordis eius tribuetur iusto, etsi adhuc peregrinanti in corpore. Ex parte tamen, idque ad tempus, & tempus modicum. Nam cùm vigiliis, & obsecrationibus, & multo labore quæsitus affuerit, subitò dum teneri putatur, elabitur: & rursus lacrymanti, & insectanti occurrens comprehendi patitur, sed minimè retineri, dum subitò iterum quasi è manibus euolat. Ita ergo & in hoc corpore potest esse de præsentia sponsi frequens lætitia, sed non copia: quia & si visitatio lætificat: sed molestat vicissitudo.* Quis sapientius? Satis notat sanctissimus pater Dei visitationes, sed & satis notat eius fugas citissimas. Nescit diu morari in hoc sæculo, nescit sedi hærere diutius? sed quamprimum elabitur, vt vix aliud prius videas, quam tergum abeuntis. His simile habes Cant. 5. *Vox dilecti mei pulsantis. Aperi mihi soror mea.* Est statim subdit: *Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque transierat.* Qui amanter aderat, qui multis pulsauerat, vt aperiretur sibi: vbique aperit sponsa, iam declinauerat, atque transierat, nec posset nisi à tergo videri. Cur hoc? Ait D. Ambr. serm. 12. in Psalm. 118. *Ergo dum aperit, transit sponsus. Vult enim semper quæri, frequentius inueniri.* Nescit diutius quiescere sponsus, sed frequentibus fugis se eripit suorum conspectui. Quo referenda sunt dicta 1. tom. in Euang. lib. 2. cap. 11. §. 1.

Cant. 1. — D. Bern. — Cant. 5. — D. Ambr.

Exod. 34. Ac deinceps: Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas instar priorum. Esto paratus mane, vt ascendas statim in montem Sinai, stabisque mecum super verticem montis. Nullus ascendat tecum, nec videatur quispiam per totum montem, boues quoque, & oues non pascantur è contra. Excidit ergo duas tabulas lapideas, quales antea fuerant, & de nocte consurgens ascendit in montem &c.

§. XX.

Gratia amissa proprio labore, & sudore est ab homine reparanda.

PRimas acceperat Moyses tabulas factas Dei opere, vt notat Exod. 32. modò vbi semel confractæ instaurandæ sunt, earum opus mandatur Moysi. Dicit námque: *Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorũ.* Hebraicè: *Dola tibi*, &c. quippè quod Deus per se in humanis cordibus facit, si per peccatum perdatur, nequit nisi de multo peccatoris labore, & sudore reparari. Quò respiciens Caietan. ait: Et dicit Deus Dola tibi duas tabulas: *Prima siquidem vice, ego tabulas dedi, dolaui, & scripsi, tanquam ex me operans, modò autem tuis precibus operaturus, volo, vt doles tu tabulas.* Ne putes reparationis rem in solis precibus consistere, sed & precibus manus adiunge, multo enim sudore, & labore indiget, qui Dei dona amissa in se reparare studet, nisi tu ipse labores, gratiam amissam minimè reparabis. Isaias cap. 6. *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, &c. Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius*

Caiet. — Isaiæ. 6.

calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur a te iniquitas tua. Et quidem Iſaias & pro ſe, & pro populo fleuerat, tam ſui, quam populi oſtenderat maculas in labiis, quas amaris lacrymis rigabat. Cur Seraphim ad Iſaiæ ſolius purificationem venit, & non etiam populum purificauit tantis prophetæ lacrymarum riuis exundatum? Seraphim mundat ſolum quem videt laborantem; quæ enim mundities poſt peccatum eſt recuperanda, propriis gemitibus, & laboribus poteſt recuperari. Populus autem in ſua immunditia manſit, quia ille per ſe nihil fecerat, nihil laborauerat. Ait D. Hier. epiſt. 1. ad Damaſum: *Eſaias, qui compunctus eſt, & ſe miſerum conteſtatur, purgatione dignus efficitur; Populus verò non ſolum non agens pœnitentiam, ſed nec ſciens quidem, quia labia habebat immunda: purgationis remedium non meretur.* In quo fuit opus, & labor, in eo fuit & munditiei reparatio; qui nihil egit, nec doluit, nec agnouit maculas, etiamſi pro ſe haberet prophetæ lacrymas tamen ſordidus permanſit. Ex Ionæ cap. 3. habes: *Cœpit Ionas introire ciuitatem itinere vnius diei, & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium*, &c. Sic viri Niniuitæ audientes iram Dei imminentem, nihil petunt à propheta, ſed confugiunt ipſi ad opera peragenda pœnitentiæ. Similqm iræ ſententiam ſibi imminere audit Simon Magus ex Apoſtolis, & plenus metu ait Actor. 8. *Precamini vos pro me ad Dominum, vt nihil veniat ſuper me horum, quæ dixiſtis.* Compone modò Simonem hunc cum Niniuita, vterque peccator, vterque imminentem audit pœnam, vterque timet, & curat à ſe malum propellere. Sed Niniuita incolumis euadit: Simon autem perit. Niniuitæ pœnitentia placauit Deum: Simonis irrita manſit pœnitentia. Vnde illi placèt, hic diſplicèt? Sanè Niniuitæ audita Dei ſententia, nihil à Iona petunt; ſed ipſi ſtatim ad ieiunia, ad ſaccos, & cinerem confugiunt: Simon autem totam rem Apoſtolorũ precationi remittit, dicẽs: *Precamini vos pro me*, & interea nihil facit ipſe, nullum laborem pro ſe ſumit, ideò nõ cauet ſui ruinam. Quò ſpectans D. Chryſ. hom. 18. in præſenti fatur: *Oportebat illum pœnitentiam agere, oportebat plorare.* Non equidem res erat aliorum laboris, ſed proprij, non erat res ponenda omnino in aliorum prece, ſed magis propriis laboribus, proprijſque ſudoribus negotianda. Mirabilis in hoc Dauid, qui poſt peccatum videns Nathanum prophetam arguentem, & multa acerba ſibi denuntiantem. 2. Reg. 12. in hæc verba ſola prorrupit: *Peccaui Domino*: nec à propheta petiit, vt Deum pro ſe oraret. Et quis Princeps non magis prophetæ preces ſolicitaret? Quis princeps peccati conuictus non contentus eſſet, ſi à propheta, ſeu Sacerdote, ſeu religioſa aliqua perſona peteret, vt pro ſe preces funderet? At ſapientiſſimus Dauid in re gratiæ reſtauranda, non aliorum preces, ſed magis proprios labores, & dolores ſpectauit. Ex quo pulchrè D. Ephr. ſerm. de Pœn. fatur: *Exauditúſque eſt Dauid, non per Sacerdotem, ac legem ſed per pœnitentiam.* Proprius itáq; labor adhibendus eſt ab illo, qui velit reparare amiſſam gratiam.

Ioná 3. Actor. 8. Chryſoſt. 2. Reg. 12. D. Ephr.

§. XXI.

Vacuanda eſt mens temporalium curis, vt Deo impleatur.

QVi ſe præparabat, vt Deum caperet, ei meritò dicitur: *Nullus aſcendat tecum, nec videatur quiſpiam per totum montem, boues quoque & oues non paſcantur*, &c. Sunt etenim, qui omnia temporalia habẽt in corde ſuo, nec ſeſe Deo ſiſtere poſſunt, quin & ſeruos, & amicos, & filios, & oues, & boues, & ſata mente volutent. Deus bone, quàm difficile in hos poſſunt peruenire diuina. Omnium ergo curas abiiciat, nec permittat ſecum eſſe creaturam vllam, qui fructuosè velit ſe Deo ſiſtere. Quod monens diuinus Spiritus clamat, Cant. 5. *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea*, tunc enim anima Deo aperitur, cùm clauditur mundo, & iis, quæ à Deo aliena ſunt. Quæ verba pulcherrimè ab Ambr. tractantur lib. de Iſaac cap. 6 ſante: *Aperi, inquit, mihi ſed extraneis claude, ſæculo claude, neque ipſa foras ad illa materialia prodeas, neque tuum relinquas lumen, & alienum requiras. Aperi ipſam te mihi, noli coarctari, ſed dilatare, & adimplebo te.* Ecce tibi, vt ſe prius debeat claudere mundo, & temporalia à ſe abiicere, vt nihil ſibi temporale reſeruet, qui Deo impleri cupit. Hinc ipſa de ſe locuta ait Cant. 5. *Surrexi, vt aperirem dilecto meo; manus meæ diſtillauerunt myrrham.* Non aliter aperit, niſi manibus myrrham diſtillans, qua ſe oſtendat ſæculo defunctam. Vt dicat D. Ambr. vbi ſuprà: *Talis debet eſſe anima, quæ verbum eſt receptura, vt moriatur mundo, & cõſepeliatur in Chriſto. Sic enim Chriſtus inuenitur, & tale ſibi quærit hoſpitium.* Prius vacuetur homo mundiali omni affectu; nulla creaturarum memoria in illo viuat, & habet Deum ſibi familiariſſimum. Fœlix ille, qui ſeſe omni vacuauit creatura; is ſanè non habet impedimentum vllum, ne Deum excipiat, eique appropinquet. Hinc Moyſes Exod. 3. prohibetur à Deo accedere ad viſionem rubi, quin prius calceos exuat, ait enim: *Ne appropries huc, ſolue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Sed & terra montis, ad quem ſacrificaturus Abrahamus perrexerat, terra ſancta erat, vt quę proprio vocabulo dicebatur: *Dominus videbit*, & quæ erat deſignata futuro templo. Nihilominùs nõ cohibetur Abrahamus illo accedere: quippè de Abrahamo, & filio ait Gen. 22. *Pergebant ergo pariter, & venerunt ad locum, quem oſtenderat ei Deus. In quo ædificauit altare, & ſuper ligna compoſuit*, &c. Ecce tibi vt terram diuinæ apparitionis aſcendit Abrahamus, nec cohibetur, nec mandatum accipit de nudandis pedibus. Cur ergo cohibetur Moyſes ne appropriet, & non cohibetur Abrahamus? Ibat Abrahamus omni nudus affectu carnali; ſic à corde ſuo abiiciens creata omnia, vt nec parceret proprio filio; meritò inde non cohibetur, ſed admittitur, vt Deo ſe ſiſtat. Ait Orig. ibi: *Moyſes cum veniſſet ad locum, quem oſtendit ei Deus, non permittitur aſcendere, ſed antè ei dicitur, ſolue corrigiam calceamenti de pedibus tuis. Abrahæ nihil horum dicitur, & Iſaac, ſed aſcendunt, nec calceamenta deponunt. In quo illa fortaſſis eſt ratio, quod Moyſes quamuis eſſet magnus, tamen de Ægypto veniebat, & erant aliqua mortalitatis vincula pedibus eius annexa. Abraham verò nihil horum habet, ſed venit ad locum, ædificat altare*, &c. Prohibetur à Deo ille, qui ſecum mortalia quædam, & temporalia ducebat: ille autem, qui nec filio parcit, ſed omne temporale à ſuo corde expellit, is maximè aptatur Deo excipiendo.

Cant. 5. D. Amb. Exod. 3. Gen. 22. Orig.

Exod. 34. Cúmque deſcẽdiſſet Dominus per nubem, ſtetit Moyſes cum eo, inuocans nomen Domini. Quo tranſeunte coram eo, ait Dominator Domine Deus miſericors, & clemens, patiens & multæ miſerationis, ac verax, qui cuſtodis miſericordiam in millia, qui aufers iniquitatem & ſcelera atque peccata, nullúſq; apud te per ſe innocens eſt. Qui reddis iniquitatem patrum filiis, ac nepotibus in tertiam, & quartam progeniem.

§. XXII.

Deus per ſe ſolus clementior oſtenditur, quàm vbi cum creaturis apparet.

ECce tibi Deus apparens Moyſi, totus melleus eſt, miniméque in eius apparitione Moyſes terretur. Ait enim textus: *Cum deſcendiſſet Dominus per nubem, ſtetit*

ſtetit Moyſes cum eo inuocans nomen Domini. Quo tranſeunte coram eo, ait, dominator Domine Deus miſericors, & clemens, & multæ miſerationis, &c. Vidit Moyſes Deum, & non terretur, ſed imperterritus ſtat obſtupens eius
Iſai 6. miſericordiam, & clementiam. Iſaias autem cap. 6. ait: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, & ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant: Et dixi, Væ mihi*, &c. Compone Moyſem, & Iſaiam, vtrique apparet Deus; Moyſes in illa apparitione imperterritus multus eſt in Dei miſericordia extollenda, Iſaias autem totus tremens in fletus abiit, & lamenta. Cur non timet Moyſes? Cur Iſaias metuit? Videt Moyſes Deum ſolum nulla ſtipatum creatura, & totum experitur ſuauem, & melleum. Videt Iſaias Deum hinc inde Seraphinis cinctum, & à Deo viſo coniunctim cum creaturis terretur. Qui enim Deus per ſe ſolum ſuauitate manat, vbi creaturis adiungitur,
Marc. 9. terrores incutit, & metus; Marc. c. 9. poſt transfigurationem Dominicam coram diſcipulis enarratam ait: *Et apparuerunt illis Elias cum Moyſe: & erant loquentes cum Ieſu. Et reſpondens Petrus ait Ieſu, Rabbi, bonum eſt nos hic eſſe: & faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, & Moyſi vnum, & Eliæ vnum. Non enim ſciebat, quid diceret; erant enim timore exterriti.* Loquebatur Petrus videns Ieſum in gloria, & loquebatur neſciens, quid diceret præ timore, quo & ipſi, & cæteri diſcipuli erant exterriti. Sed vnde in tanta Ieſu gloria terrebantur? Cur non magis gaudent, quàm terrentur Filium Dei in gloria ſua agnoſcentes? Videbant equidem Filiũ Dei in gloria, quo poſſent gaudere; ſed videbant illum cum ſibi adiunctis Moyſe, & Elia, & inde maximè ter-
Damaſc. rentur. Ait Damaſcenus ſerm. de Transfig. *Diſcipuli maiore terrore obſeſſi ſunt Ieſum Saluatorem, ac Dominum cum Moyſe, & Elia intra nubem conſpicientes.* Vbi talibus lateronibus ſtipatus apparet Ieſus; vbi ſuis circumſeptus creaturis ſe manifeſtat, multo terrore diſcipuli
Actor. 7. videntes obſidentur. Qui enim ſolus melleus eſt, de adiunctis creaturis fit tremendus Actor. 7. dum beatus Stephanus coram iniquo eſſet Iudice: *Intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem a dextris virtutis Dei. Et ait: Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem a dextris Dei.* Sic fortiſſimus athleta ſua-
Gen. 28. uiabatur viſione Dei. At Iacob Gen. 28. *Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ*, &c. *Cúmque euigilaſſet Iacob de ſomno, ait: Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Pauénſque. Quam terribilis eſt locus iſte*, &c. Vterque Deum videt Iacob, & Stephanus; hic nil terroris concipit viſo Deo, ille vehementiſſimè terretur. Et quando Stephanus non timet, ſed magis confortatur, cur Iacob tanto timore tenetur? Stephanus ſolum dicitur vidiſſe Ieſum, vidiſſe Deum; Iacob & Deum & Angelos ſimul videbat, & ſic quaſi totum iudicij apparatum vidiſſet, vehementer timebat. Quò forſan ſpectans Caiet. ait: *Timuit Iacob diuinum iudicium, quemadmodum conſueuimus timere nouiter præſentes Principi ſapienti, ne aliquid ſibi diſplicens appareat in nobis. Sic enim Iacob timuit conſiderando ſe ipſum relatiuè ad præſentiam Dei, & frequentiam angelorum, ne imputarentur ſibi defectus ſui.* Expende illud: *Ad præſentiam Dei, & frequentiam Angelorum.* Non equidem ſolius Dei conſpectus ſic perterrefacere ſolet homines, vt quando Deus cum creaturis videtur, ſtipatus angelis ſuis; miniſtris ſuis ſeptus. De terribili illa iudicij hora
Matth. 14. locutus Matth. 14. ait: *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, & maieſtate. Et mittet Angelos ſuos cum tuba*, &c. Sic cœlorum virtuti-
Act. 1. bus ſtipatus Ieſus in iudicium deſcendet. At Actor. 1. immediatè poſt Ieſu aſcenſionem; qui aſtiterunt Apoſtolis Angeli, dicebant: *Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Non dicunt, quod veniet cum virtutibus cœli, quod veniet angelicis choris ſtipatus, cum tubis, & clamoribus; ſed quod veniet ſic, vt aſcendit; at in aſcenſione nihil illorum apparebat, ſolus Ieſus aſcendens cernebatur. Cur ergo ſic dicitur venturus, & non magis dicitur, quod veniet cum virtutibus, & miniſtris multis, in nubibus exaltatus? Terrorem inferre canet, qui à Deo de adiunctis creaturis ſolet procedere. Ex quo ait D. Auguſt. ſerm. 7. de Aſcenſ. *Sic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlũ. Non veniet vobis terribilis. Sic veniet in ipſo corpore, vobis in amore, impiis in terrore. Beati, quibus dicitur, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. Nunquid ſic veniet oculis peccatorum? Erit ipſa veritas, ſed non erit ipſa ſeueritas. Dies erit tremendi iudicij, deſcenſus Angelorum, reſurrectio mortuorum. Deſcendent Angeli & quodam digito tubæ ſonantis tangent ſepulcra terræ trementis.* Sic vt terrorem auferat diſcipulis, coram illis non meminit comitatus venientis, ſolus vt viſus fuit aſcendere, ſolus deſcendet, hoc eſt non terribilis, non formidabilis piis: deſcendet & cum angelis, vt inde prodeat ad impios terror. Solet equidem de adiunctis creaturis ſeueritas, & rigor à Deo in peccatores procedere. Hinc bonus pater Luc. 15. ſuſcipiens filium peccatorem, ca- Luc. 15.
uit miniſtrorum conſpectum, & præſentiam: *Dixit autem pater ad ſeruos ſuos, citò proferte ſtolam primam, & induite.* Ecce vt ablegat ſeruos, vt afferant veſtes, maluit enim ſolus adeſſe excipiendo. Ait Chryſol. ſer. 3. Chryſol.
A ſeruis antè veſtiri voluit, quam videri, vt ſoli patri nota eſſet nuditas. Vix enim ſolus Deus non ſalutaris eſt homini, de adiunctis enim ſeruis procedere ſolet ſeueritas. Hinc Theod. hom. 1. de Natiuit. Chriſti, habita tom. 6. Concil. Epheſ. c. 9. ponderans Ieſu ad nos venientis nuditatem, & ſolitudinem, ait: *Accedit non maieſtate herili, non Angelorum ſatellitia præmittens, non Archangelorum phalangas ciens: eiuſmodi enim apparatus extorrem in fugam vertiſſent.* Vide, vt abſtinet Deus à comitatu creaturarum, ne perterrefaciat adeuntes.

§. XXIII.

Deus in nullo vniuocè communi creaturis percipi poteſt.

MIratis tot diuina nomina conglomerata, quando Deus ſua poſteriora iuxta factam promiſſionem oſtendit Moyſi: nimirùm ait: *Dominator Domine Deus, miſericors, & clemens, patiens, & multæ miſerationis, ac verax, qui cuſtodis miſericordiam*, &c. Cur tot nomina ſibi affingit Dominus? Cur non magis in vno, eóque breui vocabulo ſuam ſubſtantiam prodit? Sanè vbi nomina compingenda erant ex Dei poſterioribus, nimirùm ex relatione ad creaturas, multa compingũtur, vt oſtendatur, quàm infinitè diſtet diuina ſubſtantia à creaturis omnibus, in quibus nihil poteſt diuinitas habere commune. Ex quo pulchrè aiebat Arn. lib. 3. con- Arnob.
tra gentes: *Tantum abeſt, vt nos Deo corporalia lineamenta tribuamus, vt animorum etiam decora, ipsáſque virtutes, quibus eminere vix conceſſum eſt paucis, tantæ rei vereamur adſcribere. Quis enim Deum dixerit fortem, conſtantem, frugi, ſapientem? Quis probum? Quis ſobrium? Humana ſunt hæc bona, & ex oppoſitione vitiorum exiſtimationem meruerunt habere laudabilem. Quis eſt autem tam obtuſi pectoris, tam bruti, qui humanis bonis Deum eſſe dicat magnum, aut ideò nominis maieſtate præcellere, quod vitiorum careat fœditate? Quidquid de Deo dixeris, quicquid tacitæ mentis cogitatione conceperis, in humanum tranſilit, & corrumpitur ſenſum; nec habet propriæ ſignificationis notam, quod noſtris dicitur verbis, atque ad negotia humana compoſitis. Vnus eſt hominis intellectus de Dei natura certiſſimus, ſi ſcias, & ſentias nihil*

de

de illo posse mortali oratione depromi. Huc vsque Arnobius sapientissimè definit, quàm longè superet diuinitas omnia ea nomina, quæ ex creaturarum conflantur negotiis. Non equidem diuinæ magnitudinis esse potest, quod dicatur Deus esse id, quod decimur homines. Hinc Gratiani Augusti fidem maximè extollens D. Amb. Amb.lib.5.epist.26.ait: *Ego humilitatem tantummodo prædico in Imperatore, aut non amplius fidem, quam docet te ille, quem non negas? Quis enim alius docere te potuit, vt ei non obiiciat, quam in te vides creaturam? Nil moralius, nil expressius dici potuit. Deinde, quid tam insolens, quam id eum existimare, quod nos sumus?* Equidem insolentiæ res est, & blasphemiæ, si existimarmus Deum esse id, quod nos sumus. Sufficit enim videre aliquid affine esse creaturis, vt debeamus sentire Deum infinitè distare ab illo. Cant.3. Dicebat illa Cant. 3. *Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos, & plateas, quæram quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni.* Ecce & purissima, & dilectissima sponsa quærit Deum, & minimè illum inuenit. Sed cur non inuenit, nisi quia quærebat eum in nominibus, quæ sunt affinia creaturis? Aiunt tres Patres apud Theod. Theodor. *Exiuit ab interiori cognatione ad sensum per naturalem contemplationem, vt inueniret sponsum, atque ita quæsiuit eum, & non inuenit. In rebus enim creatis, qui increatus est, non inuenitur. Vocauit illum, & non respondit. Eum, qui est, appellaui illum, cùm ea, quæ sunt, numeris omnibus antecellat, Appellaui substantiam eum, qui est supersubstantialis. Appellaui illum vitam, qui author est vitæ, & rerum effector vniuersarum. Non respondit mihi, cum ea vocaretur, quæ ipse per essentiam, & naturam suam non est.* Supra creaturas omnes volitet, nihilque illarum cogitet, quisquis ad Dei naturam cogitandam accedere putat.

Exod. 34. Festinúsque Moyses incuruatus est pronus in terram, & adorans, ait: Si inueni gratiam in conspectu tuo Domine, obsecro, vt egrediaris nobiscum, populus enim duræ ceruicis est, & vt auferas iniquitates nostras, atque peccata, nósque possideas. Respondit Dominus: Ego inibo pactum videntibus cunctis, signa faciam, &c.

§. XXIV.

Purus ab omni mundiali macula fiat, qui amat à Deo possideri.

PVlchro ordine Moyses procedit in suis precibus, primò enim petit omnes mundiales maculas à suis abstergi, deinde, vt à Deo possideantur petit. Sic ait: *Vt auferas iniquitates nostras, atque peccata, nósq; possideas.* Ille enim poterit gloriari, quod sit Dei, qui purus est ab omni mundiali affectu, & deffectu. Aiebat Dauid Psal. Psa.118. 118. *Tuus sum ego, saluum me fac; quoniam iustificationes tuas exquisiui.* Meritò inde se ad Dei possessionem asserit pertinere, quia totum se Dei iustificationibus quærendis dedit; quia à nullo mundiali non sese expediit. Quò Ambr. spectans D. Amb. ser. 12. in Psalm. 118. ait: *Tuus sum ego: Facilis vox, & communis videtur, sed paucorum est. Satis rarus est enim, qui possit dicere Deo:* Tuus sum ego. *Ille enim dicit, qui adhæret Deo totis sensibus, qui aliud cogitare non nouit. Ille hac vtitur voce, qui potest dicere Domino:* Ostende nobis patrem, & sufficit nobis. *Numquid hac voce vtitur auidus pecuniæ, honoris, potestatis? Qua ratione dixit,* tuus sum, *addidit, iustificationes tuas exquisiui, hoc est, nihil aliorum quæsiui, sed id solum, quod tuum est, desideraui.* Ecce vt se ab omni mundiali expurgat, qui amat Dei esse peculium; eo ipso, quod Dei possessio sit, sub nullius debes esse dominatu creaturæ. Nec peccatum, nec mundus regnet in corpore tuo, & tunc poteris dicere, quod Deus te possideat, eiúsque peculium sis. Aie- Cant.6. bat sponsa Cant. 6. *Dilectus meus mihi, & ego illi*; ex Græca autem: *Meus est cognatus meus, & ipsius ego sum.* Quantum hoc, quod se dicat diuina sponsa ad Dei possessionem pertinere? Planè in hoc solum summam illius perfectionem, & perfectam puritatem agnoscit D. Nyss. Nyss.hom.15.in Cant. fatus: *Cum ait. Meus est cognatus meus, & ipsius ego sum: hæc sunt norma, ac finitio quædam omnis in virtute perfectionis. Nam ex iis discimus, nihil in nobis esse præter Deum debere, neque animæ purificatæ vllam ad rem aliam respiciendum esse: sed debere hanc ita se ab omnibus crassis tam rebus, quam cogitationibus expurgare, vt tota translata prorsus ad statum, qui omnium crassarum rerum expers est, illustrissimum ex se pulchritudinis Principis simulacrum efficiat.* Huc spectet, qui amat possessio Dei fieri; & prius in se absumat, quidquid dominatum creaturarum efficit; vt ab omni mundiali purus, solum in se ostenter Dei dominium, & regnum. Hinc Gen.12. Gen. 12. dicebat Dominus ad Abraham: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui*, &c. Sanè non sic Dauidi, nec aliis sanctissimis viris, & prophetis veteris testamenti iussit Deus omnibus mundialibus renunciare, vt iussit Abrahæ. Cui alij dixit: *Egredere de terra tua?* Sed cur præ omnibus aliis sic volebat Abrahamum purum ab omni populari contagio; liberum ab omni periculo erroris, expertem omnis affectus carnalis? Aut quid Abrahamus habebat apud Deum præ cæteris, vt præ cæteris deberet esse purior, & defœcatior? Hoc præcipuum inuenio in Abrahamo, quod futurus esset pater Leuitarum, qui ad Dei possessionem pertinebant iuxta id Numer. 3. *Ego tuli Leuitas à filiis Israël pro omni primogenito, qui aperuit vuluam in filiis Israël, erúntque Leuitæ mei.* Inde ergo fuit, quod Abraham, qui in lumbis continebat tot Dei possessiones, quot Leuitas, fieret præ cæteris omni mundiali contagio defœcatior, ac purior. Ait D. Amb. lib. de fuga sæculi cap. 2. *Quia Leuitæ fugitantes sunt mundi, vt placeant Deo, relinquunt parentes, filios, omnem cognationem, vt adhæreant vni Deo. Denique & Abrahæ dictum est: Exi de terra tua, & cognatione tua, & de domo patris tui. Sed forte dicas, Leuita non erat. Sed habebat in lumbis suis Leui.* Sic se ab omni mundiali expediant, qui cum Leuitis ad Dei peculium amãt pertinere, Deíque possessiones fieri.

§. XXV.

Humilitas efficaciam orationi præbet.

ECce tibi quam facilem se præbet Deus Moysi: vix Moyses orauit, & ait Deus: *Ego inibo pactum*, &c. Cur sic te humanum Domine rebellibus præbes? Vel vnde adeo efficax fuit oratio Moysis coram Deo? textus ait: *Festinus Moyses incuruatus est pronus in terram, & adorans ait*, &c. Vbi tanta humilitate, & abiectione sui orabat Moyses, non miror, quod efficaciter ad se Deum traheret. Dat enim semper humilitas orationi efficaciam non paruam. Compone modò duos oratores cantatissimos apud Deum Centurionem Matth. 8. Matt 8 & Chananæam Matth. 15. ille pro filio, seu seruo pa- Mat. 5. ralytico orabat, hæc pro filia à dæmonio vexata. Ille vix orat, & audit: *Ego veniens curabo eum*; hæc multum orat, & nihil fauorabile audit, sed post multa dicitur illi: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Cur, qui ita properè Centurioni annuit, hanc tam rigorosè repellit? Cur magis fœminam distulit? Sanè expectabat Dominus, vt fœmina orationi humilitatis verba coniungeret, sese vilissimo cani assimilans, cum enim ad hæc verba humilitatis peruenit, non amplius Deus se in austeritate continuit. Accipite D. Basilium Basil. Seleuciæ orat. 19. fantem: *Quid ergo, dic mihi Domine, non parem animi promptitudinem in te nacta est Chananæa filia, & si per matrem deprecaretur? At illa rogans canum loco, numeróque est; Centurio propè ante supplicationem curationem reportat: herus pro famulo rogans exorator fuit, mater pro filia rogitans tulit repulsam. Sed ô sapientiæ fons! Idcirco Chananæa supplicanti moras iniecit,*

quæ

quæ illa dilationis impatiens acclamaret: Domine & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum. Centurio verò dixerat: Domine non sum dignus, &c. Ibi citior Dei fauor fuit, vbi manifestior apparuit rogantis humilitas; differebatur mulieri exhibenda gratia, vsque dum illa ad canis vilitatem se deiiceret. Cùm primum humilitatis verba protulit, & sese vili cani assimilans Domino abblanditur, statim reportat petitionis fructus. Hoc datum est mandatũ Niniuitis pene deploratis
Ionæ 3. Ionæ c. 3. *Operiantur saccis homines, & iumenta, & clamẽt ad Dominum in fortitudine.* Vilitates indumenti prius præcipit, vt sub vilibus saccis se peccatores deiiciant, & humiliẽt, & statim iubet clamare in fortitudine, ex humiliati enim ore validissima semper oratio prosiliet.
Vict. Ca. Rem in iis exprimit Victor Cartennensis lib. de Pen. c. 6. *Vnus audiebatur per mœnia Niniue eiulatus dispar rium naturarum, & per omnia tecta vrbis flebilia resonabant lamenta plangentium. Impletum est, quod scriptum est: Oratio humiliantis se nubes penetrauit. Denique sic placauit offensum Deum, sic mitem fecit, sic demulsit iratum.* Nulla non tollitur ex Deo seueritas, vbi adest humilitas orantis. Propone tibi Deum plenum iræ aduersùs perfidum Achabum, illi extremam ruinam iubet denunciari. Perterritus miser irę denuntiatione in cinere, & sacco sese ad diuinos deiicit pedes: Et Deus statim
3. Reg. 21 3 Reg. 21. *Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* Quid hac humilitate efficacius?
Vict. Ca. Pulchrè Victor Cartennensis vbi suprà cap. 5. *Depromptum indignatione iudicium satisfactione percellitur, & comminantis intentio orationis humilimæ verecundia temperatur.* Nequit manere indignatio, cum accedit humilis oratio.

Exod. 34. Fuit ergo ibi cum Domino Moyses quadraginta dies, & quadraginta noctes. Panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decem. Cùmque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas lapideas testimonij, & ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. Videntes autem Aaron, & filij Israël cornutam Moysis faciem, timuerunt prope accedere.

§. XXVI.

Dei remuneratoris præsentia hominem trahit in facinora viribus maiora.

MAgna, & supra vires fuerunt ieiunia Moysis, quadraginta enim diebus, & noctibus sic ieiunauit, vt nihil comedit. Sed erat interea sub oculis, & præsentia Dei remuneratoris, de quo non miror, quod in facinora impelleretur viribus maiora. Sic enim ait: *Fuit ergo ibi cum Domino Moyses quadraginta dies, & quadraginta noctibus. Panem non comedit, & aquam non bibit*, &c. Ecce tibi vt erat sub Dei præsentia, sub Dei oculis ea ieiunia amplectitur, quæ erant naturæ viribus maiora, non comedit enim, neque bibit per quadraginta dies, & totidem noctes. Quid non audeat homo sub
Egesipp. præsentia remuneratoris? Egesippus lib. 5. c. 12. sic loquitur: *Romanos Titus pudore sui, quàm maximè conueniebat: quod morte grauius arbitrantur non exhibere pericula sua Cæsari, cum ipse toties pro exercitu periculis offerre se non dubitauisset. Armabat eos vincendi consuetudo, & cedendi ignorantia, præcipuéque præsens vniuscuiusque virtutis arbiter Titus; à quo non remuneratio fortitudinis spectabatur, sed supra omnia fructus amplissimi erat præmij, illo spectante, quicquam strenuè gessisse, quod ei non displiceret. Eo incentiuo Longinus equestris militiæ vir excitus disiliuit equo, atque in medios se iniecit hostes.* Expende ab illis: *Præsens vniuscuiusque virtutis arbiter Titus*, &c. Quippe sic de præsentia, & conspectu Principis temporalis confirmabantur milites, vt vel vnus aduersus exercitus hostiles omnes auderet pugnare. Et quando oculi, & præsentia temporalis Principis hæc in militibus operabantur; quid non faciat præsentia, & conspectus Principis immortalis? sub huius præsentia fallar, nisi viribus superiora facinora audeamus. Cantic. 5. rogata sponsa, vt aperiret ostium dilecto suo, ait: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Dilectus meus misit manum per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius. Surrexi, vt aperirem dilecto meo*, &c. Quæ tot obices oppositerat, quibus impedita non poterat dilectò aperire; subitò ruptis obicibus surgit, & aperit dilecto suo. Quomodo potuisti surgere, quæ nuda sine tunica iacebas? Quomodo ausa es venire, quæ pedes ablueras? Sanè præsentia sponsi omnia vicit, & vt præsentem sensit dilectum, audet etiam supra virtutem D. Amb. lib. de Isaac, c. 6. *Surrexit vt proprius illud Dei verbum videret. Et in hoc ipse processus eius significatur, quod surrexit per vigorem, atque virtutem. Præsentia enim Verbi hausit anima virtutem; sicut præsentia Mariæ, cùm vtero grauis esset, erudiuit Ioannem in vtero constitutum, adeò vt exiliret in vtero, & exultaret Domini præsentiam recognoscens.* Sic de Dei præsentia haurit homo virtutem, qua supra humanas vires possit audere. Qui enim in matris vtero constitutus non poterat moueri per se; vt creatoris sensit præsentiam, in eius oculis ausus est vsque ad exultationem progredi. Non suam, sed potentiam Dei reducit ad sensum creatura, quæ sub Dei oculis ad opus accenditur. Hinc 3. Reg. 17 Elias, ait: *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluuia nisi iuxta oris mei verba.* Homo audet pluuiis legem ponere; & quod solius potentiæ diuinæ est submittere proprio imperio. Vnde talia audet Elias? Ipse præmiserat dicens: *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto*, ex quo sensit se præsentissimum esse Deo, sub eiúsque intuitu procedere, non veretur rem diuinæ potentiæ in medium proferre. Dicit enim Rabanus in Glossa: *In conspectu Domini stat iustus modo, & stabit in futuro, modò vt Conditoris potentiam ad sensum reducat. In futuro, vt veraciter vitæ coronam accipiat.* Expende illud: *Vt Conditoris potentiam ad sensum reducat*; quippe sub diuinitatis oculis, & præsentia iustus ea audet, quibus spectabilem faciat potentiam diuinam. Non enim quod ipse potest, sed quod potest Deus, in se ostendit, quisquis diuina præsentia fruitur. Hinc de meticulosis Israëlitis locutus Moyses Exod. 19. tamen inquit: *Cúmque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum steterunt ad radices montis. Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus*, &c. Ecce tibi, qui pauefacti etiam à longè vix spectabant montem, modò accedunt vsque ad eius radices. Vnde hoc? Ait D. Cyril. Alex. lib. 3. in Ioan. cap. 3. *Assistentia populi sub monte, cum iam Deus descendisset, & esset in eo, paratum mentis studium ad seruiendum Deo suo ostendit. Difficiliora enim tolerare solent, quam natura ferre posset, cum Deus adsit.* Nec miror, quod sub præsentia Dei supra vires audeant homines.

Rabam. Exod. 19 Cyr. Ale.

§. XXVII.

Præstudio diuini Verbi excipiendi contemnitur corporalis cibus.

DVo inuenies in Moyse coniuncta, & quod à cibis abstinuit, & quod verba Dei in tabulis scripsit: quippe ait: *Panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decem.* Nec miror, quod qui intentus erat scribendis verbis diuinis, obliuisceretur materialis cibi. Contemnitur enim in primis cibi voluptas ab iis, qui diuini Verbi substantiam gustant. Dum Diabolus offerret lapides Iesu, vt faceret panes ex illis, respondet Dominus Matth. 4. *Non in solo pane viuit* Matt 4.
homo,

homo sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei. Ecce verbum Dei obiecit Dominus tentatori pro pane homini futurum, & cur non magis diuinam potentiam obiecit,qua fames poterat non sentiri? Cur potentia prætermissa ad Verbum Dei recurrit? Planè ad Verbũ Dei recurrit,vt quod regulariter ciborum materialium
Ambr. obliuionẽ induceret. Ait D.Amb.lib.3.in Luc.c.4. *Non enim quasi Deus vtitur potestate, sed quasi homo commune sibi arcessit auxilium,vt diuinæ pabulo lectionis intentus famem corporis negligat, alimentum verbi cœlestis acquirat. Huic intentus Moyses panem non desiderauit. Huic intentus Elias famem proxilioris non sensit. ieiuny. Non enim potest qui verbum sequitur,panẽ desiderare terrenum, cùm substantiam panis cœlestis accipiat.* Tota terreni cibi deficit gula,vbi diuini verbi quis intendit studio. Quid mirum,quod deficiat gula, omnes delectationes carnales
Cant. 1. despiunt illis, qui diuinorum verborum prægustant succũ. Dicebat veraciter illa Cant. 1. *Meliora sunt vbera tua vino.* vocat sponsi vbera diuinas Scripturas,à quarum suauitate,& dulcedine sic vincuntur pretiosissima quæque vina,sic superantur mundiales omnes deliciæ, vt contemptui haberi incipiant. Rem eleganter elucidat Phil.Carpatius ibi: *Duo vbera duo testamenta intelli-*
Phil.Ca. *ge,a quibus lactentur Ecclesiæ filij lingua, atque mente,corde,& ore;ex iis enim verba veritatis exuguntur,quæ ad vitam perfectam, atatémque augentur. Horum potio super vinum,& liquores omnes,non enim ex terra, scaturit, sed ex cœlo deriuatur. Hæc potio illis salutaris inest, qui diuinis rebus intenti ita mente, ac lingua sacras literas sugunt,vtque in ventrem, sic in cor exacta coniiciunt. Vt enim duo vbera hinc inde pectori affixa cor ambiunt,ita & duo testamenta ex Spiritu sancto spiritualem nobis potionem diuini lactis instar effundunt,nósque super delectationes omnes humanas lætificant,ac tuentur.* Quid pulchrius? Sanè, qui sacrarum Scripturarum dulcedinem exsugit, nihili æstimat cæteras delectationes carnalis vitæ, quàm facile valedicit & vino,& conuiuiis. Ex quo monebat D.
D. Ephr. Ephærm serm.de compunct.& salut.animæ: *Caue igitur,tuam a gula animam interimi permiseris: sed nutri, ac foue illam in verbis diuinis,in Psalmis,& hymnis,& canticis spiritualibus, in lectionibus sacrarum Scripturarum. Hæc, & iis similia nutrimentum sunt vitæ spiritualis.* Sic sanctus vir proponit lectionem sacræ Scripturæ pro armis ad coërcendam gulam.

§. XXVIII.

In solo Iesu veritas gloriæ,in aliis picturæ.

DEscendit Moyses à Deo, splendenti facie decorus,& glorioſus; quò spectant illa verba: *Quod cornuta esset facies sua ex conjortio sermonis Domini.* Septuag. *Glorioſus effectus esset aspectus coloris faciei suæ:* Caldæus: *Multus esset splendor gloriæ vultus eius.* Sic totus Moysi splendor in facie sola erat. Iesus autem dum in Thabor transfiguratur,non solum in facie, sed toto
Matt.17. ex corpore fulget, ait namque Matth. 17. *Resplenduit facies eius sicut Sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* Non solum à facie,sed à vestimentis,sed à toto corpore splendet Iesus. Et cur in Iesu splendor à toto corpore fit,in Moyse solum à facie? Vt ostendatur in Iesu gloria esse veritas, in Moyse autem sola pictura; suspecta enim est fictionis, quæ sola à facie splen-
D. Ephr. det pulchritudo. Ait D Ephæm,ser. de Transfig. *Non enim sicut Moyses decorus fuit extrinsecùs. Sed tanquam Deus fulgebat in gloria. Moyses enim faciei eius apparitione vnctus fuit decore. Iesus autem toto suo corpore tanquam Sol suis radiis resplenduit gloria suæ diuinitatis.* Expende illud de Moyse dictum: *Vnctus fuit decore:* quando enim sola è facie fulgebat,non tam veritatem pulchritudinis quam cerusiæ vnctionem sapiebat. Quæ deformes sunt fœminæ cerusis faciem inungunt, vt de vnguenti beneficio splendorem emendicent, qui splendor in illis non verus, sed pictus est,hoc est,non à veritate naturæ, sed ab vnguenti pictura proficiscitur. Sic Moyses,sic vniuersæ creaturæ non à veritate,sed à pictura splendẽt.
Hinc Ezech.c.23. de Odolla locutus ait: *Cùmq; vidisset* *Ezec.23.* *viros depictos in pariete,imagines Chaldæorum expressas coloribus, & accinctos baltheis renes,& tiaras tinctas in capitibus eorum formam ducum omnium,similitudinem filiorum Babylonis,terræq; Chaldæorum in qua orti sunt, insaniuit super eos concupiscentia oculorum suorum.* Videt solas picturas,& picturas concupiscit, nihilque aliud amabile in eis ostenditur,quod non sit in pariete pictum. Longè aliter de suo dilecto dicebat Dei amatrix,Cant. 5. *Caput* *Cant 5.* *eius aurum optimum. Comæ eius sicut elatæ palmarum*, &c. *Oculi eius sicut columbæ,&c. Genæ illius sicut areolæ aromatũ,* &c. *Labia eius lilia,&c. Manus illius tornatiles aureæ,&c. Crura illius columnæ marmoreæ,&c. Species illius,vt Libani,electus vt cedri. Guttur illius suauissimum,& totus desiderabilis.* Post singularum partium perfectiones enumeratas,& ponderatas, illud tandem definit, quod totus desiderabilis sit. Expende quam alia inueniat Odolla in dilectis suis;& quam alia inueniat sponsa Christi in suo dilecto. Illa præter picturas nihil aliud inuenit;hæc inuenit solidissimas perfectionum veritates, quibus se Christus super omnes creaturas amabiles exaltat. Ait pulchrè Rup.lib.5.in Cant. *Quomodo potuit sermo descri-* *Rupert.* *psit Iesum amabilem,dilectum,desiderabilem. Non talis pictura hæc,qualem respexit illa Odollæ, de qua scriptum est. Cum vidisset viros depictos in pariete,imagines Chaldæorum expressas coloribus,&c. Non,inquam,talis pictura hæc;verumtamen æmulamini melius visum illum,sicut illa exhibuit oculos suos videre viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expressas coloribus;ita nunc exhibete oculos vestros videre dilectum,videre caput aureum eius, oculos nitentes, reuerendas genas gratiosa labia,tornatiles manus. De omnibus rectum iudicium indicate,videlicet,quod maior sit Moyse. Nolite iudicare secundum faciem. Nam illi quidem locutus est Deus,& facies eius splenduit, sed non caput aureum, non manus tornatiles,& aureas habuit.* &c. Si iuxta faciem iudices,multa inuenies in creaturis splendida, sed quæ non excedant splendorem picturarum: solus namque Iesus non solum secundùm faciem, sed omni ex parte est desiderabilis. Odolla, nempe terrena Ierusalem,anima carnalis nihil in suis dilectis inuenit præter picturas,præter varias colorum varietates,at spiritualis mens in dilecto suo Iesu,& aureum caput, & aureas manus, & marmorea crura,& quidquid est verè pretiosum, & pulchrum habet.

Exod. 34. Et postquam locutus est ad eos, venerunt ad eum etiam omnes filij Israël. Quibus præcepit cuncta, quæ audierat à Domino in monte Sinai. Impletísque sermonibus posuit velamen super faciem suam, &c.

§. XXIX.

Auaritia obcæcat homines,ne diuina percipiant.

TAntus erat splendor Moysi ortus à Dei colloquio, vt nisi velaret ipse faciem,minimè ab Israëlitis videri posset,ideò dicit textus,quod: *Posuit velamen super faciem suam.* Et vndè tam delicati Israëlitarum oculi, qui splendentem Moysis faciem sine velamine intueri non possent? Radicem attigit Rupert.in præsenti,fatus: *Rupert.* *Illi propter aureum blasphemiarum suarum vitulum oculos perdiderunt, & claritatem veritatis sustinere non possunt.* Ex quo ad aurum affecti, auro adorationem exhibent, sic excæcantur, vt nihil cœleste, nihil diuinum,nihil spirituale possint videre. Habet hoc in primis auri cupiditas, vt humanos oculos perdat, ne videant cœlestia. Aiebat Dominus ad discipulos suos,
Luc.9. *Dico autem vobis, verè sunt aliqui hic stantes, qui* *Luc.9.*
non

non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei. Ecce promittit, quod aliqui de circunstantibus visuri sunt regnum Dei, nimirùm gloriam transfigurationis in Thabor. Sed cur non omnes eam videant gloriã? Etiam omnes pauci erant, quando nõ excedebant numerum duodecim, cur ergo non assumuntur omnes, vt videant gloriam Saluatoris? Erat inter illos Iudas, qui auri cupiditate affectus non habebat oculos, nec aliquid cœleste, aut diuinum intueri posset. Ait D. Damas. serm. de Transfig. *Quidnam causæ est, quamobrem quidam duntaxat, ac non omnes parem gratiam consecuti sint? An non omnes discipuli, & Apostoli? An non omnes simul, atque vocati sunt, æquè secuti sunt? Cur igitur non omnes etiam hoc quoque prospectum omnem superante spectaculo donati sunt? An non Dominus à personarum acceptione alienus est? Omnes quidem discipuli, at non omnes auaritiæ morbo cæcutientes. Omnes discipuli; at non omnes proditores.* Equidem quando inter illos erat, qui auaritia laborabat, necessarium erat, vt in re visionis non interesset, quia auaritia oculos perdit, ne quid cœleste possint videre. Sapienter de se aiebat Balaam Magus à Rege Balac conductus mercede, vt Dei populum multis maledictis percuteret. Is ergo de se ait Num. 24. *Dixit Balaã filius Beor, dixit homo cuius obturatus est oculus, dixit auditor sermonũ Dei, qui visionẽ omnipotentis intuitus est.* Difficilia sanè verba, quæ cõtrarietatẽ videntur includere, dũ idem dicitur Omnipotẽtis visionẽ intuitus, & oculos obturatos habuisse. Si Deum videbat, quomodo obturatis oculis erat? An quia in somniis videbat Dei visionem? Sed hoc commune fuit multis, & fere omnibus prophetis. Quid ergo fuit præcipuum in isto vate, quo se vocet & obturatum oculis, & perspicacẽ in Dei intuitu? Sanè hoc fuit & rarum, & inauditum in hoc vate, & in nullo alio visum, quod eleuaretur ad Dei visiones, cum mentis oculos haberet obturatos, & obcæcatos, amore regia pecuniæ. Equidem ibat miser ad Regem Balac, ibat, inquam, mercedis cupiditate sic raptus, sic excæcatus, vt nec vocibus humanis ab asina prolatis animaduerteret periculum itineris. Et nihilominùs à Deo eleuatur ad supernaturalium contuitum, cum obcæcatus esset auaritia, quę supra somnum, supra tenebras, supra ipsas mortis caligines obscurat hominem, ne diuina percipiat. Vt meritò de auaritia dicat D. Chrysost. ser. contra gulam, & alia: *Habendi cupidissima temulentia hominem planè in res huiusmodi impingit, occluditque aures, excæcat oculos, mentem multa caligine obtenebrat.* Meritò ergo vt rem nouam, & minimè aliàs visam proponit Balaam rem secum actam; nimirùm, quod cum fuerit non somno pressus, sed auaritia obcæcatus, quæ omnes caligines superat, nihilominùs per Dei potentiã tractus sit, vt diuinas reuelationes videat. Quando auari omnes magis ad tenebras pertineant; vt dicat Sophonias cap. 1. *Perierunt omnes inuoluti argento.* Expende illud: *Inuoluti*; est enim argentum inuolucrum quoddam, seu velum, quod prorsus obtenebrat suos asseclas, ne possint cœlestia videre.

Damas.

Num. 24

Chrysost.

Soph. 1.

CAPVT XIX.

Aduentus Iethro.

Textus Historia.

MOysis fama pulsatus Iethro Princeps Madian adornat iter, vt generum inuisat, illique & cõiugem reducat, & filios, gratissimos parenti futuros. Occurrit accedenti Moyses multis stipatus Israëlitarum nobilibus: quem socer videns totus adstupet primo, deinde in Dei tot mirabilium effectoris laudes prorumpit. Multa licèt antea de Deo ex Moyse acceperat, nunc in tanti populi libertate, in Ægyptiorum periculis, in victoria de Amalechitis, in cœlesti pane, in fonte de petra, in aliisque mirabilibus auditis, perspicuæ diuinitatis cultui se penitus addicit. Opimas insuper addidit Iethro Deo victimas, quarum finis regalibus epulis exhibuit initium. Fecit enim Moyses conuiuium socero, & coniugi, & filiis, indicium reuirescentis necessitudinis; cui Aaron, & omnes proceres Israëlitæ assidentes aduentum Iethro sibi præsagiebant auspicatissimum. Nec viros spes deluit: nam mane nouo, dum Moyses sedet; vt congregato populo iura diceret; adest genero Iethro; & miratus tam ingentem multitudinem ab vnius Moysi ore pendere vel in rebus leuissimis, indignitatem rei, & molestiam inutilem genero suggerit. Deinde consulit, vt præstantes virtute, & prudentia selligat viros, qui per gradus maiores, & minores distributi populares, & forenses quæstiones dirimant; quarum diuiniora, & sublimiora vni Moysi manerent integra. Annuit Moyses consulenti socero: vniuersisque populi causis Principes, & tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, ac decanos constituit. Nec detrectauit sapientissimus Princeps, quæ optima nouerat, executioni mandare consilia hominis alienigenæ. Prosecutus est etiam eum cum potentibus suis post paulum regredientem in regnum suum.

PARS VNICA

Circa textus literam.

SIdemus cognati consilia probata Moysi in constituenda Republica; quæ vt nobis etiam appareant probabilia expendenda veniunt morali libra.

Exod. 18. Cúmque audisset Iethro Sacerdos Madian cognatus Moysi, omnia, quæ fecerat Dominus Moysi, & Israël populo suo, & quod eduxit Dominus Israël de Ægypto, tulit Sephoram vxorem Moysi, quam remiserat & duos filios eius, quorum vnus vocabatur Gersam, dicente patre: Aduena fui in terra aliena, alter verò Eliezer, Deus enim, ait patris mei adiutor meus, & eruit me de gladio Pharaonis.

§. I.

Ne improperes, quod improbis adiungar, si improbi ex meo consortio corrigantur.

NOn veretur Spiritus diuinus aduentus hominis ethinici, & eius consortium cum Moyse narrare; ait enim: *Cùm audisset Iethro Sacerdos Madian cognatus Moysi*, &c. Erat Iethro idololatra, imò idolorum Sacerdos, cuius filiæ se matrimonio Moyses copularat. Cur hoc non magis reticetur in tanta gloria Moysis? Nónne ad decus Moysis pertinebat, quod se adiunxisset impiis, quod consortio, imò & conuentu gauderet idololatrarum? Absit; quando enim impij, & idololatræ ex Moysi consortio in Dei cognitionem veniebant, moréque in melius mutabant; quod Moyses illis se adiungeret, non vitio tribuendum erat, sed laudi. Ex quo pulchrè monebat D. Bas. Sel. orat. 40. Pharisæum oblatrantem Iesu, quod meretricis accessum non refugeret. Aiebat enim ille Luc. 7. *Hic si esset propheta, sciret vtique, quæ, & qualis esset mulier, quæ tangit eum.* Cui sapienter respondet Basil. suprà: *Cur illam Christus susceperit, dicis, nempe vt ab improbitate eam absoluat, vt suam clementiam palam faciat, vt discas nullam ægrotationem esse, quæ illius bonitatem vincat. Quare non id solum consideres, quod susceperit, verum etiam illud animaduerte, quomodo mutauerit.* Hoc enim in primis animaduertendum est in præstantibus viris, qui improbis adiungũtur, quanta id improborum

Basil Sel.

Luc. 7.

Basil.

mutatione, & melioratione fiat. Non enim vitio, ſed laudi tribuendum eſt, quod quis ſe adiungat improbis, illorúmque gaudeat conſortio; dum ex tali ſocietate improbi probi fiunt. Euolaturus Dominus Ieſus ad Patrem dicit latroni, & nequam homini Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Quis non horreret in tanti regni ingreſſu conſortium hominis viliſſimi, & improbiſſimi? Cur Domine non magis refugis huius latronis ſocietatem? Quid dicent cœleſtes ſpiritus dum te videãt latroni aſſociatum exire de mundo? Siccine dedecorandus eſt triumphus tuæ vitæ? Abſit; imò inde ſummum decus Ieſu apparebit, ſi conſideremus, non ſolũ, quod ſibi aſſociabit latronem, ſed, quomodo mutauerit illum. Ad hæc D. Chryſ. ſerm. in Paraſceue apud Grethſerum noſtrum, lib. 2. de cruce, fol. 445. *In ſanctam ſuam patriam ingreſſus Ieſus, latronem ſecum introducit, non inhonorans paradiſum, abſit, pedibus latronis, ſed hoc magis honorans. Honor enim paradiſi eſt habere talem Dominum tam potentem, & humanum, vt & latronem poſſit efficere dignum paradiſi deliciis. Etenim quando publicanos, & meretrices in regnum vocabat, non vtique id fecit cum regni ſui dedecore, ſed potius maiori cum honore. Oſtendit enim ſe eiuſmodi eſſe, qui etiam meretrices, & publicanos tam probatos facere queat, vt digni videantur ea, quæ inibi eſt gloria, & munere.* Qui ſummam Ieſu gloriam amat proſpicere, non cauſetur, quod cum publicanis verſetur, cum improbis agat vitam, & ſeſe ſceleratis adiungat. Sed illud animaduertat, quantam de illius conſortio mutationem ſcelerati recipiant. Qui autem ſic poteſt dealbare etiam Æthiopes, laudabilis erit etiam in ſocietate improbiſſimi. Ionnes Baptiſta turbas fugit, deſerti latebras quæſiuit, ne leui ſaltem maculare vitam famine poſſet. Ieſus autem medius erat in publicanorum conuiuiis. Cur non magis Ieſus Ioannis ſemitam honorauit, cauens peccatorum hominum cõſuetudines? Pulchrè D. Ambr. lib. 1. in c. 1. Lucæ, inquit: *Magnus Ioannes, ſed coram Domino. Magnus Ieſus, ſed Dominus. Ioannes vinum & ſiceram non bibit, hic cum publicanis, & peccatoribus manducat, & bibit. Ille abſtinentia meritum colligat, cui potentia nulla naturæ. Chriſtus autem cui naturaliter ſuppetebat delicta donare, cur eos declinaret quos abſtinentibus poterat præſtare meliores?* Equidem nunquam non laudabile eſt cuiquam, quod non declinet ab illis, quos in meliorem facit frugem abire.

Luc. 23. Chryſoſt. Ambr.

§. II.

Parentum benefactoribus plus fidendum, quam proprijs.

VIde virturem, & prudentiam Moyſis, in nominãdo filio, Deum meminit benefactorem patris ſui: *Deus enim, ait, Patris mei, adiutor meus*, &c. Poſſet dicere: *Deus meus* cur maluit dicere: *Deus Patris mei?* Bonus maximè fidebat beneficentiæ diuinæ probatæ iam in parente ſuo. Quidquid enim parentibus fuit beneficũ, & amicũ, hoc debet præcipuè ſpectari à filiis. Vnde maximè damnatur ille ſenior filius Luc. 15. qui de parente querulus aiebat: *Nunquam mihi dediſti hœdum, vt cum amicis meis epularer.* Expende illud: *Cum amicis meis*; cauet enim vel meminiſſe amicos patris ſui, quorum nihili æſtimat amicitiam. Quare illum ſic percutit D. Chryſoſt. ſerm. 4. *Amicos paternos ſuos eſſe non computat: nos non amicos, ſed extraneos credit: a quibus videt in patris gratiam ſe amari.* Hoc indicium ſtulti, & deplorati eſt filij, qui ſuſpectos habet parentibus ſuis beneficos, & amicos, ab illiſque maximè fugit. De Roboamo Salominis filio dicitur 2. Paralip. 12. *Pugnauerúntque aduersùm ſe Roboam, & Ieroboam cunctis diebus. Et dormiuit Roboa*, &c. Ecce nulla vnquã Roboamo pax fuit, cũ eſſet filius Regis pacatiſſimi. Et vnde miſer ad tantã venit miſeriam? Rem explicat Ioſephus in Gloſſa adductus: *Cum ſplendido principatu, & claritate rerum debuiſſet imperare, ſub multo ſilẽtio, & timore regnauit. Mortuus eſt autem, cum vixiſſet annis quinquaginta & ſeptem, vir ſuperbus, & fatuus, & qui nolens paternis amicis credere, perdiderat Principatum.* Meritò fatuus vocatur, qui amicis paternis non credidit, ob quod incidit in tot calamitates. Et cur non fatuus, & ſtultus ſit, qui illis fidẽ non habet, quorum beneuolentiam videt probatam in parente? Sanè prudentes homines ad nullos fidentius recurrunt, quàm ad eos, quos iam nouerunt maioribus ſuis proficuos. Hinc Theodahadus Rex Italiæ apud Caſſiodor. 10. Var. 2. ſcribens Iuſtiniano Imperatori, inquit: *Veſtram gratiam ſecurus expecto, quam præcellentiſſimam Dominam ſororem noſtram vobis pepigiſſe cognoſco. Neque enim noua eſt iſta dilectio: nam ſi deceſſorum noſtrorum facta recolatis; agnoſcitis quandam eſſe neceſſitudinis legem, cum veſtro imperio amicitiam Amalos ſemper habuiſſe. Quæ tãto certior, quãto vetuſtior: quia facile mutari non poteſt, quod per longa ſæcula cuſtoditur.* Sic iſte, & cæteri homines prudentes ad illos præcipuè afficiuntur, quos beneficos iam parentibus ſuis nouerũt, & amicos.

Luc. 15. Chryſol. Caſſiod.

Exod. 18. Venit ergo Iethro cognatus Moyſi, & filij eius, & vxor eius ad Moyſem in deſertum, vbi erat caſtra metatus iuxta montem Dei. Et mandauit Moyſi, dicens: Ego Iethro cognatus tuus venio ad te, & vxor tua, & duo filij tui cum ea. Qui egreſſus in occurſum cognati ſui adorauit, & oſculatus eſt eum, ſalutarúntque ſe mutuò verbis pacificis: cúmque intraſſent in tabernaculum, narrauit Moyſes cognato ſuo cuncta, quæ fecerat Dominus Pharaoni, &c.

§. III.

Infirmi adhuc in virtute non ſunt periculis exponendi.

ECce Moyſis vxor, & filij eius cum auo veniunt ad Moyſem, ſed tunc veniunt, quando Moyſes poſt demerſos Ægyptios, poſt mare ſuperatum, poſt Amalechitas proſtratos caſtra metatus eſt iuxta montẽ Dei Horeb. Dicit enim: *Venit enim Iethro cognatus Moyſi, & filij eius, & vxor eius ad Moyſem in deſertum, vbi erat caſtra metatus iuxta montem Dei.* Et meritò vxor, & teneri filij non venerunt in Ægyptum, ſed in manſionem iuxta montem Dei; qui enim infirmi ſunt, non erant periculis exponendi, quibus ſoli robuſti, & fortes creſcunt. Ait Origen. in præſenti hom. 11. *Non poterat Sacerdos Madian in Ægyptum deſcendere, nec vxor Moyſis, ſed nunc ad eum venit cum filiis. Non enim poterat deſcendere in Ægyptum, & ſubire agones Ægyptiorum, niſi athleta probabilis. Moyſes, quia magnus, & potens athleta deſcendit in Ægyptum ad agones, & exercitia virtutum. Abraham, & Iacob quoque, qui ipſo nomine athleta eſt, cùm deſcendiſſet in Ægyptum factus eſt ſicut ſtellæ cœli.* Ægyptia pericula, quæ extulerunt validiſſimos viros Moyſem, Abrahamum, Iacobum, infirmos, & imbecilles prorſus perdidiſſent; quare meritò cautum eſt, ne filij Moyſis, nec vxor, nec ſocer eius Iethro adhuc in fide proſelytus illo deſcenderent. Non enim ſunt infirmi periculis exponendi. Hinc de Dauide fugiente ad montes, quietémque domus deſſerente locutus textus, 2. Reg. 15. ait: *Dixit autem Rex ad Ethai Gethæum. Cur venis nobiſcum? Reuertere, & habita cum Rege: Heri veniſti, & hodie compelleris nobiſcum egredi. Ego autem vadam, quo iturus ſum. Reuertere, & reduc tecum fratres tuos, & Dominus faciet tecum miſericordiam*, &c. Et ſanè Dauid in eo erat diſcrimine, quo plurium egeret auxilio; nihilominùs non patitur, quod Ethai ſecum veniat in diſcrimina. Et quando ipſe Rex vadit ad pericula, cur non magis retinet ſecum fidum amicum?

Orig. 2. Reg 15.

Cur

Cur illum mauult domi manere extra periculum? Rationem indicant verba illa: *Heri venisti*, quippe recens erat in religione, & fide Israëlitica, adhuc in virtute tenellus, meritò ergo cauet bonus Dauid ne secum in pericula descendat. Ex quo Theodor. quæst. 29. *Secutus est Dauidem Ethai Gethæus cum sexcentis viris electis, qui nuper quidem patriam reliquerat, factus autem fuerat cum suis subiectis proselytus. Ei Rex quidem conatus est persuadere, vt reuerteretur, ne simul cum eo, rursus mutaret sedes. Non est æquum, inquit, vt tu, qui nuper venisti, nobiscum laborem sustineas. Iure autem est admiranda Dauidis lenitas, quem cùm inuaderet filius, & multo egeret auxilio, curâ gessit salutis proselyti.* Sic bonus Rex maluit auxilio carere, quam tenellum in fide habere socium discriminum. Quem spiritum vtinam vniuersi seruarent præsules: & tenellos, & infirmos in virtute nullis periculis crederent. Sic de Deo doctore Israëlitarum dicitur Exodi cap. 13. *Cùm emisisset Pharao populum, non eos duxit Dominus per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est, reputans ne forte pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum.* Ecce tibi, vt Deus recenter erutos de seruitute, & vix in plenam libertatem assertos periculis eripit, & belli discriminibus. Id, quod ponderans D. Greg. lib. 14. Moral. cap. 13. vt est in Glossa, inquit: *De Ægypto ergo exeuntibus è vicino bello subtrahuntur, quia derelinquentibus sæculum quædam prius tranquillitas ostenditur, ne in ipsa teneritudine, & inchoatione turbati ad hoc, quod reliquerant, redeant.* Expende illa: *Ne in ipsa teneritudine turbati*, &c. parcendum enim est teneritudini, & infirmitati, remotis periculis, ne ruina aliqua infirmis generetur.

Theod. Exod. 13 Greg.

§. IV.

In officiis, & obsequiis præferendum est gratiæ ministerium operibus naturæ.

VEnit Iethro ad Moysem cũ vxore, & filiis Moysis ipsius, qui dicitur occurrisse socero, & adorasse, & adduxisse in tabernaculum, ibíque illi Dei magnalia explanasse; ad filios autem, & vxorem nullum ostenditur verbum dixisse. Ait enim text. *Egressus in occursum cognati sui, adorauit, & osculatus est eum, salutauerúntque se mutuò verbis pacificis, cúmque intrassent in tabernaculum, narrauit Moyses cognato suo cuncta, quæ fecerat Dominus.* Ecce tibi erant coram Moyse, & filij, & vxor post longam absentiam reuersi, & Iethro socer eius; Moyses autem non dicitur osculatus filios, nec amplexatus vxorem, nec vllum illis verbum feciisse; sed solum dicitur osculatus socerum, illíque Dei magnalia explicasse. Cur non magis afficitur ad vxorem, & filios? Nactus socerum, cui diuina suggerat, quem trahat in mirabilium Dei agnitionem, non miror, quod non reputet filios præponens gratiæ opera naturæ. Est hoc sanctis mentibus commune, quod non reputent naturam, dum inseruiendum est gratiæ diuinæ. Nota est historia viduæ illius, ad quam confugit Elias tempore famis. 3. Reg. 17. quæ parum farinæ habebat, & adeò parum, vt vix posset implare manum vnam, & hanc farinam præparabat, vt ipsa, & filius semel comederent, & postea fami succumberent. Rem notans Elias petit à muliere, vt sibi prius quàm filio præparet farinam. Quid tunc illa? Despexítne prophetam præ filio? Absit, imò ait textus: *Quæ abiit, & fecit iuxta verbũ Eliæ*; nihil æstimauit filium, vbi prophetæ potuit inseruire, prorsus oblita naturæ, vt pietati, & religioni prospiceret. Vt dicat D. Chrysostomus hom. in Petrum, & Eliam, habita tom. 6. nuper edito: *Videre licuit naturam contemptam, & hospitalitatem honoratam: licebat videre eius viscera proiecta, & Prophetam susceptum, cum integram filiorum multitudinem sepulcro mandauit. Quantum enim fuit in viduæ proposito, omnes eius filij mortui sunt. Nescio certe quemadmodum huius viduæ laudes comprehendam, quæ se ipsam, & filios contempserit, & hospitalitatis studium secuta fuerit.* Sic præclara fœmina, vbi res erat exercenda virtutis, contempsit ipsam naturam, & docuit, vt filij, & totum genus erat postponendum diuinis. Non detrectant egregij viri, & genus proprium, & filios postponere pietati. Hinc cum Iosephus Iudæus esset iam à Romanorum parte, monebat Ierosolymitanos ciues, vt etiam ipsi se se dederent Romanis, salutémque sanctæ ciuitatis procurarent. Insuper hæc ad illos fatur apud Egepp. lib. 5. cap. 16. *Noui, & ipse, quia cum vestris simul periclitatur sanctissima mihi mater, & chara vxor, haud ignobile genus, & quondam domus chara. Ac fortasse propter meos hæc me suadere arbitramini: occidite eos, & accipite meum sanguinem mercedem, libenter hanc soluam mercedem vestræ salutis, si post me sapere potestis.* Expende illam egregij viri vocem, nimirùm: *Libenter hanc soluam mercedem vestræ salutis*, nimirùm, qui sanctæ vrbis, Israëlitarúmque salutem, vel filiorum, matris, & vxoris perditione compararet. Et dum saluanda esset populi sanctitas, totum suum genus perire mallet.

Chrysost. Egesipp.

Exod. 18. Lætatúsque est Iethro super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Israëli, eo quod eruisset eum de manu Ægyptiorum. Et ait, Benedictus Dominus, qui liberauit vos de manu Ægyptiorum, & de manu Pharaonis, qui eruit populum suum de manu Ægypti. Nunc cognoui, quia magnus Dominus super omnes Deos, eo quod superbè egerint contra illos.

§. V.

Ille verus virtutis affectus est, qui semper recens in obsequio est.

SAnè Iethro aliqualem de Deo cognitionem ex Abrahami prosapia semper retinuerat, quam, vt notat Cornelius, hauserat per Moysis consortium, quando illum generum quadraginta annis domi habuit. Ex quo plenissimè didicerat, vt Deus vnus erat omnium rerum potentissimus Creator, qui ab Israëlitis colebatur. Cur ergo modò dicit: *Nunc cognoui, quia magnus Dominus super omnes Deos*? Cur nunc dicit se noscere, quod illi scimus notum fuisse antea? Non negat antiquam Dei cognitionem in se esse, sed ostendit non esse antiquatam, sed ex tot Dei mirabilibus habere, quod modò renouetur, & quasi recens appareat. Et quidem nullo clarius ostenderet, qualis erga Deum fuerit antea, quam in eo, quod quasi in obsequio nouum, & recentem se conseruarit. Quò spectans Dominus Iesus Ioann. 13. aiebat: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.* Ecce mandatum dilectionis vocatur mandatum nouum, an quia nunquam antea exhibitum fuerat? Absit, ab initio enim dilectionis fraternæ mandatum præscriptum fuerat, sed ideo nouum dicitur, quia tantæ virtutis est nunquam ire in senium, sed sic esse, quasi modò quid recens, & nouum appareret. Ex quo Origen. homil. 9. in Numer. Dicit: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, cum vtique sciret olim datum esse mandatum in lege. Sed quoniam charitas nunquam cadit, nec mandatum charitatis aliquando veteráscit, hoc quod nunquam veteráscit, semper nouum esse prænuntiat. Semper enim obseruantes, & custodientes in se charitatis mundatum, nouos reddit in spiritu.* Nescit senium charitatis affectus, sed nouis semper stimulis animum exagitat; & vt in veritate Deo obsequitur, nouo, recentíque splendore semper appareat. Fœlix ille, qui se Dei amatorem ostendere satagit, veríque virtutum obsequiis ad Deum vadit. Mihi crede, longè ab hoc abest senij langor, & si per multa tempora virtuti incumbat, nouo semper lumine radiabit.

Ioann. 13. Orig.

Habent hoc præcipuum affectus, qui ad Deum ordinantur, qui quaſi in primo flore, recentique nitore ſeſe
Apoc. 21 oculis oſtendunt humanis. Hinc Angelus Apocal. 21. ait Ioanni: *Veni, oſtendam tibi ſponſam vxorem agni.* Expende illa: *Sponſam vxorem.* Sponſa eſt, quæ primo viro traditur, quæ adhuc eſt in feſto, & conuiuio nuptiali, recens in pacto coniugis, recens in domo viri, recens in thalamo. Vxor dicitur, quæ iam à nuptiarum feſtis longè abeſt, quæ in matrimonio diu perſeuerauit. Cur ergo Angelus vocat ſponſam vxorem agni? ſi vxor iã eſt, ad quid neceſſum fuit illam adhuc ſponſam nominare; Sanè proprium eſt hoc animarum illarum, quæ ſe immaculato adiunxerunt agno; & ſi diu illi hæreant, ſic ſunt, quaſi ſingulis momentis nouiter illi acceſſiſ-
Rup. ſent. Ait Rup. lib. 12. in Apoc. *Quare vtrunque dixit, & ſponſam, & vxorem agni: Videlicet, quia etiam illic, vbi iam vxor erit, ſponſa nihominus permanebit, quia nimirum in illa beata copula ſemper vxor cum filiis, ſemper ſponſa erit permanentibus nuptiis, & ſponſalibus feſtis.* Seneſcunt, & veteraſcunt, qui mundo copulantur, qui autem Deo iunguntur, ad Deúmque tendunt, ſic ſunt etiam poſt multa tẽpora, quaſi tunc primo acceſſerint,

Exod. 18. Obtulit ergo Iethro cognatus Moyſi holocauſta & hoſtias Deo: Veneruntque Aaron, & omnes ſeniores Iſraël, vt comederent panem cum eo coram Domino.

§. VI.

Deus non ſolis verbis, ſed & operibus colendus.

MVltus fuit Iethro in laudando Deo, eiúſque magnalibus extollendis, dum aiebat: *Benedictus Dominus, qui liberauit vos de manu Ægyptiorum*, &c. & rurſus: *Nunc cognoui, quia magnus Dominus.* At minimè contentus fuit iis laudis vocibus, ſed inſuper addidit opera virtutis offerens holocauſta. Ait enim: *Obtulit ergo Iethro cognatus Moyſi holocauſta, & hoſtias Deo.* Et meritò verbis opera addidit, ſine quibus non adeò placeret in voce laudis, vt adiungeretur populo IſraëlitaIoſue 2. rum. Ioſue cap. 2. inuenta fuit mulier gentilis Raab meretrix, quæ aiebat ad exploratores Iſraëlitas: *Audiuimus, quod ſiccauerit Dominus aquas maris rubri ad veſtrum introitum*, &c. Et poſt recenſita Dei magnalia, hoc effecit, vt exploratores cuſtodiret, & liberos diIoſue 6. mitteret. Quid tunc? Ioſue 6. *Raab verò meretricem, & domum patris eius, & omnia quæ habebat, fecit Ioſue viuere, & habitauerunt in medio Iſraël vſque in præſentem diem.* Sed & Gabaonitæ humiles venerunt ad IoſueIoſue 9. Dei etiam magnalia confitentes, dicunt enim Ioſue 9. *Venerunt ſerui tui in nomine Domini Dei tui. Audiuimus enim famam potentiæ eius, cuncta, quæ fecit in Ægypto.* Iis tamen tantis viris poſt pauca dicit Ioſue: *Sub maledictione eritis, & non deficiet de ſtirpe veſtra ligna cædens, aquáſque comportans in domum Dei mei.* Compone modò meretricem Raab cum Gabaonitis, & Raab, & Gabaonitæ prædicant magnalia Dei, eiúſque extollunt facinora. Raab autem inter Iſraëlitas admittitur, repelluntur Gabaonitæ. laboriosáque plectuntur ſeruitute. Cur ergo, quando Raab, & meretrix, & gentilis fœmina ad populum Dei admittitur, Gabaonitæ ſeruitute obſtringuntur? Raab, & verbis Dei laudantibus addidit opera inſignia virtutis exploratores eripiens periculo; Ganaonitæ autem verbis hærentes, nullum virtutis opus efficiunt, ideò indigni habentur,
Orig. qui populo Dei poſſint adiungi. Ait Origen. hom. 10. in Ioſue: *Raab meretrix, quæ fide integra credidit, & exploratores Iſraëliticos pleniſſima deuotione ſuſcepit, ex integro in conſortium populi, ſocietatéſque ſuſcepta eſt. Gabaonitæ dicunt; quia audiuimus, quanta fecit vobis Dominus per mare rubrum, & in deſerto. Et cùm hæc dicerent, & audiſſe ſe, & ſcire de diuinis mirabilibus faterentur, nihil tamen fide dignum, nihil tantorum virtutum admiratione geſſerunt. Et ideò Ieſus moderationem circa illos iuſtiſſimam ſeruat, ne ſummam regni, vel libertatis acciperent, pro eo, quod fides eorum nullo operum nobilitaretur acceſſu.* Illa ad Dei populum accedit, quæ & Deum verbis extollit, & operibus: qui autem multa de Deo profitentur, nullo autem opere nobilitantur, ij minimè pertinent ad populum Dei, quin imò reprobi ſpiritus viam terunt. Quid enim magis commune reprobis ſpiritibus, quàm multa de Deo noſſe, & prædicare, & ad nullum opus deſcendere? Ecce tibi vt Sathanas loquebatur ad Ieſum Mar. 1. *Quid nobis, &* Mar. 1. *tibi Ieſu Nazarene? Veniſti perdere nos. Scio, qui ſis ſanctus Dei.* Sic Diabolus oſtentat ſuam de Deo ſcientiam, ſic confitetur Deum, eiúſque ſanctitatem prædicat, ſed quia verbis opera non adiungit, Diabolus eſt. Ex quo monebat Diuus Iſidorus Peluſ. lib. 1. epiſtol. Iſid. Pel. 180. aiens. *Non verborum enuntiatio, verum rerum adminiſtratio diuinæ doctrinæ conſectatorem hominem reddit. Nam neque vetus ille rebellis propterea quod diuina oracula memoria tenebat, ob eorum cognitionem laudem merebatur; verum contra abiiciendus, ac deteſtandus erat, quod cum ſcientia prædituſ eſſet, actionem inficiaretur, ac reſpueret.* Diabolicum eſt diuina ſcire, & prædicare verbis, & longè abeſſe à præſtandis virtutis operibus.

§. XII.

Memoria Dei efficaciſſima ad continendos in virtute homines.

COnuiuarum moderationem pulchris verbis explicat textus ſacer, fatus: *Vt comederent panem cum eo coram Domino.* Vbi enim Deus coram eſt, maximè ſe continent appetitus humani, ne vltra metam ſaliant. Vndè monebat Eccleſiaſticus cap. 14. *Beatus* Eccl. 14. *vir, qui in ſapientia morabitur, & qui in iuſtitia ſua meditabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei.* Hoc eſt præſtantiſſimum medium beatitudinis humanæ, quod præ oculis habeamus Deum circunſpicientem omnia. Dum enim noſter ſenſus Deum coram habet, ægrè credam, quod à recta virtutis via exorbitabit. Quis neſciat duriſſimum Ioſephi pro caſtitate certamen? Ait Gen. 39. *Poſt multos itaque dies iniit* Gen. 39. *Domina ſua oculos ſuos in Ioſeph*, &c. Iniecit itáque fœmina oculos in Ioſeph; hoc eſt, iniecit validiſſima tela, exploſit globos ardentes, applicuit tormenta militaria, quæ tenerum iuuenis animum quarerent, & expugnarent. At Ioſeph quo ſe ſcuto muniuit, vt liber euaderet? Quatiebatur bonus extrinſecùs crebris mulieris machinis; intrinſecùs flammas ſubſtinebat ætatis; omnia tamen ſuperauit, Deum præ oculis habens. Pulchrè rem attigit Diuus Baſilius Sel. orat. 8. *Luctator adoleſcentulus, ætas eiuſmodi, quæ temperantiam prodat; ſeruitij humilitas, quæ generoſos animos deprimat; Dominæ adulationes perpetuæ, quæ ſpe varia conſtantiam ſoluerent. Taceo externas mulieris artes, fucum, verba, veſtes, oculorum pellaciam, naturales corporis infractiones. Verum, qui tot vndique iaculis petebatur, vnum contra omnia telum memoriam tenuit Creatoris.* Memoriam, inquam, Creatoris tenet, & ridet omnia tela aduerſariorum. Vix enim poteſt exorbitare à virtutum regulis, qui Deum in omnibus habet præ oculis. Imò nullum bonum non educit inde. Quapropter Eliezer ille Abrahæ ſeruus poſtquam abiit Meſopotamiam, vt vxorem quæreret filio Domini ſui; & poſt hanc inuentam Gen. 24. dicebat puellæ parenti- Gen. 24. bus: *Nolite me retinere, quia Dominus direxit viam meam*; fatetur viam ſuam in omnibus fuiſſe directam, in nullo declinaſſe, nec vllum impedimentum ſenſiſſe. Et vnde tam longi itineris difficultates tam proſperè deuicit? Ait: *Quia Dominus direxit*, &c. Neſcit

non

non agnoscere in omnibus Deum præsentissimum, quem præ oculis habens, nullum malum experitur, sed omnia bona acquirit. Ait Theodoret. ser. 8. de prouid. *Dixit; ne detineatis me, quoniam Dominus prosperam fecit viam meam. Et sermones suos vbique diuini nominis mentione exornat, & bonorum largitionem inde trahit.* Ecce tibi quo medio, sibi abundantiam parat bonorum, nimirùm ex diuini nominis mentione, & memoria, qua singulos exornat sermones. Nec verbum profert, cui non assuat Dei mentionem, sic mala fugat, & sibi accumulat bona. Et quæ bona non trahat, qui præ oculis habet Deum in actibus suis? Sanè Dauid canebat Psalm. 95. *Tunc exultabunt omnia ligna syluarum à facie Domini, quia venit.* Quæ verba expendens D. Greg. Taumat. putat Dauidem diminutum fuisse, dum quæ exultarunt coram Domino, vocat ligna syluæ, nempè ligna infructifera; nequit enim fieri, quod planta aliqua Dei conspectu gaudeat, & sterilis permaneat, & non multos fructus faciat. Ait Taumaturgus ser. 1. in Annunt. fatus: *Hodie Dauidicum adimpletum est oraculum, quod dicit; Gaudebunt campi, & omnia ligna syluæ à conspectu Domini, quoniam venit. Et Dauid quidem ligna dicit: Præcursor verò Domini arbores facientes fructus dignos pœnitentiæ, imò Domini aduentu, nuncupat.* Meritò præcursor in hoc supra Dauid se extulit, vt non putaret coram Domino esse ligna sterilia, sed fructiferas arbores, quæ de Dei præsentia arcerent à se sterilitatem, & virtutum fructus facerent.

Theodor. Psal. 95. Taumat.

Exod. 18. Altera autem die sedit Moyses vt iudicaret populum, qui assistebat Moysi à mane vsque ad vesperam. Quod cùm vidisset cognatus eius, omnia scilicet, quæ agebat in populo, ait: Quid est hoc, quod agis in plebe? Cur solus sedes, & omnis populus præstolatur de mane vsque ad vesperam? Cui respondit Moyses: Venit ad me populus, quærens sententiam Dei. Cúmque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me, vt iudicem inter eos, & ostendam præcepta Dei, & leges eius. At ille: Non bonam rem facis, stulto labore consumeris, &c.

§. VIII.

Lingua diuino assueta conuiuio efficacissima est ad homines trahendos in virtutum studia.

POst cœnam cum socero, & Principibus peractam illucescente die, statim Moyses sedet iura dicturus populo; ait enim: *Altera autem die sedit Moyses, vt iudicaret populum*, &c. Prius explicatum fuit, vt excepit socerum, vt cœnam struxerit, & statim subiicit, vt cœpit recrudescere gubernationis onus. A cœna itaque ventum est ad ius dicendum, vt lites componeret, & in iustitiam traheret populum. Quod notans Lyppomanus in cat. fatur: *Post gaudia sanctæ societatis, & cœnam honestissimam, statim sanctus redit ad officium consulendi, & consulendi grauatis, dirimendi controuersias, pro fouenda charitate, & seruanda in tanto populo.* Expende quæso, vt post cœnam statim redeat ad officium pro dirimendis controuersis, pro hominibus continendis in charitate. Est equidem cœna magna, quam fecit Deus populis suis, quam qui manducat, non miror, si multus sit in dirimendis litibus, in trahendis hominibus ad charitatem. Sanè D. Greg. Nazianz. orat. 17. vt rigidum hominem pecuniarum regalium exactorem, ad mansuetudinem, & debitam moderationem, traheret, sic fatur: *Christum tibi offero, Christique pro nobis inanitionem, & crucem, & clauos, atque adeo mensam hanc, ad quam communiter accedimus, salutisque meæ typos, quos eodem ore perago, quo hanc ad te precationem ab eo.* Pondera ab illis: *Quos eodem ore per ago, quo hanc ad te precationem ab eo:* indè sanctus extollebat efficaciam suæ orationis, quod prodiret oratio ab illo eodem ore, quod assuetum erat conuiuio Saluatoris. Quis enim resistat linguæ madidæ diuino cruore? Quis non trahatur ad omnem moderationem sectandam verbis illis, quæ proferuntur ore, quod semel, & bis impleuit dominicum corpus? Psal. 127. ait Dauid: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Ecce qui manducat laborem manuum suarum illam beatitudinem in hac etiam vita sortitur, qua non patitur filios rebelles, filios, qui velint abire in regionem longinquam, vt inscio parente substantias suas dissipent. Quin imò huius filij adeò sunt morigeri, vt semper in circuitu sint paternæ mensæ, nec aliquid petunt, quod separatim manducent cum amicis suis. At qui cibus patrem adeò fœlicem in filiis fecit? Puto hoc à solo dominico cibo posse venire; vbi enim pater diuinis epulis assuescit, ab eius ore prolata verba efficacissima sunt, vt filiis persuadeat, quicquid virtutis, quicquid iustitiæ, & pietatis velit. Ait ibi Arnobius: *Labores fructuum tuorum manducabis, id est, carnem filij hominis. Et te sicut vite proficiente in sanguine Christi; illi sicut nouellæ oliuarum proficiunt in circuitu mensæ tuæ, vbicunque conuiuium illis verbi Dei exhibebis.* Equidem dum tu assuescas linguam tuam diuinis epulis, dum carnem filij hominis digno excipias ore, pulchris te operibus, & laboribus præparans ad illam excipiendam, vt sic in diuino cibo proficeris; similiter alumni tui, filij tui proficient, quotiescunque illis verba feceris. Præsentissimos habebis homines ad tua mandata exequenda, dum illa iniungas satur diuinis epulis.

Lyppom. Psa. 127. Arnob.

§. IX.

Vbi leges mundiales, & profanæ maximè florent, ægrè, & difficulter homines in virtute, & pietate conseruantur.

QVi populi sui virtutem, & religionem procurabat Moyses, nullas etiam in iudiciis ciuilibus leges versat, nisi leges Dei; procul arcens à tribunali suo, & leges, & placita hominum. Quippè ait: *Venit ad me populus quærens sententiam Dei. Cúmque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me, vt iudicem inter eos, & ostendantur præcepta Dei, & leges eius.* Sanè multa erant tunc temporis sapientum placita pro litibus in Republica dirimendis, ex quibus postea Romani Imperatores ciuiles vniuersas leges condiderunt. His omnibus prætermissis, & reiectis Moyses in suo populo: noluit, quod alia agitaretur lex, aut præceptum, nisi lex, & præceptum Dei. Nouit prudentissimus vir, quàm difficulter, & ægrè supernaturales virtutes conseruentur inter forensium disputationum strepitus. Vbi enim humana placita de rebus terrenis potiendis agitantur, vix locus relinquitur Deo. Vbi Christus Dominus fuit à perfidis comprehensus, de Petro locutus Matth. 26. fatur: *Petrus verò sedebat foris in atrio: & accessit ad eum vna ancilla, dicens: Et tu cum Iesu Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus, dicens: Nescio, quid dicit.* Quid maiori monstro simile? Petrus ille, qui acuto visu perceperat diuinum in Christo originem, modò ignorat Christum. Vndè tanta, tamque culpabilis ignorantia venit in tantum virum? Ait textus: *Sedebat foris in atrio*, sedebat Petrus in atrio Principis, vbi forensis strepitus, vbi causæ agitabantur, vbi iurisprudentum placita ponderabantur, & statuta hominum, traditionésque maximè spectabantur; nec miror, quod inter hæc Dei ignorantiam incurreret. Ait Origen. hom. 35. *Forsitan autem quicunque est in atrio Cayphæ Principis Sacerdotum non potest confiteri Dominum Iesum. Nam qui illic sunt iudicum traditiones, & non secundum voluntates Scripturarum sed secundum*

Mat. 26. Origen.

cundum mandata hominum, & doctrinas tradent. Heu forensibus rerum publicarum atriis, in quibus hominum placita, & statuta maximè vigent; vbi nihil supra fundos terrenos cogitatur, & hoc iuxta commenta hominum, fallar, si ibi quàm primum Deus non adnegatur. Efficacissimæ sunt terrenæ istæ sapientiæ, vt homines ad terram trahant, vt nihil supra terram valeant æstimare. Quò refero illud Danielis 1. vbi de pueris Israëlitis selectos aliquos tradidit Nabuchodonosor magistro: *Vt doceret eos literas, & linguam Chaldæorum.* Ex quo non nemo in quæstionẽ vocauit, an tres Israëlitæ pueri, nimirum, Ananias, Azarias, Misaël ciuiles etiã Chaldæorum literas, profanásque illorum sapientias, quæ temporalia solum spectabant, percalluerint? Cui pul-
Isid. Pel. cherrimè, & sapienter respondit D. Isidor. Pelusiota lib. 3. epist. 139. fatus: *Tres illi pueri, ac Daniel curiosam, & superuacaneam Chaldæorum disciplinam minimè didicerunt; caue id existimes. Quod autem ita sit, ex eo perspicuum est, quod regiam imaginem haud quaquam adorarunt.* Expende vim argumenti, vndè sanctus doctor demonstret tres illos pueros non fuisse deditos terrenis Chaldæorum scientiis, studiisque, nimirùm ex eo, quod non adorauerunt imaginem regiam. Quis enim ex mundi sapientibus non adoraret, vel vmbram regiam; & verum Deum passim postponeret Regibus? Sanè ea est vis studiorum temporalium, quæ vt Regum decretis nituntur, prudentúmque hominum placitis, sic facili negotio Deum posthabent creatis.

§. X.

Diuina præcepta non humanis placitis commentenda.

VIde præclari gubernatoris normam, nimirum: *Ostendam præcepta Dei, & leges eius*; non propria placita non proprij cerebri additiones, strictiones, aut ampliationes, sed vt sunt in se Dei præcepta, & leges, proponit popularibus, id enim certissimum ruinæ principium est, quod gubernator diuina præcepta propriis
Gen. 2. permisceat placitis. Præceperat Deus Gen. 2. *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Quod præceptum referens Eua c. 3. ait: *Præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud.* Ecce de suo addidit: *Ne tangeremus*; in quo iam notabatur initium sequentis lapsus. Fieri enim vix potest, vt subditi in obseruantia contineantur, quando gubernator ex proprio cerebro strictiones
D. Amb. diuinis præceptis addit. Ex quo ait D. Amb. lib. de Parad. cap. 12. *Quantum præsens lectio docet, discimus nihil vel cautionis gratia iungere nos debere mandato. Si quid enim vel addas, vel detrahas, præuaricatio quædam videtur esse mandati. Pura enim, & simplex mandati forma seruanda. Tangetis, enim Deus non dixerat, sed comedetis. Sed tamen lapsus incipit esse principium.* Vbi mulier addidit præcepto de suo, iam ibi principium erat lapsus, quot additiones, strictionésque præceptis diuinis ponuntur,
Psa. 118. tot lapsibus occasiones dantur. Hinc Dauid Psal. 118. *Domine dissipauerunt legem tuam*: vbi Chaldeus: *Domine adduxerunt discipuli legem*: quippè in idem ostenduntur recidere additio, & dissipatio. Creditur legem Dei dissipasse, qui illi de suo aliquid addit necessarium. Quò
Apo. 22. spectans Ioannes Apocal. 22. ait: *Contestator omni audienti verba prophetiæ libri huius, si quis apposuerit ad hæc: apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ.* Quid seuerius? Et tamen Ioannes totam hanc seueritatem effundit in eos, qui præsumpserint aliquid addere, vel detrahere dictis in
D. Amb. Apocalypsi. Quò circa D. Ambr. suprà, ait: *Si Ioannes hoc iudicauit de suis scriptis, quanto nihil diuinis mandatis est detrahendum? Hinc ergo cœpit præuaricatio prima esse mandati.* Et hinc incipiunt præuaricationes mandatorum innumeræ; si nimirùm, vt necessarium quid addatur præceptis diuinis.

Exod. 18. Audi verba mea, atque consilia, & erit Dominus tecum. Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt referas, quæ dicuntur ad Deum, ostendésque populo cæremonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus, quod facere debeant. Prouide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, &c.

§. XI.

Quæ ad Deum pertinent, hæc prima, & præcipua in Republica sint.

SApienter Iethro vbi consulit Moysi rectam munerum distributionem, qua Respublica stabiliri debet; illud in primis consulit, nimirùm: *Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent*, &c. Ante tribunos, & ciuilium causarum iudices, & moderatores nominatos, hoc in primis decernit, vt omnium primus, & præcipuus nempe Moyses constituatur in iis, quæ sunt ad Deum. Sic sapiens homo etsi ethnicis disciplinis innutritus agnouit, quod primum stabilimentum Reipublicæ in eo consistit, quod prima, & principalis cura habeatur eorum, quæ sunt ad Deum. Similiter Exod. 28. cum Moy- *Exo. 28.*
ses accipit à Deo leges, audit Deum dicentem: *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis, vt sacerdotio fungatur mihi*; vbi etiam de sacerdotum vestibus multa dicuntur, cum interea nullum verbum faciat Dominus de Rege constituendo, donec post multos annos, imò post aliqua sæcula vẽtum est ad Samue-
1. Reg 8. lem 1. Reg. 8. vbi dicit: *Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis*, &c. Ecce tibi Dominus populũ suum sine Rege voluit esse plurimis annis, sine Sacerdote nec vno die. Et cur Deus prius de Sacerdote instituendo, quam de Rege curauit in populo suo, nisi vt ostẽderet, quam debeant esse prima, & præcipua ea, quæ ad Deum pertinent, in Republica, quæ firmiter stabilitur? Ex quo aiebat D. Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 249. *Ex sacerdotio,* *D. Isidor.*
& regno Rerum administratio conflata est, illud enim velut anima est, hæc velut corpus. Quapropter cum Iudaicæ res initium sumebant, sacerdotium, vt magis necessarium institutum est, ac per diu durauit. Posteaquam autem cum carni addictiores, atque crassiores essent, regnum poposcerunt: Illud ipsis concessum fuit, quippè, quod vilissimum esset, atque eorum, qui sacerdotio minimè parebant, peccata coërceret, ac restringeret. Sic regnum in Republica constituenda, vt quid vilius, & infirmius sacerdotio fuit postponendum. Illud enim vt primum, & præcipuum Reipublicæ stabilimentum est, quod ad Deum pertinet, sine quo nequit populus nec ad vnam diem stabilis esse. Quò spectans Daniel cap. 9. vt ex Græco legit *Daniel.*
Theodoretus: *Post hebdomadas sexaginta duas destruetur vnctio, & iudicium non erit in eo.* Quibus verbis denotari euersionem Ierosolymitanæ vrbis post Christi Domini necem multis probat noster Pererius lib. 10. in Danielem. In cuius destructionis capite illud ponitur, nimirùm: *Destruetur vnctio*, hoc est, iuxta Theodo- *Theodor.*
reti explicationem: *Quia ab Herode occisus est Hircanus pontifex, post quem non fuere Pontifices legitimi.* Et meritò in populi ruina primas obtinet interemptio sacerdotũ; deficientib. enim iis, qui ad Deum pertinent, nequit inde nõ perire populus. Ad quæ præclarè D. Isidor. Pelus. *D. Isidor.*
vbi suprà: *Exterminabitur vnctio, & iudiciũ non erit in ea, per vnctionem videlicet sacerdotium indicans, per iudicium autem regnum, ac ciuilem statum. Ac maximè quidem per sacerdotij extinctionem, regni quoque, & aliarum rerum omnium extinctionem demonstrat. Sublato enim, quod caput erat, maioríque momenti, ne aliud quidem quicquam consistere poterat. Nam regni basis pietas erga Deum erat, quæ in Dei cultu posita censebatur.* Sic ibi, & sapienter,

& pul

& pulchrè, & omnino verè. Nihil enim est verius, quàm quod in Reipublicæ conseruatione primatum teneat religio. De quo sæpe aliàs à nobis dictum est, & in præsenti libro, & in aliis antea exhibitis.

§. XII.

Dependentia ab alio efficacissimum telum potest esse ad prosternendum iudicium.

VIde primam iudicum præclarorũ basim, nimirùm quod sint viri potẽtes: quippè ait: *Prouide de omni plebe viros potentes*: nimirũ, potentes, qui nullius egeãt, sed sibi sufficientes sint, nec aliorum potentia nitantur. Est equidem præsentissimum iustitiæ exercẽdæ offendiculum, quod iudex dependeat ab alio, eiúsque indigeat iuuamine. Quis enim obsistet illi, cuius indiget brachiis, vt sibi necessaria adipiscatur? Iobo multa tela immisit Diabolus, vt fortissimum Dei athletam expugnaret; oues, bouésque eius absumpsit, prædia deuastauit; filios, domus ruina oppressit, afflictúmque iis calamitatibus, innumeris morbis percussit, adeò vt suis grauis cogeretur extra vrbem, extra domũ, in sterquilinio iacere multis doloribus, multis ægritudinibus agitatus. Sed ægrotanti obiecit vxorem, quæ blasphemiam in Deum persuadeat. Quippè ait c. 2. *Egressus Sathan à facie Domini percussit Iob vlcere pessimo à planta pedis vsque ad verticem eius, qui testa saniem rodebat sedens in sterquilinio. Dixit autem illi vxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere.* Expende quãdo introducta est vxor ad Iob, vt persuadeat blasphemiam, nimirùm, cum Iob vlcere pessimo percussus miserè ægrotabat. Et cur in primis calamitatibus, in armentorum incendio, in bonorum ruina non introducitur vxor locuta talia? Cur in filiorum charissimorum morte non magis adest vxor marito flens, & plangens, eiúsque exacerbans animum, & in voces blasphemas trahens? Cur inter tot calamitates tacens, in tempus ægritudinis locutura reseruatur? O nequitia Diaboli! Nunquam vir magis dependet à fœmina, quam dũ infirmus est, tũc maximè indiget vxoris cura, & auxilio homo, quãdo ægrotat; ideò Diabolus in illud tempus reseruat vxoris introductionem, & eius consilium nefarium, quando Iob ægrotabat; sciens quàm validus sit, vel halitus illius, cuius auxilio, & fauore eges, vt in quodliber traharis piaculum. Ad hæc aiebat
Chrysost. D. Chrysost. hom. 5. de Iobo, fatus: *Respice malitiã Diaboli. Neque enim bobus pereuntibus, hac mulieris machinatione vsus est, neque asinus, neque camelis, neque domo diruta, neque liberis macerie tumulatis. Sed tacet tandem, atque silere permittit. Cùm autem vermium fons erupit, pellémque corrũpi, atque dilabi vidit exesam carnem sanie. Tunc ipsam introduxit, & inquit: Quousque sustines? Benedic Deo*, &c. Cùm primum Iob vlcere percussus egebat fœmineo iuuamine; tunc introducitur vxor à Diabolo, vt extorqueat piaculum. Et quid nõ extorqueat vox illius, à quo dependes, cuius eges auxilio, & iuuamine? Fallar, si sit telum efficacius ad deiiciendum iudicis animum, quam vel syllaba pronuntiata ab eo, cuius nititur brachiis, vt commoda sibi adipiscatur. Quid non ferat ille, qui infirmus est in illo, cuius nititur brachiis? Iustissimus erat Dauid, vt tamen sciuit Abnerum occisum à
2. Reg. 4. Ioab, non ausus est occisorem plectere: sed ait 2. Reg. 4. *An ignoratis, quoniam Princeps, & maximus cecidit hodie in Israël? Ego autem delicatus adhuc sum, & vnctus Rex. Porro viri isti filij Saruiæ duri sunt mihi, retribuat Dominus facienti malum.* Ecce cognoscit vir iustissimus patrati à Ioab criminis magnitudinem, & nihilominùs non audet illud vindicare. Cur non audet? Ait: *Ego delicatus adhuc sum*, &c. erat ipse adhuc recèns in regno, viribus infirmus; Ioabi opera, & valentia egens, & ideò
Theod. non audet illi non morem gerere. Ex quo Theod. ait 3. Reg. 2. q. 4. *Quare Dauid non puniuit Ioab? Primum quidem cum est reueritus, vt qui fuerit laborum, & periculorum socius. Deinde etiam suspectam habuit eius audaciam.* Quem socium in periculis habuit, cuius potentia in laboribus vtebatur, vt regnum sibi assereret, veritus est contristare. Sic etiam iustissimus Rex non audebat in crimina illius, à quo dependebat in regno stabiliendo, comparando. Qui ergo in throno edet iudicaturus, nullam dependentiam habeat ab alio, nisi velit, & crimina dissimulare, & trahi in scelera maxima.

§. XIII.

Virtutum simulatio, & non veritas detrimentosa gubernatori, imò & omnibus.

VIde aliud certissimum gubernatoris optimi insigne, nimirùm: *In quibus sit veritas*: nunquam enim veritatis despectio gubernatori potuit esse salutaris. Ex 3. Reg. 13. habes vt homo Dei, vir propheta iret in do- *3. Reg. 13.*
mum suam: *Qui cum abisset, inuenit eum leo in via, & occidit.* Et mirabar, quod leo ausus esset percutere hominem Dei, quando leones famelici Danieli præstabant reuerẽtiam: Cur sicut in Daniele sic & in isto propheta suam seruitutem non magis leones profitentur? Ait D.
Chrysost. Chrysost. in Psal. 3. *Peccauit propheta mentitus, & leo eum in via inuentum morte affecit. Erat mẽdacij fuligine atratus, & leo eũ non cognouit. Dominus mentitus est, & seruus negauit Dominium.* Adeò detrimentosum est Dominis, Gubernatoribus, iudicibus, quod à veritate deflectant, quod mendaciis, & simulationibus studeãt. Nunquam mendacium, nunquã simulatio non lethalis erit Præsulibus. Absalon vt cœpit velle præripere sibi regnum, id agebat, vt simularet in se notas thronorum virtutes. Quippè ait 2. Reg. 15. *Mane consurgens Absalon stabat* *2. Reg 15.*
iuxta introitum portæ in via, & omnem virum, qui habebat negotium, vt veniret ad Regis iudicium, vocabat Absalon ad se, & dicebat: De qua ciuitate es tu? Qui respõdens aiebat: Ex vna tribu Israël ego sum seruus tuus. Respondebátque ei Absalon: Videntur mihi sermones tui boni & iusti, sed non est, qui te audiat constitutus à Rege. Dicebátque Absalon: Quis me constituat iudicem super terram, vt ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iustè iudicem? His, & aliis subdolè effictis Israëlitarum animos solicitauit, in regnum deuenit, sed vix regiam coronam prendit, & ex arbore suspensus miserè animam efflauit. Et cur miser tam citò sceleris sui pœnas dabat regni simul, & vitæ perditione? Ait D. Isidor. Pelus. lib. 3. epist. *D. Isidor.*
219. *Absalon quidẽ a diuina iustitia supplicio affectus est, quod ex authorandi patris causa, probi iudicis speciem præ se tulisset, subditósque per huiusmodi lenocinium sibi deuinxisset.* Itáque dum Absalon non veritatem, sed speciem tantum referret probi iudicis, vt sic animos populares traheret, quam primum à diuina iustitia è regno fuit exterminatus. Eodem respiciens D. Ambr. lib. 2. offi- *D. Amb.*
cior, cap. 22. ait: *Exemplis asserimus nostras probemus, quoniam, quæ dissimulata sunt, diuturna esse non possunt; sed tanquam ad tempus virentia, citò decidunt. Absalon filius Dauid sermonibus diligebat singulos. Conuertit in se corda omnium. Vbi autem parua processit dilatio, non potuerunt tolerare, ac sustinere.* Citò, mihi credite, decidit principatus illius, qui simulatis virtutibus nititur non veris. Et quando Deus non disperdit eos, qui virtutes sibi adscribunt, quas non habent? Matth. 22. in *Mat. 22.*
nuptiali conuiuio inter fulgentissimos discumbentes homo apparuit, qui non habebat vestem nuptialem, quem videns Deus statim ante finitas nuptias iubet hominem in tenebras exteriores præcipitari: *Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Cur Domine in homine perdendo non magis cunctaris? Cur saltem non finis finiri nuptias, sed inter ipsa nuptialia festa; inter fercula conuiuij, miserum carnificibus tradis? Ait D. Amb. ser. 3. de Natiuit. *Propterea* *D. Amb.*
ergo sublatis manibus, & pedibus in tenebras exteriores

expellitur, non solum quia peccator erat, sed quia cùm peccator esset sanctitatis sibi meritum vendicabat. Equidem sustinet Deus diu peccatores alios, sed simulatores vix patitur. Salomoni eripitur regnum decem tribuũ propter idololatriam, & datur Ieroboamo 3.Reg.11. dicit: *Scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo.* Sed & Ieroboamus Idololatra erat futurus, & omnes decem tribus idolis seruiebant. Cur ergo Reges Iuda peius audierunt propter idololatriam, quàm illæ? Theodor. q.43. *Prophetæ magis accusant tribum Iuda. Etenim iussus est Osea meretricem accipere ad arguendam apertam impietatem decem tribuum; est enim manifesta meretricis impudicitia; adulteram autem in typum Iudæ, quoniam cum simul cum Deo videretur habitare per templum, clanculum seruiebat idolis.* Vt enim adultera sub vmbra viri dissimulat congressus adulteri, sic tribus Iuda sub prætextu veræ religionis dissimulabat idololatriam, in quo magis offendebat, quam decem tribus, maiorique afficiebatur supplicio.

3.Reg.11

Theod.

§. XIV.

Nequit esse potentia in quo est auaritia.

VT in iudices mandat eligi viros potentes, sic diligenter cauet, ne sit in illis auaritia; ait enim: *Qui oderint auaritiam*; nequit enim fieri, quod potens in aliquo sit, qui tenetur amore pecuniæ. Quis Iuda fortior cum sincerè sequebatur Christum? Et morbos abigebat, & dæmonia cum cæteris Apostolis expellebat. Vbi autem diabolico cœpit impleri spiritu, quid illo infirmius? Suum ipse reatum nõ valet sustinere, sed præcordis imbecillitate se suspendit, & interemptus est. Vnde tanta illi potestas fuit; & vnde simul illum affecit tanta imbecillitas? Pulchrè ait D. Ambr. ser. 12. in Psal. 118. *Venit, & introiuit in Iudam Sathanas, & cœpit dicere: Non est tuus Iesu sed meus est. Denique ea, quæ mea sunt, cogitat, quæ mea sunt, in pectore suo voluit, à te panem accipit, a me pecuniam.* Expende illa: *A te panem accipit, à me pecuniam*, quippè inde Hispani solemus seruorum imbecillitatem, & miseriam exprimere, quod à Dominis suis non cibos, sed pecunias accipiunt, quæ & facile labuntur, & miseros famelicos relinquunt. Dicimus námque, *les dan la racion en dinero*, ex quo & imbeciles, & famelici exprimuntur. Hinc æstimari debent sectatores Christi, & serui diaboli; Christus námque suis pané porrigit, & adipe frumenti cibat; quo maximè cõfirmantur, & stabiliuntur. Dæmon autem suis non panem offert, sed pecunias, quibus in summam imbecillitatem, & infirmitatem rediguntur. Vt enim qui non cibos, sed pecunias accipit, sẽper famelicus, imbecillis est; sic qui amore tenentur pecuniarum, nequit fieri, quod habeant ad aliquid potentiam, aut virtutẽ. Hinc 3.Reg.21. *Locutus est Achab ad Naboth dicens: Da mihi vineam tuam: Dabo tibi pro ea, si commodius tibi putas, argenti pretium, quanti digna est. Cui respondit Naboth: Propitius sit mihi Dominus ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.* Sic bonus vel ad argenti nomẽ fugit, mallens in vineis, quam in numis esse diues, cauénsque numorum possessionem, vt quæ magis soleat esse in perniciem. Ait enim D. Ambr. lib. de Nabothe c. 3. *Quasi quandam contagionem sui, pecuniam esse diuitis arbitratur, quasi dicat. Pecunia tua tecum sit in perditionem: Ego autem hæreditatem patrum meorum non possum vendere.* Meritò cauebat pecuniam auarorum, vt quæ contagio esset similis in infirmandis cordibus.

3.Reg.21

D. Amb.

§. XV.

Maxima iustitiæ firmitudo in Dei amicitia fundatur.

NOn otiosè in iudicibus illud Iethro requisiuit, nimirùm: *Qui timeant Deum*; hoc est, qui vereantur Deum sibi inimicum, & aduersarium facere; quin potius in eius amicitia confirmari gaudeãt. Quis enim sic à Dei cauet inimicitia, & eius amicitiæ retinendæ studet, & non firmissimè iustitiam tutatur? Ait Psalm. *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Expende, vt Dei amicorum principatus nimis sit confortatus, ne ad sinistrã, dexterámve labatur. Maxima enim firmitudo iustitiæ in Dei amicitia fundatur. Quo circa ait D. Isid. Pel. lib. 1. epist. 290. *Imperiorum robur, ac firmitas Dei amicitia est. Ex quo sequitur, eum qui robustè imperium gerit, Dei amicum esse. Mihi enim, dicit, honorati sunt amici tui Deus: nimis cõfortatus est principatus eorum. Quo circa si Dei amicus esse cupis, fac robustè præsis, hoc est, nec muneribus, nec amicitia verum dignitati, ac merito ius præbens.* Nullus, (mihi crede) robustius præsidet, quam ille, qui amicitiæ diuinæ, & acquirendæ, & conseruandæ intendit. De hac enim diuina amicitia venit, quod sic confirmeris, vt nullius iniquitati cedas.

Psal.

D. Isidor.

CAPVT XX.

De electione septuaginta seniorum.

MVltis iuxta Horeb gestis circa tabernaculi cõstructionem, sacerdotum ornatum, victimarũ pompã; per tubarum argentearum sonitum in Pharan expeditio paratur. Quò cum primũ accesserunt; & ira Dei & murmur populi, & Moyses ipsius pene immẽsus labor rerardauerũt inde profectum. Nam nunquam nõ querulus populus, & laboris impatiens in Deum ductorem vehementer impegit, & iræ diuinæ in ipsum ardentissimas traxit faces. Exurebatur funditus; in flãmas restingueret Moysis oratio. Et vix à tanto recreati supplicio, in scelus aliud præcipitantur, dum & vulgus promiscuũ, & multi ex Israëlitis cœlestes mannæ escas nauseæ dabant, rusticis, & vilibus Ægyptiorum cibis inhiantes. Tunc prorsus Moyses desperat posse suis viribus sufficere iniquissimo populo, & oneri supra vires aucto succũbens crebris gemitibus solicitat diuinã pietatem, quæ vel pondus tollat, vel cũ aliis partiatur. Annuit petenti Deus, de cuius imperio septuaginta viri è præstãtissimis Israëlitarum seliguntur, qui propheticis cãtibus in sanctuario diuinũ sibi inditũ spiritum repræsentabãt. Duo ex illis Eldad & Medad non in sanctuario, sed adhuc versantes in castris, nihilominùs propheticis vocibus cœperunt intonare. Rem indignatus Iosue puer mysterij nescius vrget Moysem, vt silentiũ hominibus mandet. At non is erat Moyses, qui aliorum virtutibus inuideret; imò iuuenem docet, quam ipse optet, vt vniuersi possint diuinitatis dotibus coruscare.

PARS VNICA

Circa textus literam.

NVnquam satis laborum in Moyse, nunquam satis virtutum nobis proponit, quæ vt sæpius veniunt ponderandæ calamo, vtinã intimo adhæreant animo.

Num. 11. Interea ortum est murmur populi quasi dolentium pro labore contra Dominũ. Quod cum audisset Dominus, iratus est, & accensus in eos ignis Domini deuorauit extremam castrorum partem. Cúmque clamasset populus ad Moysem, orauit Moyses ad Dominum, & absorptus est ignis.

§. I.

Vbi peccatum, ibi & pœna quam primum apparet.

ECce murmurat populus, & ecce ignis à Deo populum absumit: dicit námque: *Ortum est murmur populi quasi dolentiũ pro labore contra Dominũ*, &c. *Et accẽsus in*

ſus in eos ignis Domini, &c. Simul & murmur,& conflagratio populi cernitur.Quid enim aliud citius oſtēderet culpa,quàm pœnam,quàm ſupplicium? Hinc cauebat lex Gen. 17. *Infans octo dierum circuncidetur in vobis*. Cur vulnus tam citò decernitur infanti ? Vt circunciſio dabatur pro peccato originali tollendo, ſic quàm primo fieri præcipiebatur, vt ſimul oſtenderet, quàm eſſet pœna in vicinio peccati. Quò ſpectans D. Zeno lib.3.ſer.37.de Iudæis,ait:*Circunciſio mentis impuræ teſtimonium; iam iámque illis imminere ſupplicium denotati vulneris inflictu minatur.* In octiduani paruuli corpore durū circunciſionis vulnus apertè denotabat, quàm vicinum erat ſupplicium peccantibus. Nequit enim culpa aliud citius parere quàm pœnā,quàm vulnus formidabile.Nota eſt hiſtoria Naamani Syri ex 4. Reg.5. vt adiuit Eliſæum,à quo mundaretur à lepra,vt credidit imperanti lauacrum, vt de imperio prophetæ lauit ſe in Iordane, & perfectè mundatus eſt. At dum ipſe mundatur, Giezi Eliſæi ſeruus inficitur lepra. Et cur quando ille lepram exuit,hic illa afficitur? Vt oſtēdatur,quam ſit peccato pœna annexa. Ex quo pulchrè D.Chryſoſt.hom. de Naaman fatur. *Curatur Naaman, & lepra Giezi perfunditur ſeruus. Syro fides attulit gloriam,& ſeruò perfidia intulit pœnam. Ille de Syria veniēs, quod deſiderauit,accepit: hic de prophetæ exiens domo plagam ſibi de perfidia acquiſiuit. Alius ſuis redditur ſanus, alius cunctis oſtenditur maculatus. Alius virtutis exemplū oſtendit,alius meritum fallaciæ oſtēdit. Per Naaman Deus collaudatur,per Giezi cœleſte iudicium metuitur. Inde ſalus naſcitur, hinc metus,inde gloria petitur, hinc fraudis moleſtia formidatur; vt exemplis & fidei pretium,& perfidiæ ſupplicium cunctis gentibus monſtraretur.* Sic habet virtus vnde cognoſcatur, nimirùm ex gloria, & præmio adiuncto; ſic habet etiam peccatum,vnde ſe oſtēdat hominibus, videlicet ex adiuncto ſupplicio. Nullo enim clarius peccatum commiſſum oſtenditur, quàm pœnis, & calamitatibus in ſupplicium venientibus. Vt dicat Iob cap. 10. *Inſtauras teſtes tuos contra me.* Vbi D. Aug. legit: *Inſtauras in me tormenta mea*: & quidem quotquot tormenta inſtaurabantur, tot teſtes erant, qui ream oſtendebant patientis conſcientiam.Quò refero illud Numer.32. *Sin autem, quod dicitis,non feceritis,nulli dubium eſt,quod peccetis in Deum,& ſcitote quoniam peccatum veſtrum apprehendet vos.* Clarius in rem præſentem Septuag.referunt hæc vltima verba dicentes: *Et cognoſcetis peccatum veſtrum, quando vos apprehenderint mala.* Quippè mala, & tormenta protinus aduenientia clariſſimè teſtantur peccatum antecedens. Imò eſt pœna adeò inſeparabilis comes peccati, vt eodem vocabulo ſoleant & peccatum & pœna intelligi. Sic Leuit.10.apud Septuag. *Quicunque acceperit ſororem ſuam ex patre ſuo,aut matre ſua, & viderit turpitudinem eius, peccatum accipiet.* Vbi Auguſt.lib. 3. locutionum ex Leuit.ait: *Peccatum poſuit pro pœna peccati.* Sic iuncta ſunt peccatum, & pœna,vt ſub eodem nomine intelligi queant.

Gen.17. D. Zeno. 4.Reg.5. Chryſoſt. Iob 10. Aug. Num.32. Leuit.10. Aug.

§. II.

Linguæ peccata præſentiſſimam afferunt homini ruinam.

EXpende illa duo penè coniuncta,nimirùm; *Exortum eſt murmor populi*; & illa: *Et accenſus in eos eſt ignis Domini*:quippè excubat diuinus ignis præ foribus linguæ; & vbi lingua detegit malitiam ſuam, ſtatim ignis adeſt pœnam illaturus.Prouerb.15. dicit:*Lingua placabilis lignum vitæ*; ſed & Gen. 3. audio vitali ligno cuſtodiam ignis à Deo poſitam fuiſſe. Ait enim: *Collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Quò fortè ſpectans Dauid Pſal. 140. clamat ad Deum:*Pone Domine cuſtodiam ori meo.* Siquidem ligno vitæ cuſtodia poſita fuit per gladium flammeum,ſimiliter expoſtulat Dauid ori ſuo cuſtodiam ignis,quæ ad oſtium excubet linguæ. Et quid ignis cuſtodia cum lingua?Pulchrè D.Chryſoſt.in Pſal. dictum, ait: *Quæ autem fuerit hæc cuſtodia,niſi ratio, & cogitatio,quæ vrget terribiliter habens præ manibus ignem eos vſturum,qui ore ſuo temerè vſi fuerint?* Equidem ratio ipſa eſt, quæ ignē præmonſtrat excubantem ad oris oſtium, qui quidem dicto citius exuret eos, qui effrænem oſtenderint linguam ſuam. Eo enim ipſo, quod lingua labia commouerit,vt euomat inde malitiam, nequit fieri,quod non ſtatim adſint & ignis,& perditio, & ruina. Hinc Prou. 13. inquit: *Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam, qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala.* Chaldæus hæc vltima transfert,dicens: *Qui aperit labia ſua terror,aut pauor imminet ei.* Ecce tibi, vbi in malum labia aperiuntur,& terror, & pauor imminet. Nuſquā, mihi crede, poteſt eſſe ſecuritas, ſi lingua ſine fræno currat.Ex quo monebat D.Iſidor.Peluſ.lib.1.epiſt.309. inquiens:*Te caducam,& corruptioni obnoxiam vitam fugiſſe,atque ad monaſticum ſtudium curſum contendiſſe audio,atque interim tamen procacem,ac petulantem linguam habere,ac temerè loqui. Quod quidem nihil aliud eſt,quàm murum firmum,atque hoſtibus inacceſſum ſtruere, ipſiſque portam ad ingreſſum relinquere. Quod ſi & murum ab omni periculo liberum ſeruare cupis,atque hoſtibus te firmum, ac robuſtum oſtendere, linguam, quam maximè poteris, in poteſtate tene; à qua & celeres, & ingentes ruinæ contingunt.* Planè licet omnibus aliis virtutibus munitus ſis, inſtárque fortiſſimi,& prorſus inacceſſibilis muri te illis compoſueris; ſi linguæ morbo laboras, patentiſſimum oſtium relinquis, per quod omnium malorum genera ad te intrent.

Prou.15. Gen.3. Pſa.140. Prou.13. D.Iſidor.

§. III.

Quo quis præſtantior,eo in lingua circumſpectior.

EXtremam exercitus partem abſumpſit ignis diuinus, dicit námque: *Ignis Domini deuorauit extremam caſtrorum partem.*Et cur in extremam partem deſæuit vindicta diuina,cur non etiam in primā? In exercitus extrema parte ſunt viliores hominum,quorū eſt effræniores habere vel in cœlum linguas; & ideò in illis apparuit magis ſupplicium, non in primis; qui vt præſtantiores,nobilioréſque ſunt, ſic modeſtioris ſunt linguæ.Præſtantia enim viri in oris modeſtia maximè viget. Quò reſpiciēs Eccleſiaſticus c.9.ait:*In manu artificum opera laudabuntur,& Princeps populi in ſapientia ſermonis ſui.*Ecce Principes,& præſtantes viros ſapiētia ſermonis deſignat.Semper enim intima cordis præſtātia,& excellentia per linguæ cōpoſitionem viſitur. Vt dicat Prou.16. *Cor ſapientis erudiet os eius, & labiis ſuis addet gratiam.*Mutuò ſe reſpiciūt & oris gratia,& cordis præſtantia;nec fieri poteſt,vt cor præſtantem aliquā excellentiam cōtineat, & quod ſe inferiorem oſtendat lingua. Hinc dum ſancto Romano lingua à Tyranno eripitur;& nihilominùs ſanctus vir loquitur diuina,ait D.Chryſoſt.hom.2.de illo:*Rectè itaque tibi alteram linguam viciſſim Chriſtus inſeruit. Rectè linguam non carneā tibi eſt largitus: angelicum enim animi affectum carnea non decebat lingua.* Sic cauit Deus, ne in præſtāti ſeruo ſuo lingua inferioris eſſet ordinis, reſpectu cordis ipſius.Et quando ſanctus vir animum habebat Angelicum,permittitur illi eripi carnea lingua; ne quid minus in lingua haberet,quàm in cordis intimis.

Chryſoſt. Eccl.ſiaſ. Prou.16.

*Num.*11.Vulgus quippè promiſcuum qui aſcenderat cum eis,flagrauit deſiderio,ſedens,& flēs iunctis ſibi parirer filiis Iſraël,& ait:Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniūt cucumeres, & pepones, porríque,& cæpæ,& allia. Anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi Man.

§. IV.

Qui à Deo deſiciunt nihil non luctuoſum & vile complectuntur.

ECce qui Dei deſpiciebant menſam, quales ſibi dapes effingunt, nimirùm pepones, allia, & cępas, quæ lacrymas à comedentibus eliciant. Quippè ait: *Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & capæ, & allia.* Sic vniuerſi, qui à Deo deficiunt, nil habẽt, quod ex mũdo metãt, niſi id per quod in lacrymas
D. Greg. abeant, & luctus. Id. quod præclarè ponderans D. Greg. lib. 20. Moral. c. 16. inquit: *Manna igitur deſerentes, cũ pepon ibus, & carnibus, porros, cæpáſq; quæſierũt, quia peruerſæ mentes dulcia gratiæ per quietẽ dona deſpiciunt, & pro carnalib. voluptatibus laborioſæ huius vitæ itinera etiã lacrymis plena cõcupiſcunt, contemnunt habere, vbi ſpiritualiter gaudeant; & deſiderantes appetunt, vbi carnaliter gemant.* Quid pulchrius? Sic prorſus ſe habet omniũ peruerſorũ cupiditas: faſtidit ſuauia omnia, quæ in Deo sũt; amat illa quæ in mundo nihil citius pariunt, quàm lacrymas, quàm gemitus, quàm ſuſpiria. Et quid extra Deum non luctuoſum, & vile poteſt amari? Primi illi præuaricatores iam pomi eſum Dei præpoſuerant præcepto, & ſeſe
Gen. 3. à Deo elongauerant. Quid tunc? Ait Geneſ. 3. *Aperti ſunt oculi amborum, cúmque cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus*, &c. Expende, ex quo à Deo deficiunt, ad quid manus tẽdunt, nimirùm ad folia ficus, & aſpera, & nimis acerba. Cur non magis ad plantani folia contendunt, ſiue ad vitis folia, quibus ſuauius, & lenius
Baſ. Sel. induerentur? Sed ea eſt mens peruerſorum, quæ non gaudeat niſi vilibus, & acerbis. Vt meritò dicat D. Baſil. Sel. orat. 3. *Iam ſeductionis fructus vendemiarunt. Conſuerunt enim folia ficus.* In iis eſt ſemper miſerorum errorũ vindemia, non equidem in ſuauibus fructibus, ſed in vilibus foliis aculeorum, & acerbitatum plenis. Nec aliud metere potuit filius ille, qui à patre receſſit, vt ſua
Luc. 15. parte frueretur, de quo D. Lucas c. 15. *Congregatis omnibus adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxuriosè*, &c. *Et facta eſt fames valida in regione illa, & ipſe cœpit egere, & obiit, & adhæſit vni ciuium regionis illius, & miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos.* Ecce tibi, qualis fuit miſerè cẽſus ſine patre Deo quæſitus, & poſſeſſus; fuit equidem illi non voluptatum,
Chryſol. ſed ærumnarum ampliſſima materies. Ex quo eleganter D. Chryſol. ſer. 1. *Ecce quid facit cupiditas præceps. Ecce quemadmodum ſine patre cenſus nudauit, non ditauit. Quod vitæ, quod morum, quod libertatis, quod eſt gloriæ nihil reliquit. Ciuem in peregrinum, liberum mutauit in ſeruum, iunxit porcis, a patre piiſſimo, quem ſeiunxit, vt ſeruiret cœnoſo pecori, qui pietati ſanctæ parere contempſit.* Et fallar, ſi quis à Deo ſeparatus poſſit aliud habere, quã id, in quo experiatur extremam amaritudinem, ex-
Matt. 22. tremámque ruinam. Matt. 22. quidam diuinarum nuptiarum veſte dimiſſa auſus eſt intrare aulæum Principis, ibi eum Rex vidit, & ſtatim damnauit, dicens miniſtris: *Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Non miror, quod illum iubeat in tenebras mitti, ſed miror, quod in medio nuptiali conuiuio illum ligari pedibus, manibúſque iubeat. Vbi tunc funes ad ligandum? Vnde poſſent laquei pro ligando reo tunc temporis requiri? Erántne prompti in regalibus nuptiis laquei? Inter tot feſta erant præ Regis manibus funeſti funes? Abſit; non erant in Regis gymneceo funes, ſed in reo ipſo, ex quo enim Deo nuntium remiſerat, & quod Dei erat, in ſe exuerat, non poterant illi
Victor. 3. omnia ſua non ſcatere funibus, quibus periret. Ait Victor Vticenſis lib. 3. de Perſecutione Vvandalica: *Exutum ſtolam Rex conſpiciet nuptialem, dicítque: Non video, quod contuli, non noſco, quod dedi. Perdidiſti malitiæ chlamydem, quam in tela virgineorum membrorum decem menſibus texi; & tendiculas crucis, quas extendens aquam mundaui, & purpura mei ſanguinis decoraui, non conſpiciunt oculi mei, caracterem, non video Trinitatis; talis intereſſe non poterit epulis meis, ligate eum pedibus, & manibus, funiculis ſuis, quia ſe voluntariè ſeparare voluit.* Expende illud: *Funiculis ſuis*; vbi enim à Deo defecit miſer, & quæ Dei erant, à ſe expuit, nihil citius in ſuis habuit, quam laqueos, quibus pereat ſtrangulatus.

§. V.

Superflua ciborum gula obliuionem generat Dei.

REceperant Iſraëlitæ à Deo & cuturnicum abundantiam in veſperi, & panem cœleſtem in mane; nunc benefactoris obliti clamant: *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes?* Prorſus quippè deſperant ſe poſſe carnes in deſerto ab aliqua potentia accipere. Et vnde tenuit tãta deſperatio miſeros? Cur adeò nefariè obliniſcuntur Deum, à quo iam ſemel acceperant in deſerto coturnices? Quæ illos restanti beneficij fecit immemores? Ipſi dicunt: *Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porríque, capæ, & allia.* Vbi tot ciborũ ſpecies in mentes illorum veniunt, gulámque hominũ trahunt, non miror, quod in illis extremam Dei obliuionẽ faciant. Ait enim D. Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 383. D. Iſidor. *Superflua cibi ſumptio, non eſus eſt, ſed ſaturitas & eſt, & appellatur. Saturitas porrò contumeliæ, ac petulantiæ mater eſt. Qua propter, ne intemperantiæ domus operam, per quã Dei quoque obliuio in mentem venit.* Equidem per ciborum intemperantiam in hominum animis Dei obliuio generatur. Vnde quando Deus hominem inter paradiſi eſcas conſtituit, ſimul cauit, ne veſceretur fructibus arboris, quæ arbor ſcientiæ dicebatur. Gen. 1. *De ligno* Gen. 2.
ſcientiæ boni, & mali ne comedas. Et cur vnius arboris eſcas prohibere maluit? Ne in effrẽni licentia veſcendi omnibus prorſus extingueretur memoria benefactoris tanti. Sic D. Baſil. Sel. orat. 3. fatur: *Accipe poteſtatem in omnia, vno ſolo te abſtine, in omnia manus extendatur, & ad vnum contrahatur; vt prohibitore cognito præbitorem quoque agnoſcas, & vnius priuatio recordationẽ excitet illius, qui dedit vniuerſa, ne voluptas vndequaque circumfuſa beneficij memoriam ſpoliet, neue per inexplebilẽ voracitatem in ignorantiam delabaris.* Ecce tibi vnius arboris abſtinentia præſcribitur, quæ Creatoris Dei memoriam conſeruet; ſi enim edendi licentia ſine lege per omnes arbores curreret, abdubium, quod Dei memoria prorſus eliminaretur ab hominibus. Baſil. Sel.

Numer. 11. Audiuit ergo Moyſes populum flentem per familias, ſingulos per oſtia tentorij ſui. Iratúſque eſt furor Domini valde, ſed & Moyſi intoleranda res viſa eſt, & ait ad Dominum: Curafflixiſti ſeruum tuum? Quare non inuenio gratiam coram te? Et cur impoſuiſti pondus vniuerſi populi huius ſuper me? Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi: porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum, &c.

§. VI.

Inde oneroſi, & difficiles ſubditi fiunt Principi, quod Princeps non illos vt pater reſpiciat.

SAnè intolerabiles erant Iſraëlitæ Moyſi, & oneroſi nimis, vt meritò dicat textus: *Moyſi intoleranda res viſa eſt*, & onus ſuprà vires. Sed ſcire cupis, vnde oriebatur, quod adeò intolerabiles fierent ſuo Principi? Rem oſtendunt apertè verba illa: *Nunquid ego concepi hanc multitudinem, vel genui eam?* Non ſe illorum patrem agnoſcebat, ſed nec vt pater reſpiciebat illos,

illos,inde non miror,quod ipsi prorsus intolerabiles,&
Gen. 22. maximè onerosi fierent. Gen. 22. Abrahæ dicebatur: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli,&c. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Concors est Patrum sententia per stellas intelligi mundi nationes,quæ sub Principe Abrahamo fidei palmas accipient. Sed quando gentes in veritate sanguinis tam remotæ sint ab Abrahamo;vnde venit,quod illi tanquam stellæ affulgeant, in eiúsque familiæ censu sic numerentur, quasi clarissima eius pignora ingentem eius ostendentia claritudinem?Dantur Abrahamo nationes in filiorum numerum, vt ipse eas tanquam earum pater respicit,vnde factum est,quod non terrenam molem,sed
D.Leo 3. cœlestes virtutes in eis videat. Pulchrè aiebat D. Leo serm. 3. de Epiphan. *De gentibus quondam beatissimo Abrahæ innumerabilis fuerat promissa successio, non carnis semine sed fidei fœcunditate generanda: & ideò stellarum multitudini comparata, vt ab omnium gentium patre non terrena,sed cœlestis progenies speraretur:* Expende ab illis, nimirùm: *Ab omnium gentium patre:* quippè ex quo Abraham vt pater respicit omnes gentes,illæ non terreni ponderis,sed cœlestis virtutis, & splendoris sperantur esse. Qui pater nescit esse subditorum, ille & patitur subditos terrenos,& ponderis prope immensi, qui se vt patrem gerit,sicque respicit omnes,quasi omnium pater esset; sub hoc semper spectantur subditi cœlestes,multisque virtutibus refulgentes. Hinc du-
2.Reg. 3. ritiem Ioabi non sustinens Dauid aiebat 2.Reg.3.*Porrò viri isti filij Saruiæ duri sunt mihi.* Simpliciùs dixisset,iste Ioab durus est mihi,cur maluit eum nominare Saruiæ filium?Intolerabilem eius duritiem ostendens maluit nominare Saruiæ filium, non illum ipse vt pater aspiciens, non enim de paterno Principis amore posset oriri tam incomposítus,& durus filius. Quandiu patrem agit Princeps erga subditos, euidenter patent
Cassiod. subditorum virtutes. Vnde aiebat Cassiod.lib. 2. Var. 24. de Senatoribus Romæ locutus: *Ad hoc Patres in illo principio nominati fuistis, vt quasi filiorum per vos posset vita componi. Vos enim deuotionem prouinciis, vos priuatis iura decreuistis,& ad omnes iustitiæ partes subditos parere libenter docuistis.* Ecce dum Senatores Patres habebantur, nulla non virtus, nulla non obedientia refulgebat in subditis. Semper, mihi crede, paternæ Principis curæ correspondent fulgidæ subditorum virtutes. Sic dum Naaman iratus despiciebat prophetæ consilium,imò & salutem despiciebat suam, ait.4.
4.Reg.5. Reg.5. *Accesserunt ad eum serui sui,& locuti sunt ei: Pater,si rem grandem dixisset tibi propheta, certè facere debueras,&c.* Serui illius erant,& cùm serui essent, nihilominùs eum vocant patrem. Cur non potius Dominum vocant? Cur serui vocare patrem audent? Erant serui, sed serui benè morati, & de Domini sui salute valde soliciti;meritò ergo vocant non Dominum, sed patrem, ostendentes non de alio, sed de paterno domini amore venire,quod serui sint Domino salutares. Ex eo enim quod Dominus patrem agat erga subditos,subditi fiunt erga Dominum benemorati.

§. VII.

Valde laboriosum Principi est puerilibus subditorum cupiditatibus seruire.

SEmel Moyses super se susceperat populi gubernationem,illámque libenter administrarat, modò autem vehementer detrectat illam fatus: *Cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me?* Et quod antea susceperas pondus, cur modò illud detrectas? Quid noui inueniſti in illo pondere, vt effugias illud? Sanè illud nouiter intolerabile experitur,nimirùm: *Vt dicas mihi: Porta eos in sinu tuo,sicut portare solet nutrix infantulum.* Putatat antea à se viros esse portandos,modò videt non viros,sed infantulos moribus, & intolerabile putat puerilibus eorum cupediis seruire. Ait Lyra in additione 4.in Glossa: *Licèt Moyses acceptasset re-* Lyra.
gimen populi sibi à Deo commissum,hoc tamen intelligebatur,in quantum essent rationi consentanei, saltem sicut homines adulti,non autem vt pueri,& ideò conquerens dicebat:Vt dicas mihi:Porta eos sicut nutrix. Licet sustinuissem pondus populi,qui se haberet,vt homo adultus, non tamen possum sustinere eos,qui se habent,vt infantulus in sinu nutricis. Intolerabilis equidem res est, quod infantulorum cupediis,& fastidiis seruiat prælatus,& Princeps. Validissimus omnium debet esse ille,qui ingentis populi infantiles mores faciat in viam Dei currere. Hinc Exod.15.ait:*Tulit Moyses Israël de mari.* Expen- Exod.15
de illud verbum, *Tulit*; quo significatur Moyses immensum populi totius onus suis humeris substuliſſe, vt de mari egrederetur. Et quam ponderosum hoc fuit Moysi? Ait Rupert.*Benè ergo dictum est*;Tulit, *quia* Rup.
grande onus super se tollit, quisquis infantiles hominum mores resiè,& secundùm Deum portare intendit. Et nescio,an sit vllus,qui tanto huic oneri non succumbat; sic enim est animo comparatum, vt nullis puerilibus subditorum quærimoniis,aut cupediis mouearis, hoc alias vires requirit,quàm sunt, quæ communiter inueniuntur in Principibus.

*Num.*11. Vnde mihi carnes,vt dem tantæ multitudini? Flent contra me dicentes: Da nobis carnes,vt comedamus. Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis mihi est.Sin aliter tibi videtur,obsecro, vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis,ne tantis afficiar malis.

§. VIII.

Bonus vir nullis calamitatibus adigi debet,vt mortem sibi inferat,sed illam à Deo expectet.

MVlto puerilis populi oneri pene succumbebat Moyses,adeò vt inter tot difficultates, tæderet etiam viuere, & mortem anxiè contendit à Domino fatus:*Obsecro, vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis,ne tantis afficiar malis.* Mala circundantia impellebant Moysem in mortis cupiditatem, vt mortem à Deo postularet,sed minimè vt mortem sibi inferret. Potest bonus vir,& fortis eo malorũ deduci, vt mortem postulet, non vt sibi eam inferat. Quò spectant pulchra Iosephi verba data sociis persuadentibus,vt sibi inferret manus,cùm esset in extremis calamitatum. Sic enim ait apud Egesippum lib. 3. cap. 17. *Inter tot* Egesipp.
mala,quid potest suauitatis in hac vita superesse?Tu modò omnipotens Pater,qui naturæ author,atque arbiter es, honestum largire exitum, tu rumpe naturale hoc vinculum: redde animam meam secretis suis. Extinctus sit populus, ereptum ius,libertas infracta;non prænaricabor tamen legem tuam,vt moriar iniussus. Expecto,vt iubeas, expecto, vt volentem liberes. Multos habes executores,a te expecto imperium, ab executore ministerium.Bonum est mori, sed moriar vt Hebræus,non vt latro,non vt carnifex, non vt hostis.Victus sum licet bello,manebo tamen, quod natus sũ, vt Abrahæ patris hæreditatem non deseram. Non transibo in numerum hostium, vt ipse meus percussor sim. Quid pulchrius?Sic fortes,magnanimíque viri mortẽ quandoque expetunt,illámque ex Deo accipere procurant; nullis tamen malis eo rediguntur, vt sibi manus inferant. Quis numeret malorum examina Iobum opprimentia?Erepta illi fuerunt omnia bona, filij interempti,caro ipsa à vermibus comesta;tot dolores, tot cruciatus illati;vt ipse dicat cap.3.*Pereat dies,in qua natus* Iob 3.
sum. Quare non in vulua mortuus sum, egressus ex vtero non statim perij? Quare misero data est lux, & vita iis, qui in amaritudine animæ sunt? Qui expectant mortem, & non venit.Gaudéntque vehementer,cùm inuenerint sepulcrum

cum. Sic verbis inuehit in vitam malis oppreſſam, & mortem præfert illi; & æquè facile poſſet manibus insurgere in vitam, illámque ſibi eripere. Sed abſit hoc à bono, & forti viro, cuius eſt amare mortem, ſed minimè illam præripere. Ait Egeſippus ſuprà: *Ipſe Iob, qui dixit; Pereat dies, in qua natus ſum: tamen in vulneribus, & doloribus conſtitutus vitæ huius vincula non diſrumpebat, ſed vt liberaretur, rogabat, dicens: Vt quid datum eſt in amaritudine lumen, vita autem in doloribus animæ? Laudabat itáque mortem, non tamen præripiebat. ſed poſtulabat.* Non eſt magnanimi, iuſtíque viri mortem ſibi præripere, ſed eam à Deo poſtulare. Ex quo Dauid multis obſitus malis Pſalm. 140. clamabat: *Educ Domine de cuſtodia animam meam.* Sic corpus habebat, quaſi animæ carcerem, nec tamen carcerem rumpere intendit, ſed liberum inde egreſſum à Principe flagitat. Vt dicat ipſe Egeſippus: *Daniel petit ex hoc corpore quaſi de quodam carcere liberari. Nullus tamen ſanctorum necem ſibi ipſe vſurpat, nullus præripit. Si lucrum eſt mori, furtum eſt vſurpare ante expectatum. Si bonum eſt viuere, ſacrilegium eſt repudiare, antequam repoſcatur.* Vnus Deus eſt verè Dominus vitæ, mortíſque noſtræ: illo renuente velle mori, furtum eſt abiectiſſimi hominis proprium, alienum prorſus ab homine magnanimo. At magnanimus, & fortis erat Saul, qui tamen ſibi intulit manus, ait enim 1. Reg. 31. *Arripuitque Saul gladium ſuũ, & irruit ſuper eum.* Regis facinus Egeſippus fatur: *Regis Saul exemplum promitur, eius certè qui aduersùs voluntatem diuinam Rex poſtulatus eſt, & offenſam meruit Dei. Vnde etiã cùm viueret ſucceſſorem accepit. Egregium exemplum viri, cui defuit Dei gratia. Saul tantum ſe ſolus peremit non Ionathas, non quiſquam alius in noſtris Scripturis. Quid mirum ſi potuit ſe perimere, qui potuit etiam filium occidere?* Hæc ibi, & alia quibus manifeſtè conuincitur, non eſſe boni viri ſibi inferre manus, ſed mortem à Deo expectare.

Egeſip. Pſal. 140 Egeſipp. 1. Reg. 31

Numer. 11. Et dixit Dominus ad Moyſem: Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint, ac magiſtri, & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, faciéſque ibi ſtare tecum, vt deſcendam, & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo, tradámque eis. Vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris, &c. Venit igitur Moyſes, & narrauit populo verba Domini, &c.

§. IX.

Non hominis eſt, ſed Dei admittere in regimine conſortes.

VIde quàm facilè Deus remedium apponat laboribus Moyſis, laborabat ipſe paulò ante ſub regimine populi, aiens: *Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum. Obſecro, vt interficias me*: quos cruciatus facilè Deus abſumit, quippe ait: *Congrega mihi ſeptuaginta viros*, &c. *Vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris.* Et quidem facile poterat Moyſes hoc remedium per ſe intelligere, & præcipuè cùm admonitus à Iethro, & decanos eligit, & centuriones, qui minores populi cauſas attenderent. Poſſet, & tunc etiam alios eligere præſtantiores, penes quos eſſet cura etiam maiorum cauſarum; & qui æquè principaliter, ac Moyſes prouiderent ſaluti populi. Cur vel onere preſſus, vel querulus ſub onere adeò, vt tæderet eum etiam viuere, nihilominùs non deuenit in cõſilium, & mediũ adeò promptum, ſed magis expectauit, vt illud præſtaret Dominus? Equidem quantumuis homo prematur, & gemat ſub regiminis onere, non eſt eius in id conſilium venire, vt regiminis accipiat conſortes, qui enim hos libenter accipiat, non homo eſt, ſed Deus ſolus. Meritò namque hoc vni Deo canebat Claudius Marius in Præfat. ad lib. Geneſis, inquiens,

Marius.

Te Dominum natura probat ſeruata caducis
Partibus; & iuſſam ſeriem datus ordo fatetur.
Tu dociles numeros diſtinguens, pondera librans,
Menſuras varians, modulos, motúmque gubernans,
Nec in hoc tua gloriæ tantum
Quòd præſtanda facis bonus author, ſed quod & ipſa
Efficere vt poſſint cauſis præbere ſecundis
Non dedignaris.

Hæc vnius Dei gloria eſt, quod ipſe & faciat, & gubernet cuncta; & quod ſimilem efficiendi, & gubernandi poteſtatem cauſis tribuat ſecundis, quas in regiminis conſortium ſecum admittit. Hinc Pſalm. 18. vbi ad Solis fabricam ventum eſt, dicit noſter: *In Sole poſuit tabernaculum ſuum*, &c. vbi D. Hieronym. in Apologet. lib. 3. legit: *Soli poſuit tabernaculum in eiis*, hoc eſt, in cœlis. Nec otiosè dicitur Deus ſpecialiter conſtruxiſſe tabernaculum Soli, ſed vt oſtendatur à Deo veniſſe, quod Sol non luceat ſemper, integrúmque temporis haberet imperium, ſed quod imperij partem Lunæ cederet. Id, quod in illis verbis intelligunt Placidus Parmenſis, & Agellius, & meritò, quando enim vident temporis poteſtatem partitam inter Solem & Lunam, vt Sol ſit in præfecturas diei, & Luna in præfecturas noctis; non id tribuunt naturæ illorum, ſed Deo ſic deſponenti, à quo vno poteſt venire, quod creatura admittat conſortem imperij. Vnde Amaleſiuntha Gothorum Regina naturalis, dum propinquum ſuum ad regni conſortium eleuat, id totum attribuit Deo. Ait enim apud Caſſiod. 10. var. 3. *Author ille caſtitatis, & miſericordiæ ſingularis, qui nobis primæuum ſubtracturus erat filium, maturi fratris reſeruauit affectum. Eligimus, Deo auſpice, conſortem regni noſtri fœliciſſimum Theodahadum. Vt qui hactenus Reipub. molem ſolitaria cogitatione pertulimus, nunc vtilitates omnium iunctis conſiliis exequamur. Aſtra ipſa cœli mutuò reguntur auxilio, & vicario labore participata mundum ſuis luminibus adminiſtrant. Ipſi quoque homini duplices manus, ſocias aures, oculos geminos diuina tribuerunt. Reſeruauimus itáque, Deo iuuante, palatia viro noſtri generis*, &c. Sic nobilis Regina vni Deo tribuit, quod conſortem regni admiſit; quod Deo auſpice, Deo adiuuante fecit, & de imitatione Dei, qui homini geminas manus, geminóſque oculos tribuit, nec in aſtris voluit imperium non eſſe partium. Id, quod neceſſum eſt, admittat, quiſquis ſe ad Dei naturam voluerit conſtituere. Dequo ſolo venit conſortem imperij admitti. Quæ autem natura creata eſt, mordicus conſortem dignitatis fugiat; adeò vt vel Deus ipſe dum creaturis aduiuit conſortium prorſus declinet. Sic Pſalm. 18. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedit de tabernaculo ſuo.* Ipſe Rex Regum eſt, & Dominus dominantium. Cur ergo non dicitur exiſſe vt Rex, vt Princeps omnium, ſed dicitur exiſſe vt ſponſus? ſponſi ingenium illud eſt, vt minimè alterius conſortium admittat; vt oſtendatur autem Deus quàm alius exeat, ex quo poſuit in Sole tabernaculum ſuum, & ſe accommodat creaturis, dicitur exiſſe vt ſponſus, nimirùm, omne conſortium abiurans. Hæc eſt enim creaturarum natura, quæ minimè in bonis conſortium admittit.

Pſal. 18. Hier. Caſſiod.

Pſal. 18.

§. X.

Id maximè curandum in Principe, quod ſit affectus erga religionem.

EXpende, quo deducantur eligendi in Principes Iſraëlitarum, nimirùm dicit: *Duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, faciéſque ibi ſtare tecum*, &c. Et cur ad oſtium tabernaculi ſtare iubentur, vt inde in principatum eleuentur; niſi vt circa tabernaculum, eiúſque cultum maneant affecti? Cùm enim id in primis curandum eſt in Principe, vt religionis imbibat affectum; meritò ad oſtium tabernaculi eliguntur, nunquam enim

enim non læti,& propitij respicient illa,circa quæ principatum acceperunt. Mordet Iosephus Iudæos, quod rebellarint contra Romanos eo præcipuè tempore,quo Vespasianus imperabat, qui non poterat benignus in Iudæos non esse,quod in Iudæa Imperium acceperat. Sic enim ait apud Egesippum lib. 5.cap. 16.fatus: *Spreuistis Neronem,sed Vespasianus successerat, qui benignus natura,benignior tamen studio erga Iudæos esse potuit,quia in Iudæa imperium assumpserat.* Et quis non maneat affectus ad ea, inter quæ ad principatus gloriã fuit euectus? Meritò ergo eligendi in Principes Israëlitarum iubentur esse circa ostium tabernaculi, vt inde euecti, erga religionem, cultúmque diuinum maneant affecti,quod in Principibus maximè est requirendum. Ex nullo enim magis,quàm ex cultu diuino splendet honor regius. Hinc castigans Dominus Salomonem,prædicénsque illi regni sclssionem ait 3. Reg. 11. *Tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid seruum meum, & Ierusalem,quam elegi.* Itaque vna tribus Iuda reseruanda erat filio Salomonis propter Dauid seruum Dei, vt in ea regnaret Dauidicum semen, sed & Ierusalem illi etiam datur,licèt non ad tribum Iudæ; sed ad Beniamin pertineret. Cur ergo Regi Iuda tribuitur etiam Ierusalem,quæ minimè ad Iudam pertinebat? Necessum equidem erat,vt regius splendor Iudæ permaneret,quod Ierusalem, in qua templum diuinum florebat,illi adiungeretur;vt sic Reges magis ad religionis cultum afficerentur, & firmiùs regnum relictum tenerent. Sapienter enim ait Lyra in Glossa: Datur Regi Iuda Ierusalem:*Vt vbi vigeret cultus diuinus, ibi remaneat honor regius.* Sic semper in Regibus vt splendeãt, requiritur ad diuinum cultum affectus. Quò respiciés Iob cap.8.aiebat:*Nunquid viuere potest scirpus absque humore? Aut crescere carectum sine aqua?cùm adhuc sit in flore,nec carpatur,manet,ante omnes herbas arescit.Sic viæ omnium,qui obliuiscuntur Deum,& spes Hypocritæ peribit.* Quæ verba expendens Olympiodor. in hominis politici,siue athei confusionem fatur: *Quemadmodum fieri non potest,vt scirpus,carectúmve, aut adolescat, aut demetatur,nisi humorem ante combiberit, quin etiam omnis herba nisi irrigata fuerit,exarescit,sic & rerum florens status sine pietatis studio permanere non potest.* Hoc dixit Olympiodorus,hoc experientia docet, quando nullus rerum status diu floruit sine studio veræ religionis. De quo aliàs sæpe.

Num. 11. Congregans septuaginta viros de senibus Israël,quos stare fecit circa tabernaculum. Descendítque Dominus per nubem, & locutus est ad eum,auferens de spiritu, qui erat in Moyse & dans septuaginta viris. Cúmque requieuisset in eis spiritus, prophetauerunt, nec vltra cessauerunt.

§. XI.

Magna laus hominis cui alij debent splendorem, quo fulgent.

ELecturus Dominus septuaginta Principes, Moysi remittit eorum explorationem,dum dixit:*Quos tu nosti,quod senes populi sint:* Insuper à Moyse aufert spiritum,quem illis præstat. Sic modò ait:*Auferens de spiritu,qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris*: Nihil enim Principibus illis permittit, quod non veniat à Moyse, in hoc maximè extollens hominem, cui tot Principes debeant, quod splendeant in populo. Sic apud Cassiodor. 10.var.4.Rex Gothorum Theodahadus extollebat Reginam Amalesuintham, à qua ipsi regni consortium. Dicit namque:*O animi nobilitas singularis! En æquitas mirabilis, quam mundus loquatur. Exploravit conscientiam, cui erat regni tradítura censúram:vt & illa domina cognosceretur esse cunctorum, & me probatum perducere dignaretur ad regnum. Quando iis muneribus, quando soluamus tantæ gratiæ,quæ, debemus? Vt quæ cum paruulo filio regnauit sola, nunc mecum delegerit regnare sociata. In ipsa enim est decus regnorum omnium,in ipsa est nostræ originis flos bonorum. Quicquid fulgemus ab eius claritate suscipimus.* Sic meritò extollitur illa,cui alius debet,quod fulgeat in throno regali. Vt hinc extollas Moysem,de cuius spiritu venit, quod septuaginta alij Principes in populo Dei effulgeant. Imò ille maximè supra omnes extollatur, cuius spiritus communicatus pluribus, plures reddat virtutum muneribus conspicuos.Inde Dominus commendans præstantissimos discipulos suos ait Matth. *Vos estis sal terræ.* Cur sales vocat eos,quos posset aurum,vel pretiosum aliud,& splendidum nominare?Sal, pluspuam aurum facit,vt de eius virtute plura vitæ necessarissima fiant. Ait enim Cassiodor. 12.var.24. *Potest aurum aliquis minus quærere,nemo est,qui salem non desideret inuenire;meritò,quando isti debet omnis cibus, quo potest esse gratissimus.* Equidem nullus est cibus adeò suauis, & gratus,qui hoc non habeat de salis beneficio. Sumendum est semper aliquid de sale,quo saporentur omnes alij cibi necessarij ad vitam; vnde honor salis crescit super aurum ipsum.Sic sancti viri,sic doctores Ecclesiæ eò honoris peruenerunt, vt de eorum spiritu vniuersi aij illustrentur,& viuant. Sic parens meus Ignatius tantus est, vt de eius spiritu pueri prima Christi elementa ediscant, adolescentes in virtute proficiant, viri præstantes Reipublicæ oneri non succumbant, peccatores in Christo reuiuiscant,iusti citiùs perueniãt ad culmen iustitiæ. Nullus denique spiritualis cibus est,qui non debeat Ignatio,quo possit esse gratissimus, siue is sit rudimenta prima doctrinæ christianæ, siue acer grammaticæ succus,siue philosophiæ siue Theologiæ nectar;omnia Ignatij spiritus suauiauit,saporauit, vt auidè sumantur à cunctis.Quam gloriam promittebat Dominus Abrahamo Gen. 17. *Ponam fœdus meam in te,multiplicabo te vehementer nimis.* Sed quantum hoc quod Abrahamus multiplicetur? Sanè aiebat Isaias: *Multiplicasti gentem,non multiplicasti lætitiam.* Quando ergo hominum multiplicatio non adeò læta est,cur illam Abrahamo promittit? Non promittitur multiplicatio gentis communis Abrahamo, sed illius gentis multiplicatio,quæ de spiritu, & virtute Abrahami viuat,adeò vt videantur Abrahami esse multi. Sic Procopius in Glossa inquit: *Quod multiplicans multos homines faciat Deus,minimè mirandum est. Nam aliæ gentes præter Iudæos extitere populosæ. Verum Abrahamus sic multiplicatur, quasi plurimi futuri sint Abrahami. Nam ex ipso prodituri sunt sancti, liberéque imitabuntur fidem, & opera patrum.* Hæc est gloria Abrahami, quod de eius fide,& virtutibus multi sument,quo vtuant paternarum æmuli virtutum.

§. XII.

Maxima præstantia viri est, quod tanta in se vno habeat magnalia virtutum,quanta multis,imò integro populo sufficiant.

DE Moysi spiritu aufert Dominus, vt septuaginta alios duces impleat. Ait enim:*Auferens de spiritu, qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris.* Et cur necessum fuit auferre de spiritu Moysi? An non habebat Deus aliũde spiritum,vt impleret illos?Habebat equidem,sed voluit ostendere,quantus erat Moyses, qui in se vno habebat spiritum,qui septuaginta sufficerer.Ecce tibi Iudic.c.15. ex vna parte integer Philisthinorũ exercitus, ex parte autem aduersa vnus Sanson, ísque funibus ligatus. Quid tunc? Concutritur, & Samson *mandibulam asini, quæ iacebat, arripiens interfecit in ea mille viros.* Mirabar,quod vnus homo aduersùs integrũ exercitum iret. Vnde tanta audacia homini potuit venire?

Nazian. nire? De illo ait D. Nazianz. orat. 3. *In crinibus ſitum robur habebat integro exercitui par.* Quid potuit de homine dici maius? Tantum in illo robur fuit, quantum integro exercitui ſufficeret. De vno illo poterant integri exercitus milites roborari. De Ioſepho ſanctiſſimo di-
Matth. 2. citur Matth. 2. *Conſurgens, accepit puerum, & matrem eius nocte, & ſeceſſit in Ægyptum: & erat ibi vſque ad obitum Herodis, vt adimpleretur quod dictum eſt a domino per propheta dicentem: Ex Ægypto vocaui filiũ meũ.* Illud eſt mirabile in verbis iis, & in ingreſſu, & egreſſu Marię cum puero de Ægypto dicatur impletum illud Iſaiæ vaticinium, nimirùm: *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Quod quidem vaticinium ſibi iam antiquitùs appropiarat vniuerſus populus Iſraëliticus. Et quidem meritò, nam vbi totus Iſraël Deo ducente Ægyptum reliquit, apertè monſtrabat in ſe, vt Dei primogenitus filius vocabatur à Deo. Quod ergo impletum erat in toto populo, cur notabat Euangeliſta ſimiliter impleri in Maria cum Ieſu filio; niſi vt extolleret gloriam Mariæ, cui vni datum eſt, quod toti populo Iſraëlitico ſuf-
Chryſoſt. feciſſet? Ait D. Chryſoſt. hom. 8. in Matth. fatus: *Oſtendit Euangeliſta, quod niſi Ieſus veniſſet in Ægyptum, non eſſet impletum illud. Quod quidem ipſum beatam Virginem non mediocriter claram facit, ac nobilem, quæ id habuit, quod toti erat populo glorioſum, qui ſuperbius ſe, atque inſolentius efferebant quod deducente Deo, de Ægypto fuiſſent reuerſi, idque ad gloriam ſuam ſæpe iactabant.* Qua gloria ſe totus populus iactabat, eâ Maria extollebatur, propter quod in immenſum creſcebat Mariæ gloria, vt quæ vna habebat in ſe, quæ ſufficerent implere magnum populum.

Num. 11. Remanſerant autem in caſtris duo viri, quorum vnus vocabatur Eldad, & alter Medad, ſuper quos requieuit ſpiritus; nam & ipſi deſcripti fuerant, & non exierant ad tabernaculum. Cúmq; prophetarent in caſtris, cucurrit puer, & nuntiauit Moyſi dicens; Eldad, & Medad prophetant in caſtris; Statim Ioſue filius Nun miniſter Moyſi, & electus è pluribus ait: Domine mi Moyſes prohibe eos. At ille: Quid, inquit, æmularis pro me? Quis tribuat, vt omnis populus prophetet, &c.

§. XIII.

Spiritus ſancti virtus potens eſt etiam de indiſpoſitis, & repugnantibus laudes diuinas educere.

QVi aſſumendi erant à diuino ſpiritu in populi Principes, iubebantur in primis à popularibus ſeligi, deinde ad oſtium tabernaculi conſtitui. Sed de iis duo, vel quia non vocati, vel quia iuſtè occupati adhuc manebant in caſtris inter cæteros populares, nec ad oſtium tabernaculi erant. Et nihilominùs ibi à diuino ſpiritu arrepti, ſtatim prophetarum voces, & cantus acquirunt. Ait enim: *Remanſerant autem in caſtris duo viri, quorum vnus vocabatur Eldad, & alter Medad ſuper quos requieuit ſpiritus; nam & ipſi deſcripti fuerant, & non exierant ad tabernaculum. Cúmque prophetarent*, &c. Ecce, & qui à popularibus non erant ſeparati, nec ad tabernaculum iuerant, nihilominus vbi à diuino ſpiritu corripiuntur, in voces diuinas, & propheticas exurgũt. Sic clarius oſtendebatur diuini Spiritus virtus, qui quando vult, etiam de indiſpoſitis, & repugnantibus
Ier. 31. ſcit diuinas laudes educere. Ierem. c. 31. vbi noſter legit: *Cognoſcent me à minimo vſque ad maximum*, &c. le-
Chryſoſt. git D. Chryſoſt. *Intelligent me à paruo eorum, vſque ad magnum eorum, & omnis lingua confitebitur Deo vero:* & ſtatim ſubdit rem miram, nimirùm, quod Sancto Romano martyri erepta fuerit à tyranno lingua, & quod nihilominùs ipſe promeret cantus diuinos. Quantum hoc? Sanè virtutis diuinæ argumentum illud propheti-
cum erat, quòd *omnis lingua confitebitur Deo vero*, Romanus autem Deo confitetur etiam elinguis. Is enim eſt diuinus ſpiritus, qui vel ex indiſpoſito, vel ex repugnanti, omni inſtrumento, & diſpoſitione excluſa valeat elicere laudes diuinas. Ait D. Chryſoſt. hom. 2. de *Idem.* Sancto Romano: *Propheta quidem Ieremia linguam omnem cognitionis Dei retè concludit, nos verò hodierno die etiam elinguem oratorem pietati patrocinantem audimus: velut enim cithara quædam plectro deſtituta Creatorem collaudat. Dicat igitur B. Romanus: Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis? quænam lingua? Non ea, quam ferrum eripuit, ſed quam Spiritus gratia fabricata eſt: lingua quippe auulſa, Spiritus gratia in eius locum eſt ſuffecta.* Et vbi Spiritus ſancti gratia adeſt, non eget inſtrumento vllo, diſpoſitione vlla non indiget, ſed vel repugnantia quælibet in voces aget diuinas. Exod. 3. *Ap-* Exod 3.
paruit Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quod rubus arderet, & non comburereturr. Magnum hoc? Sed accipe forſan maius: *Vocauit eum de medio rubi, & ait, Moyſes, Moyſes.* Ecce tibi rubus non ſolum non comburitur ſub flammis, ſed etiam fit vocalis, & clara voce Moyſem ad ſe trahit. Vnde hoc, vt rubus loquatur? Inſidet illi diuini ſpiritus flamma, de cuius virtute nõ miror, quod vel rubus diuina loquatur. Ex quo elegan-
ter Chryſoſt. ſuprà ait: *Rubus, & ignis fuit: Apoſtolicus ignis prædicationis Euangelicæ voces in rubo præfigurabat; ac vocem rei inanimatæ impertit, vt ei, cum tetigerit animata inſtrumenta, credatur. Si enim rem inanimatam contactus ignis vocalem reddidit, nónne debuit, cum ratione prædita animas repleuiſſet, ex contactu carmen concinnum admodum perſonare?* Equidem ſiue inanimis, ſiue animata res ſit quamcunque tangit diuini ſpiritus flã-
ma, non poterit non perſonare diuinas laudes. Hinc
Actor. 2. Actor. 2. ait: *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis ſeditque ſupra ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto*, &c. Et cur neceſſum fuit, vt Spiritus ſãctus Apoſtolos implens appareret illis inſidens ſub forma linguæ? Crediderim eo ſignificatum ſuperfluas eſſe, & otioſas omnes alias linguas, vbi ſpiritus diuinus creaturam implet ſuam, quam etſi elinguem, & mutam ipſe reddet vocaliſſimam. Vt meritò dicat Chry-
Chryſoſt. ſoſt. vbi ſuprà: *Habebant & linguas Apoſtoli ſed vt operantis virtus indicaretur, lutum otiabatur, & ignis cœleſtis loquebatur.* Sic ibi; otioſa enim eſt carnea, luteáque lingua, vbi Spiritus ſancti afflat virtus, quæ de elingui voces educit diuinas.

§. XIV.

Sancti in ciuitatibus vix ſunt ſine perſecutione; maiori admirationi ſunt, & æſtimationi in ſolitudine.

SExaginta & ſex viri à popularibus remoti, ad oſtiũ tabernaculi conſtituti ſpiritu Dei pleni prophetabant, & nemo illis moleſtus extitit, nemo de illorum ſpiritu diſputat. Duo alij eiuſdem ſpiritus participes prophetant in caſtris, media in populi multitudine, & ecce in illos Ioſue inſurgit. Quippe ait textus: *Cum prophetarent in caſtris, cucurrit puer, & nuntiauit Moyſi, dicens; Eldad, & Medad prophetant in caſtris. Statim Ioſue filius Nun, miniſter Moyſi electus è pluribus ait. Domine mi Moyſes prohibe eos.* Non ſic locutus fuit Ioſue aduersùs alios, cur loquitur aduersùs hos duos? Alij in remotiori loco prophetabant, ij media in multitudine; virtus autem, quæ in remotioribus eſt, magis colitur, magis ſuſpicitur, quæ autem media in frequentia lucet, nunquam non contradicitur. Quo adduco illud 4. Reg. 4. Reg 22.
22. vbi Ioſias Rex miſit ad conſulendum Dominum in propheta, dicit enim textus: *Ierunt itáque Helcias Sacerdos, & Ahicam, & Achabor, & Saphan, & Aſaia ad Heldam prophetidem*, &c. prophetabat tunc Ieremias in populo, vt multis probat Lyra, & Abbulenſ. & Ieremia relicto ad Holdam iuêre omnes iſti Principes miſſi

missi à Rege Iosia. Et quod mirere magis, interea dice-
Ierem. 2. bat Dominus Ieremiæ c. 2. *Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia, quæ præcipio tibi. Ne formides a facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum super omnem terram regibus Iuda, Principibus eius, & sacerdotibus, & populo terræ. Et bellabunt aduersùm te*, &c. Vide aduersus Ieremiam bellantes & Principes, & sacerdotes, & populares; ij autem omnes suspicientes Holdam, ab eiúsque ore pendentes sunt. Vnde Holda in tanta veneratione magnatum. Vnde Ieremias in tanta contrarietate. Erat Holda deuota Deo fœmina domi clausa, à popularibus conuentibus remota; ex quo eius spiritus suspiciebatur; ad illámque confluebant vniuersi magnates. Erat aut Ieremias vir propheta media in vrbe clamans, virtutúmque cœlestium fulgurans radiis; nunquam autem virtus in medio posita contradictionem, & persecutionem non patitur. Quis & modò non videat remotas à frequentia personas, sanctásque fœminas quæri, suspici, magníque æstimari, & conspicuos virtute viros in medio positos despici, morderi, multísque maledictis prouocari? In se ipso expertus querebatur Nazian. orat. 2. *Quidnam hoc rei est, fratres, quod tam lentè, & segniter ad sermonem nostrum acceditis: cum præsertim in vi afferenda, nobísque extrahendis a solitudine ita prompti, celeréque fuistis? Et quid causa est, cur postquam id, quod expetebatis, adepti estis, fastiditis iam, atque aspernamini?* Ecce tibi dum in heremo erat sanctus vir, ad illum conueniebant vniuersi, illum magno honore prosequebantur, multísque coëgebant venire in ciuitatem. Venit tandem coactus; & cùm in ciuitate fuit inter omnes viuẽs, protinus ab omnibus derelictus est, imò omnes illum fastidierunt, & aspernati sunt, & momorderunt. Id, quod etiam euidenter patet in Christo Domino, & Ioãne Baptista; Christus enim medius erat inter omnes, Ioannes autem in deserto agebat ab om-
Ioan. 1. nibus separatus. Quid tunc? Ioan. 1. *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, vt interro-*
Orig. *garent eum: Tu quis es?* Vbi præclarè notat Orig. *Ioannem quidem cum tanto honore interrogant: Christo autem nihil tale à Iudæis factum literis diuinis mandatum est.* Et cur, qui sic honorant Ioannem, Christum potius mordent, persecuntur? Ipse Ioannes ait loquens de Christo Domino ibi: *Medius vestrum stat, quem vos nescitis.* Et quidem, quia medius inter populares erat Iesus, ideò minus suspiciebant eius virtutes diuinissimas, imò ma-
Chryso. gis mordebant illum. Ait D. Chrysost. hom. 15. in Ioan. *Multa Ioannis generositatem ostendebant. Vitæ & asperitate, & omnium hominum contemptu insignis. Siquidem veste, mensa, domo, & ipso victu contempto, heremum ab ineunte ætate incoluit. Contra Christus; eius conuersatio omnibus communis; & vestimenta nihil a vulgo differentia; & cum omnibus eandem habebat consuetudinem. Infamium hominum conuiuiis aderat, vt eos ad meliorem frugem alliceret, quod Iudæi exprobrabant*, &c. Sanè remotam vitam Ioannis venerántur Iudæi, mordebant autem, quia in medio erat posita, Christi vitam.

§. XV.

Humana malignitas omnem honorem vni sibi vellet adscribi.

ECce vel in sanctissimo viro Iosue quid faciat humana infirmitas, vt audit duos illos prophetantes longè à magistro suo Moyse, statim vellet eorum supprimi prophetias, ait enim: *Domine mi Moyses, prohibe illos.* Non sustinebat bonus splendorem tantæ virtutis esse in aliis, quam in magistro suo. Hæc est enim malignitas infirmitatis humanæ, quæ indignè ferat ab aliis fieri virtutes, quarum honorem vni vellet sibi adscri-
Chryso. bere. Quò spectãs Chrys. hom. 3. in epist. 1. ad Timoth.

inquit: *Laudatur quispiam virtute probatus, quæ ad sanam pertinent doctrinam loquens, & Ecclesiam verbo prædicationis ædificans: nos huic protinus inuidemus, quia quæ Dei sunt, gerit. Dum ædificationem illam non per alios, sed per nos fieri volumus: non propter Christum, sed nostri gratia.* Quàm sapienter bonus doctor percalluit infirmitatem humanæ naturæ, de qua venit, vt non patiamur honoris facinora per alios fieri. Huc etiam tendit illud Ioan. 1. vbi Ioannes Baptista magna sui admiratio- Ioan. 1.
ne rapiebat Iudæos vniuersos, illísque baptisma ministrabat, quo ad Christi lauacrum facilius disponerentur. Hunc tantum virum conueniunt aliqui missi à Phariszis, qui illi baptismatis facinus sic obiiciunt, vt hominem ab illo deterreant, dicunt enim: *Quare ergo baptizas?* Equidem indignè ferebant baptisma illud à Ioanne celebrari: Et cur id indignè ferebant? Ait D. Cyrill. Cyr. Ale.
Alex. ibi: *Neminem præter se honorari patiebantur.* Hoc illis erat durissimum, quod alius opus honoris perficeret, quod non solis ipsis cederet, quidquid honoris, quidquid splendoris esset.

§. XVI.

Multis virtutibus conspicuus debet esse, qui aliorum facinora mordens inuidus nolit apparere.

NOn abs re venit notandum, quàm honorificè textus proponat Iosue in præsenti, quippe ait: *Statim Iosue filius Num, & electus è pluribus ait; Domine mi Moyses prohibe eos.* Expende illud: *Electus è pluribus*, sæpe enim antea nominatus fuerat Iosue, sed nunquam cum hoc elogio, quod electus è pluribus vocaretur? Cur in præsenti, sic electus vocatur? Qui in Iosue nullã volunt admittere vel leuem inuidentiam, dicunt illud elogium meritò fuisse prefixum, quando ostendebatur Iosue indignè ferre alios esse prophetas, multis enim splendeat virtutibus, & singularis sit supra omnes, necessum est, qui aliorum facinora carpens inuidus nolit videri. Ex quo ait Theod. q. 21. *Quod verò hac inuidiæ* Teod.
affectione careret Iosue, satis probat laus illius. sic enim: Et respondens Iesus filius Naue electus, qui assistebat Moysi, dixit, Domine Moyses prohibe illos. Itáque ad probandum, quod Iosue non sustinens aliorum virtutes exerceri, ab omni inuidiæ labe appareret immunis, necessum fuit prænotari ingentem illam laudem viri, nimirùm, quòd familiaris esset Moysi, quòd esset electus è pluribus. Nunquam enim sine inuidiæ nota aliorum virtutes potest mordere nisi forsan qui se super omnes alios extollat insignibus virtutibus. Hinc. Ioan. 1. *Mise-* Ioan. 1.
runt Iudæi a Ierosolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum, Tu quis es? Et post Ioannis responsum addit textus: *Et qui missi fuerant, erant ex Phariszis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt: Quare ergo baptizas?* Quibus duas sortes legatorum agnoscit Origenes, alios missos à Ierosolymitanis principibus, alios missos à Phariszis. Ierosolymitani dicuntur mississe Sacerdotes, & Leuitas; Phariszi vulgares alios miserunt. Sed cur à Ierosolymitanis mittuntur Sacerdotes, à Phariszis quidam vulgares homines? Equidem Ierosolymitani nulla inuidia, nullo malo zelo explorabant Ioannis virtutes, quod vt testarentur, eos mittunt, qui sacerdotij sanctitate fulgebant. Non sic Phariszi, qui vt agebantur malo zelo, sic nullum virtutis insigne in
suis legatis prouiderunt. Quò respiciens Origen. ibi Orig.
fatur: *Qui sacerdotes, & Leuitas interrogatum Ioannem miserant, cùm & quis non esset, & quis esset, Ioannes intellexissent, honestissimè tacent, quasi taciturnitate assentientes, & exprimentes, quæ a Ioanne responsa erant, approbare. Phariszi autem ostendunt se non idem sentire, quod Sacerdotes, & Leuitæ diuini cultus ministri sentirent*, &c. Ecce tibi, vt qui sanctiores legatos mittunt, acquiescunt Ioanni, nullum præ se ferẽtes zelum amarum. Econtra Phariszi non possunt nõ iniqui-

tatem ſuam oſtendere, dum virtutes explorant Ioannis. Vt enim à ſanctitate Sacerdotum diſtant, ſic inuidentiæ clarius operam nauant.

CAPVT XXI.

De coturnicibus à Deo miſſis.

Textus Hiſtoria.

NOn vacuas vulgi voces Dominus præteriuit: quæ vt pro carnibus clamabant, ſic vſque ad faſtidia ex Deo receperunt carnes. Tanta enim coturnicum vis delata fuit, quanta ſufficeret ingentem populum menſe integro exſaturare, imò ad nauſeam trahere. Saturitatem ira diuina comitabatur, quæ voracium hominum perditione, loco ſepulcri nomen attulit.

PARS VNICA.
Moralis.

IN ſepulcra concupiſcentiæ iam vocamur, nimia enim hominum voracitas nihil prius, quam ſepulcrum affert.

Numer. 11. Populóque dices; ſanctificamini: cras comedetis carnes. Ego enim audiui vos dicere: Quis dabit nobis eſcas carnium? Benè nobis erat in Ægypto. Vt det vobis Dominus carnes, & comedatis: non vno die, nec duobus, vel quinque, aut decem, nec viginti quidem, ſed vſque ad menſem dierum, donec exeat per nares veſtras, & vertatur in nauſeam; eo quod repuleritis Dominum, qui in medio veſtri eſt, & fleueritis coram eo dicentes: Quare egreſſi ſumus? &c.

§. I.

Diuina manus neſcit non præmittere beneficia etiam dum iraſcitur.

EXpende propoſitionem illam: *Vt det vobis Dominus carnes, & comedatis*, &c. *eo quod repuleritis Dominum, qui in medio veſtri eſt.* Et quidem, vt ſapiẽter notat Barradas noſter; ſi Dominus diceret; *ſupplicium ſumam de vobis, eo quod repuleritis*, &c. nil mirũ, egregia enim eſſet conſequentia; at non ait ſupplicium ſumam, ſed carnes dabo, eo quod repuleritis Dominum. Quid ergo, ſic Deus non caſtigaturus eſt reos, ſed muneraturus ſolum? Abſit hoc à iuſtitia Domini; caſtigaturus eſt reos & atrociter caſtigaturus, ſed ea eſt manus Domini, quæ neſciat ad ſupplicium moueri, quin prius beneficia præmittat, & miſericordiam. Hinc Dauid Pſal. 100. *Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* Quæ verba ponderans D. Amb. lib. de Noë c. 3. ait: *Principale eſt virtutis inchoare a beneficiis, & præſeminare gratiam. Vnde Dauid ait: Miſericordiam, & iuditium cantabo tibi Domine. Præcedit beneficij gratia, ſequitur cenſura ſobriæ diſciplinæ Diuinum eſt igitur, quod bona præmittuntur, noſtrum, quod mutantur.* Sic Dei cenſura, Dei ira nõ moueri ſolet, quin prius beneficia mille, mille miſericordias præmittat. Hinc c. 6. Gen. vbi narratur Dei offenſa in genus humanum, & inductio diluuij, ſic incipit: *Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant. Dixitque Deus: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt*, &c. *Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis, poſtquam ingreſſi ſunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, iſti ſunt potentes à ſæculo viri famoſi. Videns autẽ Deus quod multa malitia hominum eſſet ſuper terram*, &c. Ecce tibi, vt filij Dei ingreſſi ſunt ad hominum filias, iraſcitur in homines Deus, illóſque reputat, & ſuo ſpiritu indignos, & vltima exterminatione dignus. Et poſt hæc ira Dei excitata, ſtatim numerantur generationes illarum nuptiarum feraciſſimæ, & validiſſimæ, quibus & gygantes, & famoſi viri ſuper terram excreſcunt. Quid eſt hoc Domine? Siquidem nuptiæ illæ diſplicuerunt, & ab illis ira tua in genus hominum excandeſcet, quem iam iam funditùs perdet, cur tot illuſtrium virorum examinibus illas ditas? Cur nuptiis ſtatim ſubruendis potentiſſimorum virorum partus præbes? Cur non magis illas ſteriles reddis? Sanè iratus Deus in tales nuptias, præclaros illis filios præbet, non quod muneret malos; ſed quod neſciat ſine præuiis beneficiis ad ſupplicia procedere. Ait D. Ambr. ſupra: *Secuturo diluuio non debuit æſtimari defuiſſe gratiam fœcunditatis illi generationi, quam diluuia abſorbuerunt; vt quod fuit humani generis abundantia diuinæ deputetur gratiæ. Sic, & in poſterioribus inuenies, quod ſecuturam Ægypti ſterilitatem præceſſit totidem annorum fœcunditas.* Sic Dei vindictam gratiæ, & beneficia præcedunt. Id, quod etiam oſtendunt verba illa Gen. 6. *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt; erúntque dies illius centum viginti annorum.* Ecce indignatus de hominum vita, decernénſque ei imponere per deluuium finem, id in primis ait: *Erúntque dies illius centum viginti annorum.* Centum viginti annos vitæ offert, cùm ſe ad perdendum accingit. Pulchrè D. Baſil. Sel. orat. 5. *Diluuium proclamat, tempúſque præfinit, ac pœnitudinis modum ſtatuit, nec non anteuertit ſupplicium, excogitans qua ratione videret conuerſionem aliquam: Et quid ait? Non permanebit ſpiritus meus in homine. Hic iudicij terror eſt; inducítque pœnitudinis terminos dicens: Erunt dies illius centum, & viginti annorum*, &c. Expende ab illis: *Necnon anteuertit ſupplicium*, &c. quippe hoc eſt Dei, quod anteuertat ſupplicia præmittens beneficia. Sic etiam caſtigaturus Adamum Gen. 3. & maledictionis gladium in illum exerens maledictionem adſcripſit terræ, dicens: *Maledicta terra in opere tuo.* Cur terram pro maledictionis fundamento ſubiicit? Erat mortali facto in terra ſepulcrum, omnium laborum requies, & ideò præpoſuit maledictioni terram, vt vel in ira primum appareret requietis ſuauiſſimæ fundamentum. Non longè abeſt D. Baſ. Sel. orat. 3. *Terræ cultioni, natíſque inde ſudoribus eſto obnoxius, & cum labore vitæ tuæ ſpatium emenſus ſepulcrum inuenies vitæ ſuccidaneum.* Eſt equidem terra laborũ, ſubdolorúmque peccatoribus cauſa, ſed ante omnia ſepulcrũ oſtendit, vbi vniuerſi labores finientur, & requies ſuccedit. Vt ſic gratiæ beneficium præcedat pœnas. Solet enim Deus vel ante ſupplicia præſeminare beneficia, quæ admoneant iratum, ne funditùs à ſe muneratum diſperdat. Gen. cap. 7. notans diluuij tempus ait: *Anno centeſimo vitæ Noë, menſe ſecundo, ſeptimodecimo die menſis, rupti ſunt omnes fontes*, &c. menſis ſecundus, menſis nouorum eſt, quo omnes campi vberte replentur. Et cur expectauit camporum vbertatem, vt diluuium inferret? Ait D. Ambr. lib. de Noe c. 14. *Veniam temporis ratio promittit, quod etiam iratus admoneatur tam præcedentibus cauſis beneficiorum ſuorum, vt non penitus deleat, eorum ſubſtantiam, quos ipſe donauit.* Præmittit beneficia Dominus ante iram, & præmiſſa illa iratum admonent miſericordiæ, ne funditus perdat ſibi beneficiis deuinctum hominem.

Numer. 11. Et ait Moyſes: Sexcenta millia peditum huius populi ſunt, & tu dicis: Dabo eis eſum carnium menſe integro? Nunquid ouium, & boum multitudo cædetur, vt poſſit ſufficere ad cibum? Vel omnes piſces maris in vnum congregabuntur, vt eos ſatient? Cui reſpondit Dominus; Num quid manus Domini

mini inualida est? Iam nunc videbis, vtrum meus sermo opere compleatur?

§. II.

Qui cum Deo negotiatur supra communes viuendi vias spem figat.

MInus scitè Moyses, vbi sibi à Deo negotiandam populi alimoniam præuidit, ad communes viuendi vias recurrit, inquiens: *Numquid ouium, boúmque multitudo cædetur, vt possit sufficere ad cibum?* Malè ad macellum respicit, qui à Deo noscit implendum promissum; non enim is est Deus, qui curtis arctatur terminis
Ioan. 6. naturæ. Similis Moysi Philippus Ioann. 6. videns Iesum festinantem ad pascendas in deserto turbas ait: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis*, &c. Minus scitè ad pecuniam recurrit, vbi Deus pastor erat futurus, qui valet supra omnes modos subueniendi tritos. Vt
Cyr. Ale. dicat D. Cyrill. Alexandr. ibi: *Subiectè Philippus valde, atque humiliter respondit. Nam nil virtutis, omnipotentiæque Christi sibi venit in mentem, sed trepidus ad solam pecuniarum viam refugit, nullo alio modo hanc rem peragi posse existimans nisi communi, tritóque pecuniarum medio. Sed naturæ ipsius terminis deitatis natura superior est, omnia facile peragens, etiam quæ mentem nostram excedunt.* Sane abiectè, humilitérque nimis procedit, qui cũ Deo negotians ad solos communes, tritósque viuendi modos contendit, nec vltra hos aliud spectat. Eu quam iacebit semper, qui non ad altiora potestatis diuinæ spem
Apoc. 3. erigit. Actor. cap. 3. locutus textus de claudo, qui ad portam templi iacebat, ait: *Is cùm vidisset Petrum, & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat, vt eleemosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit; Respice in nos.* Expende monitum datum claudo iacenti, nimirum, *Respice in nos.* Et quo tendebat illud, *Respice in nos*? Quid quod in eos respiceret? Nimirum, sic euocabatur è tritis, & communibus modis emendicandi remedia, per quæ perpetuo iacebat. Et docetur non ad communes hos modos, sed ad altiora diuinæ potestatis oculos extendere, quo posset su-
Basi. Sel. bito totam mendicitatem exuere. Ait D. Basil. Sel. orat. 21. *Desidiosum claudum iubet non nihil lucelli curam remittere. Ne, inquit, obolos modo quæsieris, gratiæ mendicus esto, non pecuniæ.* Vtinam supra pecuniam, supra communes hos viuendi modos erigamus mentem diuinæque gratiæ nitamur potentia, fallar, nisi nobis suppetant vniuersa. Sanè fugat manum diuinam qui tritis viuendi callibus adstrictus, non nouit supra eos ex Deo sperare quicquam. Triginta & octo annis iacentem languidum iuxta Bethsaidam conuenit tandem Christus Domi-
Ioann. 5. nus Ioan. 5. & dicit ei: *Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. Dum venio enim ego, alius ante me descendit.* Non inuenio interrogasse dominum ab alio, an vellet sanari, nisi ab hoc languido. Imo Luc. c. 7. videns adolescentem defunctum, qui iam efferebatur multa comitante turba lacrymas matris; accessit Iesus, feretrum detinuit, & adolescentem reuocauit ad vitam, Ecce solo conspectu luctu nihil aliud interrogatus vitam refundi iuueni; & modo languidum triginta & octo annorum non vult illi salutem impertire, quin prius quærat ex illo, an velit salutem? Cur domine ab hoc solo languido rem adeo claram inquiris? Hic solus adeo pertinax erat in procuranda salute per notos, & ordinarios modos, vt cum toties se frustratum videret, nec cogitauit aliunde posse sibi venire salutem, semper eidem calli persistens. Cuius inscitia merito illo prius curari debuit, dum interrogatus adducitur eo, vt cogiter, non solum per tritos calles; sed & suprà nota om-
Erit. nia solere à Deo venire salutem. Quo respiciens Ericus ait: *Diurno morbo tabescentem interrogat Dominus, vtrum vellet sanus fieri, vt eum ad maius sanitatis desiderium accenderet, qui nec saltem pro sua restauratione rogare nouerat. Vnde & ille causam impossibilitatis cœpit ostendere, & conqueri, quod hominem non haberet. Sed Dominus languentis miseratus insciam simplicitatem, ait illi, Surge, tolle lectum tuum*, &c. Expende illam verissimam causam diutini languoris, nimirum ab illis, *nec rogare nouerat*; quippe totus positus in homine adiutore quærendo, à quo in piscinam mittetur, non sciuit aliud salutis medium rogare ex Deo; imo hoc medio sublato, quo videbat curari cæteros, non nisi suæ salutis impossibilitatem prætendit. Proh inscitia hominis ad sola communia respicientis! Hic vt sanetur, necessum est adduci in tantum salutis desiderium, vt illam de ipsa impossibilitate speret.

Numer. 11. Ventus autem egrediens à Domino arreptas trans mare coturnices detulit, & dimisit in castra itinere quantum vno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum: volabántque in aere duobus cubitis altitudine super terram. Surgens ergo populus toto die illo, & nocte, ac die altero, congregauit coturnicum multitudinem, qui parum decem coros, & siccauerunt eas per gyrum castrorum.

§. III.

Deus in creaturis suis, nil prius æstimat, quam æmulationem diuinarum virtutum.

ECce tibi, quid primum appareat in vento, qui à Deo egreditur; ait nimirum: *Ventus autem egrediens à Domini arreptas trans mare coturnices detulit, & demisit in castra*, &c. Non equidem à terra, nec à mari, nec à Luna ventus ille, sed à Deo peculiariter fuisse dicitur ortus, vt qui coturnices rapiens eas effusissime detulit esurienti populo. Sic quæ à Deo sunt creaturæ, nil prius in se amant ostendere quam profusissimæ bonitatis diuinæ æmulationes. Sic Gen. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Quid tunc? *Et ait, Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum*, &c. Cum primum ipse elementa producit, statim requirit, vt similiter fructificent elementa. Cur non magis spectat spatium aliquod temporis, quo creaturæ, à productione liberæ sint, sed magis eas vrget ad fructus edendos? Nil citius æstimat in suis creaturis, quam quod diuinarum virtutum, diuinæ beneficentiæ sint æmulæ. Ait D. Basil. Sel. orat. 12. *Mox vt creatæ fuerunt, mouit ad operationem, fecítque creaturam suæ bonitatis instrumentum. Propterea hominum manibus terram iussit excoli; & mare sua terga nauigantibus submittere, aërem hominum respiratione deuorari, solem iugi agitatione moueri, & communem radium emittere, ac in vsum mortalium faces illuminatas lucere. Huius etiam suæ bonitatis imitatores homines inter se videri vult. Delectatur enim non solum hominum esse conditor, sed instructor.* Sic qui creabat omnia, simul dabat illis, quod essent, & quod operarentur, simul æstimans, quod à se prodirent, & quod diuinarum suarum operationem fierent æmulæ. Nec admittit in suos illos, qui beneficentiam suam operibus non ostendunt. Hinc post de-
Iosue 6. structam Iericho Iosue seruauit Raab meretricem, imo vt ait textus cap. 6. *Raab meretricem, & domum patris eius, & omnia quæ habebat fecit Iosue viuere, & habitauerunt in medio Israël vsque in præsentem diem.* Et qui bonam meretricem numerauit inter filios Israël, illámque Dei populo aggregauit, Gabaonitas fecit suorum
Iosue 9. esse seruos, ait enim cap. 9. *Decreuítque in illo die eos esse in mi-*

in ministerio cuncti populi, & altaris domini, cadentes ligna, & aquam comportantes, &c. Cur illam populo Dei aggregans hos deputat in seruitium populi? Illa ex quo magnalia Dei percepit, vt de Ægypto liberarat Israëlitas, sic commota est, vt & ipsa domi exciperet, & à Tyranno liberaret Israëlitarum exploratores. Gabaonitæ autem eadem Dei magnalia percipientes eam ebiberunt mentem, vt sibi consulerent, nullum autem in alios operati sunt bonum. Vnde merito illa admissa est inter Dei filios, hi excluſi, vt qui operibus non fuerint
Origen. æmulati magnalia domini. Ait Orig. hom. 10. in præsenti: *Raab meretrix, quæ exploratores Israëliticos plenissima deuotione susceptit, ex integro in consortium populi, societatémque suscepta est, & apposita est ad filios Israël. Gabaonitæ verò dicunt, quia audiuimus, quanta fecit Dominus vobis per mare rubrum, & in deserto. Et cum hæc dicerent, nihil tamen fide dignum, nihil tantarum virtutum admiratione gesserunt. Et ideo videns Iesus angustum eorum, exiguúmque propositum, moderationem erga eos iustissimam seruat*, &c. Non intrant in filiorum Dei numerum, qui notas Dei virtutes, & magnificentias propriis non æmulantur operibus, qui enim à Deo venit, qui inter Dei filios censetur, id apertissimè testatur in æmulatione diuinæ beneficentiæ. In quauis enim creatura has beneficentiæ notas videas, puta illam maximè ad Dei pertinere peculium. Hinc cum mare scinditur Israëlitis, cum manna illos implet, cum rupes aquarum riuos effundit, non errauit, qui dixerit Deum inesse iis
Sedul. creaturis. Sic Sedul. lib. 1. Pasch. cap. 10. inquit: *His tribus rebus iam magna sui nuntians Sacramenta mysterij, Christus erat in pelago, Christus in pane, Christus in saxo.* Et nihil refertur ad Christum, quod non sit beneficentiæ virtute insignitum.

§. IV.

Ille perfectè homini prouidet, qui tam animæ quam corporis consulit saluti.

FAmescenti populo coturnices Dominus prouidit, sic enim ait: *Arreptas transmare coturnices detulit.* Cur coturnices? Cur non magis ex quadrupedibus, quam ex alitibus cibos obtulit? Sanè elegit alites, vt qui corpus saginarent, & animam docerent in altum tendere; ille enim perfectè homines gubernat, qui cum corporis cura, simul animæ salutis viam ostendit. Quò spe-
Rabanus. ctans Rabanus in Glossa ait: *Non ferarum, non quadrupedum, nec terrestrium animalium esum tribuit, sed volucrum, vt discerent superna magis desiderare, quam terrena, spiritualia, quam corporalia.* Sic bonus hominum prouisor, vel inter corporis escas indigitabat animæ remedia, quibus non solum corpus, sed etiam spiritus saginarentur. Discant hoc vniuersi, qui hominum curam tenent? & sic res eorum moderentur, vt simul corpori, & animæ medela detur. Qui hoc præstat, præstantissimus est in hominibus promouendis. Propone tibi ob oculos Naamanum Syrum leprosum ad Elisæum venientem, is gentilis erat, & incurabili lepra infectus; Venit è Syria in Israëlem, vt curatorem tanti mali inueniat, adstat Elisæo, cuius iussu septies in Iordane la-
4. Reg. 5. uatur. Quid tunc? Ait text. 4. Reg. 5. *Lauit in Iordane septies iuxta sermonem viri Dei, & restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli, & mundatus est. Reuersúsque ad virum Dei cum vniuerso comitatu suo venit, & stetit coram eo, & ait: Verè scio, quod non sit alius Deus in vniuersa terra, nisi tantum in Israël.* Quid sanctius? Et leprosus, & gentilis venerat ad propheram, qui illi aquas Iordanis prouidit, quæ simul corpus à lepra, & animam ab infidelitate mundarunt. Sic agit, quisquis perfectè hominum suscipit causas. Vt dicat D. Chrysost. hom. de
Chrysost. Naaman Syro: *Reuersus Naaman descendit in Iordanem, ascendit inde mundatus: & facta est caro eius, quasi caro infantis pueri. Tunc miratur, tunc stupet, tunc prophetam conspicit, tunc cœlum attendit, miratur operatum dominum, miratur se mutatum corpore, & mente. Totus homo naturæ redditur, quia perfecta virtus in sanctissimo prophetæ operatur.* Et quidem non potuit non esse perfecta virtus, quæ sic alumnum suum fuit moderata, vt sub eisdem aquis biberet salutem corporis, & animæ. Nec corpori prius daretur medela, quàm ad fuæ salutis fontem excitaretur anima. Hinc de præclarissimi gubernatoris Iob familia locutus textus sacer cap. 1. inquit: *Et ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos, vnusquisque in die suo*, &c. Mirabar, quod religiosissimi Principis filij sic permitterentur ire in tam crebra conuiuia. Cur bone finis filios tot vacare conuiuiis? Non equidem id oscitanter faciebat Iob, sed in talia impellebat filios conuiuia, quæ corpora recrearent, & animarum tollerent vel vmbras desidij. Ait enim Chrysost. hom. 1. in Iob: *Continuo vesci ad inuicem faciebat. Existimans quoniam si quid liuoris vicissim contraxissent; mensa, panisque appositio eos concibaret vnanimes, intercidentémque faceret exulare malitiam.* Præstantissimi gubernatoris attingés punctum, ea Iob conuiuia permittebat filiis, quæ & corporis, & animæ continerent saginam; corpus sustentantia cibis, ab animis expellentia occasiones dissidij.

Iob. 1.

Chrysost.

Num. 11. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiusce modi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Vocatúsque est ille locus sepulcra concupiscentiæ, ibi enim sepelierunt populum, qui desiderauerat.

§. V.

Ille solus habetur cupiditatum, rerúmque temporalium Dominus, qui illas propter Deum contemnit.

SOlent equidem sepulcra eorum dici, qui defuncti intrinsecus clauduntur; sic sepulcrum dicitur Petri, vel sepulcrum Pauli, modò non dicuntur sepulcra esse eorum, quos claudunt, sed concupiscentiæ illorum dicuntur, dum ait: *Vocatus est locus, sepulcra concupiscentiæ.* Et cur magis attribuuntur sepulcra concupiscentiæ, quàm illis, qui ibi clauduntur? Meritò, vt ostenderentur illi, qui sub concupiscentiis carnis feruntur, quàm se, suáque, & mortem, & vitam concupiscentiæ subdant: cuius solum dominatur ille, qui eam propter Deú
Dan. 9. pessundat. Hinc Danieli dicit Angelus cap. 9. *Ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es.* Ecce Daniel vocatur vir desideriorum, an quia multa desideria habet? Minimè, sed quia comprimit desideria multa. Ait
D. Hier. enim D. Hieron. epist. ad Eustoch. de custodia virginitatis: *Ideò desideriorum vir appellatus est Daniel, quia panem desiderij non manducauit, & vinum concupiscentiæ non bibit.* Indè perductus est ad desideriorum, concupiscentiarum perfectum dominium, quia illas pro Deo reliquit. Quo enim magis à se ablegauit, quicquid concupiscentiæ erat, eò citius eius Dominus constituitur.
Num. 33. Numer. 33. Israëlitarum duæ mansiones ponuntur, altera vocatur, *Ressa*, id est, *tentatio*, altera autem immediata huic vocatur *Calatha*, id est, *virga*, seu *dominium*, ait enim: *Profecti de Ressa, castra metati sunt in Calatha:* & meritò, solus enim ille, qui tentationes concupiscentiarum deuicit, ad verum illarum peruenit dominium.
D. Amb. Sic D. Ambr. ibi inquit: *Meritò post Ressa sequitur Calatha: quoniam vbi anima in Ressa tentationes superauit, ita fortis euadit, vt ascendat Calatha, hoc est, vt dominium acquirat, ne dum inferiorum suarum virtutum, sed & totius mundi.* Hæc vna est via, qua citissimè domineris omnibus; nimirùm, si in re concupiscentiarum insultus comprimas, si carnalibus desideriis iniicias frænum. Quò respiciens aiebat Dominus Gen. 4. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.*
Gen. 4. Te quidem Dominum

num manifestè ostendes, cùm prius appetitus tuos fortiter subiicias, vt pulchrè in præsenti dicat Rupert. *Si malè egeris, statim in foribus peccatum aderit, vt quocúnque te verteris, tecum sit comes in itinere, princeps in opere. Et tunc quidem super te erit, & dominabitur tui, quia videlicet omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati. Nunc autem antequam facias illud, dum adhuc est in appetitu, ipse appetitus eius subter te erit, & tu dominaueris illius. Verbi gratia, quemadmodum is, qui nondum Rex creatus est, subter populum est, & populus dominatur illius, ita vt eum recipiat, si vult. At postquam Rex creatus est, populus sub eo est, ipséque eius dominatur, ita vt eum Regem habere cogatur, etiamsi nolit.* Quid pulchrius? Sanè dum appetitus, dum concupiscentia exardescit in anima; ibi est lucta, ibi certamen cruentissimum est de regno, ibi & appetitus, & concupiscentia homini est subiecta expectans eius assensum: Qui homo concupiscentiæ dissentitur, illámque fortiter continet, & refrænat, hic Princeps est, & dominium regalissimum retinet. Qui autem concupiscentiæ assentitur, eius impetum sequens, vanè gloriatur de regno, cum & ipse, & sua omnia, siue mors, siue vita concupiscentiæ seruiant; & tanquam misera mancipia sub concupiscentiis alligentur. Ex quo aiebat Oseas cap. 4. *Spiritus ligauit eum in alis suis*, quod notans D. Hieron. in Istaële idololatra, ait: *Immundus spiritus idolorum ita ligauit Israëlem in alis suis, vt eum liberè volitare non patiatur.* Vt enim tyrannus ligat mancipia, ne è captiuitate auolent, sic idola tenebant Israëlem ligatum, sic concupiscentiæ ligant homines, quibus dominantur, ne à misera seruitute euolent.

Oseas 4. D Hier.

CAPVT XXII.

Mariæ murmuratio.

Textus Historia.

EXTINCTIS Dei murmuratoribus alia cœpit audiri domestica murmuratio; Maria soror Moysis fratri oblatrabat, quod Madianitidem duxisset vxorem, quæ mariti gloria nimis insoleseeret super fratres. Accinuit fœmineo murmuri Sacerdos Aaron in familiaritate diuina superiorem Moysem haud libenter passus. Sed Deus indignans morderi à cognatis virum nimia mansuetudine præditum, ad tabernaculum fœderis tres fratres conuenire mandat; cuius in ostio sub nube apparens, Mariam, & Aaronem vocans de Moysis excellentia multis disputat, vt sibi omnium familiarissimè adstat. Post hæc dum Deus iratus recedit, murmurationis inuentrix Maria durissimo lepræ flagello vapulat sub oculis Aaronis, satis castigati, vel conspectu imminentis supplicij, quod effugerat, ne in præsenti fœdaretur recens sacerdotij sanctitas. Accurrit tamen ad Moysem crimen fessus, & verecundè nimis contendit, vt pene à lepra depastæ fœminæ sanitatem ex Deo trahat. Non moratus benignissimus Moyses dolore plenus Deum pro sorore deprecabatur, qui dilecti famuli vocibus inclinatus post septiduum salutem miseræ parat, noluit statim, vt septidui supplicium ream cautionem faceret, & populum in similes ruentem ausus maximè refrænaret.

PARS VNICA

moralis.

PVlchrè in lepræ pruritu murmuratoris genium adumbratur, qui vt vel cognatos mordit, sic scabiei pruritu ipse depascitur.

Num. 12. Locutáque est Maria, & Aaron contra Moysem propter vxorem eius Æthyopissam, & dixerunt: Num per solum Moysem locutus est Dominus? Nónne, & nobis similiter locutus est? Quod cùm audisset Dominus iratus est. Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.

§. I.

Inferiorum ingenium est Dominis oblatrare.

IN re linguæ exerendæ aduersùs Moysem meritò Maria ponitur prima; ait enim textus: *Locuta est Maria, & Aaron contra Moysem*, &c. Et cur Maria prima, & principalis in murmuratione aduersùs Moysem constituitur? Maria sola absolutè, & simpliciter inferior erat, & vna è subditis; quando enim populi gubernatio in diuinis ad Aaronem spectabat; in politicis ad Moysem, sola Maria pertinebat ad subditos. Et quid magis subditorum proprium, quàm quod oblatrent Dominis suis. Eorum ingenium notans Seneca epist. 47. ait: *Fit, vt isti de Domino loquantur, quibus coram Domino loqui non licet.* Equidem quò quis magis premitur seruili silentio, ne coram Dominis, senioribúsque loquatur; eò citius rapitur in clandestina murmura, in detractiones pessimas, quibus Dominos, seniorésque percutiat. Quò spectans Ecclesiastes c. 7. monebat: *Cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accomodes cor tuum, ne fortè audias seruum tuum maledicentem tibi.* Sapienter faciunt Domini, qui non auscultant arcana suorum susurria; nil enim citius faciunt serui, faciunt subditi, quàm detrahere Dominis suis. Hinc Cant. 1. Sponsæ Christi, veræ matrifamilias dicitur: *Exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum; recti diligunt te.* Multos sub se habet filios sponsa Christi, multos subditos, cur de omnibus non dicit, vel filij, vel famuli diligunt te? Cur de solis rectis fatetur, quod diligant? Nouit sapienter, quod in subditorum ore, qui perfectissimi, rectissimique non sunt, non tam esse verba dilectionis, quam verba detractionis erga seniores suos. Quis enim non rectus, & perfectus subditus non oblatrat Dominis, & maioribus suis? Ait D. Bernard. ser. 24. in Cant. *Itaque propter murmurantes, dicitur ab iis, quæ bona sunt; Recti diligunt te. Nec absurdè, vt æstimo, cùm vbique pene in choro adolescentularum tales inueniam, quæ acta sponsæ curiosè obseruent, derogandi, non imitandi causa. Torquentur in bonis seniorum suorum, malis pascuntur. Videas ambulare seorsum, conuenire sibi, & sedere pariter, móxque laxare procaces linguas in detestandum susurrium. Vna vni coniungitur, nec spiraculum incedit in eis, tanta est libido detrahendi, audiendive detrahentem. Ineunt familiaritatem ad maledicendum, concordes ad discordiam.* Quid communius? Vide hominum sæcularium conuentus: vix enim duo, vel tres miscent sermonem, qui Principes, qui magistratus, qui iudices suos non mordeant. Huc spectat vehementer ingenium subditorum, vt oblatrent Dominis, vt linguas exerant, quæ noxiæ sint suis maioribus. Hinc nequam spiritus quærens linguam, quæ noxia esset primis parentibus ad serpentem accessit Gen. 3. *Sed & serpens erat*, &c. Cur serpentis linguam vibrauit malus in Adamum, & non magis linguam Angelorum? Erat serpens inter Adami subditos, non Angelus; & ideò malus ad subditi linguam confugit, vt quæ promptior esset ad feriendum Dominum. Ait D. Basil. Sel. orat. 2. *Serpens erat hominis subiectus arbitrio; sic enim factum est, vt linguam diabolo commendarit ad inuehendam confusionem.* In nullo citiùs quàm in subdito hominis inuenta est lingua, quæ virus vomerat aduersùs hominem. Sic etiam vt linguam armaret in Iob, confugit malus ad eius vxorem, ait enim cap. 2. *Dixit autem illi vxor sua, Adhuc tu permanes in simplicitate tua?* Cur modò post omnia mala introducitur vxor? In aliis, vbi perimenda erant armenta, vtitur gladiis Chaldæorum, siue cœlesti igne; vbi perdendi filij violentia vtitur ventorum, vbi

Ecel. 7. *Cant. 1.* *D. Bern.* *Gen. 3.* *Basi. Sel.* *Iob 2.*

autem rés per linguam agenda erat, aſtutè ad linguam confugit vxoris, quæ vt viro ſubiecta erat, ſic ad illum
Didym. lingua percutiendum promptior. Ait enim Didymus in catena Græca: *Cum ad pietatis turrim quatiẽdam inanis eius fuit omnis conatus, verborum contumelia, atque contemptu coniugem armat.* Ad gladios vibrandos manus quæſiuit Chaldæorum, ad verborum virus iaciendum nulla aptior, quàm lingua vxoris, vt nulla aptior ad feriendos dominos, quàm lingua ſubiectorum.

§. II.

Singularis præſtantia alicuius nunquam non in ſe trahit linguas inuidorum.

VBi ſingularis Moſis præſtantia apud Deum proponebatur, non potuit, non ab inuidis etiam fratribus corrodi; aiunt enim: *Num per ſolum Moyſem locutus eſt Dominus?* Hoc illos mordebat, quod videretur Moyſes ſolus, & ſingularis in familiaritate Domini, & ob hoc contra illum loquuntur, illúmque abrodunt.
Cant. 1. Cant. 1. ait ſponſa: *Introduxit me Rex in cellaria ſua: exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum: recti diligunt te.* Cur ſoli recti? Cur non omnes? Ex eo enim, quod ſola in cellaria ſponſi ingreſſa fuit, non potuit ab omnibus amari, non potuit, non tra-
D. Bern. here aduersùs ſe linguas inuidorum. Ait D. Bern. ſerm. 24. in Cant. *Recti diligunt te: puto propter aliquas de numero ipſarum, quæ non idem ſaperent, licet pariter currere viderentur, quæ ſua ſunt quærentes, & non ambulantes ſimpliciter, néque ſincerè, ſed ſpeciali gloriæ matris inuidentes, & captantes occaſionem murmurandi aduerſus eam, ex eo nimirùm, quod ſola in cellaria introiiſſet.* Vbi ſola ad Dei fauores accipitur, vbi ſola diuinis muneribus fulgere viſitur; non potuit non proſilire in eam inuidorum murmur. Et cui præcellenti in aliquo munere parcunt inuidorum linguæ? Sapienter poſt Ioſephi virtutes, poſt Dei reuelationes ei in ſomnis factas, & numeratas, ait
Gen. 37. textus Gen. 37. *Hæc ergo cauſa ſomniorum, atq; ſermonũ, inuidiæ, & odij fomitem miniſtrauit.* Vbi ſe ſingularibus Dei patríſque fauoribus ornatum Ioſeph oſtentabat, ſtatim in illum fratrum inuidentiũ linguæ armabantur
Theodor. Vt dicat Theod. ſer. 8. de Prouid. *Poſtquam ſomnia illa vidit, & audientibus fratribus, patri narrauit, mox ab inuidia oppugnatur, & conuitiorum telis, quæ illa pepererat, petitur.* Sanè deriſorum, inuidorúmque conuitiis exponitur percutiendus quiſquis ſingulari aliqua ſupra illos excellentia floret. Vitabis forſan in gloriarum culmine tela hoſtium, ſed minime vitabis linguas inuidorum, qui quando nihil in te inueniant, quod mordeant, quod
Gen. 37. accuſent, illud ipſi confingent. Sic Gen. 37. vbi noſter habet: *Accuſauit fratres ſuos apud patrem crimine peſſimo.* Alia litera legit: *Detulerunt Ioſeph de peſſimo crimine apud patrem ſuum Iſrael:* quaſi non Ioſeph fratres accuſaſſet, ſed fratres accuſabant Ioſephum multas illi calumnias affingentes, vt author eſt Theodoretus. Præcellentia enim iuuenis ſic fratres inuidos vexabat, vt nefaria de illo confingerent, quæ parenti deferrent.
Chryſoſt. Ait D. Chryſoſt. hom. 61. in Gen. *Vide malitiæ eminentiam, etiam patris charitatem perturbare attentabant, & quæ non erant, fingunt contra fratrem, ſolum vt inuidia ſua expleri poſſit.* Sic inuidorum linguæ armantur in viros præcellentes, vt vel confingant crimina in eis, ſi non inueniant.

§. III.

Valdè iraſcitur Dominus in eos, qui præſtantiſſimorum hominum ad infirmiora reſpiciunt.

AVdit Dominus loquentes contra Moyſem propter vxorem Æthyopiſſam, & in eos *iratus eſt*; nec miror, proprium enim eſt diuinæ iræ aculeos ſuos oſtendere in eos, qui in præſtantiſſimis viris infirmiora reſpiciunt, quæ mordeant, non quas æmulentur virtutes. Multa equidem, erant in Moyſe clariſſima virtutum facinora, vnus forſan erat næuus vxor Æthyopiſſa. Illis autem relictis virtutibus, hunc vnum nęuum reſpiciunt loquentes contra Moyſem propter illum, vndè non mirandum, quod ſupra ſe trahant diuinam iram 2. Reg. 6.
2. Reg. 6. vbi arca Dei in plauſtro circumferebatur, dicit: *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues, & declinauerant eam. Iratúſque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum.* Vndè tantam Dei iram ſuper ſe traxit Oza? In eo, quod acutus fuit in perſpicienda vel diuinæ arcæ parua declinatione, oſtendebat eos, qui ſunt acutiſſimi in perſpiciendis, vel minimis erroribus virorum præſtantiſſimorum. Qui quidem ex hac perſpicacia nihil citius ſupra ſe trahunt, quàm vehementem Dei indignationem. Quo reſpiciens Rup. lib. 2. cap. 28. ait: *Per hanc ſimilitudinem*
Rupert. *vehementius commonemur, ne quando nos otioſi, aut vacui cum ſimus, humiles arcæ Dei portitores, ſi quando exceſſerint, veluti boues calcitrantes, temere iudicemus. Iratus eſt enim Dominus contra Ozam indignatione, & percuſſit eum ſuper temeritate, quia videlicet, qui ſanctorum infirma reſpiciunt, & non potius, quia conualuerunt de infirmitate, & fortes ſunt in bello, ibi contra ſe ipſos diuinum prouocant iudicium.* Maximè diuinum iudicium in ſe prouocat, quiſquis præſtantiſſimorum hominum relictis virtutibus infirma humanæ fragilitatis magis corrodit, & cum poſſit vt apis floridos virtutum campos exſugere, mauult, vt muſca infirmitatis humanæ inhærere putori. Hinc malè audierunt apud Deum amici Iob, qui ſedentes cum illo in ſterquilinio pene hominis obliti clariſſimas virtutes, hoc ſatagunt, vt eius notent errores, quibus ærumnas tribuant. Dicit autem cap. 42. *Poſtquam locutus eſt Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themmanitem; Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum,* &c. *Iob ſeruus meus orabit pro vobis, faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia.* Septuag. transferunt hæc vltima: *Nam niſi propter ipſum perdidiſſem vtique vos.* Quid actius? Quid acerbius potuit dici? Sed vndè viri iſti tantam merebantur acerbitatem diuinæ iuſtitiæ? Nónne illi pro Deo ſtabant? Nónne eorum verba maximam in Deum pietatem, & reuerentiã oſtendebant, quam & nitebantur Iobo perſuadere? Vndè ergo adeò pij homines ſic Deum offendebant, ſic diuinam iram in ſe ſollicitabant? Equidem habebant præ oculis Iobum notiſſimarum virtutum ſimulacrum; habebant ante ſe hominem clariſſimis virtutibus, facinoribúſque radiantem, nullâque eius virtute prædicata, in hoc erant maximè intenti, vt vel verbulum eius infirmitatum vi extortum accuſarent; quid mirum, quod indè traherent aduerſum ſe ingentem diuinarum irarum ſegetem. Pulchrè ad hæc ait Olympiodor. in cat. *Quantum*
Olympio. *demum honoris ſanctis Dominus impertitur? Nam & illud capitale eſſe pronuntiat, iuſtis detrahere. Necnon illud attende; Quamuis ij pietatis erga Deum ſtudio ad loquendum adducti eſſe videantur, eſſe tamen reprehenſos, tanquam nihil veri dixiſſent, tametſi religione erga Deum incitati, oratione vſi ſunt; nam profectò veniam illis Deus non tribuiſſet. Hinc ergo intelligimus haud leuiter peccare eum, qui iuſtorum hominum nomini crimen infert, illóſve accuſat.* Crede mihi nullo pietatis, nullo religionis prætextu in claris virtute viris impunè ſpectas, quod accuſes; imò indè maximam in te excitas Dei iram.

Numer. 12. Statim locutus eſt Dominus ad eum, & ad Aaron, & Mariam: Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum fœderis. Cúmque fuiſſent egreſſi, deſcendit Dominus in columna nubis, & ſtetit in introitu tabernaculi, vocans Aaron, & Mariam. Qui cum iſſent, dixit ad eos, &c.

§. IV.

§. IV.

Solet Deus inter iraſcendum prouidere miſerendi occaſiones.

IRatus Dominus in murmuratores, eos vocat, & cum Moyſe vocat, & ad tabernaculum fœderis vocat, quippè ait: *Statim locutus eſt Dominus ad eum, & ad Aaron, & ad Mariam: Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum fœderis*, &c. Et cur caſtigaturus reos cum eis etiam Moyſem vocat, & ad tabernaculum fœderis vocat? Benigniſſimus Dominus inter iraſcendum, & caſtigandum ſimul prouidebat Moyſem deprecatorem, & fœderis locum, vndè eius miſericordia excitata parcere reis poſſet. Sic Deus facere ſolet, qui inter ipſas iras, occaſiones prouidet, vndè parcat peccatoribus.

Matth. 26 Matth. 26. poſt cœnam cum diſcipulis à Ieſu factam, dicit: *Hymno dicto, exierunt in montem Oliueti. Tunc dicit illis Ieſus: Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte. Scriptum eſt enim: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis.* Ecce tibi vbi exitur in montem Oliueti, diſcipulorum fuga, & ſcandalum commemoratur. Et cur in Oliueti monte tanto digna ſupplicio res oſtenditur, niſi vt videas, quàm inter ipſas ſupplicij acerbitates præparetur reis euadendi occaſio? Ait Origen.

igen. hom. 35. in Matth. *Quàm aptè mons miſericordiæ eſt electus, vbi præuntiaturus fuerat ſcandalum infirmitatis diſcipulorum ſuorum: quia non optabat, vt fieret, ſed prænuntiabat, quod erat futurum, iam tunc præparatus, non vt repelleret diſcipulos diſcedentes, ſed vt reciperet conuertentes.* Equidem in montem Oliueti, in monte miſericordiæ memorabat Apoſtolorum fugas, & ſcandala, vt iã vel ex loco inter ipſas iracundiæ res oſtenderentur Apoſtoli minime perituri ſub ſcandalo, ſed ad Dei gra-

ſai 12. tiam reuocandi. Ex Iſaia aſſerebat Ioannes cap. 12. *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & ſanem eos.* Expende ingens Dei ſupplicium Iudæis illatum, nimirùm excæcauit oculos eorum, ne Ieſum Saluatorem mundi in medio exiſtentem agnoſcerent, ſed ignoratum repellerent. At illud maximè notandum, quod iuxta Diu. Auguſtini mentem, hoc ingens cæcitatis, & ignorantiæ ſupplicium Iudæis inferebat, pro quibus ſanandis venerat. Quando ergo Domine venis quærere Iudæos, cur eorum oculos excæcas, ne te videant, ne te agnoſcant? Cur tam ſeuerè miſericors caſtigas illos, tui ignoratione replens? Sanè illos ignoratione, & cæcitate caſtigat, vt ipſa ignoratio, & cæcitas miſerendi occaſionem præbeant, ait enim: *Excæcauit oculos eorum, & conuertantur, & ſanem eos.* Simul duriſſimum cæcitatis ſupplicium infert, & in ipſo ſupplicio occaſionem firmat miſerendi, quia ignorantes fe-

D. Ber. cerunt. Ait D. Bern. ſerm. 4. in Hebdom. Pænoſ. *Paucis reuelauit ſeipſum, vt eſſent, qui crederent; reliquis autem abſconditus eſt. Quia ſi cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Ad hoc etiam illi ſingulari peccato ignorantiam copulauit, vt ſub aliquâ iuſtitiæ vmbra ignorantibus poſſit ignoſci.* Ecce tibi vt ſimul rem ſummæ diſtrictionis agebat Iudæos excæcando, ne Saluatorem agnoſcerent, ſed fontem ſalutis ignorarent; & in illo ipſo ignorantiæ ſupplicio viam firmabat, qua aliquomodo poſſet erga illos miſericordia ſolicitari, quia nimirum fecerant ignorantes. Sic ſolet Deus inter ipſas iracundiæ res prouidere occaſiones, ex quibus

Iona 3. parcat. A Iona ſupplicium Niniuitis prædicabatur, dum ait cap. 3. iuxta lectionem Septuag. *Adhuc tres dies ſunt, & Niniue ſubuertetur.* Subuerſio miſeris denuntiatur ſub trium dierum ſpatio. Et cur tres dies præmittuntur miſeris ſubuertendis? Dixerat aliquando Dominus

Ioan. 2. Ioan. 2. *Soluite tẽplum iſtud, & in triduo ſuſcitabo ipſum.* Erat quidem triduum dicatum ſuſcitationi, ideò præmiſit Dominus triduum ſubuertendis, vt & in ipſis irę verbis ſpem ſalutis firmaret. Ex quo pulchrè Diu. Ephræm ſerm. de Pœnit. *Oppone ſermonem ſermoni, ac verbum verbo, & in Chriſto comperies explicata pœnitentiæ verba. Ille ſuſcitare promittebat, hæc ſubuerſionem cõminabatur. Non minis terruiſſet, niſi futurum eſſet, vt ſanarentur.* Equidem in ipſis minis, in ipſis verbis irarum, oſtendebantur, quæ ad ſalutem facerent, quaſi neſciret Deus protendere mala, quin viam prouideat ſanitati. Ephram.

§. V.

Conſortium mala præſentes ſolent tangere.

TRes fratres iuſſit Dominus in tabernaculum fœderis venire, qui cum iam adeſſent, ex tribus duos tantum ad ſe vocauit; dicit námque: *Cum fuiſſent ingreſſi, deſcendit Dominus in columna nubis, & ſtetit in introitu tabernaculi, vocans Aaron, & Mariam*, &c. Aaronem, & Mariam ſolus ad ſe vocat, vt accederent ſine Moyſe. Cur non & Moyſes vocatur, ſi quidem cum illis iuſſus erat venire? Pœna infligenda erat duobus, ideò meritò Moyſes dimittitur, ne duorum ſupplicium illum præſentem concuteret. Solent enim conſortium mala præſentes ſocios opprimere. Irruerunt Romani aliquando in ciuitatem Iudæorum, quam *Gamalam* dicunt. Irrupti muri ſunt, cõfractæ portæ, & dum victor exercitus Romanus omnia implet, miſerorum domos intrant milites, vt ſpolient, quæ introeuntium multitudine grauatæ concidunt, ſuáque ruina multos Romanos opprimunt, cæteróſque tanto pauore replent, vt paſſim interficerentur à pueris, & fœminis. Quid luctuoſius? Quid triſtius? Tanta clade confractos Romanos, & confuſos, vt erigeret nobilis Imperator Veſpeſianus ſic ad illos loquitur teſte Egeſippo, lib. 4. cap. 2. Egeſipp. *Neque quicquam eſt, quod argui poſſit, niſi inconſultus impetus, atque increditus. Etenim dum ad ſuperiora vrbis illos ſecuti fuiſtis, atque irruiſtis in domos eorum, ipſi vos periculis implicauiſtis. Quorum ſucceſſiſtis hoſpitia, ſuſcepiſtis pericula.* Habebat nobilis Imperator gentem Iudæorum obnoxiam diuinæ iræ; à quorum conſortio, & laribus fugiendum erat illi, qui cauere volebat extremam ruinam. Vndè non mirum quod Romani viri ad victoriam nati, victoriam perdant Gamalæ, & inueniant ruinam, quando Iudæorum domos intrant. Suſceperunt neceſſariò pericula eorum, quorum ſuſceperunt conſortium, & hoſpitium. Fuge homo vel cõſortium illorum, qui expoſiti ſunt diuinæ iræ, niſi velis, cum illis feriri. Hinc Iudas volens moriturum Ieſũ deſignare, ait Matth. 26. *Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum.* Expende quale ſignum dederit miſer, nimirùm oſculi ſignum. Et cur in oſculi ſigno ponitur comprehenſio, imò & mors inferenda Chriſto? Equidem vt in oſculo oſtendebatur conſortium oſculati, & oſculantis, nullo clarius potuit oſtendi opprimendus Ieſus, quam vbi adhæret per oſculum Iudæ. Matt. 26.

D. Chryſ Vt dicat D. Chryſoſt. ſerm. 1. in Fer. 5. Paſſ. *Hoc ſignum Iuda tu dediſti, hoc pactum in tuo maganitio poſuiſti, vt cum quo faceres pacem, ipſe raperetur ad crudeliſſimam paſſionem.* Et quidem qui conſortium, & pacem ſaltem externam habebat cum Iuda, iam inde deputabatur morti non abſimili, deputabatur arbori crucis.

Num. 12. Iratúſque contra eos abiit; nubes quoque receſſit, quæ erat ſuper tabernaculum: & ecce Maria apparuit candens lepra ſicut nix.

§. VI.

Recedente Deo plurima nos occupant mala.

HÆc eſt vera ira Dei, quod abeat, quod recedat à peccatoribus, fœlix peccator, cui Deus adeſt & ſi terribilis, & ſi multa clamans; tunc namque vera infœlicitas oritur, cum Deus abeſt. Compone modo

Adamum

Adamum peccantem, & hanc Mariam etiam peccantem; iratus Dominus contra hanc abiit, iratus contra Adamum conuenit hominem; ambulánſque ad horam
Gen. 3. poſt meridiem ad illum accedit Gen. 3. & vocat fugitiuum, dicens: *Adam vbi es?* Et cur, qui ad peccantem Adamum accedit, ab hac fœmina peccante recedit? In hac volebat ſe adeò iratum oſtendere, vt aditum videretur occludere miſericordiæ, & ideò ab illa abiit, & lepræ infert plagam. In Adamo volebat ita ſe iratum oſtendere, vt miſericordiæ locum daret, & ideò ad illum accedit, præſentia enim Dei, licet irati, non poteſt
Baſil. Sel non miſericordiæ præbere aditum. Vt dicat D. Baſil. Sel. orat. 3. *Miſertus erroris Deus ad corrigendũ currebat. Currebat autẽ non mutatione loci, ſed imagine quadã terribili præſentiam cõteſtatus.* Itaque & terribilem ſe, & præſentem oſtendebat peccatori; terribilem, vt oſtenderet iratum; præſentem, vt ſe propitium daret. Vbi enim præſens eſt Deus, & ſi terribilis, & ſi maximè iratus videatur, non poteſt non miſericordiæ recordari. Caue tibi, ne Deus abſit, ne à te abeat, hæc enim eſt ira magna, ex qua maiora exurgunt aduersùs peccatores
Iſaias 64 damna. Quò ſpectans Iſaias cap. 64. ait: *Abſcondiſti faciem tuam a nobis, & alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ.* Ecce tibi, vt Deus ſeſe à nobis abſcondit; nulla timetur calamitas, quæ nos non inuadat. Ibi Procopius:
Procop. *Si Deus a nobis propter iniquitates auertitur, maius in nobis malum innaſcitur.* Nequit non maius maluminnaſci nobis, ſi Deus à nobis ſe abſcondat, à nobis abeat; parũ dixi: *Maius malum innaſci*, multa enim & maxima nos
D. Cyril. mala occupabunt. Sic D. Cyril. Alexand. lib. 5. tom. 6. in Iſaiam fatus: *Auertiſti faciem tuam a nobis, & tradidiſti nos propter peccata noſtra. Non enim beati eſſe poterant à Deo reiecti; at in omnia mala incidere omnino neceſſum eſt.* Nullum malum adeò atrox eſt, quod peccatorem non inuadat, quo tempore Deus ab illo offen-
Luc. 23. ſus abeat. Ecce tibi Luc. 23. ait: *Erat autem fere hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terram vſque in horam nonam. Et obſcuratus eſt Sol, & velum templi exciſum eſt medium. Et clamans voce magna Ieſus, ait: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et hæc dicens expirauit.* Expende, quot mala terram diuexerunt, vbi diuinus Ieſu ſpiritus abiit; quæ mala tunc non auſa ſunt
Chryſoſt. in mundum? Pulchrè D. Chryſoſt. ſerm. 3. de Paſſ. ait: *Importunæ tenebræ aliena tempora peruaſerunt: moriente vero die, nouum dies ſenſit occaſum.* Non amplius tenebræ intra carceres ſuos contineri potuerunt, vbi Chriſti ſpiritus abiit è mundo, ſed ſtatim mundum occuparunt, vt diſcas, quam nulla ſe contineant mala, quin diuexent miſeros, à quibus Deus ſeparat præſentiam ſuam. Quò reuoco dicta 1. tom. in Euang. lib. 1. cap. 2. §. 1. & alibi.

§. VII.

Malitia interna mentis foras educta miſerè peccatores caſtigat.

MOrdacem fœminam lepra miſerè comeſt, ait enim: *Ecce Maria apparuit candens lepra*; & ſtatim ſubiicit: *Ecce dimidium carnis eius deuoratũ eſt alepra.* Quid mirum, quod à lepra voretur fœmina murmuratrix? ſpiritus equidem detractoris mordacitas venit ad corpus, & tam mordaci morbo miſeram caſtigat. Caue homo, ne vitiorum internorum malitia foris erumpat, ſub illa ingens ſuſtinebis ſupplicium. Sic
Actor. 13 Actor. 13. dum Elimas Magus ſeſe prædicationi Euangelij opponeret, ait illi Paulus: *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus, non videns Solem vſque ad tempus. Et confeſtim cecidit in eum caligo, & tenebræ.* Paulus dixit, *& dicto citius oppreſſerunt eum.* Vnde tam prompta venit caligo ſupra miſerum? Equidem ex illo ipſo; caligo namque, quæ excæcabat mentem illius, ne videret veritatis lucem, foras prodit, & miſerum afflixit: Ait Ara-
Arator. tor lib. 2. in Acta:

Tunc nubila vultum
Cærulæis fixêre notis, & pectoris atri.
Venit in ora color.

Quid pulchrius? Quæ afficiebant intrinſecùs animã caligines, foras prodeuntes, miſerum cæcauerunt, & caſtigauerunt. Væ nobis, ſi animarum noſtrarum malitiæ foras prodirent, illæ ipſæ per ſe ſolas nos atrociter perimerent. Si mentis caligo, ſub qua æterna non cernimus, prodiret extrinſecùs, quam cæci, & miſerè maneremus ſine Sole, & luce! Si mordacitas animæ, qua proximos corrodimus, in corpus veniret, quàm mordaci ſcabie voraremur! Et quidem ſolet Deus id efficere, vt in externo ſupplicio pateat interni vitij malitia. Num. 15. inuentus fuit homo, qui ligna die Sabba-
Num 15 thi colligebat, hunc tanquam legis tranſgreſſorem in carcerem mittunt; conſulunt Deum, & ait oraculum diuinum: *Obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra.* Sic miſer periit obrutus lapidibus. Et cur lapidibus obruitur pro ſupplicio? Ait D. Cyril. lib. 4. in Ioann. c.
D Cyril. 51. *Ideò qui ligna colligebat in Sabbatho lapidibus obruebatur, quoniam veritatem in figura violauit. Non intelligens ex amentia, quo obumbrata illa tendebant, atque ideò inanimis lapidibus tanquam inſenſatis obruebatur, vt in ſupplicio ſuo morum quaſi qualitatem oſtenderet.* Sic inſenſatus eius animus circa diuina extrinſecùs oſtendebatur in inſenſatis lapidibus, quibus obruebatur. Sic & in cæteris peccatoribus ſolet Deus facere, vt internæ malitiæ qualitas extrinſecùs aliquo in malo appareat, ſub quo miſeri peccatores vehementiſſimè affligãtur.

Numer. 12. Cúmque reſpexiſſet eam Aaron, & vidiſſet perfuſam lepra; ait ad Moyſem: Obſecro Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod ſtultè commiſimus, ne fiant hęc quaſi mortua & vt abortiuum, quod proiicitur de vulua matris ſuæ. Ecce iam medium carnis ſuæ deuoratum eſt à lepra, &c.

§. VIII.

Metus calamitatis plus ſolet affligere, quàm ipſa calamitas.

LEpræ malo confecta Maria, Aaron liber à lepra manſit, ſed non à ſupplicio, quando vehementiſſimè in ipſa Mariæ lepra fuit ipſe caſtigatus. Sapienter enim, inquit Saluianus lib. 1. de Prou. *Aaronem Domi-* Saluian.
ni caſtigatio flagellauit, nec ſolum hoc, ſed in pœna, quam Maria patitur, Aaron etiam quaſi culpæ particeps coërcetur. Maria enim ſupplicio afficitur, vt Aaron confuſione mulctetur. Ecce tibi lepra afficiens Mariam, ſimul Aaronem, & fortè vehementiori dolore ferit, adeò, vt tacente Maria ſub lepra eius conſpectu ſolo Aaron ſic afficiatur, vt multus ſit in quærendo remedio. Quippè ait textus: *Cum conſpexiſſet eam Aaron, & vidiſſet perfuſam lepra, ait ad Moyſem: Obſecro Domine mi,* &c. Maria ſub malo lepræ tacet, nec vllam facit diligentiam, qua liberetur; Aaron autem illam vidẽs clamat ad Moyſem, multas fundit preces humiliter, verecundéque, & obnixè ſanitatem contendit. Sanè acrius mordetur conſpectu lepræ, qui tantus eſt in remediis quærendis. Nec miror, ſæpe enim ſuper calamitatem ipſam affligit calamitatis metus. Rem explico pulchro exemplo ex Egeſippo lib. 4. cap. 9. Erant rebelles homines clauſi Ieroſolymitano in templo, qui vt ciues poſſent perdere, vocarunt ad ſe Idumæos. Adſunt viginti millia Idumæorum, qui ingredi ciuitatem conabantur, ſed ciues animosè reſiſtebant clauſis firmiſſimè portis. Interea dum Idumæi ſub diu eſſent, ingens tempeſtas exorta eſt, cuius vis tanta fuit, vt ciues Ieroſolymitanani

intra

intra domos ſuas conſiſtentes animo caderent, adeóque ſui obliti exiſterent, vt exeũtes è templo perduelles portas ciuitatis aperirent, Idumæos exciperent, ciuitatem perderent. Quid mirabilius? Qui ſub diu erant, totámque vim tempeſtatis excipiebant, nec cõſternantur, nec infirmantur; qui autem intra domos erant, à tempeſtate protecti, ad ſolum illius conſpectũ prorſus eneruantur, & pereunt. Vnde hoc, niſi quia ſupra calamitatem ipſam eſt ipſe calamitatis metus? Pulchrè

Egeſipp. Egeſippus ait: *Subito nocte oritur procella intolerabilis, tempeſtas atra, fremunt venti, cœlum inhorreſcit, vis imbrium multa infunditur, terribiles coruſcationes, tonitrua immania, terrarum mugitus, vt ſolui mundus æſtimaretur. Quis crederet plus nocuiſſe iſtud intra urbem poſitis, quam extra vrbem degentibus? Cum vtique hi tectis muniti forẽt, illi obiecti ad imbres; ſed amplius terruit iniuriæ metus, quam ipſa iniuria.* Equidem tam atrox temporis iniuria non ſic affecit patientes, vt illius ſolus metus affecit eos, qui liberi, ſecuri, & protecti erant. Sic ſæpe calamitatis metus atrocior carnifex eſt humani cordis, quàm ipſa calamitas veniens. Ne miremur, quod Maria ſub lepræ malo taceat; Aaron amplius illius mordeatur conſpectu. Quod ſupplicium, vel ante ſupplicium datum fuit Abſaloni, & quidem omni ſupplicio acerbius. Cùm enim totus eius exercitus periret, fugam ipſe meditatus mulum conſcendit, & fugiens per condenſam quercum implicatis ad arborem capillis ſuſpenſus

2. Reg 18 hæſit. Ait text. 2. Reg. 18. *Adhæſit caput eius quercui, & illo ſuſpenſo inter cœlum, & terrã, mulus, cui inſederat, pertranſiuit.* Itáque Abſalon ſuſpenſus manſit ab arbore longas inducias habens, quibus poſſet vel mediis multis, vel ſaltem precibus ſalutem cõparare. Non ſic factũ

Num. 16 eſt cum Core, ſed vt ait Num. 16. *Diſrupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis*, &c. Core cum ſuis factionariis, vbi loquitur contra Moyſem, ſubito à terra voratur; Abſalon autem, qui aduerſum patrem rebellat, illíque bellum infert, non à terra voratur, ſed viuus tenetur ab arbore. Cur nõ magis perimitur? Cur adhuc rebellis tantus viuere permittitur? Non equidẽ lenius agitur cum Abſalon, dum reliquis rebellibus ſubito pereuntibus, ipſe diu viuus demonſtratur, ſed maiori ſic conſcientiæ flagello traditur videntis iam iam peccatorũ meſſem appropinquare, & ſe ſub illius metu cruciantis. Ait

Chryſoſt. Chryſoſt. in Pſalm. 7. *Longo tempore pependit Abſalon, à conſcientia dei inceps flagellatus.* Sanè duriori carnifici traditur, nimirùm conſcientiæ propriæ videnti flagitium, & metuenti flagitij damnum. Et quod mirere magis, Core ſimul cum omnibus factionariis repentè abſortus fuit; cum Abſalon longè aliter factum eſt, prius ſunt occiſi factionarij eius, prius ipſe vidit interfectos milites ſuæ coniurationis ſocios, & hos cæſos videns ſalutem ſuam fuga procurabat. Et cur cum Core ſimul abſorbentur factionarij; Abſalomo autem incolumi, & viuo factionis ſocij interfecti oſtendebantur? Vt Abſalomus nocẽtior fuit, ſic atrocius cum illo agebatur, vt in ſociis ſuis videret ſibi debitam calamitatem, & ſub illius metu, & confuſione magis affligatur.

Chryſoſt. Ait D. Chryſoſt. hom. de Abſalomo. *Igitur commiſſo bello proſternuntur aduerſarij Dauid, deſeritur paricida, iam ſuam in ſuis conſpicit pœnam, iam ſupplicium debitum ſibi in ſuorum interitu recognoſcit. Iam timet, iam formidat*, &c. Sic nocentiori atrocius ſupplicium datur, vt ſuam pœnam in ſuis videns ſub metu affligatur cladis, vt qui ſoleat plus torquere, quam ipſa clades. Quò adducenda ſunt dicta tom. 3. in Euang. lib. 13. cap. 1. §. 3. & tom. 4. lib. 16. cap. 8. §. 4.

Num. 12. Clamauit Moyſes ad Dominum dicens. Deus obſecro, ſana eam. Cui reſpondit Dominus: Si pater eius ſpuiſſet in faciem illius nónne debuerat ſaltem ſeptem diebus rubore ſufſundi? Separetur ſeptem diebus extra caſtra & poſtea reuocabitur. Excluſa eſt itáque Maria extra caſtra ſeptem diebus: & populus non eſt motus de loco illo, donec reuocata eſt Maria.

§. IX.

Mala in peccatorum pœnam venientia non depelluntur niſi diuturni temporis diligentiis.

SEptem dierum rubor, & confuſio requiritur ab eo, qui vel verbulo nouit infirmitates curare, vt lepram Mariæ tollat, ait enim: *Separetur ſeptem diebus*, &c. Cur non ſtatim tollit illam, vt ſæpe aliàs fecit in infirmis aliis? Venerat pœna illa à ſummo parente Deo in murmurationis ſupplicium; quod autem malum eſt ſupplicium peccati, non tollitur niſi virtutibus multiplicatis, niſi diuturni temporis diligentiis peractis. Sic venienti ad ſe Naamano leproſo ait Eliſæus. 4. Reg. 5. *Vade, & laua te ſepties in Iordane.* Eſto, quod mittatur ad Iordanis lauacrum, cur ſepties lauari iubet? Sanè Ieſus, in cuius virtute Eliſæus operabatur, miſit cæcũ ad lauacrum, ſed tantum ait Ioan. 9. *Vade, laua in natatoria Siloë.* Non dixit *laua ſeptiès, ſed tantum laua*, vt vel vno lauacro poſſet mundari. Cur ergo maluit Naamanum ſepties, cæcum autem ſemel tantum lauari? Quæſtionem ſoluit Dominus dicens de cæco: *Neque hic peccauit, neque parentes eius, vt cæcus naſceretur.* Non equidem venerat cæcitas in pœnam peccati, & ideò nõ miror, quod facilè illam Dominus velit curare. Lepra autem Naamani ſaltem typus erat pœnarum, quæ in peccatis fundantur, & ideò pluribus debuit curari. Ait enim Tertul. lib. 4. in Mar. *Syro facilius emundato ſignificat per nationes emundationes in Chriſto, quæ ſeptem maculis delictorum capitalium inhærent. Quapropter ſepties, quaſi per ſingulos titulos in Iordane lauit.* Itaque vbi ſignificatur ſanatio malorum, quæ fundantur in peccatis, non vnum, ſed multiplex mandatur lauacrum, non enim niſi multiplici diligentia virtutũ homo abiis conualet infirmitatibus. Hinc Ionas cap. 3. ingrediens Niniuem clamabat: *Adhuc quadraginta dies ſunt, & Niniue ſubuertetur.* Extremam ciuitatis ſubuertionem poſt quadraginta dies futuram proponit. Non ſic cum Babylone factum eſt, de qua dicit Apocal. 18. *In vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fame*, &c. Huic vna tantum dies datur induciarum, illi quadraginta dantur; ſed vtraque peccatrix erat, vtraque ſceleribus abundabat, vtrique calamitas veniebat ob peccata. Cur vna tantum dies induciarum datur Babyloni, & quadraginta Niniui deſignantur? Dantur Niniui dies, quibus regulariter poſſit à ſe depellere peccatorum ſuorum merita mala, & ideò illi quadraginta dies dantur, non enim vna, aut altera, ſed diuturni temporis diligentiis regulariter ſolent propelli mala, quæ in peccatis fundantur. Ait Diuus Aug. in Gloſſa ad 3. Ionæ caput: *De Niniuitis apud Ionam prophetam ſcriptũ perhibent: Quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur vt per tot dies, accommodatos humiliationi peccantium, intelligatur in ieiuniis ſua defleuiſſe peccata, & impetraſſe miſericordiam Dei.* Non otiosè plures dies Niniuitis dantur, ſed vt oſtendantur, non niſi pluribus virtutibus, pluribus diuturni temporis vigiliis potuiſſe à peccati debita calamitate liberari. Sic ægrotanti Ezech 4. Reg. 20 adeſt propheta Iſaias, promittit poſt triduum ſanitatem, quam vt conferat, ait: *Afferte maſſam ficorum*, hánque ægroto adhibuit, quæ, reſte Lyra, potius aggrauaret infirmitatem. Aliter cum Iobo factum eſt, ipſe enim mille iacebat tortus infirmitatibus, cui ſic iacenti Deus adeſt c. 3 & hæc verba dixit iuxta Septuag. *Putas me aliter reſponſiſſe tibi, quam vt appareas iuſtus?* Hæc dixit Dominus, & illico Iob apparuit ſanus. Compone modò ſanitatem Iobi, & Ezechiæ ſanitatem, hic vt

4. Reg. 5. *Ioan. 9.* *Tertul.* *Ionas 3.* *Apoc. 18* *D. Aug.* *4. Reg 20* *Septuag.*

ſanaretur triduum expectatur, maſſa ficorum illi apponitur,quæ dolores exacerbaret;ille autem ſubitò ad Dei verbum ſanatur. Cur tantis curatur Ezechias, cum Iob nullo remedio adhibito,nec vllo die expectato appareat curatus? Ezechiæ morbus venerat propter tumorem ſuperbiæ, vt ait Glicas, & Cyril. in Gloſſa, imò & venit propter aliqualem ingratitudinem,vt Auguſt.ibi etiam fatur. Morbi autem Iobi non venerant propter peccata,ſed propter eius iuſtitiam manifeſtandam,quod vt Deus dixit,ſubitò eliminãtur. *Theoph.* Ait Theophanes epiſt.2.de Patientia: *Poſt tolerantiam tentationum Iob dignus habitus eſt,qui Deum videret,audirétque illud diuinum præconium,dicens illi: Putáſne me aliam ob cauſam alloquutum te eſſe, niſi vt iuſtus appareas? Oratio hæc immareſcibilis fuit corona certaminum athletæ; hoc brauium fuit agonis ipſius,hoc patientiæ præmium. Oratio hæc morbum illum doloribus plenum illicò diſſoluit.* Equidem quando conſtitit morbos non veniſſe ob peccata, ſed ob iuſtitiam monſtrandam, illicò ſine remedio alio, morbi ſunt curati. Qui tunc multis vigiliis, multis remediis, multis virtutibus exercitis,multis admiſſis vitiorum contrariis debent curari,cum venerunt ob pec- *Luc.23.* cata.Ex quo latro clamabat Luc.23. *Memento mei,dum veneris in regnum tuum.* Cur ſic differt remedium ſuũ? Cur non magis poſtulat, vt ſtatim memoria eius habeatur? Sciebat crimina ſua,& pœnam,qua dignus erat, ideò niſi poſt multa exanthlata non audet petere ſani- *D.Aug.* tatem.D. Aug.ſer.144. *Attendens merita ſua,non dixit: Memento mei, vt liberes me hodie; ſed cum veneris in regnum tuum,tunc memor mei eſto, ſi mihi tormenta debentur,vel quo vſque veneris in regnum tuum.* Prudens latro debita ſua attendens non putabat niſi longi temporis pœnis debere ſanari.

§. X.

Quælibet calamitas temporalis pro minimo à Deo habetur.

ILlud mirabile, quod lepram mordaciſſimam, à qua pene conſumpta erat Maria, comparet Deus ſputo paterno. Quippè ait: *Si pater eius ſpuiſſet in faciem eius,* &c. Quid lepræ, & ſputo? Quantumuis enim ſputum verecundum ſit,tamen leue quid eſt,& parui, aut nullius nocumenti, lepra autem mordaciſſima lues eſt, magnúmque infert homini nocumentum.Cur ergo de illa ſic agit Deus, quaſi de ſputo leui? Equidem apud Deum nulla calamitas temporalis magna eſt, ſed leuis, ſed parui momenti. Similiter vbi mundi Imperatoris *Dan.4.* ruinam voluit oſtendere Dan.4. obiicit Nabuchodonoſor dormienti arborem,de qua vigil clamabat: *Succidite arborem, excutite folia eius.* Maximum Imperatorem perdit,& arborem vocat;Imperium mundi excutit,& folium dicit.Nec miror,ſic enim ſunt apud Deum regnorum clades, quaſi clades viliſſimorum foliorum *D. Greg.* eſſent.Quò ſpectat illa hiſtoria narrata à D.Greg.Turronenſi lib.5.hiſtoriæ Francorum: *In Turonico vero,eo anno,ſonitus tanquam diruentis arborem,per totam terram illam auditus eſt; quod ideò non eſt de arbore æſtimatum, quod in quinquaginta, aut amplius millearia eſt auditum. Ipſo anno grauiter vrbs Burdegalenſis a terræ motu concuſſa eſt.*&c. Ecce tibi in ſonitu cadentis arboris excidium Burdegalenſe præſignatur; nec apud Deum maior eſt clades vrbis, quàm clades arboris. Sic æſtimat Deus perditionem quamlibet temporalem, quaſi eſſet perditio vnius arboris, ſeu vnius folij, quod vento rapitur. Parua enim eſt in Dei conſpectu quælibet calamitas temporalis. Hinc Dominus tradens amicum ſuum Iob furori diabolico, vt omni ægritudinum genere conficiatur,ait cap.1. *Ecce vniuerſa, quæ habet, in* *Chryſoſt.* *manu tua ſunt.* Vbi Chryſoſt.in cat. ait: *In manu tua do omnia quæcúnque ſunt illi.In manu,inquit,tua puſilla.* Et quæ eſt in diabolo puſilla manus, niſi quæ perdit, & torquet temporaliter? Reputat ſemper Deus puſillum malum,quod vltra temporis limitem non ſalit.

CAPVT XXIII.

Exploratores miſſi.

Textus Hiſtoria.

PEruentum erat Cadesbarne, qui ſitus, & Pharam terminat,& regionis promiſſæ limina indigitabat; ad quam ducente Deo, tot ſuperatis difficultatum monſtris vocabantur.Hæſit tamen populus,minimè vlterius progredi auſus, niſi præmiſſis prudentibus viris,qui terræ ſitum,feracitatem, & munitiones præuiderent,& renuntiarent. Singuli è ſingulis eliguntur tribubus, inter quos & Caleb, & Ioſue numerantur, quorum robur cæteris maius,& fides præſtantior.Ij mirati regionis feracitatem,botrum è vite decerpunt,qui pendens ab haſta,oneri fuit duobus portantibus, admirationi vniuerſis popularibus.Botri aſpectus animos dum dilatat,eos in anguſtum deducit incolarum fortitudinis repræſentatio. Dicebantur regionis incolæ gygantæo ſemine ſati,munitiſſimæ vrbes, & ferè inexpugnabiles, inter quæ dicta multis nititur Caleb contribulos erigere,vt arma capiant, potituri validiſſimorum hominum ſubſtantiis. E contra alij pectora vulgi confodiunt,quaſi vel à terra eſſent ſtatim vorandi,quæ minimè cultoribus ſuis parcit.

PARS VNICA MORALIS *circa textum.*

NOn haſta,ſed ſtilo venit nobis botrus portandus, in quo mentis diuitias, virtutúmque feracitatem poſſimus explorare.

Deuter. 1. Cùm veniſſemus in Cadesbarne, dixi vobis. Veniſtis ad montem Amorrhæi, quem Dominus Deus noſter daturus eſt nobis. Vide terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi, aſcende, & poſſide eam, ſicut locutus eſt Dominus Deus noſter patribus noſtris noli timere;nec quicquam paueas. Et acceſſiſtis ad me omnes,atque dixiſtis. Mittamus viros, qui conſiderent terram, & renuntient, per quod iter debeamus aſcendere, & ad quas pergere ciuitates.

§. I.

In diuinorum executione ille triumphat,qui omnem à ſe excutit timorem humanum.

IN promiſſionis terræ limine conſtitutis Iſraëlitis illud ſalutare conſilium prælibatur, nimirùm: *Noli timere, nec quicquam paueas.* Ille námque in promiſſis diuinis triumphabit,qui ad illa feſtinans mediis etiam inſuperabilibus difficultatibus nihil paueri omníque humano timore liberatur.Sciebat Iſaac diuinas ſibi repromiſſiones factas, vt pater futurus erat multarum gentium,vt progeniturus mundi ſalutem. Interea antequàm ſponſæ iungeretur, videt ſe ex Dei præſcripto ad mortem ligari;quippè ait Gen.22. *Cúmque alli-* *Gen. 22.* *gaſſet Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altari ſuper ſtruem lignorum. Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium ſuum.* Quid tunc Iſaac? Timuítne ſibi datis promiſſionibus? Videns ſe ligatum,& ſub ſtricto gladio timorem habuit, ne precox mors ſpes in ſe collatas abſumeret? Accipite D. Zenonem fantem *D. Zeno* ſerm. 6. *Nec puerum mors vicina contriſtat, ne trepidatio fidem*

sæm prodat infirmam. Sub hac denique immolantis, immolatique constantia absolui meruit, dum humanum ex se deponit timorem. Non equidem potuit non victor euadere, & ad diuinas promissiones peruenire, qui tanto sub periculo omnem à se dimisit timorem humanum. Huius etiam nepos Ioseph, dum oracula capit in somniis de regno super fratres habendo, venditus à fratribus seruus factus est, in Ægyptum ducitur, vbi maiori seruitutis vinculo astringitur, tandem ob falsæ impositum sibi adulterium coniicitur plectendus in carcerē. Quid seruitus, quid carcer, quid vincula cū regno? Sed tamen per seruitutem, per carceres, per vincula ad
Gen 41. regnum transiit. Ait enim Gen. 41. *Dixitque rursus Pharao ad Ioseph: Ecce constitui te super vniuersam terram Ægypti,* &c. Et quomodo ad regnum promissum
Theod. per tot regno contraria potuit peruenire? Ait Theod. ser. 8. de Prouid. *Omnia aduersa Ioseph generoso animo sustinuit. Nam assidua illa, & alternis se vicibus excipiens variarum calamitatum tempestas, nec animæ institutum abstulit, nec fortitudinem eius in timiditatem conuertit.* Ex quo in tot contrariis penè insuperabilibus nullum humano timori locum dedit, non miror, quod peruenire
Luc. 1. ad promissa sibi à Deo. Hinc Luc 1. Angelus promissurus filium, quem senectus, & sterilitas negarat, inquit: *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium,* &c. Vt Angeli conspectus metum incutiebat Zachariæ; sic nil prius curat Angelus, quàm metum excutere, quod plurimum faciebat, vt promissa reciperet. Ait enim
Chrysol. Chrysol. ser. 88. *Angelus antequam mandata pandat, dona tradat, metum discutit, fugat timorem, confortat animos ancipiti cogitatione turbatos, vt mens, quæ nigrauerat à se nimio pauoris excessu, in semetipsam reuersa beneficium tantum sentiret, & caperet largitatem.* Proh quàm vicinus fit promissis diuinis excipiendis, qui à se prorsus timorem abigit humanum! Petro post resurrectionem apparens Dominus, vt quod promisserat, Pontificium
Ioan. 21. cium traderet, ait illi Ioan. 21. *Simon Ioannis diligis me plus his? Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? Ait ille. Etiam Domine, tu scis quia amo te,* &c. Et cur in tradendo promisso pastoris munere, tam anxius Dominus quærit in Petro suum amorem? Viderat illum in passione turbatū timore, & præ timore promissis renunciasse; & ideò modo & timorem excutit, excusóque timore amorē firmat, quo promissum munus custodiendarum ouium possit capere. Quò respiciens
D. Aug. D. Aug. ser. 24. de sanctis ait: *Nunquid non, quando negauit Petrus Christum, occidi timuit? Hoc timuit pati, quod passus est Christus. Resurgendo Christus abstulit mortis timorem, & quoniam abstulerat mortis timorem meritò interrogabat Petri amorem,* &c. Nil non agit Dominus, vt ostendat à Petro abesse malum timoris, quando ad promissum munus recipiendum sese componit.

§. II.

Non sine piaculo post Deum pollicentem aspicis creaturam.

NOn paruum crimen obiicitur Israëlitis à Moyse, cū ait ad exploratores ab illis petitos: *Accessistis,* inquit, *ad me, atque dixistis: Mittamus viros, qui considerent terram, & renuntient,* &c. Equidem iam Deus renuntiauerat terram esse lacte, & melle manantem, incolas prorsus superandos, ciuitates pugnandas; item & Angelus in columna nubis viam monstrabat, qua aggrediendum erat. Post hæc, qui adhuc ad exploratores alios aspiceret; fallar, si euadat absque supplicio. Angelus à dextris altaris apparens nuntiauit Zachariæ sterilitatis solutionem, generationem filij concessam à Deo eius orationibus, & vigiliis. Res sanè difficilis se-
Luc. 1. nibus parentibus, & sterilibus. Quid tunc? Luc. 1. *Dixit Zacharias ad Angelum: Vnde hoc sciam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis. Et respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi Euangelizare. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui.* Ecce tibi Zachariæ petenti signum Angelus respondit iratus, illíque infert statim supplicium, dicens: *Non poteris loqui.* Et cur sic bonus ab Angelo percutitur, nisi quia post Deū pollicentem, post Angelum nuntiantem, adhuc aliud requirit, dicens: *Vnde hoc sciam?* Pulchrè ad hæc ait D.
Chrysol. Chrysol. ser. 9. *De supplicio fidei perficit documentum, dicendo:* Eris tacens, & non poteris loqui. *Egit ergo Angelus, vt tali documento eruditus, non amplius dicat:* Vnde hoc sciam? *Qui totius creaturæ indicio potuit approbare, quod Deus cœlum, terram, mare ex nihilo fecerat substitisse; credere debuit, quod potuit ex aliquo facere, quod vult; & desperato reddere, quod promittit.* Vbi Deus promittit, Angelus adstipulatur, damnabiliter errat, qui aliud spectat, cui fidem adhibeat. Adamus vt se excusaret, dicebat Gen. 3. *Mulier, quam dedisti mihi sociam,*
Gen. 3. *dedit mihi de ligno, & comedi.* Quam excusationem merito putat D. Chrysost. non posse esse immunem à supplicio. Et cur non erit sine supplicio excusatio ista? Dixerat Deus: *Ne comedas, quia morte morieris;* dixit vxor: *Comede, non enim comedentes moriuntur.* Ipse post Dei verba, adhuc attendit ad verba creaturæ, qualiter ergo poterit liberari à supplicio? Ait Chrysost. hom. 1. de
Chrysost. Patient. Iob: *Ille respondens Deo, inquit:* Mulier dedit mihi, & comedi. *O responsum indulgentiam non habens! Illa inquit,* comede, *Deus dixit:* Ne comedas, *quare ergo mulieri obsecundas, & Deum spernis?* Sanè post Dei ostensam, & agnitam voluntatem, quod te creaturis submittas, vt earum placitis guberneris, id solum faciendum proponens, quod volunt illæ, piaculum est dignum supplicio. Numer. 22. venit Dominus ad Ba-
Num. 22. laam, dixítque illi, vt minime iret cum legatis Madianitis ad maledicendos Israëlitas, annuit ipse, dimisit legatos, & minimè voluit ire cum illis. Iterum legati redeunt, & petunt enixè, vt veniat Balaam secum. Quid tunc? Ait Balaam: *Obsecro, vt hic maneatis etiam hac nocte, & scire queam, quid mihi rursus respondeat Dominus. Venit ergo Deus ad Balaam nocte, & ait ei:* Si vocare te venerint homines illi, surge & vade cum eis, ita duntaxat, vt quod tibi præcepero facias. *Surrexit Balaam mane, & strata asina sua profectus est cum eis. Et iratus est Deus. Stetítque Angelus Domini in via contra Balaam.* Et quando Deus præceperat ire vatem cū legatis, cur iratscitur illi? Cur Angelū percussorem obiicit in via? Quid fecit iste, quo tantam iram mereretur? Ait ipse: *Obsecro, vt hic maneatis etiam hac nocte, & scire queam, quid rursus respondeat Dominus;* quibus verbis ostendit homo veneficus se illa nocte redditurum ad artes suas, dæmonésque Dominos suos euocaturum, vt sciat ex eis, an ire debeat; quod non potuit esse non illi ad supplicium, quando hæc faciebat post verum Deum auditum negantē viam. Quis enim post Deū auditum, euocat creaturas, quarum sequatur nutum, & erit à supplicio liber? Ait Orig. hom. 13. in Num. *Molestus est*
Orig. *Balaam Deo, & extorquet prope modum permitti sibi vt eat maledicere filiis Israël, & vt inuocet dæmones, ad quem iam venerat Deus. Petenti ergo ire conceditur, in via conteritur ab asina,* &c. Expende illud: *Vt inuocet dæmones, ad quem iam venerat Deus.* Post Deum auditum, post Dei verba, voluntatémque perceptam, adhuc euocat familiares suos, ab illísque responsum exspectat, secuturus illorum nutum, non miror, quod pericula mortis incurrat, quod sentiat diuina spicula.

Num. 13. Locutus est Dominus ad Moysem dicens: Mitte viros, qui considerent terram Chanaam, quā daturus sum filiis Israël, singulos de singulis tribubus, & principibus. Fecit

Moyſes, quod Dominus imperauerat, de deſerto Pharan mittens viros, quorum iſta ſunt nomina. De tribu Rubem Samnua, &c. Miſit ergo eos Moyſes ad conſiderandam terram Chanaam.

§. III.

Errones homines vni acquieſcunt, qui eorum reſpondet deſideriis.

DEum habuerunt Iſraëlitæ promittentem terram manantem lacte, & melle, qualem eſſe dicebat Chananæorum terram; inſuper Angelum deductorẽ in columna nubis habebãt. Nec Deo bonitatem terræ aſſerenti acquieſcunt, nec ducatui Angelico, ſed petũt adhuc mitti exploratores, qui renuntiẽt terræ bonitatem, & viam accedendi oſtendant. Rem deducit Moyſes ad Deũ, qui annuit populo petenti, & de Dei ordine ſeligit Moyſes viros præcipuos, quos mittit exploraturos terram. Ait enim: *Miſit ergo eos Moyſes ad cõſiderandam terram*, &c. Nec eſt, qui Moyſi reſiſtat, nec qui oblatret abeũtibus exploratoribus. Et cur ſic quieti accipiunt exploratores homines, qui non quieti erãt, cum Angelo deductore? Nónne Angelus melius ſciret vias accedendi ad promiſſam terram? Nónne ab Angelo melius diſcerent, qua ſecurius procederent? Nónne Angelus certius, & verius pericula, & euadẽdi loca moneret? Cur ergo habentes Angelum, non quieſcunt, & homines petunt, quos vbi accipiunt, & quieſcunt, & totam illis procedendi rem credunt? Errones homines, in hoc, & immorigini monſtrabatur, vt ait Procopius, qui vni illi acquieſcunt, nõ qui certa, & vera, & vtilia dicit, ſed qui reſpondet eorum deſideriis. Non acquieſcunt miſeri Deo aſſerenti terræ bonitatẽ, nec præmittenti Angelum ſuum ante illos, & acquieſcunt Deo mittenti viros exploratores, quia ij reſpondebant deſideriis eorum, qui petiuerant eos. Sic miſeri errones non ſpectant vtilia ſibi, ſed reſpondẽtia própriis deſideriis. Similiter Numer. 22. vocatus Balaam à Rege Balac, vt malediceret Iſraëlem, accepit diuinum reſpõſum, quippè ait textus: *Dixitque Deus ad Balaam. Noli ire cum eis, nec maledicas populo.* Accepit Balaã hoc diuinum reſponſum, & noluit ire cum legatis. Qui denuò accedentes orabant eum, vt veniret ſecum. Tunc Balaam reſpondit: *Obſecro, vt hic maneatis etiam hac nocte, & ſcire queam, quid mihi rurſus reſpondeat Dominus. Venit ergo Dominus ad Balaam nocte, & ait ei.* Si vocare te venerint homines iſti, ſurge, & vade cum eis, ita dũtaxat, vt quod tibi præcepero facias. *Surrexit Balaam mane, & ſtrata aſina ſua profectus eſt cum eis.* Cum Deus vetauerat profectionẽ in prima apparitione, non quietus fuit Balaam; ſed iterũ conſuluit, iterum quærit, an iret cũ legatis. Cum autẽ annuit Deus, & profectionẽ mandat, ſtatim rem aggreditur, & ſternit aſinã, & proficiſcitur. Cur modò non iterum conſulis? Cur non obſecras, vt vel altera nocte expectent legati? Cur nullo alio expectato reſponſo ſtatim poſt hoc proficiſceris? Proh erronei hominis ingeniũ! Nunc reſponſum cõſonabat deſiderio, & cupiditati eius, & ideò illud feſtinãter arripit. Pulchrè ad hæc aiebat D. Chryſol. ſer. 131. fatus: *Quod vult, non quod eſt, audit ſemper, qui decreuit errare.* Erroneus animus nihil aliud reſpicit, niſi quod eius reſpondet cupiditati, & ſi illi proponantur vtiliſſima, non quieſcit, nec acquieſcit, donec proponantur, quæ ipſe cupit, quæ propriis reſpõdeant optatis. Sic dixerat Deus homini Gen. 2. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Non multum poſt acceſſit ſerpens, & ait: *Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum, & malum. Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectúque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit*, &c. Ecce tibi contraria Deo aſſerenti ſerpenti ſine dilatione creditur. Et cur tam facilè creditur ſerpenti contraria aſſerenti? Ait textus: *Vidit mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum*, &c. Cœperunt in muliere exurgere deſideria, & vt ſerpentis aſſertum cœpit deſideriis conſonare, abſque vlla dubitatione illud homines fuerũt amplexati. Pro quo ait Sixtus Pontif. epiſt. de malis doctoribus: *O humanæ peruerſitatis vitium, fidem illis facile ſemper accommodans, quæ cũ deſideriorum ſuorum concordare perſpexerit voluntate, nec deliberare quidem ſolita eſt, ne illa forſitan credulitatis occaſio, quæ deſiderio fraudulenter arridet, ſaluti contraria*, &c. Hoc eſt mentis erroneæ ingenium ad illius ſententiam aduolare, qui reſpondet optatis, non qui reſpondet ſana; huic non acquieſcunt; illi pertinacius ſine dubio, ſine hæſitatione adhæreſcunt.

Num. 22.

Chryſol.

Gen. 2.

Sixt. Po.

§. IV.

Erroneæ mentis eſt, in muneribus diſtribuendis, non virtutes animi; ſed externam nobilitatem aſpicere.

SApienter putant doctores prædicta verba non eſſe præceptiua, ſed permiſſiua, quibus Deus permittit errare Iſraëlitas dicens: *Mitte viros, qui conſiderent terram, ſingulos è ſingulis tribubus, ex Principibus.* Aliter enim dicebat Num. 11. *Et dixit Dominus ad Moyſem. Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſraël, quos tu noſti, quod ſenes populi ſunt, ac magiſtri*, &c. In hac electione morum ſpectatur canities, illi mandantur eligi, quorum virtus, & præſtantia nota ſit? in illa autẽ electione ſolum ſpectatur nobilitas. Solum enim ait, quod electi ſint *ex principibus*, & cur hic ſola nobilitas ſpectatur, ibi autem animi virtus? Sanè vbi ſpectatur animi virtus, oſtẽditur, quid debet facere bonus Princeps, in eligendis miniſtris, quod nimirum eos eligat, quos animi valor, & virtus commendat. Vbi autem ſola ſpectatur nobilitas, oſtenditur, quid Deus permittat malis Principibus, nimirùm quod nihili æſtiment animi virtutem, ſed ſolum attendant ad nobilitatis externæ inſigne. Hoc ſanè erroneæ mentis proprium eſt, quod ſic permittatur cæcutire, vt in miniſtris eligendis ſolum externum nobilitatis ſplendorem aſpiciat, non animi ſtrenuitatem ad peragenda munera. Quò reſpiciens Eccleſiaſtes cap. 10 aiebat: *Eſt malum, quod vidi ſub Sole, quaſi per errorem egrediens à facie Principis. Poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & diuites ſedere deorſum.* Diuites in præſenti non dicuntur, qui temporalibus diuitiis fulgent, ſed qui ſapientia, & dexteritate ſunt præditi. Sit Cãpenſis: *Qui ad res gerendas vehemẽter idonei ſunt, in humilitate ſedent.* Ecce tibi de erronei principis ingenio quid oriatur, nimirùm, quod idoneus od res gerendas lateat in humilitate, & ſtultus euolet ad ſublimia. Particularius Chaldæus Complutenſis ait: *Datus eſt Edom impius, & ſtultus, vt ſit in ſydere bono, & exercitus eius ſuperbi & magni; & populus domus Iſraël ſubiiciuntur ſub eo.* Edom idem eſt, ac Eſau frater maior Iacob, erronea ergo mens, quæ labi à Deo ſinitur, externam ſolùm nobilitatem aſpicit, & eo quod Edom nempe Eſau nobilior, maiórque frater ſit, ad omnia ſtrenua munera illum eligit, ſiue exercitus ducendus ſit, ſiue gubernanda tribus, quo fit, vt ſtultus, & ineptus habeat ſplendida munera, & qui ad res gerendas idoneus ſit, deliteſcat in humilitate ſua. Quod cauens D. Syneſius monebat Imperatorem ſuum lib. de regno, prope finem: *Tu vero fac, virtutis aliquid in pretio habeatur, quamuis ſit cum egeſtate coniunctum, nec te prudentia lateat hominis, aut iuſtitia, reliquáque animi bonorũ multitudo ſub vili, abiectáque veſte deliteſcens, quin potius in medium producas, dignúmque cẽſeas, qui virtutẽ omnium oculis ſubiiciat, quam quidẽ domi ſegnem contineri nefas ſit. ſed ſub diu agere, atque inter certamina verſari oportet.* Huc aſpiciat Princeps, qui errorem fugit, ne ſoli

Num. 11.

Eccl 10.

Chald.

D. Syneſ.

nobilitatis

nobilitatis splendori externo credat munera Reipucę,nec sinat in abiectis hominibus delitescere magnitudinem virtutum. Quæratur in primis dexteritas in muneribus tractandis, animi virtus, & constantia in peragendis negotiis,hæ siue in abiecto,siue in conspicuo viro inueniantur,debent spectari in promouendis à Principe. Sanè Ioseph dum seruit Putiphari coniectus est in carcerē; vinculis adstrictus est in Ægypto, qui solus posset à ruina famis eripere Ægyptum. De carcere eductus adhuc seruus Pharaoni sistitur;cuius
Gen 41. sapientiam Pharao ait Gen. 41. *Placuit Pharaoni consilium Ioseph, & iunctis ministris suis locutus est ad eos: Num inuenire poterimus talem virum, qui Spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Ioseph,*&c. *Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Quid magis regium?Eligendus erat saluator Ægypti, erant coram Rege nobilissimi quique Ægyptiorum, erat & homuncio alienigena,& seruitutis nota,& carceris vinculis obscuratus.Rex autem spretis nobilibus seruum elegit. Quid facis Rex, quem dedecorat seruitus,& vincula eleuas in saluatorem Ægyptij?Pulchrè
D. Amb. D.Ambr.lib.de Ioseph c.7.*Iniuria illata est, priusquam Ioseph cognosceretur à Rege,gratia relata vbi regi est cognitus. Itaque Rex vacat culpa,quia & id, quod excepit vir sanctus iniuriæ,alienum fuit,& id,quod recepit gratiæ, Regis proprium.* Expende hoc vltimum,nimirum:*Id,quod recepit gratiæ,Regis fuit proprium*,quippèRegis regalissimi proprium est,quod ad gratias,& munera sublimia eligantur idonei,etiamsi ij extrahendi sint de ergastulo seruitutis,siue de carceris vinculis. Sic Dominus 1.
1.Reg.16 Reg.16.dicit ad Samuelem:*Veni mitta te ad Isai Bethleemitem:prouidi enim in filiis eius mihi Regem.* Et cum nobilior,& maior in medio positus sit: *Dixit Dominus ad Samuelem:Ne respicias vultum eius,nec staturam altitudinis eius.* Ecce tibi vbi summus Deus eligere suæ potestatis ministrum satagit, hoc in primis cauet,ne respiciatur externus splendor,imò maioribus,& nobilioribus spretis,minor,& abiectior de caprarum caulis extrahitur,& adducitur, & eligitur. Cur Domine non nobiliores,sed despectum eligis? Ait ipse: *Non iuxta intuitum hominis ego iudico;homo enim videt ea, quæ parent,Dominus autem intuetur cor.*Homines erronei ducuntur externis plendoribus,qui verus Dominus est, cordis virtutes inspicit.Quam vbi inuenit,nil aliud re-
Basil.Sel quirit,vt dicat D.Basil.Sel.orat.15.*Cognita animi mente minime erubescit artem.* Nulla vilitas officit, vbi animi virtus cognoscitur, vt hæc vel de sentina promoueatur ad puppim.

*Num.*13. Et dixit ad eos. Ascendite per meridianam plagam. Cúmque veneritis ad montes, considerate terram,qualis sit;& populum, qui habitator est eius,vtrum fortis sit,an infirmus, pauci numero,an plures, ipsa terra bona, an mala;vrbes quales:muratæ, an absque muris, humus pinguis, an sterilis,nemorosa,an absq; arboribus. Confortamini,& afferte nobis de fructibus terræ. Erat autem tempus quando iam precoquæ vuæ vesci possunt.

§. V.

Terrenæ substantiæ consideratio nos cumulatissimè docet viam salutis.

PEtierant Israëlitæ exploratores,vt docerentur, qua via accedere facilius possent ad terram promissam. Sic enim Deuter.1.*Mittamus viros, qui considerent terram,& renuntient per quod iter debeamus ascendere,& ad quas pergere ciuitates.* Hæc præcipuè intendebant populares,vt per exploratores sciretur facilior via adeundi, & quæ prius posset capi ciuitas. Moyses autem cum in præsenti exploratores mittit, nihil de via adeundi,nihil de prima ciuitate capienda sibi renuntiari petit. Solum ait: *Considerate terram, qualis sit, & populum qui habitator est eius, vtrum fortis sit, an infirmus,pauci numero,an plures,ipsa terra bona,an mala,vrbes quales,muratæ,an absque muris,humus pinguis,an sterilis,nemorosa,an absque arborib. Confortamini, & afferte nobis de fructibus,*&c. Ecce tibi cùm tot petat ad terræ considerationem spectantia,de via ineunda,de ciuitate prima adeunda nihil postulat renuntiari sibi.Et cur Moyses oblitus est ea, quæ maximè populus scire curabat?Cur cum fructus afferri iubet, & alia multa notari,quæ populus non curauit,de ineunda via,de ciuitate prius adeunda nihil prorsus dixit? Sanè diuinus spiritus,qui Moysem implebat, non id frustrà prætermisit,sed instruens homines ad consecutionem æternæ salutis,iussit considerare terram, inquiens: *Considerate terram*,de via ineunda,& ciuitate adeunda prorsus retieuit, quia vna terrenæ substantiæ consideratio sufficienter nos doceret,qua via ad salutem sumus peruēturi. Hinc Adamus à paradiso exclusus terræ colendæ traditur,dicit enim Gen.3.*Maledicta terra in opere tuo:* Gen.3.
*in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.*Sic occluditur illi paradisi via,& mandatur misero terræ cultura. Cur Domine sic hominem deprimis ad terram? Cur quem eiici à paradiso iubes,vt terram pro alimento quærendo semper respiciat? Misericordiæ ratio ea fuit,quæ viam occludens paradisum,dedit homini terram aspicere, quo doceri posset ad paradisum redire. Ait Theophyl.Anthioch epist.2.ad Autolium: *Homi-* Theoph.
*nem eiicit Paradiso,solum vertere iubens, vt statuto tempore peccatum exoluens,& probè omnia edoctus,& institutus postremo reuocaretur.*Expende illa nimirùm:*Et probè omnia edoctus, & institutus*; quippè vna illi paratur terræ colendæ schola, vnam opus,vnum illi exercitiū iniungitur,quod solum vertat,quod terram colendam sibi consideret,& indè omnia probe edoctus, & institutus dicitur reuocandus ad paradisum. Sufficit, mihi crede,terrenæ substantiæ consideratio,& inspectio, vt nos edoceat abstrusissimam viam salutis, & ad illam deducat. Et quæ salutis via adeò abstrusa est,quæ non pateat consideranti substantiam suam infirmam, terream?Aiebat Dauid Psalm.118.*In quo corrigit adolescē-* Psal.118
tior viam suam? Difficilis sanè inuentu est via salutis adolescentibus, cui difficultati insolubilem penè addit nodum Prouerb.30.*Tria sunt difficilia mihi,& quartum penitus ignoro, Viam aquilæ in cœlo; viam colubri super petram,viam nauis in medio maris, & viam viri in adolescentia.* Ecce tibi Spiritus Sanctus asserit viam adolescentis ad salutem penitùs ignorari, & Dauid, quasi posset sciri,illam quærit. Quid Dauid quæris rectam salutis viam in adolescentia, quam Spiritus sanctus posset sciri negat? Nónne verum est, quod ait diuinus spiritus,quod penitùs ignoratur via viri in adolescentia? Cur tu quæris inuenire, quod Spiritus sanctus nescit? Equidem Spiritus sanctus asserit ignorari à se viam salutis in adolescente,sed in adolescente,qui totus hæret vicinus tribus illis primis viis, nimirùm Aquilæ in aëre, colubri in petra, nauis in mari. Non autem ignoratur à Spiritu sancto via salutis in adolescente, qui demissis illis viis, non aëreos ambitionis volatus stupet,nec saxorum duriciem versat in pectore,nec marinis cupiditatum fluctibus immergitur,sed attentus infirmæ, terrenæque suæ substantiæ se agnoscit,suámque fragilitatem considerat, & perpendit. Huic via salutis clarissima est, & euidens. Ex quo ait
D.Ambr.in Psal.118.serm.2. *Ergo sciat se iuuenior, vt* D. Amb.
*corrigat viam suam. Illæ viæ viri in iuuentute non cognoscuntur,quæ sunt secus vias serpentis in petra, & secus semitas nauis fluctuantis, & vestigia volantis aquilæ, quæ supra nubes volat,in aëre errat.*Sanè,qui iuuenis serpentis,aquilæ,aut nauis vias sectatur, in petræ obduratione,in cupiditatum fluctibus, in aëris ambitionis vola-

tilibus, huic nulla via ſalutis patet, nulla ſemita eſt ob quam ad bona obrepat. Sciat ergo ſe iuuenis, conſideret terrenam ſuam fragilitatem, mortalitatem ſuam agnoſcat, & ſic videbit ampliſſimam viam directam, qua ad ſalutem tendat.

Num. 13. Cúmque aſcendiſſent, explorauerunt terram à deſerto Sin, vſque ad Rohoch intrãtibus Emath. Aſcenderunt ad meridiem, & venerunt in Hebron, vbi erant Achimam, & Siſai, & Tholmai filij Enac, nam Hebron ſeptem annis ante Tanim vrbem Ægypti condita eſt. Pergentéſque vſque ad torrentem botri, abſciderunt palmitem cum vua ſua, quem portauerunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis, &c.

§. VI.

Clariora homini ſunt bona, quæ non ſolum parta, ſed innata videntur.

MIraris, quod tam intrepidè exploratores Iſraëlitæ de Chananæorum bonis eripiant, vt referantur ſuis. Non clam, & abſconditè, ſed manifeſtè eum botrum abſcindunt, quem in vecte pendentem duo viri portare neceſſe habebant. Et quidem meritò, non enim furtiua, ſed propria ex auorum, atauorúmque iure habita metebant. Sed eſto, quod propria illa bona erant, & adnata cum auitis hæreditatibus, quid neceſſum fuit tam citò, & immaturè illa, vt propria capere, & publicè ferre? Sanè hoc pertinebat ad Iſraëlitarum præſtãtiam, vt cũ poſt bella, & deuictos Chananæos bona illa acquirerent, non viderentur parta denuò, ſed adnata illis
Matt. 17 eſſe. Similiter Matth. 17. *Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies eius ſicut Sol, & veſtimenta eius facta ſunt alba ſicut nix.* Ex quo ſpectauit ante lucana hæc gloriæ viſibilis demonſtratio? Venerat Ieſus vt per paſſionem, & ignominiam crucis tyrannidem mortis, & inferni proſterneret. Cur, qui ſe tot ignominiis, tot opprobriis deuouerat, modò ſeſe ſub tanta gloria coram diſcipulis oſtentat? Curabat Dominus, ne gloria illa, ſub qua poſt deuictos hoſtes, poſt mortem ſuperatam rediuiuus videndus erat, dénuò parta videretur, ſed ſibi adnata eſ-
D. Ephr. ſe. Huc ſpectans D. Ephr. orat. de Transfigurat. inquit: *Suam eis oſtendit gloriam ante ſuam reſurrectionem, vt quando reſurrexerit à mortuis in gloria naturæ ſuæ diuinæ ſciant eum non accepiſſe tanquam mercedem ſui laboris gloriam, vt qui ea indigeret; ſed eum illam iam olim habuiſſe ab æterno cum patre, & cum ſpiritu eius.* Hoc maximè Dominus cauebat, ne gloria poſt reſurrectionem, poſt deuictam mortem videretur merces, ſed hæreditas; nõ ab aliis rapta, vel accepta, ſed antiquitus cum patre, & ex patre habita. Decorat námque maximè hominem, quod non videatur quaſi mercenarius ad honores accedere, ſed in illis cum auorum iure natum eſſe. Hac gloria rapti Alexander, & Ariſtobolus indignè ferebant, quod pater Herodes ad regnum vocaret Anti-
Egeſipp. patrum genitum ante regnum. De quo ait Egeſippus lib. 1. cap. 38. *Antipatrum Doſidis filium Herodes præferre fratribus, atque ad ſui gratiam vberiori cœpit affectu laceſſere; ardere maioribus odiis aula regia, & certamine fratrum concuti: dum illi indignantur, quod priuatæ mulieris filius ſibi in regno ſortis præferebatur.* Et quidem antipater æquè erat legitimus Herodis filius, ac illi, & ætate primus; nihilominùs Alexander, & Ariſtobolus fratres ætate minores illum deſpiciebant, ſe maximè extollebant, quod ille è natiuitate priuata ad aulam regiam acceſſit, ipſi autem pati ſunt in ipſo iam habito à Patre regno.

§. VII.

Laborantibus nil ſic placet, quam vel reſurrectionis vmbra.

DE fructibus promiſſæ terræ aliquos allaturis, meritò vuarum botrus eligitur: quippè: *Abſciderũt palmitem cum vua ſua, quem portauerunt in vecte duo viri.* Qui fructus expectatæ telluris, & dulcior, & lætior afferri potuit, quàm botrus, cuius ſucco rediuiua noſtræ mortalitatis terra vehementer exultat? Aiebat enim ſponſa Cant. 1. *Botrus Cypri dilectus meus in vineis* Cant. 1.
Engadi: circa quæ D. Bern. ſer. 44. in Cant. *Ergo Domi-* D. Bern.
nus meus Ieſus myrrha mihi in morte, botrus in reſurrectione. Eſt equidem botrus promiſſæ immortalitatis glorioſæ terræ præclariſſimus index, nec vllo alio melius laborantium, gementiúmque recrearentur obtutus, quam glorioſis reſurrectionis præuiſis triumphis. Iob omnibus ſpoliatus bonis, orbatus filiis, ingenti plaga percuſſus ſedens in ſterquilinio cap. 2. *Teſta ſaniem* Iob 2.
radebat. Cur teſta ſaniem ſtergit? Nónne vel ſterquilinium ſuppeditaret laceros aliquos pannos, qui tali muneri ſuauius deſeruirent? Cur magis teſtam elegit? Ait D. Hieron. ad Pamachium: *Teſta radens putridæ car-* D. Hier.
nis ſaniem, miſerias ſuas reſurrectionis ſpe, & veritate ſolatur. Præuidebat in teſta aliquod indicium reſurgentium ſtatus, quapropter, dimiſſis omnibus teſtam arripuit, qua ſtergeret ſaniem, in nullo erat, quam in reſurrectionis ſpe firmus, lætiúſve laborum, ærumnarúmq; ſolamen. Cur non ferat labores? Cur timeat pericula imminentia, qui præſentit reſurrecturi gloriam? Pulchrè Iſaias cap. 26. *Expergiſcimini, & laudate, qui habi-* Iſaias 26
tatis in puluere, quia ros lucis, ros tuus, & terram gygantum detrahes in ruinam. Qui adhuc in arena ſunt, qui belli puluerem nondum excutiunt, ad laudandum vocantur, tunc etiam cum adhuc gygantes imminent nocituri. Et quando belli puluis, & gygantum arma miſeros premunt, quomodo ad laudandum exurgent? Ait ipſe: *Quia ros luci, ros tuus*, eſt Ieſus, qui irroret puluerem noſtrum, & de mortis vmbris etigat in vitæ lucem, ſub cuius odore, nec puluis belli ſentitur, nec gygantum arma poſſunt officere. Nil laboris, nil ſudoris, nil gemitus relinquitur, vbi nobis reſurrectionis radius affulget. De Petro currente cum Ioanne ad dominicum ſepulcrum, ait Ioan. cap. 20. *Venit ergo Simon* Ioan 20.
Petrus ſequens Ioannem, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina poſita, & ſudarium, quod fuerat ſuper caput eius, &c. Itáque abeunte Ieſu è ſepulcro per reſurrectionem, linteamina, & ſudarium reliquit, quæ & videri, & ſeruari à diſcipulis ſuis poſſent. Sed cur non magis abſumpſit quæcunque erant mortis? Cur reſurgens ipſe, & abiens à mortalium oculis, maluit, vt linteamina, & ſudarium manerent nobis? Præclarè ſer. 6. de Reſurrect. D. Chryſoſt. ait: *Linteamina Chriſtus reli-* Chryſoſt.
quit, vndè extergat lacrymas luctus tui, & ſudorem refrigeret deſiderij tui. Et quid prius relinqueret nobis reſurgens Chriſtus, quàm & laborum, & ſudorum lenamentum, & lacrymarum? Sanè in reſurrectionis fide habemus, vndè omnes ſudores, & lacrymæ abſtergantur, vndè recreemur in quacunque calamitate.

§. VIII.

Chriſtus crucifixus index bonorum iuſtos expectantium.

PAlmitem cum botro abſciſſum deferunt exploratores, vt terræ bona ſuis popularibus pandant: ait enim: *Abſciderunt palmitem cum vua ſua*, &c. In quo euidentiſſimè Chriſti myſterium adumbrabatur, ſuſpẽſus enim in cruce diuiniſſimus botrus Ieſus, & abſciſſus à terra viuentium, bonorum in æternitate iuſtos expectantium guſtum prælibabat. Vt ſapienter dicat
D. Paul. D. Paulus epiſt. 3. ad Seuerum: *Fiat nobis idem Dominus, dulcis ille botrus, qui nobis in cruce vecte ſuſpenſus, de terra repromiſſionis, & fructum oſtendit, & guſtum dedit, vt non*
iam

iam sectemur vilia ruris inculti gramina. Non otiosus agit in cruce Iesus, ibi feraciſſimus fructus amaræ arboris, dulciſſimus botrus pretioſi ſanguinis ſui ſucco madidus guſtum nos facit ſentire bonorum permanentium in vitam,& ab iis ablactat caducis,& vilibus. Sunt in botro hoc ſuauiſſimo pendenti à cruce, bonorum, quæ nos manent, clariſſima indicia. Hinc poſt mortem deuictam, poſt euacuatum ſepulcrum, poſt Ieſum gloria,& honore veſtitum ait Angelus mulieribus Marc. cap. 16. *Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum, ſurrexit,* &c. Reſurgentis glorias proponit,& adhuc vocat crucifixum. Quid crux cum reſurgentis vita? Si glorioſam eius vitam ob oculos ponis, quid neceſſum eſt crucifixi meminiſſe? Ait Victor Antiochen. ibi: *Non erubeſcit crucifixi nomen: hoc vno enim nomine,& re omnium bonorum noſtrorum ſumma continetur.* Quidquid boni nos manet in æterna vita, eſt tanquam in ſumma, & indice in Ieſu crucifixo. Et tot bona præ ſe fert crucifixus Ieſus, vt illa ad ſe mundum trahere ſufficiant. Hinc Luc. 14. cum Rex diuinus occiſis altilibus conuiuium paraſſet, ait ſeruis ſuis: *Exi in vias,& ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea.* Verum cum crucem erigit, vt trahat mundum, ait Mar. 8. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum,& tollat crucem ſuam,* &c. Ad nuptiarum conuiuia præparata compelli mandat nolentes,& vel de compulſis, & coactis impleri menſam procurat; ad crucem autem ſolum vult voluntarios venire, clamans: *Si quis vult.* Cur non magis mãdat compelli homines ad crucem, quam ad conuiuium? Equidem tot bona ſunt in crucifixo, vt ad illa voluntarij homines, ſine vlla coactione debeant currere. Ait Ioannes Xiphilinus Patriarcha Conſtantinop. orat. de ador. Crucis habita apud noſtrum Grethſer. tom. 2. *Videte, quemadmodum neminem cogat. Si quis vult, quaſi diceret: Non vim affero, non cogo. Ad bona enim voco, non ad mala,& odioſa, non ad caſtigationem,& pœnam, vt etiam oporteat cogere: Siquidem ipſa rei natura potis eſt attrahere. Ideò dixit:* Si quis vult: *Magna enim, inquit, ſunt quæ vobis offero bona, ac talia, vt volentes, libentéſque ad ſe conuertant.* Eiuſmodi ſunt bona crucis, ad quæ inuitamur. talia præ ſe fert bona crucifixus Dominus cum expanſis manibus nos ad ſuam ſequelam vocat, vt ipſa per ſe poſſint nos attrahere, nec vllo modo coacti, ſed libentes ad Dominum crucifixum euolamus.

Mar. 16.

Vit. An.

Luc. 14.

Ioa. Xip.

§. IX.

Chriſtus crucifixus maximo in honore habendus à nobilibus præcipuè.

DVo viri dicuntur portaſſe botrum à terra promiſſionis decerptum, dicit enim: *Quem portauerunt in vecte duo viri,* quos putat D. Amb. ſer. 70 fuiſſe Ioſue,& Caleb; quippè ait: *Ipſe planè botrus eſt, quem duo exploratores illi, hoc eſt, Ieſus Naue,& Caleb filius Iephone in phalanga ad filios Iſraël propriis humeris detulerunt.* Vt enim botrus in figura erat Ieſus à cruce ſuſpenſus, ſic à præſtantiſſimorum ducum humeris portabatur, eſt enim ſemper crucifixo Ieſu ſummus honor habendus. Huc debent præcipuè populorum principes, & viri præcellentes intendere, vt maximus honor crucifixi ſeruetur. Nemo eſt de Patribus, qui in Moyſe, cum eleuabat manus Exod. 17. vt Amalechita vinceretur, vim ſalutiferæ crucis ibi non animaduertat:& ait text. *Aaron autem,& Hur ſuſtentabant manus eius.* Itáque dum manus Moyſis in figuram crucis eleuarentur, hinc inde erant Aaron, & Hur, vterque ex nobiliſſimis, & præſtantiſſimis Iſraëlitarum, qui manus ſuſtineret. Vt ex tunc oſtenderetur, quod præſtantiſſimi viri eò debebant eſſe intenti, vt crucis myſteria in honore eſſent. Quò ſpectans Timotheus Antioch. orat. de Transfig. & cruce, inquiens: *Conſtituerunt duos viros, qui manus Moyſis fulcirent Aaronem,& Hur: Aaronem de Iſraëlitico magiſtratu: Hur de regio. Sciebant enim Crucem ſacerdotio,& regno conſeruari.* Nil magis & ſacerdotia, & regna debent prouidere, quàm vt crucifixi honor conſeruetur. Poſt crucifixum Dominum dicitur Mar. 15. *Venit Ioſeph ab Arimathæa nobilis decurio, qui & ipſe erat expectans regnum Dei,& audacter introiuit ad Pilatum,& petiit corpus Ieſu,* &c. Ecce tibi hic homo dum Ieſus viueret, metuebat videri diſcipulus illius, nec ille publicè honorem magiſtri reddere audebat; vt autem illum vidit crucifixum, non tulit, quod eſſet ſine honore ſepulturæ, quem honorem illi exhibere audacter procurabat. Et cur qui meticuloſus adeò fuit ad honorandum viuum, ſic audacter ſe geſſit in colendo, honorandóque crucifixo? Ait textus: *Nobilis erat decurio:* vbi D. Thomas in cat. ait: *Decurio vocatur, quod ſit de ordine curiæ,& officium curiæ miniſtraret.* Erat bonus hic ex nobiliſſimis, cultiſſimiſque viris, qui ad curiam pertinent, vnde non miror, quod meticuloſus aliàs in crucifixo domino honorando,& feſtinus, & audax oſtendatur. Ad nobiliſſimos enim præcipuè ſpectat, quod honor crucifixo habeatur. Vnde D. Amb. orat. de obitu Theodoſij, narrans vt Helena Imperatrix miſit clauum, quo Chriſtus Dominus ſuffixus fuit cruci, vt illo conſtrueretur diadema Conſtantini ait: *Sapienter Helena egit, quæ crucem in capite Regum leuauit, & locauit, vt crux Chriſti in Regibus adoretur. Bonus itáque clauus Romani Imperatoris, qui totum regit orbem, ac veſtit principum frontem, vt ſint prædicatores, qui perſecutores eſſe conſueruut.* Sic regia mundi nobilitas eò intendere debet, vt Chriſto crucifixo honorem poſſit negotiari.

D. Amb.

Timoth. Antioch.

Mar. 15.

Tomus.

D. Amb.

Num. 13. Reuerſíque exploratores terræ poſt quadraginta dies omni regione circuita venerunt ad Moyſem,& Aaronem,& omnem cœtum filiorum Iſraël in deſertum Pharam, quod eſt in Cades. Locutíque eis & omni multitudini, oſtenderunt fructus terræ, & narrauerunt dicentes. Venimus in terram, ad quam miſiſti nos, quæ reuera fluit lacte,& melle, vt iis fructibus cognoſci poteſt: ſed cultores fortiſſimos habet, & vrbes grandes, atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi, &c.

§. X.

Meticuloſis hominibus omnia videntur horrenda, & mortis plena.

NIhil mediocrè viderunt exploratores iſta in aduerſariis, ſed omnia illis apparebant terribilia in ſummo,& immania, quippè aiunt: *Cultores fortiſſimos habet,& vrbes grandes, atque muratas,* imò de vrbibus dicebant Deut. 1. *Vrbes magnæ ad cœlum vſque muratæ,* homines ex ſolo aſpectu non fortes, ſed fortiſſimos dicebant, & cum ad ſummum tres gygantes in tota regione eſſent, ſic de illis loquebantur, quaſi paſſim gygantes exiſterent: *Stirpem Enac vidimus ibi,* imò expreſſius: *Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac de genere gygantæo, quibus comparati quaſi locuſtæ videbamur.* Et quidem omnia hæc mitiora erant, nec ciuitatum muri ad cœlum vſque leuabantur, nec habitatores erãt omnium fortiſſimi, nec tantæ ſtaturæ, cui comparati eſſent Iſraëlitæ locuſtæ. Sed meticuloſis, puſillanimiſque hominibus quæ mediocria erant, in ſummo apparebant immania,& horribiliora, ineuitabilibúſque plena periculis. Hos pulchrè deſcribebat Sapiens cap. 17. dicens: *Cum ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis, ſemper enim præſumit ſæua perturbata conſcientia. Nihil enim eſt timor, niſi præſumptionis adiutorium, proditio cogitationis auxiliorum. Et dum ab intus minor eſt expectatio maiorem putat potentiam eius cauſæ de qua tormentum præſtat.* Hoc eſt commune nequiſſimis meticuloſis, quod ſemper vel in mitioribus præſumant

Deut. 1.

Sapie 17

sæua,& immania. Quorum præsumptionem adauget timor mentis pusillanimæ perdens omnem auxiliorum cogitationem. Quo fit, vt quo minora auxilia expectantur à timido, eo maiora illi appareant discrimina, nec quid videat, quod non putet incuitabilis mortis plenum. Quò refero hist oriam Balaami Numer. 22. qui dum vectus asina iret ad Madianitas, à quibus vocabatur, vt malediceret Israëli, inter vinearum angustum hæsit asina, nullisque stimulis impelli potuit, vt progrederetur. Frustra Balaamus fuste vrgebat asinam, qua recalcitrante, & de periculo monente: *Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem in via, euaginato gladio, adorauitque eum pronus in terra.* Vnde Angelus adduxit gladium, quem Balaamo ostenderet? Sanè in cœlestibus gladij non sunt, nec ad Angelorum armaturam gladij pertinent. Vnde ergo hic Angelus gladium confecit, quem Baalamus videret? Sanè sufficienter posset Angelus illum gladium facere apparere ex Balaami metu, timida enim nequitia vel in arborum foliis gladios, lanceásve cernit. Ait ibi Procopius in Glossa: *Quod spectatur, speciem quandam rerum habet, re vera tamen nihil est, non enim gladius Angelis est, nec ferrum in cœlo, omnia vero plena sunt terroris ei, qui metu indiget.* Hoc vnum detur, quod quis indigeat timori subiicij; dum enim illius dominetur timor, etiam ab hortis nasci spicula, gladios, tormenta militaria videt. Huc spectat illud Iob cap. 15. *Sonitus terroris semper in auribus illius, & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Non credit, quod reuerti possit de tenebris ad lucem, circunspectans vndique gladium.* Ecce quæ sit timida nequitia, etiam in tranquillissimis, pacatissimisque locis tumultus præsentit hostiles, & quas suspicatur, videt insidias; omníque auxilio desperato, vndique gladios circunspectat, vndique, inquam, ex vacuo aëre, ex hortis, ex floribus ipsis spicula credit lethalia prosilire. Quod, si quid appareat difficile, illud immane, insuperabiléque æstimat periculum. Vt dicatur eodem 15. cap. Iob. *Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut rex, qui præparatur ad prælium.* Sic legunt hæc vltima Pagninus, Regia, Caiet. Vatab. & alij. Equidem quæuis angustia oborta animo nequam, & timido, erit illi rex ingenti exercitu cinctus, sub cuius cadat spiculis.

Numer. 13. Inter hæc Caleb compescens murmur populi, qui oriebatur contra Moysem, ait: Ascendamus, & possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam, &c.

§. XI.

Christi passi consortium gignit animos non seductores, sed auxiliatores.

ECce tibi de exploratoribus decẽ vanis terroribus populum seducunt aduersus Moysem, vnus Caleb pro Moyse stat, & pro veritate aduersùs seductores. Dicit námque: *Inter hæc Caleb cõpescens murmur*, &c. Et quis est Caleb, qui sic audet stare pro veritate, & Moyse? Caleb, vt vidimus suprà. §. 9 ex D. Amb. est vnus è duobus, qui humeris suis portauit botrum in vecte ad populum. Et quidem de diuinissimi botri à crucis vecte pendentis latere non potuit exire seductor, sed auxiliator Moysis, & populi. De obdormientis in paradiso Adami latere fabricatur ei sponsa Gen. 2. *Immisit ergo dominus Deus soporem in Adam: cúmque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Quid tunc? Ipse Adam clamat Gen. 3. *Mulier, quam dedisti mihi, dedit de ligno, & comedi,* quasi diceret, quam ex latere accepi adiutricem, inueni seductricem. Inde nouus Adam Iesus dum dormit, dum soporatur in cruce ex percusso latere emittit aquam, & sanguinem, quibus ædificatur sponsa Ecclesia, vt concors est omnium Patrum sententia. Cur cœlestis Adame non magis tibi caues à sponsa ex latere orta? Equidem ex latere dormientis in paradiso orta sponsa potuit esse seductrix, at quæ ex latere Iesu dormientis in cruce oritur, non seductrix, sed adiutrix est omnium. Ad hæc Pantaleon Presbyter orat. in Exaltationẽ Crucis apud Grethser. tom. 2. ait: *Rursus exaltatur crux, rursus Adamus resingitur, rursus ex latere mater viuentium adest, auxiliatrix vere, non insidiatrix.* Non posset prodire ex crucifixi Iesu latere, nisi quæ auxilium præstaret. Quò spectans Dauid Psal. 44. ait: *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circũamicta varietate.* Nõ sedere cõspicitur bona Regina, sed adstare à dextris sponsi sui; adstantis enim habitus est figura adiuuantis, nec miror, quod vbi ad tanti sponsi latus accedit, sese adiutricem ostendat, innumerósque filios in tuto asserat. Vt dicat Pantaleon. Presbyter vbisuprà: *Suasor peccati non amplius incitat matrem omnium. Aspicit autem eam, quam prius deceperat ligno vitæ cum voluptate fruentem. Aspicit assistentem à dextris vt Reginam. Videt regali sceptro firmatam. Videt liberos suos magna, & elata voce conuocantem ad adorationem crucis, horrétque obsequendi studium, & alacritatem admiratur, & multitudinem obstupescit.* Sic de crucifixi dextra ebibit nobilis Regina, quod mundo opituletur, & plures ad salutem conuertat. Et quis crucifixo vicinus fuit mente, qui non amet auxiliari vniuersis. Ioan. 19. dicit: *Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius*, &c. Quod notans D. Amb. lib. 10. in Lucam ait: *Nec Maria minor, quam vt matrem Christi decebat, fugientibus Apostolis ante crucem stabat. Fortasse, quia cognouerat per filij mortem mundi redemptionem, aula regalis putabat se, & sua morte publico muneri aliquid additurum.* Non potuit sanctus Doctor non putare in Maria iuxta crucem stante esse eam mentem, qua niteretur saluti hominum opitulari. Quò spectat illud Cãt. 8. *Dixi: Ascendã in palmam, & apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua sicut botri vini.* Ecce tibi vbi diuinus sponsus in palmam crucis ascendit, eiúsque fructus, nimirùm mundi redẽptionẽ percepit: quid statim sequatur in matre, nimirùm: *Erunt vbera tua sicut botri vineæ,* incipient distillare dulcedinem. Quid materna vbera stillantia cum Christo crucifixo, in palmam crucis ascendente? Sanè ad Christũ recens natũ data sunt Mariæ vbera de cœlo plena: at ad Christũ crucifixũ, quid conducũt Mariæ vbera? Non equidem ad crucifixum conducunt, sed ad regeneratos per illum filios spirituales Mariæ, ex quo enim crucifixo filio adstitit, non potuit Maria continere vbera spiritualia, quibus aleret, & curaret omnes redemptos à Christo. Ad hæc ait Guilliel. Abb. apud Delriũ ex ore Christi: *Cum ascendissem palmam, tu ô pia mater stabas iuxta palmam; stabas iuxta crucem Iesu tui, & per affectum maternum pariter crucifigebaris. Porrò cùm iam apprehendissem fructus palmæ, vbera tua de cætero assimilata sunt botris,* &c. *Non de illis corporalibus piæ matris vberibus dico, quæ Dei filium corporaliter aluerunt, quia lac illi, non vinum dederunt. Habet autem pia mater, & spiritualia vbera, quibus datum est illi adoptiuos fratres filij sui nutrire. De iis ergo dictum est piæ matri: erunt vbera tua sicut botri. Planè illa quotidie parturiens infirmiora membra filij sui, neminem à suæ pietatis sinu repellit, sed potius inuitat, & trahit vniuersos.* Quid pulchrius? Idem est Mariã stare iuxta crucem, & ad omnes homines extendere misericordiæ vbera. Facit hoc crucifixi vicinitas, quæ eum affectum indit propinquis suis, quo velint cæteris esse auxilio. Hinc Luc. 23. cũ duo latrones crucifixi esset iuxta Iesũ, alter blasphemabat eum: *Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum*, &c. Ecce tibi quid primum ebibat latro de fontibus crucifixi, nimirùm spiritum, quo velit blasphemantem ad rectam vitam reducere. Ait D. Aug. ser. 130. de Tempore: *Quis non admiretur, & compungatur? Non solum enim, quod in ipso*

Num. 22.
Procop.
Iob. 15.
Iob. 15.
Gen. 2.
Gen. 3.
Pantal.
Psal. 44.
Pantal.
Guilliel.
Luc. 23.
D. Aug.

ipſo erat,ſed & ea,quæ circa ipſum erant, relinquens, de altero curam gerebat in cruce,doctor effectus,& corripiens,& dicens : Neque times Dominum tuum. Hoc primum de crucifixi vicinio bibitur , quod velimus aliis noſtrum præſtare auxilium.

§. XII.

Tenacius, & ardentius afficimur ad rem, pro qua laborauimus.

POſt fructus terræ narratos,imò oſtenſos , tot difficultates propoſitæ ſunt,vt decem exploratores cum populo contemnerent fructus , nec æſtimarent præſtantiam illorum præ difficultatibus : *Inter hæc Caleb compeſcens murmur populi,ait,aſcendamus,& poſſideamus,* &c. Vnus Caleb pro veritate ſtat , & murmurantium ora obtundit,& tantorum fructuum poſſeſſionem obtinere procurat.Nec miror,ipſe enim ſolus cum Ioſue, vt dixi ſuprà,portauerat botrum propriis humeris. Sæper autem humanum ingenium multis defendit rem, pro qua laborauit, tenaciúſque animum circa illam figit.Hinc Ieſus Dominus poſt paſtos homines, qui erant in ſolitudine, & numerum quinque millium attigerãt, præter paruulos, & fœminas, ait diſcipulis ſuis Ioan.*6. Colligit,quæ ſuperauerunt fragmenta,ne pereant.Collegerunt ergo,& impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum.* Nõ ſolùm operi addicuntur , ſed in cophinorum numero oſtenditur,nullum manſiſſe Apoſtolum, qui ſuum cophinum non impleuiſſet. Et cur curauit Dominus , vt nullus eſſet Apoſtolus,qui cophinum non impleſſet,& illum tuliſſet,vt ſeruaretur. Procurabat Dominus , vt rem tanti miraculi tenacius Apoſtoli perciperent , pro illáque ardentius ſtarent,ideò fecit,vt laborarẽt in colligendis minutis. Ait Baſil.Sel.orat.33.*Pari cum Apoſtolis numero ſunt cophini,vt ſinguli ſingulos baiulando laborem miraculi teſtem ſubeant , humerúſque dum teritur, rei geſtæ ſenſum ingerat.* Integerrimus ſanè,nulláque arte frangẽdus teſtis rei præſtantiæ eſt labor, qui pro illa ſubitur, & nunquam ceſſat commendare illam;multíſque affectum rapere ad illam.Dúmque ſub labore terimur pro aliqua re,ſenſum , & æſtimationem illius ſic bibimus, vt nihili æſtimemus difficultates præ illa.Et quis laborauit in re,qui pro illa non ſtet ? Similiter, vt Dominus ſuſcitaret Lazarum Ioan.11.dicit circunſtantibus:*Tollite lapidem.* Equidem poſſet ipſe eadem voce,& lapidem tollere, & mortuum extrahere à ſepulcro : Cur ergo iubet , vt circunſtantes lapidem tollant, niſi vt illi poſt illum laborem ardentiùs teſtarentur rem , & ſtarent pro illa aduersùs murmuratores ? Ait enim Theophilactus:*Etenim cùm mouerit mortuum corpus voce, & confirmatum animauerit , multo magis lapidem mouere potuiſſet voce.Tollite autem,dicit,lapidem, vt illi teſtes fiant miraculi.Nam & adeſſe in loco , & tollere lapidem ſuis manibus, ſufficientia erant ad obturanda ingratorum ora,qui teſtes ſignifacti erant.* Sanè manus tollentes lapidem , & ſub eius onere grauatæ, & murmurantium ora obturabant, & teſtimonium certiſſimum præbebant miraculi , pro illóque defendendo ſtabant. Sic ſemper labor addicit homines rei,pro qua laborarunt.Quò ſpectant dicta 1. tom.in Euang.lib.4.cap.5.§.27.

Ioan.6.

Baſ.Sel.

Ioan.11.

Theoph.

CAPVT XXIV.

Supplicium poſt exploratores.

Textus Hiſtoria.

GRauis intereà ſeditio inter populares Iudæos inceſſit, populo reſpuente exploratam iam promiſſionis terram , meditantéque ad Ægyptios regreſſum,renitentibus Moyſe, & Aarone, Ioſue,& Calebo. Iacebant humi Moyſes , & Aaron vel miſerando aſpectu populi ferociam mollientes,vel numen exorantes, vt tantæ inſaniæ medelam afferret. Alacriores Caleb, & Ioſue ſeſe multitudini opponunt, multíſque conantur oſtendere inanem metum Iſraëlitarum , facilem Chananæorum expulſionem annuente Deo, cuius auxilium nefas eſſet diffidentia propulſare. Dixiſſẽntque multa,ni populus efferatus acceptis lapidibus in eos irrueret adeò atrociter,vt compulſi fuerint,ſe ſe recipere ad tabernaculum. Nec mora,vix tabernaculi limen attingunt fideles viri , & à culmine fulgurat diuinæ gloriæ ſplendidiſſimus radius. Hæret ad gloriæ aſpectum quantus erat populus timore turbatus , immanéſque ſui ſceleris pœnas animo præſagiebat. Et meritò,nam funditùs abſumpſiſſet vniuerſos Dei ira , (ſic enim perſpicuis verbis ex alto minabatur ,) ni Moyſes largis precibus veniam ſolicitaret. Non tamen impunè peccauerunt,erepti enim ſunt improuiſa morte decem exploratores,qui populum in tantam diffidentiam traxerant ; Inſuper & populus iuſſus eſt regredi verſus Ægyptum acturus in ſolitudine quadraginta annos, donec defunctis omnibus,qui à vigeſimo egreſſi murmurauerant,meliores nati ſibi terram promiſſam compararent.

PARS VNICA MORALIS.

QVos fecerant progreſſus Iſraëlitæ duobus annis, vnica die amittunt, & meritò in ſolitudine coguntur perire , qui Deo ſociati noluerunt terram promiſſionis intrare.

Numer.14. Igitur vociferans omnis turba fleuit nocte illa,& murmurati ſunt contra Moyſem, & Aaron cuncti filij Iſraël,dicentes : Vtinam mortui eſſemus in Ægypto , & non in hac vaſta ſolitudine! Vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram iſtam,ne cadamus gladio,& vxores ac liberi noſtri ducantur captiui. Nónne melius eſt reuerti in Ægyptum? Dixerúntque alter ad alterum : Conſtituamus nobis ducem,& reuertamur in Ægyptum.

§. I.

Nunquam maiora mala in homines veniunt , quàm per ea, per quæ humana libido,& conſilium incolumitatem ſibi promittebant.

ECce quid attulerint exploratores populo,nimirùm lacrymas,fletus, quibus ſolicitarent iram diuinam, & penè in manibus habitam terram amitterent, & perirent in deſerto. Sic textus narrans omnia hæc mala ait:*Igitur vociferans omnis turba,fleuit nocte illa,*&c.Nunquam in tot lacrymas,in tot mala inciderunt Iſraëlitę, quàm nunc poſt audita exploratorum verba.Quid mirum ? Ipſi non attendentes ad ductum Angeli per nubis columnam , nec ad Dei voces toties teſtificantes bonitatem terræ,nihilominùs voluerunt,vt per fratres ſuos exploraretur terra, & tutius iter oſtenderetur;inde quos ſine neceſſitate,ſed ob ſuam ſolum libidinem exploratores elegerant, eos ingentium malorum cauſas habuerunt.Sic ſemper maiora mala in homines veniunt per ea , per quæ libido humana ſibi incolumitatem curat aſſerere. Quis numeret clades Iſraëlitarum ſub Regibus ſuis? tandem 4.Reg.25.*Venit Nabuchodonoſor rex Babylonis , & omnis exercitus eius in Ieruſalem, & circundederunt eam,*&c. *Et interrupta eſt ciuitas,& omnes viri bellatores nocte fugerunt ,* &c. *Et perſecutus eſt exercitus Chaldæorum Regem , comprehenditque eum ,* &c. *Filios autem eius occidit coram eo,& oculos eius effodit,vinxítque eum catenis:Venit Nabuzardam princeps exercitus, ſeruus Regis Babylonis,in Ieruſalem , & ſuccendit domum Domini,& domum Regis, & domos Ieruſalem , omnémque domum combuſſit ,* &c. *Reliquum vulgus tranſtulit ,* &c. *3.Reg.25*

Recole à Ioſue tempore omnes Iſraëlis iudices, eorúmque tempora; & nullam cladem inuenies, quæ poſſit comparari huic, quam paſſi ſunt Iſraëlitæ ſub Sedeciæ Rege, quando & occiſi, & combuſti ſunt; & reliqui captiui ducti in Chaldæorum terram. Et cur ad tot luctus, ad tantam captiuitatem, venerunt tempore Regũ? Lactant. Id, quod notans Lactantius lib. 4. cap. 10. aiebat: *Iudæi ſub iudicibus, prauis religionibus ſuſceptis, ſæpe ſubacti ab hoſtibus, ſæpéque ſunt liberati: ſub Regibus autem, finitimorum bellis ob delicta vexati, poſtremum capti, abductique Babylonem pœnas impietatis ſuæ graui ſeruitio pependerunt.* Sed qui ſub iudicibus ſuis citò à cladibus liberabantur, vbi ſub Regibus fuerunt, eas ſuſceperunt clades, à quibus ægrè, & difficulter, & vix per longum tempus po- D. Baſil. tuerunt liberari? Cauſam pulchrè attigit D. Baſ. in cap. 1. Iſaiæ fatus: *Regum inſtitutio, propria illorum temeritate, & conſilij prudentis inopia ſucceſſit.* Dum ſub iudicibus agerent Iſraëlitæ; propria illorum libido, & temeritas eos impulit, vt Regem poſtularent ſub cuius protectione viuerent, & ad bella procederent, ſic ſe futuros ſecuriores credebant. Ideò factum eſt, vt cùm ſub expetitis Regibus eſſent, in atrociores calamitates venerint. Nec vnquam humana libido, & temeritas alios fructus meret, quàm maiores lacrymas, maiores gemi- 1. Reg. 8. tus. Id, quod oſtenditur magis in particulari 1. Reg. 8. vbi Iſraëlitæ conueniunt Samuelem, dixerúntque ei: *Ecce tu ſenuiſti, & filij tui non ambulant in viis tuis: conſtitue nobis Regem, vt iudicet nos, ſicut & vniuerſæ habent nationes. Diſplicuítque ſermo in oculis Samuelis, eo quòd dixiſſent: Da nobis Regem.* Non attendebant ad Dei præſcriptum ordinem, qui ſuſcitabat illis ſaluatores, & iudices, ſed aliò tracti à proprio conſilio petierunt ſibi dari Regem. Quod ſtatim diſplicuit prophetæ Samueli. Sed cur id diſplicuit tanto prophetæ? Oriebatur hæc petitio à proprio illorum conſilio, abiecto cõſilio Dei, quod non potuit illis valde pernicioſum non eſſe. Vt D. Cyril. dicat D. Cyril. Alex. in cap. 6. Micheæ: *Itáque Saulem ſibi Regem petiuit Iſraël. Nequaquam verò iſtud profuiſſe illis, ſed acerbum, & detrimento ſum, & exitioſum potius fuiſſe, ipſa experientia docuit; Nam ob hoc in terra, & ineuitabilia incommoda inciderunt.* Et in quæ non incidiſſent mala, qui propriis conſiliis magis, quàm Deo fidebant? Luc. 23. Hinc Luc. 23. dum haberent optionem, vt eligerent ſibi Iudæi Barabbam, vel Ieſum, ſtatim dixerunt proprio ducti conſilio: *Tolle hunc, dimitte nobis Barabbam. Qui erat propter ſeditionem quandam factam in ciuitate, & homicidium miſſus in carcerem.* Ex quo nullas non ſeditiones, & latrocinia miſeri pertulere. Rem pulchrè pon- Egeſipp. derans Egeſipp. lib. 5. cap. 2. ait: *Petiſti necari vitæ arbitrum, concedi tibi Barabbam, qui propter ſeditionem factam in ciuitate miſſus fuerat in carcerem. Ideò ſalus abs te abſceſſit, pax abijt, quies deſtitit, data eſt tibi ſeditio, datum excidium. Ideò in te hodie regnat ſeditio, pax ſepulta eſt, vt crudelius à tuis pereas, quàm ſi ab alienis perires.* Crede mihi, quocũque ſe vertat humanum conſilium ſine Deo maiores calamitatum ſegetes metet. Quò ſpectans Ie- Ierem. 4. rem. cap. 4. dicebat: *Ecce auditum eſt in Ieruſalem cuſtodes venire de terra longinqua, & dare ſuper ciuitates Iudæ vocem ſuam.* Cuſtodes vocat hoſtes crudeliſſimos, quos Chald. explicatiùs Chaldæus vocat *Exercitus populorum rapientes inſtar vindemiatorum.* Et quid tanta peperit mala? Ait ipſe: *Viæ tuæ, & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi.* Equidem nulla res tot mala trahit, quàm propria excogitatio hominis, & proprium conſilium, quod non Deo nititur. Huc reuoco dicta 1. tom. in Euang. lib. 3. cap. 4. §. 22. & alibi.

§. II.

Nunquam non aliqualis nota eſt in fuga difficultatum.

FOrtitudinem bellatorum habitantium in terra promiſſionis vt audiunt Iſraëlitæ, melius putant illorum congreſſum fugere, & ad priſtinas ſeruitutis Ægyptiacæ ſedes remeare. Dicunt enim: *Nónne melius eſt reuerti in Ægyptum?* Fugam, & reuerſionem in Ægyptum meditabantur pleni timore; & tamen non audent illam fugam meliorem aſſerere; ſed ſub dubio aiunt: *Nónne melius eſt reuerti?* Cur quod decernitis facere, illud non aſſertiuè melius pronũciatis? Etſi viles, & miſeri errones, meritò non audent aſſerere meliorem eſſe fugam meditatam, nunquam enim in fuga difficultatum non eſt nota aliqualis. Nunquam fugitiuus non malè audit ex aliqua fugæ parte. Hinc cùm exirent de Ægypto Hebręi, & eſſent circa litora maris; à tergo inſequebatur eos ingens Ægyptiorum exercitus, & iam iam appropinquabat, vt inermes caperet, & trucidaret. Quid tunc? Ait Exod. c. 14. *Cùm extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus, flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in ſiccum, diuiſáque eſt aqua. Et ingreſſi ſunt filij Iſraël per medium ſicci maris.* Exod. 14. Magna equidem fuit hæc Iſraëlis liberatio, vt fugerent Ægyptiorum exercitus per medium diuiſi maris. Sed quando Iſraëlitæ liberandi erant per miraculum, cur non potius liberantur reſiſtentes Pharaoni, eiúſque exercitum vel manibus trucidantes? Poſſet equidem Deus facere, quod homines inermes conculcarent armatos, vt inermis Samſon in mandibula aſini percuſſit armatos octingentos. Sic diuinus ſpiritus poſſet Iſraëlitas omnes implere, & confirmare, vt ſe ſe opponerent Pharaoni, ſtantéſque in ordine ſuo, & loco ſuo armatũ exercitum trucidarent. Cur non illis præſtitit; ſed maluit, vt cederent loco, & fugerent armatos per medium diuiſi maris? Voluit Deus vt in hac liberatione Deo glorioſa, mulctaretur etiam Iſraëlitarum puſillanimitas, & diffidentia; & ideò maluit illos fugientes liberare, vt liberatori manente integra gloria, liberatos inureret nota aliqualis infamiæ, quæ nunquam à fugitiuis abeſt. Hinc Titus Imperator Romanus componens tranſitum hunc Iudæorum per ſiccum mare cum expeditione Romana ad Brittannos fatur apud Egeſip. Egeſipp. lib. 5. cap. 46. *Vidit vos Iudæos mare, & fugit, vt clauſi ab hoſte effugeretis, quia perrumpere hoſtem non poteratis, nec ſuſtinere. Nobis fuga Oceani damno fuiſſet, ſi fugiſſet. Geſſimus ante bellum cum fluctibus, inſanum mare ante ſuperauimus, quam ad hoſtem peruenieremus, cepit nos Brittania iam victores elementorum. Ærium cunctis aperuimus iter, æquoreum vobis non inuidemus, dum modò illud triumphantium fuerit, hoc fugientium.* Sic bonus Imperator detrahit Iudæis etiam in maxima oſtenſione virtutis diuinæ cum illis; maximum enim virtutis diuinæ argumentum fuit, quod inermes homines liberarentur, de armatis per diuiſionem maris; at quod liberarentur per fugam non potuit non eſſe timiditatis fugitiuorum ignominia. Quos enim amat Deus, nulla nota confundit, non per fugam, ſed per victoriam periculorũ liberat. Apud Luc. cap. 22. dicebat Ieſus Simoni Petro: Luc. 22. *Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: ego autem rogaui pro te*, &c. Petebat Sathanas Petrum, vt ſibi permitteretur, Ieſus autem orabat, ne Petrus in Sathanæ manus veniret, ſed potius eas fugeret. Similiter petiit Sathanas ſibi permitti Iobum, & ait Dominus Iob Iob. 2. cap. 2. *Ecce in manu tua eſt.* Iob permittitur Sathanæ. Petrus non permittitur; Iob triumphat vndique à Sathana petitus, mediíſque periculis: Petrus triumphos agit, ſed fugiens Sathanæ ſpicula. Et cur qui mauult Petrum liberare per fugam à Sathana, ſic tradit Iobum Sathanæ inſidiis? Notabatur inde Petri imperfectio, in qua tunc erat? Iobi autem perfectio præſtantiſſima, vt enim imperfectorum, & imbecillium nota eſt, quod fugiant, ſic præſtantiſſimorum eſt prædicatio, quod aggreſſi pericula triumphent. Ex quo ait D. Chryſoſt. hom. Chryſoſt. de Iob, & Abraham: *Deus permiſit diabolo, vt abraderet Iobi facultates, quo comprobaretur perpetuo vigens eius gratiarum actio. Vide autem Dei prouidentiam.*

Impe-

Imperfectum petit diabolus, sed non obtinet. Vnde Saluator Simoni dicit: Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticũ: Ego autem oraui pro te. Quamdiu imperfecti sumus, nobis parcitur: vbi autem perfectiores sumus facti perfectorum certamina etiam susc ipimus. Sic Deus, quos perfectionis gloria illustrat, eos per certamina ducit: quibus notam imperfectionis inurit, eos saluat per certaminum fugam.

§. III.

Fuga ad eadem pericula maximè Deo odibilis.

MEditantur fugam Israëlitæ deterriti filiorum captiuitate apud Chananæos; sic enim dicunt: *Vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram istã, ne cadamus gladio, & vxores, ac liberi nostri ducantur captiui. Nónne melius est reuerti in Ægyptum?* Ecce deploratam hominum miseriam, & extremam nequitiam. In Ægypto etiam captiui futuri erant, vt antea fuerant, & durissimo seruitutis iugo constringendi, illo ipso die, quo ad Ægyptum peruenirent, & insuper vt fugitiui serui fustibus, & gladiis excipiendi. Quid ergo miseri fugitis Chananæorum seruitutem, & amplexamini Ægyptiam totidem comparandam periculis? Meritò de hac tentatione, vt de omnium pessima locutus Ruper. inquit lib. 1. in Numer. c. 36. *Hæc tentatio decima, cæterarum tentationum pessima, causa fuit maxima, cur omnium illorum, qui numerati fuerant a viginti annis, & supra præter duos, iam dictos, nemo in illam terram promissionis ingrederetur, sed eorũ corpora in deserto prosternerẽtur.* Sed vnde hæc tentatio, hæc meditata fuga fuit pessima omnium, & prorsus irremissibilis? Nónne & sæpe aliàs in Ægyptum volebant reuertere? Cur ergo in hac decreta reuersione magis offendunt? Sanè in cæteris tentationibus mouebantur ob aliquod incommodum, quo carebant in Ægypto; mouebantur enim ob defectum aquæ, ob defectũ cibi, ob defectum obsoniorũ, quibus omnibus abundarent apud Ægyptios, & si ibi seruirẽt. In hac autem tentatione mouentur propter incommodum, quod longè maius erat in Ægypto; mouentur enim, vt fugiant filiorum, vxorúmue captiuitatẽ apud Chananæos, quam duriorem experturi erant apud Ægyptios, vtpote fugitiui serui illorum. Hinc hæc fugæ meditatio omnium pessima est, & inexorabilem Dei iram meretur, vt quæ ad eadem, & sanè maiora pericula ferat. Quæ enim fuga nõ euadit pericula, execrabilis est Deo, illa placet, quæ pericula euadens ingentes commodorum metit segetes. Matth. 14. locutus Dominus de tempore periculis pleno monet: *Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in montes*, &c. *Væ autem prægnantibus, & nutrientibus illis diebus. Orate autem vt non fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbatho.* Fugere mandat, & lamentatur illos, qui hyeme, vel Sabbatho fugiunt, vel cum habeant lactentes pueros in brachiis fugam meditantur. Et cur istorum fugam lamentatur, quando omnibus fugam mandat? Qui infantes nutriunt, qui in hyeme sunt, aut Sabbatho, non possunt eam fugam arripere, quæ pericula euadat, aliquídve perfectum adipiscatur. Fuga autem, quæ pericula non euadit, nec aliquid perfectionis, lucríque habet, execrabilis Deo est; cui solum placet fuga quæ ingentes commodorum fructus capit. Hinc accedit D. Amb. lib. de Fuga sæculi c. 6. fatus: *Qui fugit, velociter fugiat, ne comprehendatur. Qui parturit, pariat, & fugiat non quasi lactentem ferens, sed quasi expeditum: non paruulum gestans, sed perfectum in Christo exhibens: fugiat non quasi feriatus in Sabbatho, sed tanquam operarius in negotio; nec tanquam sterilis in frigore, sed tanquam opimus in messe. Fuga hæc nescit frigus timoris, tremorem mortis, contractionem solicitudinis, dissolutionis otium: sed vitæ cœlestis requirit impigrum viatorem, regni superioris competitorem strenuum, diuitem agricolam, qui fructus cogat.* Et quidem graphicè descripsit, qualis sit fuga, quæ deceat perfectissimos quosque, nimirum ea fuga est, quæ non pueriles motus, sed perfectum in Christo exhibeat robur; quæ non ab inertia, & otio, sed à negotio, & studio oriatur; & quæ sit maximè fructuosa. Quæ exsibilet & pericula & timores, sed eo spectet, vt messem faciat fructuum præstantissimorum. Hæc fuga athletas præstantissimos decet, quæ sine fructu est, & eisdem periculis se inuoluit, fuga est miserorum reproborum. De quibus Isaias dicebat c. 30. *Væ filij desertores, dicit Dominus, vt faceretis consilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per spiritum meum, vt adderetis peccatum super peccatum. Qui ambulatis, vt descendatis in Ægyptum.* Et quantum malum erat, quod fugientes hostes confugerent ad Ægyptum? Ait D. Ambr. epist. 36. *Iudæi propter flagitia sua cœperunt vinci ab aduersariis suis, conferre se volebant ad Ægyptios, vt sibi essent præsidio aduersum Assyrios, qui redire magis ad fidem, si bonos consulerent, debuissent. Iratus Dominus significat vanam illos spem gerere, qui offensam Domini putarunt maiori peccato leuandam, cum illi ipsi vincendi forent, in quorum auxiliis populus Iudæorum consideret.* Cur non incurrant iram Dei, qui captiuitatem à Deo decretam fugiebant, ad Ægyptios confugientes, cum quibus captiuandi erant?

Rupert. Matt. 14 D. Amb. Isaiæ 30. D. Amb.

Num. 14. Quo audito Moyses, & Aarõ ceciderũt proni in terram corã omni multitudine filiorum Israël. At verò Iosue filius Nun, & Caleb filius Iephone, qui & ipsi lustrauerant terram, sciderunt vestimenta sua, & ad omnẽ multitudinẽ filiorum Israël locuti sunt. Terra, quã circuiuimus, valde bona est, si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam & tradet humũ lacte, & melle manantem. Nolite rebelles esse contra Dominum, neque timeatis populũ terræ huius, quia sicut panem, ita eos possumus deuorare, recessit ab eis omne præsidium; Dominus nobiscum est, nolite metuere. Cúmque clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, &c.

§. IV.

Silentium humile frangit rabidissimas aduersariorum iras.

FVrenti multitudini sese opponunt Caleb, & Iosue, multísque illam ad sanum sensum nituntur reducere; Moyses autem, & Aaron nec verbum loquuntur, nec mutiunt, sed tacentes se in terram deiiciunt, ponúntque in puluere os suum. Ait enim. *Moyses, & Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Israël.* Cur non magis cum Calebo, & Iosue steterunt, & obstiterunt popularium furori? Sapientiores viri sapientius inierunt consilium in sui custodiam, vt in puluere ponerent os suum, nihil enim sic valet hostiles furores confringere, vt silentium humile. Hac dexteritate, vel tauri exagitati furor deluditur; vbi enim taurus furiosius currit, vt hominem decerpat, & iã iam pene cornibus vrget fugientem, ipse humi deiicitur, ibique halitu intercluso iacet, tanquam mortuus. Tunc hæret taurus, iacentem circundat, & dum nec anhelantem experitur, furoris oblitus, aliò diuertit, nullũ damnum iacenti infert, qui occurrentem perimeret. Sic sub multitudinis furore periclitantur Caleb, & Iosue, dum illi occurrunt; nullum subeunt periculum Moyses, & Aaron, qui humi iacentes nec mutiunt, nec anhelant quidem. Huc spectat Psal. 21. in quo Dominus ferociam suorum inimicorum, & patientiã, & humilitatem suam, qua excepit illam, depingit, inquiens: *Circundederunt me vituli multi: & tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens. Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia* Psal 21.

oſſa mea. Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxiſti me. Lege Lorinum, qui pulchrè iis verbis intelligit & furorem Iudæorum taurorum furori ſimilem, & modũ, quem tenuit Ieſus in excipiendo illum, nimirùm ſeſe ad terram vt aquam effundens, ſic deiectus, ſic tacens, quaſi abiecta teſta, & inſenſibilis, in nullóque à mortuis diſſimilis. Et cur ſic deiicitur Ieſus, ſic ſolo æquatur, ſic obmuteſcit? Ait ipſe: *Tauri pingues obſederunt me:* Chladæus: *Populi ſimiles tauris cornupetis*, &c. Res erat illi cum tauris furentibus, & ideò ſe ad terram deiicit, & ſilet, humile námque ſilentium potens eſt vel furorem taurorum reprimere. Quem aſtum exercebat ille in ſuis perſecutionibus, de quo ait Ierem. Threnor. 3. *Ponet in puluere os ſuum, ſi forte ſit ſpes. Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis.* Conſtitutus inter furentes aduerſarios, qui & vulnera infligant, & probra, contumeliáſque iaciant, ſi ſpem euadendi nutriturus eſt, illud faciet in primis, nimirùm: *Ponet in puluere os ſuum*, ſiue vt alij legũt, *Dabit in ſepulturæ foſſuram os ſuum*: ſe vſque ad terram deiiciet, proſternétque, & ſic ſilebit, ac ſi in nullo à mortuo, ſepultóque diſſimilis eſſet. Ad hæc D. Amb. ſer. 19. in Pſal. 118. *Dabit percutienti maxillam ſuam, vt non ſe ſubducat iniuriæ, nec declinet cædis dolorem, ſed percutienti maxillam offerat. Quod autem ait: Dabit in ſepulturam os ſuum, oſtendit quandam ſupra modum patientiæ taciturnitatem, vt tanquam ſepeliat os proprium, ne loquatur; nec vocem doloris emittat; tantum pondus afferens patientiæ, quam ſpes foueat, vt vocem ipſam velut buſto quodam, ac tumulo ſepeliat, ac includat, quam nulla extorquere, nulla excitare poſſit iniuria.* Quid pulchrius? Quiſquis aduerſantibus, perſequentibus eam patientiam, virtutémque velit exhibere, quæ foueatur ſpe lucri, ſpe euaſionis, in puluere os ſuum ponat, ſícque illud ſepeliat, vt in nullo à mortuo differat, non verbum, non halitum emittat; & fallar, niſi triumphet de periculis. Sic faciebat Dauid Pſal. 38. inquiens: *Poſui ori meo cuſtodiam, cùm cõſiſteret peccator aduersùm me. Obmutui, & humiliatus ſum.* Ecce tibi, quid bellicoſiſſimus Rex opponat furenti aduerſario, nimirùm taciturnitatem, humiliationem. Vbi D. Chryſ. *Hanc ſemper tanquam muro continens, maximè quando mihi reſiſtebat Semei. Tunc enim valde obmutui, & humiliatus ſum* Itáque taciturnitatem, & humiliationẽ tanquam muro continebat; ſic dum continet taciturnitatem muro, & murum exhibet hoſtibus inacceſſibilem. Idem enim eſt murum facere, vt contineas in ciuitate homines, & murum habere, quo arceas inimicos. Addit D. Amb. ibi: *Obmutuit, ne ipſa litigioſa cum obiurgatibus contentione perſtreperet: humiliatus eſt, vt timorem deiiceret ſuperborum.* Nil ſalubrius, quàm humilem taciturnitatem potuit opponere ſuperbientium furori.

Chlad. Ierem. 3. D. Amb. Chryſoſt. D. Amb.

§. V.

Qui in mininis temporalibus malis timidi ſunt, temerarij, & audaces ſolent eſſe ad voranda ſalutis pericula maiora.

QVi ad notitiam Chananæorum fortitudinis pauidi flebant, & fugam meditabantur, non audentes contra illos; modo vbi deterrentur Dei offenſa, cuius manus ſæpe fuerant experti; nihil timent, ſed lapidibus armantur, vt perimant præclaros conſultores. Sic enim Caleb, & Ioſue manebant inter alia: *Nolite rebelles eſſe contra Dominum*: & ſubditur ſtatim: *Cúmque clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere*, &c. Quando inuaſio futura erat aduersùs Chananæos homines, timidi ſunt, nec manum audent mouere; ſed fletibus, gemitibus nauant operam, multa timétes paruulis ſuis, multa timentes ſibi, & vxoribus. Quando autem rebellio proponitur aduersùs Dominum, locus ibi nullus timori, ſed audaces, & temerarij ad arma currunt; lapides arripiunt vt illis Calebum, & Ioſue opprimant. Cur non magis timent rebellare in Deum, qui timent adeò inſurgere in infirmos homines. Vndè habent manus, vt lapides arripiant aduersùs duces, qui in lacrymas ſoluebãtur ad hoſtiũ vmbrã? Sanè hoc eſt impietatis humanæ ingeniũ, quod in minimis tẽporalibus malis vehementer timet ſibi, & pauet, vel ad vmbrã folij; in re ſalutis æternæ nulla nõ pericula, & dãna audaciſſimè vorat, Ioan. 18. de Iuda dicitur: *Iudas ergo cum accepiſſet cohortem, & a Principus, & phariſæis miniſtros: venit illuc cum laternis, & facibus, & armis.* Ecce tibi integra cohors arma capit aduersùs Ieſum, vt illum tradat crudelibus inimicis Sed & illud notandũ quod & faces, & laternas affert, ad quid laternæ, ad quid faces? Erat nox, & cauentes, ne offenderẽt ad lapides viarum, & percuterent pedes ſuos, afferũt faces, & laternas; ſic homines impij timent ſibi lapillis viarum, quando audaciſſimè inſurgũt aduersùs lapidem angularẽ Chriſtum, ſub quo debebãt miſerè confringi. Pulchrè D. Cyr. Alex. ibi: *Laternis, & facibus aduersus Chriſtum proficiſcebantur; timebant forſan, ne, vt in tenebris fieri ſolet, aut in foueas caderent, aut pedes lapidibus offenderent, nec videbant ſe in lapidem illidere, de quo a Deo dicitur: Ecce ponam in Sion lapidem offenſionis, & petra ſcãdali. Et paruam foueam formidantes in profundũ abyſſi delapſi ſunt, & illius noctis tenebras depellẽtes facibus, de noctis æternæ tenebris nihil curant.* Timebant miſeri pedibus ſuis à viarum lapillis, & nõ timebant vitæ ſuæ à lapide prægrandi Chriſto, in quẽ temerarij ruunt, & ſub quo irreparabiliter comprimuntur. Sic vniuerſi impij pauidi ſpectant corporis minima pericula, nullúmque non lapidẽ mouent, vt illa effugiũt; certiora autẽ & graniora mala, quę ex Deo timeri debent, audaciſſimè glutiunt. Similiter de Principibus Ieroſolymitanis dicitur Ioan. 18. *Adducũt ergo Ieſum a Caypha in prætorium. Erat autem mane, & ipſi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur.* Erat equidem legalis quædam contaminatio religioſis Iudæis, ſi alienigenarum atria intrarent; quam contaminationem iſti timebant. Interea tamen videntes Pilatum ſe excuſuntem à diuini ſanguinis profuſione, clamabant ipſi Matt. 27. *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Vbi Euthym. *O ſceleſtẽ vocem! O extremam audaciam!* Metuũt attingere prætoriũ, ne contaminentur, & audent ſanguine innocẽti aſpergi ſine contaminationis metu. Pulchrè D. Aug. tract. 114. in Ioan. *O impia, & ſtulta cæcitas! Alienigenæ iudicis prætorio contaminari timebant, & ſanguinem innocentem fundere non timebant.* Audaces ad voranda magna pericula, timidi in minimis, & parui momenti. Leones ad contemnenda diuina, & æterna; cerui ad minima temporalia mala imminentia. Quid magis impium? Quid magis ſceleſtum?

Ioan. 18. Cyr. Alex. Ioan. 18 Matt. 27. D. Aug.

Mum. 14. Apparuit gloria Domini ſuper tectum fœderis cunctis videntibus filiis Iſraël. Et dixit Dominus ad Moyſem; Vſque quò detrahet mihi populus iſte? Quouſque non credent mihi in omnibus ſignis, quæ feci coram eis? Feriã igitur eos peſtilẽtia, atque conſumam: te autẽ faciam Principem ſuper gentem magnam, & fortiorem, quam hæc eſt.

§. VI.

Afflictis pro Deo hominibus adeſt Dei illuſtris protectio.

LApidibus appetuntur ſtrenui duces Caleb, & Ioſue vſque in tabernaculum fœderis, & ecce tibi à tabernaculi culmine apparet Dei gloria illos defendens. Ait enim: *Apparuit gloria Domini ſuper tectum*, &c. Vbi Interlinealis explicatius, ait. *Maieſtas Domini texit eos in nubibus cæli.* Splenduit ab ipſo culmine nubes, quæ Dei præſentiam teſtaretur, ſuos afflictos protegẽs, & à perſecutoribus

Interlin.

secutoribus gloriosè defendens. Quam protectionem, & defensionem clarissimè nubes protendebat. Sic Matth. 17. vbi coram discipulis tranfiguratus Dominus est, dicit etiam: *Ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube*, &c. Vbi Dei gloria discipulis ostenditur, cur ibi nubes apparet? Cur non magis soles, & sydera multiplicantur? Ad quid nubes in gloriæ ostensione? Ait Origen. hom. 3. in Matth. *Lucida nubes obumbrans eos, diuiniorem, & splendiorem recompensationem exemplo suo demonstrabat eis futuram, quæ protegeret eos, & illuminaret.* Itáque in nube præmonstrabat illustrem protectionem, quam præstiturus erat eis, cum in arena mundi pro Dei nomine persecutionem passi fuerint. Non enim sub tyrannorum rabie, sub carnificum furore prorsus cadent, sed in ipsis persecutionum nubilis, Deo protegente tranquillum etiam videbunt, & serenum. Sic cum Iob in se dæmonum, malorum omnium, & amicorum etiam phalanges concitatas cerneret; vt hinc à dæmone, hinc à morborum doloribus, illinc ab vxoris insipientia, à falso amicorum zelo morderetur, eò angustiæ deuenerat vt vix vllus euadendi locus superesset. Quid tunc? Ait cap. 38. *Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit.* Græcè autem legitur: *Dixit Dominus Iob per procellam, & nubes.* Omnia creata erant Iobo procellosa, & turbulenta, ex hostibus, & amicis, & vxore procellæ ortæ iustum maximè diuexabãt. Cur tu Domine afflicto addis afflictionem? Cur adhuc in illum nubila conglomeras? Cur non magis luce tua suffundis ærumnosum? Equidem præmittit Dominus nubem, vt iam præsentem asserat protectionem, & tranquillum, serenúmque aduenientem. Ait D. Method. in cat. Græca: *Vt Iobi res à tempestate ad serenam tranquillitatem ostenderet demigrasse, per nubes etiam Dominus loquitur.* Afflicto suo Iobo, mediis persecutionum fluctibus iactato nubem præmittit Dominus, quæ serenam tranquillitatem offerat, illustrémque & claram Dei protectionem.

Matt. 17.

Orig.

D. Met.

§. VII.

Perpetrata peccata nil prius ostendunt, quàm Deum vltorem.

ADhuc lapides in manus habebant rebelles Iudæi, quibus petebant duces suos vtilia monentes, & ecce gloria Dei apparet, pronuntians supplicium illorum. Dicit námque: *Apparuit gloria Domini super tectum fœderis, videntibus filiis Israël. Et dixit Dominus ad Moysem: Feriam igitur eos pestilentia*, &c. Expende illud: *Videntibus illis*, quippè ipsi rebelles videbant; & audiebant Deum decernentem supplicia eorum. Nec miror, peccata enim perpetrata nil prius faciunt, quàm ostendere Deum vltorem. Sic Iudæi post perpetratum facinus in Iesum, postquam illum viderunt in cruce mortuum; imò postquam sciuerunt in sepulcro fuisse depositum; anxiè curant sepulcro adhibere custodes. Ait enim D. Matth. cap. 27. *Illi autem abeuntes munierunt sepulcrum, signantes lapides cum custodibus.* Quid times Iudæe de mortuo, quamuis resurgat? An times ne à rediuino veritatem docearis, quam repulisti toto corde? Cur ergo tam anxiè sepucrũ custodis? Pulchrè ait D. Maxim. serm. 3. de Pasch. *Custodiebant ergo eum solicite in sepulcro, quia necesse illis erat eum iam non doctorem timere, sed iudicem.* Equidem perpetratum scelus in Dei filio vnam docebat timendam peccatorum vltionem. Tota illorum cura erat, vt sepulcrum custodiretur; nec id faciebant, quod timerent indè resurrecturum gentium doctorem, magistrum veritatis, mundi saluatorem, sed scelerum iudicem, & vindicatorem. Hoc vnum in illo cogitabant, & metuebant, quod iudex esset, & vltor peccatorum, nec aliud prius in Deo ostendunt scelera hominum. Primum hominum peccatum dum explicatur Gen. 3. ait: *Qui comedit, & aperti sunt oculi amborum.* Habebant antea, & oculos apertos, qualiter post peccatũ dicuntur aperti oculi? Nempè dicuntur aperti, quia peccatum fecit, vt viderent, quæ antea non viderant, nimirùm irascentem Deum, & supplicium sumentem de peccatoribus. Ait Rup. lib. 3. in Gen. cap. 10. *Aperti sunt oculi amborum, verus vtrobique gemitus, Deus iratus, diabolus risu dilatatus, vtérque sexus ignominia percussus: & inter hæc omnia, reorum & animi torquebantur, & oculi confundebantur.* Sic scelus admissum statim aperuit oculos, illis Deum iratum proponens, ridentem tortorem, flagellum ignominiæ; nec aliud prius peccatum ponit ob oculos peccatoris. Similiter Gen. 4. *Consurrexit Cain aduersus Abel fratrem suum, & interfecit eum. Et ait Dominus ad Cain: Vbi est Abel frater tuus?* Mirabar, quod post inhumanũ facinus dignaretur Dominus miscere sermones cum Caino. Cur Domine sic immediatè ad cædem factam verba facis tanto reo? Cur non magis ab illo te abscõdis? Cur tam cito illi ades, & interrogas de fratre? Spectat Sanè ad iudicis officium illa interrogatio, ideò non differtur, sed statim auditur post peccatum, cuius est nil prius facere sentiri, quam Deum vindicem iniquitatis. Ait enim Eucherius: *Non interrogat Cain Dominus tanquam ignarus, sed tanquam iudex, qui reum puniat.* Ecce tibi post peccatum immediatè auditur interrogatio, quæ Deum iudicem exhibeat, & punitorem peccati. Vt dicat D. Basil. Sel. orat. 4 *Cæde fratris aduersarium conscisti tibi immortalem.* Hoc primum facit peccatum, vt Deus aduersarius, & vltor iniquitatis scientiatur.

Gen. 3.

Gen. 10.

Gen. 4.

Eucher.

Basil. Sel.

§. VIII.

Præclari gubernatoris est optimis ministris non minorare dignitates.

NOn prius cogitat Dominus de Israëlitarum perditione, quam de Moysis cogitet exaltatione. Quippè simul ait: *Feriam eos pestilentia, atque consumam, te autem faciam Principem super gentem magnam, & fortiorem*, &c. Et quid consequentiæ est, quod perditis Israëlitis debeat Moyses in principem maioris, & præstantioris populi cooptari? Nónne liberum erat Deo perdere Israëlitas, quin teneretur alium populum præstantiorem Moysi parare? Cur ergo sine hoc, minimè illud decernit? Pertinebat hoc ad præclari gubernatoris munus, ne immerenti ministro immuneret dignitatem. Quando enim Deus opt. Max. fecerat Moysem principem Israëlitarum, & ipse non factus fuerat indignus tanto principatu; non deceret, quod ereptis subditis, esset à munere deturbatus. Quod notans Oleaster, ait: *Considera etiam iustè, quod nunquam tibi Dominus munus, quod dedit, auferret: nisi te ad aliquod maius seruaret.* Hoc est diuinissimi, & perfectissimi gubernatoris, optimorum ministrorum dignitates potius augere, quam minorare. Hinc vbi rebellante Absalone in patrem vniuersus Israël etiam rebellauit, commissum prælium est Absalon dedit perfidiæ suæ pœnas suspensus ab arbore. Quid tunc? Ait text. 1. Reg. 18. *Cecinit autem Ioab buccina, & retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israël, volens parcere multitudini.* Ecce, vt mortuo tyranno, multitudinis Israëliticæ consulitur incolumitati. Sed cur Deus, qui adeò atrox facinus in Absalone vindicauit, non similiter fecit in Israëlitis omnibus, qui cum illo rebellauerant? Cauit in hoc diuinus gubernator, ne percussis Israëlitis Dauidis immerentis regnum minoraret, illúmque relinqueret regia dignitate priuatum. Meritò enim dicit D. Isid. Pel. lib. 3. epist. 219. *Absalon à diuina iustitia supplicio affectus est*, &c. *Qui autem eius partibus sese adiunxerunt, pœnam non statim persoluerunt. Mœrorem enim concepisset Dauid, subditis, imò, vt rectius loquar, regia dignitate orbatus.* Multum minueretur dignitas regia Dauidi à

Oleaster.

1 Reg. 18

Isid Pel.

Deo data, ſi Iſraëlitæ rebelles perirent; ideò optimus gubernator Deus, cauit eo deducere Dauidem immerentem, vt eſſet ſubditis orbatus, nec rem, ſed nomen tantum haberet dignitatis. Spectat enim ad optimum gubernatorem non minuere, ſed augere miniſtrorum dignitates, quandiu ipſi omnia præclara faciunt.

Num. 14. Et ait Moyſes ad Dominum; Vt audiant Ægyptij; de quorum medio eduxiſti populum iſtum, & habitatores terræ huius, qui audierunt, quod tu Domine in populo iſto ſis, & facie videaris ad faciem, & nubes tua protegat illos, & in columna nubis præcedas eos per diem & in columna nubis per noctem: quod occideris tantam multitudinem, quaſi vnum hominem, & dicant: potuit introducere populum in terram, pro qua iurauerat; idcircò occidit eos in ſolitudine. Magnificetur ergo fortitudo Domini, ſicut iuraſti dicens: Dominus patiens, & multæ miſericordiæ, &c.

§. IX.

Præſtantis Præſulis eſt minimè ad promotionem inhiare.

OMnibus his dictis nititur Moyſes ſe in Iſraëlitici populi principatu confirmare, nec tranſire ad aliud imperium præſtantius. Quippè cum Deus vellet Iſraëlem perdere, & Moyſem promouere, vt populum, & præſtantiorem, & maiorem habeat, fatus: *Faciam te in gentem magnam*; multa allegat Moyſes, vt Deum in mentem magis Iſraëlitis propitiam trahat. Quippè ait: *Vt audiant Ægyptij*, &c. quibus proponit ex tali decreto proditura mala, nimirùm, quod male apud Ethnicos oleret, apud quos periclitaretur diuina fama, quod multa perderentur beneficia antiquitus Iſraëli collata. Sed cur Moyſes tantus eſt in pacificando Deo, quando ſi non pacificaretur, poſſet ipſe habere gloriosorem principatum? Equidem præſtantis animi vir ſemel præpoſitus Iſraëli, nihil ſupra hoc amat, nullam promotionem æſtimat, ſed inter primas oues mauult
Chryſoſt. commorari. Ex quo D. Chryſ. hom. 12. in Ioan. fatur: *Etenim Moyſes cum a Iudæorum ingratitudine liberari poſſet, & alterius gentis potentiorem, longéque maiorem accipere principatum. Cum ſanctus, & Dei ſeruus eſſet intimus, ne audire quidem id ſuſtinuit, ſed potius vna cum iis, qui ſibi ſemel crediti erant, perire, quam ſine illis ſaluus eſſe, & ad maiorem dignitatem aſſumi prætulit. Huiuſmodi eſſe oportet, cui animarum cura commiſſa eſt. Eſt námque abſurdum, vt prauorum filiorum pater nolit niſi eorum, quos genuit, pater appellari. Nos autem diſcipulos quotidie nunc hos, nunc illos mutemus.* Eſt hoc inſitum parentibus naturalibus, quod nolint primos filios dimittere, vt accipiant alios. Similiter, & debet eſſe intimum præſtantibus prælatis, qui nolint oues ſemel acceptas proditioribus mutari. Et ſanè in hoc maximè diſtinguntur nobiles prælati à ſeruilibus, qui aguntur vitiorum tyrannide, ij enim in hoc intenti ſunt, vt acceptam dignitatem dimittant, & aſpirent ad accipiendam aliam. Quos mirificè exprimebant Iſraëlitæ cum ſub Ægyptia ſer-
Exod. 1. uitute operibus luti addicebantur. Ait enim Exod. 1. *Oderántque filios Iſraël Ægyptij, & affligebant illudentes eis, & inuidentes, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris.* Expéde quæſo, quæ opera vocentur à diuino ſpiritu opera dura, nimirùm, opera adhibita cõficiẽdo luteo lateri. quibus operibus maximè Iſraëlitæ premebantur. Et quidẽ ſi Iſraëlitæ addicti eſſent marmoribus excauandis, contundẽdo calybi, nõ mirarer, quod dicerentur oppreſſi operibus duris; at quando luteis lateribus conficiendis inſtant, cum in iis duritiem operum adeò diuinus ſpiritus exaggeret? Inuehebat diuinus ſpiritus in iis duritiem vitæ, qua miſerè premuntur homines ſub ambitu dignitatum, quæ apprimè exprimitur in forma lutei lateris. Proponitur enim in medio lignea forma, quæ luto impletur, & impleta non ſinitur hic eſſe, ſed protinus vacuatur, vt rurſus alio luto impleatur. Quid ſimilius ambientibus dignitates propter lucra temporalia? Nunquam miſeri quieſcunt, ſed cùm primum, vt lateritia forma luto vnius dignitatis implentur, ſtatim feſtinant vacuari, & alia impleri: quod quidem duriſſimũ eſt vitæ genus. De quo D. Greg. Nyſſen. in vita Moyſis, *Gr. Nyſſ.* ait: *Quemadmodum laterum fictor aliud, atque aliud lutũ formæ, qua lateres figurat, imponit, adeò vt forma plena sẽper, & vacua ſemper luti dici poſſit, quoniam cum hoc receperit, atque firmauerit, nullus amplius vſus ipſius ad hoc eſt, ſed ad aliud, ad quod vacua eſt. Sic appetendi vis, ſi quis ea his terrenis cupiditatibus replere ſtudeat, & ſi quod cupit, aſſequatur, eóque ſe repleat, vacua tamen ſemper eſt, cũ ea, quæ habuit, reſpuat, & in aliud, atque aliud continuè feratur. Nec finis miſerrimi ardoris eſſe poteſt, niſi quis carnalem vitam repellat.* Siccine affliguntur ſub ambitionis tyrannide, qui operibus luti dant operam; qui terrenis, & caducis inhiant bonis, nunquam quieſcunt, ſed vt laterum forma in perpetuo ſunt motu, vt & vacuari, & impleri ſemper poſſint.

§. X.

Præſtantiſſima, & prorſus inſuperabilis fortitudo in benefaciendo conſiſtit.

DVm Moyſes petit à Deo, vt ab ira, & vindicta ſceleratorum abſtineat, meritò addit vt ſuam potentiam, & fortitudinem magnificet, hoc eſt, magnam, & præſtantem oſtendat. Sed qualiter Deus ſuã oſtendet magnam fortitudinem, niſi à vindictæ ferocia abſtinẽdo, & manſuetudinem oſtendendo? Sic enim ait: *Magnificetur ergo fortitudo Domini, ſicut iuraſti dicens; Dominus patiens, & multæ miſericordiæ*, &c. Itáque dum Dominus parcit reis, miſericordiámque, & bonitatem, & manſuetudinem prætendit, tunc magnam, & præſtantem oſtendit potentiam ſuam. Non enim in perdendo; ſed in benefaciendo maxima, & præſtantiſſima fortitudo, & poteſtas conſiſtit. Quod notans Pſal. 79. ait: *Ex-* *Pſal. 79.*
cita Domine potentiam tuam, & veni, vt ſaluos facias nos: quaſi enim iacet, & dormit diuina potentia dũ in aliis occupatur, quam in hominibus ſaluandis. Hier. legit: *Suſcita fortitudinem tuam.* Chaldæus Maronitarum ha- *Chald.*
bet: *Oſtende præſtantiam tuam*, &c. Quæ pulchrè explicans Theodor. ait: *Omnem tuam, inquit, potentiam̃ moue,* *Theod.*
noſtram ſalutem tractans. In perdendis ſceleratis ſatis eſt, quod digitus Dei appareat, vel quod manus diuina extendatur, at in benefaciendo neceſſum eſt, vt omnis Dei potentia moueatur. Nullo enim ſic tota Dei potentia oſtenditur, quam vbi perdere neſcit, ſolum intendit benefacere. Quis neget martyrum laureatã fortitudinem? Sed huic par eſt fortitudo, quæ occupatur in liberandis etiam iniuriantibus. Hinc dum mortem oppetit fortiſſimus Chriſti athleta Stephanus Actor. 7. *Actor. 7.*
inter lethales imbres lapidum: *Poſitis genibus orabat dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Cur in tam arduo conflictu, in quo res erat martyri cum morte, vacauit bona hoſtibus ſuis precari? Sanè oſtendebatur ab eadem fortitudine venire, & mortem conculcare, & hoſtibus veniam dare. Ait Euſeb. Gallicanus *Euſeb.*
hom. de Stephano: *Dum pro impiis Deo plenus exorat, etiam de alieno peccato iuſtitiam ſuam cumulat, & coronã ſuam perfecta Chriſti humilitate multiplicat. Notũ per iſta ſit, quia partem, & opera martyris ſuſcipit, qui odium malis debitum generoſi cordis benignitate calcauerit.* Eiuſdem roboris facinora ſunt, quod mortẽ calces, & quod abſtineas à vindicta. Ille enim validiſſimus eſt, & fortiſſimis æquiparandus, qui nouit nullum perdere, ſed omnibus benefacere. Dauid paucis cum ſociis deliteſcebat in ſpelunca, vbi infenſiſſimũ ſibi hoſtem Saulẽ nactus,

ſocios

socios in eum irruentes detinuit, fecitque vt inimico
1.Reg.24 parcerent. Ait enim 1. Reg. 24. *Confregit Dauid viros suos sermonibus, & non permisit eos, vt consurgerẽt in Saulem.* Expende illud, nimirum: *Confregit viros suos*, &c. Sufficeret enim dixisse, quod non permisit illis perdere Saulem, cur maluit addere, quod illos prius sermonibus confregit? Ostendebat sanè & fortitudinem esse in benefaciendo, & in perdendo fragilitatem; quando, qui necem amabant, conftracti sunt sermonibus eius, qui beneficentiam, benignitatémque spirabat. Ait enim
Chrysost. Chrysost. hom. 2. in Dauidem & Saul. Cum commemorasset verba, quibus Dauid abhorruit à cæde, subiecit: *Non permisit illis, vt surgerent, & occiderent Saul: Simul & illorum animos ad cædem promptos, & huius fortitudinem demonstrare volens.* Equidem in eo fragiles monstrabantur illi, & vel comminuendi halitu, quod ad cædem prompti erant, & ad inferenda mala, vt mõstrabatur Dauid fortis, & validus dum nullum permittit inferri malum, sed ad benefaciendum paratur. Non est, mihi crede, in perdendo, sed in benefica mansue-
Prou. 25. tudine fortitudo maxima. Quò spectans Prouer. 25. ait:
Chrysost. *Lingua mollis confringit duritiam.* Alij ex Græco: *Sermo mollis confringit ossa.* Ex quo D. Chrysost. hom. 3. de Dauide, & Saule monet: *Et tu igitur, si quando hostis inciderit in manus tuas, ne illud specta, quomodo illum vlciscaris, innumerísque conuitiis conspersum emittas, sed quomodo sanes, neque prius desistas omnia tum facere, tum pati, donec tua mansuetudine superes illius truculentiam. Nihil enim humanitate potentius, quod illud declarauit dicens: Sermo mollis confringit ossa.* In sola mansuetudine & lenitate, & benificentia est vera fortitudo & potentia.
4.Reg.23 Hinc 2. Reg. 23. *Hæc nomina fortium Dauid*; & cum fortissimi Dauidis duces nominatim ponantur, nulla Ioabi præstantissimi ducis fit mentio? Et cur Ioab cantatissimus dux inter Dauidis fortes non ponitur? Erat hic homo durus, immisericors, promptus, ad effusionem sanguinis etiam innoxis, quo meritò à catalogo
Rup. fortium expellitur. Ait Rup. lib. 2. in lib. Reg. c. 37. *Porro Ioab interfecerat duos viros iustos, melioresque se, Abener filium Ner Principem militiæ Israël, & Amasa principem exercitus Iuda, & effuderat sanguinem belli in pace, Rectè ergo in numero fortium Dauid non scriptus est.* Non pertinet ad fortitudinis sensum, qui animo duro,
Paul.Oro. & sanguinario est. Vnde Paulus Oros. lib. 5. cap. 23. post enumeratos plurimos tyrannos, qui varias prouincias vexarũt, sic finit: *Tamen fortis fide, ac viribus Hispania cum optimos, inuictissimosque Reges Reipublicæ dederit, nullum vnquam tyrannorum ab initio vsque in hodiernum diem; vel de se editum misit; vel in se extrinsecus incurrentem viuum, potentémue dimisit.* Hæc duo notat in Hispania & gloriam fortitudinis, & oppositionem cum tyrannis: vt enim quis fortis est, sic alienus est ab ani-
Egesipp. mo sanguinario, & truci. Non aliter Titus apud Egesippum lib. 5. cap. 46. *Missus pater Vespesianus, qui in imparatos vos, Iudæi, posset se effundere; Galilæam circuibat, longinqua exurebat, vt vos deponeretis insolentiam, veniam postularetis. Ostendit virtutem, & cum vniuersos clausos teneret, Ægyptum petijt, vt inducias respiscendi daret. Tam fortis in prælio fuit, vt per illum Nero vinceret, per illum Nero hostibus videretur formidabilis.* Hoc mirum, quod Nero crudelissimus homo natus ad perdenda omnia potuerit victoriis gloriari, potuerit hostibus esse formidabilis. Sed non hæc illi acciderunt per fortitudinem suam, quæ nulla potest esse in animis sanguinariis, sed per Vespesianum, qui homo ad parcendum, & benefaciendum erat paratior. Hic tantus in mansuetudine erga hostes, tam fortis fuit, vt per illum potuisset Nero fortis reputari.

Num. 14. Dimitte obsecro peccatum populi huius secundum magnitudinem misericordiæ tuæ; sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto vsque ad locum istum. Dixitque Dominus: Dimisi iuxta verbum tuum. Viuo ego, & implebitur gloria mea vniuersa terra.

§. XI.

Beneficia præstita benefactorem trahunt in alia noua.

SApienter Moyses irato Deo opponit beneficia ab ipso profecta in populum, ex quo eductus fuerat à seruitute Ægyptiorum. Quippè ait: *Dimitte, obsecro, peccatum populi huius, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto vsque ad locum istum.* Beneficiorum præstitorum machinam opponit, vt Deum emolliat; & quidem validissima machina est, quæ de beneficiis datis fit, vt trahat benefactorem in alia noua. Dauid post multa præstita Sauli obsequia, inuenit tandem ingratissimum hominum solum in spelunca valde obscura, quem cum impune percutere posset, maluit parcere, laciniam tamen clamydis abscidit; qua sumpta post Regem egreditur, & à tergo clamans testabatur misericordiam, quam fecerat. Ad hæc Saul attonitus, ait 1. Reg. 24. 1.Reg.24
Nunquid vox tua hæc est fili Dauid? Vbi tantam sibi misericordiam factam tunc temporis audit; agnoscit vocem Dauidis. Et cur agnoscit esse vocem Dauidis, quæ sibi infensissimo hosti vitam denuo datam asserebat? Sapienter equidem in nouo hoc beneficio agnoscitur Dauidis vox; non enim posset esse vox adeò benefica, nisi illa, quæ ab innumeris antè datis beneficiis in hoc traheretur. Sola enim beneficia antè præstita potuissent facere, vt hoc tantum denuo Chrysost.
exhiberetur. Vnde Diuus Chrysost. hom. 3. de Dauide & Saule ait: *Agnoscens Saul vocem Dauidis, ait: Vox tua ista fili Dauid. Quænam ista? Quæ Goliath deiecit, quæ ciuitatem periculis eripuit, quæ cunctos in seruitutis, & mortis periculo constitutos in libertatem restituit, & in tuto constituit; quæ Saulis furorem sedauerat, quæ multa, magnáque beneficia in eum contulerat.* Et planè, nisi quæ de tot beneficiis antè collatis veniret vox non posset denuo in immerentẽ, & iniurium hominẽ sic benefica existere. Solent enim de primis beneficiis oriri secunda. Hinc
Ioan. 9. Ioan. 9. vt Iesus vidit cæcum à natiuitate: *Expuit in terram, & fecit lutũ ex sputo, liniuit lutum super oculos eius.* Nec cæcus petit visum, vt alij solebãt, nec alius aliquis intercessor affuit, sed ipse Dominus ex se manus luto faciendo adhibuit. Vndè autem motæ sunt manus diuinæ, vt se immiscerent luto ad præstandum homini visum? Iam antea idem præstiterant beneficium formãdo homini, ne miremur, quod de primo præstito veniant ad secundum. Ait D. Irinæus lib. 5. cap. 15. *Et qui* D.Irin.
cæcus fuerat à natiuitate, iam non per sermonem, sed per operationem præstitit visum; vt ostenderet manum Dei, eã, quæ ab initio plasmauit hominem, vt manifestarentur opera Dei. Et nullo clarius ostenderetur diuina manus primi auctrix beneficij in formando homine, quàm dum accedit ad secundũ. Semper enim beneficus animus de primis venit ad præstanda secunda. Hinc Dauid Psalm. Psal.118
118. aiebat: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me: da mihi intellectum vt discam mandata tua.* Prius proponit, vt vitam, & substantiam acceperit à Deo, & statim subiicit: *Da mihi intellectum.* &c. ex eo enim quod semel, & ter iã dederit Dominus, pro certo habet, quod & dabit denuo. Ait ibi D. Amb. ser. 10. *Magno commẽ-* D.Amb.
dationis exordio vsus est, vt opus Dei esse se diceret, quo facilius circa operis sui gratiam fauor inclinaretur authoris. Grandis enim prærogatiua est in rebus humanis, vt aliquis operibus, & beneficiis faueat suis; ne videatur abrogare, quod ipse donauit. Nullus amat beneficia sua perdi; sed illa fouere, quoad potest, contendit, etiam si ad hoc noua præstare necessum fuerit. Quo adduco dicta tom. 2. in Euangel. lib. 6. cap. 3. §. 20. Adeò enim morale est, quod prima dona nouis debeant foueri, vt de contrario, quasi de re insolita queratur Iob cap. 10. *Manus* Iob 10.

tua

tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu; & ſic repentè præcipitas me? Non equidem viſum, nec auditum, quod manus aſſuetæ benefacere, ſe ſuis primis operibus negent; imò ex quo iam cæperunt præſtare, ſemper præſtabunt. Vt in ſimilem ſententiam dicat
D.Amb. D.Amb. vbi ſuprà: *In adiumentum accingere, qui accinctus es, vt creares.* Petunt prima beneficia ſequentia; &
Iſaiæ 63. nequit manus aſſueta benefacere, ceſſare. Vbi noſter dicit Iſaiæ, c.63. *Angelus faciei eius ſaluauit eos, in dilectione ſua, & in indulgentia ſua ipſe redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus ſæculi.* Septuaginta in rem præſentem expreſſius poſuerunt: *Non legatus, neque Angelus, ſed ipſe Dominus ſaluauit eos: eo quod diligeret eos, & parceret eis, ipſe redemit eos, ſuſcepit, euexit.* Expende ab illis: *Eo quod*, &c. Quippè eo quod ſemel illis ſe gratioſum exhibuit, quaſi inde non potuit non illos redimere à malis, non illos portare brachiis, nouiſque beneficiis cumulare.

§. XII.

Super omnes externas glorias eſt illa, quam acquiris, hoſtibus tuis parcens.

ADhuc indigni, adhuc nullum pœnitentiæ ſignum ediderant rebelles, & iam Dominus à pœna illis decreta abſtinet, aiens: *Dimiſi, iuxta verbum tuum.* Cur Domine non magis cohibes tuâ benignitatẽ? Cur non expectas, vt ipſi ſe agnoſcant, vt pœnitentiâ agant? Cur immerentibus, & impœnitentibus iam parcis? Ipſe ait: *Viuo ego, & implebitur gloriâ meâ vniuerſa terra.* Parcit immerentibus, ſua gloria vniuerſas mundi glorias euacuans, nil enim eſt tam glorioſum, vt ſi hoſtibus tuis, inimicis tuis parcas. Dauid nactus Saulem ſibi infenſiſſimum hoſtem inermem in ſpelunca, eius vitæ pepercit, ſolam chlamydis partẽ ſcidit, qua ſumpta poſt
1.Reg.24 Saulem de ſpelunca exiuit. Ait enim textus 1.Reg.24. *Porrò Saul exurgens de ſpelunca, pergebat cœpto itinere. Surrexit autem Dauid poſt eum, & egreſſus de ſpelunca clamauit poſt tergum Saul, dicens: Domine mi Rex.* Qui antea nec mutire audebat, ſed longè à Saule fugiebat, modò audet clamare. Cur Dauid ſic coram potentiſſimo Rege tibi aduerſario clamas? Proſtrato Philiſthæo, & adducto Sauli capite, non diceris clamorem vllum emiſſiſſe, imò nec aperuiſſe labia, & modò audes clamare? Quid magnum peregiſti, quod poſſit tantos tibi ſpiritus miniſtrare? Veniẽs à deuicto Philiſthæo tacet Dauid, egreſſus autẽ modò ab ſpelunca clamat; vt, qui hoſtis vitæ parcens glorioſiorem triumphum reporta-
Chryſoſt. rat. Ait D.Chryſoſt.hom.3.de Dauide, & Saule: *Egreſſus eſt poſt Saulem Dauid, liberis deinceps oculis cœlum intuens, ac tunc temporis magis exultans, quàm cum Goliath deiecisſet, at barbari caput amputaſſet. Siquidem hæc illâ magnificentior erat victoria, hæc magnificentiora ſpolia, hæc præda illuſtrior, hoc glorioſius trophæum.* Equidem poſt veniam datam hoſti, non arctatur Dauid in ſpelunca, nec eius lingua hæret palato, ſed in omnem terram exiuit eius ſonus, vt qui vna hac gloria vniuerſas mundiales ſuperaret. Hinc Dauidis facinoribus in parcendo numeratis, poſt Saulis mortẽ, poſt ipſius Dauidis
2.Reg. 2. planctum, ait textus 2.Reg.c.2. *Igitur poſt hæc conſuluit Dauid Dominũ dicens. Num aſcendã in vnam de ciuitatibus Iuda? Et ait Dominus ad eũ: Aſcẽde. Dixítque Dauid, Quo aſcendam? Et reſpondit ei: In Hebron. Aſcendit ergo Dauid*, &c. *Veneruntque viri Iuda; & vnxerunt ibi Dauid, vt regnaret ſuper domum Iuda*, &c. Expende illud: *Igitur poſt hæc*, &c. nimirum. poſtquam Saul occubuit, cui toties Dauid pepercerat, poſtquã ipſe Dauid hoſtis ſui funus lacrymis proſecutus fuerat, aſcendit in Hebron, ibíque vnctus fuit in Regem. Et quando de illius aſcenſione ad regnum locuturus erat, cur neceſſum fuit annotare, quæ anteceſſerant in Dauide reſpectu Saulis? Nullis potuiſſet clarius eius gloriæ affigere argumentum, quam dum oſtenderet, quod de tanta miſericordia in hoſtes ad regnũ aſcendiſſet. Ex quo D.Chryſ.vbi ſuprà in fine: *En hic noſter Dauid etiã regnum adeptus eſt, nec tamen inquinauit cæde manus, ſed dextram habens puram. ſic corona redimitus eſt, ſic ad thronum aſcendit, honeſti nominis argumentũ geſtans purpura, ac diademate magnificentius, videlicet, quod hoſti pepercisſet, quod eundem extinctum luxiſſet.* Sanè magnificentius regno argumentum honeſti nominis, glorioſæ famæ eſt, quod quis in hoſtes etiam potuit eſſe beneficus. Chryſoſt.

*Num.*14. Attamen omnes homines, qui viderũt maieſtatem meã, & ſigna, quæ feci in Ægypto, & in ſolitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram pro qua iuraui patribus eorum, nec quiſquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam. Seruum meum Caleb, qui plenus alio ſpiritu ſecutus eſt me, inducam in terram hanc, quam circuiuit, &c.

§. XIII.

In malis filiis adhuc ſuus honor bonis parentibus manet.

DVm filios peſſimos damnat Dominus, ſimul & honorificè meminit eorum patres, dicens: *Non videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum.* Quid neceſſum fuit meminiſſe in præſenti obligationem, qua ſe inramento obſtrinxerat patribus? Cur negans promiſſa filiis malis, non magis diſſimulat, quod patribus eorum iurauerat? Imò tunc magis ſe patribus obſtrictum fatetur, cum filios dãnat, mauult enim oſtendere, quã ſemper ſuus honor maneat bonis parentibus, etiam dum filij peſſimi vapulant. De Ieſu Domino ait Ioan.cap.4. Ioan 4.
Reliquit Iudæam, & abiit iterum in Galilæam. Oportebat autem eum tranſire per Samariam. Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar: iuxta prædium, quod dedit Iacob filio ſuo Ioſeph. Erat autem ibi fons Iacob. Ieſus autem fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem. Ecce tibi vt abiiciens Ieſus ſibi infenſiſſimam Iudæorum nationem, & pergens ad gentes, adhuc ſeder ſupra fontem Iacob in Samaria poſitum. Cur Domine, & cũ Iudæis non ſimul abiicis Iacob patrem eorum? Cur nõ tibi caues à parente eorum, qui adeò erant tibi ſuſpecti, & inuiſi? Erant ſanè Iudæi peſſimi, & inuiſi Deo; ſed eorum pater Iacob erat optimus; ideò illos deſpiciens Dominus, huius prædium honorat, oſtendens, quàm maneat honor parentibus bonis, etiam in filiis non bonis. Ait D.Cyril.Alex.lib.2.in Ioan. cap.78. *Cùm à ter-* D.Cyril.
minis Iudæorum exiuerit, alienigenarum regionem ingreſſus Ieſus ſuper fontem Iacob ſedebat: vt ſignificaret, quamuis Iudæorum genere relicto, in gentes abitura ſit veritas, non tamen honor, & dignitas patrum decidet, ſed creſcet potius, quaſi iugibus aquis Chriſti irrigata. In ſummo ſupplicio, & abiectione peſſimorum Iudæorum, non decidet, non obſcurabitur gloria patrum eorum, ſed potius creſcet: is enim eſt Deus, qui faciat, vt etiam in malis filiis ſuus honor, & gloria bonis parentibus maneat. Hinc narrans Scriptura Gen.9. initium corrupte- Gen.9.
læ humanæ, proponénſque primos naturæ corruptores, ait: *Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperũt ſibi vxores*, &c. Scio filios ſanctiſſimi Sethi filios Dei vocari; ſed illud mihi facit quæſtionem non paruã, cur nunc præcipuè cùm libidinoſi, cùm voluptatum cœno ſeſe tradunt adhuc filij Dei vocantur? Ait D. Chryſ. apud Lyppom. *Vocati ſunt filij Dei in Scri-* Chryſoſt.
pturis, eo quod eorũ parentes Dei virtutes imitati ſunt. Et quidẽ vocabantur hi filij Dei, vt ex tali nomine parentum eorum fulgeret gratia, qua diuinas virtutes fuerãt æmulati. Ne miremur, quod vel delapſi in ipſam virorum ſentitnam, adhuc retineant vocabulum, quo eorum parentũ gloria coruſcabat. Semper enim bonorum

parentum

parentum gloria incorrupta manet, etiam in filiis sceleratis. Pro quo illud etiam est notandum, quod textus
Gen.6. addit Gen.6. fatus; *Gygantes erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt Filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes à sæculo, viri famosi.* Ecce tibi ex nefario concubitu filiorum Sethi cũ filiabus Caini, nascuntur Gygantes, hoc est, viri corporis magnitudine, & præstantia cæteros superantes, qui horrendis facinoribus suis extremam Orbi ruinam accelerarũt. Sed cur Deus hominibus iis adeò feris, adeò malis subdit tantam corporis præstantiam, nisi vt illa mediis criminibus suis auitam virtutem, sanctitatémque omnibus ostentarent? Aiebat enim D. Cæsarius
Naz. Nazianzeni frater alio datus dialog. 1. *Recte filij Sethi & Enoti, filij Dei intelligendi sunt, qui per libidinem capti ad filias Caini ingressi sunt, ex quorum mutua contaminatione nuptuali educti sunt Gygantes propter iustitiam quidem Sethi robusti, propter Cainum mali.* Itáque vt malũ auum Cainum nepotum mores notabant; sic illorum corporis præstantia bonum auum Sethum prædicabat: in pessimorúmque hominum corpore erat excellens aliquid, quo Deus optimos illorum auos honorabat.

§. XIV.

Timor Dei non sinit esse alios timores.

ETot millibus vnus Caleb in præsenti dicitur introducendus in terram promissam, introducendus, inquam, dicitur, quia meticulosis aliis exploratoribus, non assentitus est, sed plenus alio spiritu secutus est Deum. Quippè ait: *Seruum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam*, &c. Non explicat, quo spiritu sit plenus Caleb, sed tantum ait plenum fuisse alio spiritu. Quo alio spiritu? Nimirùm alio timoris spiritu, sic enim pulchra comparatione illum à timidis exploratoribus discernit. Et hos, & hunc spiritus timoris tenebat. Sed longè alius erat timor Calebi à timore exploratorum: timor enim Calebi erat timor Dei, qui sic humana corda replet, vt omnes alios timores
Chald. expellat. Cui explicationi fauet Chaldæus Complutensis fatus: *Seruum autem meum Calebum, eo quod fuit cum eo alius spiritus, & perfectè secutus est timorem meũ, introducam*, &c. Equidem illi timore seruili, & humano omnia metuebant, præter Deum; & Caleb perfectè secutus timorem Dei illo plenus, nihil aliorum timorum admittebat, nihil, quòd sperari posset, requirebat.
Psal. 13. Sic enim replet corda humana timor Dei. Hinc Ps. 13. *Contritio, & infœlicitas in viis eorum, & viam pacis nõ cognouerunt: non est timor Dei ante oculos eorum.* Quibus non erat timor Dei ob oculos, in nulla via pacem videbant, vbíque bella timebant, & contritionem, & infœ-
Isai.11. liciſſimos euentus. E contra Isaias c. 11. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Alij spiritus requiescunt in homine, sed spiritus timoris sic hominem replet, vt nihil contrarij admittat. Ex quo pulchrè
Orig. Orig. lib. 3. in c. 3. Epist. ad Rom. inquit: *Opus ergo grande est, & magnificum semper habere ante oculos cordis timorem Dei: illum timorem, qui repleuit virgam, quæ surrexit de radice Iesse, & florem, qui de radice eius surrexit. In tantum autem perfectum reddit hominem Dei timor, vt oui sit, nihil desit, vt propheta dicat. Quia nihil deest timentibus Deum.* Tanto timoris diuini spiritu repleti nihil requirunt, quo possint egere; nihil admittunt, quo possint metuere. Qui enim Dei timore munitur,
Ioan 1. facilè à se omnes alios timores expellit. Ait enim Ioan. 1. epist. 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet.* Sed quando timoris spiritus à Deo veniat, vt animam prorsus repleat, quomodo dicitur timor per charitatem expelli? Est timor seruilis, qui temporalia damna metuit; & est timor filialis, qui Deum vt amantissimum parentem solum nouit timere. Hic timor charitatis est perfectio, & hic sic animam replet, vt molestos omnes alios timores expellat. Quò spectans Cassian. collat. 11. cap. 13. ait: *Dixerat: Replebit eum spiritus timoris Domini. Tanta enim vbertatis eius est magnitudo, vt quem semel sua virtute possederit, non partem, sed totam eius occupet mentem. Nec immeritò, illo enim, quæ nunquam excidit, cohærens charitati, non solum replet, sed etiam perpetua, & inseparabili eum, possidet iugitate, nullis lætitiis, nullis oblectationibus imminutus.* Sic ibi timor occupat mentem, vt nullum relinquat locum aliis molestiis. Hinc Paul. 1. Cor. 2. *Ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos.* Nec crediderim Paulum seruili cruciari timore, sed filiali impleri. At cur hunc exhibebat timorem? Ait D. Amb. Psal. 118. ser. 11. *In infirmitate veniebat, vt alios saluos faceret, & fortiores in timore, & tremore: vt timentes nihil metuerent nisi Dominum*, &c. Expende illa: *Vt timentes nihil metuerent*, timor enim filialis Dei omnes alios excludit timores.

Cassian. 1. Cor. 2. D. Amb. Ps. 118.

Num. 14. Cras mouete castra, & reuertimini in solitudinem per viam maris rubri. Locutúsque est Dominus ad Moysem, & Aaron, dicens: Vsquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me? Querelas filiorum Israël audiui. Dic ergo eis: Viuo ego: sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis. In solitudine hac iacebunt cadauera vestra. Omnes, qui numerati estis à viginti annis, & suprà, & murmurastis contra me, non intrabitis terram præter Caleb filium Iephone, & Iosue filium Nun, &c. Paruulos autem vestros de quibus dixistis, quod prædæ hostibus forent, introducam, &c.

§. XV.

Caue ne erroribus assuescas, qui te vel progredientem ad virtutes regredi facient, & perire.

QVi propè terram lacte, & melle manantem erant, mouere castra mandantur, & reuertere in sterilẽ solitudinem; sic ait: *Cras mouete castra, & reuertimini in solitudinem.* Hoc timendum est omnibus, qui sese assuescunt vitiis, vt licet aliquanto proficiant ad virtutum fructus, tandem per consuetudinem pristinam non liceat ad finem venire, sed cogantur regredi in vitia, ibíque omni priuati fructu perire. Egressus fuerat Loth è Sodomis cum vxore, & filiabus; támque Loth, quàm vxor flammantis supplicij immunes progrediebantur in salutis via. Prope erat Segor ciuitas assignata illorum refugio. Quid tunc? Ait Gen. 19. *Respiciens vxor eius post se, versa est in statuam salis.* Non Loth respexit, nec viragines filiæ, sed vxor respexit, & in sterilem, infrugiferámque salis statuam conuersa non peruenit ad vrbem, mansit in via. Et cur nõ Loth, sed vxor & respicit post se, & sterilescit? Ait Elias Cretensis in orationem 1. Naz. aduersus Iulianum: *Mulier imbecillem, & ignauam mentem designat, corpúsque voluptatibus fractum, & debilitatum: quod & si quandoquidem ab iis abscedere potuerit, tamen per reditum ad vitium prorsus inutile redditur.* Sic pectus per varias voluptates, & vitia fractum, & longa illarum consuetudine debilitatum cum fuerit, non multo æstimandũ, quod aliquando à vitiis abscedat, progressus in virtute faciat, hinc enim, facilè solet ad pristina reuocari, infrugiferúmque ibi, & sterilem reddere animum. Dicebat Dominus Ioan. 8. *Qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo in æternum, filius manet in æternum.* Vide notionem serui peccati; seruorum est ad domum peruenire, in domo manere aliquandiu, sed in domo æternum permanere,

Gen. 19. Naz. Ioan 8.

ſi minimè eſt ſeruis datum, ſed filiis. Similiter, ſeruus peccati ad domum Dei appropinquat, in ea verſatur, at minimè in ea æternum manet, ſed tandem ab ea exire cogitur, & ad ſua remeare. At quis eſt iſte ſeruus peccati, qui à domo Dei, in qua erat, remeat ad ſua? Seruus eſt peccati, quicunque facit peccatum? Sed ſpeciali titulo ſeruus eſt, qui longa conſuetudine ſeſe voluptatibus, vitiiſque tradit, is adeò addictus ſeruituti vitiorum, & ſi in domo Dei eſſe videatur, non putes, quod ibi maneat, ſed quàm primum ad ſua remeabit.

D. Cyril. Ait D. Cyril. Alex. lib. 6. in Ioan. cap. 2. *Porrò non æſtimet quiſquam ſeruum peccati hominem appellari, qui peccet, (non enim eſt homo, qui non peccet, & ſepties in die cadit iuſtus) ſed quia permanet in peccato, & ex inueterata peccandi conſuetudine, funibus peccatorum ſuorum conſtringitur, quibus ad finem vſque vitæ perſeuerat irretitus. Et in nulla Dei domo ſeruus peccati manere comprobatur,* &c. Non quicunque peccat, eſt hoc ſpeciali iure ſeruus peccati, ſed qui peccat conſuetudine vitiorum larga; is ergo peccati ſeruus, quantumuis domum Dei intret, quantumuis in ea progreſſus faciat, non ibi manet, ſed inde funibus peccatorum extrahitur, quibus perpetuò irretitus hæret in ſalebra.

§. XVI.

Ille in Domino gloriosè triumphat, qui multitudinis nouit contemnere verba.

ETot millibus populorum duo tantum reſeruantur ingreſſuri in terram promiſſam; dicit enim: *Omnes, qui numerati eſtis, à viginti annis, & ſuprà, & murmuraſtis contra me, non intrabitis in terram, ſuper quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem, præter Caleb filium Iephone, & Ioſue filium Nun.* Soli Caleb, & Ioſue terram promiſſam tenent; non alij innumeri Principes, non populares, & quod mireris magis, non Moyſes, non Aaron. Sic enim dicebat Moyſes ipſe

Deuth. 1. Deuth. 1. *Non videbit quiſquam de hominibus generationis huius peſſimæ terram bonam*, &c. *præter Caleb filium Iephone*, &c. *Nec miranda indignatio in populum, cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: Neque tu ingredieris illuc.* Et cur dimiſſis tot hominibus, dimiſſo Moyſe, & Aaron; vnus Caleb, vnus Ioſue admittitur in terram promiſſam? Quid fecerũt ij, pluſquam Moyſes, pluſquam Aaron, propter quod mereãtur gloriosè de triumphatis hoſtibus terram introire? Poſt multitudinis murmur relatum dicebat textus ſuprà: *Quo audito Moyſes, & Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Iſraël. At verò Ioſue filius Nun, & Caleb filius Iephone ſciderunt veſtimenta ſua, & ad omnem multitudinem filiorum Iſraël locuti ſunt. Terra, quam circuiuimus, valde bona eſt*, &c. Non mutiunt Moyſes, & Aaron coram murmurante multitudine; ſed cadunt coram illa; at Caleb, & Ioſue nihili facientes multitudinis murmur, imperterriti prædicant bonitatem terræ promiſſæ. Ne miremur, quod ij, qui nihili faciunt multitudinis murmur, præ omnibus aliis apud Deum triũphent. Sanè & Latroni ſecum crucifixo dicebat Dominus Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Nil tale Petrus audiuit ſibi dictum, & Petrus qui tanta ardebat charitate in magiſtrum. Et cur, quod non datur Petro, vt tunc in paradiſum intret, latroni vni conceditur? Ait D. Chryſ. ſerm. de latrone: *Petrus diſcipulus puellæ viliſſimæ minas tolerare non potuit: & latro ſuſpenſus, vndique populum circunſtantem deſpiciens, oculis fidei cœlorum Dominum pura mente cognouit*, &c. Expende illud: *Populum circunſtantem deſpiciens:* erat quippe tota populi multitudo circunfuſa iuxta crucem Domini, illi illudens, probráque multa, & maledicta congerens in illũ; at latro contra multitudinis voces, eas deſpiciens, ac pro nihilo ducẽs veras crucifixi æſtimabat diuitias, ad eáſque totus ibat. Quid mirum, ſi datur paradiſus

Luc. 23.

tunc latroni, & non Petro; quando Petrus vnius voces puellæ non tulit, latro autem ſeſe oppoſuit vocibus multitudinis pro crucifixo? Talis eſt præſtantiſſimus ille Onager, de quo ait Iob cap. 39. *Quis dimiſit Onagrum liberum, & vincula eius quis ſoluit? Cui dedi in ſolitudine domum, & tabernacula eius in terra ſalſuginis. Contemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit. Circunſpicit montes paſcuæ ſuæ, & virentia quæque perquirit.* Ecce tibi non Onager, ſed homo, qui ſpiritu viuit, vt malunt Olympiod. & Nilus in cat. Græca; cui ſanè in promptu ſunt cœleſtia paſcua, terra viuentium, florida æternitatis prata. Sed quid pro tantis bonis egit? Ait textus: *Contemnit multitudinem ciuitatis.* Vbi D. Greg. 30. Moral. c. 12. *Cum paucis namque ingredi angustam portam deſiderat: non cum multis lata itinera appetit, quæ ad interitum ducunt. Et recta conſideratione acceptæ imaginis, ſequi vulgi multitudinem dedignatur.* Sic qui vero ſpiritu viuit, cui æterna paſcua adſcribuntur, quem vocat terra viuentium, is nihili facit, quod multitudo dicat, imò eius inhærere veſtigiis maximè cauit. Et cur non caueat hærere multitudinis veſtigiis, quando audit Cant. 1. *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hœdos tuos*, &c. Se ignoranti animæ datur, quod veſtigiis multitudinis hæreat, ex quo illud habet, quod non agnos, ſed hœdos reprobationis paſcat. Ait D. Greg. ſuprà. *Egreſſa abit poſt veſtigia gregum: quia ſua interna deſerens ſequitur exempla populorum. Nec iam agnos, ſed hœdos paſcit; quia nutrire prauos motus carnis inuenit.* Sic hæret, qui neſcit contemnere multitudinem.

D. Greg.

Cant. 1.

D. Greg.

§. XVII.

Scelerum caſtigationem ſequitur innocentia, & ſimplicitas infantilis.

DVo aſſerit in præſenti Dominus, quod ſceleratos adultos morte puniet, & quod paruulos eorum in terram promiſſionis introducet. Sic enim dicit: *Paruulos autem veſtros introducam, vt videant terram*, &c. Et cur poſt ſceleratorum ſupplicia paruuli introducantur, qui terræ promiſſæ poſſeſſionem videant? Equidẽ oſtendebatur, quod poſt caſtigationem culparum, infantilis innocentia debeat requiri, quæ regnum cælorum poſſit pertingere. Quò ſpectans Procopius in Gloſſa ait: *Suum interitum prædixerunt, dicentes, vtinam in deſerto hoc eſſemus mortui; quorum filij imago ſunt eius, quod dictum eſt: Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut pueruli iſti, non ingrediemini in regnum cœlorũ.* Equidem poſt denuntiatam mortem ſceleratorum, reſtabãt filij eorum paruuli, qui ad terram promiſſionis peruenirent, iam tunc prænuntiantes; quod poſt conuerſionem, & culparum caſtigationem, debeat infantilis innocentia requiri, quæ regnum cœlorum obtineat. Naſcente Ieſu audio Angelos cantantes Luc. 1. *In terra pax hominibus*; nec dubium eſt natum eſſe Ieſum cùm pace frueretur imperium Romanum, obſeratis Iani portis; quam ſimilem pacem requirebat Iſaias poſt Ieſu mortem, & in cœlos aſcenſionem, ait enim cap. 57. *Venit pax, requieſcat in cubili ſuo*, &c. Et cur poſt Aſcẽſionem Domini in cœlos veniret iterum pax, quæ fuerat in eius natiuitate? Poſt aſcenſionem Chriſti in cœpta eſt Iudæorum ſceleratorũ vindicta, quæ quadrageſimo anno conſumata deſtructis Iudæis per Veſpeſianum, & Titũ oſtendit iterum pacem, Iani obſeratis valuis; vt vindicta ſceleratorum correſpondens honori dominicæ natiuitatis, moneat omnes, quam poſt culparum caſtigationem debeat vita hominis reſpondere innocentiæ infantili, & ſimplicitati. Accipite Paulũ Oroſium lib. 7. cap. 9. fantem de Tito, & Veſpeſiano: *Qui continuò finito bello, omnibus bellis, actumultibus domi, foríſve compreſſis, pacem totius orbis prænuntiauerunt, & Ianum geminum obſeratis cohiberi clauſtris, ſexto demum*

Luc. 1.

Iſai 57.

Procop.

Pau. Or.

ipſo

ipsi post vrbem conditam censuerunt. Iure enim idem honos vltioni passionis Domini impensus est, qui etiam natiuitati fuerat attributus. Ecce tibi vltio sceleratorum,& natiuitas Saluatoris sibi correspondent, & assimilantur in honore pacis, vt discas post culparum castigationem, quàm debeas assimilari infantiæ Saluatoris,& esse sicut paruulus ille,quo possis obtinere regna cœlorum Quò
Actor. 2. respiciens Petrus dicebat Actor. 2. peccatoribus: *Pœnitentiam agite,& baptizetur vnusquisque vestrum*, &c. Monebat prius castigationem scelerum, & deinde renascentiam ex aqua,& Spiritu sancto,vt sic infantilem assumerent innocentiam, vt nihil de pristinis habeant vetustatibus. In quo erit hominis fœlicitas,& beatitu-
D. Zeno. do humana,vt dicat D.Zeno serm. 26. post baptismum: *Beatus est semper,qui meminit, quod renatus est, beatior, qui non meminerit fuisse antè, quàm renatus sit; beatissimus, qui infantiam suam prouentu temporis non mutauerit.* Tota fœlicitas est hominis adulti, quod post castigatas pœnitentia culpas, eam infantis innocentiam induat,quam non exuat temporis diuturnitate.

Num. 14. Quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, & scietis vltionem meam, quoniam sicut locutus sum,ita faciam omni multitudini huic pessimæ, quæ consurrexit aduersum me: in solitudine hac deficiet, & morietur. Igitur omnes viri, quos miserat Moyses, ad contemplandam terram, & qui reuersi murmurare fecerunt contra eum omnem multitudinem,detrahentes terræ, quòd esset mala, mortui sunt, atque percussi in conspectu Domini. Iosue autem filius Nun, & Caleb filius Iephone vixerunt ex omnibus, &c.

§. XVIII.

Calamitosis hominibus grauior pœna accumulatur ex vnius seruata salute.

MAgna erat Israëlitarum calamitas, quòd omnes adulti in solitudine perirent, quod exploratores statim morti occumberent, perfidiæ pœnas dantes. Sed accipite aliud in calamitate maius,nimirùm,quod pereuntibus cunctis Iosue vnus, & vnus Caleb vixerunt.Quippe habes: *Iosue autem filius Nun, & Caleb filius Iephone vixerunt ex omnibus*, &c. De tot milliaribus extinctis vnus, aut duo euadunt, qui calamitosis
Oros. dolorem augeant.Paulus enim Orosius lib. 2. c. 5. bellum infœlix Romanorum cum Veientibus tractans ait: *Cùm Fabij vere clarissima lumina Romani status speciale sibi aduersus Veientes decerni bellum expetiuissent, spem temerè sumptæ expeditionis primis successibus firmauerunt: dein inducti in insidias, circumuentique ab hostibus,omnes ibidem trucidati sunt,vno tantum ad enuntiandam cladem reseruato, vt miserius audiret patria perditos, quàm perdidisset.* Reseruabatur vnus è tot trucidatis, qui cladem testatus,miseriam augeret,& calamitatem. Nunquam enim vnus reseruatus aliud facit,quam calamitosis dolorem addere; vt quoties auditur,quoties cõspicitur, acerbissimè renouetur totius tragœdiæ re-
Iob 1. præsentatio.Dicebat ille nuntius Iob c. 1. *Filiis tuis,& filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deserti,& concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos,& mortui sunt; & effugi ego solus, vt nuntiarem tibi*: Sanè posset nuntius iste esse de extraneis,qui videns è tuto cladem, eam nuntiaret; sed nõ eligitur nisi domesticus, qui in eodem periculo exstitisset,& sub eodem tecto fuisset,ex cuius tamen ruina solus euaderet.Et cur eligitur non extraneus, sed domesticus, sed eiusdem periculi particeps, qui cladem euaserat? Faciebat hoc ad maximum augmentum calamitatis, vt vnus seruatus illam renuntiaret. Ait D.
D. Chrys. Chrysost. in cat. Græca: *Illud enim, seruatus sum ego, in aliis quidem quidpiam fortassis valeat ad obtundendam animi ægritudinem: hic autem angeat multo magis. Quandoquidem decedentibus liberis solus qui nuntium afferret, superauit.* Solet equidem cùm alius extraneus nuntiat, non ita pungere animum; at cum is nuntiat, qui cum calamitosis fuerit, eorúmque hæserit lateri, qui nihilominus vnus euasit; tunc in eius verbis, & conspectu vehementer augentur calamitates. Nec solum augetur calamitas, sed fit longè magis conspicua, & notabilis cunctis. Quò spectans Dominus sic minabatur Iudæis Isaiæ cap. 30. *Mille homi-* *Isai. 30.*
nes à facie terroris vnius, & à facie terroris quinque fugietis, donec relinquamini, quasi malus nauis in vertice montis. Vbi Theodor. apud Castrum ait: *Si in montis* *Theod.*
vertice vna tantum pinus, aut cupressus sit residua, valde conspicua est,& insignis prætereuntibus. Sic vos pauci relinquemini, ex innumerabilibus myriadibus, vt toto orbe vestra mala sint notabilissima. Hæc ibi.

§. XIX.

Tunc maximè Dei potestas radiat,cum multis aduersantibus,in vno,aut alio sua nouit promissa implere.

ECce duæ columnæ erectæ in gloriam diuinæ potentiæ,nimirùm: *Iosue autem filius Nun, & Caleb filius Iephone vixerunt ex omnibus*, &c. Repugnantibus Israëlitarum myriadibus, & toties contradicentibus Deo,ob quod vniuersi perierunt, in Iosue, & Caleb sua promissa Deus impleuit. Quid ad diuinæ potestatis ostentationẽ euidentius? Aiebat Isaias c. 30. *Fugie-* *Isai. 30.*
tis,donec relinquamini quasi nauis malus in vertice montis. Sic Dei rebelles cadebant, sic ab hostibus petiti ruebant,vt de illis vix vnus,aut alter remaneret. Sicut confractis nauibus malus aliquis in vicino colle ponitur, qui cladem testetur; sic pereuntibus Iudæis,eò res deueniebat,vt vnus,aut duo remanerent. Et cur vnus remaneat, & non potius vniuersi funditus pereant? An nõ posset Deus permittere,vt omnes perirent? Posset, sed tunc maximè ostentantur opera diuinæ potentiæ, cum repugnantibus cunctis,& sibi perniciem afferentibus vel in vno sua promissa Deus deducit ad effectũ. Quò spectans D Hier. ibi fatur: *Quomodo si fracta naui* *D. Hier.*
sola arbor,quæ malus dicitur,remaneat, & ponatur pro signo in summitate montis. Sic pro signo, atque vestigio, vix vnus, & alter resideat ad Dei potentiam demonstrandam. Franguntur, & funditus pereunt potestates mundiales in multitudine aduersantium, in multitudine rebelliũ, non sic potestas diuina, quæ tunc maximè ostenditur, quando aduersantibus cunctis, in vno, aut alio totam suam efficaciam conseruat. Iob c. 38. commendans Dei *Iob 38.*
potentiam in mari componendo ait: *Et dixi. Vsque huc venies,& non procedes amplius,& hic confringes tumentes fluctus tuos.* Hoc sanè fuit diuinæ curæ,vt mare crearetur,quod diuinis præceptis subiectum esset, cur ergo necessum fuit,vt tumentes imo furentes fluctus haberet? Cur non magis fuit creatum tranquillum, & mansuetum? Sapienter D. Chrysost. in cat. Græca ait: *Hac de* *Chrysost.*
causa Deus mare, nec tranquillum, nec mite passus est, vt cum diuino imperio pugnante natura,diuinóque iussu semper vincente,esset Dei potestas prædicabilis. Etenim si foret aqua pacata, ordinis concinnitatem, atque moderationem naturæ aquæ plerique adscriberent: nunc verò conturbata, verberata intrinsecus protusa cum suis finibus excedere nequeat, Dei prædicat potestatem. Sic cum inter furentes fluctus, sese inuicem comprimentes, confringentes Dei integra dispositio seruetur; ibi est diuina potestas manifesta. Ita eodem modo, inter multitudines rebellium, contradicentium, pereuntium deducens Deus sua consilia ad effectum se omnipotentem ostendit.

CAPVT XXV.

De Seditione Core.

Textus Historia.

MOyses Interea ductabat populum;& Aaron sacerdotio fungebatur; quod indigne ferens vtriusque patruelis Core nomine, filius Isaar de Rubenitarum tribu præstantes viros Dathan, & Abiron, atque Hon spe melioris ad regnum conditionis cœpit solicitare. Exarsit subito sæuissimæ æmulationis flamma, qua ij accedentes alios ducentos, & quinquaginta post se ad Moysem interfantur: Eò vsque super populum eleuamini? Cur ad insulas curritis,quando vniuersus populus sacer est?Nõne thronus Dei apud nos est,cuius nutui paremus? Nónne exonerauit Dominus populum suum iugo humano? Cur super nos homines feramus, qui habemus Deum? Tunc Moyses paulisper humi sternitur precaturus Deum,deinde leuatus Corebo,& reliquis factionariis mandat, vt thuribula parent in crastinum, offerántque singuli incensum coram altare, & similiter Aaron ostensurus enim Deus erat, quem sibi ad sacerdotium designaret.

Dies erat,quo in summa populi spectatione oportebat Corebum ire ad tabernaculum; & vocati Dathan, & Abiron à Moyse, venire noluerunt, hominis audaciam ridentes,qui post fallacissima promissa non vereretur tanti populi clauum vsurpare. Processerat ergo Core in tabernaculum cùm sociis suis, processerat & Moyses,& Aaron,quibus appropinquantibus Deus adest, iubétque longè fieri populum à Dathan, & Abiron,& Core vicinitate.Separabatur populus, ridebant illi manentes singuli ad ostium proprij tabernaculi, cùm tremefacta terra ingentem aperit hyatum,quo absorbens miseros,simul extitit illis & sepulcrum,& carnifex. Nec mora exurgens etiam flamma ducentos,& quinquaginta alios factionarios lambit:quorum thuribula in laminas efformata iubẽte Moyse,affiguntur altari,vt omnibus testentur rebellium cladem.Proh duritiem humanam! Vix pereuntium voces audiri desierunt,& in nouos ausus exurgit vesania popularis persequens Moysem, & Aron vsque at altare.In quo tumultu funditùs vniuersi periissent, nisi Aaron arrepto thuribulo se se opposuisset flammis rebelles vorãtibus.

PARS VNICA MORALIS

Circa textum.

ET terram,& ignem experimur in populum rebellem conciratos,vt nos ad diuinum Spiritum confugiamus,qui rore suo & flammas temperet,& terram paret,vt vitæ fructus inde capiamus.

*Num.*16 Ecce autem Core filius Isaar, filij Caath, filij Leui,& Dathan, atque Abiron filij Eliab, Hon quoque filius Phelet de filiis Rubem,surrexerunt contra Moysem, aliíque filiorum Israël ducenti quinquaginta viri proceres Synagogæ,& qui tempore consilij per nomina vocabantur. Cúmque stetissent aduersum Moysem, & Aaron, dixerunt. Sufficiat vobis,quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus, cur eleuamini super populum Domini?

§. I.

Qui se à debita vnitate separat populus,multas in se scissiones patiatur, necessum est.

VIdimus capitibus præcedentibus populum exploratorum vocibus deterritum,fidem diuinis vocibus abnegantem, promissa eius respuentem, regressũ ad Ægyptum meditantem,quo se à Deo,& Moyse diuidebãt,& separabant. Quid tunc? Continuò assuitur Core seditiosus,& factionarius,quipartẽ populi sibi rapiat.Dicit namque: *Ecce autem Core,& Dathan,& Abiron,Hon quoque surrexerunt contra Moysem,aliíque filiorum Israël ducenti.* Et quidem hoc necessum est,accidat; vbi enim populus se à debita vnitate separat; nequit fieri,quin in se multas diuisiones,multas seditiones patiatur.Ahias Salonites Dei spiritu plenus prophetabat Ieroboamo, vt accepturus erat Israëlis regnũ. Et quomodo prophetabat? Ait text.3.Reg.c.11. *Apprehendẽs Ahias pallium suũ nouum,quo coopertus erat,scidit in duodecim partes. Et ait ad Ieroboam:Tolle tibi decem scissuras, hæc enim dicit Dominus Deus Israel:Ecce ego scindam regnum de manu Salominis,& dabo tibi decem tribus.* 3.Reg.11. Quod totum vt significaretur,videtur suffeciſſe, quod palliũ in duas tantum partes diuideretur,paruam alteram,& alteram magnam;& quod magna perdiuisi pallij traderetur Ieroboamo.Cur necessum fuit, quod illi non integra magna pars,sed decẽ scissuræ traderẽtur? Etenim innuebatur,quod populus, & regnum diuisum à debita vnitate non posset manere nisi in continuis scissuris;& diuisionibus, & seditionibus. Rem sic tractat Rup.lib.5.in libros Reg.c.4. fatus: *Cur tot scissuras propheta fecit,cur palliũ suum in duodecim partes scidit? Nẽpe si nihil aliud,quam regni vnius diuisionẽ in duo regna significare volebat,poterat vnũ pallium scindere in duas partes. Quare ergo spiritui Domini sic magis placuit, & tot scissuras fecit? Planè, & in hoc veræ rationis constantia est. Scissum nempe à domo Dauid illud regnum Israël,deinceps aduersus se ipsum diuisum fuit decies, & ita demum desolatum est,vt domus suprà domum caderet.* Rupert. Nequit vnitatẽ se habere,qui à debita vnitate desciuit:Qui quam debebat suo Principi,suo præsuli vnionẽ non tenuit,nũquam in rebus suis vnionem habebit,sed seditiones & scissiones frequẽtissimas tolerabit.Hinc Christo Domino crucifixo à Iudæis ait Matt.28.quod inter portenta alia,& illud accidit,nimirùm: *Petræ scissæ sunt.* Matt.28. Et cur in Iudæorum facinore petræ scissæ apparent? Pulchrè D. Chrys.hom.de cruce,& latrone: *Hodie apud Iudæos,qui mente audaci contra Deum vadunt, petræ scissæ sunt.* Chrysost. Vbi te à tuo capite scideris siue Deo,siue homine,etiam in tuis firmissimis scissiones,& diuisiones cogeris pati.Sẽper equidem scissionẽ scissio sequitur, vt si quis homo debitam cũ alio vnionẽ scindat,cogatur in suis crebras scissiones perperi.Fallar,si quis domi plures filiorũ rebelliones,& tumultus passus est, quã Herodes ille, qui primus alienigena in Iudæorum regnũ venit. Is quot filios habuit,tot rebelles, & seditiosos metuit, occidit tandem Antigonum, & Alexandrum fratris Antipatri insidiis petitòs,deinde,& Antipatrum morti dedit lęsæ maiestatis reo.Et vnde tot filij,& seditiosi,& proditionis suspecta fuerunt Regi parenti? Causam indigitat Egesipp.lib.1.c.35. inquiens: *Habuerat Herodes in consortium Ierosolymitanam fœminam priuato sibi ante sociatam, quæ gratior eo esse debebat, quo fuerat fœlix marito, cum qua regale fuerat adeptus fastigium: Verum immemor gratiæ proiicit Dosidem,sociat Mariamnem Aristobuli neptem, Alexandri filiam. Itaque dum sequitur nobilitatem,in perturbationem incidit,qua sibi domus propria non conueniret.* Egesipp. Itáque vt se malus disiunxit à Dosidevxore,non potuit domi videre conuenientiam, sed innumeras seditiones, & tumultus filiorum fuit perpessus. Sequitur enim scissionem scissio;vt qui debiram vnionem frangere non veretur,nunquam sic sine tumultibus,& seditionibus,quietus.

§. II.

Hon oriserba in ore nonpossunt non reddere animum pacatum.

HOc primum rebellionis telum est,quod rebelles, & pefidi ab honoris verbis erga Moysẽ,& Aaronem

nem abstinent;solum enim aiunt: *Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est*, &c. *Cur eleuamini supra populum Domini*? Expende illa:*Sufficiat vobis*, & illa: *Cur eleuamini*?Sic subditi sine vlla præfatione honorifica,sine vllo honoris titulo, aut nomine ad suos præsules fantur. Nec quicquam magis hostiles animi cauent,quam honoris vocabula, hæc enim in ore posita nequeunt non reddere animum pacatum, vel erga ipsos aduersarios. Nota est omnibus simultas,& hostilitas Saulis erga Dauidem. 1.Reg.20.erat Saul ad mẽsam secunda die calendarum festiuarum,& videns locum Dauidis vacuum,ait: *Cur non venit filius Isai, nec heri,nec hodie ad vescendum*? Longè aliter 1. Reg. 24. postquam Dauid in spelunca pepercerat Sauli, ait textus:*Surrexit autem Dauid post eum,& egressus de spelunca clamauit post tergum Saul, dicens: Domine mi Rex.* Compone modò verba Saulis, & verba Dauidis. Saul nullum honoris verbum promit,nec nomen proprium hominis in ore sumit,quia hoc honori esset Dauidi, si eum nomine proprio Rex compellaret. Et ideò vel hoc hostilis Saulis animus cauit. Verum Dauid nulli honorifico titulo parcit,vt hostem suum compellaret, aiens:*Domine mi Rex*.Et cur quando Saul sic cauet ab honorifica cõpellatione Dauidis, ipse Dauid sic studet Saulẽ honorificis titulis appellare?Saul animi bilẽ retinere conatus,cauet ab honorificis appellationib.hominis sibi infensi:Dauid, vt volebat ab animo omnem hostilitatẽ,& acerbitatẽ effugare, sic verba honoris in hostem tractat,quæ efficacissima sunt,vt reddant animum pacatum. Ait pulchrè D. Chrysost. hom. 2.de Dauide & Saule:*Saul dicebat*,vbi est filius Iesse?*Partim odio proprij nominis,partim sperans fore vt hoc pacto iusti fama contaminaretur. At non itidem fecit beatus Dauid. Neque nudo,simplicique nomine designauit sed dignitatis, & principatus titulo, vsque adeo purum ab omni maleuolentia gerebat animum. Proinde tu illud dicito, ne vnquam inimicum famosis nominibus,sed honorificis appelles. Etenim si os assueuerit eum,qui læsit, honoris, obsequiique nominibus appellare,& animus hæc audiens à lingua doctus, non refugiet cum illo redire in gratiam. Nam ipsa verba remedium erunt optimum vlceris in corde tumescentis.* Non miror quod fugiant honoris verba erga hostes, qui amant retinere animos implacabiles: verba enim honorifica efficacissima sunt ad tollendam omnem animi acerbitatem. Quò refero illud Prouerb.15. *Lingua placabilis lignum vitæ;quæ autem immoderata est, cõteret spiritum.* Quæ in rem nostram clarius ex Hebræo redduntur:*Medicina linguæ lignum vitarum, & peruersitas in ea contritio spiritus.* Est equidem in lingua optima medicina ad vlcus tumescens in corde curandum, & animi acerbitatem,& rigorem excludendum; quoties in illa honoris verba, vel erga ipsos aduersarios esse videntur.

1.Reg.10 — 1.Reg.24 — Chrysost. — Prou.15.

Numer. 16. Quod cùm audisset Moyses, cecidit pronus in faciem, locutúsque ad Core, & ad omnem multitudinem; Mane,inquit, notum faciet Dominus,qui ad se pertineat, & sanctos applicabit sibi,& quos elegerit,appropinquabunt ei.

§. III.

Vbi opera rem testificantur,nullis verbis in contrarium attendas.

ACcusabatur Moyses,quod se supra populum eri-geret,quasi ipse solus sanctus esset, cùm non solum ipse,sed & vniuersa multitudo eisdem sanctitatis notis fulsisset. Quid ad hæc Moyses? Ait textus. *Quod cùm audisset Moyses,cecidit pronus in terram: locutúsque ad Core,& ad omnem multitudinem:Mane, inquit,notum faciet Dominus*,&c. Non verbis, sed operibus testatur causam suam, se se humi sternens, non enim se super omnes erigere curat, qui sic se deiicit ad terram, nec sibi arrogat sanctitatem, cuius probationem Dei brachio remittit. Qius credat attribuentibus eleuationem illi,qui se ad terram vsque prosternit? Quis neget sanctum,quem à Dei manu electum videt?Equidem præclarè Moyses eludit contrariorum dicta, nihil ipse dicens, sed opera exhibens sui animi clarissima indicia. Vbi enim opera proponuntur, quis attendat aduersariorum dictis?Hinc Dauid nactus Saulem inermem in spelunca,non solum pepercit ipse, sed & à percussoribus defendit ipsum, minimam chlamydis partem solá abscidit,quam exhibens pro rei signo 2.Reg.24.*Dixit ad Saul:Quare audis verba hominum loquentium, Dauid quærit malum aduersum te? Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca: & cogitaui,vt occiderem te,sed pepercit tibi oculus meus.* Non verbis accusantium calumnias depellit, sed præsens exhibet opus, operéque salutis præstitæ exhibito, sapienter queritur, quod Rex audiat accusantium verba. Huc stat D.Chrysost.homil.2.de Saule, & Dauide dicens:*Illi quidem,inquit,verbis calumniantur, at egò re ipsa me purgo,ipsisque factis depello crimen. Mihi nihil opus est verbis,cum ipse rerum exitus quauis oratione clarius possit te docere.* Sapienter Dauid vt repellat verba, non verba,sed opera exhibet,opera,inquam, recentia, quæ in præsentia erant,quæ ab omnibus possent videri. Vbi autem talia erant opera, quis verbis attenderet? Matth. 26. de Iesu Domino adductu ad Cayphæ tribunal dicitur:*Et surgens princeps sacerdotum,ait illi: Nil respondes ad ea,quæ isti contra te testificantur? Iesus autem tacebat.* Tacet itáque Iesus aduersus calumnias, & testimonia falsa contra se dicta, nec vllum verbum respondit eis. Sed Psalm. 118. aliter se gesturum aiebat: *Et respondebo exprobrantibus mihi verbum.* Quando ergo se responsurum exprobrantibus promittebat, cur tacet in tanta Iudæorum exprobratione? Cur non respondet? An oblitus est promissionis suæ? Absit,imò tũc adimplet,quæ promiserat;abstinet námq; à verbis habens opera. Descensurus enim vsque ad mortem crucis,indéque ostensurus creaturarum mœrorem,& tristitiam in morte sua,merito à verbis abstinuit, qui talia opera exhibuit. Ait Simon de Cassia lib.13. cap.64. *Non respondebat tunc Christus exprobrantibus sibi verbũ, quod dixerat,aut exprobrantibus vitam eius,atque sermones,verbum non respondebat. Responsum est per creaturas, quæ de ipso moriente testatæ sunt; per insolitas, & horribiles actiones.* Vbi tot erant opera exhibenda tam noua, tam inusitata,non aliam responsionem in verbis quæras. Quæ enim sunt verba, quæ audiri possunt inter opera tantæ virtutis plena?Nunquam non abstinendum à verbis, vbi opera sunt in testimonium exhibenda. Ioann.cap.11.dicebat Dominus:*Lazarus amicus noster dormit,sed vado,vt a somno suscitem eum*: Sic de somno Lazari cum suis discipulis agebat,à quo illum excitandum promittebat,& loquebatur de excitatione faciẽda à somno,quo amicus dormiebat.Post quæ seuerius ait:*Lazarus mortus est*,nec addit:*Vado, vt suscitem eum.* Et cur cum illum dormientem proponit, agit de eius excitatione,& de ea loquitur; cum autem mortuum dicit,nec verbum facit de suscitatione? Vbi dormientem dicit,solum ludebat verbis discipulorum intelligentiam;at vbi mortuum designat, iam se se ad clarissimum resurrectionis opus proprius accingebat, tantúmque opus præstiturus meritò abstinet à verbis. Ait Basil.Sel.serm.40.*Cùm dicit*,dormit,*addit*, Vado, vt à somno suscitem eum:*cum vero dicit*,Mortuus est,*non id adiecit*,Vado,vt exsuscitem, *quæ enim re comprobaturus erat,verbis ante dicere noluit.* Cauit à verbis, vbi opera adeo illustria exhibeat; & merito verborum probatio contemnitur, quando opera sunt, quæ animi virtutes testentur.

2.Reg.24 — Chrysost. — Matt.26. — Psal.118 — Cassia. — Ioan 11 — Basil. Sel

Num. 16. Hoc igitur facite: Tollat vnusquisque thuribula sua, tu Core, & omne concilium tuum; & hausto cras igne ponite desuper thymiama coram Domino; & quemcumque elegerit, ipse erit sanctus: Multum erigimini filij Leui. Dixitque rursus ad Core. Audite filij Leui. Nunquid parum vobis est, quod separauit vos Deus ab omni populo, & iunxit sibi, &c. vt vobis etiam sacerdotium vendicetis, & omnis globus tuus stet contra Dominum, &c.

§. IV.

Contentionibus de primatu vnus Deus potest mederi.

COntendentibus pro primatu sapienter non obstitit Moyses, sed vnum petit, vt causa deferatur ad Deum; ait enim: *Hausto cras igne ponite desuper thymiama coram Domino, & quemcúnque elegerit, ipse erit sanctus.* Et meritò hæc res ad Deum refertur, qui solis iis contentionibus valet opponere efficacem medelã. Similis contentio incœperat inter discipulos Domini
Matth. 20. Matth. 20. disputantes: *Quis eorum videretur esse maior?* quæ consopita ne post dominicam resurrectionem recrudesceret, nihil prius Dominus illis offert, quam
Ioan. 20. pacem. Dicit Ioann. c. 20. *Venit Iesus, & stitit in medio, & dicit eis,* Pax vobis. *Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Gauisi sunt ergo discipuli viso domino. Dixit ergo eis iterum, Pax vobis.* Ecce tibi, vt semel, & iterum illis pacem mandat. Et cur tantus est ipse in pace commendanda discipulis? Cur hoc munus mandandæ pacis non Angelis permittit, qui annuntiauerãt resurrectionem eius? Sanè Angeli, qui natiuitatem nũtiarunt, simul & hominibus pacem nuntiauerunt di-
Luc. 1. centes Luc. 1. *Et in terra pax omnibus*, &c. Cur similiter Angeli nuntiantes resurrectionem, non pacem renuntiant, imò Angelis de pace tacentibus, solus Iesus per se ipsum illam semel, & iterum commendat? Post natiuitatem Saluatoris, & eius prædicationem, incœperat inter discipulos de primatu contentio; iis autem contentionibus (ne serpant) pax, & medela, nisi à
Chrysol. solo Deo, minimè venit. Ex quo aiebat Diu. Chrysol. ser. 84. *Quid repetitæ pacis largitas ista manifestat, nisi quia quietem vult inter eos repetita pacis donatione seruari? Vt & arrogantis iactantiam, tumorémque resecaret, & eius, qui infirmus fuerat, sanaret, & excluderet passiones; imperio pacis suæ bella nascitura compressit. Petrus negat; Ioannes fugit, Thomas dubitat, cuncti relinquunt; quibus nisi pacem suam Christus dedisset: & Petrus, qui primus est omnium, putaretur inferior, & sequens, indebitè forsitan extolleretur aduersus exprimum.* Expende ab illis, nimirùm: *Nisi pacem suam Christus dedisset,* &c. quippe solus Christus Dei Filius pacem eam posset dare, quæ insurrectiones, & contentiones de primatu cõponeret, & temperaret. Semel in cœlis seditio oborta fuit pro se-
Apoc. 17. de primaria, dicit enim Apoc. 17. *Et factum est prælium magnum in cœlo, Michaël & angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt,* &c. Erat sanè hoc prælium de primatu, pro prima sede obtinenda, vt ex Isaiæ c. 14. colligunt communiter interpretes. Pugnabat equidem draco, vt vniuersos angelos traheret in primatus affectum, vt nullus inter angelos maneret, qui de sede primaria non contenderet, at minimè potuit ingerere hanc mentẽ exercitui Michaëlis. Dum fureret draco, contentionésq; excitaret de primatu, totus quantus erat exercitus Michaëlis in summa pace, & cõcordia inter se erat. Et vnde tanta pax angelicis spiritibus esse potuit, eo præcipue tẽpore, quo tanto erat inter alios de primatu dis-
Nazianz. sensio? Id nulli alij tribuit Theologus Naz. nisi Deo; ait enim orat. 1. de Pace: *Ex Angelis, is, qui seditionem concitare, ac supra dignitatẽ suam sese efferre, & supra nubes sedem sibi excogitare ausus est, dignas arrogãtia sua pœnas dedit: reliqui verò in sua dignitate perstãt, cuius primũ illud est, quod pacati sint, atque dissidij experies, quippe qui à sancta, & laudanda Trinitate hoc acceperint vt vnũ sint, quemadmodum & ab eadem illuminationem acceperunt.* Habet hoc lumen, & honor, qui à Deo venit, vt simul vnitatem inseminet, qua prorsus tollatur omnis de primatu contentio. Sic post draconis seditionem in cœlis, vt Angeli à Deo trino illuminari, illustraríque cœperunt, sic & eam vnitatem ebiberunt, qua sunt omnis dissidij, omnis contentionis expertes. Vnus enim est Deus, qui hunc primatus contentiosum affectum valet à suis prorsus euellere.

§. V.

Sic peccatoribus condescendendum est, vt simul admoneantur de pœna imminenti.

NOn obluctatur Moyses seditiosis, sed illis permittit diligentiam facere pro primatu sacerdotij obtinendo; ait enim; *Hoc igitur facite: Tollat vnusquisque thuribula sua*, &c. Sacerdotum erat hostias immolare, thura adolere, & panes propositionis apponere coram Deo, cur Moyses maluit iis seditiosis permittere thuribula incendi, quàm hostiarum oblationes, aut panum appositionem? Erat in thuribulis memoria Nadad, & Abiu filiorum Aaron, qui propter thuribula igne alieno plena consumpti sunt à flamma ab altari veniente. Quando ergo condescendebat Moyses seditiosis, illíque munus sacerdotale permittebat, thuribulorũ munus maluit permittere, in quo possent simul de supplicio admoneri. Quò spectans Abul. q. 6. ait: *Voluit Moyses* *Abul.* *facere experimentum, quod factum est in Nadad, & Abiu, ipsi enim cùm intulissent in thuribulis ignem alienũ, à Domino combusti sunt.* Condescendebat bonus Princeps peccatoribus, & rebellibus, appetitum munus illis permittendo; sed simul voluit vt in tali condescendentia experimentum darent suæ perfidiæ, permittens illis thuribulorum munus, quod adeo noxium ostenderat in Nadad, & Abiu ipsa experientia. Qui ergo principes condescendendum putant flagitiosis, discãt quomodo fructuosè condescendant. Condescendendum quippe est, ita vt in condescendentia, vel supplicij terrore illorum audaciã frænent. Reluctanti Thomæ, & non credenti dicentibus Christi resurrectionem, nisi prius sibi passionis signa monstrarentur; misericordissimè Dominus condescendit. Ait enim Ioan. 20. *Et post dies Octo* *Ioan 20.* *iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis? Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit,* Pax vobis, *Deinde dicit Thomæ. Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Quis non miretur Dei in hominem condescendentiam? Incredulus Thomas petebat sibi vulnera ostendi palpanda, & Deus vulnera incredulo palpanda ostendit. Sed vt sic condescendit hominis incredulitati, simul & indignationis addit illa verba: *Noli esse incredulus*, vt in condescendentia, quid debeat in posterum cauere, præsentiat. Ait D. Chrys. *Chrysost.* hom. 86. in Ioann. *Ipse Iesus primum Thomæ satisfecit desiderio, ostendens superioribus ad discipulos verbis affuisse, eisdem enim vsus est, & acrius castigãdo, & ad futura erudiendo. Nam dixit: infer digitum tuum huc,* &c. *& noli esse incredulus.* Sic bonus magister increduli discipuli condescendit desiderio, permittens illi, vt vulnera diuina scrutetur, sed in condescensu castigationis apponit verba, vt caueat in posterum incredulorum pœnã.

§. VI.

Nunquam sine magnis periculis, & criminibus se quis super alios amat erigere.

HOc vnum obiicit Moyses Corebi factionariis, nimirùm, quod multum ament se super alios leuare; ait

re;ait enim : *Multum erigimini filij Leui*,&c. Et cur non magis obiicit eis temeritatem,audaciam, cito puniendam , aliáque innumera mala, quæ hac rebellione sibi causabant ? Cur omissis tot malis vnum illis obiicit, quod non se contineant in sua dignitate , sed & hoc curent , vt super alios erigantur ? Equidem vbi notantur , quod in vna non quiescant dignitate , sed super alios se erigere curent , in eo solum quælibet alia mala in illis venire persuadet , nunquam enim se quis super alios erigit,quin multis diris, & criminibus subEccles.5. iaceat.Quò spectans Ecclesiastes monebat cap.5.*Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia , & subuerti iustitiam in prouincia,non mireris super hoc negotio,quia excelso excelsior est alius,& super hos quoque eminentiores sunt alij.* Ecce tibi,quia multi sunt gradus excelsitudinum, & dignitatum,alij aliis celsiores,& eminentiores, non mirandum dicit , quod calumniæ sint,& iniustitiæ , & mala multa,quæ perditionem trahant. Et cur tot mala nascuntur ex eo quod sint in Republica multi dignitatum gradus,alij celsiores aliis? Equidem vbi sunt gradus celsiores aliis,necessum est,quod sint,qui non quiescat in primis , sed toto conatu ad eminentiores aduolent, pro quibus obtinendis,(si res petat)nulla non crimina vorabunt,ob quæ & in præsenti,& in futuro vapulent.
Gr. Tau. Iuxta quem sensum monebat ibi D. Gregor.Thaumat. aiens.*Cauendum porrò est ne iis,qui potentia præstant, maiores esse videamur. Nam etiamsi hoc acciderit , tamen ex horrendis cruciatibus , in quos incidemus , nequaquam nos improbitas ipsa liberabit.* Hoc cauendum maximè cuique est,ne curet videri maior potentibus aliis,& super illos se erigere , licèt enim hoc illi accidat iuxta animi sui sententiam, tamen non fiet absque multis iniquitatibus voratis , quibus ad immensos cruciatus debeat mancipari. Et quis se super alios erexit,qui non admisit nefaria , & extremam ruinam cauit ? Petro dicebat
Luc.22. Dominus Luc.22. *Ecce Sathanas expetiuit vos,vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te,vt non deficiat fides tua.* Sanè machinæ diabolicæ ad omnes Apostolos dirigebantur , vt fidem abnegarent , cur Iesus preces suas non omnibus,sed Petro tuendo applicat ? Vt Pe-
Matt.25 trus se super omnes voluerat erigere, cum dixit Matt. 25.*Et si omnes scandalizati fuerint in te,ego nunquam scandalizabor* , sic in maiori erat periculo , ne voraret perfidiam,& in æternum periret;& ideo liberando illi maChryſoſt. gis Dominus incubuit.Ait D.Chryſ.hom.83.in Matth. *Ego inquit, deprecatus sum pro te , ne deficiat fides tua hoc enim,vt vehementius eum tangeret,dicebat, significans eius causam multo peiorem aliorum causa discipulorum , atque ideo maiori etiam patrocinio indigere. Duplex enim crimen erat,tum quia repugnauit,tum quia cæteris se ipsum præposuit.* Et quidem qui se cæteris præponit , multo peior est aliis,vt maxima etiam perfidiæ voret crimina, & se æterna inuoluat perditione.

*Numer.*16. Misit ergo Moyses,vt vocaret Dathan & Abiron filios Eliab. Qui responderunt:Non venimus. Nunquid parum est tibi, quod eduxisti nos de terra,quæ lacte, & melle manabat, vt occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri ? Re vera induxisti nos in terram,quæ fluit riuis lactis, & mellis & dedisti nobis possessiones agrorum , & vinearum ? An & oculos nostros vis eruere?Non venimus.Iratúsque Moyses valde , ait ad Dominum. Ne respicias sacrificia eorum , &c.

§. VII.

Malitia ab aliis deriuata in sectatoribus magis crescit, & augetur.

DVriores in Moysem Dathan, & Abiron inueniũtur,quam Core, is enim nullum malum verbum fecit Moysi , imo illius verbis acquieuit , vt se sisteret cum thuribulis Deo, at illi vocati à Moyse , imperium vocantis contemnunt,insuper & eum duris verbis petunt. Sic enim habes : *Qui responderunt*:Non venimus. *Nunquid parum est tibi,quod eduxisti nos de terra,quæ lacte,& melle manabat,vt occideres in deserto?* &c. Et Vnde hi acriores in Moysem, quàm Core?Nónne Core primus fuit,qui rebellauit ? Nónne de eius malitia venit, quod Dathan, & Abiron incitarentur ? Sanè de Core malitia venit,quod isti concitarentur , & ideò peiores ipsi fiunt in Moysem, & Deum ; malitia enim ab aliis deriuata in sectatoribus solet grandescere. Nefarius ille malitiæ inuentor Matth.4 *assumpsit Iesum,& statuit* Matt. 4. *eum super pinnaculum templi , & dixit ei* : *Si filius Dei es, mitte te deorsum* , &c. Hoc dicebat diabolus , at Iudæi Luc.4. *Surrexerunt , & eiecerunt Iesum extra ciuitatem,* Luc. 4. *& duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas eorum erat ædificata , vt præcipitarent eum.* Non verbis petunt , vt ipse se præcipitet , sed rem aggrediuntur , & facto impetu illum ipsi præcipitare volebant. Plus audaces in Iesum,quàm diabolus , fuerunt; & cur plus audaces , nisi quia ad illos audacia illa de diaboli malitia venerat,quæ in sectatoribus maiori creAmbr. uit augmento ? Ex quo pulchrè D.Ambr.lib.4.in Luc. ait : *In hoc apparet diaboli nequitia & improbitas, quod ita populo Iudæorum vesanæ cæcitatem mentis offudit,vt populus neget,quem dæmones confitentur.O peior magistro discipulorum hæreditas. Ille verbo Dominum tentat,hi facto. Ille dicit* , Mitte te, *isti adoriuntur , vt mittant.* Sic fiebant peiores magistro discipuli ; sic malitia de alio veniens augetur in sectatoribus suis. Genes.4. dicebat : *Adam* Genes. 4. *verò cognouit vxorem suam Euam,quæ concepit, & peperit, Cain :* peperit,inquam,Cain parricidam illum , qui primus Dei misericordiam à se depulit. Vt meritò dicat D.Ambros.lib.1.de Abel,cap.1. *Illa penes authores non* Ambr. *stetit culpa,sed quod peius est , deteriorem inuenit hæredem.* Non mansit in authoribus suis prima hominum culpa, sed vt inde ad alium transcendit,illum primis illis longè deteriorẽ ostendit.Crescit semper malitia, & lethalior fit si ab alio , in alium descendat. Ecce tibi Genes. Genes. 6. 6. ait : *Videntes filij Dei filias hominum , quod essent pulchræ , acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Dixit autem Deus ; Non permanebit spiritus meus in homine in æternum , quia caro est , &c. *Videns autem Deus , quod multa malitia hominum esset in terra* : & post pauca : *Cúmque vidisset Deus terram esse corruptam, omnis quippe caro corruperat viam suam* , &c. Dum Caini genus separatim multiplicabatur in terra , homines erant terreni , & pessimi , sed non dicitur multa malitia fuisse in terra. Vbi autem filij Dei , nimirùm iusti homines cœperunt Caini filias ducere, seséque peccatorum generi commiscere,eorúmque impietatem ebibere;statim iam multa malitia cœpit videri , quæ sic in sectatoribus crescebat,vt malum prorsus irremediabile appareret. Ait Caiet.ibi apud Lyppom. *Perpende pro-* Caietan. *gressum peccati;primum fuit declinatio filiorum Dei ex concupiscentia,deinde multa malitia hominis,& demum corrupta est terra. Vtque ad corruptionem animorum progressa describitur malitia hominum, vt omnino irreparabiles mali mores describantur.* Nullus notatur in Scriptura peccati progressus , dum separatum erat Caini genus;ex quo autem Sethi filij cœperunt Cainitis fœminis commisceri ; illico exarsit concupiscentia,illico multa malitia visa est , illico irreparabilis viguit omnium animorum corruptela. Sic quæ adducitur malitia , progreditur semper in peius. Nec adeò tanta est in authoribus suis, quæ non multum in eorum sectatoribus crescat.Quò respiciens Dominus Matth.23.ait : *Væ vobis Scribæ , &* Matt.23 *Pharisæi hypocritæ,qui circuitis mare,& aridam,vt faciatis vnum proselytum : & cum fuerit factus facitis eum filiũ gehennæ duplo , quam vos.* Itáque Pharisæi multis conabantur trahere gentes ad Dei agnitionem : quod si quem

ſi quem trahebant, tam longè aberat, vt iuſtus fieret, quod & ipſis Phariſæis ſceleratior eſſet. Sed vnde fiebat proſelytus ſceleratior, niſi quia magiſtrorum malitia imbutus, in illa creſcebat? Ait Euthym. ibi: *In duplo autem dixit. Quiſquis enim præceptorem habet prauum, non illius ſiſtit malitia, ſed eius vtens exemplo, ſolet vlterius procedere.* Nunquam enim vnius malitia in ſectatoribus non creſcit.

Euthym.

§. VIII.

Conuitiorum verba duriſſima ſunt ingenuo viro.

IN duriori conflictu Moyſes poſitus, minimè iratus dicitur, vt modò dicitur, nimirùm: *Iratúſque Moyſes valde*, &c. At ſuprà cap. 14. rebellans pene vniuerſa multitudo dicebat: *Conſtituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum. Quo audito Moyſes, & Aaron ceciderunt proni in terram*, &c. Ad tantam rebellionem nõ mutit Moyſes, nec vllam oſtendit iram, ſed tacitus ſe ſternit humi: modò autem ad rebellionem paucorum, ſic ira excandeſcit, vt valde iratus dicatur fuiſſe. Quæ huius commotionis cauſa? In illa rebellione, nullis petebatur iniurioſis verbis, ſed re ipſa deferebatur à cũctis, modò multis petitur verborum conuitiis; dicunt enim: *Nunquid parum eſt tibi, quod eduxiſti nos*, &c. *vt occideres in deſerto, & dominatus fueris nobis? An & oculos noſtros vis eruere?* Nec miror, quod horum conuitiorum certamen plus commoueat iuſti hominis bilem. Poſt verbera, poſt crucem, poſt clauos erat Dominus Ieſus ſublatus in cruce iam morti vicinus, tunc ait Matth. cap. 27. *Prætereuntes blaſphemabant eum*, &c. *Similiter, & principes ſacerdotum illudentes*, &c. *Id ipſum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Tot dolorum tormenta ſuſtinenti, & iam ſub illis agenti animam cur hæc conuitia parantur? Equidẽ vt omni alio tormento maius hoc conuitiorum tormentum in poſterum reſeruatur. Quippe ait Theoph. orat. de Cruce apud Grethſerum tom. 2. *Ad extremum ita traduxit, vt maledictus haberetur, quippe pendens in ligno; quin & improborum more omne genus blaſphemiæ maledicentiæ, & iniuriæ in ipſum exprompſit. Hanc ego tentationem poſitam in verbis duris, & aſperis ſuperatu tantò difficiliorem arbitror, quàm priorem, quantò difficilius eſt triſtia, omniſque iucunditatis expertia tolerare. Quod ipſe tentor planum facit: non enim hanc in poſtremum locum reſeruaſſet, niſi potentiorem eſſe probè nouiſſet.* Et equidem, quæ per opprobria, & contumelias fit tentatio omnium validiſſima ad commouendos ingenuorum animos. Hinc qui vermes corrodentes vocabat fratres, ad amicos contumelioſos ait Iob. c. 19. *Quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini?* Planè vermes eius carnibus ſaturabantur, amici iſti nullũ illi inferebant malum, ſed illum iniuſtum, & peccatorem vocabant; & horum tentationem adeò magnam æſtimabat Iob, vt putaret contortam ab omnipotenti Dei manu pro contundendis eius carnibus; quando tentationem à vermibus corrodentibus ortam putabat venire à fraternis brachiis. Valent enim probroſa verba pluſquam vermes ad homines cruciandos. Ait Author. cat. Græcæ in præſenti: *De carnibus, inquit, meis ſaturamini: præſertim cum probroſi ſermones ad depaſcendos artus ſatis per ſe valeant. Itáque contumelias ipſi vereri debemus, cum illis fratres noſtros verberari intelligamus.* Semper opprobria, & contumeliæ ſolent maximè homines ingenuos vexare. De quo vide ſuprà.

Theoph.

Iob. 19.

Cat. Græ.

§. IX.

Diuiſio à fratribus orationes facit Deo exoſas.

NOn ruinam, non mortem rebellibus ſuis petit Moyſes ex Deo, vnum hoc poſtulat, nimirùm: *Ne reſpicias ſacrificia eorum*: quibus non tam petit, quã oſtendit pœnam decretam iis, qui faciunt inter fratres diuiſionem. Horum enim oratio ſemper Deo eſt inuiſa, & exoſa. Ait Dominus Iſaiæ cap. 1. *Neomeniam, & Sabbathum, & feſtiuitates veſtras non feram: inqui ſunt cœtus veſtri: calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras, odiuit anima mea: facta ſunt mihi moleſta, laboraui ſuſtinens.* Vide vt Iudæorum feſta, & ſacrificia Deo adioſa erãt, & inuiſa. Et vnde tot ſacrificia ſic Deo diſplicebant? Cauſam indigitant illa verba: *Iniqui ſunt cœtus veſtri:* quippe non niſi factionum cœtus inter illos videbantur; quibus diuiſi ſe ſe mutuò impetebant. Ex quo eleganter D. Gaudent. tract. 11. ait: *Sabbatha, inquit, veſtra, non mea; non enim ſunt mea, quæ geritis. Mea Sabbatha, meum ieiunium, ieiunare iubent à vitiis, ceſſare ab operibus malis, & bonis actionibus inhærere. At è contrario veſtra Sabbatha, veſtráque ieiunia litibus inquieta ſunt.* Quid mirum, ſi odioſa ſint Deo ſacrificia à diſſentientibus inter ſe profecta? Ride Chriſtiane ſacra, quæ ſunt ab animo litibus, & contentionibus pleno. Caue tibi, ſi fœdis contentionibus animum inquietes, orationes ſic, & preces fundere Deo, proculdubio repudiaueris, & contempſeris. Sponſa vocans Sponſum Cant. 1. ait: *Lectulus noſter floridus. Tigna domorum noſtrarum cedrina*, &c. Nec audet precari ad ſe aduentum Sponſi, quin diuiſionis fœdæ odorem prorſus excludat à ſuo pectore. Quæ verba expendens D. Bernard. ſerm. 46. in Cantic. fatur: *Miror valdè impudentiam aliquorum, qui inter nos ſunt, qui cùm omnes nos ſua ſingularitate turbauerint, ſua impatientia irritauerint, ſua contumacia, & rebellione contempſerint, ſua inobedientia coinquinauerint, audent nihilominus ad tam fœdum lectulum omni orationum inſtantia totius puritatis Dominum inuitare. At cum extenderitis, ait, manus veſtras, auertam oculos meos, & cum multiplicaueritis orationes, nõ exaudiam. Quid enim? Lectulus non eſt floridus, magis autem & putidus eſt, & tu illuc Regem gloriæ trahis?* Sanè rebellium contumacium, ſeditioſorum pectus non floridum eſt, ſed putidum, ſed fœtidum, ad quod nullis precibus puritatis amator trahitur. Imò impudentia eſt, quod dum diſſentionibus operam nauas, ſacrificia Deo offerre audeas.

Iſai. 1.

Gaud.

Cant. 1.

Bernard.

Num. 16. Tu ſcis, quia nec aſellum quidem vnquã acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum. Dixítque ad Core: Tu, & omnis congregatio tua ſtate ſeorſum corã Domino, &c.

§. X.

Præſtantis Principis ſignum illud eſt, quod alienus ſit ab acceptione munerum.

ADuersùs rebelles hoc vnico ſe munit Moyſes clypeo, quod alienus ſit ab omni acceptione munerum, ait enim ad Deum: *Tu ſcis, quia nec aſellum quidẽ vnquam acceperim ab eis.* Tam alienus fuit à munerum acceptione, vt nec aſellos ſubditorum commodatos petierit, vt eorum vetetur labore. Quid præſtantius in Principe? Ait Prouerb. 15. *Conturbat domum ſuam, qui ſectatur auaritiam, qui autẽ odit munera, viuet.* Septuag. legunt: *Perdit ſe ipſum acceptor munerum: qui autem odit munerum acceptiones ſaluatur.* Ecce tibi & ſalus, & perditio Principum in quo conſiſtant, nimirùm ſi munera petant, ſi accipiant, perdunt domum ſuam, perdunt ſe ipſos, ſi oderint acceptiones munerum, & ſuam præſtãtiam oſtendunt, & maximam ſibi faciunt ſalutem. Notiſſimi ſunt duo reges vncti à Samuele, alter perdendus in regno, alter maximè confirmandus, is erat Dauid, ille Saul. De hoc ait text. 1. Reg. 8. *Cũ aſpexiſſet Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir, quem dixeram tibi, iſte dominabitur populo meo.* De illo autem ait c. 16. *Directus eſt ſpiritus Domini à die illa in Dauid.* Itáque Rex perdendus Saul, Rex autem confirmandus Dauid vocatur

Prou. 15.

1 Reg. 8.

vocatur, nec sine mysterio, sed vt in nominibus ipsis & perditionis,& salutis inueneretur causa, Saul enim idem est ac *petitio*,Dauid autem *manu fortis* explicatur. Nec miror,quod qui adeò manibus fortis est,vt ad nulla munera accipienda emolliatur, is in regno stabiliatur, ille verò corruat, qui totus in petendo esse monstratur. Ait Ruper.lib.1.in lib.Reg.cap. 21. *Mysterium hoc iam in promptu est, quod dæmoniacus Rex Saul furiosum peccati regnum, Dauid autem pacatum iustitiæ regnũ significet,primum nominibus, deinde rebus. Saul námque* petitio,*Dauid autem* manu fortis *interpretatus*. Itáque nomina horum Regum & destruendum regnum peccati, & stabiliendum pace iustitiæ regnum significabant.Qui enim *petitio* dicebatur,nihil non ominosum, & sibi, & regnis præmonstrabat; quando Princeps multus in petendo,& accipiendo, vix fieri potest,quod cum principatu suo non cadat.Ille fortiter in solio cõfirmatur,qui adeò manu fortis est, vt fœmineam munerum accipiendorum mollitiem minimè captet.Crede mihi,nullus fortis stat in principatu administrando, qui patulas prætendit ad recipiendum manus. Hinc de vero, & æterno Rege Iesu ait Matt. 27. *Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum,& Pharisæi.* Et in quo ostendebatur potestatẽ habens,& non sicut Scribæ,& Pharisæi?Isti manus habebant patulas ad accipienda munera, ex quo nec fortitudinem, nec potẽtiam habere poterant in principatu. Iesus autem ab omni acceptione munerum abstinebat, ideò in omnibus ostendebat suam indefectibilem potestatem.Ait Rup.de Operibus Trinit.lib. 1. in Euang. c.19. *Potestate se priuant,qui cum quippiam ab aliquo accipiunt, illum censent militem bonum,qui autem non dederint aliquid in ore eorum,sanctificant super eos bellum. Hoc Rex iste non faciebat, idcirco sic dictum erat:* Erat enim docens eos,sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ,& Pharisæi, *id est, non sua quærendo contemptibilem faciebat docendi authoritatem, quemadmodum illi.* Quæ authoritas contemptibilior ea,quæ tota est in petendo, & accipiendo? Fallar si hæc diutius possit conseruari, quin rideatur,& contemnatur.

Rupert.

Matt.27

Rupert.

Num.16. Locutúsque Dominus ad Moysem, & Aaron,ait.Separamini de medio congregationis huius,vt eos repente disperdam. Qui ceciderunt proni in faciem atque dixerunt Fortissime Deus spirituum vniuersæ carnis,num vno peccante, contra omnes ira tua desæuiet? Ait Dominus ad Moysem: Præcipe vniuerso populo,vt separetur à tabernaculis Core, & Dathan,& Abiron.

§. XI.

Res Dei à mansuetudine, & misericordia probatur.

IRato Deo,perditionémque rebellium tranctanti sese opponunt Moyses, & Aaron, dum procidentes aiunt:*Fortissime Deus spirituum vniuersæ carnis,num vno peccante contra omnes ira tua desæuiet?* Sic Deum iratum mansuefaciunt laborantes,ne in die vindictæ mansuetudinis,& misericordiæ obliuiscatur. Cur non potius magis eius iram exacuunt in rebelles? Cur non magis crimina eorum turbant, & exaggerant, potius quàm minuant dicentes: *Vno peccante,*cum multi peccarant? Equidẽ in hoc sese ostendebant esse à Dei parte, quod de mansuetudine, & misericordia etiam in rebelles tractabant.Aiebat de se Nazian.orat.32.*Verum nos pro Christo bellum gerere hoc argumento planum facimus,quod secundum Christum, qui mitis, ac pacatus est, atque infirmitates nostras portauit, dimicamus.* Ecce tibi argumentum clarissimum,quo ostendemus nos rem Dei agere, ab eiúsque parte stare, nimirum, quod nihil rigidum, nihil seuerum, sed omnia mitia, & mansueta curemus monstrare. Hoc debet esse primum propositum eius, qui Dei agit partes, vt mansuetudo, & misericordia eius clareat. Semel & bis mulier Chananæa experta fuerat Iesum inexorabilem; imò & semel iam ab illo repulsa fuerat vt vilis canis.Quid tunc? Ait Matt.c.15. *Et accedentes discipuli eius rogabant eum,dicentes: Dimitte eam,*&c.Rogabant,inquam, vt eam dimitteret non vacuam, sed plenam salute optata:Sed mulier nihil ab Apostolis petierat, vnde ergo illi rogatores fiunt apud Iesum pro illa,quod nõ legitur ab illis factum in aliis? Viderant mortuum hospitem suum Lazarum, & non rogant pro illo,cur modò rogant pro hac fœmina?Veri Christi amatores,tunc rogant, quando vident seuerum,& rigidum verentes, ne cui Dominus seuerus videatur,sed magis eius misericordia clareat. Ait Paschasius lib.7.in Matth.fatur: *Discipuli pro hac Dominum interpellant,per amore piissimi magistri, ne quasi cuipiam durus videretur;imò, vt misericors fieret,exorabant.* Quasi Dei causa periclitaretur,vbi durities sola exhibebatur; sic Dei amatores accurrunt, precibus suis exorantes, vt misericordia,& benignitas pateat. Nullo enim magis Dei spiritus, quàm à misericordia commendatur. Non qui seruiunt diuinæ iræ, sed qui misericordiæ diuinæ extorquendæ seruiunt,ij sunt ex parte Dei. Accipite huius rei luculentissimum testem D.Synesiũ, qui epist. 57. sic fatur: *Non enim calamitatum instrumenta molitur Deus,sed sua sponte,& natura ad hoc accommodatas in promptu habet. Et quoniam tu ad id idoneus es, hoc est, quod te à Deo penitus abscindit. Ita vas aliud inhonoratum, aliud pretiosum est. Abrahamum humanitas Dei conuiuatorem fecit: flagellum detestandum,iræ enim minister est. Pœnarum vero administræ naturæ à Deo sunt prorsus auersæ. Etenim quod destruendi vim habet, conditori haud dubiè repugnat.* Pulchrè sanctus doctor differit de vasorum differentia in armariis Dei; vt alia sunt in honorem, alia in contumeliam; in honorem sunt vasa illa, quæ semper misericordiam propinant, quæ nihil aliud præstant,quam benignitatis, & humanitatis ministeria; vt Abrahamus solicitus semper pro humanitate exhibenda,pro iustitia, vel de Sodomis repellendis. Is tam pretiosum vas fuit,vt potuerit seruire conuiuanti Deo. Quid pretiosius? Sanè semper se à parte Dei misericordia tenet. Vas autem in contumeliam illud es,quod iræ deseruit, quod à Deo maximè alienum est,nec vllo magis quis se à Deo abscissum ostendit,quàm si semper inueniatur promptus non ad aliud, quàm ad pœnam inferendam.Meritò enim dicit: *Pœnarum administræ naturæ à Deo sunt prorsus auersæ. Etenim quod destruendi vim habet, conditori haud dubiè repugnat.* Hinc Dauid infensissimum sibi, & Deo hostem nactus, nimirùm Saulem, cui debitam inferre poterat mortem,sociis ad id impellentibus fortiter restitit aiẽs, 1. Reg. 24. *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo.* Quod meditatus D.Basil.Sel.orat.16. ait: *Animus Dauidis ibi haud superari potuit.O generosum pectus, & soli gratiæ seruire gnarum.* Expende vnde generositatem,& pretiositatem Dauidis ponderet, nimirùm,quod soli gratiæ,non iræ, non rigori iustitiæ seruire gnarus fuerit. Equidem erat vas ad honorem electum,vbicunque res Dei fuerit, quæ ex misericordia commendetur.

Matt.15

Paschas.

1.Reg.24

Basil.Sel.

D. Synes.

§. XII.

Spiritus Dei est cunctari ad pœnam.

INflicturus pœnam rebellibus Deus, prius præcepit separari ab illis populum reliquum; ait enim:*Præcipe vniuerso populo, vt separetur à tabernaculis Core,* &c. Cur necessaria fuit hæc populi separatio? Nónne posset & rebelles perdere, quin ab illis cæteri separarentur?

rarentur ? Posset equidem Deus nullis separatis perdere rebelles, sed cunctabatur in perdendis illis, & di-
Gen 6. lationes quærebat, antequam pœnam inferret. Sic Gen. 6. deleturus homines diluuio ait ad Noë : *Finis vniuersæ carnis venit coram me ; repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra : Fac tibi arcam*, &c. Posset Deus Noëmum & sine arca saluum facere, vt de facto sine arca saluum fecit Enoch, ne diluuio absorberetur. Ad quid ergo maluit in arca saluare Noëmum ? Bonus dilationes pœnæ inferendæ quære-
Bas. Sel. bat. Ait D. Basil. Sel. orat. 5. *Erat enim facile, vel absque ligno Noëmum saluare. Sed ipsum primum constituit lentũ arcæ ædificatorem, vt vel ex visis concepta formidine, intuentes ad pœnitentiam traherentur. Erat & hoc diuinum in hominum gratiam commentum, inuitamento ad pœnitentiam.* Is est Deus, qui semper soleat tardare, & dilationes quærere, antequàm inferat pœnam ; vt det lo-
Exod 7. cum resipiscentiæ, & veniæ obtinẽdæ. Similiter Exod. 7. mittens Moysem, vt Israëlem educat à seruitute ait: *Ego indurabo cor Pharaonis, & multiplicabo signa, & ostẽta mea*, &c. Et quidem sic multiplicauit signa, vt decẽ plagas immitteret, antequam Ægyptios cum Pharaone funditùs perderet. Et cur in prima resistentia Regis illum non perdidit, sed toties expectauit, vt egressus
Bas. Sel. populo impediretur ? Ait D. Basil. Sel. orat. 9. *Talis erat hominum cum Deo contentio. Impedire se tantisper ab hominibus patiebatur, & promissioni suæ de Israële liberando animaduertens iniuriam obici, ferebat, pœnitentiæ spe supplicium differens procrastinánsque punitionem, vt sensum, notitiámque sui daret Ægyptiis.* Sic bonus procrastinabat pœnam inferre, qua pœnitùs Ægyptij delerentur, vt spatium haberent pœnitendi. Nihil enim magis proprium Dei est, quam impedimenta pati, & dilationes, ne miseri peccatores subitò ad pœnam trahantur.
Luc. 16. Sic Luc. 16. *Homo quidam erat dives, & habebat vilicum: & hic diffamatus est apud eum : quod dissipasset substantiam eius, & vocauit eum, & ait illi: Quid hoc audio de te?* Et quidem sciebat Dominus delicta illius, non tamen dicit illi, *ego scio de te* ; sed placuit dicere : *Quid hoc audio* ? Et cur potius audita profert, quàm scita, nisi vt
Chrysol. dilationẽ admittat iudicij ? Ait Chrysol. ser. 126. *Cognita velut audita imputat, quia in reum non vult accelerare sententiam ; & conuictum penes se, velut accusatum conuenit, qui iudicium gestit venia sic præire.* Qui possit conuictum ostendere reum, maluit accusatum ostendere, ne citius iudicium finiretur, sed tempus dilationis esset, quo reus sibi caueret.

Num. 16. Surrexítque Moyses, & abiit ad Dathan, & Abiron, & sequentibus eum senioribus Israël, dixit ad turbam : Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quę ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum. Cùm recessissent à tentoriis eorum per circuitum : Dathan, & Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum, cum vxoribus, & liberis, omníque frequentia.

§. XIII.

Inter perditorum turbas nemo non perditus inuenitur.

NOn otiosè dum iubet fugere à tabernaculis impiorum, eo verbo vtitur, nimirùm : *Ne inuoluamini in peccatis eorum* ; vt enim res, quæ multis est linteolis inuoluta non apparet, non inuenitur etiam requisita, sic quisquis est inter perditorum turbas, adeò obscuratur, & inuoluitur inter eorum errores, vt ad
Cant. 1. salutem fere inueniri non possit. Quò respiciens sponsa Cant. 1. iuxta Septuag. lectionem ait : *Annuntia mihi, quem dilexit anima mea, vbi pascas, vbi cubas in meridie, ne fortè efficiar sicut adoperta super greges sodalium tuorum.* Equidem quæ inter greges errantium vt exponit Orig. Augustus & alij ambulabat, in periculo erat, ne sic palliis inuolueretur, amiciretur, vt nequaquam posset inueniri. Quò spectans D. Aug. epist. 48. lege-
D. Aug. bat : *Ne forte fiam velut operta, id est, occulta, & ignorata.* Et Nyssen. hom. 2. in Cant. *Ne quando fiam tanquam amicta in gregibus sodalium tuorum.* Et quid est amiciri, operiri, ignorari ? Ipse explicat : *Ne fonte congregetur cum gregibus alienis à tuis ouibus.* Ex quo enim subeat alienorum consortium, illud accidet, quod sic inuoluatur, amiciatur, operiatur, vt inueniri minimè valeat. Hinc Gen. 19. postquam Loth clauso ostio familiam
Gen. 19. suam à Sodomitis diuisit, audit ab Angelis : *Surge : Tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes.* Iuxta Hebræũ legitur : *Et duas filias, quæ inueniuntur.* Et quæ filiæ non inueniuntur à parentibus ? Erant fortè Loth aliæ filiæ traditæ viris, & factæ extra eius domum ; vel saltem erant cognati, & propinqui aliquo affinitatis genere, qui foris manebant inter perditorum turbas, respectu quorũ dicuntur filiæ domi existentes inuentæ, quando quisquis agit inter perditorum turbas perditus censetur funditùs. Ait Caiet. *Iuxta Hebræum habetur, duas fi-*
Caiet. *lias inuentas, siue quæ inueniuntur. Ad differentiam aliorũ pertinentium ad Loth quocunque affinitatis, vel consanguinitatis vinculo, qui non erant domi, tanquam & istæ filiæ relictæ fuissent, nisi inuentæ fuissent cum Loth.* Equidem quæ domi erant cum patre iusto inuentæ nominantur ad differentiam aliorum, qui foris essent inter perditorum turbas, qui nullo modo inuenirentur ad salutem, sed in extremam perditionem irent. In quantum hæ domi erant cum patre, merito inuentæ dicuntur, si extra fuissent, inter impios, & ipsæ deperditæ fuissent. Quis enim in consortio perditorum non sentiat perditionis periculum ? Isaias c. 6. clamat : *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Sibi væ annuntiat tantus pro-
Isaias 6. pheta tribus de causis, nimirùm, quia tacuerat, & quia polluta habebat labia, tertiò quia inter pollutos habitabat. Ex quo sapienter monet D. Hier. epist. 1. ad Da-
D Hier. masum : *Prouidendum igitur sub hoc exemplo, non solum vt ipsi simus iusti, sed ne cum peccatoribus moremur, quia & hoc in peccati, ac miseriæ parte ducit propheta.* Planè non modica miseriæ, ac perditionis pars est, quod moreris inter errantes, quando vel sanctissimus propheta inde traxit, quod plangat.

§. XIV.

Non sic commoda temporalia, vt incommoda disponunt humanas mentes, vt Deo pareant.

MIrabar, quod Dathan, & Abiron post tot supplicia visa in rebelles, & contumaces, vident etiam Moysem separantem populos impauidè. Cur in hac separatione non magis flectuntur, vt Deo pareant ? Cur imminentis supplicij timor homines Moysi obedire non facit ? Ecce causam : *Dathan, & Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum, cum vxoribus, & liberis, omníque frequentia.* Dum in bonis suis sunt, inter vxorum, filiorúmque suauitates, inter frequentiam obsequentium, ministrantium, vel audita denunciatione supplicij, vel visa aliorum separatione non flectuntur, vt Deo pareant. Non enim commoda hæc temporalia ad obediendum Deo disponunt humanos animos, vt illos disponunt incommoda, & mala. Adamus in paradiso peccauit, & audiens diuini iudicis vo-
Gen. 3. cem, non compungitur, ait enim textus Gen. 3. *Vocauit Dominus Deus Adam, & dixit ei*, Vbi es ? *Qui ait: Vocem tuam audiui, in paradiso, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me.* Fatetur se iudicis vocem audiuisse, & timore correptum fuisse, & latebras quæsiuisse propter nuditatem, at de peccato, de quo quærebatur, nullum

nullum facit verbum,nec vllum responsum dat, quo se ostendat velle satisfacere Deo. Longè aliter aiebat
Iob 13. Iob cap.13.vbi sic: *Voca me, & ego respondebo tibi.* Vel ad minimam Dei vocationem promittit se statim responsurum. Et quando Adam inter iudicis voces nihil salutare respondit, vnde hic respondit animo promptissimo? Innuebatur in Iob Iesus positus in cathedra crucis; homo enim Deus in cruce constitutus optimè respondit, & correspondit mandatis diuinis, ad quæ minimè respondebat homo existens in paradiso, licet perciperet voces incorrupti iudicis. Pro quo aiebat
Ruperi. Rup.lib.1. Sapient. c. 15. *Ille primus homo,qui vocabatur,abscondit se à facie Domini Dei, in medio ligni paradisi,& nihil boni respondit. Hic secundus homo vocatus adstabat ante faciem Dei in medio ligni crucis, & respondebat perfectam,atque omnimodam obedientiam patri.* Qui in paradiso erat homo etiam audiens iudicis aduentũ, nil cogitat,nil respondit salutare,nec à paradisi deliciis habet,quod se subdat Deo; at qui in crucis tormentis agebat,ipse sic se composuit, vt perfectissimè responderet diuinæ voluntati, omnimodámque exhiberet obedientiam patri. Non equidem à paradisi bonis,sed à crucis malis perfecta hominis ad Deum obedientia claruit. Et quando à commodis temporalibus non oriuntur perditionis causæ? Post immensos bellorum
2.Reg.11. labores quieuit Dauid,& vt ait 2.Reg.11. *Accidit quadam die, vt surgeret Dauid de stratu suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ. Viditque mulierem se lauantem,* &c. Multas sæpe aliàs fœminas, & valdè pulchras viderat; cum prostrato gygante veniebat, Israëlitas puellas cantantes suas laudes audit,& nihil humanum passus est, totus intentus diuinis mandatis, nunc vt vidit fœminam,insaniuit,à voluptate raptatur. Cur hoc? Ait text. *Cùm deambularet in solario domus regiæ.* &c. Quippè vbi inter domus regiæ delicias erat, non miror, quod quauis data occasione contemneret
D. Aug. diuina mandata. Ait D. Aug. hom.21.ex 50. citatus in Glossa: *Adulterium simul, & homicidium non fecit Dauid cum persecutorem Saulem pateretur, cum per diuersa loca fugiebat,non cupiuit alienam. Erat in infirmitate tribulationis tanto in Domini misericordia intentior, quanto miserior videbatur.* Sic de incommodis Dauid discebat Deo obtemperare; cuius mandata contempsit inter commoda domus regalis. Ipse dum sibi inimicum Saulem inermem,& solum inueniret in spelunca, etiam à
1.Reg.24 suis incitatus vt eum percuteret, clamat 1.Reg. 24. *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domino, vt mittam manum meam in eum.* Verum nactus fidelem militem Vriam 2.Reg.11. scripsit ad Ioab per manum Vriæ: *Ponite Vriam ex aduerso belli, vbi fortissimum est prælium; & derelinquite eum, vt percussus intereat.* Compone modò prima cum secundis; antea hosti parcebat; modò nec parcit fideli amico. Vnde? Antea delitescebat in spelunca,modò sedet in
Chrysost. regalibus deliciis. Ait D. Chrysost. hom. 54. ad Popul. *Tunc quidem cum in tribulatione foret, & inimicis parcebat; post hæc verò nec amicis,nec his,qui nullam intulerant iniuriam.* Proh commoda temporalia quam imparatos facitis humanos animos, vt amittant salutaria!

Num. 16. Et ait Moyses: In hoc scietis, quod Dominus miserit me, vt facerem vniuersa, quæ cernitis, &c. Si consueta hominum morte interierint,& visitauerit eos plaga, qua & cæteri visitati solent: non misit me Dominus, &c. Confestim igitur vt cessauit loqui,dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderúntque viui in infernum operti humo,& perierunt de medio multitudinis.

§. XVI.

Sic castigantur rebelles peccatores, vt viui sæpe in contraria veniant eorum,quæ malè appetiuerunt.

NOn miror, quod ij miseri castigentur à Deo, sed illud stupeo, quod adeò inusitato more castigentur, nimirùm descendentes viui in infernum. Ait enim textus: *Descenderúntque viui in infernum*, siue quod viui vsque ad ipsam gehennam peruenerit, siue quod per longum voraginis spatium cadentes viui adhuc in profunda fouea se viderent, donec tandem morerentur humo operti. Sed cur voluit Deus vt ita vorarentur à terra, vt viui vsque ad profundissimum fundum voraginis raperentur? Ambierant ipsi supra suum statum ascendere, seséque supra omnes alios constituere; sicque factum est, vt eo supplicio afficerentur, quo ad eum profundum viui deiicerentur, ad quem nullus alius homo viuus potest deiici. Hæc est propria rebellium peccatorum pœna, qua se videant in contrariis eorum, quæ ambierunt. Similiter Ozias Rex ambiuit ipse sacerdotium munus, & incensum Domino offerre. Quid tunc? Ait 2. Paral. 26. *Iratúsque Ozias, & tenens in manu thuribulum,vt adoleret, incensum minabatur Sacerdotibus: Statimque orta est lepra in fronte eius,* &c. *Cúmque respexisset eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui sacerdotes:festinato expulerunt eum,* &c. *Fuit igitur Ozias Rex leprosus vsque ad diem mortis suæ,& habitauit in domo separata.* Expende ausum, & pondera pœnam: cùm Rex esset, audet ambire aliquid supra regnum,nimirùm sacerdotale decus; & qui male ambiuit aliquid supra regnum,eo deuenit, vt exclusus à regia in domo separata degeret destitutus ab omni humano conuentu. Rem pulchrè ponderat D. Chrys. Chrysost.
hom.5. in præsenti fatus: *Ingressus Ozias vt sacerdotium vsurparet,& regnum perdidit. Ingressus est, vt èsset venerabilior, & factus est execrabilior. Nam quouis homine priuato post lepram erat execrabilior.* Ecce qui se malè supra ipsam dignitatem regiam erexerat, à Deo castigatus eo deuenit, vt priuato quouis homine inferior esset. Et qui ob sacerdotale munus venerabilior ambiuit esse,id supplicium incurrit, dum lepra exeditur, quo execrabilior omnibus fieret. Iustissima enim est peccatorum pœna;qua se videant in contrariis eorum, quæ malè appetiuerunt. Similia inuenies in Nabuchodonosor,de quo Daniel cap.4. Respondítque Rex, & Dan 4.
ait: *Nónne hæc Babilon ciuitas magna quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei; Cùmque sermo adhuc esset in ore Regis vox de cœlo ruit: Tibi dicitur: Nabuchodonosor rex; Regnum tuum transibit à te,& ab hominibus eiicient te, & cum bestiis, atque feris erit habitatio tua, fœnum quasi bos comedes.* Gloriabatur miser de ciuitate magna, & hominum frequentissima, quam sibi pro domo constituerat, & rapitur ad ferarum, bestiarúmque conuictum, & cubila. Et qui Regem se esse effinxerat gloriosissimum, fit bos comedens fœnum cum brutis. Vt Vt meritò dicat de illo D. Greg. lib.5. Mor. cap. 6. citatus in Glossa: *Qui elatione cogitationis se super homines* D. Greg.
extulit, ipsum, quem cum hominibus communem habuit sensum,amisit. Et Theodoretus etiam in præsenti dicit: Teod.
Quia non satis ei fuêre ædes regiæ in terris deorsum, sed simul etiam superiores dementer apetiit; his etiam priuatur, quas deorsum obtinebat, & qui cœlum rapere voluerat, è terra quoque expellitur. Sic ipse qui sese supra homines extulerat, vidit se viuum numerari inter feras, in nullo differens ab eis. Quid de pessimo Antiocho memorem? De illo ait 2. Machab. 9. *Superbia re-* 2 Mac 9
pletus ignẽ spirans animo in Iudæos,& præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere & graui corpori collisione membra vexari. Isque qui sibi videbatur fluctibus maris imperare;supra humanum modũ

superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans. Ita vt de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentis in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius, & fœtore exercitus grauaretur. Et qui paulò ante sydera cœli contingere se arbitrabatur, eũ nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. Quanta hæc deiectio superbissimo Regi? Sed illud expende, nimirùm: *Viuentis in doloribus carnes eius effluerent:* Viuens, viuens ipse videbat se humi tanto fœtore putrescere, quo à nemine sustineretur. Vt dicat Gorionid. de illo lib. 3. c. 12. *Addidit Dominus plagã super plagã, vt inciperet totũ corpus eius fœtere, instar cadaueris proiecti tempore æstatis in superficiem campi. Subleuantes tamen eum paululum in humeros suos, rursum abiecerunt eum in terram, & fugerunt ab eo; quoniam nemo poterat accedere ad eum propter intolerabilem fœtorem huius sceleśti viri, ac hostis Dei.* Sic qui imperium elementorum, & astrorum habenas à se teneri putabat, viuus humi iacebat, tanquam cadauer proiectum, cuius fœtorem, & spurcitiam nemo sustineret. Meritò de iis sceleśtis Dei hostibus ait Ierem. Thren. 4. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Facit enim sæpe iustitia Dei, vt isti antequam è viuis excedant, videant sibi eminere contraria eorum, quę prosecuti fuerant.

Gorion.

Tren. 4.

§. XVI.

Partialitates, & diuisiones qui amant, eas metuant perpeti in creaturis, sub quibus pereant.

COre, Dathan, & Abiron sese à Moyse diuiserant, imò & populi vnionem disruperant, sibi partem præripientes; nec miror, quod sub illorum pedibus sese terra abrumpat, vt eos deuoret. Dicit enim textus: *Disrupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos:* &c. Et cur non disrumpatur terra aduersùs eos, qui populi vnitatem disrumpunt, in factionésque varias diuidunt? Mirum erit si partiarij non similia inueniant in creaturis, vt pereant ipsi. Ionas cum missus esset prædicare gentibus, detrectabat munus suo populo nimis addictus illi soli bona cupiens. Ascendit igitur nauem, vt fugiat à munere, vela pandit, sed vix se fluctibus committit cap. 1. *Et facta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri?* Et quod mirere magis, illud supponitur à multis sacris expositoribus, quod tempestas solam Ionæ nauem impetebat, manentibus multis aliis nauibus in tranquillo. Sed cur tempestas vnam solam nauem Ionæ persequebatur relictis aliis tranquillis? Cur non æqualiter in omnes sæuiebat? Equidem vt Ionas partialis erat, adeò suis addictus, vt nationum commoda fugeret, ita decuit, vt etiam partiales experiretur fluctus, qui cæteris nauibus non nocentes, funditus perderent Ionæ nauiculam. Pulchrè ait D. Bas. Sel. orat. 12. *Quid igitur hinc discemus? Quod partiaria fuerit, vti videtur, maris fluctuatio, quódque procella hanc vnam verset naue, fluctúsque naui impingerẽtur vndique, & quod aliis pacatũ mare aduersus hos duntaxat armaretur, necnon quod alios placidè trãsmitteret, cum his vero concurrens tẽpestas fugacẽ Ionam inuestigaret.* Expẽde illud: *Quod partiaria fuerit*, &c. Quippe cum homine partiario, qui pro suis solis stabat popularibus, volens vt in gratiis, & fauoribus manerẽt ab aliis diuisi, qui aliis inuidebat fortunã, & gratiam Dei, non miror, quod & fluctus, & ventus, & mare partiarij existant, vt faciant illum perire.

Bas. Sel.

Num. 26. Et factum est grande miraculum, quod Core pereunte, filij eius non perirent.

Num. 16. At verò omnis Israël, qui stabat per gyrum, fugit à clamore pereuntium, dicens: Ne forte & nos terra deglutiat. Sed & ignis egressus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum.

§. XVII.

Valde monstrosum esset, & contra naturam, quod filij non adsint parentibus in ipsis periculorum articulis.

POterat Deus populares suos saluare, etiamsi pereũtibus rebellibus immisti fuissent; sed ne id miraculo fieret, præcepit prius ab illis separationem. Qui enim per solam separationem ad rebellibus saluari possent, non erat decens vt per miraculum saluarentur, vt D. Aug. sapienter notat. q. 27. in Num. Sed etiam filij Core sine miraculo saluari poterant, per hoc solum, quod tempestiuè à parente separarentur; voluit tamen Deus hos per miraculum saluare. Ait enim: *Factum est grande miraculum, quòd Core pereunte, filij eius non perirent.* Quippè dum Core vorabatur à terra, filij eius in aëre manserunt, donec rursus terræ partes, quæ ad vorandos reos dehiscerant, coniungerentur. Sed cur Deus tanto miraculo maluit liberare filios Core, quos sine vllo miraculo per solam indictam separationem liberare posset, vt liberauit reliquum populum? Nónne æquè facile, & æquè benè filij separari potuissent à Core, ac se separauit populus? Absit, imò, & mõstrosum valde esset, & prorsus contra naturam, quod filij separarentur à patre, eò præcipuè tempore cum pater esset in periculis perditionis iam denunciatæ à Moyse. Hinc Deus in seruandis popularibus abstinuit à miraculo, quia æquè benè saluari poterant per solam à reis separationem; in filiis autem Core seruandis, maluit miraculo vti, ne cõtra naturam accideret, quod filij non adhæserint parenti in ipso periculo mortis. Non enim à Deo, sed à malo solet venire, quod tempore periculi à chariśimorum latere seiungamur. Quò aspiciens aiebat D. Synesius epist. 126. Asclepiadoto data: *Necesse erat vehementiorem esse huius mali impetum. Atque ob id, Dæmon ille cui curæ est, meis vt rebus noceat, ante hoc prouidit, vt ne tu quidem amicissimum mihi caput adesses.* Meritò dæmonis agnoscit facinus, quo potuerit quis ab amico separari tempore calamitatis instantis. Vnius enim diaboli commento factum est, vt filij præriperentur Iobo venturo in ægritudinum ca-calamitatem. Cui enim filio diuina virtus adsit, monstrosum duceret piaculum parentibus non assistere laborantibus. Hinc de Moyse ait Paul. ad Hebræos cap. 11. *Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis; magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem.* Qui in aula erat filius habitus tyranni, vbi patres suos, & fratres suos vidit esse in afflictione, & calamitate ad eos euolauit: adoptiuorum parentum bona, vt ait Philo, & si splendida, adulterina iudicans, è diuerso naturalium parentum, & si ad tempus viliora, vera tamen, & propria. Sed illud est ponderandum, quod affligi cum populo, & gente sua maluit, quam *peccati habere iucunditatem:* Et quod peccatum haberet, si ad gentem suam afflictam non aduolaret? Pulchrè Oecumenius ait: *Peccatum vocauit non collaborare, aut simul ærumnas pati cum populo Dei.* Bonus filius, vt vidit in periculis, & ærumnis parentes suos, fratres suos, peccatum putabat, si ad illos non aduolabat, eorúmque hærebat lateri. Quod attigit D. Basil. hom. 1. in Examer. fatus: *Denique Moyses tyrannidis fastum perosus, ad suæ gentis contribulos recurrit, præelegit calamitates cum Dei populo experiri, quàm se obnoxium reddere peccato.* Sic non paruum piaculum fugiens relicta aulæ securitate, parentibus, fratribúsque laborantibus adstitit. Non absimilis Ioseph erat, de quo ait Gen. 17. *Israël enim diligebat Ioseph, eo quod in senectute genuisset eũ.*

D. Aug.

D. Synes.

Heb. 11.

D. Basil.

Gen. 37.

Sed

Sed maiori in senectute genuerat Beniaminum,quem ideò non dicitur dilexisse. Vnde ergo senectus patris maiorem amorem Iosepho conciliabat?Non tam equidem amabatur Ioseph,quod in senectute genitus esset, quam quod genitus esset in senectutem, hoc est, quia bonus filius adhærebat seni, & laboranti patri, nec ab eius recedebat latere,vt eius labores alleuiaret. Ait D. Basil.Sel Basil.Sel.orat.8. *Quod si Beniaminus filiorum Iacobi postremus,& senectuti vicinus erat,& pariendi finis:quomodo Iosephus insuper filius senectutis appellatur? At senectutis filius est,qui senectutem accurrat, & ætatis patriæ laborem cura alleuat.* Hinc se Ioseph super omnes extollebat fratres, quod inseparabiliter laboranti adhærebat patri,senectutisque extremæ infirmitatem alleuabat.

§. XVIII.

Magna Dei misericordia est, quod sic peccatores obdurati pereant,vt aliis proficiant.

NOtanter textus pereuntium clamorem posuit pro causa salutaris fugæ, ait enim : *Omnis Israël,qui stabat per gyrum, fugit à clamore pereuntium.* Sic enim in ipso iustitiæ articulo Deus miserationum suarum recordabatur,faciens quod sic scelerati perirent, vt clamoribus suis cæteros fugarét ad tuta, illisque proficerent.Quò etiam Psalm.9.respiciebat dicens:*Inimici defecerunt frameæ in finem , & ciuitates eorum destruxisti. Periit memoria eorum cum sonitu.* Non enim in silentio peribant à Deo percussi, sed cum ingenti clamorum sonitu. Et cur non magis in silentio peribant?Erat hoc beneficentissimæ Dei prouidentiæ , vt pereuntium peccatorum voces aliis essent causæ salutis. Ait Diuus Chrysost. Chrysost.ibi: *Quid est cum sonitu ? Porrò autem hoc est etiam Dei prouidentiæ,quod nõ fecit hoc latenter. Vt aliorum calamitatibus alij reddantur meliores.* Scit prouidentissimus suorum Deus etiam à pereuntibus sceleratis eas voces,& clamores educere,quæ saltem aliis ad salutem proficiant. De sceleratissimo Anthioco inter 2.Mac.9. sæuissima supplicia constituto ait 2. Machabæor.9.*Per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus , & cum nec ipse iam fœtorem suum ferre posset,ita ait:Iustum est subditum esse Deo , & mortalem non paria Deo sentire. Orabat autem hic scelestus Dominum,à quo non esset misericordiam consecurus.* Et quando iam miser in perditione sua deploratus erat,cur tormentis ab illo hæ pietatis voces extorquebantur , nisi vt à clamore pereuntis discerent alij impietatem fugere?Sic iste inter atrocia tormenta cogebatur multa pia dicere,vota offerre, Deum agnoscere,epistolas fidelibus Iudæis mittere;vt vel clamoribus suis patefaceret aliis salutis viam. Quã Dei prouidentiam noscens Claudius Herminianus nihil magis curabat,quam tegere silentio perditionem Tert. suam. De illo enim ait Tertull.lib.ad Scapulam cap.3. *Claudius Hermilianus in Cappadocia, cum indignè ferens vxorem suam ad hanc sectam transisset,Christianos crudeliter tractasset,solúsque in prætorio suo vastatus peste , cum viuus vermibus ebullisset:Nemo sciat,aiebat , ne spe gaudeant Christiani.* Sic miser in perditione sua quærebat silentium,ne aliis clamor pereuntis proficuus fuisset. Et sanè quid aliud cuperet fidelium homicida , nisi quod à Deo irato solet in homines venire durissimum; nimirùm, quod silenter , & sine sonitu sceleratorum Haba. 1. supplicia fiant. Quod timens Habacuc ait cap.1.*Quare respicis contemptores,& taces;conculcante impio iustiorem se? Et facies homines sicut pisces maris?* Quantum hoc erat , quod homines fierent à Deo , gubernarentur à Deo vt pisces maris, ad hoc quod propheta illud deprecaretur. Quid enim timebat mundo ex eo, quod homines tractarentur vt pisces ? Sanè pisces vt muti sunt,sic eorum ruina,qua se mutuo percutiunt, & miserabilior,& incuitabilior,& transiata ad homines omnium est miserabilissima , quando pereuntibus nullus clamor , nulla vox permittitur , quæ saltim aliis possit ad cautelam proficere. Hæc , inquam , ruina maxima est,& vix à Deo permissa , nisi quando imperium dæmonibus permittitur. Ait enim Theophylactus apud Theoph. Delrium in Adagiis tom. 1. *Contemptores dicti sunt dæmones , ad quos conticescit Deus , temporibus nondum dispensati euangelij faciebat homines prorsus piscium instar viuere,ab omni ratione alienissimos , maximè brutos , & omni voce destitutos,ac planè mutos. Nec enim in eis pietatis erat sermo , neque honorificentiæ vox ad Deum , sed mutua inter se cæde alius erga alium grassantes,* &c. Ecce tibi species imperij ante Euangelium dæmonibus permissi,faciebat enim Deus homines alios aliorum carnifices,vt sese mutuo conficerent,& vorarét,vt pisces maris,absque eo quod à pereuntibus vllus clamor,aut vox vlla prodiret,quæ aliis esset proficua. Quod malum extremum minabatur Amos cap. 8.aiens : *Multi* Amos 8. *morientur,& in omni loco proiicietur silentium.* Quod ad inferni supplicia meritò solet referri , vbi iustitia sine proximi vtilitate exercetur. Quò alluśit etiam Samuelis mater,1. Reg. 2. aiens:*Impij in tenebris conticescent.* 1.Reg.2. Sanè nullus ibi clamor , nec vox , quæ pietatis vias ostendat assidentibus.

Num. 16. Locutus est Dominus ad Moysem dicens: Præcipe Eleazaro filio Aaron sacerdoti, vt tollat thuribula , quæ iacent in incendio & ignem huc , illúcque dispergat ; quoniam sanctificata sunt in mortibus peccatorum : producátque ea in laminas & affigat altari , eo quod oblatum sit in eis incensum Domino, & sanctificata sint,vt cernant ea pro signo , & monumento filij Israël. Tulit ergo thuribula, &c.

§. XIX.

Nullo suauius deterrentur peccatores , quam monumentis punitorum.

VT acer extitit Dominus in hos Core assectas , sic suauis apparet erga venturos Israëlitas , iubens horum thuribula deduci in laminas , & affigi altari in cautelæ signum venturis. Ait enim : *Præcipe Eleazaro filio Aaron,vt tollat thuribula,quæ iacent in incendio;producátque ea in laminas,& affigat altari,vt cernant ea pro signo,& monumento filij Israël.* Quid ergo venturis suauius ? Solis punitorum monumentis altari affixis frænabantur. Equidem nunquam suauius cohibetur peccator,quàm in memoria suppliciorum aliis illatorum. Rex Ozias ausus post multa tempora fuit sacerdotium vsurpare ; & incensum Domino offerre , cui sic fatur Azarias sacerdos. 2.Paral.26.*Non est tui officij Ozias,vt* 2.Pa.26. *adoleas incensum Domino;sed Sacerdotum,hoc est, filiorum Aaron,*&c. Sufficeret, quod dixisset, non esse officij regalis offerre incensum,sed Sacerdotum , cur maluit illud explicatius addere,nimirùm,filiorum Aaron? Volebat , quo suauiori modo posset Regem ab illo ausu reuocare,ideò Aaronis meminit,in quo tota Core , & sociorum tragœdia suggerebatur, qua sacerdotij præsumptores castigabantur. Hinc D.Chrysost. hom. 5.in Chrysost. verba Isaiæ extollit Azariæ suauitatem aiens : *Ipsa breuiloquentia declarat nobis eius humanitatem. Quod si cupis videre,vbi ferrum occultarit , audi. Non licet , inquit, tibi adolere incensum Domino , sed solis filiis Aaron. Hic influxit vulnus,eo quod nõ simpliciter dixit,* Sacerdotibus; *sed addidit,* Aaron. *Is primus fuit Sacerdos, simileque facinus eius temporibus quidam ausi sunt , sed alios quidem terra dehiscens absorbuit , alios vero cœlitus emissus ignis exussit. Huius ergo historiæ volens illum commonefacere, mentionem fecit Aaron,vt ad calamitatem eorum, qui fecerant iniuriam , huius mentem transmutaret.* Expende illud:*Vbi ferrum occultarit ,* &c. quippè Azarias nolens

Regem offendere, volens tamen ipsum reprimere, sub humanissimis verbis, & comitate plenis ferrum occultat; non stricto ferro percutit, sed occulto vtitur, commemorans Aaronis tempora, rebelliúmque tunc temporis supplicium, vt de præsumptis thuribulis ignis exiliens eos combussit, quo commemorato, suauissime ab ausu simili retrahebatur Ozias. Nullus enim suauius corrigitur, quam qui de monumentis alienorum
Matt. 12. periculorum corrigitur. Hinc Matth. cap. 12. Rex magnus mittebat seruos, qui peccatores traherent in bonam frugem aiens: *Dicite inuitatis: Ecce prandium meũ parauiitauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias.* Sto à sententia eorum, qui huius prandij mensam putant esse diuinam Scripturam, quæ plena est mortibus, & occisionibus antiquorum, in tauris, in altilibus occisis designatorum. Sed illud mirandum, quod vbi tot mortes, tot occisiones peractæ in antiquis ob oculos ponuntur, ad id vocemur tanquam à nuptiale conuiuium. Cur conuiuium paratum vocat Scripturam, in qua & mortes, & percussiones hominum nostri similium proponuntur? Equidé nihil deficit à suauissimo conuiuio monitio illa, quæ in alio-
Imperf. rum periculis docet homines cauere sua. Ait Imperfectus hom. 41. in Matth. *Quiquid quæritur ad salutem totum iam adimpletum est in Scripturis. Qui contumax est, & peccator, inueniet illi iudicij flagella, quæ timeat. Vt quid ibi scriptum est: Achan propter furtum lapidatus, nisi vt habeant fures, quid timeant? Vt quid, filij Israël, qui fornicati sunt cum filiabus Moab percussi refugerunt, nisi vt habeant fornicatores, quod perhorrescant? Vt quid concupitores carnis castigati sunt in deserto, nisi vt nemo delicias concupiscat? Quorum omnium interfectiones multas spiritualium gaudiorum epulas præbuerunt, & nuptias Christi adornarunt. Nihil ergo minus est in hoc conuiuio, quam quod necessarium habet salus hominum.* Sanè quod conuiuium suauitatibus plenum facit, vt homo lætus viuat; nihil minus præstat Scriptura dum antiquorum mortes proponit peccatoribus similibus; quorum memoria suauissimè cauet sibi; nullóque suauiori poculo reformantur in salutem; quam reformantur ad æternã vitam peccatores viso aliorum in simili periculo. Mihi crede, monumentum calamitatis alienæ nunquam te non faciet suauissimè sapere. Nec res est parui fauoris, quod non in tuis, sed in alienis periculis sapias. Quò traho dicta. 4. tom. in Euang. lib. 16. c. 21. §. 30.

§. XX.

Delinquentibus consentientes durissimum supplicium caueant.

DE ducentis & quinquaginta hominibus, qui Core partes secuti fuerant, & absumpti à flammis inueniebantur, iubentur thuribula tolli, & deducta in laminas, affigi altari in monumentum cladis. Sic enim dicit: *Tollat thuribula, quæ iacent in incendio, producátque ea in laminas, & affigat altari, vt cernant ea pro signo, & monumento filij Israël.* Et quidem, qui incendio absumpti sunt, non ipsi rebellionis, neque præsumptionis authores fuerunt, sed solum rebellanti Core assensérunt. Cur ergo Core, qui Princeps, qui author fuerat, sic absorbetur à terra, vt nec thuribullum eius remaneat in testimonium cladis: Illi autem ducenti & quinquaginta sic absumuntur, vt thuribula eorum remaneant, quæ affixa altari nunquam non prædicent eorum calamitatem? Meritò non authoris thuribulum, sed thuribula asseclarum affiguntur in testimonium cladis, ne sibi blandiantur de futura impunitate, qui authores malorum non sunt; quando flagitium exitiale appareat
Matth. 14. omnibus participantibus. Matth. 14. dum Herodes Rex celebrat natalitium conuiuium cum Principibus Ierosolymitanis eò adductus est, vt iuberet vitam eripere Baptistæ Ioanni, ait enim textus: *Propter iuramentum autem, & eos, qui pariter recumbebant, misit, & decollauit Ioannem in carcere. Et allatum est caput eius in disco.* Sed esto, quod occiderit sanctum, quid necessum fuit adduci caput eius abscissum in disco ad ipsũ conuiuium, in quo tot Principes eius natalitia regalia celebrabant? Inter fercula suauissima discumbentibus allata, hoc etiam ferculum feralis lanienæ illis apponitur, vt non solum Herodi, sed & omnibus illis, qui vel tacitè assensérunt, tanti facinoris crimen pœnam denuntiaret. Pulchrè ad hæc Paschasius lib. 7. in Matth. *Pasch.*
fatur. *Misera feralis aula Regis, & infœlix rabies, quæ in pastum suum suscepit caput martyris, & in potum ebibit liquorum sacri sanguinis; sitiénsque mortem prophetæ aspexit. O ferculum crudele! O discus rosis respersus sanguinis, sed conuiuantibus valde exitiabilis, quia in tanto conuiuio, nemo fuit, qui prohiberet audaciam Regis, quin imò, vt Scriptura ait, propter eos, qui pariter discumbebant, iussit dari. Quo facto omnes sceleris sui facit esse consortes.* Planè non solum Herodi facinoris authori exitiabilis discus illa erat, sed omnibus etiam simul conuiuantibus; quando nullus eorum restitit, sed taciti feralissimæ sententiæ addiderunt suffragia. Ne tibi blandiaris de immunitate, quod flagitio non dederis initium, si enim præsens es flagitiosis, & non obsistis, nec refragaris, sed potius suffragia addis, proculdubio extremas pœnas dabis. Sanè Absalon rebellauit in Dauidem patrem suum, multísque populum solicitauit, vt veniret in suas partes, quod & factum est. Commisso prælio rebellis occubuit, & populares reuersi sunt omnes ad Dauid. Quid tunc? Ait 2. Reg. 24. *Et addidit furor Domini* *2. Reg. 24*
irasci contra Israël, commouitque Dauid in eis dicentem. Vade, numera Israël, & Iudam: Ob quod ablata sunt peste septuaginta millia virorum spatio dimidij dici. Dum Absalon in patrem rebellat, & populum seducit, non dicitur Deus iratus in illum; nunc autem cum populus quietus esset sub Dauide, furor Dei exstitit, eaque in rege permittit, quæ trahant in populum pestis luem. Cur hoc? Debebant dare pœnas, qui authori rebellionis non restiterant, sed subscripserant, non enim soli authores, sed & qui sequuntur, supplicio afficiuntur: Ait Theodor. in præsenti quæst. 37. *Populus luit* *Theod.*
pœnas suæ iniquitatis. Relicto enim Rege pio, militauit sub impio tyranno. Eum, qui innumerabilia bona eis conciliauerat, non solum reliquerunt; sed etiam aduersus eum in acie steterunt, crudelique, ac scelerato filio auxilio tulerunt. Propter hæc ergo iustus Deus de iis pœnas sumpsit. Sciant hoc, qui malorum authores sequuntur, quod durissima tolerabunt ab eo supplicia: etiamsi aliquando creaturarum manus effugiant.

§. XXI.

Sacrificium, seu oratio ad Deum maximè proficit ex consideratione mortis.

NOn otiosè mortuorum thuribula iubentur affigi altari, dum dicitur: *Producátque ea in laminas, & affigat altari, vt cernant ea pro signo, & monumento filij Israël.* Sed hoc factum est, ne cui liceat accedere ad altare vel sacrificaturus, vel oraturus, quin præ oculis habeat monumenta mortis, de cuius consideratione, fallar, nisi multum proficiamus in spirituali vita. Sic Rex ille, qui inuitabat homines ad nuptiale conuiuiũ
ait Matth. 12. *Prandium meum parauí; tauri mei, & al-* *Matt. 12.*
tilia occisa sunt, & omnia parata, venite, &c. Solet diuina Scriptura lautissimi etiam conuiuij escas solo panis nomine exprimere; vt Matth. 14. *Cum intraret Iesus in* *Matt. 14.*
domo cuiusdam Principis Pharisæorum Sabbatho manducare panem, ibi de Scripturæ more panis ponitur pro cæteris etiam obsoniis, quæ ornant Principum conuiuia. Cur ergo Rex ille non solius panis meminit, sed taurorum, altiliúmque occisorum plenam mensam proposuit? Erat mensa parata à Rege illo, non conuiuij temporalis,

temporalis,sed æterni; quod non spectabat ad carnalem, sed ad spiritualem vitam, ideò illa mortuorum commemoratione sarciuit, de qua humanus solet saginari spiritus. Aymon. Quò spectans Aymon ibi ait: *Tauri mei,& alitilia mea occisa sunt, ac si diceret: Patrum præcedentium mortes aspicite,& remedia vitæ vestræ cogitate.* In eo ponit efficacissima remedia vitæ, quod nec ad mysticam mensam,oblaturi, aut oraturi accedent, quin mortem antiquitus imminentem hominibus aspiciant. Solet hoc procurare spiritus diuinus, vt vel in sacris ipsis mortis commemorationem habeamus præsentissimam. Exod. 28 Hinc Exod. 28. *Deorsum vero ad pedes eiusdem tunicæ per circuitum, quasi mala punica facies ex hyacintho,& purpura, & cocco bis tincto mistis in medio tintinnabulis; ita vt tintinnabulum sit aureum. Et vestietur ea Aaron in officio ministeri, vt audiatur sonitus, quando ingreditur,* &c. Itáque sic vestit Deus Pontificem suum, vt in extrema tunicæ parte iubeat appendi tintinnabula circa pedes,quæ sonitu suo designent ingredientẽ ad sacrificia. Sed cur sacrificantis tintinnabula in extrema vestis parte ponuntur,nisi vt ostendantur,quam debeant extrema vitæ assonare sacrificaturis, qui velint è sacris proficere in vitam? Orig. Ait Origen. homil. 9. in Exod. *Habeat per indumenti circuitum tintinnabula, quæ semper sonare debent, vt ingrediens sancta det sonitum, & non intret cum silentio: Et hæc tintinnabula in extremo vestimenti sunt posita, vt de extremis temporibus, & fine mundi nunquam sileas, sed inde semper sones,* &c. Habeat hoc quicunque sacrificaturus, vel oraturus ad Deum accedit; quod de mortis memoria non sileat, sed adstet Deo in perpetua commemoratione eius.

Num. 16. Murmurauit autem omnis multitudo filiorum Israël sequenti die contra Moysem, & Aaron dicens: Vos interfeciſtis populum Domini. Cúmque oriretur seditio, & tumultus incresceret: Moyses, & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod postquam ingressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Dei. Dixítque Dominus ad Moysem: Recedite de medio, etiam nunc delebo eos.

§. XXII.

Nullum promptius, & certius refugium in tribulatione, quam si ad Deum recurramus.

ADuersus tumultuantem multitudinem, vide quale parent refugium sibi Moyses,& Aaron, nimirùm dicit textus: *Fugerunt ad tabernaculum fœderis.* Et quantum erat tabernaculum fœderis, vt in illo sese duo inermes homines tutarentur aduersus multitudinem ingentem? Cur non potius prærupta montium elegerunt, vel aliquam inaccessibilem refugij petram? Crede mihi vel in tabernaculi diuini vmbra, vel in Dei memoria, qua confugias ad Deum omnium promptissimum, & certissimum refugium inuenies aduersus tribulationes vniuersas. Sanè Dauid multis cinctus tribulationibus, à validissimo hoste petitus nulla non refugia fuit expertus, siue per abruptorum montium cauernas deliteſcens, siue altissima petra munitus, siue militari manu stipatus; Post horum autem experientiã, Psal. 76. quale præfert refugium? Ipse ait Psalm. 76. *In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte contra eum,& non sum deceptus,* &c. *Memor fui Dei,& delectatus sum.* Quæ verba dulciter, & eleganter tractans D. Naz. Nazianzenus orat. 17. sic ad Dauidis scholam vocat vniuersos, qui tribulationibus suis promptum, & certũ refugium parare velint. Quippè ait: *Audi, quid Dauid respondeat, magnus ille medicus, ac malos etiam spiritus per spiritum in se habitantem incantans. Ad quem confugias ex me scire cupis? Nihil, inquit, structa acie tibi opus est, non armis, non sagittariis, non equitibus, non consultoribus, non amicis, nihil externo subsidio. Auxiliares copias in te ipso habes, quæ & tibi, & mihi, & cuiuis in promptu sunt. Memor fui Dei, inquit, & delectatus sum. Quid memoria paratius? O facilem, & parabilem medicinam! O celerem curandi rationem! O ingentẽ beneficij magnitudinẽ!* Equidem non sic exercitu cinctus, non sic armis munitus mala effugies, vt illa fugis eo solum, quo Deum recorderis, Deoque te sistas. Vt ad Deum oculos vertis, habes, quo te expedias ab omni malorum concursu. Vnũ hoc aiebat Isaias cap. 26. *Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.* Isaias 26 Expressius in rem nostram legunt Græci primam partem dicentes. *Domine in afflictione recordati sumus te.* Dicunt se recordatos Dei fuisse in afflictione,& non exprimunt, quo lucro sese ad Deum tribulati verterunt. At in eo solum quod Dei recordarentur tribulati, ostenduntur nullis malis potuisse deuinci. Ex quo aiebat Euseb. in Euseb. catena Græca: *Quando tempus erat, ô Domine, nos euntes per viam angustam,& afflictionis plenam, proprietate pugnabamus; atque in afflictione illa non eramus tui immemores, sed ab eadem tua memoria corroborati, viriliter sustinebamus, adeo vt diceremur afflicti, sed non angustiati, persecutionem patientes, sed non pereuntes.* Ecce tibi, quid homines consequantur ex Dei memoria in tribulationibus: licet hinc inde mille tribulationes exurgant, & te premant, imò ferè opprimant, dum saltem memoria ad Deum confugias, habes, quo te munias. quo omnibus resistas,& inuulnerabilis perdures. Equidem præclarè aiebat Paul. ad Rom. 5. *Spes non confundit*: loquitur enim de spe, qua homo in Deo ponit auxilium suum, dum tribulatur in mundo, hæc enim minimè finit hominem in malis confundi; imò præsentissimum remedium est aduersus omnes conflictus. Vt dicat Elias Cretensis in orat. 2. Nazianzenus. *In verum acerbitatibus pharmacum ad propulsandos dolores, accommodatum sibi constituebant. Neque enim animæ in dolore versanti quicquam æquè mederi potest, vt spes in Deum.* Non bellicæ munitiones, non creatæ potestates sic hominem eripient periculis inuulnerabilem, vt si ad Dei confugiat tutamen.

Ad Ro. 5

Cretens.

§. XXIII.

Non qui sese periculis peccandi offerunt, sed qui effugiunt illa, ij diuinam protectionem habent.

MOysem,& Aaron fugitiuos Dei gloria operit,& tutatur; sic enim dicit: *Fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod postquam ingressi sunt, operuit nubes,& apparuit gloria Dei.* Quid magis nouum, & inauditum, quàm quod qui fugæ se dedunt, sub Imperatoris sui gloria lateant? Bone Deus gloria paratur strenuè pugnantibus,& destruentibus hostiles acies: fugitiuis dedecus,& ignominia est. Cur gloriæ tuæ refugium, & protectionem offers illis, qui trepidi fugiunt, qui non audent contra inimicos stare? Non fugiunt Moyses, & Aaron vt degeneres, sed vt generosi, qui doceant, vt fugiendum est à vitiorum hostilitate. Vt enim in mũdiali duello gloria est in eo, quod hostem aggrediaris, sic in bello spirituali è contrario, qui pericula fugit, ille diuinæ gloriæ accipit protectionem & tutamen. Ex quo monebat Ambr. lib. de Fuga sæculi cap. 4. *Non ergo erubescamus fugere. Glorioſa enim hæc fuga est fugere à facie peccati.* Amb. Ille gloriosam inuenit securitatem & protectionem, qui nouit fugere à vitiorum facie. Cum Iudęi venissent, vt comprehenderent Iesum Matth. 26. Matt 26 *Ecce vnus ex his, qui erant cum Iesu, extendens manum exemit gladium suum:& percutiens seruum Principis Sacerdotum, amputauit auriculam eius. Tunc ait illi Iesus: Conuerte gladium tuum in locum suum, omnis enim, qui acceperit gladium, gladio peribit.* Ecce tibi qui valebat, gladio hostem aggreditur, illúmque percutit, sed Domini

mini reprehenſionem incurrit. Aliter de alio adoleſcente Marcus notat in eodem conflictu; ait enim cap. 14. *Adoleſcens autem quidem ſequebatur Ieſum amictus ſindone ſuper nudo; & tenuerunt eum. At ille reiecta ſindone nudus profugit ab eis.* Compone modò armatum illum cum iſto nudo, illum aggredientem cum iſto fugiente. Petrus gladio armatus, dum hoſtem aggreditur, reprehenſionem incurrit; hic adoleſcens nudus dum fugit per medios hoſtes liber ab omni vulnere, ab omni reprehenſione inuenitur. Equidem in ſpirituali conflictu, non qui aggreditur pericula, ſed qui fugit, protectionem diuinam acquirit. Hinc pulchrè Nazianzenus orat. 25. monet: *Si zelo inflammatus Malchi aurem gladio præcideris, indigne Dominus feret, eámque loco ſuo reſtituet; ſi quis ſindone amictus (relicta illa) profugiat, eum conteget.* Non in inconſiderata aggreſſione periculorum, ſed in fuga protectio Dei eſt ſecura. Licet mille munitus armis pericula aggrediaris, non exibis irreprehenſibilis; licet autem omni nudatus auxilio alio ſis, dum tamen pericula fugias, paratam inuenies protectionem diuinam. Nemo neſcit hiſtoriam Ionæ mirandam, vt proiectus in mare, à bellua marina voratur, vt voratus in ventre cete orationem ad Deum facit, ibíque Dei protectione ſeruatur, donec euomitus à bellua incolumis apparet. Vnde in tali conflictu talem protectionem accipit? Dicebat textus cap. 1. *Surrexit Ionas, vt fugeret in Tharſis.* Vbi autem D. Amb. audit, quod fugit Ionas, hinc illi attribuit diuinã à periculis protectionem. Quippè ait lib. de Fuga ſæculi cap. 4. *Fuga erat trames innocentiæ, virtutis via, pietatis aſſumptio. Audeo dicere, ſic fugit Ionas in Tharſis, non corporis fuga, ſed mentis aſcenſione. Nam ſi ſic non fugiſſet, nunquam de ventre ceti eſſet auditus.* Non enim niſi qui fugit vitiorum pericula, habet certam, & promptam protectionem diuinam. Vanè euadere ſperet, qui ſe inconſideratè coniicit in pericula, quando fugientes magis abeunt in tutum.

Marc. 14

Nazianz

D. Amb.

Num. 16. Cúmque iacerent in terra, dixit Moyſes ad Aaron: Tolle thuribulum, & hauſto igne de altari mitte incenſum deſuper pergens citò ad populum, vt roges pro eis, iam enim egreſſa eſt ira à Domino, & plaga deſæuit. Quod cùm feciſſet Aaron, & cucurriſſet ad mediã multitudinem, quam iam vaſtabat incendium; obtulit thymiama, & ſtans inter mortuos & viuentes pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſauit. Fuerunt autem, qui percuſſi ſunt quatuordecim millia, &c.

§. XXIV.

Crebra reincidentia in peccata raro non lethalis.

QVi ſeditioſos fugiebat Moyſes, vt ſe Deo ſiſtit, iram diuinam in illos prodire videt, ait enim: *Iam enim egreſſa eſt ira a Domino, & plaga deſæuit.* Nec miror, quòd qui toties rebellant, qui toties murmurant contra Moyſem, & Deum; ſic ira vindice pereant. De crebra enim peccatorum repetitione, nil citius oritur, quàm plaga deſæuiens. Pulchrè enim ait D. Nazianzen. orat. 17. *Graue ac periculoſum eſt, ignoſcendi aſſiduitate clementiam exhaurire.* Et quando clementia ad certam menſuram definita eſt, nunquam non graue, & periculoſum eſt, quod illam ignoſcendi aſſiduitate exhaurias, neceſſum enim eſt, vt poſt hæc ſæuientem iram proſilire facias. Ait Deus Exod. 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Quibus non ſolum Dei ſeueritas, ſed & clementia in peccatores oſtenditur, quos nouit expectare per tertiam, & quartam generationem, at vbi bis & ter, & quater in eiſdem ſceleribus perſtant, tunc exhauriatur decreta clementia, ignoſcendi aſſiduitate, neceſſum eſt, vt ira abſumat peccantes. Vt dicat Diodor. apud Lyppom. in cat. *Poſt tot beneficia in eiſdem peccatis perſiſtentes, iuſtas pœnas exoluetis.* Equidem vbi tot beneficia extorquentur parcendi aſſiduitate, illud remanet, quod ira deſæuiat, & peccatores abſumantur. Hinc Tobias Senior moribundus dicebat filio, nepotibúſque ſuis c. 14. *Prope erit interitus Niniue,* &c. *Nunc ergo filij audite me, & nolite manere hic, ſed quacunque die ſepelieritis matrem veſtram circa me in vno ſepulcro, ex eo dirigite greſſus veſtros, vt exeatis hinc. Video enim quia iniquitas eius finem dabit ei.* Sanè ſciebat Tobias Niniuitas per pœnitentiam quondam ereptos eſſe furori Domini denuntiato per Ionam; & nihilominùs modò certò aſſerit eſſe euertendos. Vnde ſcit modò infalibiliter euertendos illos præcipuè homines, qui iam ſemel effugerant iram Domini? Ait ipſe: *Video enim, quia iniquitas eius finem dabit ei.* Quæ ſic explicat Carthuſian. *Vitiorum eius congeries requiret, vt deſtruatur.* Equidem vbi peccatis adduntur peccata, & iam dimiſſis noua quotidie apponuntur, nequit vix fieri, quod diuina vindicta non extorqueatur. Quò ſpectans ait D. Hieron. in prologo ad Ionam: *Ad Ionæ prædicationem actâ pœnitentiâ Niniuitæ veniam conſecuti ſunt, poſtea verò in priſtinis vitiis perſeuerantes, Dei in ſe prouocant ſententiam.* Eo tandem deuenit crebra reincidentia in peccata, rarò enim fit, quod iram Dei non trahat. Quò ſpectans Amos cap. 1. ait: *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor, non conuertam eum,* &c. *& mittam ignem in domum Azaël, & deuorabit domus Benadab.* Quid eſt, ſuper tribus, & ſuper quatuor non conuertam? Ait Theodor. *Quando multa delicta Damaſci diutiſſime paſſus ſum, non amplius patiar.* Hoc credant peccatores, quod poſt multa eorum peccata tolerata à Deo, tandẽ ſi in eis perſiſtant, duriſſimam ſuſtinebunt vindictam, non enim is eſt Deus, qui patientia ſua velit, vt ſcelerati, ſic glorientur, quaſi iuſti. Ait enim Naum cap. 1. *Dominus patiens, & magnus non faciet innocentem.* Et quomodo non facier innocentem? Imò innumeri ſunt, qui vitæ innocentia floreant, qui quidem nulli, niſi Deo acceptam referunt innocentiam ſuam. Quomodo ergo verè dici poteſt, quòd Dominus innocentem non faciet? Expende verba illa: *Dominus patiens,* &c. quippè ſunt innocentes non veri, ſed apparenter; nimirum illi, qui etſi multa peccata committant, nil inde incommodi capiunt, ſed ac ſi innocentes eſſent, viuunt. Et quando Deus patiens eſt, multi poſſent ſic innocentes videri ex defectu ſupplicij: at, vt cauet propheta, non ſic patiens erit Deus, vt tandem non oſtendat nocentes acerbitate ſupplicij. Ait D. Hier. ibi: *Diu quidem Deus patiens fuit, & magna nimitatis ſuæ fortitudine iniquitates peccatorum ſuſtinuit, prouocans eos ad pœnitentiam, ſed quia contempta bonitate Dei theſaurizauerunt ſibi iram in die iræ, qui ante patiens fuit, nequaquam eos, tanquam mundos, & innocentes inultos abire patietur.* Non ea erit Dei patientia, vt eius occaſione, qui peccatis peccata accumulauerint, ſic expertes ſupplicij appareant, ac ſi innocentes eſſent, qui potius atrociter punientur. Vide ſuprà cap. 6. §. 18. & alibi.

Diodor.

Hieron.

Amos. 1.

Theod.

Naum 1.

D. Hier.

§. XXV.

Peccata publica citam vindictam ſolent trahere.

IN ipſo ſeditionis rigore iam Moyſes videbat à Deo prodire vindictam, quippè ait: *Iam enim egreſſa eſt ira à Domino, & plaga deſæuit.* Sic Iſraëlitæ errones mulctabantur, in ipſo feruore peccati, ſtatim diuini furoris ſpicula in ſe contorta ſenſère. Et cur non magis longanimis Deus oſtendebatur in ſuorum erroribus ſuſtinendis? Erant hæc peccata publicitùs commiſſa ſine vllo timore, aut metu, & ideò properatam vindictam extorquebant. Apud Luc. cap. 16. pulchra huius rei parabola

Luc. 18.

rabola effingitur. Dicit enim : *Homo quidam erat diues, & habebat villicum: & hic diffamatus est apud illum, quod dissipasset substantiam eius, & vocauit eum.* Et miror, quod vbi Deus sub nomine huius diuitis habentis villicũ intelligitur, dicatur villicũ tunc vocasse, cũ villicus diffamatus est ante ipsum. Quid fama ad Deũ? An eget Deus doceri clamoribus famæ, vt errores suorũ videat? Nónne, & antequã fama exiret, ipse videbat serui delicta? Videbat sanè, & ante famã delicta, sed dissimulabat; fama autem scelerum disseminata publicitùs non facit, quod Deus illa sciat, sed facit quod Deus acceleret vindictam. Pulchrè D. Chrysolog. ser. 125. inquit. *Hic diffamatus est ante illum? Ergo Deus famæ credidit? Fama nuntiante cognouit? Absit: Sed quia illa, quæ nouerat, quæ pietate velauerat, quærere tunc cœpit, quando accusabat terra.* Vox sanguinis fratris tui clamat de terra: *Clamabat terra, clamabat cœlum, dolebant Angeli, quando iam tota sæculi fama loquebatur.* Equidem tunc Deus solet frequentius peccata dissimulare, quando hæc ignota sunt famæ, quando in tenebris latent, at vbi in lucem prodeunt, nec verentur oculos humanos, sed coram fiunt, vt famæ possint commendari: tunc maximè à Deo illorum vindicta acceleratur. Id, quod etiam in præsenti expressius patet; vocato enim villico statim sententiam dicit Dominus: *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, iam non poteris villicare.* Rationem petit villicationis, & ante redditam rationem, sententiam damnationis pronuntiat, aiens: *Iam non poteris villicare.* Cur non magis expectas Domine, quòd ille rationem reddat, quòd ille promat sua peccata? Quando ante rationis redditæ spatium consueuisti perdere sceleratos? Non miror, quod non expectetur, quod ratio reddatur, vbi enim peccata publicè, & impudenter patrantur, non tempus iudicij expectatur, sed immaturè, & subitò miser ad pœnam rapitur. Ait D. Chrysol. suprà ser. 125. *Non peruenit ad statutum terminum vitæ, qui villicationis amittit tempus, quem sonarit credita dissipasse. Hinc est immaturus exitus, hinc est ante diem mors, hinc est vocatio amara,* &c. Expende illud: *Quem sonarit credita dissipasse*: non enim tam dissipatio, quàm eius sonus, quàm publica eius fama celerem, & repentinam vindictam trahit. Qui enim publicum non verentur peccatores, non perueniunt ad statutum terminum vitæ, sed immediatè abripiuntur, & tormentis dantur.

Chrysol.

Chrysol.

CAPVT XXVI.

De virga Aaron frondenti.

Textus Historia.

PRæeuntium rebellium emollitus clamoribus suauiora meditamenta cœpit Dominus animo versari, quibus prorsus debeant occludi ora murmurantium. Quot tribus Israëlitarum erat, tot adducuntur virgæ amygdalinæ, quæ Principum nomina sibi affixa seruabãt. Media inter duodecim virga de Tribu Leui Aaronis nomine inscripta ponitur, & sic ex omnibus fasciculus efformatus Moysis manu Deo offertur, & coram eo finitur tota nocte in tabernaculo. Sequens diei lux ostendit populo, quantum Dei oculi valeant in eos, quos placidè aspicit. Eorum sub aspectu vnius noctis spatio virga Aaronis sicca simul flores, & fructus protulit, qui non proferuntur ab arbore spatio vnius anni. Sufficiunt diuini oculi vel siccis stirpibus pro vligine terræ, pro cortice, pro humore, pro radicibus, pro ramis. Cum duodecim virgis manent in populo amaritudinum fontes exsiccati; & cum florenti virga Aaronis floret, & viget in sæcula sacerdotij principatus.

PARS VNICA MORALIS

In textus literam.

VNum sterilis stylus meus amat, quod scilicet Dei oculis placeat; de hoc enim solo Aaronicæ virgæ æmulationem capiet, in flores, fructúsque virtutum exhibendos nouiter fœcundatus.

Numer. 17. Locutus est Dominus ad Moysem dicens; Loquere ad filios Israël, & accipite ab eis virgas singulas per cognationes suas à cunctis Principibus tribuum, virgas duodecim, & vniuscuiusque nomen superscribes virgæ suæ. Nomen autem Aaron erit in tribu Leui, & vna virga cunctas eorum familias continebit.

§. I.

Ille præstans in omnibus artifex, qui mala reiicit, antequam bona ædificet.

POst voratos à terra, post absumptos flamma, post plaga consumptos rebelles, petit Deus virgas nominibus Israëlitarum Principum inscriptas, quæ floribus, & fructibus designent sacerdotij principatum. Ait enim: *Accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas,* &c. Sed cur non antea ad hoc accessit opus, vt virgas germinaturas postularet ad sacerdotium confirmandum? Cur non in primis ante supplicia vsus est florentis virgæ miraculo? Sanè nunquam fœlicius florum, fructuúmque diuitiæ fundantur, quam vbi prius maliciæ abscinditur radix. Sic ostenditur artificis cuiusuis præstantia, si prius insistat in malis deturbandis, eradicandis, quã in bonis ostendendis, fundandis. Quò respiciens Dominus Ier. 1. ait: *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Conueniant huc boni promotores, & discant, quàm multi debeant esse prius in deturbando malo, antequam veniant vel ad prima boni fundamina. De malo inquit, *vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes*; de bono *ædifices, & plantes*: quater enim debet prius malo deturbando instare antequam semel, aut bis accedat ad bona confirmanda, quisquis præstantis artificis gloriam amat adipisci. Adamo creato in paradisi deliciis, cum primum mundiales deliciæ creabantur, datum est dominium omne mundiale. Sic enim ait Gen. 1. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, dominamini piscibus maris,* &c. Non longè aliter post diluuium immissum, post submersum orbem, datur Noëmo dominium mundi, quippè ait. Gen. 9. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Et terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia,* &c. Ecce tibi & Adamus & Noëmus constituuntur mundi Domini; & non est dubium quod fœlicius fuerit Dominium Noëmo datum. Sed vnde maiorem fœlicitatem, & præstantiam in dominatu habuit Noëmus? Sanè Adamo solum mandatum est, quod flores, fructúsque paradisi coleret, delicias orbis promoueret, seruaret; at Noëmo prius mandatum est, vt diluuium denuntiaret, vt fabricata arca in ea suam familiam cum electis animalibus incarceraret, reliqua omnia perditioni relinqueret, post hæc illi etiam noui orbis stabiliendi cura mandatur. Qui ergo non antea accessit ad bona orbis promouenda, quam mala vniuersa eradicaret, dissiparet, proculdubio præstantior Dominus, & fœlicior est, quam ille qui nihil mali eradicãs solis bonis promouendis instabat. Huic excogitationi adstipulatur D. Basil. Sel. orat. 5. fatus: *O Noëme hominum progenitor Adamo anteferende! O qui finis, vnaque principium natura fuisti! O faustum humanitatis confine! O qui tutior diuinæ bonitatis fideiussor illuxisti!* Expende radicem fœlicitatis Noëmi super Adamum in dominatu; nimirùm: *O cui finis, vnaque principiã natura fuisti,*

Genes. 1.

Gen. 9.

Basil Sel.

quippè Adamus principium fuit creaturæ, ante quod nulli finem attulit, nullius finis extiterat, cum acceſſit, vt floridiſſimum ſuum imperium inchoaret. At Noëmus & finis fuerat peruerſorum, & principium in vitã electorum, prius finem denuntiauit peccatoribus, illóſque vidit à mundo exterminatos, & inde venit, vt nouum mundo principium daret. Et quidem ille præſtantior, & fœlicior eſt artifex, qui incipit ab exterminatione mali. Pulchrè de Nerone iam iam capiendo ab hoſtibus ait Egeſippus lib. 4. cap. 20. *Magnum quoddam ſibi parauit de ligno, & manibus compoſuit ſuis, quo ſe necaret. Et ad libertos conuerſus, qualis, inquit, artifex moritur?* Et quidem nunquam præſtantior artifex imperij apparuit, quam vbi ſe omnium malorum nequiſſimum trucidauit; quando ille & fœliciſſimus, & præſtantiſſimus Reipublicæ artifex eſt, qui incipit ab exterminatione mali. *Egeſipp.*

§. II.

Tota humana poteſtas non circa res veras præſtandas, ſed circa nomina, & titulos rerum verſatur.

VIde, quid mandetur Moyſi Iſraëlitarum Principi, nimirum: *Accipe ab eis virgas ſingulas per cognationes ſuas, à cunctis Principibus tribuum virgas duodecim & vniuſcuiuſque nomen ſuperſcribes virgæ ſuæ*, &c. Huc ſe extendit poteſtas validiſſimi Iſraëlitarum moderatoris, vt nimirùm, virgis principum nomina inprimat. Non quod virgis virtutem fructificandi indat, hoc enim ſibi reſeruat Deus, ſed quod illas nominibus inſigniat. Nec aliud poteſt omnis humana poteſtas, quæ ad ſummum vacat titulis Principum confingendis, vel apponendis nominibus. Hinc quando datum eſt Adamo dominium mundi illis verbis Gen. 1. *Dominamini* *Geneſ. 1.* *piſcibus*, &c. ſimul ait Gen. 2. *Formatis igitur Deus de* *Geneſ. 2.* *humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius.* Itáque in primis Deus creauit animantia, dedit eis vitam, & fecit, quod creſcerent, quod conſeruarentur; deinde illa ad Adamum Principem ſuum adduxit, à quo nomen acciperent. Sed qui dederat vitam, non melius & nomina inderet? Cur maluit vt à ſe recepta vita, ab Adamo nomina reciperent? Volebat iam oſtendere Deus, quo ſe porrigerent humanæ poteſtates, quarum ſolum erat, non res, ſed *Baſ. Sel.* nomina indere. Ait D. Baſil. Sel. orat. 2. *Adduxit, inquit, Deus cuncta terræ animantia ad Adam, vt videret, quid vocaret ea. Eſto Adam nominum artifex; quando rerum eſſe non potes. Formentur à me, nominentur à te, quæ procreata: partiamur fictricis huius ſolertiæ gloriam; me cognoſcant artificem naturæ lege; te Dominum intelligant appellationis nomine: inde nomen, quibus ego eſſentiam.* Ecce tibi fines poteſtatis diuinæ & poteſtatis humanæ; poteſtas diuina eſt, quæ dat ſubſtantiam, quæ dat vitam, quæ facit, vt res verè ſint; poteſtas autem humana non id poteſt, ſed circa titulos, & nomina confingenda verſatur. Quod viuas, quod floreas ex Deo ſolo habes; quod dux voceris, quod nominibus inſigniaris magnatum, etiam ex Principe recipis humano. *Pſal. 36.* Huc ſpectat illud Pſal. 36. *Spera in Domino, & fac bonitatem, inhabita terram, & paſceris in diuitiis eius.* Alij legunt. *Et paſcere veritatem.* Longè aliter monet Pſal. *Pſ. 145.* 145. *Nolite confidere in Principibus, in quibus non eſt ſalus.* Itáque qui in Domino fidit, inde habet veras res, veras diuitias, quas paſcatur. Verum ſi fidat in Principibus mundialibus, in iis nihil ſolidum, nihil verum habet, non eſt in illis ſalus, non eſt res, non eſt ſubſtantia, *Pſal. 4.* ſed ſola nomina, & tituli ab illis dantur. Ex quo Pſal. 4. *Filij hominum vſquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem?* Burgenſis ex Hebræo: *Filij viri, filij virtutum*; quippè qui magni, & potentes eſtis, cur vanitatem amatis? Cur ſic gloriamini de vanitate? Sed ſcire cupis, quæ ſit iſta vanitas, in qua nituntur poteſtates mundiales. Ait ibi Nicephorus in catena Barbari: *Vanum eſt,* *Nicepb.* *quod ſubſiſtere non poteſt, cuius nomen eſt, res minimè.* Itáque mundi poteſtates in hac fundantur vanitate, quod minimè res, ſed nomina mera ſpectent. Et quid aliud præſtent ij, quàm nomina? Apocal. 11. *In illa hora factus* *Apoc. 11.* *eſt terræmotus magnus: & decima pars ciuitatis cecidit, & occiſa ſunt in terræmotu nomina hominum ſeptem millia.* Loquitur de Antichriſti aſſeclis, & miniſtris, quorum ſeptem millia peribũt in terræmotu illo, quando Enoch, & Elias rediuiui recipiantur in cœlum. Sed illud notandum, quod de Antichriſti aſſeclis locutus, dicat periiſſe non ſeptem millia hominum, ſed ſeptem millia nominum. Cur periiſſe dicit ſolum nomina? Principum mundialiũ aſſeclæ nil aliud ab illis habent, quam nomina, nec Principes nouerunt ſuos niſi nominibus exaltare. Ex quo Plinius aiebat in ſuo Panegyrico. *Sunt* *Plinius.* *in honore hominum, deinde in honore famæ magna nomina ex tenebris obliuionis, indulgentia Cæſaris.* Expende, quid dicantur Cæſares ſuis indulgere, nimirùm, magna nomina, & præter hæc nihil.

Num. 17. Ponéſque eas in tabernaculo fœderis coram teſtimonio, vbi loquar ad te. Quem ex his elegero, germinabit virga eius, & cohibebo à me querimonias filiorum Iſraël, quibus contra vos murmurant. Locutúſq; eſt Moyſes ad filios Iſraël: & dederunt ei omnes Principes virgas per ſingulas tribus: fueruntque virgæ duodecim abſque virga Aaron.

§. III.

Non ſic iræ monumenta, vt manſuetudinis exhibitio ſolet homines frænare.

VIde quid promittitur in præſenti Dominus, ait enim. *Cohibebo a me querimonias filiorum Iſraël, quibus contra vos murmurant.* Poſt abſorptos à terra Core, Dathan, & Abiron; poſt combuſtos illorum ducentos & quinquaginta aſſeclas, & horum thuribula affixa altari in memoriam cladis, ſequẽti die immediatè, vt ait Num. 16. *Murmurauit omnis multitudo filio-* *Num 16* *rum Iſraël ſequenti die contra Moyſem.* Et modò cum nullum ſupplicium exhibetur, ſed ſolum germinante virga Sacerdos deſignatur, aſſerit Dominus cohibendos eſſe murmuratores. Sic enim ait: *Quem ex his elegero, germinabit virga eius, & cohibebo a me querimonias filiorum Iſraël, quibus contra vos murmurant.* Quid ais, Domine, quod florente virga cohibebis murmura? An virgæ flores, & folia efficaciora ſunt ad frænandos homines, quàm terræ, cœlíque clades? Cum flammas iacis in rebelles, & eos percutis; cum monumenta cladum ob oculos proponis, non ſciris illos cohibuiſſe, ſed perditis aliis inſurgunt plures alij: & modo in ſola oſtentatione virgæ germinantis dicis illos prorſus cohibendos? Cur magis non cohibiti ſunt vita clade ſimilium, quã viſis virgæ floribus? Credite mihi, non ſic ſuppliciorũ magnitudo valet ad frænandos homines, vt aliquãdo manſuetudo valet. Nemo ignorat ſuppliciũ factũ in peſſima Iezabele 4. Reg. 9. vt præcipitata fuit à *4. Reg. 9.* feneſtra, vt canibus vorata, ita vt volentes illã ſepelire, *non inuenerũt niſi caluariam, & pedes, & ſummas manuũ.* Et quantum hoc ſupplicium ad frænandas mulieres impias? Pulchrè ait D. Nazianz. orat. 48. *Vna Iezabel* *D. Naz.* *e at aduersùs Domini prophetas cædem anhelans, eámque diuinitus inſpirata Scriptura proſcendit, credo, vt petulantis, & impudicæ mulierculæ commemoratione, quiſquis poſtea viuat, erudiatur. Tot igitur Iezabelli illi ſimiles, velut cicuta quædam è terra ſubito pullularunt, eam de qua modo locutus ſum, ſæuitiæ magnitudine ſuperantes.* Non eradicantur ſcelera ſuppliciis, nec iræ monumenta frænant

frænant mentes sceleratas, quin imo pro vno vindicis falce demessò repullulant mille nequiores alij. Quis nesciat hominum diluuio deletorum vitia? Ait text. Gen.6. Gen.6.*Omnis caro corruperat viam suam.* Quæ vt delerentur à terra,immisit Deus Diluuium, quod perderet mundum.Et quid post tam durum supplicium factum? An inde homines frænatiores?Imò,qui antea corruperant terram carnalibus vitiis, post diluuium mundum vniuersum corruperunt idololatria, & pro interemptis illis, qui ibant post desideria carnis, insurrexerunt, qui post idola irent,Deum verum abnegantes. Sic supplicij terror inefficax solet esse,vt homines in virtute cõ- Chrysol. tineantur. Ait inde D.Chrysol.ser.147. *Cuncta concussserat terror,in terra tonitrua,& fulmina corda mortalium quassabant. Sic nimius pauor homines traxit ad idola, mundum erroribus occupauit.* Non sic supplicia frænant homines,vt illos frænat exhibitio charitatis, & mãsuetudinis.Substulit à virga Dominus ferrũ, & posuit flores,& fructus, & sic feralissimos quosque à vitiis fecit Isai. 11. cohiberi.Huc stat Isaias c.11.*Egredietur virga de radice Iesse,& flos de radice eius ascendet.*Et post pauca:*Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit vitulus,& leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos: vitulus & lupus pascentur simul*, &c. Ecce tibi ex quo ferrea cuspis ablata fuit à virga, & illi flos D.Hilar. appositus apparuit,& vt ait D.Hilar. in Psal.2. *Virgæ seueritatem floris suauitas temperauit*,non mansit fera,quę morderet, sed feralissima quæque innocuè cum mansuetis habitabant.Equidem non tam seueritas, quàm lenitas, quàm mansuetudo potens est,vel feras domare. Christus Dominus ad reducendum mundum effe- Matt.10. ratum mittens Apostolos ait Matth. 10. *Ecce ego mitto* Chrysost. *vos sicut oues in medio luporum.*Quod expẽdens Chrys. in Psal.120.fatur: *Quid est oue mansuetius? Quid verò lupo agrestius? Ille tamen ab hac superabitur. Nihil enim mansuetudine potentius,nihil lenitate validius, ac firmius.* Nullo fortius armaret Dominus suos,quàm mansuetudine,quàm suauitate, vt feralissimum mundum expugnarent. Non sic si fulmina contorquerent; si pestes immitterent,hostiles animos concuterent,sedarent.De hoc plura supra tom.1.in Vet.test. lib.2.c.2.§ 17. & tom.4.in Euang.lib.16.cap.8.§.3.& cap.9.§.8. & cap. 15.§.33.& sæpe alias.

§. IV.

Dignitas à Deo accepta pulcherrimis virtutum fructibus innotescit.

ECce signum clarissimum acceptæ à Deo dignitatis,nimirum: *Quem ex his elegero, germinabit virga eius.*Nõ sterilis est,nec turpis iacet dignitatis virga ex Deo habita,quin potius pulcherrimis virtutum fructibus manifestatur. Vt vel hinc euidentissimè pateat, si Deus,vel diabolus dederit dignitatem,quod vel sterilis,& turpis iaceat, vel multis virtutũ operibus conspicua clareat. Abraham peregrinus erat in Hebrom, vbi amisit vxorem suam,quam vt mandaret sepulcris,agrũ Gen. 23. petiit *à filiis* Heth.cui illi dicunt Gen.23.*Audi nos Domine.Princeps Dei es apud nos*, &c. Alij legunt: *scimus, quod à Deo venis nobis Rex.* Et miraris, quod regia dignitas Abrahamidis à Deo mandata sic in peregrino Abrahamo alienigenis innotescat. Vnde sic innotescebat regia dignitas à Deo in Abrahamum profecta?Iam Abrahamus cum paucis seruis quinque validissimos Reges expugnauerat, captiuos Sodomitas redemerat, decimas Melchisedecho soluerat,fœdera cum Abimelecho inierat, multásque aliàs virtutes omnibus conspicuas effecerat. Ex tot eius virtutum operibus euidenter eius dignitas innotescebat, quod ex Deo esset. Chrysost. Ait D.Chrysost.in Psal.4. *Scimus,quod à Deo venis nobis Rex.Vnde scitis? Ex victoria, ex triumphis, ex bellis.* Accedant huc,qui noscere amant,à quo habent magistratus Reipublicæ, Principes, magnates, dignitates

suas,à Diabolo,an à Deo. Si ab iis nihil virtutis cernitur,nullus fructus vtilitatis,nullus triumphus;sed indigna mulierculari seruitus,omnis turpitudo,notissimus vitiorum fœtor.Horũ dignitates non à Deo venerunt; at si in eis appareant bella pro virtute,victoriæ, triumphi,res præclarè gestæ, euidentissimè patet, quod eorum Principatus à Deo veniant. Habent hoc dignitates, quæ à Deo in homines peculiari electione sunt profectæ, vt eos ad opera virtutum, vel quasi cogant, vel excitent. Notissima est Dauidis historia,vt puer dè post fœtantes ereeptus designatus fuerit à Deo Rex. Quid tunc? Ait 1.Reg. 16. *Tulit ergo Samuel cornu olei,* 1.Reg 16 *& vnxit eum in medio fratrum eius. Et directus est spiritus Domini a die illa in Dauid.*&c.Et simul ei dignitatẽ adscripsit regiã,& directus est in eum spiritus Domini. Et quo signo in illo erat Deus? Ait Hier. lib. de Tra- Hier. dition. Hebr. *Ideò directus in Dauidem spiritus Domini dicitur,eo quod tunc Psalmos canere cœperit.* Imò quod mirere magis ait Procopius in Glossa: *Cultus Dei, qui per instrumenta musica exercetur, non quidem à Deo traditus,sed à Dauide religiosè excogitatus est. Diuino enim ardore inflammatus,ea, quæ homines ad lasciuia, & libidinem accendunt, ad pietatem traduxit.* Quid pulchrius? Quod euidentius signum Principis facti à Deo, qui cũ primum notam dignitatis accepit, statim operam nauauit,vt quæ seruiebant libidini,seruirent Deo?Sic vel dignitatis nota non sedebat,non iacebat sterilis,vel in paruulo oues pascente.Insuper c.17.cùm audisset Saulis imò totius populi metum à Philisthæo bellatore maximo incussum,post multa obiecta,quæ vel validissum retraherent,ipse aiebat: *Num vadam,& auferam opprobrium populi,* &c. Vnde puer inexercitatus audet in tam periculosum certamen progredi? Sanè illum à Deo data dignitas ad insignia opera cogebat. Ait D. Chrys.hom.1.de Dauid:*Nihil isthic humanum inuenies,* Chrysost. *nihil quod hominis virtus conficiat, aut potentia bellatoris exerceat. Adest Dominus,adest,inquam,qui me in prælium cogit procedere.*Equidem cum dignitate à Deo profecta is Dei spiritus venit qui cõgat ministrum suum, nullis non se pro honestate periculis credere. Hinc magni Athanasij electionem ad Episcopatum ponderans D. Nazian.orat.21. ait: *Non enim simul atque ad thronum* Nazian. *peruenit, statim ob saturitatem in petulantiam prorupit. Hoc enim adulterinorum, & ascriptitiorum Præsulum est, qui cùm nihil prius ad sacerdotium attulerint,nullas ærumnas virtutis causa pertulerint,discipuli simul, magistrique pietatis creantur,aliósque ante purgant, quam ipsi purgiti fuerint,heri profani,hodie sacrorum antistites, veteres vitio:pietate rudes,& recentes. Quod gratiæ, ac fauoris humani, non spiritus opus est.* Vide quam alios Principes vel fauor humanus, vel spiritus Dei creent. Ille eos creat,in quibus dignitas sordeat,sterilescat, viriis turpetur,nullis pro virtute laboribus nobiliretur. Hic autem quos creat, insignibus facit statim operibus fulgere.

§. V.

Non nuda nomina,sed fructus, & opera requirit Deus in suis.

SIngulis virgis singulorum Principum nomina affixa erant,sed illa eligitur, quæ præterea germinaret, ait enim: *Quem elegero,germinabit virga eius.* Relictis, & reiectis aliis,solus eligitur ille,cuius virga,cuius dignitas fructum daret.Nunquam enim non eligit Deus fructus,& opera,reiicitque sola nomina dignitatũ. Ait Sophonias 1.*Disperdam de loco hoc reliquias Baal,* Sophon.1. *& nomina ædituorum cum Sacerdotibus.* Septuag. *Et nomina Sacerdotum cum sacerdotibus.* Expende, quæ perdat in primis Deus, nimirum nomina ædituorum, & nomina Sacerdotum. Vbi enim deperdendis aliquibus cogitat diuina ira,in eos præcipuè tẽdit,in quibus nomina mera

D.Hier. ſunt, non opera dignitatis. Ait D.Hier. in præſenti: *Auferet Dominus nomina Sacerdotum cum Sacerdotibus, qui fruſtra ſibi applaudũt in epiſcopali nomine, & in presbyterij dignitate, & non in opere. Vnde ſignanter nõ ait; Et opera Sacerdotum cum ſacerdotibus, ſed nomina, qui tantũmodo falſa nomina præferunt dignitatum, & malis operibus ſua nomina deſtruunt.* Non dignitatum nomina, ſed dignitatum opera placent Deo, imò ſi quis nomen habet, & caret operibus, hic certiſſimam ſibi ruinam put-
Actor.23 tet imminere. Quò reſpiciens Paul. Actor. 23. ad Ananiam Principem Sacerdotum ait: *Percutiet te Deus paries dealbate.* Diuinam percuſſionem minatur, & nullũ aliud in particulari crimen obiicit, quam quod paries dealbatus ſit. Cur non magis ſceleſtum vocat, ſiue ſacrilegium, quando illi proponit diuinam iram? Ad promerendam diuinam iram ſufficit id, quod ſub parietis dealbati nomine intelligitur, nimirùm, quod de pontificia dignitate non habeat aliud, quam externum nominis ſplendorẽ. Vbi enim quis ſine dignitatis fructu cũ ſolo nomine inuenitur, meritò poſſumus putare il-
D.Aug. li imminere iam diuinam iram. Ait D.Aug. lib. 1. in ſer. Domini in monte c. 32. *Paulus cum ait: Percutiet te Dominus, paries dealbate; Intelligentibus prophetia eſt. Paries quippè dealbatus, ſimulatio eſt ſacerdotalem præferens dignitatem, & ſub hoc nomine tanquam candido tegumento interiorem quaſi luteam turpitudinem occultans.* Et quis non prophetet imminentem ruinam, & certò venturam iis, qui ſub nomine dignitatis, nullum exhibent dignitatis fructum? Crede mihi homo, quiſquis es in dignitate conſtitutus, tũc places Deo, cum fructum dignitatis exhibes; vbi autem dignitatem ſine fructu habere incipis, & non de operibus eius, ſed de nomine ſolo gaudes; ſeueriſſimam in te ſolicitas diuinam iram, quæ à munere te deturbet.

Num. 17. Quas cùm poſuiſſet Moyſes coram Domino in tabernaculo teſtimonij; ſequenti die regreſſus inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui; & turgentibus gemmis erumperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt. Protulit ergo Moyſes omnes virgas de conſpectu Domini ad cunctos filios Iſrael, viderúntque, & receperunt ſinguli virgas ſuas. Dixítque Dominus ad Moyſem: Refer virgam Aaron in tabernaculum teſtimonij, vt ſeruetur ibi, &c.

§. VI.

Beneficentia, & charitas in hoſtes, & perſecutores floridos reddit fidelium animos.

EX duodecim virgis coram Deo poſitis ſola Aaronis virga in germen, & flores abiit. Dicit námque textus; *Inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis erumperant flores.* Ecce tibi in flores erumpit virga Aaronis, nimirùm Aaronis illius, qui vnà cum Moyſe paulò ante c. 16. proſtratus humi orauit pro iis, à quibus petebatur iniuriis, imò ſeſe flammis obiecit, vt eas depelleret à ſuis perſecutoribus. Et cur non totus floridus vadat, qui ſic beneficus, & humanus
Cant.2. extitit erga ſuos hoſtes? Ideò clamabat illa Cant. 2. *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. Fulcite me floribus, ſtipate me malis*, &c. Vbi in ſe charitatem ordinatam videt, pro florido accubitu clamat. Sed qualis eſt hic charitatis ordo, ex quo ſponſa
Guil.Ab. impellitur ad flores exoptandos? Ait Guilliel. Abb. apud Delrium: *Ordinauit in me charitatem; docuit eam, quomodo in primis Deum diligere debeat, proximum vt ſe ipſam; denique & hoſtem, eatenus vt malum malo non rependatur, ſed cum iniuria beneficium commutetur.* Vbi hanc doctrinam ebibit de hoſtibus diligendis, non miror, quod tota florida velit eſſe. Vt enim quis charitate
Actor.7. in hoſtes fertur, ſic floribus ſe totum aſpergit. Actor. 7. de D. Stephano ait textus: *Poſitis autem genibus clamauit voce magna, dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixiſſet obdormiuit in Domino.* Ecce tibi præſtantiſſimus Dei athleta medio in mortis conflictu pro hoſtibus ſuis Deũ exorat, & vix fundit orationem pro hoſtibus, cum ſtatim dicitur ſic occubuiſſe, quaſi in lecto obdormiſſet florido. Pulchrè enim D.Nyſſen. D.Nyſſ.
hom. in præſenti fatur: *Magnus Stephanus velati teneris floribus, vel rore quodam leui circunfuſus in dulcem ſimul, ac beatum ſomnum delatus eſt.* Vt inter teneros flores accubantem prandit ſuauiſſimus ſomnus, ſic nobilis Chriſti athleta dum precatur pro hoſtibus, florenti rapitur mortis ſomno. Nec mireris, quod ſub floribus occumbat, qui hoſtibus ſuis benefacere nouit, quando qui hac viget virtute, in nullo appareat diſtinctus à floribus. Ait Cant. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea* Cant.2.
inter filias. Lilium ab ſpinis punctionem accipit, quibus illud reddit ſuæ pulchritudinis honorem. Et illud præclarum eſt, quod lilium vndique videatur ſpinis compunctum; & ſpinæ pungentes illuſtrentur ſub lilij cãdore. Sic ſanè, qui perſequentibus ſe benefacit, nihil differt à lilio, quod pungentes ſpinas ad huc honorat. Induiſti homo hũc affectum, quo lenem, & manſuetũ, imò beneficum te exhibeas hoſtibus? Ergo lilium es, totúmque florum induiſti honorẽ. Ait ad hæc D.Bern. D.Ber.
ſer. 48. in Cant. *Non mediocris titulus virtutis inter praua viuere bonum, & inter malignantes innocentiæ retinere candorem; magis autem ſi his, qui oderunt pacem, pacificum, & amicum ipſis te exhibeas inimicis. Id planè ibi ſimilitudinem de lilio vindicabit, quod ipſas vtique pungentes ſe ſpinas candore proprio illuſtrare non ceſſat. An non lilium tibi videtur implere perfectionem euangelij, qua orare iubemur pro calumniantibus, & perſequentibus nos? Ergo & tu fac ſimiliter, & erit anima tua amica Domini, & laudabit te, dicens: quia ſicut lilium inter ſpinas ſic amica mea inter filias.* Habes homo, vnde floridus fias, imò vnde vt flos, & lilium in Dei paradiſo exiſtas: lilium es, ſi pro hoſtilibus puncturis te beneficum exhibeas: vt flos inter flores occumbes, quando ſciueris parcere inimicis.

§. VII.

Dignitatis receptæ locus nunquam non exhibeat Principem ſuauem, & mitem.

ILlud notare libet, quod ait: *Inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperant flores.* &c. Iam virga Aaronis in flores, & dulces efformatur fructus, quæ olim in ſerpentem efformata coram Pharaone ibat. Ait enim Exod. 7. *Tulit Aaron* Exod.7.
virga coram Pharaone, & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum. Tunc virga in colubrum vertitur, quem rebelles timeant, modò ea ipſa virga in tabernaculo poſita, ibíque relicta non in colubrũ, ſed in flores, ſed in fructus abit ſuauiſſimos. Et cur, quæ coluber fuerat rebellibus, in tabernaculo poſita, & flores, & ſuauitates emittit, vt etiã rebelles conuincat? Sanè iuxta tabernaculi oſtium acceperat primo Aaron dignitatis inſigne. Habes enim
Leuit. 8. *Congregatáque omni turba ante fores tabernaculi, ait Moyſes, iſte eſt ſermo, quem iuſſit Dominus fieri: Statímque obtulit Aaron, & filios eius*, &c. Inde non miror, quod dignitatis acceptæ in tabernaculo virga, dum in eodem tabernaculo ponitur nõ in duritiem, ſed in ſuauitatem, & dulcedínem efformetur. Nequit enim fieri quod vel ad memoriam loci dignitatis acceptæ, Principis animus non tenereſcat. Hinc Ioſephus apud Ege- Egeſipp.
ſippum lib. 5. c. 16. conueniebat Iudæos, quod deberẽt expectare benignitatem ex Cæſare: ait enim: *Spreuiſtis Neronem, ſed Veſpeſianus ſucceſſerat: qui benignus natura, benignior tamen etiam ſtudio eſſe potuit, quia in Iudæa imperium aſſumpſerat.* Et ſapienter putabat, omnia Iudææ debere eſſe ad benignitatem Principis extorquẽdam, qui in Iudæa principatum acceperat. Circa Ieſu

Domini

Domini natiuitatem Romæ fons olei ſcaturiuit, qui eius vnctionem regiam præmonſtraret,ait enim Paul.
p. Oroſ. Oroſius lib. 6. cap. 20. *Fons olei largiſſimus de taberna meritoria fluxit. Quo ſigno quid euidentius, quam in diebus Cæſaris toto orbe regnantis futura Chriſti natiuitas eſt? Chriſtus eius vnctus interpretatur.* Cuius in fontis loco poſtea templum beatæ Mariæ dicatum eſt,in eóque templo antiquitus Pœnitentiariæ ſedes fuit poſita. Et meritò,quando in loco, in quo vnctionis ſuæ regiæ Dominus primo adumbrarat imaginem, decebat, vt veniæ, & miſericordiæ oſtenderentur effectus. Quò reſpiciebant duo verſiculi affixi loci parieti,nimirùm.

Hinc oleum fluxit,cum Chriſtus Virgine luxit,
Hîc & donatur,veniæ quodcunque rogatur.

Sic locis,à quibus Principes ſuæ dignitatis acceperunt auſpicia,æquum eſt,vt maior eorum ſuauitatis, & & benignitatis appareat exhibitio. Vt in quibus quaſi efformati ſunt Principe,efformentur ſemper & ſuaues, & benigni.

§. VIII.

Fructus ſacerdotalis muneris in humilitate vera fundatur, qua nil ſibi quis attribuit virtutis.

EXciſſa à ſuo arbore, à ſua radice virga Aaronis inuenta eſt & flores,& fructus protuliſſe: *Et turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* Et cur Deus in Sacerdotis electi teſtimonium virgam ab arbore ſciſſam,& à radice ſeparatam fecit abire in flores,& in fructus? Ne quis ſacerdotalis dignitatis fructus, & ſplendores alij, quàm Deo attribuat, ſed in perfecta humilitate fundandos
D. Amb. putet. Quò reſpiciens D. Ambr. epiſt. 82. inquit: *Virga autem illa,quid aliud oſtendit,niſi quod nunquam ſacerdotalis marceſcat gratia, & in ſumma humilitate habeat in ſuo munere commiſſæ ſibi florem poteſtatis?* Expende in quo habeatur & flos,& fructus ſacerdotalis dignitatis, nimirum *in ſumma humilitate*:quippè qui nihil ſibi arrogat Sacerdos,nihil,aut ſibi,aut ſuis attribuit, ſed omnia bona Deo accepta refert,is & fructuoſum, & floridum conſeruabit perpetuò ſuum munus:Hinc,& Sacerdotum,& Apoſtolorum Princeps poſt ſanatũ claudum iuxta templi portam ſpetioſam, nil magis curat,
Actor. 3. quàm ne quid in eo facto videatur ſuum. Actor. 3. *Videns autem Petrus, reſpondit ad populum: Viri Iſraëlitæ, quid miramini in hoc,aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute,aut pietate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham,& Deus Iſaac,& Deus Iacob,Deus patrum noſtrorũ glorificauit filium ſuum,&c.* Ecce totus Petri conatus in eo erat, vt nihil ſibi attribueretur de tanto miraculo. Et cui in eo tantus erat Petrus? Nullo magis Sacerdotis gloria,& fructus conſeruatur, quàm ſi à ſe depellat omnem ſuſpicionem gloriæ vanæ, & Dei gloriam ex-
Chryſoſt. tollere gaudeat. Ait tibi D. Chryſoſt. hom. 9. in Acta, *Nihil enim ita prodeſt,& adducit auditores, vt ſi non ſolum nihil magnum de ſe dicat diſſerens, ſed etiam ſuperbiæ ſuſpicionem eximant. Sic tamen contempta gloria magis ſe ipſos glorificabant. Interim monſtrando,non humanum,ſed diuinum eſſe,quod acciderat.* Tunc magis auditores quis capit,illiſque vtilior eſt,quando nihil magnum ſibi arrogat,quando à ſe omnem vel ſuſpicionem vanitatis abradit. Vis homines capere,vis fructuoſum, imò glorioſum munus ſacerdotij tenere? Hoc toto conatu ſatage,vt nihil tibi attribuas, omnia Deo refer, & floridos,& ſecuriſſimos fructus ſacerdotij habes, imò tibi aſſiſtentem habes diuinam integram poteſtatem ad ca-
Matth. 4. piendos omnium animos. Hinc Matth. 4. *Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ vidit duos fratres Simonem, qui vocatur Petrus,& Andream fratrem eius mittentes rete in mare,erant enim piſcatores:& ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Sic viles, & deſpectos homines eligis ad hominum animos expiſcandos? Cur, Domine, hos potius, quàm potẽtes operibus, & ſermone tibi aſſumis,vt fructum afferant circa ſalutem animarum? Illi eliguntur,qui minus ſibi poſſint arrogare,quo enim quis minus ſibi attribuit,magis integram ſeruat in ſe diuinam poteſtatem, qua fructus faciet. Ait D. Baſil. Sel. orat. 30. *Fas mihi fuit, Regibus vti miniſtris,* (ait Dominus) *fas mihi fuit Rhetorum linguas doctrinæ adminiſtras attrahere, potui Angelorum ordinibus prædicandi munus credere ſed tunc famulantium ſplẽdor gloriam meam ad ſe raperet. De eius enim exiſtimatione,qui rem gerit,famulorum potentia quiddam detrahit. Vos ego comperio fidos miraculorum meorũ cuſtodes. Quibus enim nullum humanum præſidium præſens eſt,apud hos Dei poteſtas retinetur in integro.* Baſ. Sel.

Sanè in nullis integrior Dei poteſtas eſt efficacior, quàm in illis,qui nihil ſibi poſſunt arrogare,qui ita ſe reputant totius boni expertes,vt nihil ſibi attribuant,ſed omnia Deo habeant relata. Ex his omnis poteſtas lucrandi animas naſcitur, quæ minus habent,vnde alij, quàm Deo, facinus tribuatur. Hinc de Ieſu reclinato in præſepio locutus Theod. tom. 6. Concil. Epheſ. append. 5. cap. 2. hom. de Theod.
Natiuit. ait: *In certo naſcitur prædio, agrum incertum ad natiuitatem eligens, paupercula paritur à virgine,per omnia paupera graditur,vt per eiuſmodi ad ſalutem hominũ venaretur.* Ecce tibi,vt omnia paupera,& humilia præmittit Dominus,quibus homines venetur,& trahat captiuos;eſt equidem in humilitate hamus,eſt rete, quo homines maximè trahuntur.

§. IX.

Præcoci virtutum flore qui iuueneſcit,copioſam cœleſtis panis meſſem ſperet.

ECce tibi Sacerdotij Aaronici ſtemma, virga eſt amygdalina refloreſcens, & amygdalarum nuces germinans:quippè ait: *Gemmis turgentibus eruperant flores,qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* Et cur ſacerdotij Aaronici virga amygdalina eligitur,quę floribus, nucúmque ſuarum fructibus diteſcat? Iam ibi oſtendebatur diuini panis copioſiſſima meſſes, quæ à Deo Sacerdotibus, temporibus Chriſtianis, erat metenda;florens enim,& germinans fœliciter amygdalus ſuperuenturas denotat copioſas frumenti meſſes. Quò refero præcellentiſſimum Poëtam Virgilium,agricul- Virg.
turæ ſapientem; hic enim de amygdalinis arboribus locutus ait:

Contemplatur item,cùm ſe nux plurima ſyluis
Induet in florem,& ramos curuabit olentes,
Si ſuperant fœtus,pariter frumenta ſequentur,
Magnáque cum magno veniet tritura calore.

Equidem copia florum, germiniſq; quæ ſe in amygdalis oſtendit,ſimul denotat cũ creſcenti calore venturam copioſiſſimam frumenti meſſem. Vt iam diſcat Aaron in floribus ſuæ virgę,quales diuini panis meſſes populis parentur,vbi diuinus calor humana corda poſſederit. Et ſimul diſcat homo,quibus ſe ad ſupernas dapes præparet, nimirùm ſi præcocibus virtutũ floribus iuueneſcat. Amat equidem cœleſte epulum refloreſcentes animos, præcocibúſque virtutum germinibus iuueneſcentes ſequi. Similiter Exod. 12. dum agni epu- Exod. 12.
lũ à Deo paratur populo ſuo,cauet in primis, vt epulũ fiat menſe anni primo,qui eſt *Niſan*; ait enim: *Menſis iſte vobis principium menſium:primus erit in menſibus anni: Decima die menſis huius tollat vnuſquiſque agnum,&c.* Vbi Rab. ait: *Menſem primum vocat Niſan*, & ſic vni- Rabb.
uerſi expoſitores. Et quando Niſan correſpõdet Martio,& Aprili noſtro, cur agni epulum non alio menſe permittitur,niſi vt telluris exemplo diſcat homo,quam debeat refloreſcere, & iuueneſcere, qui ſeſe diuino excipiendo epulo parat? Pulchrè ait Rup. lib. 2. c. 5. in Rup.
Exod. *Ipſa menſis Niſan,id eſt, Aprilis verna temperies, cum tellus refloreſcit,totúſque poſt hyemem,quaſi poſt ſeniũ, rurſum iuueneſcit orbis,nonne hominem docet,quatenus re-*

nouatus spiritu mentis suæ,fide viridis,spe lætus, charitate floridus,epulis agni paschalis interfit? Planè refloreſcens homo, multíſque virtutũ germinibus iuueneſcẽs ſeſe maximè præparat, vt capere poſſit ditiſſimas diuinæ menſæ epulas.Et quis gratiæ ſegetem metat, qui in ſe
Isaias 64 primo non iuueneſcat,& refloreſcat?Ait Iſaias cap.64. *Facti ſumus vt immundus omnes, & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ: & cecidimus quaſi folium vniuerſi,& iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerũt nos. Non eſt,qui innocet nomen tuum.* Non erat,qui os aperiret,vt ſaltem inuocaret nomen Domini. Et vnde tanta ariditas,& ſterilitas in ore?Ipſe ait:*Cecidimus quaſi foliũ*; vt arbores aduenientе hyeme ſeneſcentia dimittunt folia,ſic iſti erant in homines vetuſtate decidentes, ne miremur, quod minimè apтentur diuinæ gratiæ excipiendæ,quæ refloreſcentes, & iuueneſcentes animos
D.Cyril. ſequitur.Vnde ait D.Cyril.Alex.lib.5.in Iſaiam tom.*6 Cecidimus tanquam folia de arbore. Nec quiſquam eorum eſt,qui germanè,ac genuinè ſciat Deum inuocare, aut qui meminerit coniunctionem,quæ cum ipſo eſt,apprehendendã, & amplectendam promptè,& quaſi iuueniliter.* Ne mireris, quod decidant, quod Deum non apprehendant, quando non iuueniliter apprehendunt,non in nouitate vitæ,nec quaſi in refloreſcenti iuuentute ad Deũ accedunt.Qui ſic non nouellatur,fallar,ſi ore penitùs nõ areſcat.Nouiſti Zachariam Ioan.patrem,vt propter incredulitatẽ ſic ore cœpit areſcere, vt mutus maneret.
Luc.1. At poſt natum filium Luc.1.*Repletus Spiritu ſancto prophetauit,dicens:Benedictus Dominus Deus Iſraël,* &c. Et
Iren. qui mutus erat,vnde prophetat? Ait D. Irenæus lib.3. c.2.*Zacharias deſinens mutus eſſe,quod propter infidelitatem paſſus fuerat,nouello ſpiritu adimpletus noue benedicebat,*&c.Expende illud *nouello ſpiritu*, quippè non antequam interius iuueneſceret, os ſuum benedictionibus impleuit.Simul nouitas in animo,& benedictiones diuinæ in ore refulſerunt.

§. X.

Summa nobis vigilantia opus eſt.

NOn otioſè virga Aaron amygdalina oſtenditur ex fructu,vbi ait:*Eruperant flores,qui foliis dilata-*
D. Cyril. *tis in amygdalas efformati ſunt.* Cur amygdalina? Ait D. Cyril.Alex.in cat.Græca: *Gerit talis arbor ſymbolum vigilantiæ.* Nec immeritò Sacerdos vigilantiæ admonetur;nullus enim virtutis flos eſt,qui vigilantia maxima
Cant.2. non indigeat.Aiebat ſponſus Cant.2. *Sicut lilium inter ſpinas,ſic amica mea inter filias.* Ecce vt erat lilium, ſic vndique imminebant ſpinæ,niſi attendat ſibi,niſi vigi-
D. Bern. let. Ex quo D.Ber.ſer.48.in Cant. *O candens lilium, ô tener,& delicate flos,increduli, & ſubuerſores ſunt tecum, vide quomodo cautè ambules inter ſpinas.* Equidem, qui virtutibus flores, niſi videas, niſi vigilantibus oculis maximè attendas, nequit fieri, quod mille in mortes non recidas.Cum Ieroſolyma obſideretur,Iudęus quidã Caſtor nomine vocabat Romanos è muro,vt ſe ad
Egeſipp. illos reciperent fugientem.Quid tunc?Ait Egeſipp.lib. 5.c.3.*Æneas tamen proprius murum ſucceſſit, & vt aduenientem ſuſciperet,occurrit.Cui Caſtor vociferans, vt ſinum aperiret,aurum exciperet, ſaxum dimiſit. Ille oculis vigilantibus lapidem præuidit, celeríque corporis ſaltu lapſum euaſit: alium tamen prope adſtantem ſaxi inuoluit immanis ruina.* Expende illud: *Oculis vigilantibus ſaxũ præuidit*;ſaxa ſunt,quæcunque ex mundo nos circundant,quæ hoſtes noſtri ſic colorant, quaſi aurum ſint, quaſi noſtris vſibus accommoda. Horum damna ille ſolus non ſentit,qui vigilat, qui vigilantibus oculis lapidem in ipſis deliciis præuidet, qui hoc non attendit, immanibus ruinis inuoluetur. Et quando non vigilare
Matth. 8. non fuit periculoſum? Ait Matth.c.8. *Et aſcendente Ieſu in nauiculam,ſecuti ſunt eum diſcipuli eius;& ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus,ipſe vero dormiebat.* Vix nauicula ſe fluctibus commendat, & commoti fluctus aduerſus nauiculam feruntur,eiúſque latera acriter verberant,& pene iam trementem ſubmergunt.Et vnde tam ſæua tempeſtas? Vnde tam periculoſa ventorum certamina ſurrexerunt? Ait textus:*Ipſe vero dormiebat*,dormiebat Ieſus,& oſtendebat, quot minimè vigilantes pericula petant. Dormiebat,inquam,Ieſus non inertia, ſed ſtudio, vt doceret,quàm debeat vigilare,qui in mari huius mundi periculis liberum iter agere velit. Ex quo ait D.Ba- D. Baſil.
ſil.orat.22. *Aduerſus diſcipulos cum talis tempeſtas deprælіaretur,Dominus dormiebat. Ecquod hoc tantum nauigantibus prælium? Somnus.O ſomnium quo fidem dormitantem ex media maris tempeſtate Dominus excire parabat.* Vt dormitantis fidei damna præmonſtret Dominus,dormiebat ipſe oculis corporis. Quid tunc? Videres furere ventos,ſæuire fluctus,nauiculam ſubmergi, quorum diſcriminum cauſa vnus ſomnus erat. Crede mihi,ſi dormiat in te fides,ſi non vigilas animo, ſummis paſſim perditionis periculis inuolueris.

§. XI.

Sub Chriſti paſſi ſigno omnes de principatu contentiones vt debent quieſcere.

FLorida Aaronis virga iubetur in ſanctuario aſſeruari,vt ſit in ſignum rebellibus,& de principatu contentio conquieſcat.Dicit enim:*Refer virgã Aaron in tabernaculũ teſtimonij,vt ſeruetur ibi in ſignum rebelliũ filiorũ,& quieſcant querelæ eorũ a me.* Supra c.16. ſimiliter iuſſerat Dominus,vt combuſtorum thuribula in laminas extenſa affigerentur altari in teſtimonium populo. Sic enim habes:*Tollat thuribula, quæ iacent in incendio,* &c. *producátque ea in lamnas, & affigat altari: vt cernat ea pro ſigno,& monimento filij Iſraël.* Non tamen addit: *quieſcant querelæ*; & cur cum thuribula combuſtorum appenduntur in ſignum rebellibus, non additur, *vt quieſcant querelæ*; cum autem virga Aaronis in ſignum aſſeruatur,ſtatim additur illud,*vt quieſcat querelæ*? Vnde ſola virga florens,& germinans cenſetur efficacior ad ſedandas querelas, & contentiones de primatu, quàm thuribula repræſentantia mortes ducentorum, & quinquaginta rebellium? De virga Aaronis aiebat
D.Aug. D.Aug.ſer.99.deTemp.*Vnus ſolus eſt Pontifex Aaron, cuius virga germinauit: verum quoniam verus Pontifex Chriſtus eſt,ipſe ſolus eſt,cuius virga crucis,non ſolum germinauit, ſed & floruit, & omnes hos credentium populorum attulit fructus.* Itáque virga Aaron repræſentabat non rebellium mortes, ſed Ieſu patibulum, ſub qua repræſentatione non miror,quod quieſcant omnes de primatu contentiones. Non ſic ad conſpectum innumerabilium morte affectorum, vt ad conſpectum dominicæ crucis contentio de primatu conquieſcere poteſt. Dum Ieſus apparuit in cruce ſuſpenſus ait Luc.c. Luc.23.
23. *Tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terram vſque in horam nonam. Et obſcuratus eſt Sol.* Antiquitus diuiſum erat & diei,& noctis imperium, adeò vt Sol diei imperans non pateretur ſecum tenebras noctis, ſed eas quam primum à ſua ditione expellebat. Modò autem Sol in ditione ſua noctis tenebras admittit,nec eis repugnat, neſcit enim in conſpectu crucifixi de iuriſdictione contendere. Pulchrè enim ait D.Chryſoſt.ſem. 3.de Paſſ.*Adhæſit quietum corpus Chriſti ſtipiti, & immobile lignum inconcuſſa membra portauit. Minatur ecce propria mundus excidia,& rerum natura inuſitato pauore terretur,Sol abſcondit radios ſuos, & Orbem globus luminis obſcurauit, atque incubatricem noctem diſſimulato iure contradictionis admiſit.* Expende illa,nimirùm: *Diſ-*
Chryſoſt. *ſimulato iure contradictionis*, quippè in conſpectu Chriſti crucifixi nulla creatura eſt,quæ non cedat iuri ſuo. Et quis contendat pro loco primario,pro iuriſdictione coram Dei filio cruci ſuffixo? Efficaciſſima eſt eius paſſio,

passio,vt contentiones ambientium comprimat. Pulchrè notauit Lucas passionis dominicæ processus scribens cap.23. *Et facti sunt amici Herodes, & Pilatus ipsa die: nam antea inimici erant ad inuicem.* In causa autem inimicitiarum erat contentio de iurisdictione, & primatu, quæ solet frequens esse inter vicinos Principes. Id insinuat ex Theophylacto, D. Thom. in cat. fatus: *Fit amicitiæ communis exordium, quasi Pilato non vsurpante sibi subditos ditioni Herodis,* & quando amicitia inde incepit, quod videretur Pilatus non vsurpare Herodis iurisdictionem; sane primæ contentiones, & rixæ pro iurisdictione, & dominatus priuilegiis erant. Hæ tamen prorsus cessauerunt, vbi Christus Dominus morte dānandus sistitur iis principibus. Ille enim solus potens est similes contentiones sistere. Et decuit, vt hæc Iesu patientis potestas prius ostenderetur in suis iudicibus. Ait D. Cyril. Ierosol. Catech. 13. *Decebat eum, qui mundum erat pacificaturus, vt prius etiam ipsos iudices suos pacificaret. Et erat ipse Dominus componens corda principum terræ.* Equidem Principum corda ambientium principatus præcellentias, de illisque contendentium vnus Iesus patiens valet componere & sua efficacia, & suo exemplo.

Lucas 23

D. Tho.

D. Cyril.

CAPVT XXVII.

De contradictionis aqua.

Textus Historia.

LUxerant, ex quo egressi sunt ex Ægypto Israëlitæ, anni triginta & nouem; quorum duos primos impleuerunt, quæ vsque huc dicta sunt: cæteros omnes pax clausit, & Scripturæ silentium. Vix autem quadragesimus annus incœpit, & primo eius mense eripitur è viuis soror Moysis Maria. Nec credam tantæ fœminæ defuisse & fratrum, & totius populi fletus, quos forsan Scriptura non meminit, dictura Moysis, Aaronisque offensam longè maiori dignam lamento. Ij post tot annorum quietem noua populi seditione ob aquæ penuriam exagitati, à Deo viuidas aquarum venas apetiri contendunt. Iubet Deus aquas à saxo peti. Non omnino persuadentur fratres velle Deum sic mederi siti rebellium: & Moyses sublata virga bis silicem percutit, & virga voce duriori seditiosorum animo ferit, quasi incertus si velit illis Dominus fauere. Infidum senem conuicit copiosissimum aquæ fluentum, à percussa rupe profectum, & grauius conuicit Dei sententia, quæ familiarissimo antiquitus sibi viro abnegat promissæ terræ ingressum. Quid mirer? Tot infidelium subditorum turmæ tandem in erroris, & pœnæ aliqualem societatem suum Principem rapuerunt. Vnde aquæ tanto miraculo extortæ infaustum contradictionis nomen acceperunt.

PARS VNICA MORALIS

Circa textus literam.

ITerum rupes aquas vomit, ne stylus noster arescat, sed miraculoso fluento recreatus ad nouas virtutum euolet faciendas messes.

Numer. 20. Venerunt filij Israël, & omnis multitudo in desertum Sin, mense primo, & mansit populus in Cades, Mortuáque est ibi Maria, & sepulta eodem loco. Cúmque indigeret aqua populus, conuenerunt aduersum Moysem, & Aaron; & versi in seditionem dixerunt; Vtinam periissemus inter fratres nostros coram Domino. Cur induxistis nos in solitudinem, vt nos, & iumenta nostra moriamur? &c.

§. I.

Ambitio funerum & sepulcrorum taxatur.

TAnta illa fœmina, & matris Dei nomine, & virginitatis professione insignis moritur in deserto, & inibi sepelitur. Sed qua ambitione, & pompa peractum fuit illius funus? Vnum hoc dicit textus: *Mortua est ibi Maria, & sepulta eodem loco*; nihil de impensis, & pompa funeris, nec de ambitione sepulcri dicit; nec deceret, quòd Moyses, & Aaron Israëliticæ Reipulicæ moderatores, & fundatores permitterent vanissimos, & ambitiosissimos funerum sumptus in sororis funere, & sepulcro. Et vtinam discamus à sanctissimis iis, & sapientissimis principibus abstinere à vanis sepulturæ sumptibus. Sanè Iesus Dominus plenus aromatibus, pretiosisque linteaminibus positus erat in sepulcro, vbi autem resurrexit, ingressus Ioannes in monumentum cap.20. *Vidit linteamina, & sudarium, quod fuerat super caput eius,* &c. Et quidem vt fidem resurrectionis faceret, vulnerum cicatrices reseruauit, quas & ostendit discipulis, linteamina autem aromatibus plena reliquit in sepulcro. Cur non magis & cum cicatricibus vulnerum, & linteamina seruauit, illáque secum tulit, vt illis obiectis testaretur etiam discipulis se resurrexisse? Cur hæc maluit in sepulcro relinqui, nisi vt ostenderet hominibus parui æstimari, quæ conducunt ad solos funerum sumptus? Ex quo monebat D. Chrysostom. 84. in Ioan. *Consolatus est Ioannes videndo linteamina posita, & sudarium separatum reuolutum. Tu autem cùm audieris nudum Dominum resurrexisse, cessa, quæso, ab insana funeris impensa. Quid sibi hoc superfluum vult, & inutile dispendium, quod ipsis, qui faciunt, plurimum affert detrimenti, mortuis autem vtilitatem nullam?* Et quis amicorum funera, & sepulcra illis impensis impleat, quæ despicienda sunt à resurrecturis? Crede mihi, nō Deo placent, non defuncto vana dispendia in pompis funerum, & sepulcris. Adeo, vt cum inter misericordiæ opera ponatur, quod proximorum curemus sepulturas, & hoc in opere sanctissimi floruerunt viri. Cùm tamen in iudicio hominibus accepta refert misericordiæ, minimè sepulturæ meminit. Ait Matth. 25. *Esurii, & dedisti mihi manducare. Sitiui, & dedisti mihi bibere. Hospes eram, & collegistis me. Nudus, & operuistis me. Infirmus, & visitastis me. In carcere eram, & venistis ad me.* Ecce tibi, quam minutatim numerat opera misericordiæ exhibita circa cibum, & potum, & vestitum, & hospitium, & leuamen ægritudinis, & de sepultura autem nec verbum dicit. Cur non ait: *Mortuus fui, & sepeliistis me?* An non placet illi officium sepulturæ? Absit; sed voluit sic traducere vanos sepulcrorum funerúmque sumptus. Ait D. Chrysost. vbi supra: *Vt intelligas nihil curæ hæc Christo esse ait: Esurientem me vidistis, & dedistis mihi manducare: Sitientem, & dedistis mihi bibere: Nudum, & induistis me, non autem mortuum, & sepeliistis me. Quod ego, non vt sepulturam tollam, dico, absit; sed luxuriam, & superfluam ambitionem.* Hunc spiritum ebiberunt omnes sancti, & prudentes viri, quo abominabantur superfluam ambitionem funerum De sapientissimo senatore Pamachio in vxoris funere ait D. Paulinus epist. 35. *Quam non vacuam fletibus, neque vano pomparum inanium honore comitatus est, sed remediis salutaribus, sed viuis operibus eleemosynarum prosecutus, debito ordine, primo charo funeri iusta persoluens, piis lacrymis, & largo charitatis rore perfusus religiosas exequias honorasti.* Hic est verus honor, & profiuus defunctis, qui viuis operibus charitatis exhibetur, non qui inanibus pomparum sumptibus ostentatur.

Matt. 25

Chrysost.

Paulin.

§. II.

Carnales homines nil aliud æstimant nisi saturitatem, & abundantiam.

ECce tibi vt penuria aquarum incœpit sentiri, & seditio exoritur, & rebellatio in Deum, & Moysem, &

& vilipendium vitæ,& salutis. Ait enim : *Cúmque indigeret aqua populus , conuenerunt aduersùs Moysem, & Aaron ,& versi in seditionem dixerunt : Vtinam periissemus inter fratres nostros coram Domino*,&c. Sic carnales homines , vbi penuria laborant aquarum , nihili æstimant, quod euaserint tot pestes , tot mortis pericula; imò nihili æstimant Deum, neque Moysem , quos solum suspiciunt, cum ex Deo habent saturitatem. Ioan. c.6.fecit Dominus multitudinem ingentem Iudæorum discumbere in terra,insuper famelicos hos & piscibus,& panibus saturauit.Quid tunc?*Illi ergo homines cùm vidissent, quod Iesus fecerat signum , dicebant ! Quia hic est verè propheta, qui venturus est in mundum.*Multa alia viderant miracula super iis,qui infirmabantur,propter quæ & illum in desertum sequebãtur. At nunquã aliàs confessi dicuntur Iesum esse verè prophetam à patribus expectatum. Cur modò hanc tantam confessionem faciunt?An quia fideliores facti sunt?Minimè,sed quia sunt exsaturati.Saturitas est, quo reguntur carnales,clauus. Dum illos saturas,habeberis ab illis propheta,habeberis sanctus , imò non dubito quin Deus habearis,Verum vbi primum penuria intrauerit , te expuent , te abnegabunt.Ait D.Chrys. hom.41. in Ioan. *O gulæ incredibilem auiditatem ! Maiora iis miracula , & quidem innumera operatus est Iesus , neque hoc vnquam confessi sunt , nisi nunc exsaturati.* Videbant plura miracula à Iesu facta, & nunquam illum confessi sunt prophetam sperasse;nunc autem iam illum prophetam clamant , & Deum clamabunt, dum nulla penuria laborant,sed sunt saturati. Nec in acclamatione prophetæ quiescunt; dicit enim Ioan. 6. *Iesus ergo cum cognouisset , quia venturi essent , vt raperent eum , & facerent eum Regem,fugit iterum in montem* , &c. Quis ignoret antehac Iudæorum calumnias ? Vt Iesu insidiabantur, vt Sabbathi trangressorem habebant , vt malè de eius obseruantia suspicabantur. Modò nihil horum ponderant,imò nihil horum recordantur,sed illi cupiunt regnum tradere. Et qualis res tantam in eorum animis mutationem causauit? Vna fuit saturatio, dum se videt saturos,nihili æstimãt,alia cõtenti sunt,& affecti erga saturantem.Id,quod notans D.Chrysost.supra ait: *Proh quanta gulæ vis,quam mutabilis sententia ! Iam non amplius calumniantur , nec Sabbathi transgressionem curant, neque Dei zelo mouentur , omnes has curas pleno ventre abiecerunt,propheta erat, Regem volebant,Christus autem fugit.*Vna est gula,quæ homines carnales quietos , aut inquietos habet. Dum gula saturata aquescit , quiescunt ipsi,cõtentiones,& seditiones vel pro Deo abominantur.Si gula laborat penuria , tunc nulli parcunt, neminem verentur,vel aduersùs Deum murmurabũt.

Numer. 20. Ingressúsque est Moyses, & Aaron dimissa multitudine in tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram , clamauerúntque ad Dominum,atque dixerunt ; Domine Deus audi clamorem huius populi , & aperi eis thesaurum tuum , fontem aquæ viuæ , vt satiati cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos. Locutúsque est Dominus ad Moysem,dicens:Tolle virgam , & congrega populum tu , & Aaron frater tuus , & loquimini ad petram coram eis , & illa dabit aquas,&c.

§. III.

A Dei cultu humanitas in proximos venit.

Seditiosorum fugiunt factionem Moyses , & Aaron, & tabernaculum ingrediuntur , ibique multis nituntur à Deo commoda suis rebellibus extorquere.Sic ait textus:*Ingressúsque est Moyses , & Aaron in tabernaculum fœderis,corruerunt proni in terram, clamauerúntq; ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus audi clamorem huius populi*,&c. Cur non magis petunt vindictam contra rebelles? Cur non magis solicitant diuinã iram aduersùs eos, qui sibi existunt molesti ? Fateor sanctos hos multum irritari à rebellibus,cum cogũtur fugere ab eis,sed vbi ad Dei tabernaculum perueniunt , vbi se sistunt Deo , non possunt non tenerescere in ipsos rebelles,eorúmque malis dolere , & à Deo postulare remedium.Habet enim hoc præcipuum Deus verus,vt non æstimet cultum eorum, qui humanitate in proximos non tenentur. Meritò Ionas à ceto voratus , & in ventre eius orans dicebat cap.2.*Ego dixi: Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum , veruntamen rursus videbo templum sanctum tuum.* Et cur tantus propheta sic repellebatur à Dei conspectu? Cur à Dei oculis se agnouit reiectum?Nihil aliud in eo inuenies,nisi inhumanitatem in peccatores ; mittebatur in Niniuitas , vt illis denuntiaret imminentem pœnam ; ille autem cauens, ne ex sua denuntiatione tracti ad pœnitentiam supplicium euaderent,legationem detrectat , vt miseri Suorum criminum luant pœnas.Ob hoc traditur vorandus belluæ,ab oculis Dei reiicitur , nec permittitur videre sanctum Dei templum,donec mansuetior in peccatores efformerur.Ex quo aiebat D.Basil.Sel.orat.12.*Homines , qui nullo alieni mali sensu tanguntur , in diuersum Deus agit,& neque propheta parcit,veniam flagitiosis dare nolenti,neque eorum reueretur iustitiam,qui inhumanitate laborant.*Multis licet virtutibus coruisces aliis, si in proximos inhumanus es;si non molliris fratrum miseriis , nec ad misericordiam illis habendam inclinaris, nullus apud Deum es,nec ille vllum tuis virtutibus respectum habet.Hinc primo se se ostendit cultus Deo placitus,si adiunctam humanitatẽ in proximos habeat. Imò hinc discernitur,qui colit Deum, ab eo qui creaturis famulatur.Ait enim Dominus Ezech.c.11.*Spiritũ nouum tribuam in visceribus eorum : & auferam cor lapideum de carne eorum,& dabo eis cor carneum.* Magnum hoc , quod Deus suis cultoribus promittit , nimirùm quod aufert ab eis lapidea corda. Sed illud valde est mirandum,quod corda lapidea haberent homines carnei. Vnde hominibus tantum obuenit malum, quod circa præcordia lapidascerent ? Vnde sic obriguerunt humana corda , vt essent instar lapidum ? Ait D.Cyril. Alex.in c.15.Zach. *Cùm creaturæ potius seruirent, quam Creatori,velut lapideum cor,durúmque,& inflexibile,& in morem petrarum nullos fructus afferentium , habebant.* Ecce tibi discrimen euidens eorum,qui creaturis , aut Deo famulantur. Ex creaturarũ famulatu hoc habes,vt tibi cor lapidescat , nihilque molle , nihil blandum, nihil suaue in proximos tractet. Ex cultu Dei totus fis suauis,& blandus,vt condolere possis fratrum infirmitatibus.Nec est,qui ad Deũ oculos vertat, quin statim fiat ipsa suauitas,vel in aduersarios. Act. 7. aiebat Stephanus:*Ecce video cœlos apertos,& filium hominis stãtem à dextris Dei.*Ex quo raptus ad mortem, dum inter aduersariorum lapides iactos animam agit:*Positis genibus clamauit voce magna,dicens : Domine ne statuas illis hoc peccatum.*Quid magis connexum?Filium Dei vidit, & in hostes manauit suauitate. Ait D. Nyssen. orat. de S.Stephano: *Sic is,qui Christum cernit , aduersus hostes se gerere nouit. Quoniam enim lenitatis præceptorem videbat, recordatus est legum ab eo latarum , inimicos diligere iubentium,& benefacere odio prosequentibus , & pro hostilia facientibus orare.*Sic de Dei conspectu homo suauiatur vel erga molestissimos sibi contrarios.

Ioan.6. Ioan.6. Chrysost. Chrysost. Ion 2. Bas.Sel. Act.7. Nyssen. Ezech.11. Cyr. Ale.

§. IV.

Qui Deo nititur, dum solum loquatur,omnia sibi supeditari faciet.

HOc petit Dominus à sibi fidis ministris , vt loquantur,quo solo omnia supeditari sibi facient.

Sio

Sic modò ait : *Loquimini ad petram, & illa dabit aquas.* Non alia maiori diligentia eget Moyſes, vt vel de aridis ſaxis extrahat riuos aquarum, quam quod loquatur ad ſaxa. Sola enim Moyſis vox potens erat ingenti populo omnia miniſtrare neceſſaria. Ait D. Baſil. Sel. orat. 26. *Comprehenſa virga Moyſes elementis imperabat ; & conſerui vox lata paſcebet Iſraël.* Sic qui Deo nititur, qui Dei miniſterium peragit, virgam habet, quam vniuerſæ creaturæ verentur, & eius vox ſola facit omnia, vel in arenti ſolo abundare. Siue è rupibus aquæ eruẽdæ, ſiue ex aëre trahendæ carnes, ſiue panes de cœlo, loquebatur Moyſes, & eius vox lata ingentem populum paſcebat. Et quid non poſſet vox hominis in Deo fidentis ? Inermis, & inexercitatus puerulus Dauid introducitur, 1. Reg. 17. aduerſus armatum Philiſthæum, & ecce tibi qualia imprimis arma exerat puerulus: *Dixit Dauid ad Philiſthæum: Tu venis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo ; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſraël, quibus exprobaſti hodie, & dabit te Dominus in manu mea,* &c. Expende vocem, & non miraberis trophæum, ait enim confidens: *Dabit te Dominus in manu mea* ; hæc dixit, hæc accepit. Id, quod ponderans D. Chryſoſt. hom. 3. de Dauide, & Saule ait : *Hæc vox lapidem veluti manu direxit in Goliath, hæc pauorem incuſſit barbaro, hæc hoſtis confidentiam fregit. Et quid miraris, ſi vox iuſti, & furorem mitigat, & hoſtes deiicit, cum impios quoque ſpiritus expellat ? Loquebantur tantum Apoſtoli, & fugiebãt aduerſariæ poteſtates. Vox ſanctorum frequenter & elementa ſtare fecit, & poteſtates illorum immutauit. Locutus eſt tantum Ieſus Naue, & conſtitit Sol, & Luna. Sic Moyſes*, &c. Planè eius, qui Deo fidit, vox validiſſima eſt, vt faciat ſibi ſeruire omnia elementa, vt faciat, quod ſibi vel à rupibus bonorum flumina veniant. Ingeritur poteſtas Dei hominis ſui voci, & ſic nullos non deliciarum fluuios facit parturiri, vel in ſolo arenti. Quò Ioannes reſpiciens Ioan. 1. ait : *Ego vox clamantis in deſerto.* Nullas alias vires, nullam aliam ſubſtantiam, nec potentiam ſibi voluit attribuere, niſi ſubſtantiam vocis clamantis in deſerto. Et quando ſe vocem dicebat, miror, quod non potius dicat ſe eſſe vocem clamantis in platearum frequentia, in hortis deliciarum, inter paradiſi fruteta. Ad hanc vocem multi currerent ; ad vocem autem clamantis in deſerto, quis non vereatur accedere ? Quis non timeat ſibi à fame, & ſterilitate deſerti ? Cur ergo non magis cauet ſe vocare vocem clamantis in deſerto? Vbi dicit vocem clamantis, vocem Dei intelligit, qui ſuorum voci inſertus, eam illi indit potentiam, qua faciat vel ab arenti deſerto & ſites, & fames humanas expleri. Eò aſpiciebat Origen. ibi fatus : *Ait ſe vocem eſſe non clamantem in deſerto ſed clamantis in deſerto, ſtantis, & vociferantis, ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Non te moueat, quod vox Ioannis ſonet in deſerto, ea enim vox nititur Deo, vbique clamanti, & potum offerenti ſitienti. Qui neminem ſitire permittit, ſed vel arentia ſaxa deſerti in vaſa conuertet, quæ dulciſſimo latice tuam ſitim expleant.

Baſ. Sel. 1. Reg. 17 Chryſoſt. Ioann. 1. Origen.

§. V.

Fidei vis ſupra omnes creaturas ſit.

CVm aquas petunt, ad petram aridiſſimam mittuntur, vt inde illas accipiant ; ait enim: *Loquimini ad petram, & illa dabit aquas.* Cur non magis ad nubes, vel ad cœlum roſcidum, vel ad ſolum humidum mittuntur? Quid petræ ariditas cum aquis ? Sed mauult Deus, vt fidei noſtræ vis maior ſit omni obſiſtenti natura. Matth. 8. *Ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt naucula operiretur fluctibus, ipſe verò dormiebat. Et acceſſerunt ad eum, & excitauerunt eum dicentes* ; Domine ſalua nos, perimus. *Et dicit eis : Quid timidi eſtis modicæ fidei?* Modicam, & contemptibilem fidem eorum mordet, quod timuerint ſæuientem maris tempeſtatem. Et cur in tam iuſto timore eorum modicam fidem damnat, niſi quia in ſuis eam fidei magnitudinem requirat, quæ ſuperior ſit omnibus incurſibus creaturarum? Ait D. Baſil. Sel. orat. 22. *O dignas Domino voces ! Vult fidei vim rebus conditis eſſe valentiorem, & ad fidei præſentiam omnem ab anima deſperationem eliminari.* Nulla natura debet eſſe adeò fortis in repugnando, quæ per fidei vim non vineatur. Hæc valentior omnibus debet eſſe, nullúmque aditum relinquere in anima, vel dubitationi, vel timiditati. Ex quo extollit Abrahamum Paulus ad Rom. 4. aiens: *Qui contra ſpẽ in ſpem credidit: vt fieret pater multarũ gentiũ. Et non infirmatus eſt in fide, nec cõſideranit corpus ſuum emortuum, cum ferè centum eſſet annorum, & emortuam vuluam Saræ. In repromiſſione etiam Dei non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide.* Chryſoſtomus legit: *Roboratus eſt fide*, quando quidquid naturæ erat obſiſtebat, & repugnabat promiſſioni, tale robur fidei adiecit Abrahamus, quæ ſuperaret vniuerſas naturæ leges, omnémque hæſitationem ab animâ expelleret. Crede mihi, nulla debet eſſe naturæ potentia, ſupra quam fides non ſe maximè efferat. Matth. 14. *Deſcendens Petrus de naucula ambulabat ſuper aquas, vt veniret ad Ieſum.* Vnde hoc? Ait D. Cyril. Ieroſol. Catech. 5. *Credens ambulauit ſuper aquas, omni fundamento firmiorem ſuper aquis habens fidem.* Fœlix Petrus eam habens fidẽ, reſpectu cuius vniuerſa creata ſunt infirma.

Rom. 4. Chryſoſt. Mat. 14. Cyr Iero

§. VI.

Fidei opus præſtantiſſimi, magníque animi opus eſt.

AD ſaxum aridum mittitur Moyſes, vt inde copioſas aquas eliciat, cum ait : *Loquimini ad petram, & illa dabit aquas.* Et cur ad petrã pro eruenda aqua mittitur Moyſes, niſi vt fideliſſimi viri magnitudo animi in credendo oſtenderetur ? Quando enim in petra nihil erat ad dandam aquam niſi ſola promiſſio Dei, magni ſanè, & præſtantiſſimi animi opus eſt vni Deo dicẽti credere. Pro quo elegantiſſimè ſtat Philo lib. Quis rerum diuinarum ſit hæres, in hæc verba. *Dicat fortaſſe aliquis. Quis Deo loquenti, pollicentique fidem nõ adhibeat, etiamſi eſſet impius, & omnium mortalium iniuſtiſſimus? Cane, ô præclare vir, ne temerè ſapientem fraudes ſuis laudibus. Nam ſi penitus ſcrutari rem volueris, comperies, quã difficile ſit credere ſoli Deo abſque vllo teſtimonio, propter cognationem, quam habemus cũ rebus mortalibus, quæ nobis perſuadent, vt credamus, fidamúſque gloriæ, principatui, amicis, ſanitati, roborique corporis, & cæteris plurimis. Has perſuaſiones eluere, & diffidere creaturæ per ſe infidiſſimæ, ac ſoli Deo fidere, qui ſolus vere fidus eſt, res eſt animi magni, cœleſtiſque non ineſcati rebus noſtratibus.* Sanè quando noſtra natura tota ſenſibilibus rapitur, doctáque eſt à ſenſibus fidere viſibilibus iis, nimirùm gloriæ, principatui, viribus corporis, magno, & præcellenti, & ab omni re caduca defœcato indiget animo, vt nudæ promiſſioni diuinæ fidem habeat. Vbi nihil ex parte rei viſibilis apparet, ſed nuda Dei promiſſio oſtẽditur, grandis, cæleſtiſque animi opus eſt, quod credere ames. De Abrahamd ait Paul. ad Rom. 4. *Qui contra ſpem in ſpem credidit, vt fieret pater multarum gentium,* &c. *Et non infirmatus eſt fide, nec conſideranit corpus ſuũ emortuum, cum ferè centum eſſet annorum, & emortuam vuluam Saræ : Sed confortatus eſt fide,* &c. Mortua erant omnia humana, quæ generationis ſpem poſſent alere ; & nihilominus vir fidelis cõtra emortuã ſpem hominis nudæ ſpe promiſſionis decertabat. Et quantæ virtutis opus erat? Meritò ait: *Confortatus eſt fide*, ſiue roboratus, ingentis enim roboris, animique prorſus virtute cõfirmati, & roborati opus eſt, ſi nudæ Dei promiſſioni fidẽ habeat. Quo ſpectans Oecumenius ait : *Multa quidem imbecilla erant ; & quæ fidem illius imbecillem efficerẽt, verum ad nihil horum infirmatus eſt generoſus animus. Sed roborãtus*

Philo. ad Ro. 4. Oecum

roboratus eſt in fide. Dicens, Roboratus eſt, *oſtendit multo labore, ac virtute animi fidem dirigi.* Non putet homo, quod facile poſſit Deo credere in iis, quibus viſibilia omnia refragantur. In iis enim Deo ſoli credere ſine viſibilium teſtimonio, ingentis roboris opus eſt, animíque maximè præſtantis.

§. VII.

Præſtantis virtutis opus eſt, quod ſermone emollias duritiem humani cordis.

VT aqua educatur ex petra, vnum hoc petit Dominus, vt ad illam loquatur Moyſes, dicit enim: *Loquimini ad petram, & ipſa dabit aquas.* Et cur non magis petit, vt virga illâ percutiat? Equidem volebat oſtendi præſtantem virtutem hominis, quæ in eo oſtenditur, quod vel ſermone poſſit emollire lapideſcentia humana corda. Poſtquam Dauid in ſpelunca ſe cohibuerat ab interfectione Saulis, egreſſus poſt eum clamauit, & multa dixit, quæ ſuam oſtenderent beneuolentiam in
1. Reg. 24 Regem. Quid tunc? Ait textus. 1. Reg. 24. *Cum autem cõpleſſet Dauid loquẽs ſermones huiuſcemodi ad Saul, dixit Saul:* Nunquid vox hæc tua eſt, fili mi Dauid? *Et leuauit Saul vocẽ ſuam, & fleuit.* Qui obduratus erat Dauidis odio, modò in lacrymas ſoluitur, vt audit vocem Dauid, ex quo Dauidicæ virtutis præſtantiam ponderans D. Chryſoſt. ait hom. 3. de Dauide & Saule. *Quid eſſe poſſit hoc propheta beatius, qui breui temporis momento ſic hoſtem è furore ad ſobrietatem compoſuit? Non perinde miror Moyſem, quod è ſaxo prærupto fontes elicuit aquarũ, vt admiror Dauidem, quod ex oculis lapideis fontes eduxerit lacrymarum. Siquidem ille quidem vicit naturam, at hic vicit animi decretum: ille virga percuſſit lapidem, hic ſermone pepulit cor, vt purum, manſuetúmque redderet.* Equidem non tantæ admirationis eſt, quod lapides virga percuſſi emittant aquas; vt eſt, quod lapidea corda, & in malo obdurata verborum ſola efficacia emolliantur. Hinc maximè commendatur diuina poteſtas, quod vel ſermone in ſenſum pietatis trahat duriſſimas hominum mentes. Matth. 3. dum Baptiſta extollit diuinam potentiam, ait: *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Quæ verba mirabilia ſunt, ſi referantur ad vires diuinæ omnipotentiæ operatiuæ; ſed longè mirabiliora, ſi non ad vires diuinæ operatiuæ referantur potentiæ, ſed ad efficaciam diuini ſermonis, quando tantũ eſt mellis, lactíſque ſub lingua eius, vt vel linguæ ſono lapides duriſſimos emolliat, & nutriat in fi-
Matt. 3.
Cle. Ale. lios Dei. Quò reſpiciens Clemens Alex. in Exhortat. ad gentes ait: *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ, qui miſeratus multam cordis duritiem eorum, qui lapiduerunt aduerſus veritatem, excitauit ſemen pietatis in Deũ. Rurſus autem quoſdam virulentos impoſtores, appellauit genimina viperarum. Sed horum quoque ſi quis pœnitentia ductus fuerit, homo Dei efficitur. Has ergo omnes immaniſſimas feras, & tales lapides ipſe cœleſtis cantus in manſuetos homines transformauit. Vide quantum potuerit nouum canticum; homines ex lapidibus, & homines fecit ex feris.* Hoc ſanè maior virtutis præſtantia eſt, quod verbo homines facias ex feris, & ex petris, quam ſi virtute totum mundum conuertas.

§. VIII.

Efficaciſſimus ſermo eſt ad euincenda difficillima, cui præcedunt virtutum facinora.

NOn antea mittitur Moyſes locuturus ad petram, quàm ſecum perferat virgam. Sic enim dicit: *Tolle virgam, & congrega populum tu, & Aaron frater, tuus, & loquimini ad petram*, &c. Itáque ſic ad loquendum eum petra dirigitur, vt prius & tollere, & ſecum deferre debeat virgam. Sed ad quid virga deferenda erat? Quando iuxta Dei mandatum res agenda erat per vocem, per ſolam locutionem, ad quid defertur virga? Erat virga illa, qua Moyſes tot patrarat facinora; meritò præſentia eius requiritur, quando cum petra locuturus eſt Moyſes, cum enim præmonſtrantur virtutum facinora, tunc adeò efficax ſermo procedit, vt conficere valeat quæque difficillima. Act. 3. poſtquam Petrus, & Ioannes Actor. 3. hominem claudum reddiderant ſaluti, ait text. *Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum. Cognoſcebant autem illum, quod ipſe erat, qui ad eleemoſynam ſedebat ad ſpecioſam portam templi, & impleti ſunt ſtupore, & extaſi in eo, quod contigerat illi. Cum teneret autem, & Petrum, & Ioannem, cucurrit omnis populus ad eos*, &c. *Videns autem Petrus reſpondit ad populum: Viri Iſraëlitæ*, &c. Expende, quo tempore Petrus aperiat os ſuum, vt loquatur ad duriſſimum, & prorſus lapideum populũ, nimirùm quando coram ſe habet hominem, quem ſanarat, & animo, & corpore Præmiſſo enim tanto virtutis facinore, non mirer, ſi vel lapidea corda trahat ſermone in ſagenam Domini. Ait D. Baſil. Sel. orat. 30. Baſ. Sel. *Claudus quidam erat ante portam ſpecioſam, cui pedum utionem cum forte natura ademiſſet, gratiæ tradidit pro arbitratu recudendum Petrus, & vnco fidei, poſt quam hunc deuinxerat, populũ vniuerſum lingua cœpit.* Ecce tibi diuinæ piſcationis progreſſum, prius benefacit Petrus claudo; prius opera ſalutis exercet, & pauperem claudum ſanitati reddit; poſt hac linguæ permittit rem, & lingua rapit ad ſe vniuerſum. Et quid non faciant verba, quæ de facinoribus peractis veniunt: Pulchrè ait Elias Cret. in orat. 19. Naz. *Nihil enim verbis, quæ operibus confirmantur, ad perſuadendum firmius, ac valentius:* Eli. Cret. adeò vt ſermones, qui non prodeant de virtutum facinoribus, vix habeantur ſermones. Quò reſpiciens D. Paul. 1. ad Corint. 4. aiebat: *Non in ſermone regnum Dei* 1. Cor. 4. *eſt, ſed in virtute.* Et mirabar, quod tãtus doctor ſermonem à regno Dei prorſus excluderet, quando fides ex auditu eſt, & nequeat tradi ſine ſermone. Cur ergo Paulus à Dei regno excludit ſermonem? Meritò Paulus non agnoſcit ſermone, qui ex virtutum non procedit opere; quando ſolus, qui in virtutibus fundatur, potens eſt implere regnum cœlorum. Ait D. Ambr. in D. Amb. Pſal. 118. ſer. 11. *Ait Paulus, quia non in ſermone regnum eſt Dei, ſed in virtute. Scriptum non nego, ſed in quo ſermone cognoſce. Nempe quem inflatus effuderit, qui ſine offenſione ſit ſpiritus, atque virtutis, hunc ſermonem Paulus non dignatur cognoſcere.* Non cenſetur ſermo eſſe, qui non procedit de virtutis oſtenſione; qui enim de virtutibus peractis oritur, ille cœpit orbẽ, & triũphauit de inanibus aliis ſermonibus. Vnde Pſ. 67. *Dabit Dominus verbũ* Pſal 67. *euangelizantibus virtute multa.* Supponit, quod euangelizabant virtute multa, hoc eſt teſte D. Aug. exercen- D. Aug. centes multas virtutum mirabilium operationes; & iis ſic euangelizantibus det Dominus verbum, credit fidei ſuæ ſermones. Et cur niſi in virtutum operibus euangelizanti credit Deus ſuos ſermones? Ait Theodor. Theod. *Quoniam piſcatores erant, & publicani, & coriarij. Electi ſunt autem præceptores Philoſophorum, & Sophiſtarum, & Rhetorum, & eorum, qui ob dicendi facultatem ſe ipſos efferebant, meritò edocet, vnde haurientes doctrinæ flumina irrigationem afferunt.* Niſi enim de multa virtutum operatione accederent ad verbi Dei prædicationem, potuiſſent capere tot ſuperbos homines.

Num. 20. Tulit igitur Moyſes virgam, quæ erat in conſpectu Domini, ſicut præceperat ei, congregata multitudine ante petram, dixitque eis? Audite rebelles, & increduli. Num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere? Cúmque eleuaſſet Moyſes manum percutiens virga bis ilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita vt populus biberet, & iumenta.

§. IX.

§. IX.

Maximus dolor est, quod percutiaris ab iis, quibus benefeceris.

FEtè nusquam aliàs in mansuetissimi Moysis ore verba indignationis, & contumeliæ apparuerunt, vt nunc apparent. Dixit namque modò: *Audite rebelles, & increduli*, &c. Cur mansuetudinis speculũ sic modo exasperatur? Quæ illum causa in vocẽ tantæ indignationis coëgit? Dixerat supra textus: *Cùm indigeret aqua populus conuenerunt aduersus Moysem*, populus, inquam, ille, in quem tot beneficia à Moyse venerant, aduersus benefactorem suum propter aquæ penuriam insurrexerat; quo non miror, quod Moyses exacerbaretur, res enim maximi doloris est, quod apud eos male habeas, quos multis beneficiis impleuisti. Dauid delitescens in spelúca nactus est Saulem inimicũ suum, & cũ sollicitaretur à seruis suis, vt eum interficeret, respon-
1. Reg. 24 dit 1. Reg. 24. *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hãc rem Domino meo Christo Domini*, &c. Circa quæ verba
Chrysost. multus est D. Chrysost. in ponderanda Dauidis comitate, & humanitate, qua infensissimum sibi hostem honorificis titulis exornat, illum Dominum suum vocãs, & Christum Dominum. Sed ipse Dauid locutus cum
1. Reg. 20 Ionatha Saulis filio. 1. Reg. 20. ait: *Quid feci? Quæ est iniquitas mea, & quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam?* Non ait *in dominum meum, Christum Domini*, sed solum ait *in patrem tuum*, nullis illum honoris titulis exornans. Quid minus vrbanum? Qui cum propriis seruis locutus de Saule, illum Dominum suum vocabat; cum ipsius Saulis filio agens de eodem Saule nec Dominum vocat, nec vllo illum ornat titulo honoris. Cur non magis coram filio patrẽ honorat? Cum Ionatha locutus etsi subobscurè reminiscebatur bona à se in Saulem profecta, & mala sibi ab illo relata, quod non poterat non afficere eius ani-
Bas. Sel. mum ingẽti dolore. Ait enim D. Basil. Sel. orat. 16. *Qui sollicite ab eo, quem non raro seruauit, ad necem circunuenitur, beneficentiæ suæ recordatione attonitus, quod per eam in arma contra se concitarit aduersarium, intolerabili dolore sauciatur. Ita Dauid aduersis vndequaque obruentibus obruebatur.* Non mireris, quod Dauid malis obrutus appareat, Regem non multum honorans aliquando, cui cum multis in casibus dedisset salutem, persecutionem, mortémque accipiebat præmium vitæ datæ. Res enim est intolerabilis doloris, quod ab illo affligaris, quem multis obsequiis tibi obligaueras. Quò respicit
Psal. 54. illud vulgare Psal. 54. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Tu vero homo vnanimis meus, dux meus, & notus meus. Qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu.* De inimico maledicente asserit, quod illum sustineret mansuetissimè, at de homine amico, & beneficiis, consuetudinéque obligato ad maledicendum accedente nil exprimit, quasi in eo dicat id prorsus intolerabile futurum.
D. Amb. Ait enim D. Ambr. lib. 3. officior. cap. vlt. *Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui semper mecum dulces capiebas cibos: hoc est, non potest sustineri istud, quia vnanimis appetisti eum, qui tibi donauerat gratiam.* Superatur vel extrema sustinentia ab eo, qui beneficiis acceptis mala reddat benefactori suo. Quæ non obruatur mansuetudo in re adeò intolerabili, quod videas aduersum te militare beneficia tua, gratias tuas? Sanè
Psal. 108 mansuetissimus dicebat Psal. 108. *Posuerunt aduersus me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Constitue super eum peccatorem: & diabolus stet à dextris eius*, & innumera alia mala, eáque grauissima imprecatur illi. Ecce tibi, vt vno hoc proposito, quod mala pro bonis rependebant; & odia pro beneficiis, statim in metuendas maledictiones exurgit mansuetissimus spiritus. Quis enim sustineat rem adeò atrocem, quod mala recipias ab eo, in quem contulisti beneficia? Elias imper-

territus vir postquã pluuiam largissimam populo immisit, qua extremam famem excluderet, audit Iezabelis aduersus se minas. Quid tunc? Ait 3. Reg. 19. *Timuit* 3. Reg 19 *Elias & surgens abiit, quocunque eum ferebat voluntas.* Et quod malum potuit tantum Prophetam sic cõcutere, vt fugeret? Quis eum sic meticulosum reddidit? Ait D. Chrysost. hom. de Ioan. de coll. *Iezabel autem ipsum post* Chrysost. *beneficium persequebatur ad mortem.* Non miror quod tantus concutiatur videns se peti ad mortem ab illa, cui beneficium pluuiæ recens contulerat.

§. X.

Ad Christi crucifixi signum supra suas vires operatur creatura.

NOn ad primam, sed ad secundam percussionem virgæ petra aquas effudit. Ait enim: *Percutiens virga bis silicem egressæ sunt aquæ largissimæ*, &c. Et cur non ad primum, sed ad geminatum ictum petra aquas emisit? Ait D Machar. Philadelphiensis orat. de Machar. Exaltat. Crucis apud Grethserum tom. 2. *Cum virtus crucis efformãda esset; ea de causa semel, & iterum percussit, non quidẽ eadem figura ictu illato; sed in speciem crucis; primo ictu directè liberato; secundo obliquè, & tranuersim. Quod signum petra conspicata: regiámque imaginem sibi impendere contuita, ea, quæ supra suam naturam erant, præstitit; & quæ non habebat præbuit.* Quid pulchrius? In geminato ictu crux Christi adumbrata fuit, cuius vel signum petra contuita, quæ supra vires, & naturam suã erant, continuò præstitit. Sic enim afficitur creatura ad conspectum crucifixi, vt se supra se erigat, & præstet ea, quæ prorsus excedunt propriæ naturæ fines. Cant. Cant. 1. 1. aiebat Sponsa: *Trahe me post te, curremus in odorẽ vnguentorum tuorũ.* Se vnam trahi petit, & promittit multas cursuras in vnguentorum odorem! At si vna est, si vna trahi postulat, quomodo dicit: *Curremus?* An fieri potest, quod vna fiat multæ? Equidem dum in odorem currat illorum vnguentorum, quibus Christus factus est ad sepulturam, sic se erigit anima, vt vna cum sit, multarum excedat vires. Nequit ad crucifixi signum anima, non supra se exurgere, & præstare, quod est supra suam naturam. Quò spectans D. Bern. ser. 4. D. Bern. de Ascens. monet: *Sequere Dominum ascendentem crucẽ, exaltatum a terra, vt non solum super te, sed super omnem quoque mundum mentis fastigio colloceris.* Non fieri potest, quod maneat in naturæ suæ infirmitate, & pusillitate quæuis anima, quæ intendit in crucifixum. Imò vel eius cõtuita signum, se supra se eriget, & supra omnem mundi machinam constituta præstabit ea, quæ sunt supra propriam naturam. Hinc volente Iesu ire in Bethaniam, vt Lazarũ suscitaret Ioan. 11. ait Thomas: Ioan. 11. *Eamus & nos, & moriamur cum illo.* Quæ verba putantur profecta ab infirmitate Thomæ, & timore metuẽtis sibi mortem, & ruinam in eo, quod Bethaniam iret. Sed hic ipse Thomas, qui mortẽ, & leones sibi affingebat in via Bethaniæ, postquam crucem vidit, eas regiones impauidus aggressus est, quæ viderentur homini Europæo prorsus inaccessibiles. Rem meditabatur D. Basil. Sel. orat. 40. inquiens: *Vox illa pauoris est. Posteà* Bas. Sel. *tamen omnibus fortior euasit, & inculpatus. Hoc enim mirabile est, quod ante crucem tam infirmum, post Christi passionem, fidémque acceptam de resurrectione calentiorem omnibus videamus. Tanta est Christi vis! Nam qui cum Christo Bethaniam comitari ausus non erat, hic Christo iam oculis subtracto, Solis orbem percurrat vniuersum, ac in mediis versatur populis eadem anhelantibus.* Sic ad passionis signum incaluit, sic roboratus est, vt extremas inundi regiones non vereretur peragrare, & ipsius solis inuisere cunabula. Adeò potens est conspectus crucifixi, vt homines se supra suam naturam faciat eleuare. Similiter Marc. 15. vbi Iesus crucifigebatur, dicit: Marc. 15. *Erãt autẽ mulieres de longe aspicientes, inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi*, &c. id quod etiam re-

Luc. 23. Ioan. 19. ſtatur Lucas c. 23. aiens: *Stabant autem omnes noti eius à longe, & mulieres*, &c. Sed Ioan. c. 19. videtur rem aliter narraſſe, ait enim: *Stabant autem iuxta crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalena.* Ecce tibi alij Euãgeliſtæ aſſerunt mulieres à longe ſtare cum notis; Ioannes autem abſolutè affirmat illas iuxta crucem eſſe. Quare ergo verum erit, quod à lõge eſſent, & iuxta crucẽ? Crediderim mulieres à lõge ſtetiſſe, dum Ieſus cruci ſuffigebatur, ad terram deiectæ; tunc enim fœminæ carnificum metu nõ audebant accedere, ſed à longe ſtabant. Vbi autẽ crux in altum fuit erecta, oculiſque apparuit crucifixus Ieſus, ad tantæ virtutis conſpectũ mulieres ſupra naturã audentes properarunt accedere, nactæ ſecuritatem, vbi antea tot pericula metuebant. Ait Euthimius ibi: *Stabant verò iuxta crucem, tunc nactæ ſecuritatem: primum enim omnes diſcipulæ cominus conſpiciebant, veluti cæteri docuerunt Euangeliſtæ.* Expende illud, *tunc*, nimirum, cũ Ieſus apparuit in cruce, tunc fœminæ inter carnifices ſecuritatem referebant. Sic ſupra rei naturam ſe erigit homo ad Dei crucifixi conſpectum. Vt meritò dicat D. Amadæus hom. 5. de Martyrio Virg. *Pro nati morte ineffabili dolore glorioſæ Virginis pectus vrebatur: hauſit poculum amarius ipſa morte, & quod hominum genus ferre non poſſet, adiuta diuino munere fœmina valuit ſuſtinere. Vicit ſexum, vicit hominem, & paſſa eſt vltra humanitatem.* Nec miror, quod tanta virgo ad crucifixi conſpectum ſupra ſe, & ſupra naturam, & ſupra hominum genus in patiendo eleuaretur.

Euthim.

Amad.

§. XI.

Deus per ſe ſolum homini ſufficit ſatiendo.

VT populorum ſitim expleat Dominus, proponit Moyſi & nudum, & aridum lapidem, qui percuſſus virga emittit largiſſimas aquas: *Percutiens virga bis ſilicem egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita vt populus biberet.* Longè aliter Babilon illa magna poculum hominibus parabat. Apocal. 17. *Et mulier erat circundata purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua*, &c. Ecce tibi Deus, & mulier parantes pocula mortalibus; Deus nudum lapidem proponit, mulier aureum, pretioſiſſimúmque vas. Et cur quando Deus ſolum aridũ exerit lapidem, mulier requirit vas aureum? Equidem quæ à creaturarum proficiſcũtur manu, & auri, & multorum ſplendorum requirunt ſuffragia, vt placeant, vt ſatisfaciant; Deus autem per ſe ſolum ſine aliorũ ſuffragio poteſt ſuos homines ſatiare. Ait D. Amb. in Pſal. 1. *Calicem aureum Babylon excogitauit, vt quia potus placere non poterat, auri pretium illiceret ad bibendum. Propinauit de vino ſuo, cui metalli ſuffragia requiſiuit. At vero Dominus Ieſus aquam de petra effudit, & omnes biberunt*, &c. Non eſt Deus is, qui aliorum ſuffragia requirat, vel inter ardentes ſilices, vel inter ſaxa duriſſima habet, vnde placeat populo ſuo; creatura quærat aliorum ſuffragia, vt homines alliciat, Deus per ſe ſolum ſufficit illis. Hinc Deus omnia à ſe ablegat creaturarũ ſuffragia, vt ſolus homini ſufficere videatur. Matt. 13. dicebant Iudæi de illo: *Nónne hic eſt fabri filius? Nónne mater eius dicitur Maria, & frater eius Iacobus, & Ioſeph, & Simon, & Iudas.* Et verè vxor fabri erat mater illius, qui cum poſſet Reginæ filius naſci, maluit mulieris pauperis haberi filius. Et cur non magis voluit eſſe filius Reginæ? Ait D. Theodotus tom. 6. in Conc. Epheſ. in Appendice 5. c. 2. hom. de Nat. Chriſti: *Si filius eſſet imperantis, poteſtati vtilitatem adſcriberent: ſi legiſlatoris factus fuiſſet filius, præceptis vtilitatem adſcriberent. Sed quid fecit? Omnia paupera, & vilia elegit, omnia mediocria, & plurimum obſcura, vt diuinitas ſola cognoſceretur orbem transformaſſe terrarum.* Non enim alius, quàm Deus per ſe ſolum, excluſis omnibus creaturarum adminiculis homini trahendo ſufficeret, hominúmque ſatisfaceret ſiti. Crede mihi, tunc clarius oſtenditur diuinitas intereſſe, quando in defectu ipſo rerum, homo exundat beneficiis. Et quidem nunquam Dei Filius nudior, quam dum cruci ſuffigitur, ibi omni ſplendore externo ſpoliatus apparuit, clauiſque transfixus, fecit tamen, vt homo nequam, & rudis inter hæc eius acclamaret imperium. Ait enim Latro Luc. 23. *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Et cur media tanta abiectione, & deſolatione huius latronis acclamationem Dominus requiſiuit? Equidem ſic manifeſtabatur apertius eius diuinitas, ſufficiens per ſe ſolã ſine externis adminiculis homini trahendo, qui ad bonorum fontem curreret. Ait D. Chryſoſt. ſer. de Latrone: *Non enim illo in tempore mortuum aliquem reddidit luci, nec mare à ſuo tumore compeſcuit, nec expulit dæmones: ſed cruci ſuſpenſus, clauis affixus, omnibus ſubiugatus, dedecoris ſuccumbens infamiæ, inſultantium deriſione deluſus: Latronis auerſam mentem valuit commutare, vt ex omni parte eius diuinitas ſentiretur:* Tunc magis Ieſu ſentiebatur diuinitas, quando nudus in cruce, omni externo ſplendore deſtitutus, adhuc ſuffecit ipſe per ſe ſolum ſic hominis mentem implere, vt ad ſe curreret.

Apoc. 17.

D. Aml.

Matt. 13.

Theod.

Luc. 23.

Chryſoſt.

Num. 20. Dixítque Dominus ad Moyſem, & Aaron: Quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram filiis Iſraël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Hæc eſt aqua contradictionis vbi iurgati ſunt filij Iſraël contra Dominum, & ſanctificatus eſt in eis.

§. XII.

Ille ad Dei promiſſa certiſſimè venit, qui Dei honorem vbique ſollicitat.

ECce ſanctiſſimus alioquin Moyſes, & Aaron à promiſſionis terræ ingreſſu irremediabiliter excludũtur, quia in educenda aqua de petra, diuini honoris rationem non habuerint. Ait enim Dominus: *Quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram filiis Iſraël, non introducetis hos populos in terram, quam ego dabo eis.* Et ſanè ea fuit culpa Moyſis, qua excluſus eſt à terra promiſſa; accipiens enim virgam, ſtans coram vniuerſa multitudine, vt ex petra aquam educat, nullam mentionem fecit nominis diuini, nec Deum meminit; ſed ſolum ait: *Audite rebelles, & increduli. Num de petra de hac vobis aquam poterimus eiicere? Cúmque eleuaſſet*, &c. Et loquitur ad populum, & extendit virgam, & ſemel & bis lapidem percutit, & aquas educit; & inter hæc nec ſemel Dei meminit, nec eius poteſtati acceptum refert quicquam. Vnde non miror, vt prorſus excludatur ad obtinendis diuinis promiſſis, quæ ille ſecuriſſimè obtinet, qui Dei gloriæ extollendæ ſemper incumbit. Eliezer Abrahæ ſeruus, dum pergit quærens ſponſam filio Domini ſui, nihil magis præ oculis habuit, quam Deo omnia ſua adſcribere. Inuenit tandem ſponſam, quam optauerat, & dum à puellæ parentibus cogitur differre profectionem, ait Gen. 24. *Nolite me retinere, quia Dominus direxit viam meam.* Græcè dicitur: *Quia Dominus proſperam fecit viam meam.* Bonus vir nec verbum facit, quod non diuini nominis commendatione effulgeat, & inde trahit fœlicitatem ſuam. Ait Theod. de Prouid. ſerm. 8. *Sermones ſuos vbique diuini nominis mentione exornat, & bonorum largitionem inde trahit.* Nõ miror, quod non erret, quod non deuiet à fœlicitatis curriculo, qui nuſquam non meminit Deum, ciúſque nomen, & prouidentiam, & potentiam commendat ſingulis. Qui ſub hac cura viuit, certiſſimè deueniet ad promiſſiones diuinas. Promiſſum erat regnum ſanctiſſimo Ioſepho, qui intereà ſeruus efficitur, ducitur in Ægyptum; imò in carcerem detruditur. Inibi erat, cùm

Gen. 24.

Theod.

cùm vidit seruum Regis Pharaonis eisdem vinculis constrictum, & solito tristiorem esse quadam die. Et noscens tristitiæ causam esse somnium, quod nocte
Gen 40. præcedenti viderat, statim ait Gen. 40. *Nunquid non Dei est interpretatio? Referte mihi, quid videritis*, &c. Ecce tibi vir strenuus ante omnia illis Dei veri ingerit notitiam, cui refert, & prædicat propriam omnium arcanorum cognitionem. Hoc fuit primum verbum Ioseph ad seruos Regis, & ex hoc ocioſsime euolabit ad
Theod. regnum sibi promissum. Pulchrè Theodor. serm. 10. de Prouid. ait: *Ioseph vnum Deum pincernæ prædicat, deinde ipsi Regi eandem illam doctrinam affert. Inde rerum gubernationem suscipiens, totam nauim sapienter regit.* Et coram pincerna, & corá rege reuelaturus somnia primum verbum præfert in commendationem nominis diuini, & inde certissime deuenit ad promissum fastigium. Non aliter Dauid, dum adhuc in Regem vnctus lateret, & se se Philisthæo opponit, & in illum in-
1. Reg. 17 surrecturus, ait 1. Reg. 17. *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israël, quibus exprobrasti hodie, & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te*, &c. Vide, vt nec verbum proferat sine commemoratione Dei, cui authori totam rem committit, nihilque sine illo sibi appropriat. Sic se dignum ostenBas. Sel. debat regni promissione. Quę notans D. Basil. Sel orat. 15. exclamat: *O plenas amoris diuini voces, vel ante victoriam potitas victoria! O qui palam fecisti fidem ad pugnam armis non indigere! O qui in te ipso palam fecisti fidei vim! Tales animas legere nouit gratia: quare & cura gregis distentum vocauit ad regnum.* Inde Dauid & vocatur ad regnum, & peruenit ad regnum, quod nunquam non Dei honorificè meminit, quod nullum aggressus inueniatur facinus, quin Deo rem acceptam referat.

§. XIII.

Non parua pœna est, quod laborum tuorum prioeris fructu.

TOta decreta Moysi pœna in eo erat, quod terram promissam non erat intraturus, dicit enim solum: *Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Sed & de Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, qui nihil peccaHeb. 11. uerant, dictum est ab Apostolo ad Hebræos cap. 11. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram*, &c. Sanctissimi, & perfectissimi viri hoc etiam habuerunt, quod non acceperint repromissiones terrenas in se; qualis ergo est hæc pœna peccatori Moysi, quæ etiam sanctis non peccantibus exhibetur? Sanè non parua pœna erat hæc Moysi; cæteri enim sancti non laborauerant pro illa terra obtinenda, & ideo non illis fuit molestum illa carere. Moyses autem, & in Ægypto apud Pharaonem, & in exitu, & in quadraginta annorum mansionibus multum laborauit, vt perueniret cum populo ad promissam terram. Ideo, & illi grauissimum erat, & res maximæ pœnæ, quod terra, pro qua adeò laborauerat, tandem priuaretur. Et quis non grauissimè ferat, quod labores subeat, & ad laborum fructum
Ioan. 6. non perueniat? Ioan. 6. post satiata quinque millia hominum, dixit Iesus discipulis suis: *Colligite, quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos*, &c. Quot erant Apostoli, tot cophinos fragmentorum collegerunt. Sed cur Deus hoc munus commisit discipulis suis? Cur non magis illud commisit illis ipsis hominibus, qui comederant? Si conuiuæ erant indigni ministerio, etiam inter Apostolos erat Iudas omnium indignissimus. Cur ergo maluit Apostolos cum Iuda laborare in ministerio panis colligendi? Sanè in hoc bonos discipulos erudiebat, vt quos miraculorum fructus manebat; & Iudam maximè damnabat, qui laboraret in miraculis, ad quorum fructum minimè peruenturus erat. Ait D. Chry- Chrysost
sost. hom. 41. in Ioannem: *Quanam gratia non dedit turbæ, vt ferrent, sed discipulis? Quoniam hos magis erudire volebat, qui totius orbis magistri erant futuri. Et plurimam consecuti sunt vtilitatem. Erat autem & hoc non parum ad Iudæ damnationem, qui cophinum portabat.* Equidem non parua est peccatoris damnatio, quod laboris cophinum portet, & priuetur fructu. Hic sanè labor est infœlicium, quod multi sint in cophinis portandis, quibus satientur alij, & ipsi maneant omnis fructus expertes. Quò refero illud Ecclesiastæ cap. 6. *Vir cui de- Eccl. 6.
dit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus, vt comedat ex eo: sed homo extraneus vorabit illud: hoc vanitas, & miseria magna est.* Quis ignoret hanc esse magnam miseriam, quod quis laboret sub diuitiis augendis, multósque honorum titulos habeat; & tamen neget illi Deus potestatem fruendi. Hæc miseria est debitá peccatoribus! Sic enim explicabat Chaldæus: *Non dedit ei Deus potestatem ob peccatum* Chald.
suum, vt gustaret ex eis. Et sapienter Nazianzenus ex- Naz.
plicat: *Hac vna calamitate diuinitus inflicta tenetur, quod earum fructu careat.* Nunquam non calamitas est, quod occuperis totus bonis acquirendis, tenendis, ad quorum fructum gustandum nunquam accedas. Quam calamitatem minabatur Sophonias cap. 1. *Ædificabunt* Sophon.
domos, & non habitabunt; & plantabunt vineas, & non bibent vinum earum. Et similia pessimis Israëlitis precabatur Deutheron. 28. *Domum ædifices, & non habites in* Deut. 28
ea. Plantes vineam, & non vindemies eam. Sic inter graues peccatorum pœnas censetur, quod quis suorum laborum fructibus priuetur. Quod maximè in spiritualibus est timendum, ne qui cophinos cœlestis panis aliis ministramus; qui diuitias, splendoréque doctrinæ possidemus, vt alios ducamus ad vitam æternam, cui commonstrandæ insudamus; tandem ob peccata horum fructu priuemur. Et ædificatis labore nostro mansionibus cœlestibus, nos excludamur, & alij introducantur in eas. De talibus ait Hugo Victor. homil. 19. in Hug. Vic.
Ecclesiastem: *Multi in sapientia laborant, & dant opera, & student multa scire, & dicere plurima: & scripto sensa sua commendant, vt ad posteros transmittant; nec capiunt fructum ex iis omnibus, vt melius sit ipsis, sed inanes remanent à veritate, & à dulcedine sapientiæ vacui*, &c. Hęc est miseria summa.

CAPVT XXVIII.

De Morte Aaron.

Textus Historia.

IAtam in duos fratres sententiam, non diu Dominus distulit; sed cum primum à Cades in montem Hor ventum est, mors indicitur Aaroni. Ea sic accidit ex præscripto Domini. Pontificiis vestibus effulgens Aaron è tabernaculo exiuit, & cultu eximius, qui Sacerdotem deceret, se conspiciendum dedit multitudini. Adstabat Eleazarus eius natu maior filius; cui Moyses ab Aarone exutas per ordinem cœpit sacras vestes induere. Lætabatur pater videns sacerdotium residere in filio. Nec mora, exutus Aaron, filij, fratrisque recumbens vlnis apparuit extinctus. Quis optimi Sacerdotis mortem non inuideat? Simul populus vidit Eliazari lumina, & Aaronis cineres, quos solemni luctu celebrant lacrymarum triginta dies.

PARS VNICA MORALIS

circa textus literam.

POſt petram manantem aquis veniunt magni Sacerdotis cineres, qui non minus exiſtent fœcundi, vt mortalium vitas faciant exundare virtutibus.

Num. 20. Venerunt in montem Hor, qui eſt in finibus terræ Edon: vbi locutus eſt Dominus ad Moyſem: Pergat, inquit, Aaron ad populos ſuos; non enim intrabit terram, quam dedi filiis Iſraël, eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis.

§. I.

Non differt à fœce plebis quiſquis peccat, quantumuis alioquin illuſtris, & conſpicuus ſit.

SVmmus ille Sacerdos, & Pontifex Aaron ad populos ſuos ire iubetur, quaſi in nullo à popularibus diſtinguendus, ex quo Deo extitit incredulus. Sic enim habes: *Pergat Aaron ad populos ſuos, non enim intrabit terram, quam dedi filiis Iſraël, eo quod incredulus fuerit,* &c. Noc ſic populariter optabat mori Iob, qui dicebat cap. 3. *Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem. Cum Regibus, & conſulibus terræ,* &c. In fine vitæ regium quid, & excellens cogitabat, quod & ſibi volebat. Quando ergo etiam in morte Regum, Principúmque conſortium appetebat, & ſibi affingebat Iob, cur Aaroni datur ſolum conſortium popularium? Cur non magis dicitur illi, quod pergat ad Principes populorum, quam quod pergat ad populos ſuos? Sic inter populares numerandus ſummus Sacerdos? Sanè hæc eſt conditio peccatorum, qui licet ſummi ſint honoribus ſæculi, tamen coram Deo cenſentur inter plebeiorum vilitates. Solus ſupra plebem eſt, qui liber eſt à vitiorum fœditate. Hinc de Iſmaële dicitur Gen. 25. *Deficiens mortuus eſt, & appoſitus eſt ad populum ſuum.* At de ſanctiſſimo Iſaaco iuxta D. Ambroſ. lectionem non dicitur, quod appoſitus ſit populo, ſed generi ſuo. Quippe ait hæc electio: *Appoſitus eſt ad genus ſuum.* Et cur ille apponitur populo, Iſaac autem non populo, ſed generi dicitur appoſitus? Peccantium eſt annumerari popularium vilitati; at præſtantiſſimus, ſanctiſſimúſque Iſaac non plebeis, ſed præſtantiſſimis annumeratur. Ait D. Ambroſ. lib. 1. de Abel cap. 2. *Puichrè ad genus ait, non ad populum. Nam legimus aliis locis appoſitos eſſe ad populum ſuum. Sed iſti non tam præſtantes; præſtantior autem qui paucorum ſimilis fuerit, & non plurimorum. Ita vt in Iſaac non vulgaris, popularíſque gratia, ſed ſpecialis prærogatiua præcelleret, ſicut lectio docet.* Eſt hæc prærogatiua præſtantiſſimorum hominum, qui puri ſunt à ſcelerum maculis, ne plebeis inuoluantur, ſed ornamento fulgeant ſpeciali: qui autem peccatis ſuccumbunt, eo ipſo decidunt à ſingulari præſtantia, & plebeiorum inuoluuntur vilitati. Ex quo Leuit. 4. uit. 4. ait: *Si Sacerdos, qui vnctus eſt, peccauerit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato ſuo vitulum immaculatum Domino.* Sic ibi de Sacerdote cauet; pergit in ſuper aiens: *Quod ſi omnis turba Iſraël ignorauerit, & per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini eſt, & poſtea intellexerit peccatum ſuum, offeret pro peccato ſuo vitulum.* Ecce tibi à peccante plebe vitulam petit Dominus, & ſimiliter vitulum petit ex Sacerdote peccante; vt oſtendat, quam inuoluatur plebeis in omnibus etiam ſacerdotio inſignis, vbi ſe tradiderit peccato. Quò ſpectans Procopius in Gloſſa fatur: *Notandum quod eiſdem hoſtiis litant Sacerdos, & populus, ſi culpa ſe onerauerint.* Nullus ſacerdotij ſplendor, nulla præſtantia, principatus te à viliſſima plebe diſtinctum facit, ſi peccatorum obſcureris maculis.

Iob 3. Ambr. Leuit. 4. Procop.

§. II.

Nihil nobis aſſumendum eſt in ſæculo, niſi quod in cœlis poſſumus habere.

MEritò ſoli attribuuntur Aaroni populi, qui poſthac in cœlis nos expectant. Dicit namque: *Pergat Aaron ad populos ſuos*: hoc eſt, ab hac vita decedat. Sed expreſſius dixiſſet: *Relinquat Aaron populum ſuum*, quando à ſuis recedendum illi erat. Cur ergo non meminit, vt relinquebat Aaron populum ſuum, ſed vt ibat ad populos ſuos? Equidem vir iuſtus nihil ſuum amat eſſe, niſi id quod poteſt habere in cœleſtibus. Ex quo venturus Dei Filius in mundum præmiſit Angelũ, qui ſibi locum pararet in virginis viſceribus, eius ſolicitans aſſenſum. Ait enim Lucas cap. 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth ad virginem deſponſatam viro,* &c. Virgo eligitur ex qua ſola, abſque vllo virili ſemine naſcatur Filius Dei in terra. Sed cur ſic Deus cauit de terra ſibi patrem aſſumere, vt matrem accepit? Poſſet equidem, ſi vellet, Filius Dei de ſanctiſſimis nuptiis naſci, vt de virgine natus eſt. Cur ergo virginem ſolam elegit, & viri conſortium fugit? Excluſit in terrena generatione, quod minimè in cœleſti poterat nec adumbratè habere. In cœleſti namque generatione id habebat, quod ab vno ſolum progigneretur, ſic maluit in terra ab vna etiam ſola generari, vt ſic non aliud ſibi appropiaret in ſæculo, niſi id, quod haberet in cœleſtibus. Huc acutè aſpexit D. Damaſc. orat. de Transfigurat. *Deus enim vere, atque homo eſt: non Petri, non Pauli, non Ioſephi, nec cuiuſquam alius patris filius extitit, ſed hominis. Nec enim patrem in terra habuit, cui mater in cœlo non fuit.* Equidem non decebat tantum Dominum, vt in terrena generatione aſſumeret à duobus naſci, quãdo id repugnabat habere in cœleſti. Non pater, & mater non duo erant in cœlo à quibus naſceretur; ideò nec in terra duos progenitores debuit habere; præſtantiſſimæ enim mentis eſt, nihil ſibi appropriare velle in ſæculo, præter ea, quæ poteſt habere in cœleſtibus. Sic de Abraham Patriarcha ait Paul. ad Hebr. 11. *Fide remoratus eſt in terra repromiſſionis; tanquam in aliena in caſulis habitando,* &c. Ecce tibi cum repromiſſionis terram haberet, nihil in ea ſibi appropriabat, ſed omnia tanquam aliena æſtimabat. Et cur aliena à ſe putabat omnia terrena, niſi quia ea ſola ſibi propria æſtimabat, quibus poſſet florere in æterna patria? De illo enim dicit D. Chryſoſt. hom. 25. in præſent. *Primatum alius cedebat, in pericula ſeipſum dabat, decem millia mala patiebatur, non domos conſtruebat claras, non deliciabatur, nec circa veſtimenta diligens erat, quæ omnia in hac vita eſſe ſolent: ſed cuncta, quæ ad ſupernam pertinent ciuitatem gerebat, hoſpitalitatem exhibebat, fraternam dilectionem, eleemoſynas, patientiam, contemptum pecuniarum, contemptum præſentis gloriæ,* &c. Ecce tibi ſanctus vir ſola, quæ ad ſupernam pertinent ciuitatem, gerebat; cætera vt ſibi aliena deſpiciebat; nil ſibi approprians, nil æſtimans, niſi quod in cœleſtibus poſſit habere.

Luc. 1. Damaſ. Ad Heb. Chryſoſt.

Num. 20. Tolle Aaron, & filium eius cum eo, & duces eos in montem Hor. Cúmque nudaueris patrem veſte ſua, indues ea Eleazarum filiũ eius, & Aaron colligetur, & moriebatur ibi. Fecit Moyſes, vt præceperat Dominus, & aſcẽderũt in montẽ Hor corã omniũ multitudine.

§. III.

Mors Sacerdotum efficaciſſima omnium ad commouendos animos.

VIde quã aliter diſponitur Aaronis mors, ac poſtmodum Moyſis mors diſponetur. De Aarone dicitur:

citur: *Tolle Aaron, & filium eius cum eo, & duces eos in montem Hor*, &c. Non permittitur Aaron solus ascendere in montem, ibi moriturus; sed simul adest filius, successor sacerdotij, & Moyses, vt morienti intersint. De Moyse autem dicitur Deuteron. 34. *Ascendit ergo Moyses de Campestribus Moab super montem Nebo, in verticem Phasga contra Iericho*, &c. *Mortuúsque est ibi Moyses seruus Domini*, &c. Solus ascendit Moyses in montem, solus ibi moritur, sine teste, sine spectatore. Et quando nec successor eius Iosue, alioquin inseparabilis comes eius permittitur adesse, & videre morientem Moysem; cur Aaroni morienti prouidetur successor, qui adsit, & ipse, & Moyses videant discedentem è viuis summum Sacerdotem. Erat Moyses Princeps populi in politicis, Aaron vero summus Sacerdos erat circa diuina; ideò Deus maximè curat, quod morietis Aaronis adsint spectatores, non Moysis, quia Sacerdotum mortes efficaciores sunt ad commouendos, componendósque animos spectatorum, quàm Principum
P. Dam. sæcularium mortes. Ab hac sententia stat Petrus Damianus lib. 1. epist. 17. vbi reddans rationem cur Pontificum mortes sint frequentiores, quam Regum, Imperatorúmve, & sic dispositum sit à Domino, ait: *Cum mors cuiuslibet Regis non magnopere sit terrori: quoniam sæculares Principes, qui turbis popularibus præsunt, sæpe gladiis perimuntur*, &c. *Sæculares ergo Principes, quia diuersæ mortis casibus exponuntur, cor audientium, eorum exitu non atteritur: Papæ vero vita, quia sola naturalis obitus lege concluditur, eius ex hac vita transitus, sine grandi formidine non auditur.* Equidem sæculares Principes vt in bellis continuis sunt, vt inter aduersariorum arma frequenter degunt, sic eorum mortes non tanto terrori sunt, nec adeò mentes audientium immutant. Pontificis autem pacifici viri, & Deo sacrati, diuinóq; dediti muneri mors, vt per se in sola fundatur lege naturę, sic maiori debet esse formidine, efficaciórque est vt audientium, videntiúmque animos in virtute conti-
Iosue 20 neat. Quò crediderim spectasse illud Iosue cap. 20. vbi post assignatas ciuitates refugij ad quas confugiant inuoluntarij homicidæ, & securi viuant: assignans etiam tempus, quo debeant manere ibi ait: *Et habitauit in ciuitate illa donec stet ante iudicium, causam reddens facti sui, & moriatur Sacerdos magnus, qui fuerit illo tempore.* Et cur tunc solum permittitur exire homicida ille inuoluntarius ab asylo, cum mortuus fuerit summus Sacerdos? Plures huius rei rationes adducit noster Serarius ibi quæst. 5. & valdè pulchras; liceat tamen mihi addere aliam ex præsenti excogitatione petitam. Ea est, quia lex volens sic liberare peccatores, vt correcti viuant; homicidas illos non ante in libertatem emittit, quam summi Sacerdotis mortem videant; sola enim sacerdotis mors efficaciter poterit continere in virtute eos, qui inter gladios cadere homines videre assueti
Num. 16 sunt. Hinc supra Num. 16. vbi rebelles mulctantur, & Dathan, & Abiron viui à terra deglutiuntur, & ducenti & quinquaginta alij Core partiales igne diuino absumuntur. Ait Dominus: *Præcipe Eleazaro filio Aaron Sacerdoti, vt tollat thuribula, quæ iacent in incendio*, &c. *producátque ea in laminas, & affigat altari*, &c. *vt cernant ea pro signo, & monumento filij Israël.* De Dathan, & Abiron voratis à terra nihil Deus permittit relinqui, quod in cladis monimentum seruetur. De combustis autem thuribula relinquuntur inter fauillas, quæ iubentur assumi, & poni pro signo Israëlitis. Et quare horum potius memoriam curat Deus permanere in monumentis, quam illorum? Erant Dathan, & Abiron de tribu Ruben, ad quam ratione primogenituræ pertinebat regnum politicum. Erant isti combusti de tribu Leui, quibus sacerdotale ministerium erat commissum. Ideò Dominus Principum sæcularium cladem non multum curat in monumentum redigere, vt enim illis frequentiores sunt clades, & sub illarum discri-
mine semper viuunt, sic minus animos audientium immutant. Sacerdotum autem clades ob oculos proponit, & iubet perpetuo earum asseruari signa, vt quæ efficacissima sint, ad concutiendos animos spectantium, illósque continendos in virtute.

§. IV.

Qui morti appropinquat, nil temporale curat, sed magis attendat diuinis.

Ascendentibus in montem Aarone, Moyse, & Eleazaro Aaronis filio, iubet Dominus Moysi: *Cum nudaueris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium eius, & Aaron colligetur, & morietur ibi.* Et quod Aaron nudetur sacerdotali stola, & illa induatur Eleazarus eius filius, vni Moysi committitur. Cur non magis mandatur ipsi Aaron, quod se nudet, & quod induat filium? Cur id munus Moysi mandatur, & minimè Aaroni permittitur? Erat sacerdotium Aaronicum temporale, & ideò cum Aaron morti appropinquat, & iam iã stat moriturus, minimè permittitur, quod circa temporalia occupetur, sed totus vacet æternis, & diuinis. Huc perueniant innumeri, qui etiam inter ipsum extremum spiritum toti sunt occupati circa temporalium bonorum dispositionem, vt illa relinquant, & mandent vel filiis, & propinquis. Toti in eo sunt, vt statuant, qualem vestem, quale prædium donent filio, & vix parum temporis impendunt diuinis. Sanè ij longè absunt à morte, quam Deus disponit amicis suis, quibus non permittitur occupari in temporalium bonorum dispositione etiam erga filios, sed quod præcipuè intendant diuinis. Hinc moribundus Iacob Gen. 49. *Gen 49.* ait ad filios suos; *Congregamini, vt annuntiem, quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis.* Quæ verba ponderans D. Ambros. lib. 2. de Iacob cap. 9 ait: *Præsentibus* *D. Amb.* *se rebus subduxerat, & nouissimis diebus futura miscebatur ætati.* Nihil de præsentibus dicit, nihil mẽte voluit, quod non pertineat ad ea, quæ æterna manent filiis in sæculo futuro. Et cur non etiam aliquid de præsentibus, & temporalibus comminiscitur? Equidem vt iam moriturus erat, sic sola curat bona, quæ ad æternitatem pertineant. Ait D. Chrysost. homil. 66. in Genes. *Chrysost.* *Quia moriturus erat, benedictione sua firmat pueros, maximas has facultates relinquens, & diuitias, quæ nunquam absumi poterant.* Bonus pater, dum viuebat, etiam procurauit filiis diuitias temporales; at vbi sese vidit morti vicinum, vbi iam erat moriturus, omnes temporaliũ bonorum abiecit curas, & vel filiis relinquere tractat eas diuitias, quæ non temporaliter, sed æternum durent. Cur enim vir sanctus memoret temporalia iam morti vicinus? De illo etiam habes Gen. 49. *Benedixítque singulis benedictionibus propriis. Et præcepit eis dicens: En congregor ad populum meum: sepelite me cum patribus meis.* Dum moritur, dicitur benedixisse filiis benedictionib. propriis singulorũ, vt aliis benedictiones regni, aliis benedictiones agriculturæ, & sic singulis singulas attribuat. Sed illud valde notãdum est, q̃ cum in Leui tribu maximè fulgeret sacerdotij benedictio, & dignitas, de tali sacerdotio, nec verbũ vnũ protulerit. Et cur bonus, & Sanctus pater iam moriturus non magis meminit sacerdotiũ inter filios affulsurũ? Erat sacerdotium illud temporale, nec peruenturum vsque ad dies nouissimos, ideò bonus moriturus non meminit illud, qui tali tempore sola spectabat æternum duraturum. Ait Rupert. lib. 9. in Gen. cap. 49. *Hoc ergo quæritur,* *Rupert.* *quare illud sacerdotium in benedictionibus suis pater omiserit, nullámque Leuitici prædicauerit laudem ministerij? Ad quod dicendum, quia de nouissimis diebus se annuntiare professus est, illud autem sacerdotium, siue Liuiticus ordo ad istos nouissimos dies, ad istos fines sæculorum non pertinet.* Et meritò moriturus Iacob cauet vel nominare rem, quæ non erat æternum duratura. Quid enim moriturо cum caducis, quando ad æterna festinat.

§. V.

§. V.

Moriturus nulli prius, quam ſibi conſulat.

NOn permittitur Aaron, quod ipſe filium ſacerdotalibus induat, ſed Moyſi mãdatur illud officium; cui dicit: *Cum nudaueris patrem veſte ſua, indues ea Eleazarum filium eius*, &c. Et cur Moyſi tale mandatur officium, & non potius Aaroni patri induendi? Sanè maximè amaret pater manibus ſuis ornare, & induere filium. Cur hoc illi non permittitur? Inſinuant rationẽ verba illa: *Et Aaron colligetur, & morietur ibi*; Sanè vbi Aaron moriturus ſtabat, meritò nulla alia illi permittitur cura, niſi vt vni conſulat ſibi. Vanè, & miſerè homo moribundus dat operam aliis induendis, etiamſi filij ſint, tunc enim vnum hoc præſtat, quod homo cõſulat ſibi. Ægrotabat ad mortem ſenex Iacob, quem cum inuiſeret Ioſeph filius vnà cum duobus eius nepotibus Gen. 48. *Dictum eſt ſeni: Ecce filius tuus Ioſeph venit ad te. Qui confortatus ſedit in lectulo. Et ingreſſo ad ſe Ioſeph ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza*, &c. Ingredienti filio nihil pater dicit, ſed prius confortatus in lectulo, quæ ad ſe à Deo venerant, memorat beneficia. Sed cur non magis alloquitur filium, illíque verbum ſalutatorium facit? Cur non magis aliqualem exhibet reuerentiam regiæ dignitati filij? Vt bonus erat moriturus, nulli prius voluit proſpicere, quàm ſibi. Pulchrè aiebat D. Ambroſ. lib. de Iacob. 2. cap. 9. *Aſſurrexit in ſe, & longè ab aliis, atque intra ſemetipſum ſeſe colligens, præſentibus ſe rebus ſubduxerat, & nouiſſimis diebus futuræ miſcebatur ætati.* Expende illa: *Aſſurrexit in ſe, & longè ab aliis*, & inſuper illa, *intra ſemetipſum ſeſe colligens*, &c. quippè bonus iam morti vicinus ab aliis omnibus ſe alienabat etiam filiis, & vni attendebat ſibi. Hinc maximè dignoſcitur, qui pertinet ad æternam vitam, ſi in mortis vicinio, vni ſciat attẽdere ſibi. Cum Dei filius erat in cruce, multi è peſſimorum turba clamabant Matth. 27. *Saua temetipſum; Si filius Dei es: deſcende de cruce.* Totus horum clamor eò ſpectabat, vt Ieſus ſua effugeret pericula, de propria autem ipſorũ ſalute nec verbum dicunt. Interea latro pendens in cruce, & iam iam moriturus clamabat Luc. 23. *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum*, hoc maximè curabat, vt ſibi ſalutem acquireret. In hoc latro & illos deuicit, & Deum ſibi deuinxit. Ait enim D. Ambr. ſerm. 45. *Iudæis dicentibus: Libera temetipſum: latro certus de diuinitate, & ſecurus de voluntate, ſe magis poſtulat liberari.* Illa eſt reproborum Iudæorum vox, quæ tota eſt in aliis liberandis, in aliis ornandis, & ditandis, & nullam ſui habet curam. Hæc eſt vox electorum, qui in mortis periculis conſtituti, magis poſtulant liberari, magis de ſe, ſuáque æterna ſalute ſunt ſoliciti, quàm de eo, quod alij viuant.

Num. 20. Cúmque Aaron ſpoliaſſet veſtibus ſuis, induit eis Eleazarum filium eius. Illo mortuo in montis ſupercilio, deſcendit cum Eleazaro. Omnis autem multitudo videns occubuiſſe Aaron fleuit ſuper eum triginta diebus per cunctas familias ſuas.

§. VI.

Ad ſummum parentis gaudium ſpectat promotio filiorum.

VIde, quali gaudio tollitur patris in morte triſtitia; nimirùm, quod in eius honore oſtenditur eſſe filius. Ait enim: *Cum Aaron ſpoliaſſet veſtibus ſuis, induit eis Eleazarum filium eius.* Nec veretur Moyſes ſpoliare Aaronem ſacerdotali ſtola, vt filium eius induat; imò in eo putat multum de mortis triſtitia Aaroni eripi, quod videat filium ſuum fulgere in ſacerdotali inſigni. Quod docebat Eccleſiaſticus cap. 30. inquiens: *Mortuus eſt pater eius, & quaſi non eſt mortuus, ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe. In vita ſua vidit, & lætatus eſt in illo: in obitu ſuo non eſt contriſtatus.* Triſtitiam mortis dimittit pater, qui in vita ſua videt filium dignitate, paterniſque bonis ſublimem. Hinc Dauid morti vicinus, vt vidit Salomonem filium reuertentem ab inauguratione regni 3. Reg. 1. *Adorauit rex in lectulo ſuo, inſuper & hæc locutus eſt. Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui dedit hodie ſedentem in ſolio meo, videntibus oculis meis.* Regni ſui decorem in filio miratus, & Deo gratias immenſas agit, & ſummo perfunditur gaudio. Vt dicat Abbul. quæſt. 42. in præſenti: *Reputauit Dauid ad magnum beneficium, quod ipſo viuente regnaret aliquis de filiis eius, & ſic ſaltem eſſet certus, quod aliquis de poſteris ſuis ſuccederet ei: & iſtud erat magnum gaudium.* Et ſeni, & moribundo, & iam animam agenti beneficium contulit Deus ad magnum eius eius ſolarium, & mortis leuamen, vt filium in ſua dignitate fulgentem ſpectaret. Et quantum hoc moribundo patri ſolatium? Ait Gen. 46. de Iacob vide filium in regni ſplendore: *Dixítque pater ad Ioſeph: Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuum, & ſuperſtitem te relinquo.* Quæ ſic explicat Diuus Chryſoſt. homil. 65. in Gen. *Vidi, quem deſiderani, & ſufficit mihi ad omnem lætitiam, vidiſſe quod tu adhuc viuis.* Equidem ſufficit parenti ad omnem lætitiam, quod filius in dignitate viuat, etiamſi pater ſe ad ſepulcrum appropinquare videat, ſi iam teneatur mortis ægritudine, ad omnem ei lætitiam ſufficit, quod in dignitate filium præfulgentem videat. In dignitate enim, & in vita nunquam patres non amant ſuperari à filiis. Quod ſcientes Ieroſolymitani Principes dicunt ad Dauidem 3. Reg. 1. *Amplificet Deus nomen Salomonis ſupra nomen tuum, & magnificet thronum eius ſupra thronum tuum.* Et quis hæc auderet Regi dicere, niſi certus, quod parentes gaudeant in bonis vinci à filiis? Ex quo Theod. ibi quæſt. 3. ait: *Sciebant hi Principes, quod nemo, qui paternam habet dilectionem æmulatione proſequitur filios: & quod eſt proprium patrum velle videre filios ſe clariores. Arius enim & eius filij ſoli hac laborant amentia. Dauid autem adeò lætatus eſt his, quæ dicta fuerant a Principibus, vt etiam cum ſenectus vetaret, ne ſurgeret, inclinatus Deũ adorarit.* De errore Arianorum venit, quod patres putentur inuidere filiis, at qui ſapiunt, indè parentes ſibi deuincire cupiunt, quod honorem, & maximum honorem eorum filiis attribuant. Hinc D. Ambroſ. epiſt. 26. extollit Gratiarum Auguſtum: *Quam pium autem illud, quam admirabile, quod in Deo non vereris inuidiam, de patre remunerationem pro filij amore præſumis, & laudando filium, non ei te poſſe aliquid addere confiteris, ſed velle, vt etiam patri te filij prædicatione commendet.* Equidem nulla eſt in patre inuidia de gloria filij, imò inde ſummo parentes gaudio afficiuntur, ſi vniuerſam gloriam ſuam videant tranſlatam in filios.

§. VII.

Filius præclarus viuo parente, nec manum habet, quam ad paterna bona extendat.

DE exuendo Aarone, & induendo Eleazaro filio eius vnus Moyſes accipit curam. Ait namque de Moyſe: *Cũmque Aaron ſpoliaſſet veſtibus ſuis, induit eis Eleazarum filium eius.* Moyſes vnus dicitur induiſſe Eleazarum veſtibus ab Aarone ſumptis. Sed cur non magis Eleazarius induebat ſe ipſum? Cur non ipſe Eleazarus, & veſtes ſumebat, & eas induebet, ſed id munus totum permittebat Moyſi? Sanè cum illa fierent, adhuc viuo parente Aarone, non miror, quod nihil in iis faciat Eleazarus per ſe ipſum; bonus enim filius viuo patre, non habet manus, quas extendat, vt paterna bona accipiat. Viuo Dauide dicitur de maiori natu eius filio Adonia 3. Reg. 1. *Adonias autem filius Haggith eleuabatur dicens, Ego regnabo. Fecitque ſibi currus,*

currus, & equites, &c. Cùm autem res delata esset ad senem Dauid, ipse vocauit præcipuos ex Principibus suis,& ait illis: *Tollite vobiscum seruos Domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam, & ducite eum in Gion, & vngat eum ibi Sadoch sacerdos,& Nathan propheta in Regem Israël*,&c.Quid tunc? Pergit textus: *Et imposuerunt Salomonem super mulam regiã*, &c.In quibus illud maximè notandũ venit in rem præsentem, quod cum & Adonias & Salomon essẽt æquè filij Dauidis,& in vtroque regni signa ponerẽtur,Adonias tamen non dicatur ibi filius Dauid,sed filius Haggith; Salomon autẽ filius Dauid nominetur,ait enim: *Imponite Salomonem filium meum.*Et cur magis vocatur Salomon filius Dauid, quam Adonias, cum hic maior natu esset? Adonias viuo patre manus extendebat ad regnum, dicebátq; *Ego regnabo. Fecitq; sibi currus*,&c. Salomon nec vocem, nec manus habebat,quibus aliquid sibi assumeret regium viuo parente; imò de illo dicitur: *Imposuerunt Salomonem supra mulam regiam*, non ipse se imposuit,non ipse accepit, sed sic se gerebat,quasi nec manus haberet, nec mentem,vt regnum accipiat viuo parente.O clarissimum indicium filij Regis, ad quem regnum pertinebat! Non equidem filius est, qui viuo parente manus habet, quas extendat ad bona paterna! ille vere filius est,& filius præclarus,& certissimus paternæ dignitatis hæres, qui nec manus habet,vt viuo parente,bona accipiat paterna. Ex quo
D. Amb meritò D.Ambros.in Apol.1. cap. 6. ait: *Ideò eo vsque precauit, vt cum Adoniam filium regnum sibi vsurpare comperisset; non eum, qui præripere gestiebat, sed eum,qui expectaret, eligeret.* Meritò non ille agnoscitur hæres, neque filius,qui manus habebat, vt præriperet regnũ, vt viuo patre, eius regiam acciperet; sed ille agnoscitur & filius,& hæres, qui dum patrem videbat viuum, prorsus erat alienus ab omni conatu, quo paterna perciperet.Non equidem filij optimi est,sed filij nequam, & funditus perituri,quod viuo patre habeat manus, vt bona eius præripiat. Hinc in pessimi Absalonis clade, non immerito fit mentio tituli, quem sibi erexerat viuus. Etenim post eius interfectionem descriptã,post ostensum eius cadauer obrutum lapidibus, consequé-
2 Reg.18 ter dicitur 2.Reg.18.*Porrò Absalon erexerat sibi, cum adhuc viueret, titulum*, &c. *Vocauitque titulum nomine suo,& appellatur,Manus Absalon.* Et cur necessum fuit ingerere memoriam huius tituli, quando recitabatur clades hominis immanissima? Erat equidem cladi maximè conueniens titulus; ex eo enim quod filij ostendebatur manus,quæ bona paterna posset præripere, in tam miseram ruinam debuit deuenire. Ait enim D.
Chrysost. Chrysost.hom.de Absal. *Perdidit Absalon scelestissimus mentem,perdidit sensum, amisit consilium insectatus patrẽ, vsurpat imperium, potestatem arripit. Non vt cum patre societatem regni iniret,sed,vt totum regnum patris sanguine possideret.Perdidit,inquam,Absalon consilium,dum parricidio curat mercari imperium.Festinat,properat occidere innocentem reus,patre superstite morituro.* Digna pœna, quòd moriatur patre superstite filius,qui bona paterna præripiebat patri viuo.Huc trahe dicta 1.tom.in Veter. Test.lib.2.cap.2.§.5.

§. VIII.

Glorioſus finis illius Principis,qui adhuc viuus nouit principatum exuere,illúmque cedere filiis.

ECce tibi viuus Aaron principatu spoliatur, vt ille transferatur ad filium,sic enim dicit.*Cúmque Aarõ spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium eius.* Et cur necessum fuit, quod Aaron adhuc viuus sacerdotali stola nudaretur,vt ea filio daretur? Cur non magis expectatur, quod Aaron excedat è viuis? Sanè post hæc prius pater moriebatur, & deinde in sacerdotium introibat filius. Cur modò non seruatur ordo ipse, vt antea moriatur Aaron, quam sacerdos fiat filius? Statuit hoc Deus ad maiorem gloriã Sacerdoris sui, Principis sui, qui inde glorioſiorem habebat finem, quod adhuc viuus,& dignitatem,& sacerdotium tradebat filiis. Ex quo commendat Theodosium Imperatorem D. Ambr. in eius orat. funebri inquiens: *Nil glorioſius exitus tanti Principis habuit,qui omnia iam filiis tradidisset,regnum,potestatem,nomen Augusti.Nihil,inquam,speciosius ei in morte seruatum est*,&c.Bonus & præstantissimus Princeps non expectauit nudari in morte regalibus insignibus, sed omnia ipse sibi viuus exuerat,& tradiderat filiis.Nec solam regiam purpuram,sed & regni potestatem, & ipsum nomen Augusti à se in filios transtulerat. Id, quod lego etiam factũ à Samuele, ait enim 1.Reg.8.*Factum est autem,cùm senuisset Samuel posuit filios suos Iudices Israël.* Iam senex, & morti vicinus Principatum exuit,vt Carthus. & Iosephus notant, illúmque in filios transtulit,vt sic quietior vita defungeretur,à principatus strepitu alienus.Quorum Principũ finis,vt glorioſus,sic amabatur à Iob c.3.cum dicebat: *Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem. Cum Regibus,& Consulibus terræ,qui ædificant sibi solitudines.* Mirabar,quod sanctissimus vir, quiete, & tranquillitate plenam mortem, & placido non absimilem somno sibi affingens, eam dicebat communem Regibus,& Consulibus terræ. Quid Reges, Principésve cũ placida,& somno simili morte? Imò ipse Iob cap. 21. ait: *Vbi est domus Principis? Et vbi tabernacula impiorum? Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadem illum intelligere cognoscetis. Quia in diem perditionis seruatur malus,& ad diem furoris ducetur. Quis arguet coram eo viam eius? Et quæ fecit,quis reddet illi? Ipse ad sepulcra ducetur,& in congerie mortuorum vigilabit.* Tantum enim abest,quod Principis mors similis sit placido somno,vt potius molestissimis vigiliis assimiletur. Ait enim: *In congerie mortuorum vigilabit.* Quando ergo Principum mors similis est molestis vigiliis, cur Iob suprà componens sibi mortem quietam, placidissimi somni æmulam, illam simul attribuit,& Regibus,& Consulibus terræ? Sunt equidem etiam Reges,& Consules,qui placidum finem, & suauem, dulcedinéque plenam mortem possunt obtinere,nimirùm Reges illi, *qui ædificant sibi solitudines*, qui propinqui morti cum principatus infulis dimittunt à se forenses strepitus,qui exuentes dignitatum munera,illáque successoribus cedentes, sibi solis viuere tentant. Ij sanè glorioſissimo fine decedunt, & eam mortem habent, quæ possit à sanctissimis inuideri,vt quæ minimè à suauissimo somno videatur differre. Compone modò Principum,& Principum mortem. Mors Principum, qui sibi has solitudines ædificant, qui cum dignitatibus ablegant à se strepitus,& frequentias negotiorum, suauissima est,placidissimi, suauissimíque somni æmula, vt meritò dicat Iob: *Nunc dormiens silerem, & in somno meo requiescerem.Cum Regibus,& consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.* Mors autem Principum, qui nec ad momentum exui dignitatibus queunt, turbulentissima est,molestissimis vigiliis plena, vt meritò dicatur: *In congerie mortuorum vigilabit.* Ambitionis enim suæ vigiliis,& solicitudinibus,& anxietatibus in ipsis mortis articulis angentur.

D. Amb.

Iob 21.

Iob 3.

§. IX.

Summi Principes pluſquam genus, pluſquam parentes debent æſtimare commoda Reipublicæ.

STatim vt mortuus est Aaron dicitur Eleazarus eius filius relicto patris cadauere ad populum descẽdisse. Sic enim dicit: *Illo mortuo in montis supercilio descẽdit cum Eleazaro.* Sed cur Eleazarus nõ magis affectus ostenditur ad patris reliquias? Cur nõ hæsit diu paterno cadaueri? Sanè & Moyses frater,& Eleazarus filius debuissent

debuiſſent aliquantiſper comitari defuncti cineres: Cur ergo à tam charo corpore tam facilè, tamque cito potuerunt diſiungi, vt cum primùm mortuum viderunt, & ſepelirent, & ad populum redirent? Erant populi Principes, quorum abſentia ne damno eſſet, cito ſe liberant ab obſequiis defuncti, debent enim ſummi Principes, & genus, & parentes obliuiſci, vt
D. Amb. Reipublicæ proſpiciant. Rem ponderat D. Amb. orat. de obitu Theodoſij in eius filio Honorio Auguſto, qui cum patris cadauer ab Italia deferretur Conſtantinopolim, non comitatus eſt patris reliquias. Ait enim: *Fles etiam Imperator Auguſte quod non vſque Conſtantipolim reuerendas reliquias ipſe proſequeris. Nec hoc tibi laborioſum, niſi te teneret Reſpublica, quam boni Imperatores, & parentibus, & filiis prætulerunt. Denique ideò te Imperatorem pater fecit, Dominus confirmauit, vt non ſolum militares patri, ſed omnibus imperares.* Hæc vniuerſi Imperatores, vniuerſi Principes intelligant, quod non tales ſiant, vt militent parentibus, filiis, propinquis, ſed vt imperent omnibus, & Rempublicam præponant proprio generi. Et cur Rempublicam non præponat proprio generi, qui & illi tenentur poſtponere
Ioan. 10. propriam vitam? Ait Dominus Ioann. 10. *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Quæ verba expendens
Chryſoſt. D. Chryſ. in Pſal. 113. inquit: *Hoc maximè oſtendit Principem, quod ſcilicet ſuorum curam gerat, eíſque prouideat, ac proſpiciat. Ideò dicebat Chriſtus. Paſtor bonus, non dixit, honoratur, & colitur, ſed animam ſuam ponit pro ouibus ſuis. Hoc eſt principatus, hoc eſt paſcendi ſcientia, ſua negligere, & eorum, quos regit, curam gerere.* Nihil ſuum non negligit bonus Princeps, vt Reipublicæ attendat; & genus ſuum, & cognationem ſuam, & vitam ſuam deſpicit, huic vni inuigilat, nimirum Reipublicæ cuſtodiendæ. Sic de Moyſe excipiente ſocerum, & vxorem,
Exod. 18. & filios dicitur Exod. 18. *Altera autem die ſedit Moyſes iudicare populum*, &c. Vnum tantum diem dedit bonus Princeps filiis, & ſocero excipiendo, honorandóque; & ſtatim die ſequenti illis dimiſſis ſeſe populo
Fa. Max. reddit. Sapienter enim dicitur apud Valer. Max. lib. 3. c. 2. *Publica inſtituta priuata pietate potiora indico.* Quod iudicium debet omnium inſidere animis.

§. X.

Defunctis præclarè rependitur amicitia in eius dilectis.

IN dilectiſſimi fratris occubitu nihil aliud legitur feciſſe Moyſes, quàm fratrem ſpoliaſſe pontificali ſtola, & illa ornaſſe filium, cum quo ad populos deſcendebat. Ait enim: *Cum Aaron ſpoliaſſet veſtibus ſuis, induit eis Eleazarum filium eius. Illo mortuo in montis ſupercilio, deſcendit cum Eleazaro*, &c. Vbi planctus Moyſis in tanti fratris funere? Quibus lacrymis oſtendit amorem erga ipſum? Et quibus officiis ſeſe gratum oſtendit defuncto? Crediderim Moyſis officia erga fratrem in eo maximè fuiſſe oſtenſa, quod cum Eleazaro filio defuncti deſcendiſſet, illúmque propriis manibus ſtola pontificia induiſſet; præclariſſimè enim repéditur amicitia defunctis in defuncti chariſſimis. Pro
Arnulp. quo ſcribebat Arnulphus Lexiouienſis Antiſtes epiſt. ad Rader. inquiens: *Duobus modis defuncto amicitiam iudico rependendam, vt primo ſcilicet piis apud Deũ interceſſionibus adiuuetur, ſecundo hi, quos ipſe dilexerat, dilectione vicaria diligantur. Inde eſt, quod amor noſter ab illo in te, quaſi quodam hæreditariæ ſucceſſionis iure transfuſus eſt, vt iam te non ſimplici, ſed duplicato complectatur affectu. Tibi enim præ cæteris hæc eſt deferenda ſucceſſio, quem ille præ cæteris diligebat, tibique eam quaſi quodam teſtamento ſpecialis amicitiæ prærogatiua deſignat.* Ecce tibi vt amicitia rependatur defuncto, nimirùm ſi in eius dilectos transfundatur. Nullo melius defuncti ſatisfacies & deſiderio, & debito, quàm ſi in eius chariſſimos transfundas tuum affectum. Sic Mariæ matri Ieſu dictum eſt occumbente filio, & oſtenſo Ioanne Ioan. 19. *Ecce filius tuus.* Datur namque loco filij ille, qui erat filio dilectus, vt in eo aliquo modo ſatisfaceret filij deſiderio. Ait enim Guarricus Abb. ſer. 4. de Aſſumpt. *Decebat, vt matri Domini, non alius obſequeretur quam dilectus filij, quatenus & mater ſemper ſuſpirans filium in dilectum filij ſuauius reſpiraret.* Bene Mariæ adiungitur Ieſu dilectus Ioannes, vt in dilectiſſimi filij occubitu mater reſpiraret in eius dilectum, & ſic falleret aliquo modo filij deſiderium, & eius debito amori ſatisfaceret in delicto.

CAPVT XXIX.

De ſerpente æneo.

Textus Hiſtoria.

POſt iuſta Aaroni ſoluta rapuerunt populum non parua longiſſimæ peregrinationis tædia, & de cœleſti pabulo nauſeam ſibi ipſi faciebant. Percuſſit nauſeantes miſeros ignitum ſerpentum venenum, vt qui non ceſſabant ductorem ſuum mordere, ardentium beſtiarum morſibus necarentur. Perirent omnes atrocitate dolorum, niſi Moyſes à benigniſſimo Deo precibus extorqueret remedium. Conflatur enim ex ære ſerpens, qui elatus ſtipite poſſit à popularibus videri, eo Dei fœdere, quod in ſalutem irent, quicunque aſpicerent æreum ſerpentem. Voluit etiam Deus antiquitus hominum ſalutem à ſtipite pendere.

PARS VNICA MORALIS

circa literam textus.

PEnnati nos vocant ſerpentes, qui morſibus ſuis facient, vt eum aſpiciamus, à quo in noſtros animos ſalus deſcendat.

Num. 21. Tædere cœpit populum itineris, ac laboris; locutúſque contra Dominum, & Moyſem, ait. Cur eduxiſtis nos de Ægypto, vt morerèmur in ſolitudine? Deeſt panis, non ſunt aquæ; anima noſtra iam nauſeat ſupra cibo iſto leuiſſimo.

§. I.

Non tædio diſſolui, ſed inſtanter orare debet, qui amat ex Deo impetrare bona.

QVod repulſam patiatur populus circa terræ promiſſionis ingreſſum, non miror, quando cum tædio, & faſtidio reſpicit, quidquid ad ingreſſum illum conducere poſſet. Ait enim text. *Tædere cœpit populum itineris, ac laboris:* & paulò poſt aiunt ipſi: *Anima noſtra nauſeat ſupra cibo iſto leuiſſimo.* Siue itineris labor, ſiue epulæ faſtidio, & tædio erant populo, ne miremur, quod non pertingat terram promiſſionis. Non enim faſtidioſi, ſed qui alacriter contendunt, & iugiter orant, deueniunt ad cœleſtia bona. Dicebat Dominus Luc. 4. *Multi leproſi erant in Iſraël ſub Eliſæo prophe-* Luc. 4.
ta: & nemo eorum mundatus eſt niſi Naaman Syrus. Et cur Iſraëlitæ leproſi temporibus Eliſæi longè à ſalute fuerunt, quam obtinuit alienigena Naaman leproſus? Sanè Naaman, vt audiuit ſe poſſe ab Eliſæo mundari, nullo pepercit labori, nec pertæſum eſt illi longam arripere viam, & venire ad prophetam, ab illóque diſcedere, & ſub eius nutu in Iordanem progredi. At Iſraëlitæ leproſi nullam pro ſalute pararunt profectionem, ſed laboris tædio, & faſtidio pleni manebant domi. Vndè meritò iis repulſis ille eligitur ad curationem. Ex quo ſapienter monet D. Amb. in Lucam: D. Amb.

Diſce

Disce rogare, quod cupias impetrare, fastidiosos viros cœlestium profectus munerum non sequuntur. Non tædia, non fastidia laboris, sed impiger diligentia, & instans oratio salutem ex Deo extorquent. Et quid à tædio, & fastidio veniat, nisi perditio? Ait 4. Æsdr. 9. *Qui fastidierunt legem meam, cum adhuc erant habentes libertatem, & cum adhuc esset eis apertus pœnitentiæ locus, non intellexerunt, sed spreuerunt, hos oportet post mortem in cruciamento cognoscere.* Caue homo tædium, caue fastidium, quæ te in perditionem impellent; quorum damna tũc cognosces, cùm ab omni deturbatus bono, te in malorum videas congerie. Rarò enim cum tædio non venit iuncta perditio extrema? Vbi enim dicebat Iob c. 10. *Tædet animam meam vitæ meæ:* legunt Pagninus, & Vatab. *Excisa est anima mea in vita mea:* hoc est, iuxta Tygurinæ sensum: *Actum est de vita mea.* Nihil iam cum vita se habere commune, sed cum pœna, cum dolore extremo putet qui cœpit occupari fastidio, & tædio. Vt meritò dicat Sapiens cap. 11. *Absentes, & præsentes similiter torquebantur. Duplex enim illos acceperat tædium.* Expende illud: *Absentes, & præsentes similiter torquebantur*; hæc enim est propriissima fastidiosi hominis pœna. Fastidium enim, & tædium facit, ne homo in vno aliquo, quiescat, sed præsentia omnia fastidiat, & alia potiora meditetur, pro quibus adipiscendis abeat, relinquẽs semper, quæ sunt præsentia. At vel præsens, vel absens semper eodem modo torquetur, nullum enim bonũ percipit, sed tormentũ. Quò alludens Hugo Victor. lib. de Medit. ait: *Qui semper, quod non facit, appetit, & quod facit, fastidit: nec præsentibus fruitur, nec futuris satiatur.* Sanè nec præsens, nec absens habet requiem, sed pœnam, qui ducitur fastidio, & tædio. Ex quo monebat D. Ephræm in Ascetico de timore Dei ad imitationem Prouerb. *Si spiritus tædij te inuaserit: domum tuam ne derelinquas, at per patientiam ei resistas. Ne tibi cogitatio persuadeat, dicens: Transfer te ex vno loco loco ad alium; nam si cogitationi isti consenseris, nunquam tolerabis.* Intolerabilia incurres mala, si tædio dederis manus. Vnde Diabolus Luc. 4. victus in vna tentatione ad aliam festinat, & post hanc tertiam. Et cur non magis victus obmutescit? D. Amb. lib. 4. in Luc. ait. *Non vnum telum Diabolus habet, frequentat spicula, vt aut præmio vincat, aut tædio.* Non enim parui ducit tentationem tædij.

Ibid. 4. Æsd. 9. Iob 10. Victor. D. Ephr. D. Amb.

§. II.

Temporalis lucri amor cœlestibus donis priuat hominem.

NVnquam Iudæis defuerat cœlestis panis, ex quo fuit illis cœlitus datus, vt sapienter notabat Caietanus, quomodo ergo in præsenti queribundi dicunt: *Deest panis, non sunt aquæ,* &c. Non loquuntur de pane, qui à cœlo veniebat omnibus æqualiter, sed de pane, qui demessus à terra in horreis clauditur, consequenter ad illa cap. 21. *Adduxistis in locum istum pessimum, qui seri nõ potest.* Huc horum querela spectabat, vt horrea haberent, in quibus conderent panem. Ne miremur, quod diuinis vacuantur, dum hac habendi cupiditate flagrant. Et quando vel à Dei consortio non homines detraxit lucri temporalis amor? Rebellium, perditorúmque stemma erexit Absalon, dum sibi titulum præfixit. Ait enim 2. Reg. 18. *Vocauit titulum nomine suo, & appellatur manus Absalon.* Exprimebatur in Absalone luctuosissimus ille casus, quo futuris temporibus Iudas à Christi consortio erat deturbandus. Exprimebatur, vt ille, qui inter Iesu discipulos, imo filios charissimos adscriptus erat, aduersùs patrem, & magistrũ insurrecturus erat, indéque miserè damnandus. Quæ vt futura exprimerentur, vnus hic titulus præfigitur, nimirùm, *Manus Absalonis.* Sed cur nomine manus, potius quàm capitis, aut alterius membri tantum facinus designatur? Ostendebatur tunc defectio à Deo, proditio, & miserrimus casus ex manibus venisse extẽsis ad lucra temporalia. Pulchrè D. Athanas. hom. de semente, ait: *Quasi negotio manu gesto, per vocabulum manus Absalonis, id quod futurum erat, oblique significauit.* Futuras proditiones Iudæ, & aliorum futura scelera, futuras clades hoc vno stemmate manus significabat, omnia enim facinora, & clades præcipuè debent timeri à manibus, si ad lucra temporalia extendantur. Cum manu hac stat, & facinus, & perditio, diuinum autem beneficium vix potest stare. Ideò Num. 21. de Israële pugnaturo, & expugnaturo Chananæos dicitur: *At Israël voto se Domino obligans, ait: Si tradideris populum istum in manu mea, delebo vrbes eius. Exaudiuitque Dominus preces Israël,* &c. Prius se voto obstringit, quod nihil sumpturus sit de ciuitatibus, & ex tunc à Deo auditur, & adiuuatur; tunc enim diuina beneficia trahit, cùm facit, à se discedat habendi amor. Ait Procopius in Glossa: *Quod voti fiunt compotes, factum est, eò quod impios solum vincere vellent, lucrúmque non captarent.* Sic vt diuina habeas, debes in primis è corde tuo lucri temporalis abiicere cupiditatem. Illóque testatum faciestibi Deum adesse, si minimè lucri cupiditate capiaris. Elisæus 4. Reg. 5. Naamani curationem ex Deo trahens, eius munera prorsus recusauit, dicens: *Viuit Dominus ante quem sto, quia non accipiam. Cúmque vim faceret, penitus non acquieuit.* Id, quod notans D. Ambr. ad cap. 4. D. Luc. ait: *Discere congrue præcepta virtutis; probauit fidem, qui præmia recusauit.* Equidem non esset cœlestis virtutis specimen, in quo esset temporalis lucri amor. Vt meritò dicat D. Leo. serm. 9. de Pass. *Amore pecuniæ vilis est omnis affectio, & anima lucri cupida, etiam pro exiguo perire non metuit. Nullúmque est in illo corde iustitiæ vestigium, in quo sibi auaritia fecit habitaculum.* Sic ibi: Quippè excludenda est habendi cupiditas ab eo, qui diuina amat tenere beneficia. Zachæus Luc. 19. vbi Iesum in domo sua accepit. Statim ait: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus,* &c. Circa quę ait D. Ambr. lib. 2. de Abel c. 4. *Excipiendo Christum excluſit auaritiam, renuntiauit fraudibus. Aliter enim non ingreditur Christus, nisi vt vitia excludat, qui non cohabitat erroribus. Denique de templo eiiciebat numularios, quia ipse volebat habitare.* Non stat Deus cum amore lucri.

Num. 21. Procop. D. Amb. Luc. 19. D. Amb.

§. III.

Cor nequam nunquam non fallacias meditatur.

EGregiè mentiuntur Israëlitæ isti, dum negant sibi adesse panem, & aquam. Aiunt enim: *Deest panis, non sunt aquæ,* &c. Sapienter enim illos de mendacio conuincit Caietanus, quando nunquam illis defuit cœlestis panis, & in præsenti mansione abundabant optimis aquis. De quo videndus est noster Cornelius à Lapide. Cur ergo nequissimi homines non magis verentur clara effutire mendacia? Pertinebat hoc ad insignem eorum nequitiam, quæ nunquam nescit impudentissimas non texere fallacias. De pessimis reprobris locutus Dominus Matth. 7. ait: *Multi dicent mihi in illa die,* Domine, Domine nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? *Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem.* In nomine Domini aliquid facere, est ob diuini nominis amorem, & reuerentiam aliquid operari: at pessimi isti non ignorabant à se nihil factum ob diuini nominis amorem. Cur ergo audent coram oculatissimo iudice sic mentiri, quod fecissent virtutes ob amorem diuinitatis? Ea est impudentia nequissimorum hominum, quæ nunquam abstineat à fallaciis, & vel in ipso iudicij articulo oculatissimum iudicẽ nitatur fallere. Ait D. Chrys. in Matth. hom. 19. *Nunquid nesciebant ipsi apud se, quia nunquam nec dilexerant*

2. Reg. 18 Matt. 7. Chrysost.

rant Christum, nec fecerant voluntatem eius? Sed putant se, sicut in hoc sæculo homines deceperunt, sic & ibi etiam Deum fallere posse. Ideò non dicit illis; Discedite à me, qui operati estis iniquitatem, *sed* quia operamini. *Quia iniqui, nec post mortem desinunt esse iniqui*, &c. Ecce tibi, vt impudentissimi homines nunquam sciunt desistere à fallaciis, & vel in iudicij articulo nitantur mendaciis obruere veritatem, & ipsum Deum fallere.

§. IV.

Temporalium bonorum amatoribus proprium est mendacium.

ABundantes cœlesti pane, & aquis dulcissimis, vt vidimus parag. præcedēti, nihilominus illud promunt mendacium clarissimum. nimirùm: *Deest panis, non sunt aquæ.* Est hæc vox temporalium bonorum amatoribus frequentissima; quorum in ore nunquam non sunt mendacia similima. Quis enim auarus diues, nimiúsque diuitiarum amator, non hæc passim mentiatur, dicens; *Non est panis, non sunt aquæ?* Fallar, si quando à mundialium bonorum amatoribus mendacia deficiant. Michæas c. 6. ait: *Diuites eius repleti sunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum.* Vide, quæ comitentur diuites mundiales, nimirùm mendacia, fraudes. Nō dabis mihi vnum de millibus, ex iis, qui lucrorum tēnentur cupiditatibus, qui sciant loqui veritatem, qui nō cūomant fraudes, & mendacia. Ait tibi D. Cyril. Alex. *Semper à turpi questu, amoréque lucri subactos studium mentiendi comitatur.* Semper, ait; nullum excipit tēpus, sed quandiu sub lucrorum temporalium fueris cupiditate, tamdiu te studium mētiendi comitabitur. De hoc habes multa tom. 4. in Euang. lib. 16. c. 12. §. 12.

Mich. 6.

D. Cyril.

§. V.

Solida virtutum esca non fuit, nisi post Christi in carnem aduentum.

MErito vel inter mannæ abundantias putant isti nihil sibi esse cibi substantialis, quo possent in veram, solidámque vitam roborari. Dicunt enim: *Deest panis, non sunt aquæ, anima nostra iam nauseat supra cibo isto leuissimo.* Aut non est esca, aut leuissima, & nullius momenti est, quæ inueniebatur ante Christi aduentum in carnem. Dum Christus venisse non apparuit, nil potuit esse substātiæ, quæ humana corda roboraret. Hinc Luc. 11. monebat Dominus: *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis.* Et serui sunt, qui Dominum expectare solent venientem ad nuptias; & serui, qui expectāt à nuptiis reuertentē. Dominus autem nos similes esse dicit expectantibus, non ad nuptias venientem, sed à nuptiis reuertentem? Cur ergo nō magis amat, vt simus similes expectātibus Dominū ad nuptias venientē? Cur mauult nos assimilari eis, qui Dominum à nuptiis reuertentem nouerunt expectare? Per nuptias intelligit Christi aduentū in carnem, vt enim ante nuptias nō est conuiuiū nuptiale, cuius reliquiis saturentur famuli, sic ante Christi aduentum; nullum erat conuiuium, nullus cibus poterat homines confirmare. Verum vt post nuptias conuiuiū celebratum est, de cuius mensa multæ superauerunt dapes; sic post Christi aduentum non possunt de cœlesti mensa non esse multi præstantissimi cibi, quibus famelici homines impleamur. Quò spectās D. Bern. ser. 17. in Cant. fatur: *Tales denique quærit similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis: quia vtique ab illis supernæ mensæ deliciis copiosis vacua nunquam reuertitur manu.* Ex quo enim post Christi aduentum, nuptiæ celebratæ sunt inter Deum, & naturam humanam in vtero virginali; & cœlestis conuiuij nuptialis mensa apparuit, non potest dari vltra vacuum; non inde ad nos venit Deus vacua manu, sed plena supersubstātiali cibo, qui nos impleat, & saturet. Luc. 5. ait: *Post hoc exiit, & vidit publicanum nomine Leui sedētem ad telonium, & ait illi*: Sequere me. *Et relictis omnibus surgens secutus est eum, & fecit ei conuiuium magnum*, &c. Itaque publicanus iste vt vocatur à Iesu, statim omnia relinquit, imò & in domo sua excipit Iesum, magnúmque illi parat conuiuium. Sed cur Deus permisit magnum parari sibi cōuiuium in domo eius, quem ad omnia mundialia abiicienda trahebat? Pulchrè rem explicat D. Amb. ibi fatus: *Conuiuij quoque maximi exhibet apparatum. Qui enim domicilio Christum recepit, interno maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum. Simul ostenditur, quantum interfit inter æmulos legis, & gratiæ, quod illi, qui legem sequuntur, ieiunæ mentis famem patiantur æternam; qui vero verbum in interioribus animæ receperunt, alimenti cœlestis, & fontis vbertate recreati esurire, & sitire non possunt.* Accede huc homo, qui legem mundi, leges appetituū sequeris. Crede mihi, vbi Christus abest, necessum est, vt fames inhabitet, & extrema penuria rerum. Ieiunæ sunt fartissimæ etiam mundialiū mensæ, quando in eis, nihil est, quod tollat famem æternam; nihil est, quod humana impleat pectora; nihil est, quod vires hominis sic confirmet, vt non cedant aduersis. Fœlix ille, cui Christus venit, cui Christus manet in domo pectoris, exinde esurire, & sitire non poterit cœlestibus recreatus alimentis. Quò spectans Isaias cap 49. ait: *Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus, & Sol: quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos.* Ex quo miserator noster ad nos venit, nostríque curam suscepit, omni abundamus verò, & solido alimento. Ait enim ibi D. Cyril. Alex. lib. 4. orat. 4. *Cum à Deo misericordiam consecuti sumus spiritualia bona deinceps affatim suppeditabantur, & cibum, qui animos iuuat, habuerunt: panem de cœlo ederunt, aquam viuentem biberunt, de qua ipse Christus dixit ad Samaritanam: Quisquis ex hac aqua bibit, iterum sitiet. At qui bibit de aqua illa, quam ego dabo ei, fiet ei fons aquæ salientis in vitam æternam.* Ex quo benignitas, & humanitas Saluatoris apparuit; sponsámque naturam humanam accepit, & simul mensa apparuit, & fontes, ne amplius sitiant, qui illi seruiunt.

Luc. 11.

D. Amb.

Isaias 49.

D. Cyril.

§. VI.

Vt Eucharisticus panis fieret nobis cibus substantialis necessaria fuerunt transubstantiationis miracula.

LEuissimus cibus habebatur manna ab antiquis Iudæis, cùm dicunt: *Nauseat anima nostra supra cibo isto leuissimo*, & quidem respectu Eucharistici nostri panis ille leuissimus erat. Leui enim virtute ab Angelis conficiebatur, & leuem effectum in hominibus causabat. Eucharistia autem opus est non leuis, sed ingentis virtutis, & efficaciæ. Conficitur enim hic diuinissimus panis per miraculosam transubstantiationem, qua substātia panis desinit esse, & incipit ibi esse ipsa Christi Domini vera substantia. Et cur necessum fuit tantum virtutis, fortitudinis, & omnipotentiæ opus, vt cōficiatur nobis panis salutaris? Nónne sufficeret, vt ibi vel vmbra Iesu esset, quæ nos sanaret? Quando Petri vmbra Actor. 5. attingens vel vnum infirmum, omnes sanabat; cur similiter non factum est, vt sola Iesu vmbra in Eucharistia existens nos sanaret? Cur magis placuit per tam miraculosam, & potentem panis in verum Christi corpus conuersionem hoc cœlesti conuiuium nobis parari? Decuit sanè non leuiter, sed potenter fieri panem, qui fiebat, vt humanas infirmitates roboraret. Quæstio etiam fuerat antiquitus, cur necessum fuerit, quod Iesus nasceretur non de coniugata, sed de virgine, eius incorrupta virginitate seruata? Ad quid sub tantæ potestatis opere Dominus voluit nasci?

D. Cyril.

Cui

D. Aug. Cui quæstioni pulchrè in rem præsentem ex D. Augustino satisfacit Algerus lib. 1. de sacramento cap. 2. fatus: *Omnia quidem cæterorum miracula superat, quod est natus ex Virgine, matrisque integritatem solus potuit nec conceptus violare, nec natus. Vt autem sic nasceretur Deus, illum decuit, nobis profuit: vt mundus natus nos mũdaret, potenter natus infirmos roboraret.* Expende illa: *Potenter natus infirmos roboraret*; quas potentias exterius præmittebat Dominus, eas addicebat humanis animis saluandis. Ideò in natiuitate virginea, potentissimum miraculorum opus adiunxit, vt potenter natus; nullum infirmum non roboraret. Quid pulchrius? Accipe dictum simile in nostro casu: Validissima miracula in conuertendo pane in corpus suum fuit operatus, vt potenter factus cibus supersubstantialis esset ad humanas vires in virtutibus roborandas. Hinc minabatur
Isaia 3. Dominus Iudæis Isaiæ cap. 3. *Auferet à Ierusalem, & à Iuda validum, & fortem, omne robur panis, & omne robur*
D. Cyril. *aquæ.* Vbi notat D. Cyrill. Alexand. *Non dixit simpliciter tolli à Iudæis panẽ, & aquam, sed robur panis & aquæ*; vt nimirùm maneat panis, & aqua sine vlla robore, sed quasi leuissimæ res, & penitùs euanidæ. Ad hoc autem quod sic panis maneat euanidus, & leuis illud sapientissime præmittitur, *Auferet validum, & fortem.* Dum enim nulla valentia, & fortitudo extraordinaria exercetur circa panem Eucharisticum conficiendum; vt non fit potenter, sic non corroborat infirmos comedentes. Necessum est, vt præcedat summa valentia in conficiendo pane cœlesti, & sic in illo infirmi roboreEuseb. mur. Ex quo Eusebius Emiss. hom. 5. de Pasc. apud Algerum lib. 1. de sacram. cap. 10. ait: *Ad agnoscendum, & percipiendum sacrificium veri corporis, ipsa te roboret potentia consecrantis. Qui tunc latuit præfiguratus in manna, sit tibi manifestus in gratia.* Expende illa, nimirùm: *Ipsa te roboret potentia*, &c. ex eo enim quod non leuiter, sed potenter conficitur hic cœlestis panis, habemus nos illius roborari substantia, & impleri gratiarum abundantia.

§. VII.

Validissima ad omnes sunt necessaria fercula pro omnibus liberandis.

SI verum Christi attendas panem, non miror, quod vilescant tibi antiquæ Iudæorum dapes, de suo Manna dixerunt illi: *Nauseat anima nostra supra cibo isto leuissimo.* Et quando panis ille cœlestis erat, Angelorum curis ministratus, quid potuit habere in se condemnandę leuitatis? Id reprobandę leuitatis erat, quod nequiret ad alia loca, nec ad aliud tempus transportari; sed in loco, & in die, quo colligebatur, comedebatur. Quæ leuior substantia, quam quæ breui loco, & tempori est alligata? Proinde non miror, quod Manna panis leuis habeatur, & alius substantialior, & communior requiratur, quæ enim pro omnibus roborandis esca datur, non vni, aut alteri, sed omnibus debet communicari, & necessum est, quod pro omnibus valeat. Hinc condens Dominus viuificum Eucharistiæ poculum Matth. 26. dicebat: *Bibite ex eo omnes.* Cur Domine sic omnibus commune tuum poculum facis? Memini ex Gen. 3. pomum vetitæ arboris ab vno Adamo, & Eua fuisse gustatum, & inde cæteros omnes homines veneno eius affici. Cur non similiter viuificum cibum statuis pro vno, aut duobus præcellentibus, & virtutum plenis, à quibus solis dum manducetur, & bibatur, cæteri omnes eius participent sanitatem? Cur non statuis, vt tu ipse solus, aut purissima mater tua comedat Eucharisticum panem, & vinum bibat, & per id solum omnes viuamus? Absit, esset enim hoc proprium leuissimi cibi, & non valentis omnes saturare, si eius gustus non posset omnibus communicari; qui autem omnibus sufficiat, tantus debet esse, tam fortis, tam validus, vt

vbique locorum possit inueniri, & omnibus possit dari. Ex quo dicebat Diuus Ambros. in Psalm. 1. Dauidis: D. Amb *Vide quemadmodum Dominus artibus diaboli pro suis seruulis obuiauerit. Ille cibo fraudis decepit vnum, vt in vno omnes circunuenirent: Iesus autem cibo salutis omnes redemit, vt in omnibus, & illum, qui deceptus fuerat, reformaret.* Longè aliter constituitur salutaris esca, quam nociua, & lethalis. Quæ lethalis fuit, vni communicata, omnes quassauit: quæ salutaris est, necesse est, vt valeat omnibus communicari, si omnes debeat saluos facere. Sic Iesus vt omnium mederetur infirmitatibus, tam validum, & substantialem cibum condidit, qui posset, & vbique & omnibus præstari. Nisi enim omnibus communicari posset, minimè omnes liberaret. Quò spectans Malach. cap. 1. ait: *Non est mihi voluntas* Malac *in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Quibus verbis explicari mensam Eucharisticam præter multos Rabbinos docent Clemens Rom. Iustin. Mar. Irinæus, Euseb. Cæsar. Chrysost. Theodor. Damas. Martial. Tertul. Cyprian. Aug. Hier. Remig. Isidor, Beda, & alij suo ordine citati à Glossa. Non placent ergo Domino munera, quæ in paruo populo Ierosolymitano offerebantur, & comedebantur à Sacerdotibus. Hoc autem munus, hæc oblatio munda, quæ ab ortu Solis vsque ad occasum, in omni loco ab omnibus fidelibus offertur, & comeditur, hæc, inquam, placet Domino. Sed quando mensa illa antiqua panum propositionum solùm erat in amplissimo Ierosolymorum templo, & à Sacerdotibus tractabatur; cur similiter non placuit Eucharisticam mensam in vnico, & præstantissimo loco mundi collocari, ibique à præstantissimis suscipi; sed maluit vbique locorum omnibus, etiam infirmis patere? Sanè ordinabatur hæc mensa ad mundi remedium, & ideò talis debuit esse quod omnibus in promptu esset. Vt sapienter dicat Damas. lib. 4. de Fide cap. 14. *Oportebat* Damas. 4 *porrò non primitias tantum nostræ naturæ, sed & quemlibet hominem in participationem summi illius boni venire, & denuo nasci; nouóque alimento, ac natiuitati consectaneo vesci, sícque ad plenam, ac perfectam mensuram peruenire.* Et quidem vt non solum naturæ nostræ primitiæ, & præstantissimi viri, sed & quilibet homo vocabatur ad summum bonum participandum, sic non solum pro primitiis naturæ, hoc est, pro præstantissimis, sed pro omnibus, & quibuslibet ordinabatur regeneratio, & Eucharistici cibi alimentum, quo omnes suam perfectionem, & integram salutem consequerentur.

Numer. 21. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas, & mortes plurimorum, venerunt ad Moysem, atque dixerunt; Peccauimus, quia locuti sumus contra Dominum, & te, ora, vt tollat à nobis serpentes.

§. VIII.

Detractio magis odiosa Deo apparet, quam lethale telum.

LOquebantur isti contra Deum, & Moysem, & Deus statim in illos misit ignitos serpentes: *Quamobrem*, ait: *Misit Dominus in populum ignitos serpentes.* Sed & ipsi Iudæi post tempora multa in Deum insurrexerunt, manúsque illi iniecerunt, & post verbera, post spinas crudelibus clauis ipsius Dei manus & pedes cruci affixerunt, & quadraginta post annos eis supplicium inuexit. Cùm cæditur, cùm crucifigitur, longanimem se Dominus exhibet, & quadraginta annorum spatio sustinet interfectores suos; cum autem obloquentes, detrahentésque videt, statim immittit serpentes, qui eos perdant. An detractio intolerabilior

eſt Deo, quàm mors humanitatis ſuæ, quàm ſui corporis interfectio? Equidem intolerabilior videtur. Vnde
Pſal. 108 Pſalm. 108. queribundus Dominus de Iudæis, aiebat: *Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam.* Multa alia fecerant homines peſſimi, verberauerant, percuſſerant, occiderant, & iis omnibus prætermiſſis vnam detractionem Dominus meminit, quaſi
D. Aug. hæc morte intolerabilior illi eſſet. Ait ibi D. Auguſt. *Nec parum aliquid putari debet, quia non ait*, Pro eo, vt diligerent me, interficiebant me, ſed detrahebãt mihi. *Et ideò potius hoc dixit, vt oſtenderet, magis eos nocere, qui Chriſto detrahunt, & per hoc animas interficiunt, quam qui eius mortalem carnem mox præſertim reſurrecturam ſauiendo peremerunt.* Planè intolerabiliora cẽſentur apud Deum ſpicula linguæ detrahentis, quam ſpicula ferrea, quæ latus transfodiunt, & carnem perimant. Prius obliuiſcetur & vulnera corporis ſui, & mortem peracerbam, & exquiſita tormẽtorum genera, quam obliuiſcatur linguas detrahentes. In aliis facinoribus, vel in morte ſua longaminis eſt Deus; at in detractoribus
Pſal. 100 puniendis quaſi nimis citus videtur. Aiebat enim Pſal. 100. *Detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar. Superbo oculo, inſatiabili corde, cum hoc non edebam.* Expende quam aliter ſe gerat cum ſuperbis, raptoribus, auaris, ac cum detractoribus. A ſuperbis, à raptoribus, auaris abſtinebat, illorúmque conuictum fugiebat, at detrahentem perſequebatur. Qui inter ſuperbos, & raptores, & interfectores ipſos agens, hoc ſolum faciebat, vt eorum conuictus cauere; cum detractoribus ſic oſtendebatur, quaſi non ſe poſſet continere, quin illis malum infetret. Proh detrahentis lin-
D. Ber. gua durior Deo quam ferrum! Meritò ait D. Bernard. ſerm. de Triplici cuſtodia: *Nec vero eiuſmodi linguam ipſo etiam mucrone, quo dominicum latus confoſſum eſt, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Chriſti corpus, & membrum de membro, nec iam exanime fodit, ſed facit exanime. Ipſis quoque nocentior eſt ſpinis, quas illi tam ſublimi capiti furor militaris impoſuit, ſeu etiam clauis ferreis, quos ſanctiſſimis illis manibus, & pedibus conſummatio Iudaicæ iniquitatis infixit.* Ne miremur, quod properet Deus in ſupplicium inferendum detrahentibus; quando horum lingua & paſſionis flagellis, & ſpinis, & clauis, & lancea eſt acerbior, & intolerabilior. Hinc cùm Iob innumeris affectum doloribus, à vermibus pene exeſum, filiis orbatum, omnibus ſpoliatum bonis videret amicus eius Eliphaz Themmanites ait illi cap. 4. iuxta Septuag. lectionem. *Num ſæpe tibi ſermo eſt habitus in moleſtia?* Cauſam tanti mali, tam improuiſi, & repentini quærens, nullam prius ſuſpicatur quàm moleſtos ſermones, ſi moleſtus fuerit aliis, eos verbis
Chryſoſt. corrodens. Id quod acutè notans D. Chryſoſt. in cat. ait: *Nec vero dicit: Nunquid geſtum tibi eſt, ſed nunquid ſermo eſt habitus tibi? Quamuis enim tua actiones præclaræ ſunt, & honeſtæ, id etiam accidit, vt peccetur in verbis.* Ecce tibi pro tantorum malorum, tamque inopinatorum cauſa non recurritur ad opera mala, ad latrocinia, ad homicidia; nec de geſtis quæritur, ſed de verbis, ſola enim verba moleſta proximis potuiſſent ingentem illum calamitatum cumulum afferre. Et quidem verba detrahentis feſtinatiſſimi ſunt cauſa lethi. Vnde amiIob. 42. cis Iobum corrodentibus ait Dominus cap. 42. *Iob autem ſeruus meus orauit pro vobis, faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia.* Ex Græco autem ſic: *Si enim non propter eum perdidiſſent vos.* Circa quæ
Olypiod. Olympiodorus in cat. ait: *Illud capitale eſſe pronuntiat, ſanctis detrahere.* Sic ibi.

§. IX.

Detractor detractorum etiam experietur rabiem.

VIde quales carnifices Dominus in murmuratorẽ populum immittat; dicit namque: *Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes*, &c. Meritò enim ſerpentinum murmurationis, detractioniſve malum à ſerpentibus vapulat, vt oſtendatur, quam experirtur detractor aliorum detractorum rabiem, & vt ipſe mordet, ſimiliter mordetur ab aliis. Illum ſanè ſpectabat Iobi cap. 20. vbi ait: *Caput aſpidum ſurget, occidet eum lingua viperæ.* Expende verba, quibus pulchrè delineatur detractor, nempe: *Caput aſpidum ſurget*; nunquam enim non aliorum venena, aliorum peccata lambit, & in ore habet. Quid indè? *Occidet eum lingua viperæ*: Septuag. *Interficiat eum linguæ colubri*: Lectio Græca maluit ponere. *Lingua ſerpentis.* Et ſerpens percutiet miſerum? Ait Nicetas in cat. Græca: *Lingua autem ſerpentis eſt, ſicut improbi contraria loquentis.* Veniet equidem detractor in linguas aliorum æquè improborum, à quibus acerrimè lacerabitur. Quò ſpectans Ec- Eccl 5.
cleſiaſticus cap. 5. monebat. *Non appelleris ſuſurro, & linguæ tua ne capiaris, & confundaris. Super furem enim eſt confuſio, & pœnitentia, & denotatio peſſima ſuper bilinguem; ſuſurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia.* Vbi noſter poſuit: *Denotatio peſſima ſuper bilinguem*, &c. Alij legunt apud Hugonem Card. *Deuoratio peſſima ſuper bilinguem*; eo enim ipſo, quod quis ſuæ linguæ non parcat, ſed bilinguis inſtar ſerpentis appareat, venenáque diffundat, & proximorum rodat vbique famam. Illi etiam & odium, & inimicitia, & contumelioſa verba moleſtiam inferent; imò & deuoratio peſſima ſuper illum, minimè enim effugiet rabidiſſimos aliorum dentes, qui proximorum rodit vitas.

Numer. 21. Orauítque Moyſes pro populo, & locutus eſt Dominus ad eum: Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit eum, viuet. Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno, quẽ cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur.

§. X.

Oratio pro aliis exhibita efficaciſſima eſt.

NEc mora, orat Moyſes pro populo afflicto, & ſtatim Dominus oſtendit illi medium ſalutis; quippè ait: *Orauitque Moyſes pro populo, & locutus eſt Dominus ad eum: Fac ſerpentem*, &c. Sic eſt efficax ad impetrandum, quam pro aliis orationem fundis. Iob. c. 42. Iob 42.
dicit: *Dominus quoque conuerſus eſt ad pœnitentiam Iob, cùm ille oraret pro amicis ſuis.* Qui tot mala in Iob venire permiſit, tandem reuocauit ſententiam ſuam, vt Iob liberaretur omni ægritudine & priſtinum proſperitatis ſtatum reciperet: Et quando Iob hanc mutationem obtinuit? Ait textus: *Cùm ille oraret pro amicis ſuis.* Quam pro aliis orationem fudit; ſic efficacem in eo fecit, vt ſtatim fructum perciperet. Ait Carthuſ. ibi: *Con- Carth.
uerſus eſt ad pœnitentiam Iob, quando orando pro amicis ſimul pro ſe ipſo orauit, idcirco & ei magis benignus effectus eſt Deus. Nam & tanto citius exauditus eſt pro ſe ipſo, quanto deuotius interceſſit pro aliis.* Sic oratio pro aliis exhibita, ſtatim apparuit diues, & plena fructibus. Potuit forſan quis pro ſe orans ſine effectu orationis manere, at vbi in pectore orantis ſic charitas aucta eſt, vt extenderetur ad hoc, vt pro aliis oraret, non potuit, non ingentes fructus ſibi trahere. Pſalm. 34. *Retribue-* Pſal. 34.
bant mihi mala pro bonis ſterilitatem animæ meæ. Ego, autem, cùm mihi moleſti eſſent, induebar cilicio, humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in ſinu meo conuertetur. Inter moleſtias aduerſariorum ſterilis Dauid aliquando inueniebatur, tunc ille humi cubans in ſacco, & cinere pro illis orabat, & oratio eius in ſinum eius conuertebatur. Cur oratio in ſinum, & non magis in os, vndè exerceat, conuertitur? Oratio, quæ pro aliis fiebat, ſic plena fructibus reuertebatur, vt ſinus latiſſimos quæreret, quos illis faceret redundare. Ait Euth. Euth.
ibi:

ibi : *Ita conuertitur oratio, vt orantis sinus petitis rebus impletura sit.* Nescit esse sterilis oratio, quæ exhibetur pro aliis, nec permittet orantem esse fructibus vacuũ.

Gen. 20. Hinc Abimelechum Regem monebat Dominus Gen. 20. *Redde vxorem viro; & orabit pro te, quia propheta est, & viues.* Non ait, *orabis pro te*, sed maluit dicere, *orabit pro te*; vt orationem efficaciorem ostenderet, quæ est,

Lyppom. dum quis pro aliis preces suas fundit. Vt enim ait Lyppoman. in cap. 18. Gen. *Delectat dominum, & fidelem decet, oratio pro salute proximorum interposita.* Et Oleaster in præsenti, fatur: *Hac de causa orationes Christi fuerunt efficaciſſimæ, quoniam à nobis iniuriam passus, pro nobis orauit.* Sic ibi ostenditur, vndè oriatur orationis efficacia, nimirum ex eo, quod charitas sic augeatur, vt pro aliis faciat orare.

§. XI.

Quò prius quis peccat, eò prius solet spicula sentire peccati.

NOn otiosè serpens æneus suspensus à ligno antiquitùs ostendebatur, quippè ait: *Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo*, &c. Quando enim peccatores omnes in Christo erant crucifigendi, meritò crucifixus serpens apparuit, vt qui primus peccauit, primus etiam sentiat pœnam peccati. Aiebat D.

D. Amb. Ambros. serm. 55. de cruce: *Serpens igitur primus crucifigitur. Rectè plane, vt quia primus apud Deum peccauerat Diabolus, primus crucis sententia feriretur. Deinde post serpentem in Saluatore homo ipse crucifigitur, scilicet, vt post authorem puniatur & facinus. Per primam crucem vindicatum est in serpentem, per secundam in venena serpentis.* Sic iustitiæ lex petit, sic vsus ipse consueuit mõstrare, vt qui primi ad peccata volarunt, primi etiam ad supplicia rapiantur, & primi peccati experiantur acerbitatem. Huc spectabat mors decreta tribus fratribus Mariæ, Moysi, & Aaroni; Maria enim Num. 20. moritur, deinde post hanc Aaron eodem anno moritur, tandem Moyses defunctus est in eiusdem anni fine. Quo-

Procop. rum mortes sic expendit Procop. in Glossa ad cap. 20. Num. inquiens: *In iudicij vero sortem, tempus quoque cadit, cuius ratione pro dignitate cuiusque mors est iuncta, primò quidem Mariæ, secundò vero Aaroni, tertiò denique Moysi, siquidem dierum quoque longitudo præmium virtutis in lege est constituta. Primò igitur fatis defungitur ea, quæ plus reprehensionis habuerat, eo quòd contra Moysem quiddam ausa fuerat*, &c. Hoc lex iustitiæ petebat, vt ratio haberetur temporis in supplicio, ad quod raperentur primi, qui primi, & principaliores fuerant in delicto. Quò spectabat illa Dei sententia per Ezech.

Ezech. 9. cap. 9. *Transite per ciuitatem sequentes eum, & percutite; non parcat oculus vester, neque misereamini. Senem, adolescentulum, & virginem, paruulos, & mulieres, interficit vsque ad internecionẽ*, &c. *à sanctuario meo incipite. Cœperunt ergo à viris senioribus*, &c. Ecce tibi seniores sanctuarij ministri primi dant pœnas, primi spicula sentiunt lethalia, non aliam ob causam, nisi quia primi

Carth. erant in peccatis, aliis præbentes ducatum. Ait Cart. *Primò occidite ministros templi, sacerdotes, & principales, qui aliis causa peccandi fuerunt.* Vt primi erant in peccatis, sic non mirum est, quod primi spicula peccati experiantur.

§. XII.

Christus Dominus omnia peccatorum venena perdidit.

MIraris, quod Dei Filius sub serpentis nomine, & typo ostendatur à Moyse: dicit enim: *Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo*, &c. Et non ignobiles Patres in hoc serpente Christum intelligunt. Sed cur serpens Christus? Serpens ferissimus est, hostis seminis humani, plenus veneno lethali, instrumentum diaboli ad perdendos homines. Vnde ergo Iesus humaniſſimus, dulciſſimus, ipsissima salus hominum serpens habeatur? Vndè Christus serpens? Sanè à serpẽte deuastato, à vacuato omni veneno peccati meritissimè nobilis triumphator Iesus serpens nominatur. Quò spectans D. Ambros. lib. 1. Apol. Dauid *D. Amb.* cap. 3. ait: *Æneus serpens tanquam confixus cruci, quia verus serpens crucifigendus generi annuntiabatur humano, qui serpentis diaboli venena vacuaret, qui totius mundi maledicta deleret.* Et cur non serpens dicatur, qui sic de serpente triumphauit, qui nullum venenum peccati non deuastauit? Sic de zizania superseminata locutus dominus Matth. 13. ait. *Inimicus homo hoc fecit*: & per hunc inimicum hominem intelligit diabolum. Et vndè diabolus homo dicatur nisi ab homine deuastato? Ait Hugo Card. *Diabolus dicitur homo ab homine deuicto, sicut Scipio Africanus ab Africa deuicta.* Ne miremur, quod nobiliſſimus Iesus serpens dicatur, vt omniũ serpentum venenosissimorum deuastator. Quod peccati venenum à Iesu non perditum? Qui serpens antiquus à mundo non exsibilatus? Exod. 7. vt Aaronis virga versa fuit in colubrum, similiter, & virgæ Maleficorum Ægyptiorum in colubros versæ fuerunt, adeò, vt omnia serpentibus essent plena. Quid tunc? *Proiecerunt singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones, sed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Magna profecto res, præclarum facinus, quo vna virga facta coluber tot dracones, tot serpentes voraret, terrámque venenosis bestiis inundaret. Vndè tanta fuit virtus huic colubro ex Aaronica virga facto, qui tot dracones, tot venena voraret? Erat in hac virga figura Christi Domini, de cuius virtute venit, quod dispereant venena, quod serpentes vniuersi vorentur. Ait D. Ambros. lib. de Salom. *Ambr.* cap. 2. *Ipse Moyses virgam proiecit in terram, quæ in similitudinem est corporata serpentis; quæ quia, & ipsa imago erat corporis Christi, & tantæ virtutis in se typum gerebat, omnium Ægyptiorum potestatem absorbuit.* Nulla serpentis potestas mansit in terra, quæ à Christi Domini virtute non absorpta fuerit. Hinc Christi Domini triũphatricem virtutem miratus sapiens Prouerb. 30. ait: *Prou. 30.* *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cœlo.* Ecce triumphatrix virtus Christi Domini aquila volante depingitur. Et cur in aquila, nisi vt triumphator dicatur omnium serpentum? Ait D. Amb. *Ambr.* suprà. *Sicut auis ista inimica serpentum est. Et vt aquila serpentes deuorat, & eorum venena calore coquit interno; ita & Christus Dominus noster percusso dracone, id est, Diabolo lacerato, dum humanum sibi corpus assumit, peccatum illud, quod hominem tenebat obnoxium, tanquam pernicioſum virus extinxit.* Cur non serpentem dicam nobilem illum triumphatorem, qui tot antiqui serpentis venena deuicit.

§. XIII.

Christi Domini vel vmbra vitam halat hominibus.

ÆNeum serpentem in stipite eleuat Moyses, ex quo percussi à serpentibus hauriant salutem: *Fecit, inquit, Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent, sanabantur.* Dabat equidem serpens suspensus à ligno salutem infirmis, quia ea figura adumbrabat Christum Dominum, cuius vel vmbra vitam halat hominibus. Deut. 28. aiebat *Deut. 28* Moyses serpentis huius comminiscens: *Videbitis vitam vestram pendentem ante oculos vestros.* At qui pendet, non vita est, sed mortuus iacet siue Christus sit, siue serpens pendes à ligno. Quomodo ergo in mortuo insensibili videant vitam? Notanter dixit: *Viam vestra.* Licet enim, qui pendèt non sit in se viuus, sed vmbra sit, & figura viuentis Christi, inde habet halare hominibus vitam. Ait German. Patriarcha Constantinop. *Ger. Pat.* orat. in adorat. Crucis: *Moysis dictum: Videbitis vitam vestram pendentem ante oculos vestros: hunc serpentem in-*

nuere

nuere videtur, non quod virtute aliqua ſerpentis imago prædita fuerit, ſed quia typum Chriſti gerebat. Hinc diſcere potes, imaginum hoſtis, & oppugnator, magnarum rerum figuras honore afficiendas eſſe. Si enim ſerpentina hæc imago tam inuiſa, & odioſa ob euectionem in ligno, quæ Dei, & hominis in cruce ſuſpenſionem præſignificabat, adeo vitam largiebatur iis, quos mors amara perdiderat, quantum proderit, & quam non miniſtrabit viuificationem oppoſita Dei, & hominis figura? Sapientiſſimè quidem bonus pater philoſophatur, vt conuincat vitam halari à figura Chriſti Dei, & hominis, quando ſerpens æneus eo ſolo, quod crucifixum adũbrabat, ſic erat omnibus aſpicientibus vitalis. Et quidem nullus non experiretur, quam vitalis ſit quælibet Ieſu vel vmbra, vel imago.

Cant. 2. Thren 4. Hinc ſponſa Cant. 2. *Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi:* & Hierem. Thren. 4. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in in peccatis noſtris, cui diximus, in vmbra tua viuemus in gentibus.* Mortuus eſt Ieſus noſter, è mundo eliminatus, at dum eius ſaltem vmbra maneat ob oculos noſtros, ex illa vitam hauriemus.

Ambr. Vt dicat D. Ambr. lib. 15. in Lucam: *Nos autem quibus Spiritus ante faciem Chriſtus eſt Dominus, in vmbra viuimus Chriſti. Et ideò dicit Eccleſia: In vmbra eius concupiui, & ſedi.* Ex quo poſſumus habere vel Chriſti vmbram; ibi habemus vndè viuamus, vndè ab omni diſcrimine liberemur, & nihil nobis ab aduerſariis timeamus.

Exod. 3. Quid magis aduerſarium ligno, quam flamma? Sed Exod. 3. *Videbat, quod rubus arderet, & non combureretur.* Rubus erat inter ardentiſſimas flammas, & nullum damnum patiebatur. Et vnde ligno tanta virtus aduerſus flammas? Adumbrabatur ibi Chriſti conceptio in vtero virginali, de cuius vmbra non poterat non exire virtus ad frænanda quælibet contraria.

Ger. Patr. Ait ſuprà German. Patriarch. Conſtantinop. *Neque rubus inconſumptus, & illæſus ſuaui in igne perdurauit. ſed propter Mariam, quæ in mortali, & ad corruptionem prona natura ignem Deitatis portauit.* Sic de Chriſti myſteriis vmbra frænat poteſtates aduerſarias.

§. XIV.

Diabolus inter calamitoſos homines quaſi mortuus iacet.

BIs ſerpentem audio apud homines, & in præſenti, & in Gen. cap. 3. In præſenti: *Fecit Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno*, &c. Inſenſibilis ſerpens, & exanimis ex ære factus conſtituitur ſupra lignum à populo conſpiciendus. In Gen. autem non exanimis ſerpens, ſed viuus, ſed aſtutia plenus, ſed veneno abundans, paradiſi arboribus inſertus mulieri verba facit, quæ illam in mortem trahunt. Ait enim: *Dixit autem ſerpens ad mulierem*, &c. Ecce tibi in paradiſo voluptatis, inter deliciarum abundantias, vt ſerpens antiquus viuidus, vt loquax apparet; at in ſicco ſtipite inter percuſſorum gemitus, non viuidus ſerpens eſt, ſed inſenſibilis, ſed æneus, ſed mutus. Ait enim: *Fecit Moyſes ſerpentem æneum*, &c. Et cur, qui in paradiſo viuidus, hic æneus apparet? Sanè, qui de deliciarum, voluptatúmque conſortio viuidus diabolus eſt, & efficax ad perdendum; inter ærumnas, & calamitates gelidus iacet, & exanimis, & quaſi mortuus vix nocere valet.

Luc 8. Apud Luc cap. 8. *Occurrit Ieſu vir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & veſtimento non induebatur, nec in domo manebat, ſed in monumentis. Is vt vidit Ieſum, procidit ante illum*, &c. Sic malus dæmon in homine exiſtens ad Ieſu procidit pedes, mulóque conamine precabatur, vt quando ab illo homine exire cogeretur, liceret ſibi ingredi in porcorum gregem, qui iuxta paſcebat. Permittit ergo Dominus malo, vt intret in gregem. Quid tunc? *Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos, & impetu abiit grex per præceps in ſtagnum, & ſuffocatus eſt.* Mirabar, quod in vno homine tot eſſent dæmonia multis temporibus, nec illum præcipitabant in mare, aut alio modo perdebant, quæ ſemel ingreſſa in porcos, ſtatim vniuerſos præcipitauerunt, perdiderunt. Et cur qui ſic porcos præcipitarunt, non magis hominem offendebant? Erat homo ille miſer nudus, omni ſpoliatus temporali commodo, parum diſtans à mortius, habitans in monumẽtis. Inter tot ærumnas, & calamitates torpebant dæmonia, & ſic erant, quaſi non poſſent nocere, nec funditùs perdere, quin potius facili negotio ad ſalutis fontem Ieſum traherentur. Porci autem vitã voluptuosã referebãt; de voluptatum autem, deliciarúmque conſortio dæmon reuiuiſcit, omnéſque ſuas vires nocendi exerit. Ait Euthym. cap. 12. in Matth. *Ingrediuntur dæmones porcos, eos videlicet, qui irrationabiliter conuerſantur, & in cæno voluptatum volutantur, ac illos in perditionem præcipitant.* Euth. Faxit Deus, ne dæmon accedat ad voluptuoſos homines, dum voluptatibus ſaginantur, dum deliciarum paſcuis abundant. In iis enim viuida eſt dæmonis poteſtas ad perdendum, totúmque ſuum virus euomet; at vbi, non voluptas, non deliciæ, ſed gemitus, ſed lamenta, ſed ærumnæ incumbunt, prorſus torpet dæmon, & æneus eſt, faciliúſque inde ſalus, quam perditio parebit. In nudo homine, & agente in monumentis tota legio dæmonum erat, ſed ſic erat legio, quaſi mortui dæmones eſſent, nec in effectu cernerentur. In voluptuoſis gregibus ſtatim reuixerunt, & integrum virus oſtenderunt. De Ieſu Domino ait Matth. 4. *Tunc Ieſus ductus eſt in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à diabolo.* Matth. 4. Et eſt valde mirandum, quod neceſſum ſit, vt Chriſtus eat, excitans præſentia ſua diabolum ad inferendas tentationes. Quando enim iuxta D. Petri notiſſimum aſſertum: *Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret.* Cur in deſerto adeò erat deſes, adeo languebat, vt neceſſum fuerit, quod Ieſus ad illum iret, illúmque prouocaret ad duellum? Deerant in deſerto cuncta deliciarum blandimenta, aderat horror vaſtæ ſolitudinis, durities famis, & alia plura, quæ gemitum mouerent, inter quæ non miror, quod Diabolus langueret, vt vilem, atque inefficacem congreſſionem moliretur. Id, quod ponderans D. Ambroſ. ſer. 35. ait: *O miſera Sathanæ, & extrema congreſſio; Diabolus in deſerto tentationis ſolida arma non inuenit, deeſt illi de paradiſo amœnitas arborum, deeſt illi conſiliatrix Eua, deeſt illi pomorum ſpecioſa deceptio.* Ambr. Miſerè languet diabolus, vbi non ſuppetunt voluptatum irritamenta; ſed magis abundant ærumnæ, & gemitus. Semper enim labor diaboli tentamenta minus facit.

§. XV.

Ex quo temporalia mala Ieſum impleuêre, non poſſunt in ſuis cum damno durare.

NOn diabolum, ſed Ieſum agnoſcunt ſub ſerpentis ænei forma plures patres. Præ ſe tulit enim bonus Ieſus ſerpentis formam, vt ſignificaret ſalutem percuſſis à ſerpentibus dandam. Quippe: *Fecit Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno*, &c. Et quid forma ſerpentis cum ſigno ſanitatis? Quando à ſerpentibus percuſſi moriebantur, cur illis proponitur ſerpens viſendus pro ſigno ſanitatis? Innuebatur Dei filius ſub illa ſerpentis forma, & ſic ſerpentinum virus funditus credebatur euacuandum; ex quo enim Deus in malis temporalibus apparuit, nequeunt illa penitus non extirpari. Dum Iob multis opprimeretur malis, multóſque in illis gemitus daret, Dominus ſeſe illi in turbine, ſub procellæ ſpecie, monſtrauit. Ait enim cap. 38? *Reſpondens autem Dominus Iob de turbine dixit*, &c. Sed cum Deus afflicto, multíſque dolorum fluctibus, & turbinibus agitato vellet adeſſe, cur etiam in turbine apparet? Cur procelloſam refert faciem illi, qui ingentibus dolorum procellis premebatur? Præ-

Iob 38.

monſtrabat

monſtrabat Deus alumno ſuo finem malorum iam inſtare, non poſſunt enim diu durare tempeſtates, ſub
D.Met. quibus ipſe Dominus apparet. Quò ſpectãs D.Methodius in cat.fatur: *Quoniam turbo tẽpeſtatis eſt auctor,nec Iobi fides in tempeſtate malorum vllum naufragium fecit, ſed multo magis eluxit: idcircò,qui ei oracula edit, ad ſuperioris ærumnæ procellam ſignificandam, procellam item, dum loquitur,ſumit. Atque vt Iobi res à tempeſtate ad ſerenam tranquillitatem oſtenderet demigraſſe,non ſolum per procellam,ſed per nubes etiam loquitur.* Sub nubium,procellarúmque ſpecie Dominus Iobo apparet, vt oſtendat nihil iam in Iobo nubilum, nihil procelloſum iam poſſe durare, ſed magis tranquillitatem, ſerenitatémque exinde plaudere. Et cur non demigret tempeſtas in ſerenum: quando ſub eadem tempeſtate Deus ap-
Matth.8. paret? Matt.8.ſub eadem tempeſtate erant & diſcipuli vigilantes,& Ieſus dormiens,quem illi clamoribus excitarunt,vt ſerenum faceret. At Ieſus illos arguens ait:
Chryſoſt. *Modicæ fidei, quid timidi eſtis?* Circa quæ verba meritò ſibi obiicit D.Chyſoſt.quod modicæ fidei damnentur illi diſcipuli,eo præcipuè tempore,quo clamabant: *Domine ſalua nos perimus.* Si ad eum confugiunt,ſi ſalutem ex eo petunt, in quo oſtenduntur eſſe modicæ fidei? Sanè modicæ fidei erant, quia eo ipſo,quod videbant Deum ſub eadem eſſe tempeſtate, non certo credebãt illam ſtatim deſituram in tranquillitatem, ſed adhuc clamabant,quaſi poſſet durare ſibi,& authori commu-
Chryſol. nem tempeſtatem. Ait Chryſol.ſer.21. *Modicæ eos credulitatis aſſerit eſſe,qui non modo in ſe tantum, ſed in ipſũ authorem credunt poſſe elementa conſurgere.* Sanè modica eſt fides illorum,qui timent ſibi à malis, ſub quorum ſpecie apparet ipſe author eorum. Nunquam enim certius quis debet credere mala eſſe extirpãda, quàm vbi ſub illis videt eſſe Dominum. Vnde ſapienter aiebat
D.Amb. D.Amb. ſer.56. *Auferens per crucem Dominus humani generis iniurias, omnes eas in ſua paſſione conſumpſit, vt vlterius non eſſet homini,quod noceret.* Ex quo enim Deus ſub noſtris apparuit pœnis,iam illæ vix poſſunt homini nocumentum afferre, ſed magis occaſionem meriti.

§. XVI.

Non oculis,ſed manibus committat ſalutem,qui velit in tuto eſſe ante aduenientia mala.

PErcuſſos iam, & doloribus gementes ſanabat viſu ſerpentis ænei, minimè autem faciebat, quod non percuterentur. Sic enim habet: *Quem cùm percuſſi aſpicerent,ſanabantur.* Et cur non magis faciebat, vt etiam ſani aſpicientes percuſſionem vitarent? Magnum hoc eſſet,& quod obtineretur,ſi nõ oculis tantum, ſed manibus ſaluté tractarent. Multũ erit ſi poſt mala,poſt dolores, poſt ærumnas habitas nutu oculorum ſalutem nanciſcaris;at ſi manibus rẽ agas,vel ante aduentũ ma-
Iſaias 58 lorum in tuto collocaberis. Monet Iſaias c. 58. *Frange eſurienti panem tuum,& egenos, vagóſque induc in domũ tuam, cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum,& ſanitas tua citius orietur*, &c. Græcè legitur: *Tunc erumpet matutina lux tua*,& pro *matutina*,eſt Græcè: *Proimon*, quod Latinè eſt *precox*, ex quo enim quis manus pauperi aperuerit,operáque pietatis exercuerit,non ſolum ſanitatem,ſed præcocem ſanitatem obtinebit. Hoc eſt, ſic celer, ſic feſtina ad illum ſanitas veniet, quòd vni-
Chryſoſt. uerſos incurſus malos præueniat. Pulchrè ait D.Chryſ. orat. Ne erubiſcamus confiteri venerandam crucem apud Grethſerum tom.2. *Quid vero Proimon ſignificat? Dominum non tunc tantum tibi affuturum, poſtquam in malis fueris, nec poſt malorum acceſſum,ſed antequam exiſtant,& ingruant. Quemadmodum enim ex fructibus illum appellamus Proimon, (præcocem,) qui ante præſtitum tempus ad maturitatem peruenit, ita & hîc cùm celeritatem denotare vellet, proimu,ſeu præcocis vocem vſurpauit.* Ea eſt fœlicitas porrigentis manus pauperibus, opera pietatis exercentis,qua non ſolum poſt malorum ærũnas exiſtentes,ſed antequam mala ingruant, liberetur. Ea,mihi crede, ſunt opera miſericordiæ, quæ te iam tutum oſtendant, antequam mala veniant. Quò ſpectans Matth.7.ait: *Nolite iudicare, vt non iudicemini;in* *Matt 7.*
quo enim iudicio iudicaueritis,iudicabimini,& in qua mẽſura menſi fueritis,remetietur vobis. Itáque in manu noſtra ponitur, quidquid poſtea nobis eueniet; poſſumus operibus noſtris nobis præparare remedia, antequam diſcrimina veniant. Ex quo monebat D.Chryſ. *Chryſol.*
ſer. 139. fatus: *Remitte peccanti, remitte pœnitenti, vt cum tu peccaueris,repræſentetur in venia,non donetur. Bona ſemper venia,ſed tunc dulciſſima,cum debetur. Vicit pœnam,iudicem præuenit,euaſit iudicium,qui remittendo,ante ſibi veniam,quam delinqueret,iam prouidit.* Quid pulchrius? antequam delinquas,iam tibi habes promiſſam veniam,qui illam alteri modo præſtas; & ante ægritudinem,iam habes in promptu remedium.

CAPVT XXX.

De Madianitarum ſcandalo in Iſraëlem.

Textus Hiſtoria.

GÆperat iam Moabitas, Madianitáſque timor appropinquantium Iſraëlitarum: aduerſus quos venefici Balaami conſilio non Mauortem,nec Palladem, ſed Venerem vocant in certamen. Fuit enim omnium turpiſſimis parentibus gratum de populo Iſraëlitico mercari triumphum pudicitia filiarum, pro qua tutanda non æſtimant ingenui homines ſe morti dare. Nec mora parentibus gratificaturæ puellæ, & nobiles, & plebeiæ, prodeunt in aciem; quæ formæ lenocinio, appoſitis menſis epularum, congreſſus facilitate, validiſſimum Iſraëlis exercitum ſic exarmarunt, vt maior eius pars abiecto ferro amori, & libidini maluerit militare. Auidè vacuant epulis Idolorum aras,quas thure implent, vt ſacra faciant Priapo, nunquam enim cæca iuuentus non rapitur, vt ſuis libidinibus ſacra faciat. Sic totus quantus erat populus in luxuriem effuſus, Idolis applaudens,veri numinis iras exacuit; qui, voce ad Moyſem data, iudicum concilium cogi mandat, quorum ſententia deprehenſi ei in conſpectu omnium ſuſpendantur. Nec non & fori moras perpeſſa diuina ira peſtiferis auris cœpit ferire non paruam populi partem, cuius ſeniores cum Moyſe diuino hærebant tabernaculo,profluis lacrymis, multóque gemitu diuinam iram deprecantes.

Interea Zambri dux de cognatione Simeonis ſingulari impudentia nobilem Madianitem puellam Coſbi nomine deducebat in propriũ tabernaculum, quod dum vertit in Iupanar; diuino exagitatus zelo Phinees filius Eleazari aduolat, ſtrictóque pugione miſeros transfodit inter ipſas ardentis laſciuiæ flammas: Verè ſacerdotis filius brutorum effudit ſanguinem, Dei indignationem placans, ſæuiſſimam auertit plagam, quæ viginti quatuor hominum millia fuerat depaſta, & ſibi ex Deo pacatiſſimum ſacerdotium æternabat.

PARS VNICA MORALIS

circa textus literam.

QVod potuit Phinees gladio Iſraëlis laſciuiam extirpare; vtinam & nos calamo tantam luem eliminemus à populo Chriſtiano.

Num. 25. Morabatur autem eo tempore Iſraël in Setim, & fornicatus eſt populus cum filiabus

Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adorauerunt Deos earum. Initiatúsque est Israël Beelphegor.

§. I.

Vbi fœminea vox intonat, ibi certissima hominis perditio.

VIde extremæ perditionis initium; *Quæ vocauerunt*, ait, *eos ad sacrificia*, &c. Vbi puellæ mittúntur, quæ vocent Israëlitas, quæ alliciant, iam ibi eorú apparebat certa perditio. Crede mihi, imò crede Deo, crede experientiæ, ille locus aptus est humanæ negotiandæ saluti, qui fœminas habet nullas; in quo vel vna est, caue homo perditionem tuã. Matt. 4. *Tunc Iesus ductus est à spiritu, vt tentaretur à Diabolo.* Cur necessum fuit duci in desertum, vt Diabolum tentatorem inueniret; In paradiso fuerat Adamus, & ibi Diaboli tentationem incurrit. Cur modò Iesus nõ in paradisum, sed in desertum, vt tentaretur, ducitur? Monstrabat Dominus locum, non in quo tentationes inueniret, sed in quo tentiones inueniret, quas vinceret. Vicẽdis autẽ tentationibus nõ erat aptus locus paradisus, in quo erat mulier; sed necessarius nobis videbatur desertus, in quo fœmina esset nulla. Ait D. Amb. ser. 37. *In deserto Saluator implet mandatum Dei, vt ibi Adam saluaret errantem, vbi fuerat de paradiso proiectus. In deserto ergo homini salus refunditur, vbi non sunt epulæ, vbi desunt deliciæ, vbi (quæ est malorum omnium causa) deest mulier. Potuerat enim Adam inter illas paradisi inconcussus stare delicias, si Eua ibidem cum diabolicis illecebris non fuisset. Conueniens ergo est desertum saluti, vbi non est Eua, quæ persuadet, non est mulier, quæ blanditur. Videte rem miram, in paradiso cum Adam Diabolus dimicat, vbique insidiatur homini, vbique congreditur, sed vbi mulierem inuenit, vincit: vbi mulierem non videt, victus abscedit.* Nil pulchrius dici potuit in rem præsentem. Sane vbi diabolus, vbi hostis mulierem inuenit, ibi iam se putat de hominibus victorem, vbi autem mulierem non inuenit, ibi necessum est se victum doleat. Vincuntur homines, vbi mulier sonat. Hinc Diabolus congressus cum Iob illi bona omnia eripiens, & filios, & ipsam sanitatem corporis; vnam vxoris eius reliquit vocem, ait enim c. 2. *Dixit autem illi vxor sua*, &c. Circa quæ sapienter ait D. Chrys. hom. 3. in Iob: *Omnia, vt breuibus vtar verbis, auferũtur: sola mulier relinquitur, antiquum Diaboli organum, scilicet sibi ipsi vetulam seruans.* Expende illa nimirum, *sibi ipsi vetulam seruans*, quippe tam præsens perditio hominis est fœmina, vt in aggressionibus suis caueat Diabolus, ne sibi desit fœmina, licet vetula sit, habens enim vel vetulam, habet, quo integros populos perdat. Nunquam non perditio est, & ruina, vbi est fœmina. Exemplum esto fortissimus ille Samson, cui tot de hostibus victoriæ cesserunt, hic tantus accessit ad fœminam Iud. 16. Quid tunc? *At illa dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinauit caput. Vocauítque tonsorem, & rasit septem crines eius*, &c. *Quem cum apprehendissent Philisthiin, statim eruerunt oculos eius*, &c. Ecce tibi vt victor ille hostibus exercitus, modo victus iacet, & cæcus. Proculdubio vincebat, vbi mulier non erat; vbi autem mulier interfuit, victus cecidit. Rẽ pulchrè tractat D. Ephræm in Pareneſi de Iud. & Retrib. aiens: *Qui percusserat mille viros in maxilla asini, postquã concupiuit cum vipera habitare, illico capilli Nazareo defluxere, oculísque suis priuatus, miserabilis, atque ridiculus omnibus subito est demonstratus.* Sic illi victoria erat, vbi aberat à muliere; vbi autem cũ muliere fuit, statim perditio venit. Et vtinã perditio sola temporalis esset, quæ venit à muliere, at nõ quiescit mulier, nisi & in æternũ perdat. Bona omnia temporalia, filios, salutem corporis Iobus perdiderat, interea tamen ait illi vxor c. 2. *Benedic Deo, & morere.* Vbi elegantèr D. Ephræm aduersus improbas mulieres ait: *O gratiam muliebrem! O fomẽtum dolorum efficax! O amicitiam coniugalem. Neque satis erat ei temporaneus hic dolor, quin & æternum ipsi supplicium per blasphemiam conciliare cupit.* Non quiescebat pessima, nisi damnum æternum viro inferret.

Matt. 4. — Iob 2. — Chrysost. — Iud. 16. — D. Amb. — D. Ephr. — Iob 2. — D. Ephr.

§. II.

In conuictu fœminarum miraculum erit, si non recedas à Deo.

VIde, vt ex conuictu fœminarum perdunt Deum, ait enim: *At illi comederunt, & adorauerunt Deos earum*, &c. Illarum mensis accubuerunt, ne miremur, quod ad Idololatriam dilapsi fuerunt. Nequit enim moraliter fieri, quod à conuictu fœminarum, in veri Dei gratia perseueres. Cum Petrus audisset à Iesu Domino Matt. 26. se negaturum illum, protinus ait: *Etiãsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Sanè pessimè se gessit Petrus in hac promissione, eo præcipuè tempore cum à Iesu negaturus asserebatur. Deberet magis rogare Dominũ pro se, vt liberaretur à tanto malo. Quod si rogaret, quid ex Deo obtineret? An obtineret, quod manentibus omnibus circunstantiis, nimirum quod interrogatus ab ancilla, non negaret? Difficile id creditu est, non enim Dei ordinaria gratia fututum videtur, vt interrogatus Petrus ab ancilla non Iesum negaret. Ait Orig. hom. 35. in Matt. *Debuerat, postquam audiuit, quia omnes vos scandalum patiemini in hac nocte, postulasse Dominum, & dixisse: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, esto in me, vt non ego scandalizer, & dona mihi præcipue gratiam hanc, vt in tempore, quo omnes discipuli tui fuerint scandalum passi, ego in denegationem non cadã. Si enim postulasset, forsitan amotis ab eo ancillis, cæterísque ministris non denegasset.* Expende pulcherrima illa; *Forsitan amotis ab eo ancillis non denegasset*; quippe inde solum Petrum non denegaturum statuit, si prius Deus faceret, quod ancillæ amouerentur, nec illi verba facerent; amotis enim iis, forsitan Petrus precibus obtineret, ne Dominum suum negaret. At non amotis ancillis, sed perseuerantibus, & cum Petro colloquia miscẽtibus, non quælibet obtenta gratia, sed noua, & extraordinaria necessaria erat, vt Petrus in Domini confessione staret. Et quis staret fœminæ percussus halitu, quando Apostolus Dei ante gratiæ confirmationẽ minimè stare valuit. Vt dicat D. Amb. ser. 45. *Tantam trepidationẽ discipulis intulit passio Saluatoris, vt quod Apostolo Christus ante prædixerat, ancilla adstrueret, & magis præualeret ostiaria ad perfidiam, quam Apostolus ad cautelam.* Compone ex vna parte Apostolum cum gratia Apostolatus ante confirmationem, & ex altera parte ancillulam ostiariam. Apostolus ne, an ostiaria fortior? Equidem fortior apparuit ostiaria ad perdendum Apostolum in illo casu, quàm Apostolus vt caueret virus ostiariæ. Fœlix, qui toto conatu fugit conuictum illarum, ille discrimina negandi Deum euadet. De quo multa dixi in tom. Euangelicæ historiæ.

Matt. 26. — D. Amb. — Orig.

§. III.

Fœmina ante admissum stuprum validior est, vt quidlibet persuadeat viro.

VLtimum Israëlitarũ facinus ponit textus in principio, aiens: *Fornicatus est populus cũ filiabus Moab.* Et statim docens ordinem, quo deuentum est ad nefariam libidinem, inquit: *Vocauerunt eos ad sacrificia. At illi manducauerunt, & adorauerunt Deos earum*, &c. Itáque puellæ alliciebant ad conuiuia, & sacrificia Idoli proposita mercede extremæ luxuriæ; nec antea stuprum admittebant, quam viderent iuuenes Idolis thura posuisse. Sic cautum fuisse per Balaami consiliũ docet Lyra; & insinuat Apocalyp. 2. dicens: *Tenen-*

Lyra.

tes

tes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalũ coram filiis Iſraël,edere, & fornicari. Prius cogebantur comedere de Idololatris,& poſtea ad ſtuprum admittebantur.Quod vno dempto Abbulenſi multi docent alij,& ratio id perſuadet, fœmina enim ante ſtuprum admiſſum longe validior eſt,vt quodlibet viro perſuadeat,quæ poſt admiſſum facinus multum vileſcit,multúmque amittit efficaciæ.Nouerat id ſerpẽs antiquus, qui ſtatim vt condita fuit Eua,illam adit Gen.3. *Qui dixit ad mulierem*, &c. Et cur aſtutiſſima bellua ſic feſtinat fœminam occupare? Cur non magis expectat nuptiales amplexus,vt ſic illa plus apud maritum delitiarum expertum valeat? Abſit; imo aſtutiſſimus ſerpens feſtinat rem agere ante congreſſum nuptialem, vt qui nouerat, quam poſt ſtuprum admiſſum infirmetur erga viros efficacia puellarum, quæ tunc integrum ſuũ robur habet,cum integra in ſe fœmina manet. Ex quo notanter dicebat D.Chryſol.ſer. 148. *Diabolus virginẽ Euam,vt vetitum deguſtaret pomum,inducit; inducta virgo inducit virginem mox maritum.* Conſumaſſet vel ſemel nuptias Adamus,fallar, ſi adeò vereretur vxorem ſuam contriſtare denegatione eſus noxialis.Quod prę-cauens ſerpens virginem inducit,vt comedat,& vt virgo adhuc,viro porrigat,certus quod inexpertum deliciarum virum trahet.Quò ſpectabat illud Gen.2. *Propter hanc relinquet homo patrem,& matrem,& adhærebit vxori ſuæ.* Expende ordinem,antequam adhæreſcat homo vxori ſuæ,relinquet patrem,& matrem propter illam,poſtquam enim adhæſit vxori, forſan nihil relinquet propter illam.Non enim viri ſic ſe ſpoliari ſinunt à fœminis,quas iam habent ſub poteſtate ſua.Hinc Iudicum c. 16. Dalida illa Philiſthæa habens in ſinu ſuo recubentem,& dormientem Samſonem:*Vocauit tonſorem,& raſit ſeptem crines eius*, &c. Quòd non paruam quæſtionem facit Abbulenſi, cur ipſa per ſe non raſit crines mariti,ſed vocauit tonſorem,qui raderet?Et certè,vbi antea ligandus erat Sanſon,illa ſola ligabat hominem, ſaltem nemo ad tale munus vocatus legitur. Cur modò tonſorem vocat,vt præſtet, quod ipſa poſſet præſtare? Spoliabatur modo Samſon, & religione Nazaræatus,& crinibus ſacratis Deo,& viribus corporis,ad quam ſpoliationem faciendam non miror,quod vxor multi temporis ſe inualidam reputet,& auxilium artificis emendicet. Ante nuptiales amplexus,ante ſtuprum admiſſum,ipſa ſola valeret virum & religione,& Nazaræatu, & crinibus exuere, poſt inueteratas nuptias,poſt nuptiales voluptates perceptas, nec ſe validam putat, vt vel capillum tollat de capite eius. Eripitur fœminis ars detriumphandi viros, cum eis eripitur virgineus pudor; neceſſum inde habent emendicare aliunde artem,ſi virum ſpoliare velint.

Gen.3.

Chryſol.

Gen.2.

Iud.16.

§. IV.

Muliebre ingenium diuina omnia poſtponit regiæ cupiditati.

MIraris Madianitas puellas ſic pudorẽ ſuum proſtituere alienigenis, & ignotis viris, dicit enim: *Fornicatus eſt populus cum filiabus Moab,quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua.* Vnde puella virgines adeo impudentes, adeo procaces extiterunt, vt ipſæ vocarent viros,illóſque ad turpitudinem allicerent?Morem in eo gerebant Regi ſuo Balaaco, de cuius imperio facinus illud,& verecundum ſibi,& infame parentibus aggrediuntur; neſcit enim muliebre ingenium vlli piaculo parcere,quo morem gerat Regi. Ad hęc ait Orig. hom. 20.in Num. *Hæc fuerunt conſilia Balaam,quibus acceptis Rex Balac parat continuo exercitum, non armis virilibus, ſed fœmineo nitore compoſitum,non furore bellico,ſed libidinis flamma ſuccenſum. Nullam refrænat pudor, nullam prohibet verecundia. Proh nefas, quid ſceleris non perpetret, vbi facinore ſuo placituram ſe mulier Regi credidit?* Nullum facinus erit adeò immane,nullum ſceleris genus,quod non perpetretur à fœmineo ingenio,ſi in eo ſe credat Regi poſſe placere. In natali Herodis conuiuio ſaltatrix puella Baptiſtæ caput petit à Rege, dicit enim Mar.6. *Volo,vt protinus des mihi in diſco caput Ioãnis Baptiſtæ.* Ecce quod impiiſſimus Rex verebatur facere,id petit fœmina, & non veretur, quod tantum facinus executioni mandetur. Sed cur non magis ſibi cauet à ſanguinis effuſione delicata puella?Cur nõ metuit perdere hominem in tanta veneratione habitum à populo? Ait D. Fulgent ſer. in præſenti: *Molli puella greſſu procedit in medium,homicidium petitura,& adultero placitura.* Vbi mulier Regi nequam,& adultero placitura erat, non miror, quod ſanctiſſimi viri homicidium petat,quod voret omne nefas.Et quando fœminea impietas non poſtponat virtutem,Deúmque cupiditati Regis? Impia Iezabel, vt vidit Achab Regem pro vinea Naboth ſolicitum 3.Reg.21.ſumpto calamo ſcripſit iudicibus ciuitatis: *Prædicate ieiunium,& ſedere facite Naboth inter primos populi,& ſubmittite duos viros filios Belial,contra eum,& falſum teſtimonium dicant.Benedixit Deum,& Regem,& educite eum,& lapidate,ſicque moriatur.* Vbi homicidium, & falſa teſtimonia mandabantur,cur neceſſum fuit,præmitti ieiunium? Ad quid opus hoc virtutis tot facinoribus immiſcetur? Morem gerebat impia fœmina Regi, cuius cupiditati non ſolum temporalia, ſed & diuina ſubiiciebat. Ait enim Carthuſ.ibi:*Voluit impia fœmina illa, vt magis timerent Regem mortalem, quàm Deum omnipotentem.* Et equidem muliebri in corde placere Regibus mortalibus etiam per omne nefas, quorum poteſtas regia maiori illis timori eſt, quàm Dei poteſtas æterna.

Orig.

Mar. 6.

Fulgent.

Carth.

*Num.*25.Et iratus Dominus ait ad Moyſem:Tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos cõtra Solẽ in patibulis:vt auertatur furor meus ab Iſraële. Dixítque Moyſes ad iudices Iſraël: Occidat vnuſquiſque proximos ſuos, qui initiati ſunt Beelphegor.

§. V.

Peccantium capita eò debent ſupplicio affici,cuius terror maneat.

TOlli cunctos Principes, & ſuſpendi iubet Dominus fatus: *Tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra Solem*; nec ſolum ſuſpendi Principes iubet, ſed contra Solem ſuſpendi, hoc eſt, media in luce,vt omnibus eorum ſuſpendium pateat.Sed Moyſes ſupplicij executionem iudicibus mãdat,dicit enim: *Dixítque Moyſes ad iudices Iſraël; Occidat vnuſquiſque proximos ſuos*,&c. Quæ verba non paruam quæſtionem animaduertentibus facient; quando enim cuncti Principes erant ſuſpendendi, qui iudices remanebant, qui rem executioni mandarent? Nónne & iudices populi Principes erant?Quomodo ergo iudices remanebant, ſi cuncti Principes ſuſpendebantur?Crediderim,quod, cum Principes cunctos ſuſpendi iubet, non ageret de Principibus,qui erant Reipublicæ capita,ſed de Principibus,qui Principes, & capita fuerunt populi ruentis in peccatum.Horum enim ſupplicium in primis debet proponi,vt terrorem inferat. Sic ſuprà Num. 16. dum Dathan,& Abiron narratur ſupplicium, dicit: *Diſrupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis*,&c. *At verò Iſraël,qui ſtabat per gyrum,fugit à clamore pereuntium*,&c. Et continuò ait:*Sed & ignis egreſſus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros*, &c. Expende,vt qui abſorbuntur à terra,cum tanto clamore pereunt,quãtus ſufficeret ad fugandos populos,dicit enim: *Iſraël fugit à clamore pereuntium*; qui autem ducenti, & quinquaginta flammis abſumũtur,nullo clamore pereunt,qui circũ-

Num.16.

iacentes fuget. Et cur in primis ea perditio fuit adeò clamoroſa, vt fugaret præſentes; in ſecundis ſic tacita ruina fuit, vt fugaret nullum? Primi illi, qui à terra vorantur, erant defectionis capita, qui cæteros impulerant, & ideò debuit ſic clamoroſum eſſe eorum ſupplicium, vt terrorem incuteret. Cum autem de capitibus ſupplicium ſumptum terrori ſit, de cæteris nihil
Pſal 78. intereſt. Hinc Pſalm. 78. de ſtrage Ægyptiorum facta à Deo in mari ait: *Contribulaſti capita draconum in aquis: Tu confregiſti capita draconis; dediſti eum eſcam populis Æthyopum.* Sola meminit confracta capita; & cum vniuerſus exercitus fuerit ſuffocatus, hoc vnum ſcriptis mandat, quod duces, & præfecti malorum mactãtur. Ait enim Theod. ibi: *Dracones Ægyptios vocat, capita verò draconum eorum duces, & centuriones, & præfectos. Draconem Pharaonem nominat. Hos verò omnes, inquit, demerſiſti, & vndis illos obruiſti.* Non multitudinis, ſed eorum, qui in flagitio duces fuerunt, ſupplicium meminit, vt quod efficacius ſit ad deterrendum. Quò
Habac. 3. ſpectans etiam Habacuc c. 3. ait: *Percuſſiſti caput de domo impij, denudaſti fundamentum vſque ad collum. Maledixiſti ſceptris eius capiti bellatorũ eius.* Equidem impiorum domus, & familiæ funditùs ſolent à Deo perdi, vt dicat Pſal. *Tranſiui, & ecce non erat, nec eſt inuentus locus eius*: Nihilominus amat Deus, vt in ruinis impiorum, prætermiſſis cæteris, rectíſque ſilentio, publicetur, & ſciatur, vt capita, nimirum, qui in flagitiis duces fuerunt, atroces dederunt pœnas. Et quas pœnas non da-
Actor. 5. bunt impiorum duces? Actor. 5. Ananias defraudans pretium agri, poſuit partem ad pedes Apoſtolorum, cui ſtatim Petrus ait: *Anania cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui ſancto?* &c. *Non es mentitus homini, ſed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba cecidit, & expirauit.* Poſt trium horarum ſpatium venit Ananiæ vxor nil ſciens de morte mariti. Cui Petrus: *Dic mihi mulier, ſi tanti agrum vendidiſtis?* Maritum non interrogat de pretio, ſed ſtatim verba increpationis, & lethi in illum mittit. Fœminam autem prius interrogat de pretio, antequam illi durum quid loquatur. Et cur magis feſtinat ſeueritatem oſtendere Ananiæ, quàm
Chryſoſt. vxori? Ait Chryſoſt. homil. 12. in Acta. *Hanc volebat ſeruare. Ille enim dux erat peccati; & propter hoc huic dat fortaſſe poteſtatem defenſionis.* Sic bonus ſeueriorem ſe oſtendit in ducem, & caput peccati.

§. VI.

Debent iudices curare, vt dum plectuntur rei, occumbant Deum agnoſcentes ſuorum ſcelerum vindicatorem.

VBi decreto iudicum mandat Deus ſuſpendi reos, ſimul aduertit quod ſuſpendantur contra Solem, ſic enim ait: *Tolle cunctos Principes populi*, nimirùm, cõuoca vniuerſas populi populi poteſtates, *& ſuſpende eos*, nimirum reos ſuſpende illorum decreto, *contra Solem*. Et quo ſpectat hæc cura ſuſpendendi reos contra Solem. Contra Solem iubentur ſuſpendi, non tam vt eorum pateat ſupplicium, quam vt ipſi inter ipſa rorméta mortis videntes pulcherrimam creaturam Solis, odorentur omnium creaturarum authorẽ, ſub eiuſque oc-
Apolin. cumbant cognitione. Ait Apolinaris in cat. Græca: Suſpende eos in patibulis contra Solem. *Id verò non tantũ vt occulta facinora proderentur, quam vt per Solem, qui ſymbolum gerit ipſius patris totius naturæ, Deum agnoſcerent omnia intuentem, quem nec cogitationes quidem noſtræ mentis fallere poſſunt, quẽ quidem non poſſe occultum eſſe teſtem noſtrorum operum.* Ecce tibi quale curam iudicibus ſuis mandat Dominus circa eos, qui damnantur morte; nimirùm, vt ſic eo[illegible] tradant, vt ob oculos habeant ſymbol[illegible] naturæ humanæ; & [illegible] vindicatoris, ſub hácque agnitione [illegible] diſponu[illegible] vitus abeant. Sic Act. 5. nefarium facinus Ananiæ prænoſcens Petrus morte mulctandum ait illi: *Anania, cur tentauit Sathanas cor tuũ mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri? Nónne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate? Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, ſed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit.* Ecce tibi in paucis verbis, bis Dei facit mentionem; imo in toto facinore vnum meminit, quod contra Deum eſſet. Ait enim: *Non es mentitus hominibus ſed Deo*, inter quæ verba ille expirauit, nimirum inter quæ verba Deum vindicem referẽtia. Quippe ait: *Audiens Ananias hæc verba expirauit*, quæ verba? Nimirum, quod eſſet mentitus Deo, quod eſſet mentitus Spiritui ſancto. Sed cur Petrus verbis interfecturus reum, ſola verba protulit, quæ Deum offenſum referrent? Paulus Act. 13. Magum feriẽs ait: *Eris cæcus, non videns Solem.* Cur ſimiliter Petrus, non ait, *Morieris, & non viues*, ſed ſolum dicit, *Non es mentitus hominibus, ſed Deo*? Sanè Petrus in mortis ſupplicio hoc intendebat, vt reus meminiſſet Deum vltorem, ſub eiuſque cognitione pœnitens diſcederet. Hoc procurabat in reo Petrus, & hoc obtinuit, ait enim Carthuſ. Carthuſ. *Sperari poteſt, quod Petrus ſua prece tranſgreſſori huic gratiam pœnitendi obtinuit, quem foris tam diſtricte correxit.* Equidem quem tam ſeuere foris feriebat in corpore, non de relinquebat, ſed & precibus, & multis aliis illius procurabat ſaluté mentis, vt agnoſcens Deũ vindicem ſuorum ſcelerũ, & pœniteret, & ſaluaretur.

Act. 5.

Act. 13.

§. VII.

Proximus non damnandus ſine accurata examinatione criminis.

CVnctos Principes vocari Deus mandat, vt inquirãt de reis, qui ſuſpendendi ſunt. Sic dicit: *Tolle cũctos Principes populi: & ſuſpende eos.* Illud *eos*, non refert Principes, ſed eos, qui à vocatis Principibus inuẽti fuerint rei. Vt dicat: *Voca cunctos Principes populi, vt inquirant de reis, & qui ſic inquiſiti, inuenti fuerint, ſuſpende eos.* Sic Salianus noſter, ſic Cornelius cum multis aliis, imò cum Chaldæo dicente: *Conuoca omnes Principes populi, & iudica, atque occide eum, qui reus eſt*: & cum Ie-
Chaldæo. Ieron. ol. roſolymitana paraphraſi etiam dicente: *Tolle omnia capita populi, & ſtatue iudices eos coram Domino, & ſuſpendatur, quicunque reus eſt mortis.* Sic Deus vbi reorum ſupplicium committit Moyſi, nequit, vt res ſine iudicio fiat, in quo iudices conſtituantur, qui diligenti examine inquirant de reo. Nunquam non diuini ſpiritus eſt, quod diligenter examines rem, antequam proximũ condemnes. Hinc Ieſus videns Phariſæos, qui mulierẽ deprehenſam in adulterio proponebant Ioan. 8. *Incli-* *Ioan 8.*
nans ſe deorſum digito ſcribebat in terra. Cur euidentiſſimo propoſito mulieris crimine, & à grauiſſimis Principibus teſtificato Ieſus ſe ad terram inclinat, & digito incipit ſcribere in terra? Ait D. Cyril. Alex. lib. 5. in *D. Cyril.* Ioan. c. 16. *Inclinauit ſe, & digito ſcribebat in terra, quo nobis oſtendat, quod antequam iudicium feramus de proximo, ad veritatis inueſtigationem condeſcendere, & animum inclinare debemus, & diſcretionis digito ſingula ad rẽ propoſitam attinentia prius diſcutere: alioquin rectè iudicare nõ poſſumus. ſi prætermiſſa indagatione veritatis, & examine diligenti proximum in publico iudicio, aut abſoluimus, aut damnamus.* Hoc habemus à Dei ſpiritu acceptum, quod non moueamur facie accuſatorum ad damnandum proximum, ſine eo quod deſcendamus ad diligẽtem rei indagationem, & inquiſitionem. Aiebat Dominus Gen. 18. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorũ multi-* *Gen. 18.*
plicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis; deſcendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. Ecce deſcenſurum ſe Deus dicit, vt clamoris veritatem cernat, non quod ipſe non cernat illam è cœlis, ſed vt oſtendat, quàm neceſſum ſit homini deſcendere,

deſcendere,& examinare veritatem facti, antequam proximum condemnet. Ait D.Cyrill. vbi ſupra: *Cognouit vtique Deus Sodomitas,& Gomorrhæos tanti criminis eſſe reos,cuius oculis abſconditum eſt nihil. Deſcenſurum tamen ſe,& viſurum rei veritatem dixit: quo nobis oſtendat exacta trutina prius diſcutiendam eſſe cauſam, quàm feratur ſententia in aliquem.* Nunquam Deus docuit poſſe aliquem de proximo iudicare, quin prius diligenti trutina,& examine procuret videre,& ponderare impoſiti criminis fundamina. Dicebat Feſtus Actor. 25. *Non eſt Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem,priuſquam is,qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores,locúmque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Quæ verba premens noſter Lorinus ſapienter addit; Nec vero ſoli Romani talem conſuetudinem habent, verum etiam cunctæ gentes,& quotquot rationis ductum,ac dictamen ſequuntur. Sic ſapiens pater ex omnium gentium conſenſu, irrationale & brutum putat, quod iudex timeat iuſtitiæ à defenſione accuſari, & ideò defenſionis rationes nullas audiat. Ex quo Herodis in filios mordet tyrannidem Egeſipp.lib.1.cap.41. fatus:Dignum eſt neque eum ſilere,qui Euriclis tempore,in Iudæam tranſmiſſus erat fidiſſimus amicorum Alexandri,quem Rex quaſi conſcium tentamentorum illius,ius interrogandum putauit: vtrúmne congruerent,quæ Spartiates de adoleſcentibus nuntiaſſet. Verum ille nihil ſe de illis quicquam eiuſmodi cognouiſſe ſacramento interpoſito fidem fecit: ſed adoleſcentibus nihil profuit: *Aſe quæſtionem depulit Rex, ne minueret delationis inuidiam, ſi ſeuerius interrogatus negaret. Quaſi indignus igitur, cui crederetur ab Herode, excluditur. Bonus pater accuſari filios libenter audiebat, non ſinebat defendi. Delectabatur, cum appeterentur, offendebatur, ſi purgarentur.* Sic bonus mordet patris ingenium,qui audiens delationes,quibus filij accuſabãtur,cauebat audire, & videre teſtimonia, quibus aut minueretur,aut prorſus euaneſceret accuſatio.Sed verebatur,ne verum crimen defenſionibus adeò obnubilaretur,vt nocentes euaderent? Quid inde? Maius damnum eſſet, & vt maiore ſcitote conamine à Republica excludendum eſt, quod falſum crimen indefenſum probetur, & innocentes ſupplicio afficiantur. Vt enim dicitur l. Abſentem,D. de pœn.l. Abſentem, C.de accuſat.l.1.de requir.reis,D.ſi quondam, C. de adult. *Satius eſt nocentem abſoluere, quàm innocentem condemnare.* A quo nullus diſſentiet, qui rationis ductum ſequatur.

D. Cyril. Actor.25 Egeſipp.

§. VIII.

Tunc proximos amas,cum ſeueritatem à Deo decretam in illos exerces.

LAta à Deo lex de ſuſpendendis laſciuis idololatris intimatur per Moyſem iudicibus populi, dum ait: *Occidat vnuſquiſque proximos ſuos.* Res mira, quiſque iudicum iubetur ſuos chariſſimos,propinquos, & cognatos percutere. Et cur iudicibus tanta ſeueritas erga cognatos mandatur? Cur non magis illis dicitur, quod quiſque ſic deſæuiat erga ſibi extraneos? Meritò non erga extraneos, ſed cuique erga dilectos cognatos ſeueritas mandatur,ab amore enim & beneuolentia erga proximos debet venire,quod in illos ſeueritates à Deo decretas exequaris. Accipe ex Gen.21. *Cùm vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo,dixit ad Abraham: Eiice ancillam hanc, & filium eius. Dure accepit hoc Abraham pro filio ſuo. Cui dixit Deus: Non tibi videatur aſperum ſuper puero,& ſuper ancilla tua,omnia quæ dixerit tibi Sara,audi vocem eius,&c. Surrexit itaque Abraham mane,& tollens panem,& vtrẽ aquæ,impoſuit ſcapulæ eius,tradidítque puerum,& dimiſit eam.* Ecce vt Sara expulſionem Iſmaëlis mandabat Abrahamo;ille filij ſui amator rem duriſſimam detеſtabatur. Vt autem hæc eadem expulſio mandata fuit à Deo,ſtatim Abraham filium cum matre dimiſit. Cur hoc facis Abrahame? Cur erga filium tantam ſeueritatem exerces, vt illum cogas exulare à domo paterna? An amorem,beneuolentiámque,qua illum proſequebaris,oblitus es? Abſit, tunc ſe pueri amatorem oſtendit,cum in illum exercet ſeueritatem à Deo decretam. Ait Theodor.quæſt.71.in Gen,*Cùm Sara dixiſſet: Eiice ancillam,& filium eius,morem illi non geſſit. Vbi vero iuſſit Deus,ſtatim verbis opus ſuppeditauit, & hæc, beneuolentia quadam ductus erga Iſmaëlem.* Quod Abraham abiiciat filium,non fuit res odij,ſed res amoris, & beneuolentiæ;quando id Deus iuſſerat. Et nunquam nõ amoris eſt,illas ſeueritates in amatos exercere, quas imperat Deus. Si quis alius, ſanè Ioſeph ſeueriſſimè tractabat fratres Gen. 22. Dicit enim illis: *Vos autem eritis in vinculis,donec probentur,quæ dixiſtis, vtrum vera,an falſa ſint,alioquin per ſalutem Pharaonis, exploratores eſtis. Tradidítque illos cuſtodiæ tribus diebus,&c.* Et poſt hæc *Tollénſque Simeon, & ligans illis præſentibus.* Quanta hæc ſeueritas in fratres? An odioſos illos habebat propter iniurias acceptas? An memor iniuriarum illos percutiebat? Abſit,imò,qui amabat eos,ipſe amor has extorquebat ſeueritates, quibus Deo fiebat ſatis. Ait D.Greg.PP.hom. 21. in Ezech. *Seuerus ad fratres reuertitur, vt cruciatus eorum animas a culpa liberaret. O tormenta miſericordiæ! Cruciat,& amat.* Amor eſt, qui cruciat,qui ferit amatos,vt Deo ſatisfaciant.

Gen. 21. Thecd. Gen.22. D. Greg.

*Num.*25. Et ecce vnus de filiis Iſraël intrauit coram fratribus ſuis ad ſcortum Madianitidem, vidente Moyſe,& omni turba filiorum Iſraël, qui flebant ante fores tabernaculi.

§. IX.

Piis viris maximè condolendum de aliorum damnatione, & ſpirituali ruina.

DVm alij impudentiſſimè ferebantur in turpiſſima ſcelera, pij viri iuxta oſtium tabernaculi eorum vicem lamentabantur; de quibus ait: *Qui flebant ante fores tabernaculi.* Et meritò Oleaſter ibi dici: *Hoc enim debet eſſe munus piorum,cum peccata viderint,flere ſcilicet pro peccatoribus.* Debent hoc pij viri deploratis peccatoribus,vt magis afficiantur erga illos miſeratione, quàm ira. Vt non proſequantur ira,ſed defleant eorum miſeram conditionem. Actor. 20. Paulus aiebat: *Vos ſcitis,&c. qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, ſeruiens Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex inſidiis Iudæorum.* At Paulus tantus vir, tam validus, & fortis illacrymabatur, cum peterentur inſidiis Iudæorum? Illacrymabatur ſanè, non propter ſuum malum, ſed propter ipſam Iudæorum damnationem. Ait in præſenti OEcumen. *Hoc loco ſignum doctrinæ demonſtrat, nempe inuidia, faſtúque carere, ac condoleſcere. Patiebatur namque, & pro pereuntibus,& pro iis, qui perdebant.* Hoc ſignum veræ doctrinæ, veræque religionis, quod patiaris dolorem, & in lacrymas eas, pro omnibus illis, qui ſeſe lethalibus peccatorum vulneribus transfodiunt,æternámque incurrunt damnationem. Hinc de B. Virgine Maria ait D. Amædeus hom. 5. *Quis explicet, quibus premebatur anguſtiis. Beata Virgo cum propheticis oculis cerneret ſtirpis ſuæ magna quadam ex parte cõdemnationem, gentis attritionẽ,caſum populi? Nec vero quiſque opponat Iudæos exoſos Dei genitrici,eo quod filium ſuum morte turpiſſima condemnarunt. Quos enim morti æternæ appropinquare videbat,nequaquam odio ſuo dignos exiſtimauit, ſed affectu plurimo,ſed lacrymis multis,& magna miſeratione.* Vt æternam damnationem ſuorum videbat pia Virgo, non poterat non effundere fluuios lacrymarum,ſuáque obliuiſci mala temporalia. Eſt enim & ornatus,& præſtantia

Actor.20 OEcum. D. Amæ.

ſtantia iuſtorum ſingularis, quod mirificè compatiantur in proximorum malis. De pulcherrima Chriſti
Cant. 1. ſponſa ait Cant. 1. *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis; collum tuum ſicut monilia.* Mirabar, quod in commendatione pulchritudinis tantæ ſponſæ, non meminerit oculorum, nec oris, ſed poſt genas ad collum ſtatim tranſeat. Cur non prius dicis de oculis ſponſæ? Cur in collo monilis miraris proprietatem? In monili ſpectabat flexibilitatem colli, qua ſe dimittebat ſponſa vt proximorum compateretur infirmitatibus, quæ virtus multum extollit pulchritudinem piarum animarum.
Theod. Id, quod ponderabant tres Patres apud Theodoretum fantes: *Collum item pulchrum effectum eſt ſicut monile. Nec enim tibi ferreum eſt collum, vt flecti nequeat: ſed facilè verti poſſit, vt monilia ex auro elaborata. Quemadmodum enim monile recta figura prius ab artifice conflatur, deinde in circulum accommodate ad vſum circumflectitur: ſic homo virtute perfectus, cum abſoluta vitæ moderatione rectus ſit, cæteris compatiendo flectitur, atque dimittitur.* Sunt duri homines, ferreum habentes collum, quod minimè flectitur, etiamſi videant proximos in perditionem ire. A qua duritie longè ſit anima, quæ appetit Dei nuptias; quin potius hæc, vt ſe omni exornat virtute, ſic & aureum collum habet, quod facile flectatur, & ſe dimittat, vt compatiatur, & lugeat proximorum ſuorum ſpectans ruinas. Hinc Iob ſe ab amicorum
Iob 16. moribus alienans ait cap. 16. *Vtinam eſſet anima veſtra pro anima mea. Conſolarer ego vos ſermonibus, & mouerem caput meum ſuper vos.* Illi videntes extremam ruinam Iobi, adeò erant ferrei, vt minimè flecterentur, ſed illum magis verbis feriebant. Non ſic eſſet ferreus Iob, ſi illos in ſimili calamitate videret, imò totus aureus, facilè flecteretur, & caput inclinaret, vt ſenſum
Chryſoſt. in ſe tantæ calamitatis oſtenderet. Sic Chryſoſt. in cat. in tertia expoſitione loci: *Si meis ipſi malis vrgeremini, profecto alio verborum genere vobiſcum eſſem congreſſus, capitiſque motu veſtrum ad me dolorem pertinuiſſe declararem.* Quid mirum? Vt Iob erat iuſtus, ſic iuſtus in compaſſione pereuntium oſtenderetur. Comitatur enim iuſtitiam, & ſanctitatem compaſſio, qua in malis proximorum tenereſcimus. Imò in quo talis compaſſio eſt, fallar niſi longè ſit ab occaſionibus la-
Mar. 6. bendi. Mar. 6. ait Herodias: *Volo, vt des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ. Et contriſtatus eſt Rex. Et propter iuſiurandum, & ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare: ſed miſſo ſpiculatore*, &c. Quomodo potuit ſtare, quod Rex daret caput Ioannis cum eo, quod contriſtatus fuit ad petitionem nefariam? Contriſtatus fuit parum, aut ſimulatè; ſi enim ſic doleret nefarium facinus, vt fleret illud, nũquam illi annueret. Ait Andræas
Ieroſ. Ieroſ. ibi: *Oportebat enim vocem ſtatim emittendo vehementer deplorare, & flebiliter eiulare. Facilimè enim pœnam iuſiurandi abiuraſſes, & illata negatione depuliſſes periculum.* Lacrymæ de tanto facinore conceptæ non ſinerent perdi Regem.

Num. 25. Quod cùm vidiſſet Phinees filius Eleazari filij Aaron Sacerdotis ſurrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione ingreſſus eſt poſt virum Iſraëlitam in lupanar, & perfodit ambos ſimul, virum ſcilicet, & mulierem in locis genitalibus. Ceſſauítque plaga à filiis Iſraël; & occiſi ſunt viginti quatuor millia hominum.

§. X.

Laſciuia turpitudo quantum eſt ex ſe necem ſine miſericordia trahit.

VIx miſera luxuriæ mancipia ſeſe ſuis voluptatibus effuderant, & ecce tibi & gladius, & mors ſuper illa. Quippè ait: *Quod cùm videret Phinees filius Eleazari filij Aaron ſacerdotis ſurrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione perfodit ambos ſimul.* &c. Proh ſacerdotis iram! Cur ſic confodis miſeros? Cur non magis miſereris eorum animas, & locum illis præbes acquirendæ ſalutis? Sanè non fuit Sacerdotis ſic irremiſſibiliter perimere, ſed turpiſſimum luxuriæ facinus hoc habet proprium ſibi, vt quantum eſt ex ſe memoriam miſericordiæ fuget, & ſibi gladios afferat velociſſimos. De laſciuo amore locutus D. Zeno ſerm. de Fide, Spe, D. Zeno. & Charitate, inquit: *Eſt & alius amor ſaluti noſtræ contrarius; cui rectè figura hominis tribuitur, quia temporalis, & fragilis eſſe cognoſcitur. Ideò pennatus depingitur, quia in quemcunque conceperit, velociter ruit; ideò telis, facibúſque conſtructus, quia illicitis amoribus ſemper iunctus eſt gladius.* Expende aſſertum illud ſanctiſſimi viri, nimirùm: *Illicitis amoribus ſemper iunctus eſt gladius.* Quid certius viſitur in theatro mundi? Quod vitium frequentius ſub gladio apparet? Pereunt rarò latrones, homicidæ; laſciui nunquam non inter ipſos gladios degunt, illóſque ſibi trahunt vndique, vt pereant irremiſſibiliter. Oſeas 1. ait Dominus: *Vade, ſume tibi vxorẽ* Oſeas 1. *fornicationum, & fac filios fornicationum.* Et vt in filiorum nominibus appareat laſciuorum diſcrimen, pergit dicens: *Et accepit Gomer filiam Debelaim; & concepit, & peperit ei filium. Et dixit Dominus ad eum: Voca nomen eius Ieẓraël*, &c. *Et concepit adhuc, & peperit filiam. Et dixit ei: Voca nomen eius*, Abſque miſericordia, *quia non addam vltra miſereri Iſraël*, &c. Expende, quæſo, qualis ſit ſecundus partus vxoris fornicationum, nimirum vocatur *Abſque miſericordia*, vt inde nomen habeat laſciuia, quo cognoſci debeat, nimirùm, quod ad ſe gladios affert, & miſericordiam fugat. Ait enim D. Damaſ. orat. 1. de Nat. Mariæ: *Quia vniuerſa terra in* Damaſc. *fœdiſſimam libidinem ſeſe proluerat: ac Domini populus fornicationis ſpiritu abſtractus à Domino Deo ſuo aberrauerat, factúſque fuerat populus Domini non populus ipſius, & qui miſericordiam conſecutus non miſericordiam conſecutus*, &c. Hoc traxit mundus ex laſciuia, ex luxutiæ turpitudine, vt miſericordiam non conſequatur; quantum enim eſt ex parte laſciuiæ hoc habet præcipuum, vt miſericordiam fuget, & irremiſſibiliter in lethum currat. Aiebat Prouerb. 9. *Mulier ſtulta, & clamoſa ple-* Prou. 9. *náque illecebris, & nihil omnino ſciens ſedit in foribus domus ſuæ*, &c. Quæ verba ſic reddit Andræas Ieroſol. *Mulier inſipiens neſcit pudorem, ſed occurrit ad petram inferni.* Nulla alia in ſede quieſcit laſciua anima, niſi vbi nulla eſt redemptio. Ex quo ait Andræas Ieroſolym. in *And Ier.* Decoll. Bapt. *Libidinoſa ſaltatrix vna cum matre ſua nullam hinc aliam adepta eſt vtilitatem, niſi flammam gehennæ. Hunc fructum dat libido ſuis amatoribus: hæc præmia largitur impudicis vehemens voluptatum intemperantia*: nimirùm, quod irremiſſibiliter pereant. Habes Iudicum cap. 16. Samſonem dormientem in ſinu amatiſſimæ ſibi fœminæ; Samſonem, inquam, illum, cuius caput nullum attigerat ferrum; ſed vbi in ſinum incidit fœminæ, ſtatim ferrum ad caput eius: *Et raſit ſeptem crines eius*, quin imò, *ſtatim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gẓam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt.* Nec inter tot vnus inuentus eſt, qui tanti ducis miſereretur? Sanè magni duces capti miſericordiam in hoſtibus inuenerunt, Samſon autem amicæ inſidiis capitur, & nullam miſericordiam inuenit, ſed extremam calamitatem, & miſeriam. Cur hæc? Ait Germanus Conſtantinopol. in adorat. crucis apud *Ger. Conſ.* Grethſer. tom. 2. *Tentatus eſt Samſon illuſionibus, & à Manade illa furioſa Dalida, oculis excæcatus, & alienigenis in iocum, & ludibrium expoſitus. Sic enim voluptatis affectio ſuos amatores honorat.*

Nullum alium honorem à luxuria recipies, quàm extremam contumeliam, & ruinam.

§. XI.

§. XI.

Qui inter aliorum virtutes peccat,vt deploratus censetur.

NOn præmonet Phinees miseros, sed: *Arrepto pugione perfodit ambos simul*,&c. Cur non antea verbis correxit?Cur monitis non tentauit prius reuocare à flagitio homines? Sanè qui Moysem, & Principes stantes ad ostium tabernaculi, ibique Deum lacrymis solicitantes,non est reueritus, sed tantas virtutes contempsit,meritò deploratus habetur, & vt deploratus
Procop. tollitur de medio. Aiebat Procopius in Glossa: *Hic scortator impudicitiæ suæ atrocitate ad instam iram prouocauit Phinees. Quod videlicet in conspectu Moysis, & Principum libidinem exercuit, nihil etiam reueritus ipsorum lacrymas, quas ante tentorium effuderunt.* Quando tabernaculum frequentabatur à Principibus populi, quando ij ad ostium tabernaculi procumbebant,lacrymásque coram Deo fundebant, & preces, nihil indè veritus iste magis ad libidinem currebat, meritò antea trucidari, quàm admoneri debebat. Quid enim prodesset admonitio inter tantas virtutes fuerenti?
Actor. 5. Actor.5.Ananias vendiderat agrum, vt pretium iuxta perfectionis normam Apostolis afferret; attulit tandem,sed defraudatum, quod vt cognouit Petrus, ait: *Quare posuisti in corde tuo rem hanc? Non es mentitus hominibus,sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit,& expirauit.* Quid seuerius? Vbi primum fraudé fecit Ananias,internecioni traditur à Petro. Potuisset Petrus magis morosè, & lentè ad supplicium ire, & placidis verbis reum monere,vt resipisceret,& culpam
Iosue 7. confiteretur. Sic Iosue cap. 7. reum furti monebat: *Fili mi da gloriam Domino Deo Israël, & confitere, atque indica mihi,quid feceris,ne abscondas. Respondítque Achã Iosue,& dixit ei:Vere ego peccaui domino*, &c. *& post hæc fuit interfectus.* Vide, lentitudo Iosue, quàm profuit reo,vt facinus suum agnosceret, & confiteretur. Cur similiter Petrus non fecit cum Anania? Cur placidè illum non monuit,vt fraudem detegeret, vt se peccasse fateretur,& meliorem resumeret mentem? Peccarat Ananias eo tempore,quo fideles ardentissimè Deo seruiebant,diu, noctúque orationi vacabant; Apostoli signis,& prodigiis fidem confirmabant,sudore, & lacrymis peccatores ad pœnitentiam trahebant. Qui autem inter tantas virtutes nihil veritus fraudibus se dedit,meritò deploratus censetur, & superuacaneum
Chrysost. putauit Petrus talem admonere. Ait D.Chrysost.hom. 12. in Acta: *At, oportebat,inquis, istum corrigi. Sed non correctus esset. Nam qui talia viderat, nullúmque lucrum inde fecerat,multo magis,nec alia ratione lucrifieri poterat. Non oportebat igitur,quod fiebat omnino contemni, sed vt putrefactionem quandam scindi.* Vbi tot virtutum conspectus hominem non frænauerat,inutilis esset quæuis alia admonitio, ac correctio, vndè satius duxit Petrus talem tradere neci. Expectat sanè improuisa Dei ira maximè illos, qui inter virtutes aliorum se vitiis tradere non detrectant.

§. XII.

Sacerdotes spectat lasciuientium vindicta.

QVi aduersùs lasciuos insurrexit,eósque confodit, meritò notatur fuisse Sacerdotum filius,de genere,& familia sacerdotali. Ait enim: *Quod cùm vidisset Phinees,filius Eleazari, filij Aaron Sacerdotis insurrexit*, &c. Nunquam non lasciuientium vindicta rapit animum sacerdotalem. Nota est historia Sichem Princi-
Gen 34. pis ex cap.34.Gen.vt rapuit formosissimã Dinam Iacobi filiam,vt constuprauit virginem,tristémque blanditiis deliniuit,& habens eam, petiuit à Iacob sibi dari in vxorem,quod vt facilius obtineret,vnà cum populo suo circumcisionem passus est. Quid tunc? Ait text. *Ecce die tertio quando grauissimus vulnerum dolor est,arreptis,duo filij Iacob Simeon,& Leui fratres Dinæ,gladiis, ingressi sunt vrbem confidenter, interfectísque omnibus masculis,Hemor, & Sichem pariter necauerunt, tollentes Dinam*, &c. Plures alij erant Iacobi filij, qui potuissent sororis stuprum vindicare;qui prorsus tacuerunt; Soli Simeon,& Leui armantur in vindictam, soli gladios stringunt, & ingrediuntur ciuitatem, & confodiunt stupratorem principem. Et cur ij soli magis in vindictam tanti facinoris exardent? Ab iis solis deriuabatur linea sacerdotalis, & meritò magis in vindictam libidinis armantur,qui erant Sacerdotum patres.
D. Ambl. Ait D.Ambros.lib.de Bened. Patriarch.cap. 3. *Ideo & fortasse isti duo vltores præ cæteris,quia Scribarum,& Sacerdotum authores sunt. Nulli enim magis quam sapientes,& Sacerdotes debent castimoniam vindicare.* Equidem Sacerdotum est prosilire in vindictam lasciuientium. Quis ignoret Ioannis aduersùs luxuriantes Reges constantiam? Heremum reliquit, vt Regem adulterũ sermone in dies percuteret,clamans iuxta Mar.7. *Non*
Mar.7. *licet tibi habere vxorem fratris tui.* De hoc ergo diuinissimæ castitatis propugnatore, luxuriæ nefandæ insec-
Luc.1. tatore agens Lucas cap.1.eius parentes proponit, dicens: *Fuit in diebus Herodis Regis Iudæa, Sacerdos quidã nomine Zacharias,de vice Abia: & vxor illius de filiabus Aaron,& nomen eius Elizabeth.* Et cum esset insuetum sacris scriptoribus in generationibus fœminas meminisse,in generatione Ioannis non solum meminit eius matrem,sed insuper notat illam esse de filiabus Aaron. Et cur necessum fuit illam vocare Aaronis filiam? Ait
Chrysol. Chrysol.serm.89. *Prætermissis omnibus Aaronis filia dicitur,cuius in se prætulit sanctitatem, quam tanti generis custos glorioßissimè transfudit in filium.* Meritò notabatur sacerdotalis generis integra sanctitas transfundi in eum filium,qui pro castitate tutanda occumberet, & qui luxuriæ mancipia erat acriter insectaturus. Quid magis sacerdotio correspondens, quàm lasciuorum persecutio? Dauidi lasciuiæ flammis adusto mittit Dominus prophetam,qui eum corripiat Nathan nomine
2.Reg 12 2.Reg.12. *Misit ergo Dominus Nathan ad Dauid*, &c. At sese efferenti Dauidi de populi numero alius prophera mittitur nomine Gad, ait enim cap. 24. *Sermo Domini factus est ad Gad prophetam Dauid*,&c.Cur pro numerati populi peccato Gad mittitur, qui Dauidem puniat,pro adulterio autem commisso non Gad, sed Nathan adducitur, qui Regem acri reprehensione percutiat? Inueni D. Ambrosium asserentem lib. de Bened. Patriarch. cap. 3. Nathan esse de sacerdotali prosapia,ex quo non miror, quod res castigandi adulterum non committatur nisi Sacerdotum filio. Sacerdotalis enim virtutis est contra luxuriæ assecias prosilire.

§. XIII.

Dei benignitas nunquam non supplicium minuit.

QVæ in omnem populum peccantem excitata erat Dei ira;vbi zelum Phinees vidit, statim quieuit, nec vltra voluit progredi in supplicio. Dicit namque: *Cessauítque plaga à filiis Israël, & occisi sunt viginti quatuor millia hominum*, Quo circa Procopius,ait: *Vide benignitatem maximam,quæ supplicio paucorum, quod omnes meruerant,est contenta.* Omnes sese effunderant in lasciuiam,& idololatriam,& omnes meruerant supplicium,at diuina benignitas paucorum morte contenta est,vt quæ semper nouerit minuere supplicia. Pestilentiam trium dierum acceptauerat Dauid à Domino
2.Reg.24 2.Reg.24.in effectu autem: *Immisit Dominus pestilentiam in Israël de mane vsque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo à Dan vsque ad Bersabee septuaginta millia virorum. Cúmque extendisset manum suam Angelus Domini super Ierusalem,vt disperderet eam,misertus*

est

Cyr. Alc. *est Dominus*, &c. Diu. Cyril. Alexand. lib. 3. de iustificat. in Christo, ait: *Immisit Dominus pestilentiam in Israël à mane vsque ad horam prandij*, &c. Vbi Deus vidit pestem sæuire in populum, non sustinuit illam durare tribus diebus, vt minatus fuerat, sed cùm primùm accessit hora prandij primi diei percutientis Angeli manū cohibuit. Quanta hæc Dei benignitas? Ait Theod. quæst. 37. *Trium dierum mortem Deus minabatur, sex autem horis solum mortem intulit. Si dies autem numerentur cum noctibus, inuenitur pars solum duodecima minarum illata esse populo. Ita Deus benignus, & clemens maioribus quidem vsus est minis, minis autem longè minora infert supplicia.* Semper Dei benignitas eò spectat, vt minuatur supplicium. Quò etiam accedit D. Ambros. in Psalm. 37. inquiens: *Qui proposuerat mortem triduo exercere in terra, ne vnum quidem diem passus est praterire, sed ad horam prandij libenter indulsit. Quia plus minatur, & minus exigit, qui in remuneratione præmiorum sua promissa custodit, in exactione pœnarum præscriptam remordet. Cum irascitur in reum, differt, cùm miseretur, properat, vt absoluat.* Quid pulchrius potuit dici de Dei benignitate? Non ea est, quæ patiatur iræ calicem effundi totum. Psalm. 74. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto, & inclinauit ex hoc in hoc, verumtamen fæx eius non est exinanita.* Sanè plenus est calix furoris Domini aduersùs peccatores, aduersùs quos sæpissime inclinari incipit, vt se super illos effundat. Verum fæx eius non exinanitur, non totum cadit, quod est in calice furoris diuini. Ait D. Ambr. suprà: *Ad terrendum plenus est calix, ad feriendum non est exinanitus.* Nunquam effundi totus solet, aut euacuari calix iræ, vt miseros in hac vita percutiat.

Theod.

D. Amb.

Psal. 74.

D. Amb.

§. XIV.

Decet præstantes gubernatores & seueriſſimas leges indicere, & de seueritate legum in supplicijs remittere.

CVnctos Principes iusserat Deus suspendi propter idololatriam, & fornicationem cum Madianitis, & cum primum Phinees vnum Principem de tribu Simeon lethaliter percussit, statim remittitur diuina ira. *Cessauit*, inquit, *plaga a filiis Israël.* Et vbi est seueritas illa edicti diuini promulgati contra cunctos Principes? Ad quid necessum fuit tantam seueritatem ostendere in edicto, si tanta erat pietate temperanda executio? Equidem decet hoc præstantes gubernatores, qui condant leges seueriſſimas, quibus frænentur rei, in executione autem suppliciorum agant benignius. Ad hæc monet D. Ambr. in Psalm. 37. *Imitamini ergo Imperatores exemplum diuinum, vt sitis in statuēdis legibus seueriores, in exigendis supplicijs misericordes. Seueritas legum insolentem restingat audaciam, misericordia Principum reos subtrahat pœnæ.* Hic sanè est præstantissimus gubernationis modus, quando in legibus seueritas est, in corde Principis benignitas, quæ seueritatem temperet in executione iudicij. Hinc quando lex tota iustos homines, & Principes prorsus requirat, nihilominùs Ecclesiastes cap. 7. monet: *Noli esse iustus multum.* Quod non paruam quæstionem faciebat D. Augustino; qualiter posset stare iustitia à legibus requisita, cum hoc asserto diuini spiritus? An spiritus diuinus contrarius est legibus flagitantibus iustitiam? Absit; sed temperat illas in executione supplicij. Quippè ait quæst. 15. ex Vet. testam. *Cùm iustum lex præciperet, quomodo contra Salomon: Noli, inquit, esse iustus multum? Nimia iustitia incurrit peccatum, temperata facit perfectos. Non enim sine malitia est, qui multum est iustus, quia peccantibus ad singula si respondeas, non deerit, vbi peccet: denique Dei temperata iustitia est: Peccantibus enim aliquando ignoscit, aliquando irascitur, aliquando reddit, non quantum digni sunt. Lex enim, quia se ipsam mollire non potest, à nobis mitiganda est, vt possit prodesse.* Itáque vt ex parte legis stat seueritas, ex parte Principis benignitas stare debet, quæ emolliat executionem. Quò respiciens Theodoricus Rex apud Cassiod. 4. var. 40. aiebat: *Districtius aliqua iubere cōpellimur amore iustitiæ, dum circa minores fortunas mitiora sunt nostri pectoris instituta.* Sic bonus Princeps, & districtionem in edictis ponebat, & mitiora seruabat in pectore, quibus prospiceret infœlicioribus. Hic dum Iudæi proponerent coram Iesu mulierem de adulterio conuictam, vt doceret, an iuxta legis præscriptum lapidarent eam? Respondet Dominus Ioan. 8. *Qui sine peccato est vestrū primus in illam lapidem mittat.* Qualis hæc responsio ad Principes populi? Quando lex clarissimum disponebat supplicium adulteræ; quid necessum erat, quod legum executores respicerent peccata sua nisi vt indè misericordiam discerent, qua legum seueritatem in executione erga proximos mollirent? Ait D. August. epist. 54. *Respondit eis: Qui sine peccato est vestrum primus in illam lapidem mittat. Ita nec legem improbauit, qua huiusmodi ream iussit occidi, & illos terrendo ad misericordiam reuocauit.* Non deflectit à iustitia Princeps, qui seueritate legum perspecta, adhuc in misericordiam inclinat. Matth. 2. *Ioseph cum esset iustus, & nollet eam traducere*, &c. Iustitiæ lex petebat, vt traduceretur adultera; Ioseph autem, quam suspicabatur ream, nolebat traducere, & in hoc iustus erat. Ait August. suprà: *Cum eam comperisset prægnātem, & ob hoc nil aliud, quam adulteram credidisset, puniri tamen eam noluit, nec approbator flagitij fuit. Nam hæc voluntas etiam iustitiæ deputatur. Ita quippè de illo scriptum est. Et cum esset iustus, & nollet eam traducere*, &c. Sic opus iustitiæ est seueritatem legis in effectu mollire.

Cassiod.

Ioan. 8.

Aug.

Matth. 2.

Aug.

Num. 25. Phinees filius Eleazari filij Aaron Sacerdotis auertit iram meam à filiis Israël: quia zelo meo commotus est contra eos, vt non ipse delerem filios Israël in zelo meo: Idcircò loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum, quia zelatus est, pro Deo suo, & expiauit scelus filiorum Israël.

§. XV.

Præstantissimum Dei donum est pax, nullóque pretio non emendum.

PRæclaro sceleratorum vindici donum à Deo datur, quod in pace viuat, ait enim: *Ecce do ei pacem fœderis mei*, &c. Do ei, inquit, solius enim Dei donum pax est, qua ipse nouit honorare, & extollere suos athletas. Ait Philo in cat. Græca: *Cum lustrato exercitu quæreret Moyses, quo honore Phineem prosequeretur, antenenit Deus suo oraculo. In primisque iuuenem magno affecit honore pacis, quod nullus vnquam mortalium affatim præbuit.* Expende illud: *Magno affecit honore pacis*; quippè magnum Dei donum pax est, quod à solo Deo habetur, nullóque pretio non emendum. Solent equidem pacifica Regna grauari tributis, & exactionibus adeò, vt non prius pax rutilet, quàm tributorum impensæ. Quò spectabat illud D. Luc. cap. 1. de tempore pacifico Dominicæ natiuitatis, vbi ait: *Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis*, &c. Cùm primum Romanus orbis in pace fuit, statim auditæ sunt voces exactorum tributa pro capitibus exigentium, ad quæ præstanda describebantur singulæ cognationes. Sed tantus est pacis honor, vt vel ingentibus tributorum comparatus pensionibus homines reddat fœliciores. De quo eleganter differens Paul. Oros. lib. 5. cap. 1. ait: *Maiores nostri bella gesserunt, bellis fatigati, pacem petentes, tributa obtulerunt. Tributum pretium pacis est. Nos tributa dependimus, ne bella patiamur: ac per hoc in portu, ad quem illi tandem pro euadendis malorum tempestatibus*

Philo.

Luc. 1.

Paul. Oros.

statibus confugerunt, nos consistimus, & manemus. Igitur nostra tẽpora viderimus, vtrum fœlicia. Certè fœliciora illis ducimus, quia quod illi vltimo delegerunt, nos continuò possidemus. Inquietudo enim bellorum, qua illi attriti sunt, nobis ignota est. In otio autem quod illi post imperium Cæsaris, natiuitatémque Christi tenuiter gustauerunt, nos nascimur, & senescimus: quod illis erat debita pensio seruitutis, nobis est libera collatio defensionis. Quid pulchrius? Quid sapientius? Quibus cúmque pensionibus, quibus cúmque tributis comparetur pax, ab hominibus debet coli vt Dei donum, quod sapientissimi quique & experti bellorum mala omnibus aliis temporalibus bonis prætulerunt. Et quod bonum est, vbi pax non est, vbi inquieta, & turbida sunt tempora? Sanè ille solus aliquid habet, ille solus aliquid fecit, qui sibi tranquillitatem
Ps. 106. operatus est. Aiebat Psal. 106. *Qui descendunt mare in nauibus facientes operationem in aquis multis. Ipsi viderunt opera Dei, & mirabilia eius in profundo.* Ecce tibi quibus opera Dei, & mirabilia eius pateant, nimirùm iis, qui faciunt operationem in aquis multis. Sed qui sunt ij, qui talem operationem faciunt, cui annexa sint
D. Isidor. Dei mirabilia? Ait D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 183. *Qui hoc mundi mare tranquillum reddiderunt, in aquis multis operationem fecisse dicti sunt.* Et meritò putantur operationem fecisse Dei mirabilibus dignam, qui tranquillitatem, & pacem fecerunt in mundo. Vbi enim tranquillum non habes, pacem non habes, nihil te fecisse puta.

§. XVI.

Falsæ religionis hominum internecione pax regnorum firmatur.

QVi impudentem idololatram Israëlitam cum Madianitide concumbentem transfodit, meritò donatus est pace. Ait enim Dominus: *Ecce do ei pacem fœderis mei.* Illis enim principibus, illis regnis pax à Deo mandatur, quæ falsæ religionis homines acriter insectantur, lethaliter feriunt. Maximè fuit controuersum temporibus D. Augustini, an falsarum sectarum lues ferro erant radendæ? Negauit aliquando Sanctus doctor, sed pòst animaduertens pacem exsibilari à Republica per eos, qui à fide deficiebant, duabus epistolis eruditissimis latè probauit, vt debebant Imperatores leges ferre de perdendis Hæreticis, si vellent in regnis pacem videre. Et tandem epist. 50. rem conficit eis verbis: *Sed si aliter non meruit pacem domus Dauid, nisi Absalon filius eius in bello, quod contra patrem gerebat, fuisset extinctus, quamuis magna cura mandauerat suis, vt eum viuum, saluúmque seruarent; quid ei restitit, nisi perditum flere, & sui regni pace acquisita suam mœstitiam consolari? Sic ergo catholica mater bellantibus aduersus eam filiis suis, si aliquorum perditione, cæteros tam multos colligit, dolorem materni pectoris lenit, & sanat tantorum liberatione populorum. Quorum videas in Christi pace lætitias,* &c. Sic sapientissimus pater rem Dauidis cum Absalon ex 2. Reg. 18. componit cum re catholicorum regnorum. Quippè Dauid deficiente filio, non potuit obtinere pacem, nisi cum Absalon Ioabi ferro de medio fuit sublatus. Amabat Rex filium, & eius interitum detestabatur, imò ducibus imperabat, ne quis in illum mitteret manum, sed potius viuum seruarent. Quod minime illi fecerunt, sed rebellem perimerunt, quo peremptо statim pax in domo Dauidis apparuit, & de pace acquisita leniuit Dauid animum, quem filij acerba mors exasperauerat. Sic prorsus catholica regna, vbi deficientes à vera religione subditos sunt passa, tandiu durant in bello, in seditionibus, quandiu illis parcit, vbi autem horum perditione cæteros cohibent, tunc in pace, & tranquillitate viuent. Nunquam pax, &
Egesipp. tranquillitas erunt Reipublicæ, quæ veræ religionis hostes minime puniat. Aiebat Egesipp. lib. 2. cap. 11. *Erat immane latrocinium inter Iudæos, ac Syros, cùm spes nulla salutis esset, nisi vt inuicem se præuenirent. Quæ enim ciuitas, quæ non Iudæos simul & Syros permixtos haberet? Dies in sanguine, noctes in formidine transigebantur, nec odij, nec auaritiæ modus vllus. Nam præter sectarum, & cultus diuersitatem, quæ in malum publicum eruperat, vt è diuerso se perditos vellent,* &c. Ciuitates admittebant simul permixtos Iudæos, & Syros, inter quos vt erat diuersitas religionis, & cultus, sic tumultus frequentes, immania latrocinia, bella intestina quotidie excitabantur, quæ miseras ciuitates sanguine opplerent, & ruinis. Meritò extollitur illud Philippi secundi Hispaniarum regis dictum, nimirùm Hispaniarum regna triginta Sacerdotum beneficio in pace, & tranquillitate consistere; totidem enim tunc erant Quæstores Fidei, qui Hæreticos homines traderent igni. Nisi enim ij extinguantur, nequit esse in Republica tranquillitas. Ex quo sanctissimè Magnus Constantinus Imperator epistola data Alexandro, & Ario, *Alex.* quæ habetur lib. 1. Concilij Nicæni; post Arij defectionem notatam ait: *Date igitur mihi dies tranquillos, & noctes curæ, ac molestiarum expertes, vt voluptas, quæ tunc ex syncera concordiæ luce, tunc ex vita quieta capi solet, mihi integra in posterum conseruetur. Quod quidem si minus contingat, necesse est ingemiscere; nec fieri potest, vt vitæ cursum de reliquo tranquillè, & sedatè transigant. Nam quando Dei populus, cum dico, qui communi mecum erga Deum obsequio fungitur, tam iniqua, perniciosaque contentione abs se mutuò dissidet, quomodo fieri potest, vt ipse animo tranquillo consistam?* Sanctissimè maximus Imperator sibi tranquillitatem, & pacem posse esse negat; vbi viuant in populo dissensiones circa fidem.

§. XVII.

Nulla ars sic hominem ad dignitates extollit, in illisque firmat, vt obsequium Deo exhibitum.

VIde, vt sacerdotij dignitas in Phinee familia, & stabilitur, & cõfirmatur, dicit enim Dominus: *Erit tam ipsi, quam semini eius pactum sacerdotij sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo.* Quis sic firmam dignitatem in homine faceret, nisi diuini obsequij studium? Conueniant hunc, qui multis artibus curant sibi dignitates acquirere, illáque in suis æternare; & fallar, si aliunde id consequantur certius, quàm ex obsequio diuinis exhibito. D. Aug. componit duos homines Ethnicum, & *Aug.* fidelem, Apuleium, & Dauidem, illum natalibus clarum, magicis potentem artibus, hunc de post fætantes vocatum, & Deo semper deuotum. Ait enim Psal. 77. *De post fœtantes accepit eum.* At vter horum euasit clarior? Rem definit Aug. epist. 5. *Apuleius, qui nobis Afris Afer est notior, non dico ad regnum, sed neque ad aliquam quidem iudiciariam Reipublicæ potestatem, cum omnibus suis magicis artibus potuit peruenire, honesto patriæ suæ loco natus, & liberaliter educatus, magnáque præditus eloquentia. Et videant Dauid nostrum sine vllis talibus artibus ex pastore ouium peruenisse ad regiam dignitatem, cuius & peccata, & merita fidelis Scriptura non tacuit, vt sciremus, & quibus modis non offenderetur Deus, & quibus modis placaretur offensus.* Sanè tota magicarum artium efficacia non comparauit homini, vel iudicaturam vnius ciuitatis, & homini natalibus, & eloquentia claro, at obsequia Deo exhibita Dauidi, & paruulo, & pascenti oues imperium comparauerunt, imò in eius domo illud æternarunt. Nulla equidem ars sic in nobis valet dignitates æternare, vt obsequia, quæ Deo præstamus. Quod in ipsa etiam domo Dauidis clarè patuit; opus enim iustitiæ regnum firmabat in Dauide, in Roboamo autem nato in regno iniustitia regnũ labefactauit. Post narratam eius stultissimã responsionem, ait textus 3. Reg. 12. *Misit ergo Rex Roboam* 3. Reg. 12.

Aduram, qui erat super tributa, & lapidauit eum omnis populus, & mortuus est. Porrò Rex Roboam festinus ascendit currum, & fugit in Ierusalem, recessitque Israël à domo Dauid vsque in præsentem diem. Ecce tibi, quod pascendi oues regnum acquisiuit virtus, in regnis nato eripuit iniquitas. Vt meritò dicat D. Ambr. lib. 2. officior. c. 18. *Egregiè itaque viros alicui præsidentes muneri commendat iustitia, è contra iniquitas destituit, atque impugnat. Itáque desertus Roboam à populo, ac destitutus, vix duarum tribuum propter Dauid meritum habere potuit societatem. Claret ergo, quoniam & æquitas imperia confirmet, & iniustitia dissoluat. Nam quomodo potest malitia regnum possidere, quæ ne vnam quidem priuatam potest regere familiam?* Equidem si desint opera iustitiæ, quantumuis vniuersæ aliæ artes assistant, nec priuatæ domus regimen tenebis diu. Sola enim iustitiæ opera dignitates, & regna stabiliunt in familiis fidelium. Ieroboamus ille Salomonis seruus prophetæ voce vocatus in regnum est, quod cùm teneret 2. Reg. 12. cõseruandi in suis regni: *Excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltra ascendere in Ierusalẽ: Ecce dij tui Israël.* Vide quale consilium, quam astutum assumpsit iste, vt in se regnum conseruaret, tollens occasionem Israëlitis abeundi Ierosolymam, videndique ibi Dauidis domum. Sed quandiu ista nefaria arte conseruauit regnum? Sanè & ipse, & familia tota periit. Vt dicat Theod. q. 41. in præsenti: *Sed miser, & ter infœlix iste; accepta potestate aggressus est eam habere humanis, & impiis artibus.* Indè infœlicitas, & extrema hominis venit miseria, quod humanis, & impiis artibus curauit regnum tenere, quando bonorum diuturnitas ab operibus iustitiæ venit. Et quæ alia consilia, vel quæ artes non potius perditiones creant? Sidon. Apoll. lib. 8. epist. 11. post laudatissimam præstantis cuiusdam vitam commendatam sic ait: *Illud sanè non solum culpabile in viro fuit, sed peremptorium: quod mathematicos quõdam de vita suæ fine consuluit: qui constellatione percunctatis inspecta, pariter annum, mensem, diémque dixerunt, quos climactericos esset habiturus. Et hunc nostrum temerarium futurorum scitatorem, & diu frustra tergiuersantẽ tempus, & qualitas prædictæ mortis innexuit. Nam domi pressus, strangulatúsque seruorum manibus periit. Atque vtinam hunc finem, dum inconsultè fides vana consultat, non meruisset excipere. Nam quisque præsumpserit interdicta, secreta vetita rimari, vereor huiusmodi a Catholicæ fidei regulis exorbitaturum, & effici dignum, cuius respondeantur aduersa, dum requiruntur illicita.* Hæc dixi, vt videas, quo deducant malæ artes, maláque consilia alumnos suos.

D. Amb.

2. Reg. 12.

Theod.

Sid. Apo.

§. XVIII.

Tanta potest esse præcellentis alicuius hominis virtus, quæ ingentis populi scelera obtegat.

MAgnus virtute extitit Phinees, de quo dicit: *Et expiauit scelus filiorum Israël.* Vnus erat ipse, & vnus cùm esset, potuit magnitudine virtutis suæ ingẽtis obnubilare crimina populi. Quò spectans Philo in cat. Græca ait: *Admonet locus, quanta sit apud Deum vnius viri iustitia, pietásque, qui plagas populi auertere potest, & obliuionem inducere eius delicti, cuius expiatio tantum præconium promeruit.* Magnum fuerat populi delictum, quo pene vniuersi expositi erant iræ diuinæ. Sed Phinees virtus sic creuit, sic apud Deum conualuit, vt potuerit totum populi delictum in obliuionem adducere. Sic vnius præstantis hominis virtus valet obtegere totius populi crimina. Matt. 15. *Ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine,* &c. Sanè Chananæorũ generatio pessima erat, ingentibus criminibus obuoluta, propter quæ natio-

Philo.

Matt. 15.

nem reprobauerat Dominus. Et tamen hæc mulier audet prouolui ad Christi pedes, ab illóque misericordiam contendere, imò audit ex Deo: *O mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.* Quid ais, Domine, mulierem vocas illam, quæ Chananæorum vitiis canis apparebat? Cur non magis in illa Chananæorum reprobationem spectas? Tanta fuit mulieris virtus, quæ nationis suæ crimina, & offensiones apud Deum obtegeret. Ait D. Basil. Sel. orat. 20. *Mulier Chananæa, sed animi probitate genus refutauit; naturam vicit fides. Nemo Chananæos accuset, soluit mulier maiores suos ab impietatis crimine.* Vnius præstantis mulieris virtus obnubilare potuit totius nationis crimina.

Bas. Sel.

Num. 25. Erat autem nomen viri Israëlitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione, & tribu Simeonis. Porrò mulier Madianitis, quæ pariter interfecta est, vocabatur Cozbi filia Sur, principis nobilissimi Madianitarum. Locutusque est Dominus ad Moysem, dicens, Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos, &c.

§. XIX.

Parentum, antecessorúmque virtutes maximè suos posteros protegere solent.

NOn Madianitæ soli, sed præcipuè Moabitæ fuerunt, qui Israëlitis pararunt scandalum, & nihilominùs Deus bellum aduersùs Madianitas mandat, nõ aduersùs Moab. Ait enim: *Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos*, &c. Cur non magis percutiant Moabitas? Sanè Moab præcipuè fecerat scandalum illud; ipse vocauerat Balaam veneficum, & ab illo de prostituendis puellis consilium acceperat, & executioni mandauerat, dicitur enim suprà: *Et fornicatus est populus cum filiabus Moab.* Quare ergo non magis debellentur, & pereant Moabitæ, vt scandali authores, quàm Madianitæ? Erant Moabitæ posteri Loth, cuius intuitu Deus illos deleri non fuit passus, plurimũ enim valent maiorum virtutes, vt eorum posteri malis eripiantur. Id, quod ponderat, & expendit Abbulen. q. 14. in præsenti. Statuens Deus omnes primæuos homines diluuio submergere, quia. *Omnis caro corruperat viam suam* Gen. 6. nihilominùs integrã familiam Noëmi voluit reseruare. *Huic* autem dicebat Gen. 7. *Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam:* Et quamuis Noë iustus erat, & perfectus, difficile fuisset, quod aliquis de familia eius non æquè mereretur submergi, ac alij, qui submergebantur. Cur ergo integra domus Noëmi sic à Deo protegitur, ne inuoluatur cum cæteris, & in culpis, & in pœnis? Duæ tunc erant generationes in mundo ab Adamo descendentes, nimirùm generatio, quæ ab Adamo per Cain genus ducebat, & generatio, quæ per Sethum sanctissimum descendebat. Et licet Sethi filij commixti cum Cainitis æqualia committerent scelera; tamen tanti maioris, parentísque virtute muniti eam protectionem habuerunt, qua non funditus perderentur, sed eorum reseruaretur semẽ, vt seruatum est in filiis Noëmi. Tantũ enim valent virtutes maiorum ad posteros protegendos. Pulchrè rem attigit D. Basil. Sel. orat. 3. fatus: *Sethi filij generis sanguine purgabantur: Caini verò posteris, nequitiæ purgandi diluuium apparabatur.* Fateor Sethi filios peccasse, dum ad Caini filias concurrerunt, & diluuium ex Deo solicitasse; verúmne funditùs perirent ij, sed reseruarẽtur in familia Noë, quãdo nullus Caini generis nõ peribat, habuerunt ex virtute sanctissimi parentis Sethi, cuius generis sanguine purgabantur, protegebantur, ne diluuio absorberentur. Vt videas, quàm fœlix ille sit, qui pro se habet virtutes parentum. Hinc Salomoni Idololatræ

Aibul.

Gen. 6.

Gen. 7.

Bas. Sel.

latræ prædicitur regnum eripiendum ; ſed addit Dominus,
1.Reg.11 3.Reg.11. *De manu filij tui ſcindam illud.* Et ſic factum accidit, vt Roboamo Salomonis filio decem tribus regni eriperentur. Sed Salomon longè nequior fuit, & longè nequiora fecit coram Deo, quam filius eius. Ille enim per mulierũ delicias apoſtatauit à Deo, coluit illarum Deos, adoleuit in montibus idolis incẽſum. Cur magis huic regnum non eripitur, quàm filio
Theod. eius, qui talia ſcelera non fecit? Ait Theodor. q. 55. in præſenti: *In diebus tuis, inquit, non faciam hæc propter Dauid ſeruũ meum, è manibus filij tui accipiam illud. Nã tu quidem habes patrem in auxilium ; ille autem fuit priuatus paterno auxilio.* Nõ miror, quod in erroribus ſuis pereant, quibus paternarum virtutum auxilium defecit, illi autem, quibus maiores fauent, propter illorum
4.Reg.23 virtutes protectionem recipiũt ex Deo. Audio. 4. Reg. 23. Ioſiam ſanctiſſimum Regem occiſum à Rechao; *Abiit Ioſias Rex in occurſum eius, & occiſus eſt in Mageddo*, ſed & Aſa, qui clariſſimum regnandi initium habuit, obſcurum finem accepit. Vnde ij Reges alioquin
D. Amb. præſtantiſſimi in calamitates deuenerunt, niſi quia illis non fauebant virtutes paternæ? Ex quo D. Amb. orat. de Obitu Theodoſij, huius Imperatoris filios extollens, ait: *Quis ergo dubitabit filiis Theodoſij maximum præſidium fore apud Deum ? Sed Ioſiæ, & Aſæ parentes Abias, & Amos ambo infideles. Theodoſius verò plenus timoris Dei, plenus miſericordiæ, ſperamus, quod liberis ſuis apud Chriſtum præſul aſſiſtat, ſi Dominus propitius ſit rebus humanis.* Sic de paternis virtutibus non parua Dei protectio filiis adnaſcitur. Huc trahe dicta tom. 4. in Euang. lib. 16. cap. 11. §. 1.

§. XX.

Puritas Mariæ, & exemptio à peccato originali adſtruitur.

SVb eodem reatu erant Moabitæ, & Madianitæ, vt §. præcedenti vidimus, nihilominùs de ſolis Madianitis dicit Dominus: *Hoſtes vos ſentiant Madianitæ, percutite eos.* Et cur ſub hac lege non comprehenduntur Moabitæ? De illorum ſemine venturus erat Chri-
Iſaiæ 16. ſtus, iuxta illud Iſaiæ c. 16. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ de petra deſerti*, &c. Vbi cõmuniter doctores in petra deſerti intelligũt Ruth Moabitem, quæ fuit auia Dauidis, à quo Chriſtus. De quorũ ergo ſemine Chriſtus Dominus erat naſciturus non miror, quod ij non comprehendantur in communi ruina. Id, quod tradebat Abbul. q. 14. in reſolutione quæſtionis. Ne videatur incredibile, quod Maria Virgo, vt quæ immediatius ſeruiuit ſanguine ſuo conceptioni Chriſti, non comprehendatur cõmuni peccati originalis ruina. Qui non permiſit Moabitas ſubeſſe diuinæ iræ, quia de illorum ſemine erat naſciturus ; permitteret matrem ſuam, cuius intrauit viſcera, eſſe vel ad momentum filiam iræ ? Abſit hoc à tanto Domino, non id permitteret & filius, & frater, & ſponſus Mariæ, ne videretur vel
Cant.4. à longè nocere carni ſuæ. Aiebat ille Cant. 4. *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa*: matrem ſuam dilectam ſororem vocat, & ſponſam, ne parcat vlli dilectionis titulo in amanda illa. Sed cur ſponſa dicitur? Vt ſic omnigena ſanctitas, & perfectio oſtendatur fuiſſe in Maria ab ipſo conceptionis puncto ; mater enim extitit à decimoquinto ætatis anno, ſponſa autem ſemper fuit, vel in inſtanti primo, ne poſſet eſſe ſub infectione originis.
Gr. Naz Aiebat Greg. Naz. orat. 11. de Sancta Gorgonia ſorore ſua: *Cum vnum hoc ad omnia accedere cuperet, vt maritus quoque perficeretur, & ſic toto corpore conſecraretur ipſa, ac non dimidia tantum ex parte initiata diſcederet, ipſiuſque aliquid imperfectum relinqueret, hoc quoque precibus impetrauit.* Itáque ſancta fœmina marito in infidelitate iacente ſic afficiebatur, quaſi ipſa non tota, ſed dimidiata initiata eſſet fide, & ad Deum properaret, quapropter vehementer orabat, vt Deus maritum traheret ad fidem, vt ſic integro corpore ipſa ſe Deo ſiſteret, quod & impetrauit. Et credã Mariam relictam in peccato à ſponſo ſuo diuino? An nõ magis horreret Ieſus relicta in peccato ſponſa, nõ integro corpore, ſed dimidia ex parte videri ſanctiſſimus ? Abſit, quod Ieſus aliquid ſui imperfectum relinqueret, permittens ſpõſam, & coniugem amantiſſimam iacere in originali culpa.

CAPVT XXXI.

Ioſue deſignatur Moyſis ſucceſſor.

Textus Littera.

INſtabant expectati dies, quibus feraciſſimam Chananæorum regionem Iſraëlitæ trãſmiſſo Iordane calcarent. Et Moyſes miro deſiderio affectus videndi lacteos illos fluctus, quos toties populis propinarat; enixe contendit ex Deo, vt ſibi liceat pauliſper animum in Chananæorum campis amænare. Reſpuit Deus orantem, quin illi oſtendit iam iam mortem eſſe in ianuis, quam ſibi ante poſſeſſionem promiſſæ terræ apud contradictionis aquas fecerat feſtinare. Denunciatione mortis non elanguit validiſſimus Moyſis animus, ſed ſtatim filios, & cognatos, & amicos habẽs pro throni ſucceſſore Dei conſulit placitum. Erat illi fidiſſimus latero Ioſue; tunc temporis nonaginta tribus annis natus, vnus de Ioſeph poſteris, Ioſeph, inquam, qui de vniuerſis Iſraëlitis benemeritus in Ægypto conceſſerat fatis. Hic igitur tantus vir & propria virtute, & officiis patris deſignatus à Deo, præſente Sacerdote ſummo Eleazaro, & vniuerſa multitudine per Moyſem rite in Principem populi cooptatur. Sic ſanctum eſt, maiorum officia in promouendis meritis filiis ſpectare.

PARS VNICA MORALIS

circa textus literam.

IOſue in præſenti leui tranſcurritur calamo, vt qui integra expecter commentaria, præſentia enim Moyſis virtutibus dantur.

Deuth. 3. Precatus ſum tempore illo, dicens, Domine Deus, tu cœpiſti oſtendere ſeruo tuo magnitudinem tuam, manúmque fortiſſimam, &c. Tranſibo igitur, & videbo terram hanc optimam trans Iordanem, & montem egregium, & Libanum. Iratúſque eſt Dominus mihi propter vos, nec exaudiuit me, ſed dixit mihi, ſufficit, &c.

§. I.

Humilis, & verecundus exterior habitus orandi præbet orationi efficaciam.

OStendens Moyſes qualiter pro ingreſſu terræ promiſſionis orauerit, in præſenti ait: *Precatus ſum tempore illo, dicens: Domine Deus, tu cœpiſti oſtendere ſeruo tuo magnitudinem tuam*, &c. Nihil exprimit de externo corporis habitu, quo orauit; at Exod. 16. vbi depingitur orans Moyſes, nil prius dicitur, quàm: *Cecidit pronus in faciem*, &c. Et ſic ſæpe aliàs cadens in faciem orabat. Cur ergo, cum toties oraturus in faciem prius cadebat, quaſi præ verecundia non audens oculos leuare, modò non dicitur cecidiſſe in faciẽ precatus ? Modò oſtendebatur inefficax eius oratio ; in aliis autem efficaciſſima erat, & ideò commẽdabatur à verecundo externi habitus geſtu, qui non minimã tri-

buit orationi efficaciam. Id, quod teſtabatur Macedo-
D. Aug. nius iudex Cæſarius in epiſt. quam dedit D. Auguſtino; & eſt inter Auguſt. epiſtolas 51. Quippè ait: *Miro modo afficior ſapientia tua, & in illis, quæ edidiſti, & in iis, quæ interueniens pro ſolicitis mittere non grauaris. Nam & illa tantum habent acuminis, ſcientiæ, ſanctitatis, vt nihil ſupra ſit. Et hæc tantum verecundiæ, vt niſi faciam, quæ mandas, culpam penes me remanere, non in negotio eſſe diiudicem. Non enim inſtas, vt quæcunque ſolicitus volueris, extorqueas. ſed quod tibi à iudice petibile viſum fuerit, admones ſubſeruiente verecundia, quæ maxima difficilium inter bonos efficacia eſt.* Orabat iudicem Auguſtinus, & ea verecundiæ ſpecie orabat, cui niſi annueret iudex ingenue, fateatur ſe eſſe in culpa; & ſapienter addit illud de oratione verecunda: *Quæ maxima difficilium inter bonos efficacia eſt.* Cur enim bono non vim inferat demiſſus, & verecundus orantis habitus? Cùm huc peruenio non poſſum negare orantis publicani exemplũ, quo Dominus perſuadebat orationis habitum efficacis.
Luc. 18. Ait Luc. c. 18. *Publicanus à longe ſtans nolebat nec oculos ad cœlum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens, Domine propitius eſto mihi peccatori.* Ecce tibi habitus efficaciſſimè orantis, non audebat oculos leuare, ſed per-
D. Zeno. cutiebat pectus ſuum, vbi D. Zeno ſer. 5. ait: *Pectus crebro percutiens, quodammodo cor ſuum manu verecundè caſtigat.* Percuſſio pectoris oſtenſio erat verecundiæ poſ-
D. Amb. tulantis, ex qua non miror, quod optata efficaciter cõſequatur. Ait enim D. Amb. lib. 1. de Abel c. 9. *Publicanus autem prædicatus eſt, quia à longè ſtans nolebat oculos leuare in cœlum, ſed percutiebat pectus, & ideò diuina eum prætulit ſententia.* Imò expreſſius lib. 1. Officior. c. 18. ait: *In ipſa quoque oratione noſtra multum verecundia placet, multum conciliat gratiæ apud Deum noſtrum. Nonne hæc prætulit publicanum, qui nec oculos audebat ad cœlum leuare? Ideò iuſtificatur magis Domini iudicio.* Nec miror, quod in Dei iudicio orator verecundus gratiam extorqueat, efficaciſſima enim eſt verecundia,
Dan. 13 vt trahat Deum Daniel. 13. nefarij iudices adduci ſibi Suſannam fecerunt, vt perderent eam. *Et venit,* inquit, *cum parentibus, & filiis, & vniuerſis cognatis ſuis. Porrò Suſanna erat delicata nimis, & pulchra ſpecie. At iniqui illi iuſſerunt, vt diſcooperiretur, (erat enim cooperta) vt vel ſic ſatiarentur decore eius. Flebant autem ſui, & omnes, qui nouerant eam. Conſurgentes autem duo presbyteri in medio populi poſuerunt manus ſuas ſuper caput eius. Quæ flens ſuſpexit ad cœlum*, &c. Ecce tibi vocatur Suſanna à peſſimis iudicibus, venit illa inter cognatos, & filios, cooperit ſe velamento, ſiſtitur iudicio, velamento nudatur, patitur impias manus iudicum ſuper caput, & interea nec verbum facit, nec vocem emittit, quæ nefarios perterrefaciat, nec fulmen petit à Deo, ſed tantum flens ſuſcipit ad cœlum. Cur non magis clamas? Cur rem deteſtabilem non publicas? Cur non fundis preces ad Deum veritatis teſtes? Sanè non inefficaces fundit preces, quæ verecundiæ conſulens eligit tacere.
D. Amb. Pulchrè enim ait D. Amb. lib. 1. officior. 18. *Tacebat in periculis Suſanna, & grauius verecundiæ damnum eſſe putabat, nec arbitrabatur, periculo pudoris tuendam ſalutem. Deo ſoli loquebatur, cui poterat caſta verecundia eloqui.* Equidem dum rem ad Deum refert, efficaciſſimum elegit medium, nimirùm verecundiæ vitam poſthabere. Verecundam ſe oſtendit Deo, qui nouit verecundiæ linguis perſuaderi.

Numer. 27. Dixit quoque Dominus ad Moyſem: Aſcende in montem iſtum Abarim, & contemplare inde terram, quam daturus ſum filiis Iſraël. Cúmque videris eam, ibis ad populum tuum, ſicut iuit frater tuus Aaron, quia offendiſtis me in deſerto Sin, in contradictione multitudinis, &c.

§. II.

Non paruum Deus beneficium confert homini, cui cauſas oſtendit ſuorum iudiciorum.

COmpone denunciationem mortis Moyſis cum denunciatione mortis Aaron: vterque iubetur ire in montem. Moyſi enim dicitur: *Aſcende in montem Abarim*; de Aaron dicebat ſuprà c. 20: *Duces eum in montem Hor.* Sed & de eodem dicit: *Morietur ibi.* De Moyſe autem: *ibis ad populum tuum, ſicut iuit frater tuus Aaron* Inſuper & cauſam mortis addit, aiens: *Quia offendiſtis me in deſerto Sin.* At dum de Aaronis morte loquitur, ſolum dicit: *Morietur ibi*, nullam cauſam oſtendit ei tantæ ſententiæ, Moyſi autẽ & mortem & cauſam eius annuntiat. Cur ergo potius Moyſi, quàm Aaroni mortis cauſam explicat? Inde ſanè Procopius Moyſem magis commendat, vt qui in eo potior eſtat, quod Deus illi & iudicium mortis oſtenderit cauſam ſimul iudicij reddiderit. *Potior Aarone Moyſes, ac proinde terram videt, & cauſam, propter quam habitus vt ingrederetur, cõperit: Sicut Paulus quoſdam dicit; cur gratiam non in remedium ſtimuli acceperint.* Et quidem quod abſolutiſſimus Dominus miliariter agat cum ſeruo ſuo, vt illi ſuorum iudicirum ſiue in bonum, ſiue in malum, cauſas oſtẽdat, magnum eſt beneficium, & quod ſolum conferatur meritioribus viris. Sic Moyſi mortem denuntiat, & cauſam reuelat, nimirùm purgationem alicuius delicti, ſic Paulo ſtimulum carnis permittit, quo colaphicetur, ex cauſam ſimul apperit, vt perficiatur eius virtus. Quis enim pro magno beneficio non habeat, quod diuini iudicij in ſe exerciti cauſæ ſibi à Deo explicentur? Hinc poſt dolorum, tormentorúmque tempeſtates, poſt amicorum aculeata verba Dominus Iobo apparens c. 40. illi Iob 40. ſuarum ærumnarum cauſas dicit. Aiunt enim Septuag. *Putas autem me aliter tibi reſpondiſſe, quam vt appareas iuſtus?* Ecce tota cauſa laborum Iob explicatur fuiſſe, vt appareret iuſtus. Quid tunc? In hoc ſolo quod cauſa luctæ ei reueletur, non paruum putant plurimi eſſe præmium ipſius luctæ. Ait Nazianz. orat. 21. in laudem Naz. Athanaſij: *In fine certaminis illuſtri præconio attollam ſuum victorem pronuntiat, atque afflictionis arcanum apperuit: Num hæc cenſes, inquit, me aliam ob cauſam in te decreuiſſe, quam vt iuſtitia tua illuceſcat? Hæc vulnerum medicina, hæc certaminis corona, hoc patientiæ præmium.* Et quidem quod tantæ tempeſtatis arcana cauſa oſtendatur Iobo non paruum præmium fuit patientiæ illius. Hæc enim vna cauſa reuelata vniuerſos malorum dolores ſopiuit. Vt dicat D. Chryſoſt. hom. 5. in Iob: *Cum* Chryſoſt. *dignatus eſt amator hominum Deus dicere ei certaminis huiuſmodi cauſas, quod vti iuſtus appareas, contra te hæc permiſſa ſunt, ſic reſpirauit, quaſi ex illis malis nihil triſte ſenſiſſet.* Lenit enim mirum in modum mala omnia Dei benignitas, qua ſic ſe deiicit erga ſuos, vt illis iudiciorum ſuorum cauſas communicet.

§. III.

Maximè implet hominem, quod videat oculis laborum ſuorum fructus.

PEtenti Moyſi ingreſſum in terram promiſſionis iam vicinam concedit Dominus, non vt ingrediatur, ſed vt claro intuitu cernat illam. Ait enim: *Aſcende in montem iſtum Abarim, & contemplare inde terram, quam daturus ſum filiis Iſraël.* Fecit enim Deus ſupernaturali ſua virtute, teſte Abbulenſi in præſenti, vt poſitus Moyſes in cacumine montis illius, clarè, & diſtinctè cerneret terram promiſſam, fertilitatémque & amænitatem illius. Et quantum fuit hoc ad Moyſem, quod ſolum videat terram illam? Equidem maximum illi ex tẽporalibus bonum fuit, vt eſt maximũ bonum, & quod

& quod maximè homines implet, quod videant oculis laborum ſuorum fructus. Multum, diúque laborauerat Moyſes pro acquirenda terra illa ſuis Iſraëlitis, quam vt vidit iam in vicinio, ſimul vidit completionẽ laborum ſuorum, ex quo ſic gauiſus, quaſi illam iam
Exod. 24. percepiſſet. Exod 24. *Aſcenderunt Moyſes, & Aaron, Nadab, & Abiu, & ſeptuaginta de ſenioribus Iſraël, & viderunt Deum Iſraël. Sub pedibus eius quaſi opus lapidis Sapphirini, & quaſi cœlum, cum ſerenum eſt. Viderúntque Deum, & comederunt, & biberunt*, &c. Itáque vocati ad montis cacumen ſeniores iſti, aſcenderunt alacriter, ibíque hoſtiis cæſis ſacra peregerunt, & ſtatim ſeſe illis oſtendit thronus diuinus, ſuper quem Deus apparuit. Viderunt illi & thronum, & Deum, *& comederunt, & biberunt*. Quis non putet abſurdum, quod inter videndum Deum in throno ſuo meminerint potus, & cibi? An qui tanto ſpectaculo fruebantur, potuerunt vacare conuiuiis? Non dicuntur comediſſe, eo quod realiter comederint, ſed videntes ſuorum ſacrificiorum fructum in oſtentatione illa throni diuini, ſic impleti
Chald. ſunt, quaſi comediſſent, & bibiſſent. Ait Chaldæus ibi: *Et gauiſi ſunt in ſacrificiis, quæ accepta fuerunt, quaſi comediſſent, & bibiſſent*. Sic implentur homines ex eo quod videant ſuorum laborum fructus. Quò ſpectans
Ier. 23. Ierem. cap. 23. ait: *Factus ſum quaſi vir ebrius, & quaſi homo madidus à vino à facie Domini, & a facie verborum ſanctorum eius*. Videbat equidem propheta verba Dei à ſe in malos, & impios prolata executioni mandari, qua impij puniebantur, & bonorum impedimenta tollebantur, qui vt erat prophetiæ ſuæ, laboris ſui fructus; ſic implebat hominem eius viſio, quaſi multum vini
Septuag. bibiſſet. Vel ſi mauis Septuag. legunt: *Factus ſum quaſi homo captus à vino à facie Domini, & à facie gloriæ decoris eius*. Vt ipſe multis laboribus gloriam Dei quærebat, videns hanc Dei gloriam in mundo coaleſcere, & ſuis laboribus excitari, ſic inde afficiebatur, quaſi in cellaria cœleſtia introductus eſſet. Sic implentur homines de viſo fructu laborum ſuorum. Quod etiam in temporariis hominibus apparet. De quibus locutus
Eccl. 5. Eccleſiaſtes cap. 5. ait: *Vbi multæ ſunt opes, multi & comedunt eas. Et quid prodeſt poſſeſſori, niſi quod cernit diuitias oculis ſuis*? Quæ ita leguntur ab Olympiodoro:
Olymp. *Multitudine bonorum multiplicati ſunt, qui comedunt ea. Et quæ virtus, ac fortitudo poſſidenti bona? Principatus eſt illi, vt videat oculis ſuis*. Hinc ſe Principem reputat, regalibúſque menſis aſſidentem, ſi tantum videat fru-
Olymp. ctus bonorum ſibi augeri. Ait enim Olympiod. ibi: *Qui ſic impudenter auari ſunt, hoc ſibi tanquam bonum ſummum proponunt, vt inter pocula, patináſque verſentur, vt ſpectaculo fruantur, quas congeſſere, pecuniarum. In multitudine ergo bonorum, hoc eſt, in affluentia pecuniarum, quæ illis aſſiduæ multiplicantur, geſtiunt non ſecus, ac ſi bonis illis, pecuniiſque veſcantur*. Non egent alio, quam quod ſpectaculo bonorum authorum fruantur; ſi ab induſtria, & labore ſuo videant parturiri pecunias, ſic hac viſione geſtiunt, quaſi regalibus eſcis impleti ſint. Ne mireris, quod & bonos impleant laborum ſuorum viſi fructus.

Numer. 27. Cui reſpondit Moyſes: Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis hominẽ, qui ſit ſuper multitudinem hanc, & poſſit exire, & intrare ante eos, & deducere eos, vel introducere: ne ſit populus Domini ſicut oues abſque paſtore.

§. IV.

Suſpectus eſt de carnali affectu, qui multus eſt in promouendis cognatis, & amicis.

QVærens throni ſucceſſorem Moyſes ex Deo, illum peculiari compellat & nouo vocabulo, nimirùm Deum ſpirituum omnis carnis. Ait enim: *Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc*, &c. Nunquam aliàs Moyſes Deum ſic appellauit; appellabat enim Deum patris mei Abraham, vel fortiſſimum Deum, vel aliter; nunc autem dimittens illa omnia nomina; nouum quoddam affingit vocans Dominum Deum ſpirituum omnis carnis. Cur modò Deum inuocat ſub hoc inuſitato nomine, vt dicatur Dominus Deus ſpirituum? Agens de throni ſucceſſore, nec memorans amicum vllum, aut cognatum, meritò compellat Deum ſpirituum, vt teſtetur quàm liber procedat ab omni affectu carnali. Ille enim ſolus gloriari poteſt ſe ſub Domino Deo ſpirituum agere, liber ab omni affectu carnali, qui amicis, cognatiſque promouendis operam nauabat. Pulchrè huc aſpiciebat Philo in præſenti fatus: *Erat* Philo.
Moyſi amicus, & familiaris pene a puero Ieſus nomine, non vulgaribus conciliatus artibus, ſed amore integro, cœleſtique, ex quo omnes virtutes proueniunt. Is etiam conuictor, contubernalis prophetæ fuit. Idem adminiſtrationis Reipublicæ particeps, & tantum non Principis vicarius. Animi quamuis ſciret hunc eſſe diu ſpectatæ probatis hominum dictis fatiſque honeſtatem eius experius, nec ſic quidem ausus eſt ei principatum committere. Itáque nec ſibi ipſi credens ſupplex inuocauit Deum, qui ſolus inuiſibilem animã introſpicit: Sublatiſque ad cœlum puris, & virgineæ, vt ita loquar, caſtitatis manibus, ſic precatus eſt, &c. Quid ſapiẽtius? Expende illa: *Sublatis ad cœlum puris, & virgineæ caſtitatis manibus*; tunc cum in munere dando non memorat amicum, & amicum fideliſſimum, ſummæ, & expertæ præſtantiæ hominem, dicitur puras, & virgineæ caſtitatis manus in cœlum ſuſtuliſſe. Solus enim ille debet cenſeri purus, & virgineæ caſtitatis homo, qui in muneribus diſtribuendis ſcit obliuiſci amicos. In quo enim non carnalis, ſed ſpiritualis, & purus dominatur amor, non præualet cæteris affectus amicorũ.
Ioann. cap. 13. audet, & dicit: *Erat ergo recumbens vnus* Ioan. 13.
ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus. Amabatur enim Ioannes à Ieſu, multáque dilectionis teneritudine in ſinum recumbens excipiebatur. Et hic tam amatus, tam tenere dilectus præ cæteris, quid apud Ieſum præ cæteris habebat? Ait D. Chryſoſt. hom. 32. Chryſoſt.
in Ioann. *Quin eximie Ioannes à Chriſto diligeretur, ambigit nemo, non tamen neque loquendo, neque rogando præcipuam quandam apud Ieſum authoritatem habuiſſe appareret, vt ſæpenumero Petrus, vt Philippus, vt Iudas, vt Thomas, niſi ſemel tantum cum obſequi condiſcipulo voluit; nam cum ipſorum princeps ei innuit, tunc Ieſum, quis illum eſſet traditurus, rogauit*. Sic valent amici apud eum, in quo carnalis amor eſſe non poteſt; vt vel eximie dilecti nullam præcipuam authoritatem aut loquendo, aut rogando præ cæteris habeant, nec dominationem. Vt tu colligas, qualis ſit illorum affectus, qui ſic ſubiiciuntur amicis, vt nil ſciant velle, nec cogitare, quod non faciat ad prælationem eorum.

§. V.

Cauendus eſt omnis carnalis reſpectus in deſignandis iis, qui regant homines præſtantes virtutibus.

MEritò ad ſucceſſoris electionem vocat Moyſes Deum, vt author eſt ſpirituum; ait enim: *Prouideat dominus Deus ſpirituum omnis carnis hominem*, &c. In eo enim qui eligit rectorem hominum virtute inſignium, nullus debet apparere carnalis reſpectus, quaſi ſolus in eo, & ab eo poſſit apparere ſpiritus. Hinc interrogatus Moyſes cur ipſe non eligat ſucceſſorem, ſed rem ad Deum ſpirituum authorem remittat. Reſpondet apud Philonem: *Abſurdum fuerit arbitratu* Philon.
meo ſucceſſorem eligere, ne hominum quidem expectatis ſuffragiis: præſertim cùm agatur de regimine gentis non vulgaris, profeſſarum maximam, cultum eius, qui eſt pater,

conditórque rerum omnium. Meritò & se, & quemcunque alium hominem excludit in eligendo eo, qui regat gentem non vulgarem, sed deditam cultui, & religioni omnipotentis Dei. Qui enim hunc eligat, omni debet purus esse affectu carnali, quasi totus spiritus factus. Similiter Apostoli post Christi Ascensionem, ante aduentum Spiritus sancti Actor. 1. vbi agunt de eligendo Iudæ successore in Apostolatu: *Statuerunt duos, Ioseph, qui vocatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus: & Mathiam. Et orantes dixerunt, tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex iis duobus vnum, accipere locum ministerij huius, & apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis,* &c. Possent equidem Apostoli eligere illum, at maluerunt rem vni Deo committere? At cum postea ipsi per impositionem manuum multos alios episcopos, & presbyteros designarent, cur modò cauent designare successorem in Iudæ Apostolatu? Modo nondum venerat Spiritus sanctus super illos, nondum erant omnino transformati in spiritum, ideò merito cauent eligere hominem, qui recturus sit gentes sanctissimas, quales inueniebantur in Ecclesia primitiua. Ait Diu. Chrys. hom. 3. ibi: *Quoniam non erat spiritus, sortibus rem peragunt,* &c. *Nondum indicarunt sese esse idoneos, vt ipsi ex se facerent electionem.* Res mira! Apostoli illi Christi commensales, qui per Christi insufflationem spiritum ante ascensionem eius acceperant, quia nondum venerat sanctus Spiritus, quo penitus quasi spiritus fierent, non se putant idoneos, vt eligant hominem, qui dicatas Deo gentes regat. Et est homo, qui plenus carnalium affectuum, qui nihil respiciens nisi carnem, & sãguinem Prælatos, & sacerdotes eligat ad regimen Ecclesiæ? Sanè talium electio non vllo carnali respectu, sed magno spiritu hausto ex Deo facienda est. Hinc de ipso Iesu Dei Filio ait Luc. c. 6. *Factum est autem illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cùm dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex illis, quos & Apostolos nominauit.* Sanè ipse Dei Filius non prius ad electionem venit Apostolorum, quam ad montem ascendat, ibique pernoctet in oratione Dei, quasi spiritum trahens è cœlis. Non equidem ipse hoc egebat, sed docebat ex tunc, à quibus, & qualiter erant electiones spiritualium munerũ faciendæ. Ait enim Theoph. ibi: *Post orationem autem elegit discipulos, vt doceat etiam nos, quando quempiam in spirituale ministerium sumus ordinaturi, cum precibus hoc faciamus, vt doctis à Deo, & ab illo petentibus reuelet, quis idoneus sit.* Quidquid hominis est, quidquid carnis est seponi debet, & de solo Dei spiritu per orationem hausto procedere debent, qui personas eligunt, quæ dicatas Deo mentes vtiliter regant.

Act. 1. Chrysost. Luc. 6. Theoph.

Num. 27. Dixítque Dominus ad eum: Tolle Iosue filium Nun, virum in quo est spiritus Dei, & pone manum tuam super eum. Qui stabit coram Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omnis Synagoga filiorum Israël, &c. Fecit Moyses vt præceperat dominus, &c.

§. VI.

Manus diuina largissima super omnes creaturas ad beneficia præstanda.

EXpende, quod dicitur Moysi, nimirùm: *Dabis ei præcepta, & partem gloriæ tuæ:* & similiter expende, quid petebat Elisæus ex suo antecessore Elia abeunte 4. Reg. 1. videlicet: *Fiat in me duplex spiritus iste tuus.* Elisæus non est contentus, si accipiat totum spiritum Eliæ, sed insuper duplicatum petit; & Iosue pars solum gloriæ Moysis præcipitur dari. Et cur Iosue pars sola mandatur, & Elisæo duplicatus speratur? Differentia veniebat ex manu dantis, dicitur enim Moysi: *Dabis partem gloriæ tuæ,* hoc est, tu ipse, manu tua propria dabis, ne miremur, quod de manu hominis, de manu creaturæ nil plenum habeatur. Quod cauens Elisæus in petitione sua nil prius cauit quàm Eliæ manũ, non enim dicit: *Da mihi, vel fac mihi,* sed *fiat in me*; vt fugiens creaturæ manum de Deo possit non solũ integra, sed & duplicata bona sperare. Et quando Dei manus non est largissima in donis præstandis? Ioan. 2. dum nuptiali conuiuio accumbit Iesus, defecit vinum. *Erãt autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorũ, capientes singulæ metretas binas, aut ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua,* &c. Sanè & vasa vini vacuata erant, quæ minora erant; cur Dominus vinum daturus non magis iubet impleri aquis minora illa vasa, quæ pro vino excipiendo aderant? Cur minoribus iis dimissis hydrias illas sex ingentes impleri mandat? Vt Deus ipse erat, qui dabat, sic id ostendi voluit in superabundantia. Aiebat Sedul. lib. 3. Paschali c. 1.

Ioan. 2.

Mensásque per omnes
Dulcia non nato rubuerunt poculo vino.
Impleuit sex ergo lacus hoc nectare Christus,
Quippè ferax, qui vitis erat, virtute colona
Omnia fructificans.

Expende illam feraciſſimæ abundantiæ causam, videlicet: *Quippè ferax, qui vitis erat*: vbi enim vitis erat Christus non poterat, nõ largissimos præbere fructus? Quid est ad Dei manus, quod vas porrigat, nisi & lacus, & cellaria impleat, quibus ditetur mundus? Quò spectans sponsa ait Cant. 1. *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* Non enim est Deus, qui de hominum more poculum vini propinet; sed integram cellam, apothecã integram communicat. Nescit parum dare manus diuina, Dauid Psal. 1. aiebat de iusto homine: *Et erit tanquã lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Hoc præstantissimũ habet homo iustus, quod tempore suo det fructus. At Ezech. cap. 47. aiebat: *Et super torrentem orietur in ripis ex vtraque parte lignum pomiferum, non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius, per singulos menses afferet primitiua, quia aquæ eius de sanctuario egredientur.* Vide quàm differant lignum, & lignum; lignum Dauidis, & lignum Ezechielis. Vtrũque dat fructum, sed Dauidis lignum dat fructum tempore suo, non per totum annum, sed est pars anni, quæ ferat eius fructũ, & est pars sine vllo fructu, & maior est pars sine fructu, quàm cũ fructu. At lignũ Ezechielis per singulos menses affert primitiua, per integrum annum est cum fructu, nescítque in aliquo tempore non præstare fructus abundantissimos. Et vndè tam ferax fructuum istud lignum est? Ait ipse vates: *Quia aquæ eius de sanctuario egredientur,* vbi de sanctuario, in quo principaliter adest diuinitas, viuit, non multum est, quod per integrum annum suos communicet fructus. Nescit enim diuinitas dona partita, vt alibi diximus.

Cant. 1. Psal. 1. Ezec. 47.

§. VII.

In solis bonis spiritualibus æstimanda copia.

MIrabar, quod sola pars gloriæ Moysis detur Iosue, dum ait: *Et dabis ei partem gloriæ tuæ:* quando Elisæus nec tota gloria Eliæ fuit contentus. Sed postulabat duplo maiorem 4. Reg. 5. *Fiat in me duplex spiritus iste tuus.* Et cur Elisæus duplicem petat, quando Iosue non datur tota, sed pars magistri gloriæ? Cur Iosue in parua parte contentus, & Elisæus nõ nisi in duplo maioribus? Quæstionem conficit Galfridus apud Tilmann. *Prudens discipulus Elisæus, qui non nisi spiritũ postulabat.* Res erat cum Moyse de temporali principatus honore, vt docet Abbul. ibi; ideò non miror, quod de temporalibus sufficiat Iosue parua portio. Cum Elia autem agebat Elisæus de spiritualibus bonis, & vt sola spiritualia

4. Reg. 5. Tilm.

ſpiritualia reſpicit,ſic in illis æſtimat copiam. Prudentibus enim viris tantula temporalium debet ſufficere portio,qui in ſolis ſpiritualibus abundare volunt. Hinc
Luc.1. Luc.c.1.dicit: *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ,cui nomen Nazareth.* Erat ciuitas parua hæc,& eſt valde notandũ, quod veniens Deus in mũdum eligat ſibi patriam,& paruam,& ignobilem,cùm potuerit aſſumere Ieroſolymam. Cur Deus, qui tibi cœlum ampliſſimum fabricaſti pro habitaculo, modo eligis adeò paruam habitationem? Sanè diuinæ menti, vt pro æternis non placuit niſi ampliſſimum quodque ſic pro temporalibus paruam æſtimauit portionẽ. Quò
D.Bern. reſpiciẽs D.Ber.ſer.3.in Annunt.ait: *Miraris,quod Nazareth parua ciuitas,& tanti Regis nuntio illuſtretur, & tanto? Sed magnus latet in hac parua ciuitate theſaurus. Nouit cœlum vnigenitus Dei Patris. Sed nouit cœlum, nouit & Nazareth. Cœlum ex Patre, Nazareth ex matre ſibi vendicauit.* Ex patre,inquam, ex quo æterna habebat,non paruum,ſed ampliſſimum, & fere immenſum cœli ſibi vendicauit ſpatium, ex matre autem, ex qua temporalia ſpectabat,non magnum,ſed paruum elegit habitaculum. Implent diuinas mentes de temporalibus parua,de ſpiritualibus autẽ minimè illis niſi copia placet. Sic Dei matrix clamabat. Cant. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Septuag. poſuêre: *Oſculetur me ab oſculis oris ſui.* Vt enim Dei ſpiritum quærebat, qui per oſculum ſanctum communicatur,ſic minimè in vno quieſcit,ſed
Cant.1. D.Ambr plura flagitat. Ait enim D.Amb.lib.1.de Iſaac c.3. *Quæ enim diligit Deum,non eſt vnius oſculi parcitate contenta, ſed plura exigit,plura vendicat. Denique illa in Euangelio ſic probata eſt,quia non ceſſauit,inquit,oſculari pedes meos.* Et quidem nulli ſapienti ſpiritus diuini recipiendi debet placere parcitas,quæ ſi placeat, vix poteſt eſſe niſi
Luc.16. à malo. Nequam ille diues Luc. 16. clamat ad Abrahamum: *Mitte Lazarum,vt intingat extremum digiti ſui in aquam,vt refrigeret linguam meam.* Vide quã paucis de cœleſtibus bonis, contentus ſit malus, & ideò malus, quia ſibi putabat ſufficere vel guttulã vitæ ſpiritualis.
D. Naz. Ex quo fœliciores monebat D. Naz. orat.9.aiens: *Nec cum Lazaro agamus,vt flagrantem noſtram linguam extremo digito refrigeret,ac ne id quidem impetremus.* Non equidem eſt hominis fœlicis,quod tam paucis bonorũ ſpiritualiũ guttulis contentus appareat,de quibus quo maior copia, eo ſalutarior. Sed miſera temporalitatis mancipia eo contenta ſunt, ſi pro ſpiritualibus aquæ benedictæ guttula aſpergatur. Et morti appropinquant,& cætera faſtidiunt, & in hoc ſibi blandiuntur de ſalute,ſi lectum irroret benedicta aqua.

§. VIII.

Quidquid honoris,vel ſubſtantiæ egentibus datur ex Dei charitate non deperditur.

ADhuc viuenti Moyſi mandatur,quod de ſua gloria præſtet Ioſue,ait enim: *Et dabis ei partem gloriæ tuæ.* Cur Deus vis, quod viuente adhuc Moyſe, eius gloria minuatur? Vel cur tu Domine, non magis iſtam partem gloriæ Moyſi aufers,& illam Ioſue tradis? Ele-
Num 11 cturus Dominus alios iudices Numer. 11. aiebat Moyſi: *Auferam de ſpiritu tuo,tradámque eis,vt ſuſtentent tecum populi onus.* Ecce tunc dicit,quod ipſe auferet de Moyſis ſpiritu,& ipſe tradet aliis; at in præſenti, nec ipſe aufert, nec tradit, ſed dicit Moyſi, vt det. Et cur Moyſes det,& non magis Deus? Non ſufficit,quod pars gloriæ Moyſi eripiatur; ſed inſuper additur, quod ipſe illã ſibi auferat,& det aliis propria ſua manu? Abſit, vt Moyſi nec pars gloriæ eripiatur,quin potius vt tota illi integra maneat,petitur ex illo,vt partẽ eius tribuat Ioſue; quidquid enim aut gloriæ,aut honoris, aut ſubſtantiæ datur egenti,minime perditur; ſed totum integrũ manet tribuenti. Quod tibi gloria integra maneat, quam
Ier.7. aliis communicas,oſtendit illud Ierem.c.7.vbi carpens Idololatriam Iudæorum ait *Mulieres conſpergunt adipẽ, vt faciant placentas Reginæ cœli.* Nimirum, vt faciãt placentas Lunæ,iuxta D.Hier.& D.Thom.iuxta quorum ſententiam tam in præſenti,quàm aliàs ſæpe Luna vocatur hoc regio nomine, *Regina cœli.* Et mirandum eſt, quod Sol,qui lucidior longè eſt,nõ dicatur in ſcriptura *Rex cœli*, & ſola Luna hanc adepta ſit appellationẽ. Cur Reginæ appellatio ſic Lunam extollat,quãdo Soli non datur Regis nomen? Sol nullum admittit ad ſui ſplendoris communionem, nulli concedit ſecũ lucere poſſet,& ſic dum ſolus lucet,non poteſt eſſe Rex ſine populo. Luna autem vt dat multis aliis ſyderibus,quod ſecum luceant, ſecúmque appareant in proportionali gloria,tantum abeſt,vt inde ſibi aliquid detrahat,quod potius inde ſibi integrum ſeruet regni honorem. Nũquam enim non cedit in gloriam Principis, quod ipſe aliis cõcedat eſſe in honore. Vnde Iudæis per Anthiochum priuatis regno, & honore ſacerdotij, Romani vtrumq; reſtituerũt, petita ſola tribuit; alicuius penſione. Quod memorans Titus Imperator apud Egeſip.lib. Egeſipp.
5.c.46.ait: *Quid Anthiochi regnũ memorem,qui vos granibus ſupplicus affecit? Ius quoque ipſum ereptũ religionis, nos ipſi vobis refudimus, glorioſius arbitrantes impetrare Regibus,quàm regnum tollere.* Potuerãt Romani Iudæorum regnum ab Antiocho vaſtatum ſibi aſſumere, radentes memoriam Dauidicæ,Zorobabeliſque domus. At id minimè voluerunt,ſed Iudæis regnare ſecũ permiſerunt,quod putabãt pertinere ad integrum Impetij ſui decorem. Tunc enim cum aliis communicatur, manet integra cuique ſua gloria. Quid de ſubſtantia dicam? Ea ſanè talis eſt, quæ ſi egentibus detur, perdi non poſſit. Habes ex Matt.26.vt mulier accipiens ala- Matt.26
baſtrũ vnguenti pretioſi illud effudit ſupra caput Chriſti Domini,qua re cõmoti diſcipuli vno cœperunt dicere ore, *Vt quid perditio hæc? Potuit enim iſtud venundari multo,& dari pauperibus.* Fœlix vnguentum,cuius perditioni reſiſtunt omnes Apoſtoli; nullus eſt in choro Apoſtolico,qui non ſtet pro iſto vnguento, ne perdatur. Sed cur adeò cauetur ab Apoſtolis perditio huius vnguenti? Videbant in illo,vt egentibus communicati poſſet; vnguentum autem quod ex charitate in Deum illis pietatis ſeruit operibus,quæ egenis miniſtrant bona,longiſſimè abeſt à perditione. Ait D.Ber.ſer. 12.in D.Ber.
Cant. *Vidéſne,quam ſit præferendum cæteris iſtud pietatis vnguentum,de quo ſolo permiſſum non eſt perditionem fieri? In tantum de ipſo perditio non fit, vt nec aquæ frigidæ munus irrenumeratum non manet.* Sic quod datur egeno perdi nequit,ſed integrum manet illud tribuenti.

§. IX.

Illud regaliſſimum in Principe eſt,quod ſic vni tribuat, vt nulli alij officiat.

VIde regale documentum datum Moyſi nimirùm: *Dabis ei partem gloriæ tuæ.* Quãdo promouere debebat Ioſue,& honoribus illuſtrare coram populo,hoc illi iniungitur, vt de ſuo honoret; ne aliis eripiat aut gloriam,aut honorem,quem tribuat Ioſue; ſed ipſe de ſua gloria partem illi præbeat non modicam. Quod vt regaliſſimũ eſt,ſic ſuo Imperatori attribuit Plin.in Pa- Plin.
negyr. Traiani,aiens: *Quo circa,nihil magis in tota tua liberalitate laudauerim,quam quod longiarium das de tuo, alimenta de tuo: neque à te liberi ciuium,vt ferarum catuli ſanguine,& cædibus nutriuntur: quodque gratiſſimum eſt accipiẽtibus,ſciunt dari ſibi,quod nemini eſt ereptum.* Hoc præſtantiſſimũ in Principibus eſt,quod de ſuo tribuãt, quod nemini eripiant,quæ alij tradant, quod non neceſſum ſit alium detrudere, vt vnum exaltent: Vt trãſirent Iſraëlitæ diuiſum eſt mare, ait enim Exod. 14. Exod 14.
Cùm extendiſſet Moyſes manus ſuper mare, abſtulit illud Dominus,& vertit in ſiccum,& diuiſa eſt aqua. Et ingreſſi ſunt filij Iſraël per medium ſicci maris. Longè aliter in

Euangelio

Euangelio Ioann.c. 6. *Vident Iesum ambulantem super mare,&c.* Illis scinditur mare,& loco cedit,vt transeãt; Iesu non scinditur mare,non loco cedit elementũ, sed manentibus in suo loco,& natura aquis, ipse super illas ambulat. Sed cur Iesu, vt Israëlitis non scinditur mare? Vel cur Israëlitæ, vt Iesus non ambulant super aquas,? Illi erãt serui,hic verè Dominus,illi subditi,hic Princeps,cuius est,nullum à loco deturbare,vt alij benefaciat. Ait D. Chrysost. hom. 42. in Ioann. *Transierunt duce Moyse mare rubrum Iudæi, sed magna differentia: ille tanquam seruus supplicando, Iesus propria, & absoluta potestate mare transiuit. Illi Austro tunc spirante paruit aqua, & aridam præbuit transeuntibus, Iesum nil a sua natura motum mare vt Dominum admirabilius pertulit.* Expende hæc vltima,nimirùm: *Iesum nil à natura sua motum mare vt Dominum admirabilius pertulit*: quippè hoc maius erat,& mirabilius,& vero Domino dignius; quod vt suis faueret Iesus,sic pergeret,vt nulli damnũ permitteret,nec cogeret loco cedere elementum. Vt seruilis erat status Iudæorum, sic seruiliter,non regaliter agitur cum illis,vt salutem accipiant de rupto mari,de damno fluctuum. Vt autem Dominum, & Regẽ agebat Iesus meus,sic cauit commodum afferre suis de damno alicuius naturæ. Non enim est principis, sed tyranni,de alterius damno procurare honorem alicui. Hinc post Iesum,& duos latrones crucifixos ait Ioann. c. 19. *Iudæi ergo (quoniam Parasceue erat), vt non remanerent in cruce corpora Sabbatho, (erat enim magnus dies ille Sabbathi) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Quale hoc facinus Iudæorum, vt honorarent Sabbathum,dolorum acerbitatem augere contendunt crucifixis? Sanè hæc gratia cum tanto dãno miserorum,à solis Iudæis pessimis, & deploratis tyrannis posset deuenire. Ait D. Cyril. Alexand. lib. 12. in Ioan. c. 38. *Honorant magnum illius Sabbathi diem, qui magnæ diei Dominum crucifixerunt. Itaque gratiam à Pilato impetrarunt sibi solis conuenientem. Crura enim eorũ fregerunt: vt magnitudine doloris, citius morerentur.* Expende illa: *Gratiam à Pilato impetrarunt sibi solis conuenientem*; quippè vt Pilatus Princeps erat, non illi conueniebat gratiam dare pro honore Sabbathi,cum tanto miserorum discrimine: solis equidem Iudæis perfidis,& peccati mancipiis poterat hæc gratia conuenire, vt honor diei præstaretur de Iesu innocentissimi supplicio. Hæc enim gratia facineroſorum est,non principum. Quò spectans Theod. apud Cassiod. 2. var. 17. inquit: *Magnificentiam nostram nulli volumus extare damnosam, ne quod alteri tribuimus, alterius dispendiis applicetur.* Sic etiam decernunt Principes,l. 40. ff. de admit. & peric. vbi aiunt: *Nec in cuiusquam iniuriam beneficia tribuere moris nostri est.* Vt merito querantur Auernorũ populi apud Sidon. Apollinar. lib. 7. epist. 7. *Facta est seruitus nostra pretium securitatis alienæ*: quasi hanc iustam haberent de suis Principibus querelam, quod eorum damno commoda aliis deferrent.

Chrysost.

Theod.

Sid. Apl.

CAPVT XXXII.

Madianitarum castigatio.

Textus Historia.

Naugurati Principis Iosue virtutes ardentiùs colerentur à popularibus, si in eius recenti purpura properantem Moysis discessum non cogitarent. Interea venit Dei imperium ad Moysem, vt lectis iuuenibus extrema, Madianitarum ruina adoriatur, qua miseri luant pœnas de præmisso Israëlitis scandalo. Nec mora, quot tribus, tot lectissimorum virorum millia virtute,& armis præstantia prosiliunt in certamen. Aderat illis Phinees pro instituendis in exercitu sacris, sed dux erat Iosue, cuius nota virtus, dum aget inter priuatos, properabat specimen præbere principatus. Vicisse fuit prima congressio pugnantium; trucidatísque Madianitis viris, spoliatis vrbibus, captiuatis fœminis,& glorioſam, & diuitem victoriam reportarunt. Quinque Reges perhibentur occisi, & veneficus Balaam, quem sua consilia traxerunt in Israëlitarum gladios, vt in eorum scandala traxerant. Vnum fuit in tanto triumpho, quod paulisper moueret Moysis animum; videbat enim fœminas ereptas morti, quæ tot suorum animas iugulauerant. In has iubet denuo armari milites, qui solis virginibus parcant, ne assuetæ viris fœminæ nouam inurant Israëlitis maculam. Ventum est ad diuitias prædæ, quæ populosissimam nationem distributæ ditarunt. Sed illud inter duces cantatissimum splenduit facinus, qui mirati victoriam sine vllo suorum partam sanguine, quidquid auri prædari potuerunt, id totum destinarunt sanctuario.

PARS VNICA.

Moralis circa textus litteram.

VT ingentes diuitias Israël rapuit de ruina Madianitarum, sic nos indè etiam spiritualibus bonis virtutum curemus ditari.

Num. 31. Locutúsque est Dominus ad Moysem, dicens: Vlciscere prius filios Israël de Madianitis,& sic colligeris ad populum tuum. Statímque Moyses: Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui possint vltionem Domini expetere de Madianitis. Mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israël, qui mittantur ad bellũ.

§. I.

E mundialibus, nil tam cordi debet esse Principi morituro, quam publica officia.

DVo mandantur morituro Moysi; primum vidimus capite præcedenti, nimirùm vt Iosue eligeret in Principem, Iosue, inquam, qui à Ioseph genus ducit, vt quam gratiam per illum patriarcham receperat Israël in Ægypto, referret eius nepoti, dum illi principatum adscribit, vt notat ibi noster Salianus. Secundum mandatur in præsenti, vt Madianitarum ausus in populum castiget. Ait enim: *Vlciscere prius filios Israël de Madianitis, & sic colligeris ad populum tuum.* Hæc sola cura mandatur morituro Principi, quæ sit in gratia habenda beneficis, & in castigandis maleuolis Reipublicæ. Cur non magis morituro mandatur filiorum, cognatorúmque cura? Vt filiis, nepotibus, cognatísque diligenter prospiciat? Sanè Principibus morituris non alia debet interseri cura, quàm ea, quæ spectat publica officia. Hinc D. Ambr. extollebat Theodosium suum, cuius in testamento nulla filiorum memoria, sed tantum disponebantur, quæ prodessent Reipublicæ. Ait enim orat. de eius obitu: *Glorioſius quoque in eo Theodoſius, qui non communi iure testatus est. De filiis enim nihil habebat nouum, quod conderet, quibus totum dederat. De subditis sibi, & cõmissis testari debuit, vt legata dimitteret, fideicommissa signaret*, &c. Commune testamentorum ius sic disponitur, vt parentes præcipuè attendant filiis,& cognatis,& omnia disponant in primis, quæ circa hos sunt. Non sic testamentũ suũ condidit magn. Theodosius, quin glorioſius quid,& Principe morituro dignius effecit, nihil pro filiis habuit, quod conderet, nullã illorum in testamento habuit curam; totum testamentum, vt erat morituri principis signum, sic ordinauit ad publica officia, testatus quæ debebat Reipublicæ. Huc affero etiam Dauidem Regem, de quo ait 3. Reg. 2. *Appropinquauerunt dies Dauid,* 3. Reg. 2.

D. Amb.

vt

vt moreretur, præcepitque Salomoni filio suo, dicens, &c. Audis Dauidem morti propinquum præcipientem Salomoni Regi futuro. Et quæ illi Dauid moriens præcipiat? Multos relinquebat Dauid filios, & filias, & cognatos multos, & vxores multas forsan pro illis solicitus, quæ tot filiis, & vxoribus essent commoda disponebat. Nónne hoc curant moribũdi Patresfamilias? Dauid autem moriturus hæc mandat: *Tu quoque nosti, quæ fecerit mihi Ioab filius Seruiæ, quæ fecerit duobus Principibus exercitus Israël. Abner filio Ner, & Amasæ filio Iether, quos occidit*, &c. *Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces caniciem eius pacificè ad inferos. Sed & filiis Bercellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua: occurrerunt enim mihi quando fugiebam à facie Absalon fratris tui. Habes quoque apud te Semei.* &c. *deduces canos eius cum sanguine ad inferos. Dormiuit igitur Dauid cum patribus suis*, &c. Ecce tibi, Regi habenti filios plurimos, habenti vxores, habenti cognatos, quæ fuerit extrema cura; non equidem filios meminit, non vxores; hoc satagit vt gratiæ referantur probis subditis vt supplicia reddantur malignis. Sic bono Principi morituro nil tam erat cordi, quàm publicum officium. Vt dicat Iosephus lib. 7. cap. 12. *His mandatis filio de Republica, & amicis, & eis, quos punitos volebat, expirauit exactis Septuaginta annis.* Nulla cura moribundo fuit de filiis, aut vxoribus, hæc sola tunc mandabat, quæ circa Rempublicam erant, in remunerandis bonis, & malis castigandis. In hac sola cura bonus Rex animam exhalauit.

Ioseph. 7.

§. II.

Exuat primo sibi scelera, qui in aliis ea castigare velit.

TAndem aliquando Dominus vocat Israëlitas, vt castigent Madianitas pro filiarum prostitutione, qua Israëlem in idololatriam traxerunt. Ait enim Dominus: *Vlciscere prius filios Israël de Madianitis.* Sed cur vltio hæc non supra fuit, cum primum Madianitæ facinus peregerunt? Sanè tunc qui ex Israëlitis peccarunt, statim pœnas dederunt, dicente Moyse Num. 25. *Occidat vnusquisque proximos suos.* Cur & statim non etiam indicitur Madianitis bellum, & mors illis infertur? Cur necessum fuit magis expectare occasionem in iis perimendis? Sapienter dilata est Madianitarum vltio, donec prius vltores à peccatis expiarentur. Cum enim Israëlitæ in peccato, & scelere essent, prius ipsi castigari, & mundari debuerunt; vt sic mundati ad vindictam procederent, quo certius Madianitas prosternerent. Habes Iud. cap. 20. vt Israëlitæ procedunt in campo vindicaturi nefarissimum scelus Gabaanitarũ, quo vxorem Leuitæ cuiusdam strupauerant. Semel & bis manus conserunt, & in nullo pessimos scortatores lædunt, quin ipsi vehementissimè læduntur. Tandem iterum procedunt in aciem: *Ingrauatúmque est bellum contra filios Beniamin: & non intellexerunt, quod ex omni parte illis instaret interitus. Percussitque eos Dominus in conspectu filiorum Israël*, &c. Ecce tibi vsque ad tertium congressum differt Dominus auxilium suum, quo Israëlitæ nefarissimos scortatores perdant. Et cur non magis in primo congressu fauet Dominus vltoribus tanti sceleris? Erant ipsi vltores in eodem, aut simili scelere, quare expectatum est, vt ipsi purgarentur, & mundarentur prius, & vt ipsi purgati sunt, statim cum omni prosperitate alios castigauerunt. Ait D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 82. *Qui peiores actiones habebant, ac multo grauiores ea, qua tunc contigerat, tanquam insontes ad Beniamitarum fratrum cædem communi animorum consensu ascenderant. Quamobrem adulteri, quoniam adulterium minime committendum esse prædicabant, rebus ipsi convicti, ipsi quidem meritam pœnam in bello pependerunt: qui autem scortationis criminibus minime affines erant, quod nullum eiusmodi in se idolum haberent, præclaram victoriam adepti sunt.* Prius equidem eliminandi erant à populo Israëlitico, qui similibus inficiebantur sceleribus, & sic mundatus populus cum tandem ad vindictam processit, victoriã de sceleratis est adeptus. Immature enim alios castigare prætendit, qui prius in se non tollit eadem scelera. Phariszis adducentibus mulierem in adulterio deprehensam aiebat Dominus Ioan. 8. *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*: in tantum differens adulteræ supplicium, in quantum appareret vltor, qui sine peccato esset. Quò circa D. Aug. tract. 33. in Ioan. ait: *Hac vox iustitiæ est, puniatur peccatrix, sed non à peccatoribus, impleatur lex, sed non à præuaricatoribus legis.* Mauult equidem Deus, vt vindicta sceleratorum suspendatur, donec vindices sese mundent à sceleribus. Proinde ad primam huius fœminæ accusationem Ioan. 8. Dominus *inclinans se deorsum digito scribebat in terra.* Et quid scribebat in terra? Scribebat Phariszorum peccata, quæ ipsi legentes deterrerentur à vindicta sumenda, & confusi prius illa in se castigare intenderent. Ait D. Cyril. Alex. lib. 5. in Ioan. c. 16. *Non desunt, qui affirment hac secunda inclinatione notas quasdã terræ inscripsisse, quibus quisque accusantium sua oculis coram conspiciebat peccata, & menti obiecta cernebat. Vnde rubore suffusi, & pudore affecti, facile cognoscebant, se non peccati immunem vitam agere, & ad discendum potius, quã ad acrius inquirendum ex hoc incitatos esse.* Sic vltores iniquitatũ cõpellebantur à Deo prius sua delicta videre, & corrigere, quam ad aliorũ castigationẽ procedere.

Num. 25

Iud 20.

D. Isidor.

Ioan. 8.

D. Aug.

D. Cyril.

§. III.

Non multitudo in militibus, sed animi virtus spectanda est.

PEtit Moyses deligi milites, qui possint totam Madianitarum regionem expugnare, & simul designat eorum numerũ, qui sint mille ex singulis tribubus. Ait enim: *Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui possint vltionem Domini expetere de Madianitis. Mille viri de singulis tribubus*; &c. Et quando eos petit, qui possint expugnare Madian, cur tantum mille designat de singulis tribubus? Erat Madian regio quinque potentissimis regibus distributa, plena bellatoribus viris; ad quam expugnandam multum erat, si totus quantus erat populus Israël sufficeret. Cur ergo Moyses totum populum non armat? Cur contentus est adeò paucis? Et iam in hoc Imperatorem sapientissimum Moyses agit, de quo ait Philo lib. de Fortitudine: *Cùm habetur delectus militum non oportet vniuersam iuuentutem euocari, sed sit exemptio ob causas immunitatis idoneas.* Non equidem indiscriminatim vniuersa multitudo vocanda est ad bellum; præclari enim Imperatores hoc sibi pro certo habent non esse rem victoriæ in multitudine, sed in virtute animi. Quàm sæpe vel vnius militis virtus de innumeris copiis triumphauit? Rem testatam facit vnus Eleazarus 1. Machab. 6. qui exercitum Antiochi Regis prope infinitum, & potentissimum elephantis turritis, & armatis, minime veritus eminentiorem elephantum aggressus; *Et iuit sub pedes elephantis, & supposuit se ei, & occidit eum: & cecidit in terram super ipsum, & mortuus est illic.* Quid tunc? Totus ille infinitus exercitus sic obstupuit vnius hominis animum, vt nollet iam pugnare, sed peteret pacem. Pulchrè ibi D. Ambr. lib. 1. officior. cap. 4. *Quanta ista virtus animi? Primò, vt mortem non timeret, deinde vt circumfusus legionibus inimicorum in confertos raperetur hostes, medium penetraret agmen & contempta morte ferocior, abiecto clypeo vtraque manu vulneraret molem bestiæ subiret, ac sustineret, post ipsam succederet, quo pleniore ferret ictu: cuius ruina inclusus magis, quam oppressus suo est sepultus triumpho. Nec fefellit opinio virum, quamuis regius fefellerit habitus. Tanto enim virtutis spectaculo defixi hostes inermem, occupatum incursare non ausi, post casum ruentis belli sic trepidauere vt impares se omnes vnius virtuti arbitrarentur.* Ecce tibi ingentem

Philo.

1. Mac. 6

D. Amb.

ingentem exercitum multis elephantum, turribus armatum, nihilominus pauentem vnius militis animi fortitudine ſpectata. Et qui forte videntes pares numero exercitus aggrederentur, vnum ſolũ tanta virtute munitum ſpectantes, & iam defunctum aſpicientes pacem rogabant. Semper autem res belli circa paucos ſtrenuos verſatur. Vt dicat Titus maximus Imperator apud Egeſippum lib. 3. cap. 24. *Egeſipp.* *Non tam numerus plurium conficit pugnam, quàm virtus paucorum. Multitudo enim diſciplinæ inſolens ipſa ſibi eſt impedimento in proſperis ad victoriam, in aduerſis ad fugam. Virtus vero patiens, & in ſecundis valeſcit, nec vſque ad finem labitur in aduerſis. Maiores noſtri magnas hoſtium copias parua manu frequentes fuderunt.* Hæc Titus de Romano exercitu dicit, id quod & in Iſraëlitica Republica fuit euidentiſſimũ, quorum ſæpe pauci ingentes fuderunt hoſtium turmas. Necnon & in Hiſpana politia, imò in omni regno, in quo aliqui magna animi fortitudine præditi cõuenerunt, ij licet pauci glorioſos obtinuerunt triumphos.

§. IV.

Præſtantes Gubernatores vel ipſam vitam debent poſtponere commodis Reipublicæ.

AVdit Moyſes poſt bellum illatum Madianitis ſe moriturum, & nilominùs feſtinat bellum inferre: Quippè ait textus: *Statimque Moyſes: Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam*, &c. Expende illud: *Statim*, nimirùm poſt auditam mortem ſuam finito bello euenturam, non moratur, non cunctatur, ſed ſtatim feſtinat exercitum producere. Id quod extollens Abbul. *Abbul.* ait: *Immediatè poſt præceptum Domini Moyſes diſpoſuit viros ad bellum. In quo apparet perfectio maxima paſtoris, magis enim populi ſalutem, quam propriam diligebat. Quia mors ſua dilatabatur vſque ad conſummationem belli: ſi autem ſalutem ſuam nimis dilexiſſet, dilataſſet illam pugnam, vt diutius viueret.* Erat in eius poteſtate dilatare vitam ſuam, dum dilataretur belli diſpoſitio, & Iſraëlitarum triũphus reportandus ex Madianitis. Quid tunc faceret ſtrenuus populi dux? Legi ſæpe apud ineptos illos homines, qui totam ſtatus rationem, ſiue, (vt melius loquar) aſtutiã in eo conſtituunt, quod quis ſua temporalia commoda cæteris omnibus virtutibus præficiat; laudatos duces, qui vt diutius dignitatibus pollerent, gratóque principum vterentur vultu, certamina lentabant, victorias ipſas differebant, imò ſic temperabant illas, ne vnquam bellorum eſſet finis. Hæc aſtutia eſt mercenariorum, viliúmque hominum; non eſt ratio optimi paſtoris, optimi ducis, qui commoda temporalia ſua, imò, & vitam ſuam debet poſtponere & Reipublicæ, & virtuti. Is erat Moyſes regaliſſimus Princeps, non inſtar mercenarij medici propter magis lucellum acquirendum dilatantis curationem infirmi; ſed etiam cum diſpendio vitæ feſtinabat commoda populi ſibi cõmiſſi. Ingens Philiſtinorum exercitus venit contra Iſraëlẽ 1. *1. Reg. 28.* Reg. 28. quem videns Saul in maximam incidit ſollicitudinem, conſulit Samuelem defunctum, à quo audit, ſe poſtera die manibus hoſtiũ interficiendũ, ait enim: *Dabit Dominus etiam Iſraël tecũ in manus Philiſtiim: cras autem tu, & filij tui mecum eritis.* Hæc audit Saul cũ ſuis ſatellitibus, *qui cùm comediſſent ſurrexerũt, & ambulauerunt per totam noctem illam*, videlicet vt in locum certaminis deuenirent. Audit ſe moriturum in certamine, & ſic feſtinat illò ire, vt non expectet, quod illuceſcat dies, ſed media intempeſta nocte iter arripiat. Cur non magis moratur in loco ſecuro, & minimè peruio hoſtibus? Quantum ibi morarũ necteret, tantũ vitæ differret ſuæ, ſed bonus in eo Princeps maluit adeſſe populi periculis, quam ſuæ vitæ proſpicere; & ſe, ſuáque cõmoda poſtpoſuit vtilitati Reipublicæ. Id quod in eo extollit *Ioſep. 6.* Ioſephus lib. 6. cap. 15. aiens: *Saul licet de obitu ſuo præmonitus à propheta, noluit tamen eum vitare, & ob vitæ cupiditatem exercitum hoſti prodere, atque hoc modo regiam meieſtatem dehoneſtare: ſed cum liberis, totaque familia periculoſe obiiciens, pulchrum exiſtimauit in prælio pro ſuditis pugnando cadere*, &c. Maximè dehoneſtaretur, & turpatetur regalis animus, ſi vitæ ſuæ amore pauliſper tardaret adeſſe ſuis pugnantibus, quorum vtilitatem præponi etiam vitæ pulcherrimum facinus eſt, & dignum regalibus animis. Sic etiam de Valentiniano Imperatore ait D. Ambroſ. orat. in eius funere: *D. Amb.* *Cum audiret Alpes Italiæ hoſte Barbaro infeſtari, maluit periclitari ſe, ſi Gallias derelinqueret, quam noſtro deeſſe periculo. Magnum diſcrimen agnoſcimus Imperatoris, quod Romano ſubuenire voluit imperio. Hæc cauſa mortis, quæ plena laudis.* Et ſecurus, & quietus erat Valentinianus in Gallia, cum audit Italiæ aditum ab hoſtibus infeſtari. feſtinat illò ire, vbi mors expectabat, ſed maluit ipſe periclitari, quàm ſuorum deeſſe periculis, in quo etſi mortem inuenit, acquiſiuit æternam laudem, quæ Principes conſequitur poſtponentes vitam ſuorum vtilitati.

§. V.

Præſantiſſimum eſt pro Dei amore in periculis, pugniſque huius vitæ morari velle.

VIdeo Moyſem feſtinantem imponere finem bello laboris ſui vltimo, poſt quod relicta peregrinatione euolet ad populum ſuum dilectiſſimum. Sic ait: *Vlciſcere prius filios Iſraël de Madianitis, & ſic colligeris ad populum tuum. Statimque Moyſes: Armate, inquit, ex vobis viros*, &c. Vt audit finiendam peregrinationem poſt bellum, ſibique eundum ad populum ſuum dilectum, ſtatim nulla interpoſita mora feſtinat bellum finire. Sed iuuat huic tam præſtanti affectui Moyſis opponere alium affectum D. Martin. Turonienſis Epiſcopi, imò alium D. Ignatij parentis mei dulciſſimi. Aiebat enim Martinus cum iam iam in exoptatã patriam eſſet euolaturus: *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem.* Aiebat Ignatius ſe æternam beatitudinem poſthabiturum periculis huius vitæ, ſi in iis aliquod magnũ obſequium Deo præſtare potuiſſet. Cõpone modo horum facinus cum Moyſis facinore? hic feſtinabat certamen abſoluere, vt in requiem iret, illi autem requiem differebant, vt immorarẽtur periculis. Vter præſtantius agit? Rem pro Martino ſic abſoluit D. Ber. ſer. de illo: *O vere ſanctiſſimam, ô inæſtimabilem charitatem, ô obedientiam ſingularem! Bonum certamen certaſti, curſum conſummaſti, de reliquo ſupereſt tibi corona iuſtitiæ, & adhuc dicis. Non recuſo laborẽ. Optuliſti plane Iſaac; vnicum illum, quem diligis, quod in te eſt, iugulaſti: immolaſti ſingulare gaudium tuum paratus redire iterum in pericula, renouare certamina, prolongare tentationem, atque in huius mortalitatis iniurias ab ipſo gloriæ introitu reuocari, poſtremo, (quòd maximum eſt) a Chriſto tuo peregrinari diutius, ſi modo ipſe voluiſſet.* Hoc autem præſtantiſſimum facinus in Moyſe non legitur, inuenitur autem in populo Chriſtiano, in Martino, Ignatio, & aliis. Et quid mirum quod in Moyſe non inueniatur, quod vix, & ægre inueniretur in Angelis? Raphaël Angelus dum cum Tobia viatorem agit, ait cap. 12 *Cùm eſſem vobiſcum, per voluntatem Dei eram*, &c. *videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere, ſed ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor.* Cibum inuiſibilem vocat ipſum Deum clarè viſum, quo fruebatur, à cuius ſuperſubſtantiali menſa non ſeparabatur, etiam cum in terris cum Tobia peregrinationem faceret. Ecce tibi inuentus Angelus eſt, qui hominis fiat latero, illíque conuiuat peregrinanti; at qui interea abſtineat à menſa illa cœleſti, nondũ inuentus fuit aliquis. Ex quo D. Ber. ſuprà. *Tob. 12.* *D. Mart.* *D. Ignat.* *D. Ber.* ait: *Magna quidem obedientia veſtra Angeli ſancti, ſed quod*

quod dicere audeam pace vestra, nescio an inueniatur in vobis quisque paratus in tale obsequium aliquando mitti, in quo necesse habeat non videre faciem patris. Ecce tibi Bernardus nescit tantam esse Angelorum virtutẽ, quæ parata sit Deo aliquandiu carere, vt hominibus benefaciat, & hæc virtus sine dubio inuenitur in Martino, &
Paul. 1. Ignatio. Huc spectans Paul. 1. ad Philip. ait: *Coarctor autem è duobus, desideriũ habens dissolui, & esse cum Christo multo magis melius; permanere autem in carne, necessarium propter vos.* In ancipite erat Paulus, an vellet abire ad Christum, an vellet manere cum hominibus; illud sibi dulcius, hoc hominibus magis necessarium, & ex iis quod eligat, ignorat. Non hæsitat Ignatius, non hæsitat Martinus in electione, vt incũbat necessitati proximo-
D. Bern. rum. Pro quo D. Bern. suprà inquit: *Paratum cor tuum Martine, paratum cor tuum, siue manere in corpore, siue dissolui, & esse cum Christo. Et magna quidem in horrenda morte securitas, magna in visione Christi singulariter desideranda perfectio reperitur: sed id quidem longè amplius, quod qui mori non metuis, imò qui tanto desiderio præsentiam Domini concupiscis, viuere quoque non renuis, & expectatione molestissima fatigari.* Hoc magnum, hoc præstantissimum facinus descendẽs etiam ab amore Christi, quòd ament aliquandiu carere illo, vt illi in huius vitæ periculis aliquod obsequium exhibeant.

Num. 31. Dederúntque millenos de singulis tribubus, id est, duodecim millia expeditorum ad pugnam, quos misit Moyses cum Phinees filio Eleazari Sacerdotis, vasáque sancta, & tubas ad clangendum tradidit ei.

§. VI.

Ille Dei pugnas fœliciter peragit, qui non partito corde graditur cum Deo, & mundo

VBi noster posuit: *Dederúntque millenos*, &c. legit Oleaster; *Traditi sunt ex millibus*, & Hebraicè est verbum, *Masar*, quod vt ipse Oleaster notat ex Rabbi Dauid, est tradere se toto corde, & ponere seipsum in potestate alterius, vt innuant quam ex toto animo & corde ij milites se dederint militiæ contra Madianitas. Et quidẽ illi sub Dei signis fœliciter dimicant, qui nõ partito corde, sed animo, & corpore integro descen-
Deut. 20 dunt in pugnam. Hinc iubet Dominus Deut. 20. *Appropinquante iam prælio, stabit Sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum*, &c. *Duces quoque per singulas turmas audiente exercitu proclamabunt: Quis est homo, qui ædificauit domũ nouam, & non dedicauit eam? Vadat, & reuertatur. Quis est homo, qui plantauit vineam, & nec dum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat? Vadat, & reuertatur*, &c. *Quis est homo, qui despondit vxorẽ, & non accepit eam? Vadat, & reuertatur.* Sic omnes isti excluduntur, vt minimè apti, qui possint fœliciter agere in bellis Domini. Et cur, qui domum ædificauit, nec habitauit, & qui vineam plantauit, nec comedit ex ea, & qui sponsam duxit, nec eam accepit, excludi debẽt, ne in bellis Dei sint? Nam fieri nequit, vt hi non maneant mente in rebus illis, quas tanto labore quæsierunt, nec dum illis potiti fuerunt, & ita solũ dimidiatè
Philo. in bellum procedant. Ait Philo lib. de Fortitud. post numeratos hos exclusos: *Altera exclusionis causa, nec præsentes corpore in exercitu absint animo. Necesse enim est mentem illo tendere, quo desiderio trahitur. Nam quemadmodum esurientes ad conspectum cibum accurrunt, vt auiditatẽ expleant, ad eum modum, qui legitimam vxorẽ, aut domum, aut prædium parauerunt sibi, ægrè ferunt speratum fructum sibi intercipi; vt quãuis versentur inter socios, meliore tamen sui parte absint animo, quo solo rès fortiter geritur. Hos igitur in delectu militum prætereundos legislator existimat, & asciscendos alios integros*, &c. Et meritò integros vocat illos, qui & simul corpore, & animo in Dei certamina veniunt. Qui enim absunt animo, licèt præsentes corpore sint, non integri, sed semihomines censentur, qui nequeant rem aliquam fortiter gerere. Quò spectans 1. Machab. 2. explicans milites congregatos à Machabæis ait: *Tunc congregata est ad eos Synagoga Assidæorum fortis viribus ex Israël, omnis volũtarius in lege.* Quid est: *Omnis voluntarius in lege?* Nimirũ omnis, qui ex animo, & corde sub signis militabat legis, vt integer corpore, & spiritu pugnaret pro tuẽda lege. Vnde D. Chrysost. in Ps. 43. loquens de electione militum facta per Machabæos, ait: *Collegerunt quotquot inuenerunt adhuc sanos, & integros, & multos etiam, qui laborabant, & corrupti erant, in statum pristinum redegerunt, eis persuadentes redire ad leges patrias.* Expende illud *integros*, loquitur enim de iis, qui minimè mente corrupti erant, sed & mentis, & corporis integritatem Deo seruabant, vt enim corpore, sic mẽte & animo aderant pro Deo, & lege. Alioquin in exercitu Dei nõ admitterentur, si animo sæcularibus dato, corpore solo adessent. Hinc monebat Paul. 1. Thess. 5. inquiens: *Ipse enim Deus pacis sanctificet vos per omnia: vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.* Seruetur, inquam, integer spiritus, nec se partiatur cum mundo, & Deo, qui amat inueniri proximus Deo. Id, quod cupiens sponsa Cant. 3. aiebat: *Tenui eum, nec dimittam, donec introducã illum in domum matris meæ, & in cubiculũ genitricis meæ.* Cur in cubiculum? Nónne & sufficeret, si vel in agris habuerit illum? Fugit sponsa agros, fugit foris esse, ne cogatur animum cum sæcularibus partiri, sed se sponso integram sistat: Gilliber. Abb. serm. 11. in Cant. inquit: *Nouit illa dilectum suum non posse foris securè possideri, nec integrè quidem. Et quàm durum est amanti animum dimidiare cum Christo, & mundo? Quam durum est, inquam, in dilectionis iura peregrinas admittere curas, & cœleste secretum sæcularibus infestare turbellis?* Equidem qui Christum diligit, hoc sibi æstimat durissimum, si cogatur partiri animum cum mundo, & Christo.

1. Mac. 2.

Chrysost.

1. Thes. 5

Cant. 3.

Gil Abb.

§. VII.

Non sic in militari potentia, vt in Dei auxilio fidat, qui vincere cupit.

TRibus Israëlitæ dederunt millenos milites ad pugnam, quibus Moyses, & Sacerdotem, & sacra vasa tribuit. Dicit enim: *Quos misit Moyses cum Phinees filio Eleazari Sacerdotis, vasáque sancta*, &c. Ecce quibus armis muniat bonus Princeps suos milites, nimirùm vasis sacris, sacrísque tubis. Et quidem milites pauci erant ad expugnandam regionem quinque Regũ, non enim excedebant duodecim millium numerum, & inde pluribus armis egebant. Quando ergo Princeps tam paucos eligit milites, cur non magis curat de armorũ munimine? Cur non faciens mentionem de armis, totus est in eo, quod & Sacerdotes, & vasa sacra secum accipiant? Docebat clarè fortunas Principum non tam consistere in multitudine militum, quàm in solicitando diuino auxilio. Nunquam enim nõ vitio vertitur Principi, quòd nimis fidat exercitus multitudini; & virtuti. Dauid 2. Reg. 24. iussit numerari suos milites, & vix
2 Reg 24 accepit ingentem eorum summam, & ecce tibi diuinum supplicium; *Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua; aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequentur: aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua.* Nullum horum non erat ingẽs supplicium pro numeratione populi, & militum. Sed qualis fuit Dauidis error in numerandis militibus? Ait Victor Cartanensis, qui inter D. Ambr. opera circunfertur lib. de
D Amb. Pœnit. c. 9. *Dauid populum numerare mandauerat, & voluerat nosse cuncti exercitus quantitatem. Obsecundatũ est volũtati regali, & renũtiata est totius agminis dinumerata collectio, atque inclytè cœpit scire, quod nocuit: fœlicitatem suam popularibus extulit incrementis, & lucra multiplicari*

exercitus inter principalia gaudia numerauit. Ecce tibi Regis culpam,cui aut fames, aut infauſta bella,aut peſtilentia mandatur, nimirùm:*Lucra multiplicati exercitus inter præcipua gaudia numerauit*; & inſuper illud: *Fœlicitatem ſuam popularibus extulit incrementis.* Diſcãt Principes fœlicitatem ſuam non in multiplici exercitu, nec in multitudine populi conſtituere, ſed in Dei auxilio, de cuius ſolo fauore venit, quòd Principes triumphent.Fœlix ille Princeps erit, qui potius Deum, quàm exercitus potentiam proſpiciat.Cantatiſſimus ille Ezechias 4. Reg. 19. potentiſſimo Babyloniorum exercitu cinctus erat,aduersùs quem quot armauit milites?Ait textus ibi: *Quæ cùm audiſſet Ezechias Rex,ſcidit veſtimenta ſua,& opertus eſt ſacco.Ingreſſúſque eſt domum Domini,& miſit Eliacim præpoſitum domus*, &c.*ad Iſaiam*,&c.Mirabar, quòd Rex tanto exercitu cinctus, & penè expugnandus,non militũ phalangas conuocet, non inſtruat duces,non de armis agat, ſed in templum ſe recipiat, ibi cum Sacerdotibus agat, & vocet Prophetam Iſaiam.Cur nõ magis vocat armatos duces?An non illi erant exercitus? Ait Nazianz.orat.4.*Hæc Ezechias ille,magna alioquin potentia cinctus,ille, inquam,Rex magnæ Ieruſalem, qui ſuiſmet quoque fortaſſe viribus hoſtẽ propulſaſſet,ac propuliſſet.* Erat equidem Ezechiæ exercitus validiſſimus,plenus militibus,plenus ducibus,qui hoſtem propulſaſſent.Sed erat illi maior in Deum pietas,qua non tã fidebat multitudini exercitus, quã Dei auxilio;ideò promptior ad Sacerdotes, & ad ſacra aduolat,quàm ad duces armatos, & ſibi clariſſimã victoriam acquiſiuit. Hinc maximo Imperatori Conſtãtino mater Helena clauum Crucis dominicæ miſit, quo armatus in prælium iret. Ex quo D. Ambr. orat.in obitu Theodoſij,ait:*Beatus Conſtantinus tali pareme, quæ imperanti filio diuini muneris quaſiuit auxilium, quo inter prælia quoque tutus aſſiſteret, & periculum non timeret. Magna fœmina,quæ multo amplius inuenit,quod Imperatori conferret,quam quod ab Imperatore acciperet.* Imperatori quidem nil maius conferri potuit, quàm vas ſacrum,cui annexum erat diuinum auxilium.

4. Reg 19

Nazian.

D. Amb.

*Num.*31. Cúmque pugnaſſent contra Madianitas, atque viciſſent, omnes mares occiderunt, & Reges eorum Eui, & Recem, & Sur,& Hur,& Rebe,quinque Principes gentis;Balaam quoq; filium Beor interfecerunt gladio: Ceperúntque mulieres eorum, & paruulos, omniáque pecora, & cunctam ſupellectilem: quidquid habere potuerant depopulati ſunt,&c.

§. VIII.

Hoc eſt ſignum fœlicis Principis, quod peſſimi conſiliarij apud eos non euadant ſupplicium.

Num.22 ACcitus fuerat Balaam à Rege Moab, vt Iſraëli maledíceret Num.22.à quo tandem diſceſſit; & in præſenti inuenitur cum Regibus Madianitarũ veniſſe,cum quibus ſimul occubuit.Sic enim ait:*Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio.*Sed qui vocatus à Balac Moabita,imò muneratus ab eo,noluit permanere cum illo,ſed abiuit in domum ſuam,quomodo cum Madianitis Regibus inuenitur ? Sanè author peſſimi conſilij,non miror,quòd inueniatur cum Regibus perituris ; is enim non poteſt viuere ſine ſupplicio apud Regem,qui reſeruatur ad vitam. Quò ſpectabat ipſius Balaami dictũ ad Regem Moabitam, cùm enim iuxta eius Imperium Iſraëli maledicere non poſſet, ait illi Num.25 Num.25.*Pergens ad populum meum dabo tibi conſilium, quid populus tuus faciat populo huic.* Ecce tibi quando promittat à ſe dandum Regi conſilium,nimirũ quãdo ab aula diſcedat,& pergat ad populũ ſuum.*Pergõ* (ait) *ad populum meum dabo tibi conſilium.*Cur nõ magis ſtatim dat illud,cùm Regi præſens eſt?Cur expectat profectionis tempus,vt ſuum cõſilium præbeat? Aſtutiſſimus homo,vaferrimúſque,vt mouit cõſilij ſui malitiã, non audet conſilium tale dare Regi,dũ in aula cõmoratur ipſe;ſciẽs apud Regem, qui reſeruatur ad vitam, non poſſe eſſe malum conſiliarium ſine ingenti ſupplicio,ideò expectat profectionis tẽpus,per ſolam diſceſſionem à Rege peſſimi cõſilij impunitatem nanciſcẽs. Et apud quem fœlicem Regẽ non dent pœnas authores mali conſilij? Aſſuero Perſarum Regi conſilium dedit Aman de perdendo Iudæorum populo, vt augeret inde regias diuitias. Quid tunc? Non diu poſt pœnas dedit dari conſilij ſuſpenſus per Regis imperiũ in patibulo Æſther c.7. *Suſpenſus eſt itaque Aman in patibulo.*Quæ circa D.Amb.lib.3.Offic.c.15.inquit:*Ipſe quoque Rex Perſarum ferox,atque tumido corde,tamen decorum iudicauit indici inſidiarum gratiam repræſentare, populúmque liberum à ſeruitute eripere,nec parcere neci eius, qui tam indecora ſuaſiſſet. Denique quem ſecundum à ſe,ac præcipuum inter omnes amicos haberet,cruci tradidit,quod dehoneſtatum ſe eius fraudulentis conſiliis animaduertiſſet.* Animaduertit Rex bonus gloriæ ſuæ inuſtam maculam fraudulentis conſiliis, & in conſiliarium commotus & ſi amicum, etſi inter familiares præcipuum non dubitauit illum cruci ſuffigere. Hoc expectent munus mali conſiliarij apud fœlices Principes:apud infœlices,cum illis ſimul peribunt, apud fœlices autem, perſpicientur tandem mala conſilia, & miſerè damnabuntur.

Æſth 7. D. Amb.

§. IX.

Ille de luxuria triumphat, qui cunctos carnis ſenſus mortificat.

ECce vobis qua ad triumphum procedant,qui luxuriam Madianitidum vindicant; dicit enim; *Omnes mares occiderunt, & Reges eorum Eui, & Recem, & Sur, & Hur,& Rebe quinque Principes gentis.* Crede mihi, quinque ſunt Principes laſciuientium, nimirùm,quinque corporis ſenſus, quos niſi iugules, niſi mortifices nunquam triumphum ages de luxuria. Ioſue cap.10. poſt deuaſtatos funditùs Chananæos, adeò vt nec canis eorum mutiret;ſoli quinque eorum Reges permanebant,latentes in ſpelunca. Tunc Ioſue ait:*Aperite os ſpelunca, & adducite ad me quinque Reges, qui in ea latitant*,&c.*Percuſſitque Ioſue,& interfecit eos,atque ſuſpendit ſupra quinque ſtipites.*Et quando omnes hoſtes erant iam interfecti,cur neceſſum fuit iſtos interficere?Cur non magis affectus eſt ad regios vultus?Galfridus apud Tilmannum ait:*Quinque Reges in ſpelunca ſunt quinque ſenſus in carne humana. Qui meritò Reges dicuntur, quia non niſi per illos ipſa caro regitur.* Meritò ergo nobilis triumphator,etiam poſt deuictos hoſtiles exercitus, iis Regibus minimè parcendum duxit,quia de mortificatione ſenſuum caſtitatis ſtabilitur triumphus. Dicit enim Richard.Victor.*Vnde ſenſualitas exteriùs per carnem atteritur, inde ad puritatem cordis affectio præparatur.*In vanum enim ſibi de puritate,& caſtitate blanditur,qui carnalium ſenſuum in ſe appetitus, & viuere, & regnare permittit. Tunc habes vnde ad triumphos caſtitatis accedas,cùm de mortuis carnis ſenſibus,quaſi totus ſpiritus appareas.Quò ſpectans Pſal.41. inquit: *Effudi in me animam meam, quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis.* Quid eſt: *Effudi in me animam meam?*Hoc eſt,feci, quòd anima quaſi exteriùs prodiret,& ſic ſe ſuper omnia repræſentaret, quaſi mortuis ſenſibus carnis, nihil in me remaneret præter animam. Ex quo acutè,& eleganter D.Amb.lib.de Fuga ſæculi cap. 9. ait: *Fons eſt Deus : Qui hunc fontem deſiderat, effundat ſupra ſe animam ſuam, vt nihil paſſioni carnis relinquat,ſed vbique anima ſupereffluat. Pulchrè eam effudit Suſanna, vt euaporare in eam poſſet incendia corporis. Effuſa ſuper ipſam anima omne reſtrinxit carnale deſiderium, ſæculare ſtudium.* Sic ſe componat homo, vt nihil carnalis ſenſus in ſe permittat,

Ioſue 10.

Galfrid.

Richard.

Pſal. 41.

D. Amb.

ſed

ſed totus anima,& ſpiritus appareat; cum autẽ ſic anima ſuperauerit ſenſus corporis, vt quaſi ipſa ſe ſolam exhibeat, hauddubium quin omnia incendia intrinſeca extinguantur, & triũphus clariſſimus rutilet. Quod minimè fiet, ſi vel minimus carnalis ſenſus permittatur viuere. Dicebat enim Paul. ad Philipp. 4. *Pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra*,&c. Expende illud: *Quæ exuperat omnem ſenſum*; niſi enim de ſuperato, & deuicto omni ſenſu non poteſt nobis dari victoria ſecura. Vt dicat D.Baſil. in c.1. Iſaiæ aliò datus: *Niſi pax nobis ab alto affulſiſſet, quæ exuperat omnem ſenſum, ſinguli quique à propria rebellione, & hoſte inhabitante conſumpti fuiſſemus.* Non equidem de intrinſeco carnis hoſte aget triumphum perfectũ, niſi ille, cui data prius fuerit gratia, qua omnem ſenſũ exuperet. Dum enim quiuis viget ſenſus, non eſt ſecuritas, ſed timor. Dicebat namque Paulus 2.ad Cor.11. *Diſpondi enim vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto. Timeo autem ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua: ita corrumpantur ſenſus veſtri*,&.cEcce tibi, vbi Paulus agit de virginitate Eccleſiæ ſtabilienda, confirmanda, in timore eſt, & ſolicitudine. Sed quid timet? *Ne corrumpantur ſenſus*, vt fuerunt in Eua per ſerpentis ſuggeſtionem corrupti. Et quidem in re caſtitatis non abeſt timor, dum ſenſus vigent, qui poſſint corrumpi.

Ad Ph. 4.

D. Baſil.

2. Cor. 11.

§. X.

Expiata per pœnitentiam peccata præcipuum decorem afferunt.

NOn otiosè Scriptura ſacra tanta eſt in enumerandis, & percenſendis Regibus interfectis ab Iſraëlitis, ait enim: *Omnes mares occiderunt, & Reges eorum Eui, & Recem*,.&c. Vt enim antea propter peccata ſic Iſraëlitas Dominus dehoneſtabar, vt vel principes eorum, quaſi vilia mancipia ſuſpendio tolleret; ſic modo poſt expiatum peccatũ,& pœnitentiam factam eos honorat,& extollit, vt quinorũ regum nomina, & capita eorum affigat ſtẽmatibus. Ecce tibi, qui viluerãt Deo in furca peccantes, modò pœnitẽtes Regũ à ſe deuictorum ſanguine purpuraſcunt. Sic turpidiſſima quæque peccata, per pœnitentiã ſolent nobilitari. Infirmantibus Philiſthinis propter arcam captam hoc à ſapientibus conſilium datur, 1.Reg.6. *Si dimittitis arcam Dei Iſraël, nolite dimittere eã vacuam, ſed quod debetis, reddite ei pro peccato, & tunc curabimini*,&c *Qui dixerunt, Quid eſt, quod pro delicto reddere debemus ei? Reſponderúntque illis. Iuxta numerum prouinciarum Philiſthinorum, quinque anos aureos, facietis, & quinque mures aureos*,&c. Sic illi protinus effecerunt, pœnitentes enim de peccato perpetrato, pro eius expiatione anos,& mures aureos dolauerunt, quos in plaustro poſuerunt iuxta arcam,& ſic eam ad Iſraëlitas reduci curarunt. Sed memorans ſtatim textus factum ait: *Tolletis arcam Domini, & ponetis in plauſtro, & vaſa aurea, quæ exſoluiſtis ei pro delicto*, &c. Expende vt, quos antea mandabant fieri mures aureos, quibus peccatum expiaretur; poſtquam oblatis illis arcæ diuinæ peccatum manſit expiatum, iam honeſtiori vocabulo vaſa aurea dicuntur. Et cur vaſa aurea vocat, quos mures vocabat? Sanè quæ vilia,& turpia ſunt in peccatis, & in pœnis eorum, poſt peccatorũ ſatisfactionem,& pœnitentiam ſic decorantur, vt nihil, quod ad decorẽ non pertineat, habent. Ait D.Greg.PP. lib.3.in lib.Reg.cap.6. *Quid eſt, quod ſuperius anorum, murióque ſimilitudines eſſe perhibuit, nunc vaſa aurea appellauit? Quid ergo eſt; quod res iſta eadem honeſtiori vocabulo exprimuntur, niſi quia peccata, quæ pœnitentia fletibus terſa non ſunt, in deformitate ſua attentius videnda, atque lugenda ſunt, ea vero, quæ iam ſunt diluta magnis fletibus non attentus neque in deformitate ſua reſpicienda, ſed æſtimatione cogitanda? Quaſi enim in mente pœnitentis ſimilitudo murium eſt, quando peccati maſſam videt. Sed quando magnis fletibus quodammodo de peccatorũ ſuorum remiſſione ſecurus, ad ſupernã patriam tendit, quaſi aureæ iam vaſa conſpicit*,&c. Sic homo, qui in peccatis turpis, & vilis eſt, per pœnitentiã aureus, & prætioſus exſurgit. Nihil enim eſt vel in ipſa peccatorum turpitudine, quod ſi pœnitẽtię decoquatur lacrymis,& ſuſpiriis, non in aurum conuertendum feſtinet. Vtinam hanc artem Chimici diſcerent, fallar, niſi citius ex pœnitentiæ lacrymis, quam ex cupro,& ſulphure aurũ eliciant. Sanè prodigus ille diſſipator ſubſtãtiæ, qui apud porcos agebat vacuus vel ſiliquis, vbi pœnitere cœpit, & clamare apud patrem ſuum Luc.15. ſtatim audit: *Afferte illi ſtolã primã, & date annulum in manu eius*. Et annulo,& veſte aureus micat. Quò ſpectans Iſaiæ c.60. ait: *Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum.* Vbi D.Hier. *Bruti quondam, & inſenſibiles homines pro augmento virtutum in aurum, argentúmue mutabuntur, vt nequaquam vilitatis duntaxat ſpeciem, ſed pretium quoque habeant, ac decorem.* Sic brutorum turpitudines pœnitentia decocuntur, vt aurum fiant. De hoc plura in tom.in Euang.

1. Reg 6.

D Greg.

Luc. 15.

Numer. 13. Iratúſque Moyſes Principibus exercitus tribunis,& centurionibus, qui venerant de bello, ait: Cur fœminas reſeruaſtis? Nónne iſtæ ſunt, quæ deceperunt filios Iſraël,& preuaricari vos fecerunt in dominum ſupra peccatum Phogor, vnde, & percuſſus eſt populus? Ergo cunctos interficite, quidquid eſt generis maſculini etiam in paruulis,& mulieres, quæ nouerunt viros in coitu, iugulate; puellas autẽ,& omnes fœminas virgines reſeruate vobis,&c.

§. XI.

In re voluptuoſa vel minimum cauendum, vt quod ſoleat parere exitium.

VIctorioſi milites Iſraëlitæ interficientes omnes Madianitas viros, mulieres reſeruarunt, ea ſolum comitate, qua viri ingenui erga fœminas afficiuntur. Quod noſcens Moyſes in eos iraſcitur: dicit enim: *Iratúſque Moyſes Principibus exercitus, qui venerant de bello, ait: Cur fœminas reſeruaſtis?* Sapienter increpat eos, qui vel ingenua comitate afficiũtur ad fœminas, præcipuè iam ſemel ſibi noxias, in voluptate enim noxia, vel minimus affectus ſufficit, vt extremam ruinam afferat. De virginibus expectantibus ſponſum ait D. Matth. c.25. *Dormitauerunt omnes, & dormierunt*,& poſt ſomnum quinque illarum manſerunt excluſæ ab æternis ianuis. Expende principium, nimirùm; *Dormitauerunt*; non enim multum erat, quod in longis vigiliis puellæ paululum dormitaſſent, ſed vbi vel leui dormitatiunculæ acquieuerunt, in altum ſoporem ſunt delapſæ, & quinque illarũ æternã luerunt infamiam. Ex quo prudentiſſimè monebat D.Iſidor.Peluſ.lib.1.epiſt.87. *Neque committite, vt vos vllus voluptatis ſomnus deprimat, qui ſocordes, ac ſomnolentas extra thalami fores retinet.* In re voluptatis, non debemus permittere, vt vllo ſomno deprimamur, quãtumcunque enim paruus ſit, vel minimus, dum tamen ſomnus ſit, in lethale ſomnũ impellet, quo pereamus. Quid enim in hac re adeò minimũ fuit, quod extremam ruinam non pariat? Marc.6. dicit: *Cùm introiſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet, & placuiſſet Horodi*,&c. *Petiuit, dicens: Volo, vt protinus des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ*, &c. *& præcepit afferri caput eius.* Puellæ tantum ſaltatio Regi placuit, quæ ſanè complacentia minima cenſeretur in re voluptuaria, ſed Regem in ſummum præcipitium traxit. Vt meritò indè moneat D.Fulg.ſerm.de De coll.Ioan.Bapt. *Quocunque pacto perſequitur mulier, ſi placeat, iugulat.* Quaſi nihil agnoſcat bonus in muliere non lethale; ſi vel

Iſid. Pel.

Matt 25.

Marc. 6.

D. Fulg.

tantillum placeat vel in re minima, iugulum para, vix enim fieri poteſt, vt indè non veniat aliquid lethale. Nota eſt Moyſis hiſtoria ſuprà expenſa, vt fugitiuus ab Ægypto venit ad Madianitas, inuenítque paſtores, à quibus expellebantur puellæ filiæ Sacerdotis, ne adaExod. 2. quarent greges. Quid tunc? Ait text. Exod. 2. *Surrexit Moyſes, & defenſis puellis adaquauit greges earum. Quæ cùm reuertiſſent ad Raguelem patrem ſuum*, &c. Ecce & Moyſes defendit puellas à ruſtica paſtorum feritate, & puellæ beneficium accipiunt; nullum tamen verbum officioſum, nullú vrbanitatis, comitatíſque obſequium inter Moyſem, & puellas intercedunt. Cur bonæ puellæ defenſorem veſtrum non ſalutatis comiter, ſed accepto beneficio, inſalutato defenſore abitis ad patrem veſtrum? Timentur inter caſtos, vel vrbanæ ſalutationis obſequia, vt quæ poſſent lethales flammas accendere. Huc reſpiciebat Athenagoras apud Iuſtinú MarProu. 4. tyrem relatus à Patre Salazar in c. 5. Prou. verſ. 4. aiens: *Iam accurate ergo temperare oſculum, ſeu potius adorationem ſalutationis debemus, nam ſi quomodo pauxillum mens polluta fuerit, ab æterna nos vita proſcribit Verbum.* Quid prudentius? Vel ab ipſo ſalutationis vrbanæ obſequio nos facit timere, vt quæ poſſit occaſio eſſe, qua præcipitati excidamus à vita æterna.

§. XII.

Magiſterium luxuriæ, & magiſterium Apoſtaſiæ germaniſſima.

DVo mala orta à Madianitis fœminis memorat Moyſes, quæ vix poſſunt ab inuicem ſeparari aliud eſt, quod forma deceptos traxerint ad libidinem, alterum, quod fecerint illos vſque ad idololatriam deſcendere. Ait enim: *Iſta ſunt, quæ deceperunt filios Iſraël, & prænaricari vos fecerunt in dominum ſupra peccatum Phogor.* Cõiunctiſſimæ ſunt fœmineę illecebrę defectioni à vero Deo. Quid enim magis Germanum idololatriæ, quam libidinoſus affectus? Fuit Herodes Rex luxuriæ deditus. Mar. 6. qui vel in puellarum choreis inſumeret dimidium regni, qui à luxuria adductus eò peruenit, vt Ioánem Baptiſtam interficeret, nihil veritus tantú prophetam, vt ſatisfaceret mulieri petéti. Sed & fuerat Acab Rex coniux Iezabelis Reginæ, cuius ra3. Reg. 16 piebatur affectibus 3. Reg. 16. qui tamen inter luxurias ſuas verebatur Eliam prophetam. Vtrúque Regem cõponit Andræas Ieroſolym. & miratur, quod Herodes nõ æmularetur Achabi reuerentiã in prophetam, quando in aliis omnibus pares eſſent. Quippè ait orat. in Decoll. Ioan. Bapt. *Ne illum quidem Acab alterum mulieris mancipium eſt imitatus Herodes, qui tunc habebat Iezabel magiſtrum multorum Deorum cultus ſicut nunc hîc Herodiadem libidinis, & intemperantiæ.* Vt erant in mulieribus pares, ſic deberent eſſe pares in prophetæ reuerentia quod minime fuerunt, Sed quomodo erant in mulieribus pares? Vterque mancipium erat fœminæ, vterq; fœminę patiebatur magiſterium, vt enim Acab Iezabelem magiſtram habebat idololatriæ, ſic Herodes libidinis, & intẽperantiæ magiſtram Herodiadem habebat. Sic bonus pater magiſteriũ idololatrię germaniſſimum putat eſſe magiſterio libidinis, & prorſus æquales putat, & ſimiles eos, qui in quolibet eorũ exercentur; nec enim luxuria ab idololatria lõge diſtat, nec idololatria abeſt ab eo, qui ſe luxuriæ dedit. Ex quo Paul. 1. ad 1. Cor. 10 Cor. 10. dicebat: *Néque idololatræ efficiamini, ſicut quidã ex ipſis, quemadmodum ſcriptum eſt: Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. Neque fornicemur*, &c. Sic iunxit duo amica quaſi inſeparabilia, nimirum D. Amb. fornicationẽ, & idololatriam, vt enim ibi ait D. Ambr. *Hæc luxuria eſt, qua ſemper oblectati in Dei rebus infideles inuenti ſunt. Ideóque inſtruit, ne in hanc diffidentiam per affectum libidinis incidamus.* Quando enim luxuria non trahat hominem in perfidiam? Ait pulchrè D. Amb. l. 6. epiſt. 36. *Nemo ſe luxui committit, niſi qui recedit a præceptis Dei veri. Vbi autem cœperit quis luxuriari, incipit deuiare à fide vera. Ita duo committit maxima crimina opprobria carnis, & mentis ſacrilegia. Ergo qui non ſequitur Dominum Deum ſuum, ingurgitat ſe luxuriæ, ac libidini, peſtiferis corporis paſſionibus. Qui autem ſe ingurgitauerit, atque immerſerit huiuſmodi voluntatibus, perfidiæ laqueos incurrit.* Sic coniuncta ſunt hæc duo vitia, idololatria, & luxuria; vt qui ſe luxuriæ dedat, facili negotio in apoſtaſiam deueniat, ac perfidiam. Leuit. 19. monebat Leuit. 19 Dominus: *Ne proſtituas filiam tuam, ne contaminetur terra.* Vbi OnKelus ait: *Vt non idolis ſeruiat terra.* Sic putat luxuriæ idololatriam coniunctam, & conterminam.

§. XIII.

Virorum vita vxorum qualitatem deſignat.

AViris cognitæ fœminæ omnes morti adiudicantur, dum dicit: *Et mulieres, quæ nouerunt viros in coitu, iugulate, puellas, & virgines reſeruate vobis.* Cur potius illas, quàm has morti deſtinat? Vt enim viros omnes reos mortis putauit, ſic in eadem damnatione credit eſſe omnes fœminas iunctas viris, nequit enim vix fieri, quod vxor viri ſui non ebibat viruſque ei, non inueniatur prorſus ſimilis. Quò ſpectans Theod. q. 49. Theod. ait citatus in Gloſſa: *Iuſſit legiſlator mulieres interfici, quæ virum cognouerant, eo quod impietatis dogmata didiciſſent*, &c. Merito vt ad viros, ſic ad vxores ſeuerus oſtenditur Moyſes, nihil enim impium, & morte dignum in viris putat eſſe, quod non credatur ad vxorem tranſmiſſum. Ex vita enim viri ſatis clare cenſetur vxoris vita. Virgo erat puriſſima Maria mater Ieſu, ſed quia ſimul erat vxor, & ſub poteſtate degebat viri, eius innocentiam teſtatã volens marito, ait Angelus Matth. 1. Matt. 1. *Ioſeph filij Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Expende, quæ præmiſit verba, vt animum de Mariæ pudicitia ſuſpectum ad tranquillitatem reduceret: nimirũ: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Cur cõiugem meminit, antequam prægnantis miraculũ euulget? Præueniens dixit *coniugem tuam*, ex eo enim, quod Ioſephi oſtendebatur coniux, ſatis clare oſtendebatur eius ſanctitas, & pudicitia. Ait Euthym. ibi: *Vxorem* Euthym. *quoq; tuam dixit, vt inde certiorem eum faceret, quod à nullo cognita eſſet viro.* Hinc demonſtratur qualis ſit vxoris vita, ſi inſpiciatur vita mariti. Scio nefariſſimis viris ſæpe vxores ſanctiſſimas, & pudiciſſimas obtingere; attamen hoc regulariter credant mariti, quod ipſi ſuis moribus mores ſuarum vxorum effingant, & quales ipſi, tales illæ exiſtent. Aiebat Eccleſiaſticus c. 25. *Com*Eccl. 25. *morari draconi, & leoni placebit, quam habitare cum muliere nequam.* Putat homo ſociam ſibi acquirere, & acquirit leone, & dracone ferociorem, & peſtilentiorem mulierem. Sed vnde tantum malum homini obuenit? In eodem cap. ex lect. D. Chryſoſt. homil. de Decollat. Chryſoſt. Ioan. Bapt. dicit: *Mulieris malæ, & iniquæ portio dabitur pro operibus malis.* Mali virorum mores faciunt, quod ſibi obtingant mulieres peſſimæ. Ex quo dicebat D. Chryſoſt. in Pſal. 3. Chryſoſt. *Res quidem valde moleſta, quod auxiliatrix aduerſaria facta eſt, te ipſum tamen examina, nunquid in iuuentute in mulierem noui quid attentaueris, & quod mulieri à te vulnus inflictum eſt, curetur per mulierem, & alienum vlcus propria vxor. Chirurgi officio fungens medicetur, & quamuis quæ ſecat, ignorat, nouit tamen Deus medicus. Ipſe enim ea tanquam ferro aduerſus te vſus eſt.* Sic prauis tuis moribus reſpondet praua fœmina, cuius malitiam permittit Deus, & illa tanquam ferro vtitur, vt tuis medeatur ſceleribus.

Num. 31. Eleazar quoque Sacerdos ad viros exercitus, qui pugnauerant, ſic locutus eſt: Hoc eſt

est præceptum legis,quod mandauit Dominus Moysi:Aurum, & argentum , & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum, & omne, quod potest transire per flammas , igne purgabitur, quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur, &c.

§. XIV.

Magnæ probationes non nisi fortissimis adhibendæ.

VIde prudentiam censuræ diuinæ; fortissimis metallis purgandis ignem adhibet; leuioribus naturis solum concedit, quod per aquam purgentur. Dicit enim: *Aurum,& argentum,& æs, & ferrum, & plumbum & stannum, & omne quod potest transire per flammas,igne purgabitur:quidquid autem ignem non potest sustinere,aqua expiationis sanctificetur.* Non equidem vel ad sanctificationem permittit igni naturam infirmam,sed aurum sed ferrum , sed quodcunque fortitudinem in se tantam habet, quæ minime flammis cedat, id solum permittendum est à cordato gubernatore magnis tentationum, probationúmque incendiis. Aiebat Dominus Petro Luc.22. *Ecce Sathanas expetiuit vos , vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te,*&c. Sed Iob.cap.1. non semel Sathanas expetiuit Iobum , vt illum contúderet perditione omnium bonorum , morte filiorum, imò & exquisitis ægritudinum tormentis , & amicorũ contumeliis.Et Dominus non cunctatur,sed vt Sathanas Iobum expetit, illi Iobum concedit. Ait enim Dominus cap. 2. *Ecce in manu tua est, veruntamen animam eius serua.* Petenti Apostolos minime eos illi tunc permittit Dominus ; petenti autem Iobum , statim Deus illum sine cunctatione concedit.Et cur qui cauit Apostolos diabolo vexandos cõcedere, tam largiter eidem Iobum cõcedit?An quia minus Iobi consuleret saluti? Absit,sed quia cum expetebantur Apostoli,adhuc erãt infirmi, & imperfecti, ideò illos dominus cauit tradere probationibus magnis, Iobum autem vt nouerat validissimum , sic incunctanter illum durissimis dæmonũ manibus tradidit. Ait D. Chrys. ser.de Iobo, & Abrahamo: *Verum Deus sciens cui confidebat , permisit diabolo, vt abraderet beati facultates.Vide autem Dei prouidentiam. Imperfectum petit diabolus , sed non obtinet. Vndè Saluator Simoni dicit* : Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum:Ego autem oraui pro te,ne deficiat fides tua. *Quamdiu imperfecti sumus,nobis parcitur; quamdiu lactamur parternè fouemur; vbi autem perfectiores facti sumus, perfectorum certamina etiam suscipimus.* Non omnibus paranda sunt eadem certamina; sed metiendæ sunt cuiuscunque vires, vt qui debilis est , & infirmus in minoribus exerceatur, miniméque duris , nec asperis affligatur, qui autem robustus est, is ad maiora discrimina impellatur. Sic ipse Paulus Actor. 26. cùm vinctus adesset coram Rege Agrippa, ait illi: *Opto apud Deum, & in modico,& in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt me, hodie fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his.* Optabat omnes in eadem disciplina,in eadem fide secum esse, non in eisdem vinculis. Sed quãdo vincula pro Deo pretiosissima sunt,& vel ab Angelis inuidenda , cur & omnes illos præsentes non optat etiam in vinculis pro Deo esse ? Pretiosa sunt vincula pro Deo iis , qui fortes sunt ad illa sustinenda; at non omnium est vinculorum certamen , & ideò cauit Paulus illud optare imperfectis. Vnde aiebat D.Chrysost. ibi hom. 52. *Vide, qui gloriatur vinculis,qui profert illa sicut catenam auream, is ea nunc deprecatur. Et ne mireris? infirmiores adhuc erant,& attẽperabat illis sermonem.* Nouit prudentissimus magister discipulorum differentiam nactus enim validos, & perfectos viros , catenas , & vincula,fames, & sites,& mortes ipsas extollit , vt per quæ fortes glorioſis triumphis decorentur ; at nactus infirmos, & imbecilles , quidquid durum est,amouet, sese infirmis audientium viribus attemperans.Prudendentis est magistri nihil durum permittere , nisi prius inspectis suscipientis viribus , si possint perpeti illud. Quò spectans Dauid Psal.25.clamabat : *Proba me Domine,& tenta me, vre renes meos, & cor meum.* Expende quod fundamentum tentationum mittendarum præmittat, nimirùm, *Proba me*, hoc est, vires meas examina. Sic ibi D. Greg.PP.lib.2. in Iob cap. 7. *Prius vires inspice, & tunc vt ferre valeam , tentari permitte.* Imprudentiæ opus est materiam purgandam flammis dare, antequam scias, an aurea sit, an lanea ; lanea enim in flammis comburitur , aurea præstantior fit.

Psal. 25.

Iob 7.

§. XV.

Lasciuientium , vel tactus pestiferi.

MAdianitarum aurum , argentúmve sine purgatione per ignem facta non admittitur in populum Israëliticum, nec in Dei sacrarium. Ait enim: *Aurum, argentum , & æs , & plumbum,& stannum igne purgabuntur*, &c. Sed Iosue cap. 6. video ex vrbe Iericho aurum assumi , & nullam ibi purgationis mentionem video.Quippe ait solum. *Quidquid autem auri & argenti fuerit , & vasorum æncorum, ac ferri Domino consecretur, repositum in thesauris eius.* Nulla hîc mentio de purgatione antefacienda ; & cur magis in Madianitarum spoliis præcepta , intimataque expresse inuenitur purgatio rerum, quàm in Iericho spoliis?In Madianitis luxuria gentis castigabatur , qua nisi fuerant Israëlitæ penitus extirpatæ,& ideò luxuriantis gentis spolia,non miror, quod magis caueantur,fugiantúrque,& purgationi destinentur per flammas , pestiferum enim est, quidquid vel tactum sustinuit lasciuæ manus. Hinc Ioseph ille Gen. 39. videns pallium suum teneri à fœmina lasciua , relicto pallio fugit, ait enim : *Qui relicto pallio in manu eius fugit,& egressus est foras.* Cur pallium reliquit?Cur non magis pallium extorsit,& sic cum suo pallio fugit?Tãta erat pestis in veste posita à manu fœminæ lasciuæ,vt periclitaretur Ioseph nisi & ipsam vestem fugeret.Ait D.Amb lib.7.epist.44.*Iuuenem mulier aggreditur, veste apprehensa ad cubile trahens , complexum offerens,& pene cœperat,nisi exuisset Ioseph vestem, qua tenebatur.* Expende illud singulare dictum: *Et pene cœperat* , ingens enim periculum subiret lapsus , si tardaret vestes depellere, quæ lasciuiæ manu tangebantur.Miraris?Sed accipe aliud, quod mirere magis. De Greg. VII. Pontifice Maximo dicit Paulus Berniendensis in eius vita : *Cùm maxima detineretur corporis infirmitate, quædam neptis sua ad eum visitandi gratia venerat , & vt nepti super ægritudine sua animum leuigaret, monilia eiusdẽ manu tenens,annubere vellet, requisiuit. Post recepta sanitate,compunctionis gratiam perdidit,diu igitur mœsto animo reuoluens , quo delicto Deum offendisset , completisque duarum hebdomadarum vigiliis,ieiunio, & corporali disciplina: Beata Dei genitrix cuidam innocenti,ac simplici viro apparuit,dicens : Hæc dices Gregorio, quod cùm ego eum in choro virginum elegerim , ipse contra grauitatem institutionis nostræ monilia tractauit neptis suæ,idcirco gratiam,quam habuit,amisit.* Expende, vnde virus contraxit sanctissimus Pontifex, nimirum , *Monilia tractauit neptis suæ* , non manum, non caput fœminæ tetigit, sed aurea monilia à collo fœminæ pendentia vt tetigit,inde id virus prosiliuit, quod à sancto fugaret fauores diuinos. Vt hinc discas,qualis pestis imprimatur à tactu fœminæ lasciuo vel ipsis rebus insensibilibus, & quam debeas fugere ea, quæ fuerunt sub eius dominio.

Gen. 39.

D.Amb.

Pau.Ber.

§. XVI.

Lucra temporalia adorantur ab hominibus temporalibus.

EX Madianitis spolia capta omnia velut immũda,& polluta per legẽ Moysis habentur,& indigent igne, vel

vel aqua purgari, & mundari. Sic enim ait. *Hoc eſt præceptum legis, quod mandauit Dominus Moyſi: Aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & ſtannum igne purgabitur*, &c. Sed cur lex diuina purgationis neceſſitatem indixit ſpoliis de hoſtibus captis? Ne temporaliſſimi Iudæi adorarent ſpolia, & lucra, quæ immunda, & polluta videbantur adeò, vt purgatione indigerent. Simili modo Gen. 7. dum oſtendit Dominus animalia, quæ in arca Noë debebant aſſeruari, ait. *Ex omnibus animantibus mundis tolles ſeptena, & ſeptena, maſculum, & fœminam; de animantibus vero immundis duo, & duo*, &c. Iam inde præueniebat legem, quæ animalia quædam immunditiæ feriebat vocabulo. Et cur animalia per legem immunda habebantur, niſi vt vel fœditatis titulo homines auocarent, ne illis ſtruerẽt aras? Ait D. Baſil. Sel. ora. 6. *Quædam appellauit Munda, quædam vocauit Immunda, vt hæc tanquam impurata abominati, illa velut munda exedentes, per vtraque ſuperſtitione abſtinerent, euaderéntque legis edictum animæ medicamentum. Fértque Deus creaturarum iniuriam nomine tenus, vt hominum morbum ſanet, vt impediat idololatriam, quæ vſq; ad animalia progreditur. Et immundorum nomenclationem fert in creaturis, vt purum ab impietate cuſtodiat hominum propoſitum.* Immunditiæ vocabulo animalia affecit Dominus, vt ab illorum adoratione homines arceret. Et ſimiliter ſpolia de hoſtibus parta fecit purgatione egere, ne temporaliſſimi homines lucra ſua pro diis colerent. Quando enim temporales homines lucris ſuis adorationem non exhibent? De temporali homine dicebat Abacuch. cap. 1. *Propterea immolauit ſagenæ ſuæ, & ſacrificauit reti tuo.* Sagenam, & rete, quibus lucra faciebat, in diis habebat. Ex quo ait Theophylus Anthioch. lib. 2. ad Authol. *Mihi perquam ridiculum videtur, lapicidas, fictores fingere, ſculpere, fundere, Deóſque parare, quos vbi elaborauerint, ipſi vilipendunt primi, & ne floci quidem faciunt. Vbi autem dij illi ære fuerint redempti, & in templo collocati, non dubitant in eorum honorem victimas cædere emptores, & artifices, & accedunt pariter exquiſito ſtudio, vt eos adorent.* Ecce tibi ex quo incipiat ſtudium adorationis ardere circa idola, nimirum ait: *Vbi autem dij illi ære fuerint redempti*, &c. Ex quo emptio, & venditio datis, & acceptis pecuniis fuerint cœptæ, vt & emptores, & venditores ſua lucra in idolis videant, ardent ſtudio adorandi illa. Ante emptionis, & venditionis lucra nihili pendebant idola eorum artifices, in domorum angulis arcanarum telis ſqualẽtia habebant illa, poſt vendita, poſt acceptas pecunias ſtatim illis ſacrificant. Et quidem ſola temporalia lucra ſunt, quæ per ſe, & ex corde temporales homines ſpectant, cætera omnia quantumuis vera, quantumuis religioſa, quantumuis diuina, quaſi res accidentariæ reſpiciuntur. Exod. 32. Iſraëlitæ dantes aureas inaures vxorum ſuarum Aaroni dicebant illi: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Multa idola colebantur tunc temporis à nationibus ſub variis formis, & figuris, ij autem nullum determinatum, nec particulare petunt, ſed tãrum in communi flagitant ſibi numen aliquod conſtitui. Cur non magis petunt determinatè ſibi fieri aut Venerem, aut Iouem, aut Martem, aut Oſirim? Verè homines temporales nullum æſtimant in particulari numen ſiue verum, ſiue falſum, vnum reſpiciunt aurum per ſe, & dum hoc præ oculis, & præ manibus habeant, libenter ſpectant recepturi quodcunque aliud ſeſe obtulerit numen, nec multum laborant, quod ſit hoc, vel illud. Sapienter horum ingenium depingit D. Damaſcen. orat. 3. de Imaginib. inquiens: *Ebrij facti ſunt vino, atque errore, & præ ſtultitia dixerunt: Hi ſunt dij tui Iſraël. Vides eos pro diis ſimulacra coluiſſe? Neque enim Iouis, aut huius, illiúſue certæ cuiuſpiam rei ſimulacrum, vt fieret, aurum dederunt, ſed quidquid forte contigiſſet: atque ita exiit effigies bouis.* Temporaliſſimi homines hoccurarunt, quod aurum illis obiiceretur ad cultum; hoc ſuppoſito de particulari aliquo idolo nil curarunt, adoraturi quidquid forte contigiſſet. Sic huius temporis politici homines, toti temporalitati ſubmerſi, vnum ſpectant, vt temporalia bona ſibi acquirant, circa Deũ autem & religionem non multum laborant, adoraturi quidquid forte contingat iuxta placitum Principum.

Numer. 31. Dixit quoque Dominus ad Moyſem: Tollite ſummam eorum, quæ capta ſunt ab homine vſque ad pecus, tu & Eleazar Sacerdos, & Principes vulgi: diuidéſque ex æquo prædam inter eos, qui pugnauerunt, egreſſique ſunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitudinem, & ſeparabis partem Domino ab iis, qui pugnauerunt, & fuerunt in bello, vnam animam de quingentis, &c.

§. XVII.

Dominus adeſt præſentiſſimus his, qui & ipſi pugnant pro ſalute obtinenda.

NOtanter dictum eſt illud; *Et ſeparabis partem domino ab his, qui pugnauerunt, & fuerunt in bello, vnã animam de quingentis.* Quando ſpolia fuerant diuiſa inter pugnatores, & reliquam multitudinem; de bellatorum parte dicitur, quod Domino aliquid reſeruetur, nimirum, vnum de quingentis. De multitudinis autem parte dicitur, quod aliquid detur Leuitis, ſed non dicitur quod detur Domino. Et cur magis de eorum parte, qui in bello fuerunt, & pugnarunt contra hoſtes, reſeruatur pars Domino? Iure exigitur pars Domino de parte pugnatorum, vt qui cum illis pugnauerit, præſentiſſimúſque fuerit pugnantibus contra hoſtes. Nunquã enim, qui contra hoſtes pugnant pro ſalute obtinenda, non habent Deum pugnæ ſocium, & commilitonem. Hinc Deuth. 20. *Si exieris ad bellum contra hoſtes tuos, & videris equitatus, & currus, & maiorem, quam tu habeas, aduerſarij exercitus multitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tuus tecum eſt.* Septuag. legunt: *Quia Dominus Deus veſter, qui præcedet vobiſcum, ſimul debellabit vobiſcum inimicos veſtros, & ſaluos faciet vos.* Expende illud: *Simul debellabit vobiſcum*, &c. non dormientibus, & quieſcentibus vobis ipſe ſolus debellabit hoſtes, ſed pugnantibus vobis ipſe ſimul pugnabit, & erit ſocius laboris, vt impertiatur coronam. Ex quo D. Auguſt. ibi quæſt. 30. *Ecce quemadmodum, & in ſpiritualibus conflictibus ſperandum, & petendum eſt adiutorium Dei, non vt nihil faciamus; ſed vt adiuti cooperemur. Ait enim. Debellabit vobiſcum, vt ipſos acturos oſtẽderet.* Ne totum negotium coronæ ſic Deo credas, vt tu te committas otio; ſed magis in certamen prodi, & viriliter pugna pro illa obtinenda, certus quod tunc non pugnabis ſolus, ſed habebis Deum commilitonem, qui tecum deuincat hoſtes, & mereatur ſtipendium bellatorum. Nec aliter Ioſue cap. 5. dicitur: *Cùm eſſet Ioſue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe euaginatum tenentem gladium*, &c. Hunc virum ſtricto fulgentem gladio putant aliqui fuiſſe Ieſum Filium Dei, teſte Theodoreto ibi. Quem vidit Ioſue armatum, quaſi ſocium pugnæ, ſed non antea vidit illum, quàm in agro Iericho eſſet, nimirùm, quàm dum eſſet iam pro capienda Iericho pugnaturus. Ait enim Clemens Rom. lib. 5. Conſtitut. citatus in Gloſſa ibi: *Chriſtum Dei Filium iudicem viuorum, & mortuorum vidit Ieſus Naue dux exercitus Domini armatum ſimul pugnantem ad Iericho, quem procedens adorauit, vti ſeruus Dominum.* Expende illud. *ſimul pugnantem*: eſt enim mos diuinus non totum, ſed partem noſtri certaminis aſſumere, vt non dormientibus, ſed pugnantibus nobis, nobiſcum ipſe pugnet, & vincat. Hic ſalè dignus æterno præconio eſt, qui gaudet in pugnis Deo cõmilitone; qui autem ſic amat otiari, vt Deo credat

credat totum pugnæ negotium,is nescio, an magis dignus sit irrisione. Ierusalem cingebatur validissimo
4.Reg.19 exercitu Assyriorum 4.Reg.19.Quid tunc? *Factum est igitur in nocte illa venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octingenta quinque millia.* Sic dum Israëlitæ quiescunt, dum in lectis suis indulgent somno, Dei Angelus solus perimit ingentem exercitum Assyriorum.Magna hæc victoria,& gloriosa fuit, sed Deo,non Israëlitis,imò ex illa sic Israëlitas confun-
Egesipp. dit Titus Imperator Romanus apud Egesipp. lib. 5.c. 46.fatus. *Neque verò necessarium fuit,vt hostes nostri,sicut Assyrij vestri dormientes extinguerentur, sed prœliantes. Non enim in somniis victoria quæritur, sed in prœlio, non virtutis adorea est, vbi fortuita est gratia.* Etenim quod totum Deus peragat, dormientibúsque nobis ipse det, detriumphet hostes,diuinæ potestatis est,& misericordiæ,non autem virtutis nostræ. Rideremur meritò ab aduersariis,si gloriaremur de eo,quod confecit Dominus dormientibus nobis,illud magis gloriosum homini, quod pugnantibus nobis Deus nobiscum pugnet, & det hostes destrui à nobis.

§. XVIII.

In eo quis se clarius omnibus superiorem ostendit, quod minus detrectat suæ prærogatiuæ consortes habere.

PRædæ diuisionem non solus Moyses facit, sed & Eleazarum, & Principes vulgi secum admittit, vt simul omnes illam distribuant.Dicitur enim illi: *Tollite summam eorum,quæ capta sunt ab homine vsque ad pecus: Tu & Eleazar Sacerdos,& Principes vulgi*,&c.Et quando Moyses summus erat omnium Princeps,cur illi soli non committitur munus diuisionis? Nónne multum derogabat Moyses authoritati suæ, habens secum ex æquo alios diuisores? Absit, imò inde se omnibus superiorem ostendebat,qui nolebat in prærogatiuis esse
1.Cor.7. solus, nec detrectabat admittere muneris sui socios. Dicebat Paul. 1.Corinth. 7. *Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum.* Sic bonus cum maximus esset in Dei donis,& prærogatiuis,tantum aberat,vt velit esse in illis solus, quod vehementer optaret sibi pares existere vniuersos homines.Et inde derogaret aliquid præstantiæ suæ? Imò se in eo euidentius ostendebat omnibus
D.Aug. superiorẽ.Ait D.Aug.tract.8.in Epist. Ioan. *Audi Apostolum dicentem de visceribus Charitatis:Vellem omnes homines esse sicut me ipsum.Quomodo volebat omnes esse? Æquales. Ideò erat omnibus superior, quia charitate optabat omnes æquales.* Accedant huc,qui in donis solitudinem amant, offenduntur communitate; sanè ij vt amant præire omnibus,magis subsunt omnibus. Nulla via securior est, qua quis se ostendat omnibus superiorem, quàm si eo sit animo, quod sibi æquari amet omnes. Qui enim eò tendunt, vt sint soli, maximè timere pos-
Cant.4. sunt,ne eò deueniant, vt sint nulli, & fiant contemptibiles omnibus. Sponsæ suæ dicebat Dominus Cant.4. *Duo vbera tua sicut duo hinnuli capræ gemelli,qui pascuntur in liliis.* Per duos hos hinnulos repræsentabat duos populos,duos filios Ecclesiæ, nimirum, populum gentium,& populum Iudæorum, qui de vberibus Ecclesiæ sugunt,quo viuere possint.Sed illud mirandum est, quod hos duos filios vocet gemellos: quando Iudęorum populus longè antiquior est, & diu fuit in matris gremio solus. Cur ergo sic eius antiquitati derogatur, vt dicatur gemellus cum populo nationum? Imò, gemellus dicitur,vt ostendatur, in quo se ostendere posset maiorem, nimirum si alterum secum æqualiter admitteret,at quia hoc renuit,& amabat esse in prærogatiuis solum,eò deuenit, vt nullus fieret, & excluſus sit
Gil.Abb. à gratiæ donis.Ex quo Gillib. Abb.ser.27.in Cant.ait: *Affectabant Iudæi esse in gratia soli, aut summi, nolentes habere compares, quos non poterant non habere participes.*

Gentes autem fecit Deus cum Israële concorporales, & comparticipes testamentorum,& in nullo discreuit fide mũdans corda earum. Ideò dicuntur gemelli, qui fides nullis gradibus separat,quos æquè regenerat. Alioquin qui nescitũt esse gemelli,effecti sunt nulli, & in conuiuio locum occupãtes primum,iam nec habent nouissimum. Quæ ratio non inter illos tantum vertitur,sed se dilatat ad omnes, vt nemo alij in gratia,quocunque in gradu fuerit, aut participium, aut parilitatem inuideat. Nunquam non minoraberis,si aliorum parilitatem respuas, si consortium in honore fugias. Quanto enim maior sis,& sublimior, procura plures habere consortes,& pares gloriæ tuæ, & sic te euidentius superiorem omnibus efficies.

Num. 31. Fecerúntque Moyses, & Eleazar sicut præceperat Dominus.Fuit autem præda,quam exercitus ceperat, ouium sexcenta septuaginta quinque millia,boum septuaginta duo millia, asinorum sexaginta millia,& mille;animæ hominum sexus fœminei,quę non cognouerant viros, triginta duo millia. Datáque est media pars his,qui in prælio fuerant,&c.

§. XIX.

Præstantissimus gubernator ille,qui non solum iussis, sed & operum executione ipse per se instat.

VIde præstantissimi gubernatoris insigne, nimirũ: *Fecerúntque Moyses,& Eleazar*, &c. Non iusserũt ministris,vt fieret,sed ipsi per se efficiunt,& executioni mandant,quæ oportet fieri.Discant hoc,qui gubernandi gloriam ambiunt acquirere, non solis vtantur iussis,sed & ipsi labores executionis aliquo modo participent, si velint subditis proficere. Gen. 2. *Tulit ergo* Gen.2.
Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradisum voluptatis,vt operaretur,& custodiret illum. Præcepítque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede, &c. Quid tunc? Perdidit homo & paradisum,& fœlicitatem suam.Sed dum perdere Deus vult mundum diluuio, arcam fieri mandat,in qua semina noui Orbis reseruentur.Et Gen. Gen.7.
7.dicit: *Masculus, & fœmina ex omni carne introierunt, sicut præceperat eis Deus, & incluſit eum Dominus deforis.* Et sic medio in diluuio conseruata sunt vitæ semina. Sed cur mediis tempestatibus conseruantur innoxia semina vitæ,quæ in paradiso perierunt? In paradiso vbi positus fuit homo, ibi Dei præceptis fuit institutus,illi Dominus præcepta posuit, & operari iussit, ipse autem manum operi non adhibuit. At in arca vbi conditus homo fuit, & Deus manum operi adhibuit claudens à foris arcam, in quo vt se præstantissimum gubernatorem exhibuit, sic & se vtiliorem præbuit subditis. Ait D.Chrysol. ser. 147. *Noë noui sæculi vo-* Chrysol.
cat parentem blando sermone compellat Dominus, & iam non iussis, sed participato labore,vna in arca claudit. Expende illud: *Et iam non iussis, sed participato labore*; quippè in paradiso solis iussis agebat Dominus, præcepta imponens,iubens operari,sed ipse non operabatur, ideò non adeò fœlix ex parte effectus extitit illa gubernatio.In arca autẽ non solis iussis,sed participato labore rem aggreditur gubernandi,claudens à foris arcam,dum intrinsecus Noë pascebat clausos, & sic fœlicissimus euentus accidit.Nunquam non præstantissimus erit in fœlicitate ille gubernator,qui nõ solis iussis,sed partito labore Rempublicam moderetur.Eccle- Eccles.
siastes c.2. dicebat: *Quis est homo,vt sequi possit Regem factorem suum*? Quibus suam ipsius Salomon excellentiam super alios explicabat, se vocans Regem factorẽ, vt malunt omnes hæbraizantes,ex quo adeò sibi blanditur, vt putet neminem posse ad suam gloriam accedere,quando ipse non solũ erat Rex,sed erat Rex factor,qui nõ solis iussis,sed partito labore regebat alios.

Ad quã gloriam inuitabat omnes Imperatores D. Syneſius lib. de Regno aiens: *Vnde paulatim noſtra procedens oratio Regem è palatio eductum poſt amicos militibus conciliat, atque in campum deſcendere iubet. Ibi & cum equite equitabit, & cum pedite decurret, & cum armato armatus incedet, & cum cetrato cetra exercebitur, & cũ leuis armaturæ militibus iaculabitur, vnumquemque operum communione in viuam ſocietatem, amicitiámque pelliciens.* Vtinam omnes Principes hanc ebiberent mentem, ne res virtutis ſolis iuſſis agant, ſed & ſimul illas aggrediantur, & partito labore, operúmque communione ad ſe ſubditorum animos pelliceant, fallar, niſi ij & præſtantia, & fœlicitate ſuperarẽt cunctos. Hoc inſinuabat Samuel cùm vncturus Saulem in Regem, illi prius arma- 1. Reg. 9. mum arietis comedendum appoſuit, 1. Reg. 9. *Leuauitque coccus armum, & appoſuit Sauli.* Vbi ſapienter D. Greg. PP. ait: *Quid in armo pectoris, niſi fortitudo ſignatur actionis? Hæc autem in quouis Rege, & maxime in Saule requirebatur.* Nil prius in rege requiritur, quam actio, nimirum vt ipſe faciat.

D. Syneſ.

§. XX.

Virginitas tollit noxæ ſuſpicionem.

QVanta eſt virginitatis excellentia! Qui vel à bona muliere corrupta erroris damnum timet exercitui, à multis millibus virginum nihil timet. Poſt occiſionem enim vxorum Madianitarum recenſentur virgines, quæ ſeruantur Iſraëlitis, & ait textus, quod fuerunt *animæ hominum ſexus fœminei, quæ non cognouerant viros, triginta duo millia.* Et inter triginta duo millia virginum, nil habet Moyſes, quod timeat. Tanta eſt virginitatis virtus, nullum in illa Moyſes inuenit aditum periculis. Libet in præſenti componere Iobum, & Chriſtum Dominum; vt vterque fuit tentatus à Satbana, vterque tentationes excepit inimici, in vtrumque perfidus hoſtis armat exercitus ſuos, & procurat immittere cadendi pericula. Iobo immittit rerum perditionem, Ieſu proponit regna mundi; Iobo fœminam coniunctam adiungit, ſed Ieſu nullum tale inſtrumentum mali applicuit. Et cur Ieſu, non curauit adeſſe fœminam, ſaltem matrem ſuam, quæ famelico porrigeret cibos, & adduceret, vt frangeret ieiunium? Erat Ieſu mater purißima Virgo, quæ noxæ ſuſpicionem omnem eriperet. Rem pulchrè ponderat D. Amb. lib. D. Amb. 4. in Luc. inquiens: *Diabolus Iobum iniuriis tentat, Ieſum præmiis. Ad illum ingruit nuntius ſuper nuntium, congeminant vulnera, nec fortis athleta turbatur. Adhibetur mulier primæ fraudis illecebra: Ieſu per virginem natus errori obnoxiam non habebat.* Quid pulchrius? Expende illa: *Per virginem natus errori obnoxiam non habebat:* quippè qui non niſi virginitatẽ elegerat, & ſola cum virgine matre conuerſabatur, non habebat vnde vel ſuſpicio erroris illaberetur. Apud quem erat vxor, inuenit hoſtis aditum vnde poſſet nocere; apud quem erat puriſſima Virgo, & virginitatis ſpecimen, nõ inuenit ſerpens vnde obreperet. A virginitatis cultura omnia putantur bona, adeò vt bonum ceſſet inueniri, & dici, vbi illa ceſſat. Dum Deus formabat dies, in ſingu- Gen. 1. lis bonum inueniebat. Gen. 1. *Vidit Deus lucem, quod eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris. Appellauítque lucem diem, & tenebras noctem, factúmque eſt veſpere, & mane dies vnus.* Similiter de tertio die locutus ait: *Et vidit Deus, quod eſſet bonum. Et factum eſt veſpere, & mane dies tertius:* & ſic de reliquis. Solum de die ſecundo, quo duo dies conſtituebantur, non dicitur, quod in eo viderit Deus, quod eſſet bonum. Quippè ſolum dicit: *Vocauítque Deus firmamentum cœlum, & factum eſt veſpere, & mane dies ſecundus.* Et quando in aliis diebus præmittebat illud, nimirùm, *vidit Deus, quod eſſet bonum*, cur in hoc ſecundo die, non id præmiſit? Conſtituebantur ibi duo dies, in quo adumbrabatur coniugium, ideò cauit Deus ibi aſſerere abſolutè, & ſimpliciter eſſe bonum, quando in ſola virginitate abſumitur omnis temporalis mali ſuſpicio. Ait D. Hier. lib. 1. aduerſus Iouinian. *Cum Scriptura in primo, & tertio, & quarto, & quinto, & ſexto die expletis operibus ſingulorum dixerit: Et vidit Deus, quia bonum eſt, in ſecundo die hoc omnino ſubtraxit: nobis intelligentiam derelinquens, non eſſe bonum duplicẽ numerum, quia ab vnione diuidat, & præfiguret fœdera nuptiarum.* Et quidem vbi eſt vel vmbra coniugij non poteſt abeſſe ſuſpicio mali, nimirum, pœnalitatis temporalis, laboris multi, ærumnoſæ ſolicitudinis periculi inſidioſi, quorum malorum ſuſpiciones tollit virginitas. Proh quam nihil timendum in virginitate appareat! Ezech. c. 24. ait: *Mortua eſt vxor mea* Ezec 24. *veſpere, feciq; mane ſicut præceperat mihi Dominus.* Quæ verba expendens D. Hier. ait ſupra: *Moritur vxor, &* D. Hier. *coniugale vinculum ſoluitur, & abſque vlla trepidatione ſemper in officio prophetali eſt.* Et trepidationis, & metus occaſio deficit, vbi tollitur vxor, & ſplendet ſtatus virgineus. Hinc Luc. 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in* Luc. 1. *ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth; ad virginem.* Non enim niſi per virginem voluit Deus ad nos venire. Et cur non niſi per virginem? Ait D. Ambr. lib. 10. D. Amb. epiſt. 89. *Dominus noſter Ieſus Chriſtus iudicauit homines magis beneficiis allegari poſſe, quàm metu. plúſque charitate proficere, quam formidine ad correctionem. Itáque promiſit gratiam veniens per virginis partum*, &c. Ecce tibi, vbi metus, formidóque erant abolenda, gratiæ, & beneficia oſtentanda, venit Dominus per virginis partum; non enim in virginitate eſt, quod formides, ſed multum, quod ſperes, quod ames.

Num. 31. Cúmque acceſſiſſent Principes exercitus ad Moyſem, & tribuni, centurionéſque dixerunt. Nos ſerui tui recenſuimus numerum pugnatorum, quos habuimus ſub manu noſtra; & ne vnus quidẽ defuit. Ob hanc cauſam offerimus in donariis Domini ſinguli, quod in præda auri potuimus inuenire, periſcelides, & armillas, annulos, & dextralia, ac murænulas, vt depreceris pro nobis Dominum.

§. XXI.

Gratitudo nunquam non lucroſa.

SApienter exercitus Principes muneribus aureis teſtantur gratitudinem ſuam ob victoriam partam, dicunt enim: *Recenſuimus numerum pugnatorum, quos habuimus ſub manu noſtra, & ne vnus quidem defuit. Ob hanc cauſam offerimus in donariis Domini ſinguli, quod in præda auri potuimus inuenire*, &c. Ob tantum beneficium acceptũ offerunt aurum prædæ Domino in gratiarum actionem, quo non auri perditionem, ſed maius ſibi lucrum reponunt. Nunquam enim gratitudo in Deum non eſt lucroſa. Exod. 13. cauebat Dominus: Exod 13. *Cùm introduxerit te Deus in terram Chananæi, ſicut iurauit tibi, & patribus tuis, & dederit eam tibi, ſeparabis omne quod aperit vulvam, Domino.* Pro dato beneficio exigit Dominus primogenita ſibi, an vt depauperetur populus ſpoliatus primogenitis gregum ſuorũ? Abſit, ſed vt magis ditetur, quãdo gratitudinis teſtatio in aliquo dono, nunquam non recipit maiora. Ait Lyppom. in Lyppom. cat. *Deus exigit primogenita, non quod Deus indigeat hoc cultu, ſed vt homines hac oblatione teſtentur gratitudinem ſuam. Teſtari autem gratitudinem opus eſt acceptiſſimum Deo, & inuitat Deum ad maiorem liberalitatem. Quare, qui ex fide obtulerunt primogenita conſecuti ſunt paruo ſumptu magna Dei beneficia.* Neſcit ſterileſcere gratitudo, ſed quo magis exhibet gratiarum munus, eò paratior eſt, vt maiora accipiat. Hinc Pſal. 115. *Quid* Pſ. 115. *retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicẽ ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Simul & retribuere

retribuere cogitat, & manus tendit, vt noua accipiat, nequit enim gratiarum retributio non parare maiora
D. Aug. beneficia. Ait D. Aug. ser. 151. de Tempore: *Circunspiciens vndique, quid retribuat, quasi inuenit. Quid inuenit? Calicem salutaris accipiam. Retribuere cogitabas, adhuc accipere quærebas.* Eo ipso quod retribuere cogitas, accipere quæris, nemo enim retribuit gratiam Deo pro be-
Matt. 6. neficiis, qui maiora non acceperit. Matt. 6. monebat Dominus: *Cum ieiunaueris, vnge caput tuũ.* Quæ verba tropologicè accipiuntur à D. Ber. quasi per illa iubeamur, vt caput nostrum Christum vngamus. Sed quid præstabit nostra vnctio Christo Domino? Sanè Christo nihil præstabit, at nobis multũ, quidquid enim illi pro beneficiis in nos collatis retribuimus, non potest nobis
D. Ber. non esse valde vtile. Ait D. Ber. ser. 1. de Quadragesi. *Vnctum à patre est caput nostrum, & nihilominus vngi petit à nobis. Cum ieiunaueris, inquit, vnge caput tuum. Itáne aquam petit à riuulo fons indeficiens? Petit sine dubio, aut certè repetit magis. Ad fontem enim vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant. Non vero vt minus habens, quod dederat Christus, repetit, sed ne tibi pereat, quidquid ad eum referre volueris. Siquidem etiam fluminis aqua si stare cœperit, & ipsa putrescet. Sic plane, sic gratiarum cessat decursus, vbi recursus non fuerit, nec modo nihil augetur ingrato, sed & quod acceperat, vertitur ei in perniciem.* Nunquam non pernicies accidit ingrato, sed qui gratus est, vix nouit ruinam, quin magna lucra experitur, quando illi beneficiorum fontes non exhauriũtur. Seruus ille Abrahæ profectus Mesopotamiam, vt quæreret sponsam filio Domini sui, dum Rebbeccam of-
Gen. 24. fendit respondentem votis suis, nil prius agit, quam gratiarum actiones Deo, dicit enim Gen. 24. *Inclinauit se homo, & adorauit Dominum, dicens: Benedictus Dominus Deus Domini mei Abraham*, &c. Quod ponderans
Theod. Theod. serm. 8. de Prouidentia multis extollit eius gratitudinem, vt fonte tantorum beneficiorum inquiens. *Postquam vero signa, quæ petierat, vidit omnia, nec tunc quidem ante gratiarum actionem desponsationis symbola dedit, nec voluptate victus largitoris oblitus est. Sed donum coram videns, se doni quoque largitorem videre credidit, & prius pro virili ipsum collaudauit, deinde hoc modo munus oblatum suscepit. Postquam enim plura, quam postularat, accepit, quantis potuit laudibus beneficij huius authori gratias retulit, & diuinis promissionibus veritatis testimonium tulit. Benedictus enim, inquit, Dominus Deus Domini mei*, &c. Ecce tibi vt homini prompto referre gratias Deo omnia illi eueniunt fortunatissima, & maiora, pluráque recipit, quàm optauerat ipse.

§. XXII.

Præstantissima victoria est, & quæ à solo Deo venire potest, qua nullus victricis partis occumbit.

VIde nouam, & inusitatam victoriam nullius sanguine emptam, dicunt enim: *Recensuimus numerum pugnatorum, quos habuimus sub manu nostra, & ne vnus quidem defuit.* Mira res, præstantissima victoria, & quam merito Deo acceptam referunt exhibitis donis, à solo enim potest venire victoria, quæ nullo compa-
4. Reg. 6. retur sanguine victoris. Vidi 4. Reg. 6. ingentem Syrorum exercitum aduersus Elisæum venire; *Porrò Elisæus orauit ad Dominum, dicens: Percute, obsecro, gentem hanc cæcitate. Percussítque eos Dominus, ne viderent iuxta verbum Elisæi. Dixit autem ad eos Elisæus:* Non est hæc via, neque ista est ciuitas: sequimini me, & ostendam vobis virum, quem quæritis. *Duxit ergo eos in Samariã, dixit Elisæus:* Domine, aperi oculos istorum, vt videant. *Aperuítque Dominus oculos eorum, & viderunt se esse in medio Samariæ.* Ecce tibi vnus Elisæus cum Deo agens ingentem hostium exercitum cõcludit, & securus ipse omnes periculo mortis exponit. Quis vnquam Regum talem victoriam obtinuit? Sanè hæc est præstantissima,

& quæ non venit virtute militũ, sed beneficio Domini annuentis suorum votis. Ex quo sapienter D. Ambr. D. Amb.
ser. 1. de Elisæo, ait: *Vbi sunt, qui dicunt, plus quam preces sanctorum hominum arma posse? Ecce vna oratio Elisæi totum exercitũ vulnerauit, & vnius prophetæ meritis omnis est hostium numerus captiuatus. Quæ caterua Regum, quæ turba militum talem victoriam perpetrarunt, vt ita hostes prosternerent, vt de illis nullus occũberet. Hæc est vera, hæc incruenta victoria, vbi sic aduersarius vincitur, vt de vincentibus nemo lædatur.* Hoc victoriæ genus præstantissimum nullus negabit, sed neque inueniet vllus, nisi in
1. Reg 30 iis, qui perspicue Dei vtuntur auxilio. Dauid 1. Reg. 30. cum paucis sociis non dubitauit persequi ingentem Amalechitarum exercitum, qui & prædatus fuerat, & populatus oppidum Siceleg, & tandem vniuersos percutiens præter quadringentos, qui fugerunt, incolumis cum suis rediens, inimicorum spolia præmittebat in signum triumphi. Quem extollebant voces militum dicentium, *Hæc est præda Dauid.* Vbi Carthus. ait: *Hæc* Carthus.
est præda Dauid, quasi dicant, tam præclaram, copiosámque prædam decuit Dauid diuina virtute acquirere. Et meritò sanctus vir tam incruentam victoriam non ab alio,
1. Reg. 14 quam à diuina virtute putat venisse. Similiter 1. Reg. 14. vbi Ionathas Saulis filius cum solo socio armigero ausus est in numerosissimum exercitum insurgere; ipse incolumis cum socio suo interfectos omnes Philisthinos vidit. Quod notans textus ait: *Et accidit quasi miraculum à Deo.* Solus enim Deus potens est tales seruis suis præstare triumphos. Non aliter Iudic. 7. Gedeon Iudic. 7.
cum solis trecentis immensas Madianitarum copias fudit, sed quia, vt ait textus: *Immisit Dominus gladium, in omnibus castris*, &c. De Dei manu pugnante venit, quod pauci incolumes innumeros hostes ante se interfectos videant. Quod & factum est 2. Paralip. 20. nec 2. Par. 20
vsquam simile fuit visum, nisi pugnante Deo cum populo suo. Hinc post numerata vniuersa bella ab orbe condito commissa, tandem deuenit Paulus Orosius ad tempora Theodosij Imperatoris Christianissimi, cuius incruentas victorias dum numerat, vt maximum tyrannum trucidauit nullo suorum sanguine fuso, vt alia etiam prælia finiuit, vt pene solus cantatissimum triumphum ageret de rebellibus apud Alpes, quin vel paruũ militem amitteret. Tandem finit Paul. Oros. lib. 7. cap. Paul. Or.
35. *Non insulto obtrectatoribus nostris. Vnum aliquod ab initio Vrbis conditæ bellum proferant, tam pia necessitate susceptum, tam diuina fœlicitate confectum, tam clementi benignitate sopitum, vbi neque pugna grauem cædem, neque victoria cruentam exegerit vltionem: & fortasse concedam, vt non hæc fidei Christiani ducis concessa videantur.* Confidenter loquitur eruditissimus Christi miles, qui vt omnia mundi bella vsque ad sua tempora nouerat, sic audet putare, non nisi apud fideles duces inuentas esse victorias nullo vincentium sanguine fuso.

§. XXIII.

Præstantissimi Christi bellatores à concordia vnanimitate elucent.

MAgna fuit Israëlitarum victoria, quod nullus in prælio occubuit. Quippè ait: *Recensuimus numerum pugnatorum; & nec vnus quidem defuit.* Sed illud maius, quod ostendit in præsenti Græca lectio Originis dicens: *Collegimus summam virorum bellatorum nostrorum; & non dissensit ex nobis quisquam.* Magnũ erat, quod nemo in bello caderet, sed illud maius, quod nec in bello, nec in victoria, nec in partitione spoliorum vnus ab alio discordaret, dissentiret. Hoc non inuenitur in vulgaribus bellatoribus, sed in præstantissimis. Accipite Originem hom. 26. in præsenti Orig.
pulchrè hac de re disserẽtem: *Denique non est dictum de communi numero bellatorum, quia nemo in eis dissensit:*

ſed de iis dictum eſt, qui ſumma bellatorum nominati ſunt. In iſtis enim qui tales ſunt, nulla diſſenſio, nulla diſcordia. Ipſi enim ſunt iſti, de quibus dictum eſt. Erat autem credẽtium cor, & anima vna, nec quiſquam eorum aliquid proprium dicebat. ſed erant illis omnia communia. Iſti ſunt ergo ſumma bellatorum in quibus nemo diſſenſit. Fallar, ſi quod ſignum clarius præſtantiſſimorum bellatorũ Dei poſſit inueniri, quam hoc, quod nemo diſſenſit in eis, quod non diſſenſiones foueant, nec admittant. Vane enim ſibi blanditur quis de ſtrenuè nauata opera Dei militiæ, ſi diſſenſiones nutriuit, ſi proximorũ vnanimitatem diſrupit. Dicebat Ioan. 1. epiſt. 4. *Deus dilectio eſt, & qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in illo manet.* Quæ verba premens D. Cyprian. de vnitate Eccleſiæ inquit: *Cum Deo manere non poſſunt, qui eſſe in Eccleſia Dei vnanimes noluerunt, ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti beſtiis animas ſuas ponant, non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ; nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus. Occidi talis poteſt, coronari non poteſt.* Sanè inter Chriſti milites, illos ſtrenuos, & præſtantiſſimos putamus, qui cum flammis, cum beſtiis, cum morte pro fide & religione pugnant. Sed vide vnde & per hæc duriſſima prælia adhuc quis præſtantis Chriſti militis non attingat inſigne, nimirũ ſi in Eccleſia cum aliis vnanimis eſſe nolit, ſed magis in diſſenſionibus, & diſcordiis ſit. Is licet in arenam deſcendat imperterritus, licet flammas vincat tolerantia, licet per medias mortes currat, Chriſtiani bellatoris decora non attinget. Illi ſummum Chriſtiani belli culmen pertingunt, qui neſciunt diſſenſiones vllas. Hinc eſt, quod 2. Reg. 23. vbi ponitur cathalogus fortium Dauid, Ioab, & Amaſa totius Iſraëliticæ militiæ Principes non ibi recenſentur, dicit enim: *Hæc nomina fortiũ Dauid, &c. Poſt hunc Eleazar, &c. Poſt hunc Semma, &c.* Sic fortiſſimorum Dauidis ducunt nomina ponens, eos præterit, quos omniũ Principes ex ſcriptura nouimus, nimirum Ioab, & Amaſam Et cur hos à nomine fortiorum excludit? Ait Carthuſianus ibi: *Porrò Ioab nõ exprimitur hîc inter fortes, quia inter fortes demeruit nominari, propter turpia facta ſua, quibus proditorie, & inique occidit ſtrenuiſſimos viros Abner, & Amaſam. Quo circa mirum apparet; quod ſtrenuiſſimus ille Amaſa inter fortes non ponitur, quod forſan contigit, quia adhæſit Abſaloni aduerſus regem Dauidem.* Et merito licet ij adeò erant fortes, vt Principes eſſent totius Iſraëliticæ militiæ, tamen quia fouerunt diſcordias, & diuiſiones, & nõ ſeruarunt vnanimitatẽ, excluſi ſunt à numero, & re virorum fortiũ. Minimè enim fortis honorem accipit in regno Chriſti, qui percutit fratrem, & charitatem ſcindit propter lucra propria, nec qui adhæret pacis, & vnitatis turbatoribus. Ille fortis, ille ſe ſtrenue in præliis Domini gerit, qui nouit vnanimitatẽ, & concordiam retinere. Apocal. 12. *Factum eſt prælium magnum in cœlo, Michaël, & Angeli eius præliabantur cum Dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt*, &c. Ecce tibi inualida, & infirma pars draconis inuenta eſt in prælio; pars autem Michaëlis & Angelorũ eius fortis, & ſtrenua. Et vnde tanta illi infirmitas, & huic tam ſingularis fortitudo? Ait D. Naz. orat. 12. *Ex Angelis autem, is, qui ſeditionem concitare auſus eſt, dignas arrogantia ſua pœnas dedit; reliqui vero in ſua dignitate perſtant, cuius primum illud eſt, quod pacati ſunt, ac diſſidij expertes, quippè qui à ſancta, & laudanda Trinitate hoc acceperunt, vt vnũ ſint.* Expende, in quo ſit tota cœleſtis exercitus valentia, nimirum: *Quod pacati ſunt, ac diſſidij expertes*, quãdo ipſi in ſe nullam diſſenſionem nouerunt, nullúſque eorum ab altero diſſenſit, inde fortiſſimorum pugnatorũ glorias tenuerunt. Ad triumphatorum partes acceſſerunt, qui diſſidia exſibilarunt; periere diſcordiarũ ſeminatores. Et quæ domus non pereat, in qua diſcordia cernitur? Gen. 37. *Iſraël autem diligebat Ioſeph ſuper omnes filios*, &c. *Fecitque ei tunicam polymitam. Videntes autem fratres eius, quod à patre plus cunctis filiis amaretur, oderunt eum*, &c. Vtinam non tunicam diſcordiæ cauſam filio dediſſet, ſed magis fratrum gratiam illi acquireret, & non tot mala paſſus eſſet. Ex quo monet D. Ambr. lib. de Ioſeph c. 2. *Plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur. Hæc præclarior munificentia patrum, hæc ditior hæreditas filiorum. Iungat liberos æqualis gratia, quos iunxit æqualis natura.* Equidem nunquam filius præſtantiorem acquirit hæreditatem, quàm eam, cum qua à fratribus non diſſentit.

§. XXIV.

Ille præclarum Deo munus offert, qui ab omni diſcordia, & diſſenſione liber eſt.

VIde vnde in hanc mentem veniant, vt Deo offerant aureum munus. Dicunt enim: *Recenſuimus numerum pugnatorum, & ne vnus quidem defuit. Ob hanc cauſam offerimus in donariis Domini*, &c. Quæ ſic ex Græco apud Originem ſonant: *Collegimus ſummam virorum bellatorum noſtrorum, & non diſſenſit ex nobis quiſquam, & obtulimus munus Domino*, &c. Vbi nullus diſſenſit, nullus fuit, qui diſſenſiones nutriret, in eam veniunt mentem, vt munus offerant Deo pro acceptis. Nec enim Deo gratum munus poſſet offerri niſi à non diſſentientibus. Ait ibi Orig. hom. 26. *Quidquid in intellectibus, quidquid in operibus habent, Deo offerunt. Sciũt enim quia munera eius, data eius ſunt, & ideo non diſſentit in eis nec vnus. Neque enim poſſent munera offerre Deo poſiti in diſſenſione.* Hoc primum efficiant, qui Deo & præclarum, & gratum munus offerre volunt, tollant à ſe omnem diſſenſionis ſuſpicionem, abſint prorſus ab omni diſcordia, non enim à diſcordibus, à diſſentientibus, ſed ab iis, qui maximè concordes, & vnanimes ſunt, poſſunt venire munera, quæ placeant Domino. Hinc Pſal. 150. *Laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius. Laudate eum in ſono tubæ: laudate eum in pſalterio, & cithara. Laudate eum in tympano, & choro; laudate eum in chordis, & organo.* Petit ex vno capite, quod illæ dentur Deo laudes, quæ optimè eius magnitudini correſpondeant, & ex alio capite nullam aliam vocem requirit, niſi quæ veniat ab inſtrumentis muſicorũ. Cur bone non magis petis voces humani cordis? Cur nõ magis requiris pretioſos animæ affectus? Quid ſi cithara, ſi pſalterium, ſi organum, ſi tuba reſonent, & taceant corda? Cur ergo præteris vocem cordis, & ſola meminiſti inſtrumenta muſicorum? Non otioſe meminit inſtrumenta muſica, ſed vt innuat, vnde placere Deo poſſunt etiam munera cordis, nimirum ex concordia; vt enim tota muſicæ præſtantia in concordia ſita eſt, vt vel ſi quodlibet inſtrumentum diſſentiat, diſſonet, vehementer offendat muſica auditores. Sic qui Deo laudando, munerandove accedit, ita debet eſſe compoſitus, vt nec minimam præ ſe ferat diſſenſionem. Ait Orig. hom. 26. in Num. *Diſcenda igitur magnopere nobis eſt conſonantia diſciplinæ, quia tanquam in muſicis, ſi harmonia chordarum fuerit conſonanter aptata ſonum ſuauis modulati carminis reddit: ſi vero ſit aliqua in fidibus diſſonantia, ingratiſſimus ſonus additur, & carminis dulcedo corrumpitur, ita & ij, qui Deo militant, ſi diſſenſiones, & diſcordias inter ſe habeant, ingrata erunt omnia, & nihil acceptum Deo videbitur, etiamſi multa bella conficiant, etiamſi ſpolia multa deferant, & multa munera offerant Deo.* Multus ſis licet in virtutibus, in facinoribus, in muneribus offerendis Domino, ſi diſcordia laboras, ſi minimè concordem fratribus tuis animum referas Domino, nihil illi refers gratioſum; cui in primis grata eſt concordantium animorum harmonia. Illud enim & præclarum, & Deo gratũ munus eſt, quod venit à concordibus. Hinc Dauid nactus Saulem in ſpelunca ſolum, 1. Reg. 24. cum audiret commilitonum voces multum diſcrepantes ab eius animo; ipſe enim parcere volebat hoſti, illi è contra petebant, vt interficeret Saulem:

Saulem: *Confregit viros suos sermonibus, & non permisit eos, vt insurgerent in Saul.* Duo præstantissima fecit in sociis suis, alterum, quod non permisit illis, quod nocerent hosti; alterum, quod illos cõfregit sermonibus, hoc est, illos traxit bonis verbis in suam sententiã de seruando hoste. Sed quando pro Saule seruando sufficeret, vt Dauid non permitteret suis illi manus inferre, quamtumuis ipsi dissentirent ab illa clemẽtia; cur insuper maluit eos verbis adducere in eam mentem, vt secum vellent parcere hosti? Equidem hinc sacrificium suum omni ex parte gratum faciebat domino, quando ex concordi volũtate suorum parcebat hosti.

D. Chrys. Ad hæc ait D. Chrys. hom. 2. de Dauide, & Saule: *Non absque Dei præsidio valuisset Dauid illos furentes deuincere, sed hæc erat Dei gratia, quæ veluti suadelam quandam addebat prophetæ verbis. Tametsi nõ leue momentũ Dauid huc attulit, qui quoniam illos superiore tempore sic instituebat, idcirco in articulo certaminis eos paratos, & morigeros inuenit. Nec enim aliter atque aliquis Episcopi munus fortitus ad illos concionem habebat, ac peracta hac concione sacrificium obtulit.* Non equidem putauit sacrificiũ gratum offerendum, prius quam concionem faceret, qua suos traheret in eandem animi sententiam, vt de harmonia concordium quid gratum resultaret, quod posset offerri Deo.

§. XXV.

Ibi solum vnanimitas, & concordia potest esse, vbi lucrum contemnitur.

Miranda mihi venit lectio Orig. quæ in præsenti dicit: *Collegimus summam virorum bellatorum nostrorum, & non dissensit ex nobis quisquam, & obtulimus munus domino vnusquisque vir, quodcunque inuenit vas aureum*, &c. Mirum sanè est, quod in exercitu bellatorum, in pugna, & in victoria, & in præda nullus inuentus fuerit, qui ab alio dissentiret. Ait enim. *Nullus dissensit è nobis*; & vnde orta fuit tam inaudita conformitas, & vnanimitas militum? Ait text. *Obtulimus munus Domino, vnusquisque vir, quodcunq; inuenit, vas aureum*, &c. Sic circa spolia fuerunt dispositi, vt quæcunq; pretiosa fuissent, ea Deo obtulerint; in iis autẽ, qui pretiosa lucra despiciebant pro Deo, non miror, quod potuerit tanta inueniri vnanimitas, quæ solũ vbi aurum contẽnitur, inuenitur. De primis fidelibus dicitur Act. 4. *Multitudinis autem credentiũ erat cor vnum, & anima vna, neque quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat*, &c. *Quotquot enim possessores agrorũ, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorũ, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Quis non miretur in tanta multitudine credentium tantam vnanimitatem, qua videretur illis esse & cor vnum, & anima vna? Et quomodo in illis conseruabatur tanta vnanimitas? Et aurum, & opes contemnebant, nihil sibi reseruãtes, sed

D. Chrys. omnia pedibus Apostolorũ sistunt. Ait D. Chrys. in illud Pauli dictũ: Oportet hæreses esse ex 1. ad Cor. 11. *Quam primum Apostoli verbum veritatis seminare cœperunt, annumerati sunt eis statim tria millia, & iterũ quinque millia, erátque ipsorum omnium cor & anima vna. Et quis tantæ cõcordiæ author? Quod illud charitatis vinculũ? Quodnam animarum illud philtrum? Opum contemptus. Nullus enim ipsorum dicebat suum aliquid esse*, &c. Ecce tibi vnus opum contemptus, qui eos adducebat, vt pretiosa quæque venderent, & Deo offerrent, homines vnanimes, & concordes tenebat, vt viderẽtur habere, & cor vnum, & animã vnam. Quæ vnanimitas necessario soluitur, vbi diuitiæ non spernuntur, sed quæruntur. Hinc crescentibus diuitiis Lothi, ait ille Abraham

Gen 13. Gen. 13. *Ne quæso sit iurgium inter me, & te, & inter pastores meos, & pastores tuos, fratres enim sumus. Ecce vni-*

D. Chrys. *uersa terra corã te est: Recede à me, obsecro.* Vbi D. Chrys. *Aucta sunt armenta, affluxerunt diuitiæ multæ, & statim scinditur concordia. Antea erat pax, & charitatis vinculũ, nunc rixa & contentio. Et operibus mõstrabat Abraham,*

quod non facit diuisionem sua sponte, neq; separare vult, sed ob contentionis necessitatem, vt ne in domo sit perpetuum bellum. Putabat merito sanctus vir cũ diuitiis, & lucri amore, non posse in domo deficere & contentiones, & bella. Persuadeát hoc sibi vniuersi homines, quod eisdem pedibus, quibus ad diuitias cucurrerint, in bella, & dissensiones cruentissimas venient. Loth enim lucra eligens, diuitis Sodomitarum campi raptus vbertate illo cõtendit. Et quid inuenit nisi bella? Gen. 14. *Egressi sunt Rex Sodomorũ, & rex Gomorrhæ, réxque Adamæ, & Rex Seboim; necnon & Rex Bale*, &c. *quatuor reges aduersùs quinque*, &c. *Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum*, &c. *Necnon & Loth, & substantiam eius.* Id quod ponderans D. Amb. lib. 1. de Abrahã c. 3. ait *Loth amœnam elegit, quæ cito prædonum oculos incurrit. Hinc bellum inter Reges, aduersariorum victoria, incolarum captiuitas.* Hæc inseparabilia sunt ab humanis, & temporalib. lucris, adeò vt nec vel vna veste diteris, quin inde dissensiones insurgant. Gen. 38. *Israël autem diligebat Ioseph*, &c. *fecítque ei tunicam polymitam. Videntes autem fratres, quod à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum.* Vbi data Iosepho fuit tunica polymita, statim fratres eius præcellentiam in patris amore viderunt, & eum oderunt. Ex quo D. Amb. lib de Ioseph c. 2. *Lucrũ pietas nescit pecuniæ, in quo pietatis dispendium est. Quid miraris, si propter fundum, aut domum oriuntur inter fratres iurgia quando propter tunicam inter filios Iacob sancti arsit inuidia?* Nec vnius tunicæ acquisitio potuit vitare fratrum dissensiones, & iurgia.

D. Amb.

D. Amb.

Gen. 38.

Num. 31. Susceperúntque Moyses, & Eleazar sacerdos omne aurum in diuersis speciebus, põdo sedecim millia, & septingentos quinquaginta siclos à tribunis, & centurionibus. Vnusquisque enim quod in præda rapuerat, suum erat. Et susceptum intulerunt in tabernaculũ testimonij, in monumentum filiorum Israël coram domino.

§. XXVI.

Vltronei, & voluntarij in Dei obsequio præstantissimum obtinent locum in domo domini.

Ecce tibi aurum à principibus oblatum accipiunt Moyses, & Eleazar, & in tabernaculo illud reponunt. Dicit námque: *Susceptum intulerunt in tabernaculum testimonij, in monumentum*, &c. Sed dona ex vniuersis multitudinis hominibus data, non sic accepta fuerunt, nec sic in tabernaculo reposita. Solum enim dicitur de illis: *Tradidítque Moyses numerum primitiarum Domini Eleazaro sacerdoti ex media parte filiorum Israël: De media vero parte, quæ contigerat multitudini*, &c. *tulit Dominus quinquagesimum caput, & dedit Leuitis.* De iis dicitur, quod data sunt, sed explicatur, vt accepta fuere, vt reposita; de illis autem totum id explicatur, & quod accepta, & quod reposita fuerũt in tabernaculo. Sed cur hæc magis reponuntur in tabernaculo, quam illa? Illa extorta fuerant præcepto Domini; hæc autem offerebant principes omnino voluntarie, ex propria, & vltronea deuotione, nullius coacti præcepto superioris; hinc & acceptiora Deo, & digna præstantissimo tabernaculi reponi loco. Fœlix qui sic voluntarius, & vltroneus est in oblatione, qui præstantissimum in domo Dei tenebit locum. Psal. 44. celebrans voluntariæ virginitatis vota sic ait: *Adducentur regi virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi. Afferentur in lætitia, & exultatione, adducentur in templum Regis.* Expende, quo perueniant tandem qui virginitate florent, nimirũ peruenient vsque ad templum diuinissimi Regis, vt præstanti in domo Dei locum tenere possint. Sed quæ virgines tantam adipiscentur gloriam? Sanè non omnes, sed quæ voluntariæ fuerint in virginitatis cultu & vltroneæ. Accipite D. Basilium fantem ibi: *Hæ porrò*

Psal. 44.

D. Basil.

virgines in lætitia, & exultatione adducentur, ducentur in templum Regis. Non quæ virginitatis voto se substrauerũt vt adactæ; non item quæ ex tristitia, aut necessitate vitæ virginalis sanctimoniam susceperunt, sed quæ in lætitia, & exultatione gaudent, & se exilarant tali officio perficiundæ virtutis addictæ: hæ demum adducentur Regi, & adducentur, non in vnum plebeium, & vulgarem locum, sed in templum Regis. Itáque è virginibus, quæ inueniuntur dicatæ Deo, illæ solæ afferentur Deo; illæ solæ præstantem diuinæ domus occupant sedem, quæ non coactè, sed voluntariè, & spontaneè virginitatis suæ donum offerunt Deo. Nihil enim non spontaneum admittitur in
9. Reg. 6. Dei templo. Dicebat. 3. Reg. 6. *Domus autem cum ædificaretur de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata est: & malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cùm ædificaretur.* Hoc mirandum valdè, quod cum Dei templum ædificaretur lapidibus perfectè dolatis, nullo malleo, nec ferro, nec ictu dolarentur. Et cur tanto miraculo vsus est Deus in lapidibus dolandis ad fabricam templi? Non placet Deo illa perfectio, quæ coactè ferro, & vi statuitur, sed quod spontaneè venit; ideò omnia violentiæ instrumenta ablegauit à
3. Reg 21. suo templo, & prouidit, quod lapides spontè sua dolati nascerentur. Ait Theodoret. 3. Reg. 21. *Ipsum quidem templum ædificauit ex lapidibus minimè cæsis securibus, cùm diuina voluissent prouidentia, vt inuenirentur eiusmodi sua sponte nati lapides, adeò, vt ad eos compingendos nullo ferro opus fuerit, sed absque vlla arte ædificandi inter se apte coniungerentur.* Expende, qui lapides admittebãtur in Dei templum, non quidem qui ferro, & vi perfectas figuras, & formas induebant, sed qui tales sponte sua nascebantur. Solus enim qui spontaneus est in diuino obsequio præcipuum locum obtinet in Dei templo. Hinc postquam filij Leui sponte sua ad Moysem accessissent, vt adoratores vituli perderent, & post
Exod. 32. trucidatos ab illis idololatras, ait Moyses Exod. 32. *Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio, & fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Quibus verbis illos deputabat in id munus, vt ministrarent Domino.
Philo. Ex quo Philo lib. 2. de vita Moysis, ait: *Dum Moses laudat publicè horum fortitudinẽ, honorem eis decreuit perpetuum, conuenientem facinori præclarissimo. Decebat enim vt qui in honorem Dei vltro arma sumserunt, & impios momento debellauerant, præmium acciperent ipsius cultum ac cæremonias.* Sic qui vltro decertant pro virtute, inter præstantissimos cooptantur Dei ministros.

§. XXVII.

Regalis animi est Deum muneribus honorare.

QVi pro beneficiis acceptis vltra debitum aliqua Deo offerant principes exercitus sunt, non populares, cum dicat textus: *Susceperúntque Moyses, & Eleazar omne aurum à tribunis, & centurionibus.* Semper enim est regalis animi, quod velit Deum suis muneri-
Oleaster. bus honorare. Id quod monebat Oleaster in præsenti, fatus: *Debent duces, & maiores peculiarem ostendere Domino gratitudinem, & gratias agere, si Dominus suos incolumes seruet. Et vide ingratitudinem populi. Qui seruantur, nihil Domino offerunt, sed duces, quibus seruati sunt, gratias Domino referunt.* Non equidem à gregalibus militibus, sed à ducibus, sed à principibus veniunt munera Deo pro actione gratiarum. In nullo enim clarius ostenditur regalis cuiusque animus, quam si in omni-
Num. 21 bus acceptis meminerit Deum munerari. Num. c. 21. *Et ex eo loco apparuit puteus super quo locutus est Dominus ad Moysem: Congrega populum, & dabo ei aquam. Tunc cecinit Israël carmen istud: Ascendat puteus. Concinabant, puteus, quẽ foderũt principes, & parauerũt Duces multitudinis in datore legis, & in baculis suis. Profectíque sunt de solitudine in Mathana,* &c. Ecce tibi proficiscẽtibus Israëlitis per solitudinem apparuit puteus, apud quem cecinerunt præ gaudio, & biberũt de eius aquis, & profecti inde venerunt in Mathana; Mathana verò significat munera ipsorum. Et quid est, quod vbi biberunt de puteo à principibus, ducibúsque effosso, statim accedunt ad locum, qui de eorum muneribus nomen habeat? Planè id eueniet, vt gustatis aquis regalissimi putei eos imbibat homo animos, quod munera Deo velit præsentare. Quò spectabat Origen. hom. 22. in Orig.
Num. aiens: *Profecti, inquit, à puteo veniunt in Mathanain. Interpretatur enim Mathanain munera ipsorum. Vide ergo, quia siquis de puteo hoc biberit, quem foderunt Reges, & principes, & statim proficit ad hoc, vt habeat munera, quæ offerat Deo.* Adeò regale est Deum muneribus colere, vt si vel de regali puteo bibas aquas, statim eo perfectioni deuenias, vt ad munerandum Deum præ manibus munera habeas.

§. XXVIII.

Sacerdotum auaritia aliis perniciosa.

ACcipiunt Moyses & Eleazar aurum, & illud in sanctuario reponunt, vt alliciãt inde Israëlitas ad simile offerendum Domino. Quippè dicit textus: *Et susceptum aurum intulerunt in tabernaculum testimonij, in monumentum filiorum Israël coram Domino.* Suscepit quondam etiam Aaron aurum à populo, quod misit in conflatorio, ex quo exiuit vitulus aureus, qui rapuit populum in sui adorationem Habes Exod. 32. *Fecítque* Exod. 32
populus, quæ iusserat, deferens inaures ad Aaron. Quas cum ille accepisset, formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem. Dixerúntque: Hi sunt dij tui, &c. Et Eleazar aurum accepit à populo, & Aaron similiter aureas inaures accepit, sed ille reponit aurum in sanctuario, vndè commonefaciebat populum similis cultus exhibendi Domino; hic autem mittit aurum in conflatorio, vndè trahit populum in vituli aurei adorationem. Et cur quod aurum in Eleazari manibus sãctum, & salutare fuit populo, in Aaronis manibus adeò pernitiosum fuit, vt missum in conflatoria in sui adorationem traxerit populum? Eleazar habuit aurum in manibus, quod ipse minimè petiuerat, nec expetiuerat; contrà Aaron aurum habuit, quod expetierat à populo, ait enim ibi: *Tollite inaures aureas, & afferte ad me*, in quo ostendebatur animus auari sacerdotis. Vbi autem sacerdos auarus est, & auri amator, non miror, quod populus aurum adoret. Rem pulchrè expendit, & deflet Galfridus Abb. in Allegoriis Tilmanni fatus: Mira Galfrid.
res, si tamen vera, quod huius author idololatriæ sacerdos extiterit. Audi ergo sacerdos auare. Aurum tibi datum est. Non enim ex tuo illud habes, vel patrimonio, vel labore, sed ex oblatione fidelium. *Sed acceptum in iguem aurum mittere, est in ipsius concupiscentia corda hominum inflammare. Ignis enim auaritiæ signat ardorem. Et in hunc ignem ab eis aurum mittitur, quorum maximè exemplis agitur, vt ardenter ametur. Quæ enim est subuersio maxima populorum? Nónne auaritia sacerdotum? Indè studium hoc vehementius terrena colendi, non in solis conscientiis oritur, sed foris etiam manifesta operatione profertur.* Planè ex quo aurum exquirunt sacerdotes, cui incubent, maximum auaritiæ ardorem inferunt multitudinis cordibus; nullus est, qui aurum non adoret, si illud videat à sacerdotibus coli. Tunc enim solum sacerdotum vox non nociua, sed salutaris populis, cum ipsi ab omni lucri amore, ab omni terrena cupiditate sunt liberi. Dicebat námque Psal. 70. *Vox tonitrui tui in* Psal. 70.
rota, tonitrum vocabat vocem euangelicæ prædicationis sacerdotibus commissam; quæ tunc in suo splendore est, quando è rota auditur. Sed quid est, vocem doctrinæ euangelicæ è rota audiri, nisi de sacerdotibus vix terrena attingentibus venire? Quo spectans Diu. Basil. serm. in Psal. 28. inquit. *Quod autem tonitruus sit* D. Basil.
Euangelium, ostendunt discipuli à Domino per metapho-

ram

ram filij tonitrui appellati. Quamobrem non cuilibet vox tonitrui talis competit, ſed ſi quis dignus fuerit, rota nominari, ei conueniet, ait enim: Vox tonitrui tui in rota, ſi quis fuerit ad anteriora contendens veluti rota, modica ſui parte terram attingens. Equidem tonitruus eſt euangelica doctrina, quæ non cuilibet miniſtro committenda eſt, vt ſalutaris ſit, ſed illi, qui inſtar rotæ perfectæ vix terrena contingat. Vbi autem miniſter euangelij totum ſe immerſerit lucris temporalibus, fallar, niſi penitus inficiat populares. Huc trahe dicta tom. 4. in Euang. lib. 16. cap. 23. §. 30.

CAPVT VLTIMVM

De Moyſis morte.

Textus Hiſtoria.

POſt datos Madianitas internecioni, facta in caſtris militum, & reliqui populi congregatione de obitu Moyſis indicium eſt factum: proceſſit ipſe, qui popularibus ſuis, fidiſſimus amator vſque ad extremũ adhæſerat, collaudat Deum omnium moderatorem, & populum admonet tranquillitatis, aperítque citum diſceſſum ſuum, ſimul precatus poſt illum Omnipotenti Deo fidos ſe exhaberent, & gratos. Et ad principes tribuum conuerſus ſingulis tribubus fortunas recitat, quas expectabant. Dein aſſumptis ſecum Ioſue, & Eleazaro montem Nebo conſcendit, cuius è cacumine terram vniuerſam ab Iſraëlitis incolendam conſpicatus, quaſi placidiſſimo ſopore correptus ad regionem viuorum euolauit. Poſt hæc Angelicis officiis funus curatur; nil requireres, quod pertineret ad pompæ funebris celebritatem, corpus Angelicis in humeris miro ſplendore adornatum; purpureus illi color erat in labiis, roſeus ſplendor ſic genas implebat, vt viuentem putares. Præibat agmen Michaël Archangelus, qui repugnantem Sathanam deturbans mortalibus oculis inacceſſum ſepulcrum in valle Moab contra Phogor tanto viro parauit. Ibi ſitus fuit Moyſes centiſſimo viceſimo ætatis ſuę anno, vnde fuit Sathanas eliminatus; nunquam enim virtuti non cedit poteſtas contraria.

PARS VNICA.

Moralis circa textus litteram.

VI cum viuente Moyſe luctati ſumus, vt proficiſcentibus ad perfectionem, poſſemus viã oſtendere regalem; nunc de eiuſdem mortui obe neceſſum eſt, vt eos ſauos extrahamus, quibus illuminemur, & reficiamur in vitam ſpiritualem.

Deut. 34. Aſcendit ergo Moyſes de campeſtribus Moab ſuper montem Nebo in verticem Phaſga contra Iericho: Oſtendítque ei Dominus omnem terram Galaad vſque Dan, & vniuerſum Nephthali, terrámque Ephraim &, Manaſſe, & omnem terram vſque ad mare nouiſſimum, & auſtralem partem, & latitudinem campi Iericho ciuitatis palmarum vſq; Segor.

§. I.

Electis viris intus adeſt diuinus halitus, quo nihil arduum non ſuperant.

ECce tibi Moyſes vt in montem intrepidus aſcendit, in quo ſcit mortẽ imminere ſibi, dixerat enim Dominus Num. 27. *Aſcende in montem iſtum Abarim, & contẽplare terram, quã daturus ſum filiis Iſraël: cúmque videris eam, ibis & tu ad populum tuum, ſicut iuit frater tuus Aaron.* Hoc Dei præceptum accepit Moyſes, & nullis populi clamoribus, nullis filiorum, amicorúmq; fletibus retardatus ſtatim omnino imperterritus vadit in montem. Dicit enim Deuth. 34. *Aſcendit ergo Moyſes de campeſtribus Moab ſuper montem Nebo,* qui erat pars montis Abarim. Sed vnde diuina vox tantum valuit in homine, quod ſpretis filiis, amicis, cognatis imperterrite, & incunctanter vadat ad mortem? Multi alij Dei voces audiunt, ſed ſi difficilia iubeant, ſurdeſcunt prorſus: Moyſes autem iuſſus difficilimum omnium ſubire in monte, nil dubitat, nil cunctatur, ſed imperterritus aſcendit in montem. Vnde hoc prouenit? Non tribuam tantum facinus efficaciæ vocis externæ, qua corporaliter extrinſecus Deus ſua mandata proponit; ſed tribuam illud efficaciæ ſpiritualis, & internæ vocis, qua intrinſecus electi viri moti trahuntur à Domino. Quorum enim internis auribus hæc ſpiritualis Dei vox ſonat, nulla illos difficultas retardat, quin omnia ardua, & lethalia vorent. Aiebat Paul. Actor. 20. *Ecce alligatus ego ſpiritu vado in Ieruſalem, quæ in ea ventura ſunt mihi ignorans, niſi quod Spiritus ſanctus per omnes ciuitates mihi proteſtatur, dicens; quia vincula, & tribulationes Ieroſolymis me manent. Sed nihil horum vereor.* Ecce tibi in Paulo omnes tormentorum & mortis timores ſuperati, non ſic ſuperatus fuit in Caino affectus iræ, imò de illo ait Gen. 4. *Iratus eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius. Dixítque Dominus ad eum. Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nónne ſi bene egeris, recipies, ſin autem male ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? Sed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius,* &c. Apparet Deus Caino, multíſque illum hortatur, vt fratris honorem ferat, nec potuit Cainus ferre honorem fratris. Paulus in ſeipſo fert catenas, vincula, & mortes, ad quæ intrepidus aduolat, Cainus poſt Dei viſitationem, poſt Dei voces, & exhortationes non vult ferre honorem in fratre. Vnde hæc differentia? Paulo vt electo vox ſpiritualis intrinſecus intonabat, & faciebat contemptorem omnium difficilium, ait enim: *Alligatus ego ſpiritu vado,* &c. Caino autem omnia erant extrinſeca, & externa, & ideò nec gradum in virtute facit. Ait D. Auguſt. lib. 15. de Ciuitat. cap. 1. citatus à Lyppomano in Cat. Geneſis: *In electis Spiritus ſanctus operatur intrinſecus, vt valeat aliquid medicina, quæ adhibetur extrinſecus. Alioquin etiamſi Deus ipſe vtens creatura ſibi ſubdita, in aliqua ſpecie humana ſenſus alloquatur humanos, ſiue iſtos corporis, ſiue illos, quos iſtis ſimillimos habemus in ſomnis, nec interiore gratiam mentem regat, nihil prodeſt homini omnis prædicatio veritatis. Facit autem hoc Deus à vaſis miſericordiæ iræ vaſa diſcernens, diſpenſatione, qua ipſe nouit, multum occulta, ſed tamen iuſta. Nam hoc ipſo, quod Deus locutus eſt ad Cain, eo modo, quo primis hominibus, per creaturam ſubiectam velut eorum ſocius forma congrua loquebatur, quid ei profuit? Nónne conceptum ſcelus in necando fratre etiam poſt verbum diuinæ admonitionis impleuit?* Totus ille Dei extrinſecus loquentis, & ſe oſtendentis apparatus nihil profecit in Caino, vt ille mentem auerteret à carnalibus deſideriis, nec à malicia mente concepta. At vox ſpiritus intrinſece reſonans in electis viris, eos ſic affícit, ſic mouet, vt in terrenorum trahat deſpectum, & in ardua quæque faciat audere. Crede mihi, omnia euanent temporalia allectamenta, & præualent æterna; vbi vox diuini ſpiritus intus in electorum animis ſonuerit. Actor. 2. *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum.* Mirabar arma à Deo ſuis militibus immiſſa pro expugnando orbe, ea erant diſpertitæ linguæ tanquam ignis. Erat in primis tota illa templi Ieroſolymitani maieſtas: Aaronicum ſacerdotium, legalia ſacrificia, quæ eliminanda erant per Apoſtolorum prædicationem. Et ad hoc tantum facinus patrandum diuinus ſpiritus ſe in linguarum ſpecie communicat Apoſtolis; nullo enim citius eũ-

Deut 34.

Actor. 20

Gen. 4.

D. Aug.

Actor. 2.

nent

nent temporalia omnia, quam ſi diuini ſpiritus lingua intrinſecus in electorũ animis ſonet. Ex quo pulchrè
Egeſip. dicebat Egeſipp.lib.5.cap.2. *Quoties exciſſa domus Dei, quoties ſeditio, quoties obſidio, quotis bellum? Et nunquam illa vrbs periit, niſi quando verum Dei templum crucifixerunt. Tunc verè ſancta eorum abſumpſit ignis diuinus; nam & exuſta à Babyloniis reparata; poſtea deſtructa à Pompeio reſeruata iterum; ſed penitus exuſta, vbi Ieſus venit, & ſpiritus diuini calore euanuerunt.* Nullæ poteſtates extrinſecus venientes valuerunt decora Ieroſolymitana funditus à mortalium cordibus eliminare; ſed vt deſtruebantur, & citiſſime reparabantur; at ex quo nato, & è mortuo Ieſu, in electorum cordibus cępit lingua diuini ſpiritus intus ſonare, protinus euanuere omnia illa temporalia, intrepide ad æterna hominibus feſtinantibus. Et quæ difficultas non ſuperetur, vbi ſonat Dei vox intrinſecis electorum animis?
D. Aug. Sapienter dicebat D.Aug.q. 167. in Exod. *Factum eſt homini facilè in nouo teſtamento, quod in veteri difficilè fuit, habenti fidem, quæ per dilectionem operatur; atque illo digito Dei, hoc eſt, ſpiritu Dei intus eam in corde ſcribente, non foris in lapide.* Fallar niſi Magdalenæ hæc vox intrinſecùs ſonabat, quæ oblita temporalium omnium audebat ad Deum etiam in domo aliena properare
Baſil.Sel Luc.7. de qua ait D.Baſil.Sel.orat. 36. *Meretrix vitam mutauit: vt facta verba Ieſu, facta vitæ commutatio, comæ, animæque retia ſoluuntur.* Sic efficacia ſunt Dei verba vbi intus in electorum animis reſonant.

§. II.

E nobilioribus, ac præſtantioribus hominibus rarus eſt, qui non trepidet ad temporale periculum.

REm ſummæ præſtãtiæ verbis exprimit textus ſimpliciſſimis, dum ait: *Aſcendit ergo Moyſes de campeſtribus Moab ſuper montem Nebo*, ſuper montem, inquam, in quo iuſſum fuerat à Deo, vt Moyſes occumberet. Quid ſimplicius dictum? Quid præſtantius factum? Quod homo intrepidus eat eò, quo ſibi mortem imminere ſcit, res eſt præſtantiſſimæ virtutis. Cur ergo tantum facinus non magis extollitur, & ponderatur à ſcriptore diuino? Cur contentus eſt dicere Moyſem aſcendiſſe in montem Nebo, nec amplius addit ponderatiuum tanti facinoris? Loquebatur ſcriptor cum iis, qui noſcebant Moyſem principem nobiliſſimum populi, ideò ſufficienter facinus exaggerabat, per hoc ſolum, quod diceret Moyſem aſcendiſſe in montem, vbi erat moriturus, quando rariſſimum eſt, & ſingulariſſimum in potentioribus, & nobilioribus viris, quod non magis timeant temporalia pericula. Memini Ioannem Euangeliſtam vocari dilectum Chriſti, & adeò à Chriſto Domino diligi, vt commendaret illi è cruce
Ioan. 19. matrem ſuam Ioan. 19. *Mulier ecce filius tuus.* Et ſi quæras ob quam præſtantiam Ioannes deuenit eò, vt ſic
D. Hier. amaretur à Ieſu? Ait D.Hieron.epiſt.ad Principiam de Marcellæ Epitaphio, inquiens: *Vnde & Ieſus Ioannem Euangeliſtam amabat plurimum; qui propter generis nobilitatem erat notus Pontifici, & Iudæorum inſidias non timebat, in tantum vt Petrum introduceret in atrium, & ſtaret ſolus Apoſtolorum ante crucem.* Hoc ſanè maximè ſubſtulit Ioannem, fecitque illum plurimum amari à Chriſto Domino, quod cum generis nobilitate fuiſſet inſignis adeò, vt propter illam eſſet notus Pontifici, nihilominus in re tanti periculi aduersùs Chriſti diſcipulos, nihil timuit, ſed impetterritus intrauit in atrium plenum carnificibus, & ſtetit ante ipſam crucem. Rara, & ſingularis prærrogatiua Ioannis, quod nobilis eſſet, & non timeret adeò atrocia temporalis vitæ pericula. Nunquam enim nobiliores non meticuloſiores
Matth.2. ſunt in temporalibus periculis. Hinc Matth. 2. dum Magi Ieroſolymis prædicant natiuitatem Chriſti; *Turbatus eſt Herodes, & omnis Ieroſolyma cum illo.* Cur potentiſſimus Rex turbatur in recenti ortu pueruli Regis futuri? Ait Paſcaſius tibi: *Turbatur Herodes, quia Cæſar Auguſtus, & ſenatus decreuerant; ne quis Rex, aut Deus diceretur ſine ipſorum conſilio. Idcirco forſan audito regis nomine, furore mouetur, ne in ſe ſi vulgatum eſſet ſenatus decreta violaſſe, diſcriminis ſententia verteretur.* Paſcaſ.
Ecce tibi in re temporalis diſcriminis vt primi Reges, & Principes timore, & turbatione ſoluuntur. Vix eſt temporalis diſcriminis odor, & primi qui terrentur, ſunt & nobiliores, & potentiores ſæculi, qui vt temporalibus magis immerſi ſunt, ſic ad quodlibet eorum damnum maiori timore mouentur.

§. III.

De ſolis perfectis virtutum operibus imperterrite ad mortem itur.

NOn otiosè deſignatur locus ex quo Moyſes in montem moriturus aſcendit, dicit enim: *Aſcendit ergo Moyſes de campeſtribus Moab*, &c. In campeſtribus Moab Moyſes Iſraëlitas luxurioſos morti dederat, inde miſit exercitum, qui Madianitarum ſcandala vindicauit, nec antea deſtitit, quam perfecta fuerit vindicta de ſceleribus admiſſis contra Deum. Ne miremur, quod de campo, in quo peccata vindicans, omnia Dei mandata perfecit imperterritus ad montem aſcendat, vbi eſt illi moriendum. Tunc enim ſolum quis imperterritus poteſt ad mortem accedere, cum perfectam vindictam de peccatis fecit, cum virtutum opera ad amuſſim perfecit. Væ autem illi, qui nulla ſumpta vindicta peccatorum, nullum virtutis propoſitum deducens ad perfectum ad mortem accedit. Matthæi 24. dum de extremo hominis fine ſit
Matt.24 ſermo, dicitur: *Væ autem prægnantibus, & nutrientibus illis diebus.* Sic oſtendit Dominus, quantum periculum immineat prægnantibus, cum finis aduenerit. Sed cur prægnantes, & nutrientes tempore finis in maiori periculo damnationis erunt, vt illis væ dicatur? Non loquitur de prægnantibus corporalibus reſpectu damnationis æternæ, ſed de ſpiritualibus prægnatibus, nimirum de iis, qui bona deſideria, & propoſitum bonum de tollendis peccatis, & virtutibus acquirendis conceperunt, ſed nunquam fuit illis virtus pariendi; nec opere compleuerunt, quod ſibi ad ſalutem neceſſarium intellexerunt, vel ſi quid effecerunt, nunquam id adoleuit, ij ſanè ſi in eo ſtatu ſunt morte adueniente, non mirum eſt, ſi pereant. Ait enim Diuus Ambroſius lib. 10. in Lucam: *Nec illæ*
D. Ambr *prægnantes condemnationis exortes ſunt, quæ in bonorum actuum molimine conſtituta, nec dum aliquos bonorum operum dederunt proceſſus. Sunt, quæ de Dei timore concipiunt, ſed non omnes pariunt, non omnes perfecti, non omnes poſſunt dicere: Peperimus ſpiritum ſalutis in terra. Non omnes Mariæ, quæ de Spiritu ſancto Chriſtum concipiant, verbum pariant. Sunt, quæ abortiuum verbum excludant, antequam pariant. Sunt, quæ in vtero Chriſtum habeant, ſed eum nondum formauerunt.* Ecce tibi iuxta Ambroſium prægnantes vocantur, quæ ſunt in molimine virtutum, in molimine pœnitentiæ, ſed nunquam ad effectum perueniunt. Hæ prægnantes non ſunt damnationis exortes in vitæ fine. Quæ ex Dei timore concipiunt bonum propoſitum, bonum deſiderium, ſed non pariunt illud, & ſi pariunt, non adoleſcere ſinunt; cum ſic perueniant ad mortem, ad extremum iudicium, magnum damnationis periculum ſubeunt. Duæ erant fœminæ, 3.Reg.3. quæ pepererant filios, ſed dum adhuc lactentes habent, altera ſuum dormiens oppreſſit, & tacitè alteri viuum ſurripuit, & appoſuit defunctum. Hinc ortæ inter illas rixæ ſunt, dum vnaquæque vocaret ſuum puerulum viuum, & defunctum alteri adſcriberet. Quid tunc? Noua &

extraor

traordinaria ſapientia Salomonis fuit neceſſaria, ne vera mater viui pueruli caderet in iudicio. Proh duram conditionem illorum, qui mentis filios adhuc lactétes habent, nec adoleſcere ſinunt, omni Dei ſapientia opus habent, vt diſcrimina fugiant extremi iudicij! Ait pulchrè D. Amb. ſuprà: *De nutrientibus docuit me illud Salomonis ſublime iudicium, & illa duarum contentio fœminarum, quod etiam ſi iam partus dolore ſint abſolutæ, adhuc autem confirmandorum pignorum metu nutent, ne cui per temulentiam nutrienti ſomnus obrepat, paruulũ mater opprimat. Sed & illa, quæ filium non peremit, periclitatur ſuo, quia iudicij hæret incerto. Ergo & nos, ne quaſi imperfectorum parentes, operum, aut iudicij dies, aut mortis inueniat, paruulos noſtros ablactare properemus.* Sanè hoc debet maximè cauere, qui velit diem mortis, iudiciique extremi ſubire intrepidus, ne tunc inueniatur, vel habẽs adhuc in vtero, vel lactentes, ſolùm habens animi fœtus. Ille enim ſolus in morte non habet, quod timeat, qui perfectam de ſceleribus egit pœnitentiam, qua in virtutibus adoleuit.

D. Amb.

§. IV.

Æterna ſpectans facilè temporalia contemnit.

MIgraturo à vita Moyſi, Dominus terras Iſraelitis promiſſas oſtẽdit, ait enim; *Oſtenditque ei Dominus omnem terram Galaad vſque Dan*, &c. Morituro terras, eorũq; diuitias. & delicias oſtendit Dominus; quòd mihi magnam facit admirationẽ, quando ſapientes homines hoc curent maximè, ne morituros aliqua ſubeat memoria terræ. Quid terra, eiúſque deliciæ ad morituros afferat niſi doloré, & pœnam? Quot terrena decora, tot hami prẽdentes abeuntis animum, ne ſine dolore diſcedat. Prenduntur equidem terrenorum affectu infirmi animi, at qui viuida fide cõtemplantur æterna, facili negotio terrenis ſe expediunt. Securè ergo Moyſi morituro terrena oſtenduntur, vt qui ad æterna feſtinans, terrena etſi præſtantiſſima contemneret. De illo aiebat Paul. ad Heb. c. 11. *Fide Moyſes grandis factus, negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem*, &c. *Aſpiciebat enim in remunerationem*, nimirùm cœleſtẽ & æternam. Erat Moyſes adoptatus filius Reginæ Ægypti, ampliſſimíque illius imperij hæres, quod quaſi in manibus iã ten. bat, in aula educatus inter delicias, & diuitias Regias. Tamen vbi viuida fide oculos ad cœleſtem remunerationem coniecit, ſponte ſua omnia à ſuo affectu terrena imperia abiecit. Ex quo Diu. Chryſoſt. ibi hom. 26. ait: *Nullus dimiſit aulam regiam, amplam, & claram, neque tales theſauros, neque cùm poſſet filius Regis eſſe, contempſit ſicut Moyſes. Qui nõ ſimpliciter dimiſit, ſed abnegauit, hoc eſt, horruit. Cælo quippè propoſito, ſuperfluum erat aulam admirari Ægyptiaci Regni.* Quid terrena Imperia omnia ad Moyſem, cuius ob oculos erat cœlum, & æternitas? Facilè deſpicit hæc temporalia animus, qui properat ad æterna Cant. 8. *Quæ habitas in hortis amici auſcultans, fac me audire vocem tuam. Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ hinnulóque ceruorum*, &c. Quę verba aptant multi expoſitores ſponſæ locutæ cũ ſpõſo inuento in hortis huius mundi, & legunt ex Greco: *Qui habitas in hortis*, &c. Et eſt mirandum, quòd ſponſa nacta ſponſum ſuum in hortis floriferis, & amænis, vbi eius conſpectum, & vocem amæniſſimè percipere poſſet, vix illum inuenit, & ſtatim clamat, vt fugiat, ait enim: *Fuge dilecte mi*, &c. Cur nõ magis petit, vt maneat in deliciis hortorum? Cur non magis amat ibi cõmorari? Ex quo de æternis bonis vocẽ audit, nihil æſtimat manere inter hæc tẽporalia, ſed æterna feſtinat capere. Ait D. Amb. lib. de bono mortis, c. 5. *Ingreditur in hortos, & inueniens ibi ſponſum ſedentem, & diſputantem cũ amicis, ait: Qui ſedes in hortis vocem tuam inſinua mihi. Mihi, inquit, non amicis. Fuge frater meus. Hortatur, vt fugiat ſponſus, quia iam ſequi poteſt etiam ipſa terrena fugientem. Dicit autem, vt ſimilis ſis damulæ, quæ euadit de retibus. Vult enim & ipſa fugere, & euolare ſupra mundũ.* Sic ad primam ſpõſi vocẽ de æternis afficitur, vt amet ſequi temporalia omnia fugientem: nec æſtimat temporalia deſpicere, dum feſtinet euolare ad æterna.

Cant 8.

Ad Heb 11.

Chryſoſt

D. Amb

Deut. 34. Dixítque Dominus ad eum: Hæc eſt terra, pro qua iuraui Abraham, Iſaac, & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidiſti eam oculis tuis, & non tranſibis ad illam. Mortuúſque eſt ibi Moyſes ſeruus Domini in terra Moab iubente Domino, & ſepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor, & non cognouit homo ſepulcrum eius vſque in præſentem diem.

§. V.

Spiritualis homo caueat ad temporalia deſcendere.

SApienter cauet Deus, ne Moyſes terrã promiſſam pertingat, ait enim: *Vidiſti eam oculis tuis, non tranſibis ad illam.* Et quid cum terra vir totus factus ſpiritus? De illo aiebat Philo in fine lib. 3. *Poſtremo migraturus Moyſes ad ſuperos, & exuta mortalitate ad immortalitatẽ transferendus, vocante Patre, vt eum è duplici corporis, animæque natura transformaret in ſimplicẽ, tam dum propè totus verſus in animum erat, & quidem illuſtriſſimũ.* Nec miror, quòd vbi Moyſes in ſpiritũ verſus erat, non permittatur ad terrenas promiſſiones ire, nunquam enim ſine periculo ad terrena deſcẽdit, qui in vita ſpirituali conſtituitur. Quò ſpectabat Matth. 24. inquiens: *Cum videritis abominationẽ deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto: qui legit, intelligat. Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua.* Tempore abominationis ſtantis in loco ſancto monentur fugere ad mõtes, quicunque in Iudæa fuerint, ſed & illi, qui in tecto extiterint, vetantur ad inferiora deſcendere, vt aliquid inde ſumant. Et meritò, qui enim in alto ſpiritualis vitę conſtitutus fuerit, nunquam ſine periculo ad terrena ſumenda deſcendet. Ait Imperf. hom. 49. in Matt. *Quicunque in tempore illo fuerit ſuper tectum, id eſt, in rebus ſpiritualibus viuens, quæ ſunt aut in capite, aut in corde, quæ tecta dicuntur corporis noſtri, & faſtigia prima, nõ deſcendat ad inferiores ſui corporis partes, vnde aliquid tollat, id eſt, non deſcendat ad aliquas res carnales, vt deſideret aliquid, quod eſt corporale. Alioquin comprehendet eũ abominatio deſolationis.* Ecce tibi quantum periculum immittet iis, qui vitam ſpiritualem profitentur, ſi inde deſcendant tollere aliquid de bonis carnalibus, aut terrenis. Non mirarer, ſi ij in extremam deſolationem veniant. Quod in primitiuis illis Chriſtianis lugebat Diu. Cypr. lib. de Lapſis, aiens; *Diſſimulanda, fratres, veritas non eſt, nec vulneris noſtri materia, & cauſa reiicienda. Decepit multos patrimonij ſui amor cœcus, nec ad recedendum parati, aut expediti eſſe potuerunt, quos facultates ſuæ velut compedes ligauerunt. Illæ fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ, quibus & virtus retardata eſt, & fides preſſa, & mens vincta, & anima præcluſa, vt ſerpenti terram ſecundùm Dei ſententiam deuoranti, præda & cibus fierẽt, qui terreſtribus cupiditatibus inhærerent.* Dum illi qui ad ſpiritualia vocabantur, ſeſe ad terrena conuertebant, illíſque adhæreſcebãt, factum eſt, vt inter draconis pabula inuenti à dracone vorarẽtur. Hinc monebat Dominus Aaronem Numer. 18. *In terra eorum nihil poſſidebitis, neque habebitis partem inter eos, ego pars, & hæreditas tua.* Sic multis cauet, ne Aaronis filij partem habeant terræ. Et cur non habeant hi terram, niſi quia ad perfectionem ſpiritualis vitę vocati erant? Ait D. Amb. in exhortat. ad Virg. *Moyſes Leuitis non diuiſit terram, quorum non erat terrenus, ſed ſuperior incolatus.* Cauit Moyſes terram dare illis, qui ſuprà terram erant, qui addicti prorſus erant ſpiritualibus; quibus non poterat non officere, ſi quid terrenum ſpectarent.

Philo.

Imperf.

D. Cypr.

Num. 18

Amb.

§. VI.

Magna præstantia hominis, qui mala, vel naturæ, vel culpæ scit conuertere in virtutum facinora.

NOn paruam Moysis commendationem affert Epitaphium hoc in præsenti subscriptum, nimirùm; *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini, in terra Moab, iubente Domino.* Expende, quod dicitur mortuus Moyses, *iubente Domino*, cũ magis deberet dicere puniente Domino, quando mors hæc decreta illi fuit in erroris supplicium. Ait enim Num. 27. *Dixit Dominus ad Moysem, Ascende in montem istum Abarim, & contemplare inde terram, quam daturus sum filiis Israël, cúmque videris eam, ibis & tu ad populum tuum, sicut iuit frater tuus Aaron, quia offendistis me in deserto Sin*, &c. Num 27

Itaque propter offensam Deo illatam ad aquas contradictionis Deus ante promissæ terræ possessionem facit, vt Moyses migret à vita. Cur ergo non magis dicitur mortuus Moyses puniente Domino, quàm iubente Domino? Magna ibi ostenditur præstantia Moysis, qui sciuit, quod erat offensæ pœnale suppliciũ conuertere incantatissimi obedientis insigne. Huc traho Iephte historiam & decretũ de occidenda filia pro habita victoria de inimicis: Iudic. c. 11. Audit filia decretum patris, petit duorũ mensium inducias, vt in montibus fleret virginitatẽ suam, quibus transactis, cùm in montibus versaretur, venit in domum, parenti se sistit, expectãs illius manu feriri. Ait enim text. *Expletisque duobus mensibus reuersa est ad patrem suum, & fecit ei sicut vouerat.* Ipsa reuersa ex se dicitur, non tracta vi à patris ministris; ex quo eius extollẽs gloriam ait D. Amb. lib. 3. Offic. c. 12. *Redijt ad patrem, quasi ad votum rediret, & voluntate propria cunctantem impulit, fecitque arbitratu spontaneo, vt quod erat impietatis fortuitum, fieret pietatis sacrificium.* D. Amb.

Mors, quæ naturale, & necessarium malũ homini est, accidit huic puellæ per patris culpam, ipsa tamen sic se in tanto malo gessit, vt illud verteret in cãtatissimum pietatis, & obedientiæ patri debitæ sacrificium. Quanta hæc præstantia puellæ! Accipite aliud præstantiæ similis exẽplum. Latro quidem suorum scelerum dabat pœnas crucifixus cum Iesu, & cùm esset in tormẽtis audiuit alterum blasphemantem Iesu; tunc ille Luc. 23. *Increpabat eum dicens, Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum, Domine, memẽto mei*, &c. Quid præstantius? Latro is erat, & pœnas scelerum dabat; sed quod erat supplicij, in eas virtutes conuertit, quæ regna cœlestia traherent. Vt moneat D. Aug. serm. 130. de Temp. *Vidisti fiduciam latronis, vidisti liberam voluntatem in cruce. Audisti philosophiam in tribulatione, & reuerentiam diuini timoris in supplicio. Subitò in ictu oculi de cruce in cœlum transiluit.* De tormentis, de cruce, de scelerum suorum suppliciis fecit scholam virtutum, quibus in regnum transiret. Apertius D. Cyprian. ser. de Pass. Christi. *In cruce latro confitens, non tantum indulgentiam merut, sed Christi familiaris effectus, præmissus est in paradisum, & factus est particeps regni, per confessionem factus collega martyrij.* Quid præstantius? Valuit supplicium conuertere in martyrium. Nunquam negabo hoc ad summam præstantiam, & fœlicitatem hominis conducere, quòd sciat mala & pœnæ, & culpæ vertere in facinora virtutum, vt est summa miseria, & infœlicitas, quod in malis, & suppliciis peiora semper acquiras. De infœliciſſimo omnium mortalium Iuda ait Matth. cap. 27. *Proiectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit.* Id quod notans D. Leo ait ser. 11. de Pass. *Impius traditor insurrexit in semetipsum, non iudicio pœnitentiæ, sed furore pereuntis, vt qui vitæ auctorem interfectoribus vendidisset, in augmentum damnationis suæ etiam moriendo peccaret.* Quid infœlicius? Per ipsum mortis tormentum venit ad culpam, quę morte duriora acquisiuit supplicia. Heu misera nequissimorum hominum conditio, in ipsis malis, in mortibus ipsis sic peccant, vt ad maiora mala currant! Luc. 23. D. Aug. D. Cyprian. Matth. 27

§. VII.

Vnus Deus homini salutaris, mundiales omnes affectus lethiferi.

IN mortem deuenit tandem Moyses, sed in morte inuenit sibi magnificentissimas manus diuinas. Ait enim textus: *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente Domino, & sepeliuit eum*, &c. *& non cognouit homo sepulcrum eius*, &c. Quibus apprimè ostẽditur, quid Moyses ex proprio affectu habuit, & quid ex obsequio. De exhibito fuerit nactus. Ex propriis enim habuit, quòd *mortuus est*, sic error ad contradictionis aquas illum in mortẽ traxit. Ex obsequio Deo præstito, seruus Dei moriens Deum sepulcri curatorem habuit, & vitæ largitorem immortalis. Vt pulchrè dicat D. Nyssen. ibi: *Hinc discere licet, quot quantisque virtutibus hoc sacro nomine dignus homo efficitur, vt Dei seruus appelletur? Hoc autem ipsi virtuosæ vitæ huius sæculi finem affert, verbo Dei consumatum, finem dico viuum, cui non succedat sepultura, cui non addatur tumulus, qui nullam oculis caliginem, nullam faciei corruptionem inducat.* D. Nyss.

Ecce tibi, quid habeat affectionum suarum mãcipium, vel Domini seruitus. Si affectionibus mundialibus seruis, illæ proculdubio te in mortem coniicient; si Deo exhibes seruitutem: nil non lætum, non gloriosum, & valdè honoratum dabit ipse. Luc. 23. è duobus latronibus crucifixis cum Iesu alter dicebat: *Nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic verò nil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Dt dixit illi Iesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.* Dum suis affectibus seruit, hoc habuit, quod morte damnaretur crucis, dum autem in se reuersus sese Iesu offert, statim accipit paradisum. Quod pulchrè expendens D. Leo serm. 4. de Pass. ait: *Inter luctantis animæ dura tormenta, hærẽs patibulo transit ad Christum; & cui propria impietas intulit pœnam, Christi gratia dat coronam.* Luc. 23. D. Leo.

Expende, quæ munera præbeat error humanus, & quæ præbeat Christus, quippè mundiales errores pœnas inferunt, in mortem & tormenta coniiciunt sectatores suos; sed Christus dat coronas, quasi nesciat nihil non salutare suis impertiri. Habes 4. Reg. 13. *Latrunculi de Moab venerunt in terram eo anno. Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in sepulcrum Elisæi. Quod cùm tetigisset ossa Elisæi, reuixit homo*, &c. 4. Reg 13

Putat autem Iosephus apud Glossam, mortuum illum fuisse occisum à latrunculis illis, qui vbi illatus sepulcro Elisæi eius attigit ossa, statim rediit in vitam. Sed cur à latronibus occisus à contactu Elisæi reuiuiscit? Adumbrabatur in latronibus illis mundus iste; in Elisæo autem Christus. Vt videas, quid à mundialibus affectibus habeas, & quid à Christo. Quæ mundi sunt, tibi mortem inferunt, vnus est Deus, qui tibi indat salutem. Ait Eusebius Gallicanus hom. de Pasch. 2. *Quod legimus beatum Elisæum sepulcro conditum, ingesto a latrunculis cadauere intra tumulum suum corpus extincti tactu sacri corporis suscitasse. Quis hic alius præfigurabatur, nisi Dominus noster Iesus Christus, qui vitam sepultus operatur. In latrone reum mundum, in Prapheta virtutibus Christum Dominum recognosce.* Pasch. 2.

Planè in latronibus interfectoribus recognoscendus est mundus, qui nihil aliud nouit præstare quàm mortem; in defuncto autem Elisæo agnoscendus est Dei Filius, à quo in homines venit vita. Nil aliud de mundi, affectionúmque humanarum manibus excipies quàm mortem, à Deo autem, & salutem, & vitam.

§. VIII.

§. VIII.

Seruorum Dei afflictiones, & mortes pœnæ non ſunt reſpectu afflictionum peccatorum.

MOrtuus eſt Moyſes ſeruus domini, ſed non apparet eius ſepulchrum, nec in ore eius viſitur aliquod corruptionis ſignum. Dicit enim: *Mortuus eſt ibi Moyſes ſeruus domini, & ſepeliuit eum, & non cognouit homo ſepulchrum eius*, &c. Sic facit dominus, vt Moyſes moriatur, & ſepulchrum abſcondit, nec vllum ſignum reliquit eius corruptionis. Et cur ſic eius ſepulchrum abſconditur, ſic cauetur, vt nullum ſignum appareat demortui? Ait textus: *Mortuus eſt Moyſes ſeruus domini*, qui ſeruus Dei moriebatur, etiam in morte nihil exhibebat mortis; ſic enim ſunt afflictiones, & mortes ſeruorum Dei, quaſi non ſint, ſi peccatorum mortibus comparentur. *D.Nyſſ.* Quo ſpectans D.Nyſſen. in præſenti aiebat: *Hinc diſcere licet, quot, quantiſque virtutibus hoc ſacro nomine dignus homo efficitur, vt Dei ſeruus appelletur. Hoc autem ipſi virtuoſæ vitæ ſæculi finẽ afferet verbo Dei conſummatum, finem dico viuum, cui non ſuccedat ſepultura*, &c. Hoc tibi dat diuina ſeruitus, qua Dei ſeruus appellaris, nimirum quod finem habeas, quod mortẽ incurras, quæ vita ſit, quæ nil mortis habeat, quæ in ſpecie mors appareat, in re autẽ & veritate vita cenſeatur. Hinc contra ſerpentes, quorum veneno peribant Iſraëlitæ erectus fuit ſerpens æneus *Num. 21.* in cruce. Numer. 21. *Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno. Qui percuſſus aſpexerit eum, viuet.* Poſſet eadem facilitate ſerpentem verum, ſiue mortuum, ſiue viuum in ligno coſtituere, quem aſpicientes ſanarentur. Cur ergo maluit non verum ſerpentem, ſed fictũ cruci figere pro ſigno? Exprimebatur ibi mors Chriſti vt à peccato introductam mortem delebat; ideò ſola ſerpentis aſſumitur figura, nam mors chriſti crucifixi, & horribiliſſima videretur in ſpecie, tamen in re ſolum erat vmbratilis quædam figura mortis, reſpectu illius, quæ fuerat per peccatum inducta. Ex quo aiebat D. *D. Amb.* Amb. lib. de Salom. cap. 3. *Chriſtus percuſſo dracone, id eſt, diabolo lacerato pernicioſum peccati virus extinxit; & ſicut Apoſtolus ait, in ſimilitudine carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne ſua. Ad hoc Moyſes ſerpentem non verum, ſed æneum in heremo ſuſpendit in ligno, qui proprius erat typus corporis Chriſti.* Ecce tibi, vt quidquid ſerpentini veneni in crucifixo Ieſu apparuit, non verum fuit, ſed fictum, ſed adumbratum; & quidem mors, & dolor, & pœna partes erant ſerpentini veneni: ſed hæc in Ieſu, & ſi maxima apparebant, vel non erãt, vel tantum erant vmbræ quædam ad mortem, & dolores, & pœnas peccatorum comparata. Semper enim iuſtorum afflictiones, & mortes fictæ ſunt, ſi comparentur cum iis, quæ in ſe habent totum venenum peccati. *Iudic. 11.* Iudic. cap. 11. temerarie vouit votum domino. & magis temerarie illud implet filiam vnigenitam inter maximos animi dolores ſacrificans; ait enim textus: *Reuerſa eſt ad patrem ſuum, & fecit ei, ſicut vouerat.* Longe aliter Abraham iuſſus à Deo immolabat filium, puerum ligat, in altari locat, gladium ſtringit, vnigeniti collum *Gen. 22.* feriturus. Tunc Gen 22. clamat Deus: *Ne extendas manum tuam ſuper puerum*, &c. & inter tot illos mortis apparatus Iſaac euadit viuus. Cur nõ ſic accidit Iepthæ filiæ? Cur in illo ſacrificio mors deſæuit, in hoc autem ſoli apparatus mortis viſi ſunt, in re autem euaſit vita? In illo peccatorum pœnæ erant; in hoc iuſtorum afflictiones monſtrabantur, quæ comparatæ ad illas, *D. Amb.* non veræ ſunt, ſed fictæ. Ait Diu. Ambroſ. libr. 1. de Abraham cap. 8. *Hoc quidem exemplo docemur, quia iuſtus tentatur compoſitis, & fictis.* Ficta ſunt, compoſita ſunt tentamenta, & tormenta iuſtorum, ſi comparentur cum iis, quæ in ſe habent peccati virus.

§. IX.

Diuinus halitus expellit noxia cuncta. Deus enim dilectiſſimos oſculis, alios igne purificat.

MAgnum erat illud de Moyſe dictum, nimirum: *Mortuus eſt ibi Moyſes ſeruus domini*; ſed illud maius, quod ex lectione hebræa elicitur, legunt enim alij: *Mortuus eſt ibi Moyſes ad oſculum domini, ſiue in oſculo domini.* Quid illuſtrius? Merito ex tam fœlici morte multi putant ſic obiiſſe Moysẽ in tanta puritate, vt non pateretur purgatorium ignem. Et ſanè qui in oſculo domini vitã finit, de diuiniſſimi oris halitu hoc habet, vt ſe ab omni ſordis vel vmbra purificet. Hinc Dei ſponſa clamabat Cant. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Hoc vnum *Cant. 1.* petit, & expetit, nimirum ſi Dei ori appropinquet, certa quòd de eius halitu nihil non purum retineat. Ex quo dicebat D. Nyſ. hom. 1. in Cant. *Anima vult Dei ori vitam haurienti os admouere, dicens: Oſculetur me oſculo oris ſui. Et qui omnibus ſcatere facit vitam, & vult omnes eſſe ſaluos, neminem vult eorum, qui ſalui fiunt, eſſe expertem huius oſculi, eſt enim eius oſculum purgamentum omnis ſordis.* Nulla equidem eſt iuſtorum anima, quæ tandem ad Dei oſculum non admittatur egrediens è vita, ſed aliquæ prius purgatorio igne purificantur, aliquæ autem omnium fœliciſſimæ in ipſo receſſu à corpore ad tantum oſculum admittuntur, quod nullas in illis ſordes permittit, ſed oſtendit candidiſſimas, puriſſimas. Luc. 7. dum Ieſus diſcumbebat ad menſam Si- *Luc. 7.* monis leproſi, acceſſit nobilis peccatrix retro, quæ exoſculans pedes Chriſti peccatorum omnium ablutionem obtinet ab illo. Mirabar, quod Simon ille, tanti conuiuij ſumptu non negotietur peccatorum purificationẽ, quam negotiabatur mulier in domo illius. Et cur ille adeò infœlix mãſit in ſumptu ſuo, cum hæc inde egreditur fœliciſſima? Ait Dominus ibi ad Simonem: *Oſculum mihi non dediſti, hæc autem ex quo intraui, non ceſſauit oſculari pedes meos. Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum:* Ecce tibi, quæ ad oſcula admiſſa eſt, purificationem peccatorũ obtinuit; ille vt non dignus extitit oſculis diuinis, ſic manſit in peccatorum ægritudinibus indigens purgatione ignis. *D. Nyſſ.* Ait D. Niſſen. ſupra. *Quamobrem mihi videtur dominus hoc exprobrare Simoni leproſo: Oſculum mihi non dediſti. Reuera enim fuiſſet mundatus ab ægritudine, ſi ore attraxiſſet puritatem. Sed ille quidem merito id non eſt expertus.* Merito non expertus fuit puritatem, qui ad diuinum oſculum non fuit admiſſus, ſed manſit in ſuis peccatorum ægritudinibus. Quæ autem in dilectiſſimorum partem admittebatur, oſculis diuinæ plantæ impreſſis, ſic omnia purificauit peccata, vt poſſet apparere inter ſpiritus candidiſſimos.

Deuther. vlt. Moyſes centum & viginti annorum erat, quando mortuus eſt, non caligauit oculus eius nec dentes illius moti ſunt. Fleuerúntque illum filij Iſraël in campeſtribus Moab triginta diebus, & finiti ſunt dies planctus lugentium Moyſem. Ioſue vero filius Nun repletus eſt ſpiritu ſapientiæ, quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas, &c.

§. X.

Laudandis hominibus mors non poteſt obeſſe.

STo à ſententia noſtri Saliani, qui non ſolum de ſene Moyſe, ſed & de mortuo putat dicta illa; *Non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti ſunt.* Septuag. po- *Septuag.* ſuêre: *Neque corrupta ſunt labia illius.* Alij legunt: *Nec aufugit viror eius.* Cladæus autem dicit: *Neque mutatus eſt ſplendor gloriæ vultus eius.* Et mortuus erat, & quaſi nihil in illo potuiſſet mors, ſic idem in illo manſit vultus viror, & gratia, & ſplendor. Id quod de ſanctiſſimo

D. Bern. Archiepiſcopo Malachia ponderabat D.Ber.in eius vita inquiens: *Fœliciter obdormiuit in domino. Et vere obdormiuit. Vultus placidus placidi exitus indicium fuit, Mortuus viuere,& viuens mortuus putabatur, adeò nihil intercidit, quod alterutrum determinaret. Eadem viuacitas vultus, ſerenitas eadem qualis apparere ſolet in dormiente. Diceres mortem nihil horum tuliſſe,magis auxiſſe plurimum. Non eſt mutatus, ſed ipſe mutauit omnes.* Sic mors ſanctiſſimi viri nihil in illo tulit,nihil fædauit,quod ſimile in laudatis hominibus facit. Vix enim aliquid poteſt facere mors in corpore eorum,quorum laudabilibus virtutibus implentur animi. De mortis anteambu-

Rom.7. lone peccato dicebat Paulus ad Rom.7. *Habitat in me peccatum*;in aliis regnabat peccatum,in Paulo non regnabat, ſed habitabat:erat enim in eo non tanquam in regno agens, ſed tanquam domi incarceratum. Similiter de morte philoſophandũ puto, quæ in peccatoribus regnat,in laudãdis habitat,hoc eſt,ita in eis inueni-

D. Bern. tur, quaſi nihil efficere, aut officere valeat.Ait D.Ber. ſer.in tranſitu ſancti Malachiæ:*Peccatum licet ſimul cum Chriſto, cruci ipſius non dubitetur affixum, adhuc tamen interim non regnare quidem,ſed habitare etiam in ipſo,dum viueret Apoſtolo permittebatur. Mentior, ſi non ipſe ait: Iam non ego operor, ſed quod habitat in me peccatum. Sic & mors ipſa minime quidem adhuc abeſſe cogitur,ſed cogitur non obeſſe.* Ecce & peccati fomes, & mors comparãtur,vt ſunt in viris Apoſtolicis; erat equidem in Paulo fomes peccati, non quidem regnans, vt hominem raptaret, ſed quaſi domi clauſus, ibique incarceratus, ne ſua inferat damna. Sic mors in laudandis hominibus eſt quidem, ſed quaſi alligata, & coacta,ne ſuum effundat horrorem,ſuamque turpitudinem corruptio-

Cant.5. nis ſtatuat. Cant. 5. dicitur:*Genæ illius ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis. Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam.* Quæ verba ab aliquibus de Eccleſia Chriſti putantur dicta.Sed cur in labiis Eccleſiæ myrrha conſtituitur? Nonne ſatius dicuntur alibi Eccleſiæ labia vitta coccinea? Quid myrrha cum labiis formoſiſſimæ?Modo depingitur Eccleſia in luctu pro ſanctiſſimis viris,qui à morte abripiuntur quorum frequentat ore ſuo virtutes. Vnde factum eſt, vt ſancti,qui ab Eccleſia celebrantur defuncti,toties vnguentis, pigmẽtiſque mortis effugiant turpitudinem, quoties oſtendant

D.Amb. laudatiſſimam vitam ſuam.Ex quo D.Amb. in orat. de obitu Valentiniani,inquit: *Genæ eius ſicut phiale aromatis gignentes vnguentaria, labia eius ſicut lilia diſtillantia myrrham plenam, myſtice Eccleſiæ gratia deflẽtis accipitur, quæ in obitu Valentiniani bonum doloris ſui effudit vnguẽtum,& vitam eius prædicando concelebrauit. Cui mors obeſſe non potuit,eo quod odor prædicationis vniuerſorum ore celebrabilis fœtorem omnem mortis oboleuit.* Expende ab illis:*Cui mors obeſſe non potuit*,&c. Cuius enim talis erat vita,quæ celebraretur omnium ore,in eo mors cogitur non obeſſe:tutuſque ibi mortis fœtor,& turpitudo vel tollitur, vel abſconditur. Quod faciunt pigmenta, & myrrha,vt aboleant turpitudinẽ,& fœditatem mortis, id efficacius præſtat, quæ ab Eccleſia prædicatur vita Sanctorum.

§. XI.

Manſuetudo in principe prope æternum facit eius principatum

MIror in diuturniſſimi principis obitu omnium eſſe popularium lacrymas.Dicit enim: *Moyſes centum, & viginti annorum erat, quando mortuus eſt: Fleueruntque illi filij Iſraël*,&c. Vbi Philo lib. 3. addit: *Luxit vniuerſa gens lacrymis defluens per menſem integrum.* Et Ioſephus ait: *Triginta diebus illum luxit populus,cui nunquam quicquam triſtius accidit.* Longe aliter accidere ſolet in populis aliis; rari enim ſunt, quos non tædeat diuturni alicuius principatus. Samuel imperio durauit, vſque ad populi ſatietatem. 1. Reg. 8. *Congregati vniuerſi maiores natu Iſraël venerunt ad Samuelem in Ramatha. Dixeruntque ei: Ecce tu ſenuiſti, & filij tui non ambulant in viis tuis;conſtitue nobis regẽ*, &c. 1.Reg 8. Sic faſtidierunt in Samuele imperij longęuitatem:at in Moyſe,cum ab octogeſimo anno vſque ad centeſimũ cum vigeſimo imperium protuliſſet, tantum abfuit, quod ſatiarentur eius imperio, quin potius eius mortẽ largiſſimis proſequerentur lacrymis.Nec miror;ea erat Moyſes manſuetudine erga ſuos ornatus, quæ illum in imperio æternaret. Aiebat D.Hier. epiſt.ad Theophylũ aduerſus Ioannem Ieroſol. *Dux ille Iſraëlitici exercitus, qui decem plagis afflixerat Ægyptum,& ad cuius imperiũ cœlum,& terra,& maria ſeruiebant,inter cunctos homines, quos tunc terra generauit, manſuetiſſimus prædicatur. Et ideo per quadraginta annos obtinuit principatum,quia poteſtatis ſuperbiam lenitate, & manſuetudine temperabat. Lapidabatur à populo,& pro lapidãtibus rogabat,quia potius deleri ipſe vult de libro Dei:ne cõmiſſus ſibi grex pereat.* D. Hier. Expẽde in quo fundet diuturnitatem Moyſaici principatus, nimirùm in eo, quod mitiſſimus erat,quod ſuperbiam throni lenitate,& manſuetudine temperabat. Simile quid inuenio in Dauide, qui cùm in regno ſenuiſſet, adeò vt penè deficeret in bello, nihilominus Iſraëlitæ non locuti ſunt de alio, quin potiùs dixerunt Regi,2.Reg.21. *Iam non egredieris nobiſcum in bello, ne extinguas lucernam Iſraël*, & cùm domi reſideret penè ſenio confectus; nil magis cogitant, quàm quomodo eius vitam æternent. Cur non magis faſtidiunt ſenem Regem?Manſuetiſſimus ad ſuos erat.Ait D.Amb.lib.2. Offic.cap.7. *Dauid Rex cum omnibus æquabat ſuam militiam,partiebatur laborem, fortis in prælio, manſuetus in imperio,ferre magis promptus quam referre iniurias. Ideò tam charus erat omnibus,vt iuuenis ad Regnum etiam inuitus peteretur,& reſiſtens cogeretur,ſenex ne prælio intereſſet,a ſuis rogaretur,quod mallem omnes pro ipſo periclitari,quam illum pro omnibus.* Sic manſuetudo Principis facit, quod nunquam eius imperio quantumuis diuturniori ſubditi ſatientur. Quin imò illis imperturbabilem terræ dominatum attribuit Dominus Matth. 5. aiens:*Beati mites,quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Quæ meritò D. Chryſoſt. & Theophyl. referunt ad temporales principatus, in quibus manſueti fortiſſimè radicantur.Sine manſuetudine enim vix poteſt principatus durare.Roboan dicebat ad ſubditos, 3.Reg. 12. *Pater meus cecidit vos flagellis, ego cedam vos ſcorpionibus:* ſed diu in imperio non valuit conſiſtere, vt dicat D. Hier. vbi ſuprà: *Qui ſcorpionibus cedit, citò regnum manſueti Dauidis diſſipat.* Mirum erit,quòd citò nõ euaneat Imperium eius, qui caret humanitate, & manſuetudine.

Matth 5

3 Reg 12

§. XII.

Magna præſtantia viri, quod primas iuuentutis gratias, vel in extrema ſenectute,vel in morte retineat.

AD magnam Moyſis commendationem dicitur, quod viginti ſupra centũ annis mortuus cum ſit: *Non caligauit oculus eius,nec dentes illius moti ſunt.* Siue vt Alij:*Nec aufugit vigor eius*: Vel vt Cald.*Non eſt mutatus ſplendor gloriæ vultus eius.* Quem virorem,& ſplẽdorem à primo ſiue in corpore, ſiue in animo accepit, eundem in extrema ſenectute, in morte ipſa retinuit. Quid præſtantius dici poteſt de vito tam longam agente vitam? Hanc præſtantiſſimam benedictionem promittebat ipſe Moyſes Aſſeritis Deuth.33. inquiens: *Sicut dies iuuentutis tuæ,ita & ſenectus tua.* Eſt hæc ſumma hominis præſtantia, quod nihil virtutis, nihil decoris à primis captum vngiculis perueniens ad vltimam ſenectutem amittat, ſed cum iuuenilibus gratiis ſpiritum emitat. Dum magnus gentium doctor Paulus à carnifice percutitur, loco ſanguinis lac proſiliuit è vulnere. Cur lac proſiliuit? Aiebat Petrus,

Deut.33

1.epiſt.

Petrus. 1. epiſt. 2. ad initiandos Chriſti baptiſmate: *Quaſi modo geniti infantes lac concupiſcite.* Ex quo mirificè extollit Paulum D. Aug. quod in ſenectute extrema, & in morte ipſa adhuc ſuppetebat lac Chriſtiani baptiſmatis ſemel ſumpti. Ait enim ſer. 26. de Sanctis: *De Pauli vero ceruice, cum eam perſecutor gladio percuſſiſſet, dicitur fluxiſſe lactis magis vnda, quã ſanguinis, & mirum in modum ſanctum Apoſtolum baptiſmi gratia in ipſa nece fecit ſplendidum potius, quam cruentum.* Splendore fecit Paulum in morte baptiſmi gratia eò vſque ſeruata, nunquã enim gratiæ primæuæ vſque ad extremum prouectæ halitum, non ſplendidum hominem faciunt. Et quæ mors ſplendidior, quam quæ de ipſis infantilibus virtutibus, & gratiis adhuc candet? Id quod de externis etiam effectibus in Chriſti domini morte commendabat D. Leo ſer. 7. de Epiphan. fatus: *Tota victoria ſaluatoris, quæ & diabolum ſuperauit, & mundum, humilitate eſt concepta, humilitate eſt confecta. Diſpoſitos dies ſub perſecutione inchoauit, & ſub perſecutione finiuit, nec puero tolerantia paſſionis, nec paſſuro defuit manſuetudo puerilis.* Ecce tibi, vt magiſter omnium, quas ſemel induit puritiæ etiam externas virtutes, eaſdem vel moriens repræſentauit; vt doceret, quam diuine ille moritur, cui nulla deficit gratia ex iis, quas à primis pueritiæ annis habuit. Quo ſpectans Pſal. 91. ait. *Exaltabitur ſicut vnicornis cornu meum, & ſenectus mea in miſericordia vberi.* Chaldæus: *In oleo recenti frondentis oliuæ*: quaſi in eo ponat totam exaltationem ſenectutis præſtantiſſimæ, quod de oleo, ſiue de gratia, & virtute primæua fulgeat, nihilque in ea appareat fædum, aut conſumptum. Ex quo monebat D. Auguſt. *Qui bene ſeneſcit ordine ſuo, quæris illi aliquando in capite ſuo capillum nigrum, & non inuenis: ſic cum fuerit vita noſtra talis, vt quæratur nigritudo peccatorum, & non inueniatur, ſenectus tua iuuenilis eſt, ſenectus iſta viridis eſt, ſemper virebit.* Fœlix ille, cuius vita talis eſt, in qua nihil lethalis peccati nigricet; huius ſenectus, & mors & exaltabitur, & ſplendeſcit iuuenilibus, & virentibus floribus virtutum.

D. Leo. Pſal. 91. D. Aug.

§. XIII.

In morte ſe quis facit agnoſci.

ILlud notandum maximè eſt in Moyſis morte, quod dicit: *Moyſes centum & viginti annorum erat, quando mortuus eſt, nec caligauit oculus eius*, &c. Siue vt Chaldæus ait: *Nec mutatus eſt ſplendor gloriæ vultus eius.* Spectat ad gloriam vultus Moyſis, de qua Paulus 2. ad Corint. 3. dicit: *Non poſſent intendere filij Iſraël in faciem Moyſi propter gloriam.* Tanta erat gloria, & ſplendor vultus Moyſis, vt non poſſet videri à filiis Iſraël eius facies, ſed maneret illis abſcondita. Ad hanc ergo gloriam reſpiciens Chaldæus putat illam nec in morte mutatam, ſed & demortui faciem ſic fulgere, vt minime poſſit attendi, nec agnoſci à filiis Iſraelis. Et cur in morte adhuc ignorabatur vultus eius propter gloriam, ſicut cum à monte cum tabulis deſcenderet? Sic erat mortuus Moyſes, vt nihil mortis in ſe exhiberet, ideò non miror, quod nec tunc agnoſceretur, ſolet enim tunc maximè agnoſci homo inſignis, cum ſub mortis vmbris ſe oſtendit. Dicebatur ſupra de Moyſe: *Et non cognouit homo ſepulcrum eius vſque in præſentem diem.* Similiter dicit Paulus 2. ad Corinth. 3. *Vſque in hodiernum diem, dum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.* Expende, quam ſimul perſeuerent hęc duo vſque in hodiernum diem; nimirùm, quod ſepulcrum Moyſis non videatur, & quod ſub velamine ſit ipſe, dum legitur, ne agnoſcatur. Imò propterea ipſe non agnoſcitur, quia ſepulcrum eius non paret; quando in ſepulcro, & morte nullus ſit, qui ſe agnoſci non faciat. Ait Drogo Hoſtienſis ſer. de Sacramẽto Paſſion. *Propterea vſque hodie, dum legitur Moyſes, velatam habet faciem, quia ab homine mortali ſepulcrum eius non inuenitur.* Ecce tota cauſa, quod Moyſes adhuc ignoretur, adhuc non plene ſciatur, vt fuerit Ieſu domini imago; quia nimirum ſepulcrum eius à nemine videtur mortalium. Si enim ſeſe in ſepulcro, & morte oſtenderet, forſan non ſic poſſet ignorari. Dominus Ieſus poſt reſurrectionem ſuam diſcipulis euntibus in Emaus apparuit, ſed non agnoſcebatur, in tantúmque fuit illis incognitus, in quantum non ventum eſt ad fractionem panis. Vbi autem diſcumbens cum illis panem accepit, fregit Luc. 24. *Statim cognouerunt eum in fractione panis.* Cur, qui ignorabatur in viæ comitatu, in confabulatione, in explicatione ſcripturarum, ſtatim fecit ſe agnoſci in fractione panis? Ait Drog. ſup. *Vbi tandem agnouerunt eum? In fractione panis, & verè non cognoſceris Domine niſi in fractione panis: panis caro tua eſt, fregiſti manibus tuis corpus tuũ, quia poteſtatẽ habebas ponendi animam tuam: fregiſti corpus, quod foris apparebat, & oſtendiſti medullam, quæ intus latebat; niſi enim patiaris, non cognoſceris.* Tunc Ieſus ſe facit cognoſci, cum in morte quaſi confractum oſtendit. Nullibi enim clarius apparet, qualis quis ſit, quam dum ſub vmbris mortis fuerit. Hinc latro ille ſimul crucifixus cum Ieſu, dũ inter ipſas mortis anxietates loquitur, ſtatim agnoſcitur à Deo, qui ait illi Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Quo circa D. Aug. ſer. 144. ait: *Qualem fructum Chriſtus de arido ligno percepit? Quid enim dominus dixerat: Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiſo? Tu differs te: Ego agnoſco te.* Non potuit iam bonus tempore mortis non agnoſci.

Corint. 3. Drog. Luc. 24. Luc. 23. Auguſt.

Deuth. 34. Non ſurrexit propheta vltra in Iſraël ſicut Moyſes, quem noſſet dominus facie ad faciem, in omnibus ſignis, atque portentis, quæ miſit per eum, vt faceret in terra Ægypti Pharaoni, & omnibus ſeruis eius, vniuerſæque terræ illius, & cunctam manum robuſtam, magnaque mirabilia, quę fecit Moyſes coram vniuerſo Iſraël.

§. XIV.

Summam hominis perfectionem attigit, qui & Deo eſt familiaris, & hominibus ſalutaris.

EX duobus maxime extollitur in præſenti Moyſes, nimirum, ex eo quod Deo familiaris fuerit, & hominibus ſalutaris. Sic enim: *Non ſurrexit propheta vltra in Iſraël ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem.* Ecce ſummam hominis cum Deo familiaritatem. Inſuper addit: *In omnibus ſignis, atque portentis, quæ miſit per eum, vt faceret in terra Ægypti*, &c. *& cunctam manum robuſtam, magnáque mirabilia, quæ fecit Moyſes corã vniuerſo Iſraël.* Nonne iis maxime oſtenditur Iſraël ſalutaris in mirabilibus factis, in hoſtibus deuaſtatis? Non ergo neceſſum fuit, aliud de Moyſe dici, quam quod ſic fuit Deo familiaris, vt loqueretur cum illo facie ad faciem; & hominibus ſic etiam fuit ſalutaris, vt pro Iſraële liberando multa patraret; vt ſic oſtenderetur peruenisſe ad ſummam perfectionem humanam. Ad hæc D. Nyſſenus in præſenti fatur: *Quod autem perfectionem homini poſſibilem Moyſes aſſecutus eſt, diuinæ vocis teſtimonio perhibetur: Cognoui te, inquit, præter omnes. Accedit, quod amicus Dei ab ipſo Deo nuncupatus eſt. Præterea cum peccatis populi Deus iratus delere voluerit omnes, cúmque Moyſes vnà cum populo perire maluerit, quam abſque populo viuere, tunc Deus vt amico morem gereret, placatus eſt; quæ omnia oſtendunt, ad humanæ perfectionis apicem illum peruenisſe.* Expende illud, *quæ omnia*; duo enim tantum dixerat, nimirùm quod haberetur Moyſes à Deo vt amicus, & quod ſaluti populi ſui poſtponeret propriam vitam. Et hæc ſunt omnia, quæ in Moyſe oſtendunt ſummam hominis perfectionem? Planè iſta ſunt, perfectiſſimus enim homo eſt, qui in Dei præcellenti familiaritate conſtitutus, pro hominũ ſalute

Nyſſen.

ſalute deſudat. Hinc legis naturæ duo lumina, nimirum Enos, & Enoch, de ſumma cum Deo familiaritate extolluntur, de altero enim dicit Geneſ. 4. *Sed & Seth natus eſt filius, quem vocauit Enos, iſte cœpit inuocare nomen domini.* De altero autem nempè Enoch aſſerit Geneſ. 5. *Ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Ad eam familiaritatem peruenit cum Deo, vt raperetur à Deo, & in iſto raptu vſque nunc viuus perſeueret. Quid perfectius? Nihilominus iis Dei familiariſſimis vnus ſanctus Baſilius præfertur à D. Nazianzeno, quod præter ea, quæ ad diuinam familiaritatem pertinent, pro hominum ſalute deſudabat in arena. Sic enim ait ſapientiſſimus, & Theologiſſimus Doctor, orat. 20. *Enos primus ipſe adductus eſt, vt dominum inuocaret; Baſilium autem non ſolum inuocauit; ſed quod inuocatione multo præſtantius eſt, aliis quoque prædicauit. Enoch tranſlatus eſt, exiguæ pietatis præmium (fides enim adhuc in vmbris erat,) hac tranſlatione conſecutus, vitæque ſequentis periculum effugit; huius autem vita omnis nihil eſt aliud, quam tranſlatio, quippe qui perfectè in vita perfecta probatus, & exploratus fuerit.* Expende illud: *Quod inuocatione multo præſtantius eſt*: quippe qui inuocatione, & Dei familiaritate gaudens, præterea erat in arena pro ſalute animarum, multo ſudore, & prædicatione, & exortatione curans homines ad ſalutem trahere, is profecto in perfectione hominis præſtantius quid agebat, quam qui ab arena remoti perpetuo erant ſub diuino raptu. Quod prænoſcens ſponſa Cant. 5. ait: *Surrexi, vt aperirem dilecto meo.* Et quando Maria ſecus pedes domini ſedens meliorem partem renebat; mirabar, quod ſponſa indè ſurgeret, vt vel dilecto aperiret. Cur non magis ſedes ſponſa, ibique meliorem partem potiris? non eſt equidem in ſola familiari ſeſſione melior pars abſolute, & ſimpliciter, ſed reſpectiue, reſpectu mere actiuæ vitæ. Abſoluta enim perfectio in eo eſt, quod vtrumque coniungas; vt ſis Deo familiaris per ſeſſionē, & per negotium ſalutaris hominibus. Ex quo dicebat D. Greg. PP. ibi: *Sponſo obediens ad laborem ſe præparat, vt ſicut in quiete familiaris ſponſo, ſic & in labore deuote ſeruiens appareat. Ideo ſubdit: Surrexi, vt aperirem dilecto, quia dum ſpiritum dilectionis amplius ſoluto accipit, mox de ædificatione proximi cogitat, vt apertis cordibus ſponſus ad inhabitandos proximos veniens aditum intrandi inueniat.* Sic ſponſa vt in quiete erat Deo familiaris, ſic in officio erat ſalutaris hominibus, quo ſupremum perfectionis attigit punctum.

Gen. 4. Gen. 5. Nazian. Cant. 5. D. Greg.

§. Vltimo.

Quo quis maior, & præſtantior, eo beneficentior in plures.

ECce vndè extollat textus Moysē ſuper omnes alios prophetas, nimirum, quod fecerit virtutes coram vniuerſo Iſraël: dicit enim: *Quæ fecit Moyſes coram vniuerſo Iſraël.* Bonus princeps non in vnum, ſed in omnes contulit ſua beneficia: ex quo ſe ſuper omnes ſubſtulit; quo enim quis præſtantior eſt, & altior, eo ſua beneficia extendit ad plures. De Ieſu ait Paul. ad Epheſ. 4. propter quod dicit: *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Ex quibus præclare colligit Chryſoſt. vt ex multis aliis Ieſu præſtantiam infinite diſtantem à præſtantia Eliæ. Ait enim ſer. 2. de Aſcenſ. *Elias quidem aſcendens, pallium reliquit Eliſæo: Ieſus autem aſcendens gratiarum dona in diſcipulos dimiſit, quæ non vnum prophetam, ſed infinitos Eliſæos efficiunt, atque multo, quam ille erat, illuſtriores, & clariores.* Elias ad vnum contulit pallij ſui beneficia, qui autem maior illo erat Ieſus, non ad vnum, ſed ad plures, eoſque præcellentes, & præſtantiſſimos extendit ſua. Vix enim alibi unde clarius perſpicitur manus dominica, quam ex eo, quod beneficentior ſit in plures. Hinc Paul. 1. ad Corinth. 11. ait. *Iam non eſt dominicam cœnam manducare. Vnuſquiſque præſumit ſuam cœnam ad manducandum.* Quando vnuſquiſque cœnam habebat ad manducandum, negat Paulus dominicam cœnam minime manducari. Et cur non eſſent dominicæ cœnæ, quæ manducabantur à ſingulis? Pulchrè rationem inſinuat D. Anſel. ibi dicens: *Non eſt manducare dominicam cœnam. Quia vnuſquiſque veſtrum præſumit in Eccleſia manducare ſeorſum cœnam ſuam, cum dominica cœna communis debeat eſſe omnibus Chriſtianis, ſicut Chriſtus cum ſuis diſcipulis communiter cœnauit.* Itaque ſapienter non habetur cœna dominica, quæ non extenditur ad plures, ſed cum vno aliquo contumitur. Supremi enim domini hoc eſt clariſſimum ſignum, quod ſe ſuaque pluribus communicet. Ideò Ieſus Ioan. c. 9. aſſerebat: *Amen dico vobis, non Moyſes dedit vobis manna.* Multa alia fecerat diuinitus Moyſes, quæ poſſent ſimiliter dici minime à Moyſe facta; de omnibus tacet dominus; vnum manna prædicat à Moyſe minime deſcendiſſe. Et cur ſolum manna negauit eſſe à Moyſe? Erat in manna repræſentatiue panis ille viuus, qui offerendus erat pro vniuerſo mundo. Qui autem ante faciem tot populorum parabatur, ſapienter oſtenditur non eſſe à Moyſe, ſed à ſupremo omnium domino, & creatore, cuius eſt ad plures ſua beneficia porrigere. Ait D. Cyrill. Alex. lib. 3. in Ioan. cap. 34. in fine. *Oportebat enim omnino illos miniſtrum ſolummodo fuiſſe Moyſem non ignorare: res enim ipſa non potuit hominis opus eſſe; Dei ergo fuerat munus, quo cœleſtis panis non vnius gentis, ſed totius mundi vita ſignificabatur.* Expende ab illis: *Non vnius gentis*, &c. vbi panis non vnius erat, ſed plurium, ſed omnium communiter, non niſi ab omnium domino poterat proficiſci. Sanè dominici, diuinique ſpiritus eſt, vt nos reddamus, & ſalutares, & proficuos plurimos. Rem ſic definit Nazianz. orat. 8. inquiens: *Spiritus, vt in medium prodeam, hortatur, publicæque vtilitati conſulam, atque alios iuuando me ipſum iuuem, diuinúmque ſplendorem in publicum proferam, eximiumque populum ad Deum adducam, gentem ſanctam, regium ſacerdotium, atque imaginem in pluribus perpugnatam. Vt enim hortus præſtantior eſt, quam ſtirps vna, & cœlum vniuerſum cum ſuis ornamentis, quam vnica ſtella, & corpus quam vnicum membrum: ita præſtantiorem eſſe totam Eccleſiam rectè compoſitam vno homine, officio ſuo probe fungente, Atque etiam oportere, non ſua quemque duntaxat commoda ſpectare, ſed aliorum rationem habere. Nam ipſe quoque Chriſtus*, &c. Piaculum duxi, aliquid demere; vt de ſe ſapientiſſimi Theologi mente diſcas te communi plurium ſaluti acquirendæ dedere. In quo imitaberis creatorem cœli, qui minime in vna ſtella hæſit, nec elaborato ſole fuit contentus, ſed ad multitudinem ſtellarum ſuam extendit dexteram. Nec qui placere cupit hortulanus, vnius floris, aut ſtirpis cura tenetur, ſed pluribus implet hortum, vt ampliorem accipiat mercedem. Ex quo ſupra Moyſem extollens Ieſum D. Zeno ſer. 10. de Exod. ait: *Iudæi maiores ſuos Pharaonis, exercitúſque eius, graui ſeruitutis iugo depreſſos de Ægypto prædicant liberatos. A diaboli rabie, idolorúmque turba violenta non tantum, non maiores, ſed omnis Chriſtiana progenies de vero Ægypto, id eſt, de iſto mundo momentis omnibus liberatur.* Quantus Ieſus ſupra Moyſem, à quo non ſolum maiores, ſed & minimi omni tempore ad ſalutem ducuntur? Ad horum ergo normam etiam ego mea ſtudia componam, & ne videar in vno, etiam præcellentiſſimo viro Moyſe prorſus hærere; me iam accingo ad alios delineandos vetteris teſtamenti heroes. Interea lector, quod in Moyſe miraris, crede diuiniſſimi domini mei Ieſu veſtigia eſſe, quæ ego auidiſſimè lambo etiam de fumoſis, puluerulentiſq; imaginibus veterum. Ipſi laus, ipſi gloria in ſæculum ſæculi.

Ad Eph. 4. D. Zeno. Cyr. Alex. Nazian.

LAVS DEO, VIRGINIQVE MATRI, ET PARENTI IGNATIO.

INDEX

INDEX RERVM SELECTIORVM.

A

Aditus.

ADITVS Salutis non intercluditur tentatione, folio. 158

Aduersa.

Aduersa virtutem Deo reddunt commendabilem. 122

Abnegatio.

Abnegatio mundi præstantior hominis fortitudo. 163.
Abnegatione carnis inest Dei gloria. 229

Absentia.

Absentia Dei trahit mala multa, cap. 22. §. 6. Pœna durissima, cap. 18. §. 3.
Absentia optimi principis à solo Deo potest suppleri. f. 231

Actio.

Actionum nostrarum iufirmitas in Christo passo roboratur, fol. 209

Administratio.

Administrationi Reipub. conducit, quod Magistrarus cognoscat sui muneris finem. fol. 48

Adspectus

Adspectus venturi iudicis vel lapidea corda trahit in preces. fol. 220

Aduersarius, vide Hostis, Inimicus.

Aduersarij nostri vincuntur Eucharistia. 191

Aduocatus.

Aduocatos apud Deum nanciscimur, dum nostri curam vni Deo committimus. 186

Adulatio

Adulatio destruit omne pulchrum. 110

Æmulatio.

Æmulatio diuinarum virtutum grata Deo, cap. 21. par. 3.
Ærumna vide afflictio.

Æstimatio.

Æstimatio rerum corruptibilium vanum reddit clamorem orationis. 149

Affectus, Affectio.

Affectus carnalis nos Deo appropinquare vetat. fol. 31
Cauendus in electionibus, cap. 31. par. 7. Sua cuiusque affectio sibi aut bona trahit aut mala. 87
Affectibus prauis promptiores adsumus. 164
Affectus zelotypiæ in nobilissimo quoquo pectore inexorabilis est. 224

Afflictio, vide Calamitas, Labor.

Afflictio est hominem vacuari bonis, impleri filiis. 113
Afflictio subditorum efficacissima vt efficiat bonum dominum. 75
Afflictiones seruorum Dei pœnæ non sunt comparatæ ad afflictiones peccatorum, cap. vlt. par. 8. Trahunt Dei protectionem. cap. 24. par. 6.
Afflictio temporalis vix sentitur, vbi apparet iudicium Dei. 195
Afflictio non deest in hac vita etiam iis, qui exactè Deum colunt. 194

Agnus.

Agnus Eucharisticus nos Deos facit. 124. Nos transfert in cœlum. 126.
Agni diuini sanguis solus potest impedire diras in homines armatas. 133

Aliena.

Aliena non æquè amamus, ac propria, cap. 18. par. 9.

Alimenta.

Alimenta parat pro æterna vita, qui seruat mandata. 188

Altare.

Altare veri Dei continet homines in conuiuiis. 238

Amaritudo.

Amaritudo mortis cruce dominica dulcescit. 167

Ambitio, Ambitiosi.

Ambitio humana consortium fugit, cap. 20. parag. 9. & 15. Turpissimorum facinorum auctrix. 236
Ambitio primatus à solo Deo medelam affert, c. 25. par. 4. Quiescit sub signo crucis, cap. 26. par. 1.
Ambitio funerum taxatur, cap. 17. par. 1.
Ambitio altioris dignitatis absurda. 241
Ambitio in Dei seruis grauiores parit factiones. 69
Non leuibus frænatur. 72
Ambitiosi homines reprehenduntur. 25

Amicitia, Amicus.

Amicitia rependitur defunctis in eorum dilectis, cap. 28. par. 10.
Amicitia Dei firmat iustitiam, cap. 19. par. 15.
Amicitiæ profanorum deficiunt, vbi virtutis via arripitur. 148

Amor.

Amorem proximi ostendis in eius correctione, c. 30. par. 8.
Amor inimicorum præcipuè mortis tempore. 135
Amor dicit, quid quisque sit. 167

Angelus.

Angeli salutares hominibus, cap. 18. par. 1.
Angeli tunc clarius auxiliantur, cum mala adsunt. 60

Animus, Anima.

Animus offerentis, non res in sacris spectatur. 226
Animus sanguinarius apud Deum nunquam incolumis. 13
Anima Deum excipiens quàm fit aurea. fol. 136. Innumeris impletur beneficiis ab Eucharistia. 171

Apparitio.

Apparitiones cœlestes cur crebrius fœminis, quam viris. 40

Ardor.

Ardor virtutis internæ omnia dura externa deuincit. 225

Artifex.

Artifex præstantissimus prius mala exterminat, c. 26. par. 1

Assistentia.

Assistentia Dei cum regibus fundat reuerentiam erga illos. 131

Audacia.

Audaciam habeant, à quibus sperentur facta egregia. 49

Aulici, Aula.

Aulicorum patrocinium nullum nisi vi extortum. 108. Sub principum aulis venena multa. 83
Aulici mirantur vindices puellarum. fol. 20

Auaritia.

Auaritia validissima ad expugnandos alios affectus. 134
Auaritia sacerdotum pernicioſa aliis, cap. 32 parag. 28. Concordiam scindit, cap. 32 par. 25. Nos priuat cœlestibus cap. 29. par. 2. Obcæcat ad diuina, cap. 18. par. 29 Perdit potentiam, cap. 19. par. 14.
Auaritia Princeps non raptus, facillimè omnium dominatur. 212

Augmentum.

Augentur, quæ Deo sacrantur. 137

Auxilium.

Auxilium diuinum tunc præstatur Dei seruis, quando rabies creata desæuit. 72
Auxilium Angelorum tunc datur, quando mala imminent. 60

Index rerum.

B

Baptiſmus.

BAptiſmi ſacri vbi aquæ deſunt, ibi crebra mala. 85

Bellum.

Bellum maximè infauſtum eſt illi, qui illud infert in fratres. 204

Bellum inducitur homini aduerſus carnem & ſanguinem in obſeruatione præceptorum. 222

Benedictio.

Benedictio eius, quem adiuuaſti, ſalutaris. 135

Benefactor.

Benefactorem qui obliuiſcitur inter beneficia ingratiſſimus. 233

Benefacere.

Benefacienti omnia glorioſa. 172

Benefacere inimicis à Dei epulo docemur. 176

Benefacere Dei proprium. 130

Beneficentia, Beneficus.

Beneficentia Dei ſuper omnes, cap. 31. §. 6.

Beneficentia in plures præſtantis hominis ſignum, cap. vlt. parag. vlt.

Beneficentia in hoſtes habet defenſores ipſos contrarios. 140. Floridos reddit annos, cap. 26. §. 6. Qui beneficentiam teſtatur, ab omni tyrannide alienus. 96

Beneficus in magna eſt fortitudine, cap. 24. §. 10. Quò beneficentior eſt Princeps, eò potentior ad ſibi regna aſſerenda. 213

Beneficium.

Beneficia præſtita trahunt benefactorem in alia, c. 24. §. 11

Beneficiis mala correſpondentia dolorem afferunt benefactori, cap. 27. §. 9.

Beneficium eſt Dei, quod tibi oſtendat ſuorum beneficiorum cauſas, cap. 31. §. 2.

Beneficia ſine damno alterius facienda, cap. 31. §. 9.

Beneficia diuina accidunt timentibus Deum. 111

Beneficia huius vitæ micæ ſunt reſpectu eorum, quæ manent in cœlo. 116

Beneficiis Dei continuis noſtra obſunt peccata, f. 170. Beneficia diuina ſuperant hominum petitiones, fol. 159.

Beneficiorum memoria ligat hominem, ne diſcedat à placitis benefactoris ſui, 223

Bonus.

Bonis viris metum incutiunt dignitates, cùm exuuntur. 47. Semper à bono venit rem virtutis accelerare. 91.

Bonis relinquunt tentationes aditum ad vitam apertum 158

Bonum à pueritia imbibitum firmiter durat. 119

Bona.

Bonorum ſpiritualium ſola copia æſtimanda, cap. 31. §. 7.

Bona æterna vbi ſpectãtur, tẽporalia cõtẽnuntur, c. vlt. §. 4.

Bona temporalia non rapiant ſpirituales viros, cap. vlt. §. 5.

Bona Deo addicta periculosè verruntur in vitia. 236

Bona illa ſunt procuranda, quæ & in cœlis poſſunt haberi, cap. 28. §. 4. Temporalia non curanda in morte, ſed æterna, cap. 28. §. 4. Obſunt excipiendo Deo, cap. 25. §. 14. cap. 18. §. 21. & 17. & 24.

Bona innata præſtantiora, quàm parta, cap. 23. §. 6.

Bonorum temporalium dominatur, qui illa pro Deo ſpernit, cap 21. §. 5.

Bona noſtra amamus, non æquè aliena, cap. 18 §. 9.

Bona temporalia quo prius florent, citius euaneſcunt. 58.

Bona corruptibilia deſiderata vanam faciunt orationẽ. 149

Bonis tranſitoriis ne nimis adhæreſcas. 124

Bona temporalia obcæcant. 174. In bonis acceptis par pari referre Dei ſpiritus eſt. 198

Bona, quæ veniunt à Paſſione Chriſti, firmiora ſunt. 200

Bona ab ipſo quaſi per vim auferri vult Chriſtus. 203

C.

Calamitas. Vide Afflictio, Labor.

CAlamitas nos ad Deum impellit, fol. 25. Exhibet quaſi mortuum diabolum, cap. 29. §. 14. Non adducat hominem, vt ſibi mortem inferat, cap. 20. §. 8. Eius timor plus angit, quàm ipſa, cap. 22. §. 8.

Calamitas temporalis nihili ducitur à Deo, cap. 22. §. 10. Creſcit exvno ſolo ſeruato, c. 24. §. 17. Repentina pene intollerabilis. 112

Calamitas vndique oritur diuexandis impiis. 93. Plus torquet in conſpectu alienæ fœlicitatis. 95. Quæ à Deo venit, & defenſionem affert. 93

Calamitatibus non turbari regium eſt. 133

Caput.

Capita peccantium ſic plectantur, vt terror ſit, cap. 30. §. 5.

Caro, Carnalis.

in Carnis abnegatione eſt Dei gloria, fol. 229

Carnis affectus Deo nos appropinquare vetat. 23

Carnis mortificatione perſeuerantius Deum habemus. 229

Carnales homines eſſe non putant, quod oculis non vident. 64

Carnalibus oculis fides ſuperior eſt. 151

Caro igne aptatur in cibum, ſic anima tentatione. 158

Carnales homines nequeunt habere concordiam. 196

Carmen.

Carminum curam habere, & non morum turpe eſt 161

Caſtitas.

Caſtitas, quæ grata eſt Deo, etiam in veſtibus apparere debet. 216

Charitas. Vide Amor.

Charitas perfecta ad claram Dei viſionem impellit, cap. 18. §. 11.

Chriſtus. Vide, Ieſus, Deus.

Chriſtus attulit virtutum ſolidam eſcam, cap. 29. §. 5. Abſorbuit omnia peccati venena, cap. 29. §. 12. Eius vel vmbra halat vitam, cap. 29. §. 13. vt accepit mala noſtra, illa fecit leuia, cap. 29. §. 15. Naturales parentes, licet pauperes, omnibus mundialibus prætulit. 4. De eius ſimilitudine auſpicium ſalutis humanæ. f. 6. Dedit virginitatis notionem, 7

Chriſtus paſſus iudex bonorum, cap. 23. §. 8. In honore ſit apud nobiles, cap. 23. §. 9. Sopit contentiones ambitioſas, c. 26. §. 11. Facit nos ſupra vires audere, c. 27. §. 10.

Chriſtus nos in bono facit ſtare. 238

Chriſti paſſi conſortium facit auxiliatores, non ſeductores, cap. 23. par. 11.

Chriſti vicinitas maiores affert gratias. 73. Transformatur iuxta appropinquantium indigentiam. 73

Chriſti paſſionis medicina omnino tollit infirmitatem noſtram. 165. Feſtinatiſſimum remedium affert. 165

Chriſti ſanguis in altari peccata omnia abſorbet. 117

Chriſti ore prolata verba Dei maximè confirmant, & ſuauiant homines. 229

Chriſti gratia potentiſſima 213

In Chriſto paſſo actionum noſtrarum firmitas roboratur. 209

In Chriſti Paſſione eſt vita, & leuamen fidelium. 199

Chriſtus vult, vt bona ab ipſo quaſi per vim auferamus. fol. 203

Chriſtiani.

Chriſtianorum maxima fœlicitas eſt, quòd non ſemel eripiuntur à ſeruitute diaboli. 223

Cibus.

Cibus cœleſtis affert ſecuritatem ſpei. 182

Cibus cœleſtis iuxta ſuſcipientis palatum fit. 191

Cibus cœleſtis longè manna præſtantior, ibid.

Cibus cœleſtis feſtinatam gratitudinem petit. 192

Cibus contemnitur præ ſtudio verbi diuini. 269

Cibus diuinus quod proſit, ab humilitate venit 181

Cinis.

Cineres vbi ſunt charorum, ibi patria. 181

Clandeſtinus.

Clandeſtinæ delationes implent domum principis malis miniſtris. 14

Cœlum, cœleſtia.

Cœleſtes apparitiones crebrius fœminis, quàm viris cuc fiunt. 40

Index rerum.

Cœleſtia,non terrena ſinit Deus peti. 99
Cœleſte pabulum qui lædit in abundantia, inueniet durum in penuria. 185
Cœleſtis panis ſolus habet magnitudinem.
Cœleſtis panis nihil admittit carnali animo fixum. 179
Cœlum aſcendimus Euchariſtico cibo. 126
Cœleſtia ſemper reuerentiam ingenerant. 217

Cognati, Cognatio.

Cognatorum affectus,quod Deo ſubiiciuntur de Deo venit,cap.17.§.15.
Cognatorum promotio ſuſpecta,cap.31.§.4.

Cognitio.

Cognitio Dei non omnium eſt. 65
Cognitionem humanam ſuperant beneficia diuina. 159

Commoda.

Commodis propriis non attendat, ſed ſubditorum bonus gubernator. 29

Compotatio, Vide Conuiuia.

Compotationes & conuiuia hoſtem reducunt. 242
Compotationibus viget luguria. 237
Conuiuia laudabilia. 28

Commune.

Commune multis Deo proprium. 38

Concordia, Concors.

Concordia & vnanimitas oſtendit bellatores Chriſti,cap. 32.§.23.Facit munus acceptum Deo,cap.32. §.24. Ibi ſolum eſt,vbi lucrum contemnitur, cap.32.§.25.
Concordia fidelium clariſſimum auſpicium hoſtis debellandi. 61
Concordia nequit eſſe inter carnales homines. 196
Concors multorum laudatio in Deum efficacior holocauſtis antiquis. 162

Condeſcendentia.

Condeſcendentia erga peccatores ſit cum monitione pœnæ,cap.25.§.4.

Confeſſio.

Confeſſio peccatorum efficaciſſima,cap.17.§.20.
Confeſſio propriæ infirmitatis valida apud Deum. 105
Confeſſionis plurimæ vtilitates. 221

Conſideratio.

Conſideratio terrenæ ſubſtantiæ ſalutaris,cap.23.§.5.

Conſilium.

Conſilia fœminarum exitialia. 9
Conſilium humanum mala experitur, per quæ ſibi bona promittebat,cap.24.§.1.
Conſilia principum quod publicentur, magna regni plaga eſt. 95

Conſiliarius.

Conſiliarij mali caſtigantur à bonis principibus,c.32.§.8.

Conſortium, Conſortes.

Conſortium impiorum non fugiendum iis, qui eos trahunt ad Deum,cap.19.§.1.
Conſortium admittere in dignitate vnius eſt diuini ſpiritus,cap.20.§.9.
Conſortium Chriſti paſſi auxiliatores facit, non ſeductores,cap.23.§.11.
Conſortium impiorum multas affert maculas.49.Fugiendum. 108
Conſortes qui admittit in honore ſuperiorem ſe oſtendit, cap.32.§.8.
Conſorti um malum inficit præſentes,cap.22.§.5.

Conſuetudo.

Conſuetudo mala difficile tollitur. 255

Contemptus.

Contemptus diuinorum iram trahit ex manſuetiſſimis. 115

Contentio.

Cõtentiones ambitioſę finiuntur ſub Ieſu paſſo,c.26.§.11

Conuitia.

Conuitia duriſſima viro ingenuo,cap.25.§.8.

Conuiuia, Vide Compotatio, Gula

Conuiuium diuinum reddit linguam efficacem ad trahendos homines, cap.19.§.8.
Conuiuia luxuriam nutriunt. 237
Conuiuia lethalia non fiunt in conſpectu diuini altaris. 238
Conuiuia hoſtem reducunt. 244

Cor.

Corda hominum voce Dei pluſquam miraculis mouentur. 30
Cor non eſt partiendum cum Deo,& mundo,cap.32.§.6.
Corda dura quod verbis emolliantur, res eſt virtutis magnæ,cap.27.§.7.
In Corde prius ſolent præſignari, quæ in corpore fiunt. 101
Cor noſtrum non capit creaturam, & Dei gratiam ſimul. 186

Corpus.

Corpus Chriſti maxime nobis ſalutare, quod quaſi ex mundo profecturi ſumimus. 121

Correctio.

Correctio non profutura non infertur à Deo in præſenti, cap.17.§.24.
Correctionem à te incipe,cap.32.§.2.
Correctioni noſtræ quod inſtet Deus per ſe magna eius dignatio eſt. 242

Creatura.

Creaturis non eſt fidendum,cap.18.§.16.
Creaturæ Deum minus clementem exhibent, cap.18.§.22. Nihil habent commune vniuoce cum Deo,cap.18.§.23. Vocantur in æmulationem virtutum diuinarum à Deo, cap.21.§.3. Non ſine piaculo ſpectantur inter Dei promiſſiones, cap.23.§.2. Operantur ſupra vires ad crucifixi ſignum,cap.27.§.10. Poſt earum defectum viſum ſtultus eſt, qui illis fidit. 231. Illarum cultus nos in belluam agit. 237
Creaturæ vniuerſæ hominem docent. 243
Creaturarum vniuerſarum maxima vix vni homini ſufficiunt. 116. Illis non tribuas quod eſt Dei proprium. 6
Creatura immemor beneficij. 34
Creaturarum obſequia,vbi diuinitatis vel vmbra. 78
Creaturarum fauor cito mutatur. 163
Creaturæ tales erga nos erunt, quales nos erga Deum. 132
Creatura vniuerſa, ſe munificentiæ diuinæ conformat. 139
Creatura non poteſt in corde durare vna cum gratia Dei. 187

Crucifixus.

Crucifixi Ieſu conſpectus facit nos ſupra vires audere, cap.27.§.10.
Crucifixus Dominus in honore ſit apud nobiles, cap.23.§.9.
Crucifixi memoria non admittit cupiditatum ſolatium 128

Crux.

Crux Chriſti index bonorum,cap.23.§.8.
Crux Chriſti libertatis ſignum. 121
Crucis & paſſionis recordatio. 120
Cruce mortis amaritudo fugatur. 167. Eius cultu ſalutem facilius habemus. 166
Crux facit hominem apparere moribus ornatum. 161
Crux gloria cœlitum. 154

Cultus.

Cultus creaturarum facit homines belluas. 237
Cultus veri Dei è belluis facit homines. ibid.
Cultus Dei parit humanitatem in proximos, cap.27.§.3.

Cupiditas.

Cupiditatibus vt ſeruiant mundiales largiſſimi ſunt. 134
Cupiditas regnandi vbi viget,non leuibus frænatur. 72
Cupiditas fœminarum non patitur hominem liberum.123

Cura.

Cura domeſtica aptum hominem imperio monſtrat. 55

Currus.

Currus noſter eſt agnus Euchariſticus in cœlum. 126

Index rerum.

D.

Damnatio.

DAmnatio proximi non fiat sine præmisso examine, cap.30.§.7.

Damnatio est,eo tempore peccare, quo parantur remedia peccatis. 168

Decretum.

Decreta Dei diligentiis negotianda,vt eueniant,c.18.§.13.

Defectus.

Defectus iusti viri acrius solent puniri. 59

Defuncti.

Defunctis rependitur amicitia in eorũ dilectis, c.28.§.10.

Deliberatio.

Deliberatione facta crimina puniuntur acrius. 76

Dependentia.

Dependentia præuertit recta iudicia,cap.19.§.12.

Detractio,Detractor.

Detractio odiosa Deo,cap.29.§.8.

Detractor alios detractores patietur,cap.29.§.9.

Deus.

Deus longanimis fit ex supplicij inferendi præuisione,cap. 17.§.23.Non corripit modo,vbi correctio inutilis,cap. 17.§.24. Eius absentia pœna durissima, cap.18.§.3. Ostenditur præsens in supplicio impiorum, cap.18.§.4. Ei integre,& non ex parte seruiendum,cap.18.§.14.

Deus in puritate excipitur sine terrenis contagiis,cap.18. §.17.21.& 24. Se in præsenti subtrahit, cap.18.§.19. Per se solus clementior, quam cum creaturis, cap.18. §.22. Non percipitur vniuoce cum creaturis, cap.18.§. 23. Verbis & operibus colendus,cap.19.§.6. Eius memoria efficax,cap.19.§.7. Ad eum quæ pertinent, sint prima,& præcipua,cap.19.§.11.Eius amicitia firmat iustitiam,cap.19.§.5.Eum qui relinquunt,vilia & luctuosa amplexantur, cap.20.§.4. Eius obliuio à Gula,cap. 20.§.5.

Deus solus admittit in imperio consortes, cap. 20.§.9. Etiam de repugnantibus laudes educit, cap.20.§.13. Eum vbi spectas,supra vires agere potes,cap.24.§.2.

Deus punit eos,qui iustorum infirma respiciunt,cap.22.§. 3. Et inter irascendum admittit occasiones miserendi, cap.22.§.4.Illo absente multa mala veniunt, cap.22.§. 6.Pro minimo infert mala temporalia,cap.22.§.10.Qui eius promissis nititur,non respiciat creaturas, cap.23.§. 2.Protegit suos afflictos,cap.24.§.26.

Deus à mansuetudine,cap.25.§.11. Ad pœnam cunctatur, c.25.§.12.Sufficit satiando homini,c.27.§.11. Suplicia minuit,c.30.§.13. Illi exhibita obsequia firmant hominem in dignitate,cap.30.§.17.

Deus largissimus super omnes, cap.31.§.6. Non seruiendum illi dimidiate,cap.32.§.6.Adest salutis propugnatoribus,cap.32.§.17.

Deum muneribus honorare regium est,cap.32.§.27.Eius halitus intus rapit electos ad ardua,cap.vlt.§.1.

Deus solus hominibus salutaris,cap.vlt.§.7. Alios oculis, alios igne purificat,cap.vlt.§.9.

Dei veri cultores largi in religionis impensis. 134

Dei veri cultus nos homines facit. 237

Deo addicta bona periculose ad vitia vertuntur. 236

Dei dignatio maxima,quod per seipsum nos corrigat. 242

Scit suis consulere ea via quæ homines lateat.7. In sua potestate mansuetudinem ostentat. 12. Odit animum sanguinarium. 13. Præclara facinora non subito ostendit. 16. Eius potentiæ est, quod infirmæ resculæ stent aduersus validissimos.26. Eius præsentia voracitas coercetur. 30

Deus memor officij sibi præstiti. 34. In summa antiquitate solus commendationem habet. 38. Illi proprium, quod est commune pluribus. ibid.

Dei auxilium in periculis.72. Ab illo damnosum separati. 50

Deo non relinquamus,quæ possunt fieri per homines. 53. Eius propria non tribuenda creaturis. 6

Deus cum facit loca semel propitia homini,solet simul facere,vt propitia durent. 204

Deus etiam dum irascitur,benefacit,cap.21.§.1.

Dei bonitas prompta periclitantibus. 103. Eius cognitio non omnium est. 65. Suorum affectionibus citissime tangitur.76. Non finit terrena peti,sed cœlestia. 99

Dei ministrum castigatio commendat reorum. 160

Deus est,qui solus scit ingratis benefacere. 166

Deus magis ostenditur exinanitus pro hominibus. 174

Dei gloria apparente temporalia disparent. 175

Deo digna præsumens facile illum inuenies. ibid.

Dei qui est,cognoscit ex minimis ea,quæ Dei sunt. 179

Dei ingenium benefacere. 130

Deus in salutem vertit,quæ terrori sunt.155. Non patitur impios iuxta pios.156.Eius beneficia hominum petitiones superant. 159

Deo,soli committenda est cura nostri. 186

Pro Deo quæ fiunt,ruinam ignorant. 189

Deus velocior est quam vlla creatura in iis, quæ sunt profutura homini. 198

Deus solus spectandus est ab eo, qui vult benè percutere peccatores. 200

Deus gratissime adest Doctoribus sacræ doctrinæ. 201

Deus amat laborum nubila, quæ in serenum deducunt. 214

Deum habes diutius carnis mortificatione. 229

Dei si familiaritatem amas, fuge longam Principum conuersationem. 227

Apud Deum vix censetur virtus parui temporis. 228

Dei magnalia percipiet, qui intra suæ humilitatis statum consistit. 222

Dei dona non ad vnum,sed ad plures debent esse. ibid.

Diuina, Diuinitas.

Diuina semper reuerentiam ingenerant. 217

Diuinis suscipiendis dispositio optima est,exhibere in nobis aliquid Passionis Christi. 215

Diuinitatis notitia vbi infundebatur, & Trinitatis signum dabatur. 216

Diabolus.

Diabolus quasi mortuus inter calamitosos iacet, cap.29. §.14.

Ex Diabolo venit,quod homo leuibus incumbat. 68

Diaboli est opera verbis dissentire. 140

A Diaboli seruitute non semel Christianos eripi, magna fœlicitas est. 223

Diffidentia.

Diffidentia sui familiaris iustis. 36

Dignitas.

Dignitates dum exuuntur lethales apparent possessoribus suis.46,malis etiam cum habentur. ibid.

Dignitas ex Deo operibus monstranda, cap.26.§.4.

Dignitatis receptæ locus principem exhibet mitem, cap. 26.§.7.

Dignitas firmatur ex Deo, cap.30.§.17.

Dignitatis quod æqualis sis,& nõ æqualis virtutis,turpe.80

Diligentia,Diligens.

Diligentia exhibenda est,vt obtineas,quod Deus dare decreuit,cap.18.§.13.

Diligentiis multis opus habes,vt peccati pœnam depellas, cap.22.§.9.

Diligentiæ humanæ non sunt prætermittendæ eriam sub potentissimo Dei auxilio. 206

Diligentiis omnibus perfectis in quolibet effectu quiescendum. 37

Discipulus.

Discipulus in malitia magistrum superat,cap.25.§.6.

Dissidium.

Dissidium maxime nocet ei,qui illud infert in fratres.204

Diuina,Diuinitas.

Diuina non percipiuntur ab auaris,cap.18.§.19.

Diuinæ potẽtię difficilius opus,quod volẽtes sibi subdat.28

Diuinitatis vbi vmbra,ibi creaturarum obsequia. 74

Index rerum.

Diuinitatis generat notitiam Euchariſtia. 177. Trinitatis ſignum dabatur, vbi infundebatur Diuinitatis notitia. 216

Diuiſio.

Diuiſio à fratribus facit orationes Deo exoſas, c. 25. §. 9.

Doctor.

Doctoribus ſacræ doctrinæ Deus gratiſſimè adeſt. 201

Dolor.

Dolores in Chriſto feſtinare nos faciunt ad gloriam. 126
Dolori eſt parentibus filiorum pœna. 127

Dominus.

Dominus afficitur in afflictione ſubditorum. 75. Ne tyrãnus videatur, beneficentiam in aliquo teſtetur. 96
Dominus verus quæ per ſe facit, nullum timorem bonis incutiunt. 100

Domus.

Domus illa eſt fœlix, in qua nullus non attendit Dei ſeruitio. 137
Domi tuæ qua fœlicitate polles, ea eſt præſtantior. 129

Donum.

Dona non ſunt accipienda à bono iudice, cap. 25. §. 10.
Dona Dei murmurantium ora occludunt. 175
Dona Dei non ad vnum, ſed ad plures debent eſſe. 222

E.

Effugium.

EFfugia promptiſſima non cernuntur, vbi Dei ira exurgit. 102

Egenus.

Egenis quæ dantur, nequeunt perire, aut exhauriri. 202

Elatio.

Elatio ſuper alios nunquam non periculoſa, cap. 25. §. 6.

Eleemoſyna.

Eleemoſyna non deperditur, cap. 31. §. 9. diſponit ad Euchariſtiam. 117
Eleemoſyna deiectis à culmine ita facienda, vt illos in priſtinum ſtatum reuocet. 20
Eleemoſynæ merces duplex redditur in hac, & in futura vita. 187
Eleemoſyna maximè elucet inter cæteras virtutes morales. 202

Epulum.

Epulæ diuinæ ſub memoria paſſionis vt valent. 120

Euchariſtia, Vide Cibus.

Euchariſtia ab eleemoſyna. 117. Tollit nuditatem primæuam. ibid. Vt fieret ſalutaris cibus, miracula tranſſubſtantiationis requiſiuit, cap. 28. §. 6. Vt omnes ſanaret, omnibus debuit concedi, cap. 28. §. 7. Facit efficacem linguam in re virtutis, cap. 19. §. 8. Valet ad peccata extorquenda in publicum, cap. 17. §. 20. in fine.
Euchariſtiæ gratia creſcit inter recentes, & floridas virtutes, cap. 26. §. 9.
Euchariſtiæ abſtinentia quid inauſpicatum timeat. 67
Euchariſtia in Deos tranſimus. 124. Opponitur laſciuiæ. 125. Et comeſſationibus. ibid. Nos transfert in patriam. 126. Eſt ad animam ditandam. 172. Non admittit mundi maculas. 171. Nos ducit in Dei viſionem. 173. Docet inimicis fauere. 176. Diuinitatis generat notitiam. 177
Euchariſtiæ epulum nos reficit, & armat contra aduerſarios. 191

Error.

Error aſſuetus ruinam creat, cap. 24. § 14.
Errorem amat, qui iis acquieſcit, quæ ſuis reſpondent cupediis, cap. 23. §. 3. Et qui ſolam externam nobilitatem ſpectat in muneribus diſtribuendis, cap. 23. §. 4. Ob errores durius tractantur præſtantes viri. 59

Examen.

Examen præmittendum in proximi damnatione, cap. 30. §. 7.

Execratio.

Execrationes à ſanctis prolatæ timendæ. 115

Exemplum.

Exemplum efficax ad perſuadendum, 26

Expectatio.

Expectatio pœnæ plus torquet, quam ipſa pœna. 85

Exercitatio.

Exercitatio virtutum triduana fauſta eſt volenti ex Deo ſalutem trahere. 215

F.

Facinus.

FAcinora magna audaciam, non timorem exigunt. 49
Facinora egregia non ſubito oſtenduntur à Deo. 16
Facinus vnum præſtans potens eſt homines in ſanctitate firmare, cap. 17. §. 18.

Fallacia.

Fallaciæ ſemper excogitantur à corde malo, c. 28. §. 3.

Fama.

Famæ præconium ſolũ debetur culminibus virtutũ. 218

Fames.

Fame qui non emollitur, vt quæret Deum, ſumme malus eſt. ibid.

Familiaritas.

Familiaritatem principum fugiat, qui velit illos continere in virtute. 81
Qui Familiaritatem Dei amant, fugiant diuturnam Principum conuerſationem. 228

Fauor.

Fauor à creaturis veniens facile mutatur. 163

Fides.

Fidei vis ſupra omnes creaturas, cap. 27. §. 5.
Fidei opus maximi animi opus eſt, cap. 27. §. 6.
Sub Fide iuſtorum etiam inſenſibilia bene audiunt. 75
Fides ſuperior eſt carnalibus oculis. 151

Fiducia.

Fiducia in Deum vel verbo trahit omnia, cap. 27. §. 4.
Fiducia in Deo non in militari manu habenda, cap. 32. §. 7.
Fiducia non in creaturis, ſed in Deo regia virtus, cap. 18. §. 16.
Fiducia firma efficacem clamorem habet. 151
Fiducia nimia in futuris à nobis faciendis, periculoſa eſt. 214

Filius.

Filius parentes ſuos ornat. 8. Illum patrem noſcat, à quo virtutes ebibit. 34. Calcar habet ad virtutem in laude paternarum virtutum. 33
Filij multi affligunt patrem vacuatum bonis. 113
Filius bonus non eripit bona viuo parenti, c. 28. §. 7.
Filiorum promotio læta parentibus, c. 28. §. 6.
Filij non præſentes parentibus in periculo monſtruoſi, cap. 25 §. 16.
Filij mali adhuc honorant parentes, cap. 24. §. 3.
Filiorum pœna duriſſima parentibus. 127. Ferus nemo adeò, qui Chriſti paſſione non ſuauietur. 128

Fœlicitas.

Fœlicitas temporalis calamitatibus fœdatur. 41
Fœlicitatis culmen impios oſtendit perditos, c. 17. §. 17.
Fœlicitatis alienæ in conſpectu plus torquet plaga propria. 95
Fœlicitate præſtantiori inter tuos vteris. 129
Fœlix domus in qua omnes Deo ſeruiendo intendant. 37
Fœlicitas maxima Chriſtianorum eſt, quòd non ſemel eripiantur à ſeruitute diaboli. 223

Feſta.

Feſta profana oppoſita Euchariſtiæ. 125

Fœmina.

Fœminæ, vel vmbra noxia. 235
Fœminarum conſilia propriam familiam perdunt. 9. Caueant ſibi beneficos iuuenes. 19
Fœmina vbi ſonat, ibi perditio, c. 30. §. 1. In eius conuictu mirum erit, ſi non pereas. Ibi §. 2. Ante admiſſum ſtuprum validior ad trahendum, cap. 30. §. 3. Diuina omnia poſtponit regiæ cupiditati, cap. 30. §. 4.

Fœminarum cupiditas hominem liberum non patitur. 123

Fortitudo.

Fortitudo magna in benefaciendo, cap.24.§.10.
Fortitudo eximia ex mundi abnegatione. 163

Fortuna.

Fortuna quæ dicitur profanis, est iustis gratia diuina,cap. 17.§.16.

Forum.

Forum cum virtute & pietate rarum,cap.16.§.9.

Frater.

Fratrem qui mordet, multis eget vt excusetur, cap.20. §.16.
Fratris affectum qui exuit,iram meretur. 53

Fragilitas.

Fragilitas humana sub Dei præceptis potest. 153

Fuga.

Fuga difficultatum nunquam non suspecta, cap.24.§.2.

Fundamentum.

Fundamentum in Deo non positum corruet. 93

Funus.

Funerum ambitio mala,cap.27.§.1.

Futurum.

Futuri promissio tunc placet, cum & de præsenti aliquid exhibet. 39
In Futuris à nobis faciendis nimis fidere,periculosum est. 214

G.

Gloria,Glorioſus.

GLoria mundialis tenebris dat cultores suos. 112
Gloria vera in Iesu,in aliis picta,cap.18.§.28.
Gloria Dei non parua impiorum. 102
Gloria magna in parcendo hostibus,cap.24.§.12.
Gloriæ appropinquare nos faciunt dolores in Christo. 126
Gloria cœlitum crux Domini. 154
Gloria Dei apparente,temporalia disparent. 175
Gloriæ nomen de tota communitate acquirendum. 182
Gloria Dei in omnimoda carnis maceratione. 229
Glorioſa omnia in largitore benefico. 172

Gratiarum actio.

Gratiarum actionis titulus omni alia victima sublimior. 210

Gratia.

Gratiæ ministerium præferendum est naturæ,cap.19.§.4.
Gratia amissa proprio labore reparanda est, cap.18.parag. 20.
Gratia in quo non durat,odiosus Deo est. 238
Gratia Dei vix durat in corde, cui dominatur creatura. 186
Gratia Christi potentissima. 213

Gratitudo.

Gratitudo erga Deum difficilia perficiet. 61
Gratitudo nunquam non lucrosa,cap.31 §.21.
Gratitudinem habenti non officit penuria. 195

Gratior.

Gratior patria,quæ charorum conseruat cineres. 142

Gubernator.

Gubernator delicta aliis noxia acrius puniat. 76. Sermonis facundia polleat. 51. Noscat sui muneris finem.48. Commodis propriis non attendat. 29. Caueat verba contumelioſa in fratre corrigendo. 11. Educetur in aulis regalibus. 10. Non solum iussis, sed operum exhibitione procedat, cap. 32.§.19. De legum seueritate remittat in exhibitione supplicij, cap. 30.parag.14. Rempublicam propriæ vitæ præponat, cap. 32.§.4.

Gula.

Gula propria carnalium, cap.27.§.2.
Gula in superfluis cibis obliuionem generat Dei, cap.20. §.5.
Gula dicit quid quisque sit. 170

H.

Holocauſtum.

HOlocaustis veteribus præstantior est concors multorum laus in Deum. 162

Homo.

Homo in sua potentia mortem ostendit. 12. Nil faciat sine fructu. 17. & si debilis à iustitia stans fortissimos debellat. 17. Miser, qui nec calamitatibus fertur ad Deum. 25
Quæ per Homines fieri possunt, non relinquantur Deo. 53
Homo per se valens apud Deum præstantior est, cap. 18. §.10. Laudabilis,cui alij debent splendorem, cap.20.§. 11.Laudabilis,qui integro exercitui pares habet virtutes,cap.20.§.12. Vni sibi honorem amat, cap.20.§.15. Perfectæ consulitur illi in animæ, corporisque salute, cap. 21.§. 4. Vni acquiescit homo, qui suis respondet desideriis,cap.23.§.2.
Homini meticuloso omnia horrenda apparet,cap.23.§.10
Hominis perfectionem attingis Deo familiaris, & homini salutaris,cap.vlt.§.14. Carnales nil æstimant præter saturitatem,cap.27.§.2.Vno satiatur Deo,cap.27.§.11.
Homo ab omni creatura docetur. 243
Hominum pœnas irrationabilium pœnæ ostendunt. 132
Homo efficacius trahitur iis,quæ circa se sunt. 234
Hominibus non ita vt Deo cura placere. 144
Homo potest omnia sub Dei præceptis. 153
Homo facile sequitur ductum mortis. 157
Homini salutare est incipere loqui ad Deum. 221
Homini profutura Deus velocius, quam vlla creatura festinat. 198
Hominem habentem gratitudinem nulla penuria afficit. 195
Hominis verum lucrum est, si quæ pro caducis agit, agat pro æternis. 189

Honor.

Honoris consortes qui admittit, superiorem se ostendit, cap.32.§.18.
Honor sordet in turba. 232
Honorem Dei qui solicitat,eius obtinet promissa, cap.27. §.12. Turpe est,quod sis in æquali honore, & non in æquali virtute. 81
Honor in non merentibus lethalis. 246
Honor mundialis obscurat cultores suos. 112

Hoſtis,Vide Inimicus.

Hostibus parcens glorioſus,cap.24.§.12.
Hostibus benefaciendum oratione. 134

Humana,Humanitas.

Humanitas in proximos à Dei cultu venit, cap.27.§.3.
Humana mens imminentia damna solet præsagire ex Dei prouidentia. 149

Humilitas,Humilis.

Sacerdotibus propria,c. 26.§.8. Efficaciam orationi præbet,cap.18.§.25.cap.31.§.1.
Humilem statum mutare non festines. 25
Humilitas facit nobis cibum diuinum proficuum. 181
Intra Humilitatis suæ statum consistens Dei magnalia percipiet, 222

Hypocriſis.

Hypocrisis detrimentosa,cap.19.§.13.

I.

Idola.

IDola hominum etiam innocua male habet apud Deum propter arcendos homines. 98

Ieſus,Chriſtus,Deus.

Iesus veram habet gloriam,alij pictam,c.28.§.28.Inuidiosus multis.2.in Ægypto triumphat.3. Hostes delusit.3 Eius vicinitas maiores gratias afferebat.73. Se transformat iuxta appropinquantium indigentiam. ibid.

Index rerum.

Iesus omnibus sufficit. 116
Immolatus Mariæ nobis acquisiuit patrocinium. 118
Iesu nomen auspicatissimum. 205
Sine Iesu nequit percipi legis spiritus. 228

Inclinatio.

Inclinationem principis facile subditus sequitur. 155

Ineuitabilis.

Ineuitabilis nulla est tentatio. 156

Infirmi, Infirmitas.

Infirmi non sunt periculis exponendi, cap. 19. §. 3.
Infirmitatis confessio valida apud Deum. 105
Infirmitas nostra à Christi passione curatur. 209. Vtiliora sunt quæ nobis infirmitatem recolunt, quàm quæ virtutem. 201

Imitatio.

Imitatio Dei perfecta est benefacere. 130

Impietas, Impius.

Impietatis nec vmbra ferenda. 247
Impiorum consortium fugiendum. 108
Impij pereunt in ipso fœlicitatis culmine, cap. 17. §. 17.
Impij seditiones metuunt in virtutibus. 65. Ad illos diuexandos plagæ vndique exurgunt. 93. Illorum supplicium non parua Dei gloria. 102. Quod non placet impiis laudabile. 97
Impiorum consortium maculas infert. 49
Impiis tentationes aditum claudunt ad vitam. 158

Imperium.

Imperio nullus aptior, quàm qui sub legibus viuit. 55
Imperio aptus, qui domesticas curas administrat. 55
Imperium temporale, quo plura vorat, gracilius fit. 83
Imperia plus læduntur vitiis regnantium, quam hostibus. 27. Viri præstantes, licet pauci, faciunt imperium magis illustre, quam vilis multitudo. 206

Imperfectus.

Imperfectis fausta est seruitus. 150

Immineo.

Imminentes homini diras solus Christi sanguis valet impedire. 133

Improbitas.

Improbitas reproborum nescit nisi per afflictiones ire ad Deum. 79

Infaustus.

Infaustum est illi maximè bellum, qui illud infert in fratres. 204

Ingenuus.

Ingenuorum est victitare spoliis. 136

Ingratitudo, Ingratus.

Ingratitudo summa quod inter beneficia obliuiscaris benefactorem. 233
Ingratis benefacere vnus scit Deus. 166
Ingratitudo etiam mansuetum trahit in vindictam. 127

Inimicus, Vide Hostis.

Inimicis qui est salutaris confidentius agit. 82. Vox pro inimicis orans validissima est. 91
Inimicis fauendum, cap. 18. §. 15.
Inimicorum amor floridus, cap. 26 §. 6.
Inimicis benefacere Dei epulum docet. 176
Inimicis bene precari debemus, si quid in nobis Dei est. 134. Pro inimicis orare magni meriti est. 297

Iniquus.

Iniquos iuxta pios esse non diu patitur Deus. 156

Inuidia, Inuidus.

Inuidia Iesum persequitur. 2
Inuidia persequitur assiduos Principi, nisi in Dei aula. 176
Inuidi in singulares præstantias aliorum rapiuntur, cap. 22. §. 2.
Inuidiam vincere perfectorum est, non imperfectorum. 140

Inopinatum.

Inopinatum esse non debet mortis tempus 119

Inurbanitas.

Inurbanitas vt aliquando decet. 18

Ira.

Ira Dei vbi desæuit, etiam promptissima effugia non cernuntur. 102
in Ira misericordiam meminit Deus. 321
Iras aduersariorum silentio frangis, cap. 24. §. 2.
Ira inefficacior quam mansuetudo ad frænandos homines, cap. 26. §. 3.

Iracundus.

Iracundi in præsenti & futuro sæculo flammis aduruntur. 100

Irrationabilis.

Irrationabilium pœnæ ostendunt maiores hominibus imminere. 132

Iudex.

Iudex legitimus quæ per se facit nullum timorem bonis incutiunt. 100
Iudex qui ab alio dependet, vel in honore, vel in substantia facile peruertitur, cap. 19. §. 12.
Iudex alienus à muneribus accipiendis, cap. 25. §. 10.
Iudices curent, vt rei in domino occumbant, cap. 30. §. 6.
Iudicis venturi aspectus, vel lapidea corda trahit in preces. 220

Iudicium.

Iudicium per dependentias peruertitur, cap. 19. §. 12.
Iudicium in nos timere debemus, quod patiuntur alij 160
Iudicium Dei vbi apparet, vix ærumna temporalis sentitur. 195

Iustitia.

Iustitiæ diuinæ virga vbi apparet, quicquid tẽporale amat homo, infensum sibi inuenit. 86
Iustitiæ diuinæ ad primum ictum scelera abscondita in medium prosiliunt. ibid.
Iustitiæ ministri quod laute viuant, plaga regnorum est. 94
Iustitia perfectior, vbi clementia præcedit. 131. Reddit præsulem suauem. 142

Iustus.

Iusti homines inuisibili nituntur protectione. 33. habent sui diffidentiam familiarem. 36
In solitudine æstimationem, in ciuitate odia frequentius acquirunt, cap. 20. §. 14.
Iustorum infirma qui respiciunt, male apud Deum audiũt, cap. 22. §. 3.
Iustorum facinora abscondunt scelus peccatorum. 241

L

Labor, Vide Afflictio, Calamitas, &c.

LAbore in medio, & ærumna, qui nil Deo contrarium facit, præstantissimus est. 69. Fidelium labores in hac vita non exhauriuntur. 70
Labor grauis est, quod malorum remediis mala crescant. 71
Labores vorantur ad conspectum pulchritudinis. 5
Laborum leuamen resurrectio, cap. 23. §. 7.
Labor circa aliquam rem, illam facit tenacius amari, cap. 23. §. 12.
Laboris fructu priuari grauissimum, cap. 27. §. 13.
Laborum nubila, quæ in serenum deducunt, amat Deus. 214
Labores præsentis vitæ parant victum æternæ. 188

Lacrymæ.

Lacrymæ orationi adiunctæ efficacem reddunt. 24

Lasciuia, Vide Luxuria.

Lasciuia non potest non perire, vbi diuinitas apparet. 99
Lasciuiæ oppositа Eucharistia. 125

Laus, Laudatio.

Laus sequitur hominem, cui alij debent splendorem, c 20. §. 11. Et illum qui tot virtutibus fulget, quæ exercitui sufficerent, cap. 20. §. 12.
Laudes de repugnantibus educere potest Deus, c. 20. §. 13.

Index rerum.

Laudatio in Deum à concordi cœtu efficacior est holocaustis antiquis.fol. 162

Lectio.

Lectio scripturæ sacræ efficacissima,cap.18.§.7.

Leuamen.

Leuamen fidelium in Christi passione. 199

Lex.

Leges mũdiales vbi florẽt,ægre pietas cõseruatur,c.19.§.9

Legis medulla nequit sine Iesu percipi. 228

Liberalitas.

Liberalitas in pauperes decet maxime sacerdotes. 22

Libertatis signum est crux Christi. 121

Libri.

Libri poëtarum vanorum plagam regnis inferunt. 88

Lingua.

Linguæ moderatio à Deo solo est. 76. ex eius tarditate pulchra oritur oratio. 51

Lingua diuino assueta conuiuio efficax,cap.19.§.8.

Linguæ peccata præsentissimam ruinam afferunt,c.20.§.2.

Linguæ circunspectio in viro præstanti,cap.20.§.3.

Lingua efficax de operibus.cap.27.§.8.

Linguæ inuidorum in bonos viros impingunt, cap.22.§.2.

Locus.

Locus semel salutaris semper solet esse salutaris. 2

Locus acceptæ dignitatis principẽ beneficũ faciat,c.26.§.7

Locum humanæ saluti facere Eucharistiæ proprium. 144

Loca quæ Deus fecit semel propitia homini,fœlicia solent durare. 204

Lucrum.

Lucri cupiditatem frangere res est maximæ potentiæ. 43

Lucra temporalia adorantur, cap.32.§.16. Concordiam scindunt,cap.32.§.25.

Lucri amor validissimus ad expugnãdos affectus alios.134

Nos priuat cœlestibus,cap.29.§.2.

Lucrum est mundo renuntiare. 136

Lucra præ religione spernere optimi principis est.141.Verum hominis lucrum fieret, si quæ pro caducis rebus facit,eadem faceret pro æternis. 189

Luctus.

Luctum Mariæ eripuit magnitudo malorum. 23

Luxuria Vide Lasciuia.

Luxuria ex se necem trahit sine misericordia,cap.30.§.10

Luxuriæ vindicta à sacerdotibus petenda, cap.30.§.12.

Luxuriæ res cauenda vel minima,cap.32.§.11.

Luxuria iunctam habet apostasiam,cap.32.§.12.

Luxuria vincitur victis quinque sensibus.cap.32.§.9.

Luxuriantium,vel tactus pestifer,cap.32.§.15.

M.

Maceratio.

MAceratione in carnis omnimoda gloria Dei est. 229

Macula.

Maculas mundi non admittit Dei cibus. 171

Magnalia.

Magnalia Dei non sic mouent corda sicut vox Dei. 30

Magnitudo.

Magnitudo malorum luctus facultatem opprimit. 23

Magnificentia.

Magnificentia diuina nullo obice impeditur. 170

Magnificentiæ Dei se creatura conformet. 139

Magistratus.

Magistratus suo fungatur munere,vt finiendum putet.45. Sciat supercilium in Dei causa deponere. 46

Maior.

Maioris virtutis quod fuerit,id tibi in primis sit. 173

Malus.

A malo venit procrastinatio in re virtutis. 91

Mala.

Mala cum premunt,tunc Angelorum auxilium, 60

Mala remediis crescere calamitosum valde est, 71

Mala reddita pro beneficiis dolenda,cap.27.§.9

Mala in primis sunt exterminanda,cap.26.§.1.

Mala non durant in nobis ex quo impleuerunt Iesum, cap.29.§.15

Mala conuertuntur in virtutes à viris præstantibus, cap. vlt. §.6.

Mala adumbrata fugimus,& in vera incidimus. 230

§.1. In mala cadet,qui vt illa euitet,malum facit. 233

Mala vt depellas,peccatum depelle. 211

Mala facilius innotescunt. 146

Malitia.

Malitia ab aliis deriuata in sectatoribus crescit,cap.25.§.7.

Malitia cordis foras prodiens supplicium sufficiens. cap. 22.§.7

Malitia hominis est,qui nec fame ad Deum ducitur. 168

Mandata.

Mandata vltima vitæ tibi maxime seruanda. 123

Mandatorum obseruatio alimenta parat pro æterna vita. 188

Mandata Dei debent proponi familiarissimè Regibus.209

Manus.

Manus Dei benefica etiam inter irascendum,cap.21.§.1.

Mansuetudo, Mansueti.

Mansuetudo Dei propria,cap.25.§.11. Potior quàm ira ad cohibendos peccatores,cap.26.§.3. Æternat principes, cap.vlt.§.11

Mansueti irascuntur in contemptores diuinorum. 115

Mansuetos prouocat ingratitudo ad vindictam. 127

Maria Virgo.

Mariæ patrocinium nobis ex Deo venit. 118

Maria Virgo sine peccato originali. 58.96. & 359

Maria iuxta crucem. 133

Mariæ proprium est locum facere humanæ saluti. 144

Medicina.

Medicina est Christi passio, quæ nullum morbi relinquit vestigium. 165

Meditatio.

Meditatio terrenæ substantiæ salutaris,cap.23.§.5.

Medulla.

Medulla legis nequit sine Iesu percipi. 228

Mendacium.

Mendacium temporalibus proprium,cap.29.§.4.

Mens.

Mens vacuanda est temporalibus, vt Deo impleatur, cap.18 par.21.& 17.& 24.

Mens humana nescit vias,per quas Deus suis consulit. 7

Mens humana quasi præsagit mala imminentia. 149

Mensa.

Mensa diuina reuerentiam indidit,ne quis Deum offendat. 184

Memoria.

Memoria Dei efficax,cap.19.§.7.

Memoria crucifixi contra cupiditates. 128

Memoria crucis, & passionis dominicæ ad Eucharistiam maxime conducit. 120

Memoria beneficiorum ligat hominem, ne exorbitet à placitis benefactoris sui. 223

Merces.

Merces duplex redditur in hac,& in futura vita eleemosynæ. 187

Metus. Vide Timor.

Metus calamitatis durior ipsa calamitate,cap.22.§.8.

Militia.

Militia Christiana potens à concordia,cap.32.§.23.

Minima.

Minima cognoscit, quæ Dei sunt, qui Dei est. 179

Ministri.

Ministri iustitiæ laute viuentes plagam regnis inferunt. 94

Ministrorum honori consulant principes. cap. 18. parag.8.

Ministri optimi dignitas non minuenda,cap.24.§.6.

Ministros Dei commendat punitio delictorum. 160

Miraculum.

Index rerum.

Miraculum.

Miraculum in Deo est, quod bonos permittat malis. 158

Miseri.

Miseri benedictio salutaris liberatori suo. 135

Moyses.

Moysem inuidia sequitur, fol.2.seruatur in Ægypto. fol.2
Eius natiuitas, & facinora per totum. 1

Molestus.

Molestus nulli est, qui præsidet iustitiam exhibendo. 142

Mors.

Mors in potestate humana apparet. 12
Mors sacerdotũ ad cõmouendos animos efficax, c.28.§.3.
Morti qui appropinquat, nil temporale cogitet, c.28.§.4.
Morti vicinus vni sibi consulat,cap.28.parag.5.
Mortis consideratio facit orationem, seu sacrificium salutare,cap.25.par.21.
Mortem sibi inferat nemo,cap.20.par.20.
Mortem imperterrite adiri de perfectis venit virtutibus, cap.vlt..par.3.
Mors non potest obesse laudandis hominibus,cap.vlt.§.10.
Mortis in tempore se quis facit agnosci,cap.vlt.par.3.
Mortis ducatum facile sequitur homo. fol.157
Mortis amaritudo cruce Domini fugatur. fol.167
Mortis tempus inopinatum non sit,fol. 119
Mortis tempore omnem inimicitiam obliuiscere. fol.135
Pro mortis tempore data mandata accurate obseruanda. 123

Mortificatio.

Mortificatione carnis diutius Deum habemus. fol.229

Mos.

Morum concinnitas à cruce. fol.161
Mores negligere,& carmina componere, absurdũ. fol.161

Mulier, Vide Fœmina.

Mulier ad dona capienda promptior. fol.43
Mulieribus cœlestes apparitiones cur frequentiores,quam viris. fol.40
Mulieris castæ nõ est,quod attendat ad luctas iuuenũ, f.19.

Multitudo.

Mulritudo popularis leuioribus corrigenda, cap.17.par.9
Per multitudinem qui introducitur,parum fixus. 40
Multitudinem contemnens triũphat in domino,c.24.§.15
Multitudo non tam spectanda in exercitu, quam virtus, cap.32.par.3.

Mundialis, Mundus.

Mundiales vt seruiant cupiditatibus largissimi. 234
Mundi potentia in Dei conspectu corruit. 157
Mundi abnegatio maxima fortitudo. 163
Mundi renunciatio ingens lucrum. 136
Mundo excedere se cogiter, qui Eucharistiam sumit. 121

Munus.

Munus ab obedientia acceptum fructuosum est. 35
Munus ex Deo operibus exhibendum, cap.26.§.4.
Munerum acceptio fugienda bono principi,c.25.§.10.
Munus tibi mandatum vt adimpleas, proprias simultates obliuiscere. 105
Muneribus Deum honorare regium, cap.32. paragr.27.
Munera non distribuẽda iuxta externã apparentiã,c.23.§.4.

Murmuratio.

Murmuratio raro potest excusari, cap.20.§.16.Contra iustos male audit apud Deum,cap.22.§.3.
Mumuratio in dominos propria inferiorum, cap.22.§.1.
Murmurantium ora occludit beneficentia diuina. fol.175

N

Natura.

Naturæ ordinem supera, vbi agis cum Deo, c.21.§.2

Negotium.

Negotiis magnis Deus specialiter adest, fol. 36

Nobilitas, Nobilis

Nobilitas externa sola vbi spectatur in dandis muneribus error est,cap.23.§.4.
Nobiliores magis trepidant in temporalibus periculis, c. vlt.§.2.
Nobiles in honore habeant Crucifixum dominum,cap. 23.§.9.

Nomen.

Nomen, & titulus à potestate humana venit,non res, cap.26.§.2.
Nomina non requiruntur à Deo,sed res, cap.26.§.5.
Nomen Iesu auspicatissimum. 205

Notitia.

Notitia diuinitatis à pane cœlesti. 177

Nouitas.

Nouitatem vitæ quidquid spectat,opus est Dei. 138

Noxia.

Noxia facilius innotescunt. 147

Nubila.

Nubila laborum,quæ in serenũ deducunt,amat Deus.214

O

Obedientia.

Obedientia Deo præstita clara salutis via. fol.107
Exhibita homini ex Deo venit,cap.18.§.12.
Obedientia fructuosa. 35
sub Obedientia qui viuit,abedior imperio. 55
Omnia verba adimplet Deus illius,qui ei obedit. 92
Obedientiæ promptæ signum est, quòd nullum obicem experiatur,in accedendo ad Deum. 221

Obex.

Obex nullus impedire valet magnificentiam diuinam.170
Obicem nullum experiri in accedendo ad Deum obedientis prompti signum est. 211

Offerens.

Offerentis animus in sacris, non res spectatur. 226

Obsequium.

Obsequium Deo exhibitum firmat hominem in dignitate,cap.30.§.17.

Obseruatio.

Obseruatio præcepti diuini suauissimum facit vsum rerum temporalium. 183
Obseruatio mandatorum illustrat humanas mentes. 220
Parat alimenta pro æterna vita. 188
in Obseruatione mandatorum inducitur homini bellum aduersus carnem & sanguinem. 220

Occasio.

Occasiones vitiorum relictorum non sunt memoandæ 147.& 148

Odium.

Odio impiorum haberi non parua commendatio. 97.

Officium.

Officia publica maxime sint cordi principi morituro, cap.32.§.11.

Omnipotentia.

Omnipotentiæ Dei proprium benefacere sine læsione alterius. 74

Opera.

Opera nostra de passionis dominicæ consortio gratiam acquirunt,cap.18.§.18.
Opera & vox efficacia ad mouendos animos. 51
Mõstrare debes, quod à Deo munus acceperis, c.26.§.4
Operũ exhibitio nõ sola iussio facit gubernatorẽ,c.32.§.19
Operum testimonium efficacius,cap.25.§.
Opera præcedentia faciunt verba efficacia,cap.27.§.8.
Opera requiruntur à Deo non nomina,cap.26.§.5.
Opera verbis non contexere à diabolo est. 140
Opera virtutum efficacissimam orationem habent apud Deum. 208

Oratio.

Oratio efficacissima quæ non attendit tẽporalia,c.17.§.21
Efficax ab humilitate,c.18.§.25. Præclara ex silentio.52
à diuisione orta Deo exosa est,c.25.par.9 Ex mortis cõsideratione salutaris,cap.25.par.21. Cum afflictione, & lacrymis efficax. 24
Oratio iustorum valentior quàm duces fortissimi. 90
Oratio efficax de præparatione. 90. Pro inimicis validissima. 91

Index rerum.

Oratio feruida sine tædio,cap. 29.§.1,
Oratio iustorum validissima. 241
Oratio pro aliis efficax,cap.29.§.10.
Oratio pro inimicis. 297
Oratio pro inimicis efficax,& maximi lucri est. ibid.
Oratio quò remotior ab oculis hominũ,eò efficacior. 207
Oratio hominis peccatoris coniungatur externæ mortificationi. ibid.
Orationem efficacissimam habent apud Deum opera virtutum. 208
Oratio eius efficacissima est,qui se conformat Deo. ibid.

Ornatus.

Ornatus corporis superbus occludit saluti aditũ, c.18.§.5.

Otiosus.

In Otiosa vita virtutem conseruare laboriosum est homini. 208

P.

Palatini,Vide Aulici.

PAlatini mirantur puellarum vindices. 20. Eorum virtus eò tendit,vt sibi prospiciant. 103

Panis.

Panis cœlestis securitatem affert. 178. Vide Eucharistiam.

Parens, Pater.

Parens qui viuens nouit bona filiis cedere fœlix, c.28.§.8.
Parens vel in malis filiis honorem habet,cap.24.§.13.
Parentum virtutes posteros obtegunt,cap.30.§.19. Quidquid filiis virtutis instillauerat pater, sibi fructuosum inuenier. 106
Paterfamilias suos Deo sistere curet. 109. Tunc Deo festum facit,cum suos cibo Eucharistico implet. 109
Parentes affliguntur in filiorum abundantia, & bonorum penuria. 117
Parentes naturales, licet pauperes omnibus rebus mundialibus sunt anteponendi. 4
Parentes exornat vnus filius. 8
Pater ille solus est, qui filiis veram tradit religionem. 34
Parentum benefactoribus plus fidendum, quam propriis, cap. 19.par.2.
Parens lætatur in filiorum promotione,cap.28.par.6.
Parentibus dura est filiorum pœna. 127

Partiales.

Partiales sibi lethales partialitates inueniunt,cap.25.§.16.

Passio.

Passio Christi Domini sopit contentiones ambitiosas, cap. 26.§.1.
Passio Christi index bonorum,cap.23.§.8.
Passionis dominicæ consortio opera nostra gratiam obtinent,cap.18.§.18.
Passio Christi D.ob oculos posita facit nos supra vires operari,cap.27.§.10. Consortes suos auxiliatores facit,non seductores,cap.23.§.11.
Passio Christi facit morum concinnitatem. 161. Eius medicina sanat morbos sine vestigio. 165. festinatum remedium est. ibid.
Passio Christi etiam feros emollit. 128
A Passione Christi venientia bona firmiora sunt. 200
In Passione Christi vita,& leuamen fidelium. 199
in Christo passo actionum nostrarum firmitas roboratur. 209
Passionis aliquid Christi in nobis exhibere est optima dispositio diuinis suscipiendis. 215

Patientia

Patientiæ præstantis est mediis ærumnis nihil Deo contrarium efficere. 69

Patria.

Patria gratissima,in qua charorum cineres seruantur. 142
In Patria æterna nõ viuitur nisi de anteactis laboribus. 190

Pauper.

Pauperes male habent apud mundialia tribunalia. 249.
Vel ipsos fratres habent hostes. 249
Pauperis subleuati benedictio maxime salutaris. 135
Pauperi quæ dantur,nequeunt perire,aut exhauriri. 202

Pax.

Pax Dei donum præstantissimum,cap.30.§.15.Firmatur in regnis hæreticorum internecione,cap.30.§.16.

Peccatum.

Peccata noxia aliis,seuere puniuntur. 79.Quæ magis consulto fiunt peccata,citius puniantur, 76
in Peccatum reincidentia cauenda. 97
Peccatum pœnam affert,cap.20.§.1.
Peccati pœna non pellitur nisi multis diligentiis,c.22.§.9
Peccata perpetrata nil prius ostendunt quã vltorẽ Deum, c.24.§.7.Publica citam vindictam trahunt,c.25.§.25.
Peccati spicula sentiuntur ab eo,qui prior peccat, c.29.§.11.Eius venena Iesus absorbuit,cap.29.§.12.
Paccati nec vmbra ferenda. 247
Peccata post pœnitentiam vt decora,cap.32.§.10.
Peccata nostra beneficia Dei retardant. 170
Peccata omnia absorbet Christi sanguis. 127

Peccator.

Peccator bene castigatur, si extrinsecus patiatur,quæ in animo habet. 113
Peccator publicus æterna castigandus infamia. 107
Peccatorum capita plectantur,vt terror sit,cap.30.§.5.
Peccatores tolerandi,c.18.§.2.Nullo suauius deterrentur, quam aliorum supplicio,c.25.§.19.Vt sic pereant,quod aliis proficiant,à Deo venit,cap.25.§.18.Illis qui assentitur,caueat supplicium,cap.25.§.20.
Peccator non differt à plebeis,cap.28.§.1. Decidit in contraria iis,quæ male appetiuit,cap.25.§.15.
Peccatori malum, quod integra pœna reseruetur in futurum.29.Monendus de pœna etiam cum illi condescenditur,c.25.§.5.In peccatoribus percutiendis solus Deus spectandus est ab eo,qui vult bene percutere. 200
Peccatoris hominis oratio coniungatur externæ mortificationi. 207

Penuria.

Penuriam si à Deo pateris,& vbertatem spera. 169
Penuria non officit habenti gratitudinem. 195

Petitio.

Petitionibus hominũ dat Deus ea,quæ non cogitarũt. 159

Perditus.

Perditorum turba omnes perdit,cap.25.§.13.

Perfectus.

Perfectorum est inuidiam prosternere. 140

Periculum.

Periculum qui fugit,protectionem Dei habet, c.25.§.23.
Pericula non per alia fugienda,cap.24.§.3.
Pericula qui fugit,in maiora vadens odibilis Deo,c.24.§.3.
Pericula huius vitæ subire qui velit pro Deo, præstans vir est,cap.32.§.5.
Pericula temporalia magis affligunt nobiles,cap. vlt.§.2.
Periculis ingraue scentibus auxilium Dei magis elucet. 48

Persecutor,Hostis,Inimicus.

Persecutoribus fauendum,cap.18.§.15.

Poësis.

A Poësi profana exitialis plaga regnorum venit. 88
Poëticus spiritus fatalis est Principibus. 89

Populi.

Populi duces & Deo vacent, & stimulent populum in virtutem. 152

Potentia.

Potentia fœmineo nitens fauore semper terribilis. 10
Potentiæ diuinæ illud difficilius,quod volentes trahat. 42
Potentia nequit esse cum auaritia,cap.19.§.4.
Potentia diuina extollitur cum multis aduersantibus,vel in vno sua promissa implet,cap.24.§.18.
Potestas mundi corruit in conspectu Dei. 157

Pœna.

Pœna cum peccato est,cap.20.§.1.
Pœna durissima,quod non habeas Deum,cap.18.§.3.
Pœna peccatorum vt expellatur, multæ diligentiæ adhibendæ,cap.22.§.9.
Pœna cunctanter inferenda, cap. 25.§.21. Quod pœna aliorum

Index rerum.

aliorum emenderis,nil ſuauius,cap.25.par.19.
Pœna ita ſumenda, vt illi medelam afferre poſſis. 78
Pœna certo imminens expectantem plus torquet. 85
Pœnæ irrationabilium maiores imminere hominibus oſtēdunt. 132

Pœnitentia.

Pœnitentia vt decorat peccata,cap. 32.par. 10.

Poteſtas.

Poteſtas ſine Deo in tyrannidem vertitur. 47
In alios nunquam exercetur ſine periculo. 13
Poteſtate abſoluta non vtaris in Reip. adminiſtratione.11
Poteſtatis inſigne quod tuis benefacias ſine aliorum læſione. 74
Poteſtatis diuinæ agnitio efficax ad impetrandum. 106
Poteſtas humana circa nomen & titulos, non circa res, cap. 26.par. 2.

Primus.

Primus in aliquo facinore apud Deum aliqua excellentia notatur. 57
Primas gratias vſque in mortem retinere præſtantiſſimum, cap.vlt. par.12.

Primatus.

Primatus contentiones vnus Deus ſopit,cap.25. par. 4.

Princeps.

Principis optimi abſentia à Deo ſolo ſuppletur. 231
Princeps moriturus officia publica maxime curet,c.32.§.1.
Sine damno benefaciat, cap. 31. par. 9.
Qui patrem non agit in ſubditos, illos oneroſos ſentiet, cap. 20.parag.6.
Laborioſum habet opus ſi ſubditorum ſeruiat cupediis puerilibus,cap.20.parag. 7.
Sit affectus maximè ad religionem,cap.20.par.10.
Miniſtri optimi non minuat dignitatem, cap. 24.par.8.
Rempub. æſtiment pluſquam filios,cap.28. par. 9.
Pluſquam vitam, cap. 32. par. 4.
Ne præbeat aures clandeſtinis delationibus. 14
Ne vtatur poteſtate abſoluta. 11
Ex religionis cultu fœcundatur, vt habeat filios. 22
Omnia præmeditetur, antequam faciat. 44
Agnoſcat quam paruis ſuis regnum teneat. 44
Sciat regnandi ſupercilium in Dei cauſa deponere. 46
Executionem rigoroſam non ipſe perficiat per ſe. 81
Principes mundiales ſeditioſum putant, quidquid eorum imminuit lucra. 66
Eorum fugiat familiaritatem, qui velit eos continere in virtute. 81
Sub eorum aulis plura venena. 83
Principes in veritate indaganda non immorantur. 88
Turpe illis, quod non cognoſcantur niſi propter exactiones. 99
Princeps caueat munera,cap.25. par. 10.
Principibus fatalis poëticus ſpiritus. 89
Principibus cito renuntiantur noxia. 146
Principum ingenium facile ſequuntur ſubditi. 155
Principum familiares inuidia ſequitur. 176
Principis optimi eſt lucra ſpernere præ religionis amore. 141.
Princeps ſubditos etiam rebelles leniter tractet. 143
Principibus familiariſſimè debent proponi mandata Dei. 209
Princeps ille faciliùs omnium dominatur, qui nulla rapitur auaritia. 212
Princeps quò beneficentior,eò potentior ad ſibi regna aſſerenda. 213
Principum diuturnam conuerſationem fugiant, qui Dei familiaritate amant vti. 227

Principatus.

Principatum qui viuens exuit,vt tradat filiis,fœlix eſt.c.28 parag.8.

Præcepta.

Præceptorum in obſeruatione inducitur homini bellum aduerſus carnem, & ſanguinem. 220
Præceptorum obſeruatio illuſtrat mentes humanas. 220
Præcepta diuina non commendanda humanis placitis,c.19 parag.10.
Præceptis Dei ſubdita omnia poteſt humana fragilitas.153
Præceptorum obſeruatio ſuauem reddit rerum temporalium vſum. 183

Præco Dei.

Præco Dei parum proficit apud mundiales principes. 81

Præfectura.

Præfecturam fugiat, qui nolit peccatoribus parcere, c.18. parag. 2.

Præmium.

Præmium præſens facit ſupra vires audere, cap.18.par.26.
Præmium temporale virtutis contemnendum. 139

Præparatio.

Præparatio præcedens efficaciorem facit orationem. 90

Præſentia.

Præſentia Dei remuneratoris ſupra vires facit homines audere. 269
Præſentia Dei apud impios ex eorum ſupplicio,cap.18.§.4
Præſentia Dei inexplebilem voracitatem coercet. 30

Præſtantia.

Præſtantia ſingularis nunquam non inuidioſa, cap. 22.§.2.
Præſtantiam ſuam obtegere vires excedit creatas. 16
Præſtantior fœlicitas, qua inter tuos frueris. 129

Præſes.

Præſidens in iuſtitia nulli eſt grauis. 142

Præſuls, Vide Princep.

Præſul quietus ſit in præſulatu, non inhiet ad alium,c.24. parag.9.
Præſul optimus eſt, qui omnia poſtponit animarum ſaluti. 154

Promiſſio.

Promiſſio Dei certa venit ad eum, qui nihil prætermittit eorum, quæ Dei ſunt. 114
Promiſſiones Dei ſpectentur, vt ad ſpiritum pertinent. 41
Promiſſio de futuro placet,ſi de præſenti aliquid præſtet.39
Promiſſiones Dei vel in vno impletæ contra repugnantes potentiam Dei exaltant,cap. 24. par. 18.
Promiſſiones Dei qui tenet,non ſpectet creaturas,c.23.§.2
Promiſſio Dei illi obuenit, qui eius honorem ſolicitat, cap. 27. parag. 12.

Propinquitas.

Propinquitas ad Deum conformitatem cum illo exigit.32
Propinquiora nobis maximè nos mouent. 134

Prouidentia.

Prouidentia Dei ſpecialis magnis negotiis adeſt. 36
Prouidentiæ fides cum periclitatur, accelerat Deus ſupplicium. 84

Protectio.

Protectio Dei adeſt ſuis afflictis,cap.24.§.6.
Protectio dominicę crucis ſola eſt,quę nunquā deficit.145

Proximus.

Proximus cum caſtigatur, tunc amatur,cap. 30.§.8.
Proximi ruina ſpiritualis, damnatione, dolorem incutiat. cap. 30.parag.9.
Proximorum liberatio victima eſt Deo accepta, c.17. §.22.
Proximi ſalus, & non ſolum noſtra procuranda eſt, ſi volumus mercedem multiplicari nobis. 187

Pudor.

Pudoris confuſio acerbiſſima ingenuis viris. 248

Puellæ.

Puella caſta ne attendat ad iuuenes ſua cauſa pugnantes.19
Beneficos ſibi caueat. 19
Puellarum vindices palatini mirantur. 20

Pulchritudo.

Pulchritudo viſa facit vorare pericula. 5
Ægre poteſt celari. 6

Q

Querela.

QVerelarum facultatem opprimere ſolet magnitudo mali. 25

Index rerum.

Quies.

Quietem habe in quolibet effectu post perfectas omnes diligentias. 57
Quietem affert æternam panis cœlestis. 179

R.

Ratio.

RAtionem Deo submittere gratius, & efficacius est sacrificium. 129

Rebellio, Rebelles.

Rebellio nunquam à Dei spiritu. 62
Rebelles etiam subditos leniter tractet princeps. 143

Recentia.

Recẽtia & præsentanea longè sunt à suspicione falsitatis. 37

Regnum.

Regnorum excidium nimia subditorum oppressio. 67
Regni plaga, quod iustitiæ ministri laute viuant. 94
Regnum nequit conseruari nisi à Deo, cap. 18. §. 12.

Reincidentia.

Reincidentia crebra in peccatum lethalis, cap. 25. par. 24.

Religio.

Religio sit in primis Principum curis, cap. 20. par. 10.
Religio, & pietas in primis; cap. 19. parag. 11.
Religio vera nos facit humanos in proximos, cap. 27. §. 3.
Religionis perditionem non sustinet sacerdos viuus. 247
Religionem lucris præponere optimi principis est. 141

Religiosus.

Religiosus vir caueat summitates mundialiũ splendorũ. 84
In religiosis ambitio grauiores factiones parit. 73

Remedium.

Remediis crescentia mala pessima. 71

Remissio.

Remissionis vel vmbra in virtutis inceptæ curriculo timenda. 145

Remunerator.

Remuneratoris præsentia facit audere supra vires. c. 18. §. 26

Renuntiatio.

Renuntiare mundo ingentia lucra habet. 136
Renuntiantur principi citissimè noxia. 146

Repentinus.

Repentinum non sit mortis tempus. 119

Reprobus.

Reprobi nisi per afflictionem ad Deum non veniunt. 79
Illorum proprium nec inter pœnas emolliri. 104
Nimis sunt citi in admittendis malis. 239
Quod in vita sustineantur à Deo solo venit. 116
Reproborum est facile ad eadem vitia redire. 149

Res.

Resculæ etiam infimæ stare possunt aduersus validissimos contrarios, fauente Deo. 26

Resignatus.

Resignati oratio efficacissima est. 208

Respublica.

Respublica non gubernetur potestate absoluta. 11
Reipublicæ commoda æstimanda à principe præ filiis, c. 28 parag. 9. præ vita, cap. 32. §. 4.

Resurrectio.

Resurrectionis fides maximè homines promouet. 66
Resurrectionis vel vmbra grata laborantibus. c. 27. §. 7.

Reuerentia.

Reuerentia exhibita Deo dispositio est ad magnas gratias promerendas. 32
Reuerentia magna adhibenda est sacris. 130
Reuerentia erga Reges in solo Deo illis assistente fundatur. 131
Reuerentia dignissima est diuina mensa, ne quis Deum offendat. 184
Reuerentiam ingenerant semper diuina, & cœlestia. 217

Reus.

Rei sic plectantur, vt in domino occumbant. cap. 30. §. 6.

Rex, Vide Princeps.

Rex ne sit impedimento subditis ad diuinum cultum. 63
Illis plaga est magna, quod eorũ publicentur consilia. 95
Apud Reges adolescunt gubernatores. 10
Regium est, quod non fidas creaturis. cap. 18. par. 16.
Regibus appropinquare sine inuidia non cernitur in mundo. 176
Regibus familiarissimè debent proponi mandata Dei. 209

Rigor.

Temporalis rigor eò tolerabilior, quò pluribus creaturis communior. 218

Ruina.

Ruina à lingua, cap. 20. §. 2. Ruinam ignorant quæ pro Deo, & æterna vita fiunt. 189

Rusticitas.

Rusticitas aliquando decet bonum virum. 18

S.

Sacerdos.

SAcerdotes decet largitas in egenum. 21
Sacerdotis munus ab humilitate, cap. 26. par. 8.
Sacerdotum mors efficax ad mouendos animos, c. 28. §. 3.
Sacerdotum auaritia pernicioſa, cap. 32. part. 28. Illis crimini dandum, quod superuiuant religioni, 247
Sacerdotes luxuriæ vindices, cap. 30. part. 12.

Sacerdotium.

Sacerdotium clarius, quam regnum, 15

Sacra.

Sacrorum conspectui reuerentia adhibenda, 130
Sacra Deo in augmentum vadunt, 137
In Sacris animus offerentis, non res spectatur, 226

Sacrificium.

Sacrificium ex mortis consideratione, cap. 25. part. 21.
Sacrificium Deo gratius rationis summissio & intellectus, 129.

Salus.

Salutis via clara in obedientia Deo exhibita. 107
Salus manibus est negotianda, cap. 29. part. 16.
Salus animæ, & corporis procuranda, cap. 21. part. 4.
Salus stantibus in virtute, cap. 18. purt. 6.
Salus proximi operibus tractanda, 75
Salutis humanæ auspicium in Christi similitudine. 6
Salutis remedium festinatissimum à Christi passione. 165
Facilius obtinetur in crucis cultu. 166
Salus ibi est, vbi cum mensura excipiuntur bona temporalia. 183
Salus suorum cæteris præponenda optimo præsuli. 154
Non in sola aliorum prece ponenda salus. 153
Salutem proximo, & non solum sibi procurans mercedem sibi multiplicat. 187

Sanctus, Sanctitas. Vide Iustus.

Sancti viri in ciuitatibus vix sine persecutione sunt, cap. 20. part. 14.
Sanctorum preces salubriores principibus, quam duces. 90
Sancti viri caueant seruire aliis, quam Deo. 63. Inter illos ambitio inquietior. 69
Sanctitas pugnantium multum conducit ad victoriam. 205

Sanguis.

Sanguis Christi in altari omnia absorbet peccata. 127
Sanguis Christi solus est potens armatas in homines impedire diras. 133

Scelera, Vide Peccatum.

Scelera abscondita prosiliunt in medium ad primum diuinæ iustitiæ ictum. 87
Sceleratis obniti debes. 247
Scelera à se tollat, qui ea in aliis castigat, cap. 32. par. 2.

Scriptura.

Scripturæ sacræ lectio efficacissima, cap. 18. par. 7.

Scripta.

Scripta non sic commendant hominem vt virtutes. 238

Securitas.

Securitatem affert panis cœlestis. 182

Sermo.

Sermonis facundia apta ad gubernandum. 51

Senior.

Seniorum placitis Respublica stabit. 40

Index rerum.

Separatio.

Separatio à Deo homini periculosa. 50

Seruitium.

Seruitio diuino omnes in domo intenti fœliciſſimi. 137

Seruus, Seruitus.

Seruus Dei nec ſtatum humilem mutare feſtinet. 25

Seruitutis nomen imperfectis Iudæis fauſtum. 150

Seruitus voluntaria propter Deum præſtantiſſima. ibid.

Serui ventris excitant diſſidia contra Deum,& homines. 196

Similitudo.

Similitudo cum Deo neceſſaria volenti illi appropinquare. 32

Silentium.

Silentium humile frangit iras, cap. 24. par. 4.

Simulatio.

Simulatio virtutum detrimentoſa, cap. 19. parag. 13.

Simultas.

Simultates propriæ obliuiſcēdæ in adimplendo munere. 105

Socij.

Sociorum malis inficeris, cap. 22. par. 5.

Solatium.

Solatium cupiditatum non admittit crucifixi memoria. 128

Spes.

Spes figenda ſupra communes vias vbi cum Deo negotiaris, cap. 21. parag. 2.

Spiritus.

Spiritus diuini eſt, quod integrè Deo ſeruias, cap. 28. par. 14.

Spiritus diuinus etiam perſecutoribus ſui guſtū præbet. 263

Spiritus Sancti virtus de indiſpoſitis, & repugnantibus laudes educit, cap. 20. par. 13.

Spiritus Dei factiones fugit. 62

Non infert malum ſine medela, quantum eſt ex ſe. 78

Dei vbi adeſt, in multis ſentitur. 224

Spiritualis.

Spiritualis homo non deſcendat ad temporalia, cap. vlt. §. 5

Spolium.

Spoliis tyrannorum viuere decorum. 136

Subditus.

Subditorum oppreſſio regni exitium. 67

Subditorum afflictiones ſibi Deum propitiant. 75

Bonum dominum afficiunt. ibid.

Subditi ſcelerati elanguent in conſpectu principis. 246

Subditi oneroſi principi, qui patrem nō agit ad illos, c. 20. §. 6

Subditorum puerilibus cupediis ſeruire valde laborioſum. cap. 20. par. 7.

Subditorum ingenium eſt dominis oblatrare, cap. 22. par. 1.

Subditus facilè ſequitur ingenium principis. 155

Subditos etiam rebelles leniter tractet princeps. 143

Summum.

Ad ſumma non ſtatim euolandum eſt. 217

Superior.

Superior oſtenditur, qui conſortes non detrectat in honore, cap. 32. par. 18.

Supplicium.

Supplicij præuiſio longanimem facit Deum, cap. 17. §. 23.

Supplicium impiorum Deum oſtendit præſentem, c. 18. §. 4.

Cunctanter inferendum, cap. 25. par. 12.

Supplicium ſcelerum facit innocentiam, cap. 24. par. 16.

Suplicium duriſſimum eſt illis, qui aſſentiuntur peccantibus, cap. 25. par. 20.

Supplicium peccatorum, quod aliis ſit ſalutare à Deo venit, cap. 25. par. 18.

Supplicia minuantur in executione, cap. 30. par. 14.

Supplicia aliis data, nobis timeamus. 160

T

Tædium.

TÆdium fugiendum in oratione, cap. 21. par. 1.

Temporalis.

Temporalis rigor eò tolerabilior, quò pluribus creaturis communior. 218

Temporales mendaces, cap. 29. par. 4.

Adorant lucra, cap. 32. par. 16.

Temporalia bona obſunt Deo excipiendo, cap. 25. par. 14.

Vacuanda ex animo, vt Deus adſit, c. 18. §. 21. & 24. & 17.

Temporale proprium virtutis nō requirendum. 139

Temporalia excæcant. 174

Temporalia diſparent apparente Dei gloria. 175

Temporalia dona nihili æſtimantur à Deo. 180

Cum menſura ſuſcepta ſalutaria. 185

Tempus.

Temporis prærogatiua parui momenti eſt apud Deum. 118

Tempus mortis non ſit inopinatum. 119

Tentatio.

Vbi tentationibus paramur, Deus adeſt. 71

Tentatio nulla eſt, per quam non poſſimus euadere. 156

Terrenus.

Terrena contagia fugienda, vt Deum recipias, cap. 18. par. 16.

Terrenæ infirmitatis notio ſalutaris, cap. 23. par. 5.

Terreni homines non patiuntur ablactari. 139

Terror.

Terrori quæ ſunt, ſalutaria fiunt ſi à Deo ducantur. 155

Teſtimonium.

Teſtimonia operum faciunt contemni verborum teſtimonia, cap. 25. par. 3.

Timor, Vide Metus.

Timor Dei expellit alios timores, cap. 24. par. 15.

Timorem exuant, qui egregia facta aggredi volunt. 49

Humanus excutiendus in re virtutis, cap. 23. par. 1.

Timor omnia horrenda apparere facit, cap. 23. par. 10.

Timor Dei diſponit ad diuina excipienda. 121

Timor efficaciſſimus eſt, vt nos ducat ad Deum. 219

Timidi.

Timidi in minimis malis temporalibus audaciſſimi ſolent eſſe in æternis vorandis, cap. 24. par. 5.

Tormenta.

Tormenta in Chriſto nos faciunt feſtinare ad gloriam. 126

Tranſitoria.

Tranſitoriis ne nimium hæreas. 124

Tribulatio, Vide labor.

Tribulationis refugium promptius in Deo, cap. 25. §. 22.

Tribunal.

Tribunalia mundialia rarò confringunt Tyrannidem potentum. 211

Tributum.

Turpe principi, quod ſolum cognoſcatur propter tributa. 99

Triduum.

Triduana virtutum exercitatio fauſta eſt volenti ex Deo ſalutem trahere. 215

Trinitas.

In B. Trinitatis fide contra omnia mala initiamur. 42

Trinitatis ſignum dabatur, vbi infundebatur diuinitatis notitia. 216

Turba.

Turbæ perditorū nullum non exhibent perditum, c. 25. §. 13.

Tyrannis.

Tyrannidis ſuſpicionē exuit, qui beneficentiam teſtator. 96

Tyrannidem potentum rarò confringunt tribunalia mundialia. 211

V.

Vanus.

VAnus eſt apud Deum clamor cum quo perſeuerat æſtimatio rerum corruptibilium. 149

Venter.

Ventri ſeruientes omnia diſſidia excitant aduerſus Deum,& homines. 195

Veritas.

Veritas gloriæ in ſolo Ieſu, cap. 18. par. 28. in veritate indaganda non immorantur principes. 88

Seuerus admonitor veritatem teſtatur. 82

Veritas etiam hominem debilem facit fortem. 17

Verbum.

Verbi diuini ſtudium obliuionē facit temporalium. c. 18. §. 27

Verba cum operibus iungenda, cap. 19. par. 6.

Verba honorata animum tenent pacatum, cap. 25. par. 2.

Verba non attendenda, vbi ſunt opera in cōtrarium, c. 25. §. 5.

Index rerum.

Verba de præcedentibus operibus efficacia, cap.27.§.8.
Verbis emollire corda dura, res est magnæ virtutis,c 27.§.7.
Verbum Dei hominem in quauis indigentia sustentat. 230
Verba contumelioſa caueant Prælati. 11
Verborum splendor non requirendus in re graui. 54
Ad modicum valet in re virtutis. ibid.
Verbis opera disconuenire à diabolo venit. 140
Verbum Dei omnia fit animæ fideli. 191
Verba Dei Christi ore prolata maximè confirmant, & suauiant homines. 226

Vestes.

Vestibus etiã castitas apparere debet,quæ grata est Deo. 216

Vetus.

Veteris legis holocaustis efficacior est multorum concors laudatio. 162

Via.

Via virtutis,salutisve attendenda. 87

Victima.

Victima Deo accepta,quod proximum liberes, c.17.§.22.
Omni victima sublimior gratiarum actio. 210

Victoria.

Victoria tunc glorioſior,quando hostem illudendo vincis. 5
Præstãtissima,in qua nullus vincentiũ desideratur,c.32.§.22.
Ad Victoriã multum conducit sanctitas pugnantium. 205

Vigilantia.

Vigilantia necessaria,cap.26.§.10.

Vindicta.

Vindicta cita in publice peccantes, cap. 25. §. 26.
Vindictam ciet ingratitudo, vel à mansuetis. 127

Vindex.

Vindices puellarum in palatinis admirationi sunt. 20

Vir.

Viro præstanti detrimentoſum est magna non aggredi. 28
Vir bonus nil faciat sine fructu. 17
Viri præstantes, licet pauci, faciunt imperium magis illustre, quam vilis multitudo. 206

Vnitas.

Vnitatem qui scindit multas diuisiones patietur, cap.25.§.1.

Vires.

Vires creatæ non valent, vt quis omnino suam occultet præstantiam. 16

Virginitas.

Virginitas vsque ad Christum incognita fuit. 7
Tollit suspicionem mali,cap. 32. par. 20.

Virtus.

In virtute metuuntur seditiones ab impiis. 65
Virtutis procrastinatio à malo. 91
Virtutis paternæ laus calcar est ad filios. 33
Virtuti deditos vt decet rusticas. 18
Virtus florida,& semper recens, copioſam facit messem cœlestis panis,cap.26.par. 9.
Virtutibus qui tot fulget, quot sufficerent populo,laudabilis, cap.20.par.12.
Virtus ægrè conseruatur, vbi leges mundiales florent, c.19. parag.9.
Virtutis affectus semper sit recens, cap.19.par.5.
Virtuti non ex parte seruias,cap.18. par.14.
Virtutum esca solida post Christum, cap.29. par. 5.
Virtutes inter qui peccat,pene deploratus,cap. 30. §.11.
Virtus vnius potest & populum peccatorem obtegere,c.30. parag.18.
Virtutum in facinora qui mala conuertit, præstans est, c.vlt. parag.6.
Virtutis assecla Deum vnum nouit. 232
Virtutes potius, quam scripta commendant hominem. 238
Virtus aduersis roborata valet apud Deum. 122
Virtus maior præcipuè curanda. 173
Virtutis præmium temporale non requirendum. 139
Virtus parui temporis vix censetur apud Deum. 228
Virtutis internæ ardor omnia dura externa deuincit. 225
Virtutum culminibus debetur præconium famæ solummodo. 218
Virtutum opera efficaciſſimam orationem habent apud Deũ. 208
Virtutum exercitatio triduana fausta est volenti ex Deo salutem trahere. 215
Virtutem conseruate in otioſa vita laborioſum, & ferè impossibile est. 208
Vtiliora sunt quæ nobis infirmitatem recolunt, quam quæ virtutem. 201

Visio.

Visio Dei à Charitate,cap.18.par.11.
Visio Dei à pane Eucharistico. 171

Vita.

Vita vel à Christi vmbra,cap. 29. par. 13.
Vitæ huius pericula qui pro Deo amet,præstans vir est,c.32. par.5.
Vita excedens ne quid habeas etiam in hostes. 135
Vitæ nouitati quidquid conducit opus est Dei. 138
Vita fidelium in Christi passione. 199
Quæ pro vita æterna fiunt,ruinam non agnoscunt. 189
Pro vita æterna nihil in præsenti parare stultissimũ est. 190
In hac vita nulli deest ærumna, etiamsi exacte Deum colat. 194

Vitium.

Vitia regnantium plus officiunt populo quam hostes. 27
Vitia repetere reproborum est. 149
Vitiorum occasiones nec memorandæ. 148

Voluptas. Vide Luxuria.

Voluptatis rei vel minimum cauendum, cap. 32.par.11.

Voluntas.

Voluntatem Dei qui sequi volet, multis se excolat. 142

Voluntarij.

Voluntarij in diuino obsequio optimum tenent locum in domo domini, cap. 32.par. 26.
Voluntaria propter Deum seruitus præstãtissima homini. 150

Voracitas.

Voracitas Dei præsentia coercetur. 30

Vox.

Vox Dei efficaciter mouet corda. 30
Simul cum operibus efficax est vox. 51

Vbertas.

Vbertatem debes sperare à Deo,à quo in penuriã ageris. 169

Vxor.

Vxor censetur ex marito qualis sit, cap. 32.par.13.

Zelotipiæ.

Zelotipiæ affectus vnus in nobiliſſimo quoquam pectore inexorabilis est. 224

132

10.032